Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

A. D. G. Ko 48

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SCRIPTO
RERUM
Gallicarum Tomus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SCRIPTO
RERVM
Gallicarum Tomus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ILLVSTRIVM VETERVM SCRIPTORVM, QVI RERVM A GERMANIS PER MVLTAS ÆTATES GESTARVM HISTORIAS VEL ANNALES POSTERIS RELIQVERVNT,

Tomus vnus:

In quo ad Reginonem, Herm. Contractum, Lamb. Schafnaburgenſem, Marianum Scotum, Sigebertum, & Sifridum (quorum quidam è manuſcriptis codicibus ſunt correcti) ſex iam primùm acceſſerunt, antea nunquam impreſſi libelli.

Collegij Soc^ti Jesv Dusseldorpij A 1642.
Ex bibliotheca Joannis Pistorii Nidani D.

Catalogum authorum, qui in hoc volumine comprehenſi ſunt, inuenies poſt præfationem.

CVM INDICE LOCVPLETISSIMO.



FRANCOFVRTI,
Impenſis Claudii Marnii hæredum, Ioannis & Andreæ Marnii & Conſortis.

M. DC. XIII.

SCRIPTORVM RERVM Germ. Tom.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

21 A.D.G. 48
2/11

KÖNIGL.
BIBLIOTHEK
ZU
DÜSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ILLVSTRIBVS AC GENEROSIS COMITIBVS AC DOMINIS, D. PHILIPPO ET D. LVDOVICO, PATRI ET FILIO, COMITIBVS IN LEININGEN, BARONIBVS semper liberis in Westerburg, & Dominis in Schauuenburg, &c Dominis suis omni cum obseruantia colendis.

MITTO ad vos, illustres ac generosi D. Comites, volumen vnum, plenum præstantium factorum, quæ veteres Germani, pace, belloque laudabiliter & glorioſe gesserunt. de quo duo mihi præfanda breuiter esse video: primum, quænam facta sit ad superiores editiones accessio, vt de nouo recudendum esse putarem: deinde cur voluerim, vt in hominum conspectu sub clarissimis nominibus vestris appareret. De primo primũ dicam: de altero posterius.

Magnam hactenus operam dedi, vt manuscriptos veteres authores haberem quamplurimos, qui res veterum Germanorum in libris suis consignassent: & simul studium iam statim ab initio meum ad eam rem contuli vniuersum, vt quicquid de eiusmodi libris in manum meam perueniret, foras statim in publicam lucem diuulgarem; ad illustrandam dignitatem gentis nostræ, quæ propter scriptorum inopiam, sæpe etiam ieiunitatem, nullis exculta literis adhuc satis est. Cum itaque VVecheliani hæredes, industrij certe & præstantes Typographi, qui nõ solum possessionum & patrimonij, sed etiam diligentiæ & virtutis acceperunt à socero VVechelo traditam hæreditatem, Turpinum, Reginonem, Sigebertum, & Lambertum, exemplaribus distractis superioribus omnibus, recudere vellent: primum quidem suasi, vt Turpinum tanquam particularis vnius belli narratorem de hac vniuersalium scriptorum societate tollerent, & cum iis coniungerent, quorum studium ad vnam vnius personæ vel seculi complectendam historiam applicatum fuit: deinde ad reliquos tres, vt cæteros omnes apponerent, quorum in eodem argumento labor diligenter versatus & laudabiliter & breuiter esset: quales de impressis scriptoribus Hermannum Contractum esse monui, & Marianum, & Sifridum, & Rollewinckium: tertio in Sigeberto, vt postremi Parisiensis libri, in quo multa veterum editionum menda sublata, & correcti errores essent, exemplum sequerentur. Quæ omnia cum diligenter præstarent, si nihil aliud accederet, tamen putaui magnam illos ab omnibus historiarum veterumque rerum studiosis inituros esse gratiam. Postea vero

SCRIPTO-
RVM
Germ. Tom.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vt luculentum non illis tantum, sed omnibus nostris hominibus signum darem voluntatis propensæ meæ, ad amplificandam veterum Germanorum gloriam; & vt totus liber accessione nouarum lucubrationum esset lectori commendatior: ego Lambertum illis ex vetustissimo libro multis locis emendatum, & huius appendicem suppeditaui, quæ in meo libro ab Erphesfordensi monacho comparata non indiligenter erat: & duas Thuringicas historias concessi, quas in Lamberti volumine magna cum diligentia anonymus veteris illius ætatis scriptor ex rerum à Landgrauiis gestarum animaduersione collegerat; & Landgrauiorum Thuringiæ & Hassiæ per quingentos annos ductam Genealogiam asscripsi: & congregandum cum illis omnibus Paulum Langium Zuticensis historiæ explicatorem esse iudicaui, scriptorem non ineptum, & omnino dignum, qui nonnullo cum Germanicæ historiæ damno à luce tamdiu videtur abfuisse publica, vt nunc à nobis euulgetur. Quibus omnibus sic conformatus liber est, vt plane nouam speciem præ se ferat, & nouus pene totus sit. Cæteri quidem omnes in eodem occupati sunt argumento, & non ad vnam aliquam vnius gentis vel prouinciæ historiam, sed ad res omnes comprehendendas quæ ante & circa eorum ætatem acciderunt, accommodare diligentiam suam voluerunt: quanquam tamen illius terræ, in qua vixerunt, & eorum temporum notationibus maxima sæpe libri pars completa fuit. Solus Langius vnius monasterij: & reliqui libri post Langium, Landgrauiorum tantum in Thuringia & Hassia res gestas continent, & in eo totum laborem studiumq; suum consumunt: propterea q; non ita magnam habere cognationem in argumento cum cæteris videntur. Sed profecto, quia aliquot seculorum memoriam persequuntur, & in Germanicas historias magnam lucem maximumq; fructum deriuant, & in hominum conspectum hactenus nondum venerunt, planeq; noui sunt, cõsentire nullo modo potui, vt prætermitterentur: & præsertim de Thuringicis historiis aliæ erant causæ, cur in hoc volumine locum haberent. Nam quia cum appendice Lamberti, quæ res etiam Thuringicas tradit, non inepte conueniebant, & in eodem peruetusto codice inscriptæ erant, non vidi cur ego coniunctam inter illos à primo scriptore societatem dirimere vellem.

Vt vero sparsa in duabus postremis historiis Landgrauiorum Thuringiæ familia, in meliore ordine & lumine collocaretur, ex huius & aliorum librorum copia, omnes istius gentis principes, tum qui à Ludouico primo Barbato procreati sunt, tum qui à Iutta Hermanni & à Sophia Ludouici postremi filia susceptiliberi, & in illius infusi hæreditatem, Thuringiam & Hassiam ad nostram vsque memoriam tenuerunt, in minutas tabulas contraxi, vnoq; aspectu contuendos in paucis chartis subiecí: quod eo feci libentius, quia iam diu de Ludouici primi Barbati origine comparata mihi cum magnis viris controuersia non parua fuit: vt sententia mea à viris doctis cognosci, & ad antiquitatis testimonia conferri atque existimari posset. Aurelianensem ducem vel comitem fuisse Ludouicum, multi sentiunt, primarij viri; qui eam à se comprehensam sententiam non solum in animis hominum, sed etiam in scriptis libris proseminarunt. Ego vel Arelatensem vel in alia consimili Gallica gente natum fuisse, prorsus arbitror: Aurelianensem fuisse, non video, vnde ille, qui primum sensit, animaduertere potuerit: aut quomodo in oculorum sensu tam fuerit acutus, vt, quod ante & post eum nemo in summa luce vidit, ipse solus in temporum superiorum tenebris perspexerit. Gallicæ historiæ quibus infiniti pene libri cumulati sunt, nullum in ista ætate ponunt Aurelianensem principem, qui contra Capeticam gentem, vel vrbem, vel ditionem Aurelianam posßideret. Arelaten-

latenſes vero & Guilhelmos duos aperte non ſemel nominant, iſto eodem tempore, cum in Germaniam profectus Ludouicus noſter dignitate & ditione pulcherrime ad ſummam gloriam floreſcebat. Nam & Guilhelmi Arelatenſis filiam Conſtantiam, ex Blanca Andegaui Comitiſſa boni Fulconis filia procreatam, Robertus Rex Galliæ Capeti filius in matrimonio tenebat: & Guilhelmi illius Arelatenſis ſororem Blancam nuptiis Otho ſibi coniunxerat, Caroli filius, Lotharingiæ Dux, & poſtremus ex Caroli Magni familia relictus princeps: cuius morte tota Carolina gens in Gallia funditus extincta planeque deleta fuit. Inde VVilhelmus ſenior, Guilielmus iunior Arelatenſis, & tandem Guilielmus tertius: deinde Othonis Guilielmi Burgundiæ comitis filia, vxor Arelatenſis VVilhelmi, circa illam ætatem commemorantur. quorum cum & permagnum in libris, & frequens admodum ſit nomen, Aurelianenſium tamen nemo in iſtis annis meminit: nemo vno verbo attigit, & ne quidem Germanicarũ rerum in tota copioſa vetuſtate probatus & grauis hiſtoricus vnus aliquis ſcriptor. tantum abeſt vt Ludouicus fratrem VVilhelmum in Gallia reliquerit, paternæ Aurelianæ ditionis ſub Roberto & Heinrico regibus poſſeſſorem & hæredem. Nam Lazij indiligentis & in his rebus plane ieiuni & inconſiderati ſcriptoris authoritas, quæ ad pingendam ineptam certe ſententiam obducitur, pondus omnino nullum habet: qui vix vnam Germanicam familiam ſine vitio tradidit, qui in iſto argumento & in vniuerſa illa tractatione, nullo cum ſtudio verſari laborem ſuum, & nulla cum cura voluit: &, ne à noſtro exemplo diſcedam, in hac ipſa Aurelianæ gentis explicatione, Andegauenſem & Arelatenſem & Normanicam propagationem miſerabiliter confudit, & cœlum terræ miſcuit, ſeq; ipſum in magnã contemptionem proiecit. Sed hæc alio loco, & in peculiari epiſtola docebo multo copioſius, & oſtendam ſtare illam de Aurelianenſibus regulis ſententiam non poſſe: tanquam quæ nullo teſtimonio firmata, nullis rationibus ſtabilita, fulcire ſeipſam cõtra ſcriptorum clariſſimam lucem non queat. Satis iam ſit, quid ego de hac re ſentirem, in medio proponere ad exacuendam doctorum hominum diligentiam, & ad paulatim iterum antiquandam opinionem, quæ nullis radicibis innixa, longe lateq; progreſſa iam eſſe videtur, & procederet profecto multo longius, niſi gladio vetuſtatis iugulata ſupprimeretur. Qua de cauſa Genealogiam in hoc libro, quanquam propemodum in alieno loco: & primo ſtatim aditu ſententiam meam paucis verbis adſcripſi, ad excitandos illos qui contra me ſentiunt, & ad errorem eripiendum, qui in aliquot libris inſperſus, multorum iam hominum animos occupauit.

Hæc igitur in noſtro volumine iam à nobis præſtita confectaque ſunt. Primum Lambertus ex manuſcripto perantiquo codice, deinde Regino, Contractus, Marianus, Sigebertus, & Sifridus ex impreſſis optimis libris diligenter & magna cum induſtria elegantibus typis deſcripti & in vno volumine conſociati ſunt: poſtea ſex prorſus noui libelli partim ex mea, partim ex Henrici Petrei bibliotheca ad priores libros accreuerunt, qui hactenus nullo loco publicati, iam primum foras proferuntur. Appendix vna, quæ trecentorum annorum hiſtoriam poſt Lambertum explicat: & Compilatio Chronologica è diuerſis Chronicis ab anonymo authore excerpta: & Chronicon Zitizenſe Pauli Langij: & Narratio copioſior de vita & geſtis Landgrauiorum Thuringiæ: & rurſus concinna de ijſdem & breuis notatio: & tandem Genealogia illorum ex tripartita familia, hoc eſt, ex Arelatenſibus coagmentata & ex Miſnenſibus & Brabanticis principibus, & continuis progreßionibus ad eos vſque deducta qui hodie viuunt. Horum

vero ſex librorum, & eorum etiam præſertim, qui antea impreſsi, nunc recuſi ſunt, nullus eſt qui non authoritatis præſtantia & vbertate fructus, quem de ſe præbet, digniſſimus ſit, vt in manibus & memoria hominum retineatur. Nam in illis omnibus, quantæ res & quam glorioſæ tractantur? quam neceſſariæ ad cognoſcendam hiſtoriam Germanicam? & ſine illis quam multæ res maximæ in tenebris & in caligine iacerent? quæ nunc noſtrorum librorum colluſtratæ lumine, & corroboratæ teſtimonio, & ab obliuione hominum atque à ſilentio vindicatæ, nunquam fortaſsis conſenescent, vt ego recte ſtudium meum poſuiſſe videar, quod veteres recudi iuſsi, & nouos cum illis coniunxi: & bene profecto typographi de hiſtoriarum lectoribus promeriti ſint, quod eos omnes à me ſumptos typis ſuis publicarint.

Cur autem ſub veſtris nominibus illos in luce, & in omnium gentium totiuſq; poſteritatis oculis comparere vellem, cauſas vſus ſum iuſtas quidem illas & magnas habere plurimas, non temere quæſitas, ſed ſuſceptas conſilio, & ab illis comprobatas, quorum vos amatis conſuetudinem, & magni facitis authoritatem, & laudatis iudicium.

Primum, cum veſtra gens antiquitate generis, & rerum geſtarum gloria, & virtutis ſtudio, cæteris veſtri ordinis clariſſimis hominibus, vel antecellat, vel certe vinci ſeſe in iſto honore non patiatur: quia in noſtris libellis vetuſta Germanorum facta, gloriæ virtutiſque pleniſsima, mandata literis erant, vidi me alienum ab exſpectatione veſtra officioque meo facere profecto nihil, ſi res priſcas veterum admodum antiquorum hominum, ſumma cum laude adminiſtratas, vobis inſcriberem, quorum familia antiquiſsima, multiſque laudibus illuſtrata, & virtutis cumulata infinitis exemplis eſſet. VVeſterburgica ſtirps, quæ veſtræ gentis & dignitatis veſtræ principium eſt, primis illis heroicis temporibus ante omnium librorum memoriam proſeminata, quia inops tum Germania nudaque prorſus à ſcriptoribus erat, originis ipſa ſuæ iam initium recordari non poteſt, quod propter vetuſtatem obſcuratum obliuione, & remotum ab hominũ intelligẽtia, & abſtruſum in tenebris eſt, longinqui retro temporis. Quia tamen neminem, qui non multitudine laudabiliter geſtarum rerum nobilitatus, virtute ſua enituiſſet, veteres in iſto ſplendoris collocabant & amplitudinis gradu: quo antiquior eſt dignitas veſtra, tanto magis conſtat, virtute primum partam, & honeſtis ſtudiis conciliatam eſſe. Quantum certe longiſsime de libris cognoſci memoria generis veſtri poteſt: tanquam ſi in eo ſolo laus omnis florere virtutis & gloriæ deberet: ſic nemo pene gentilitatis veſtræ iam ab infinitis annis fuit, qui non omnibus pacis bellique laudibus abundans, ſeipſum immortali ſempiternaq; memoriæ conſecraret, & ad hanc adipiſcendam illuſtrem præſtantiam, totum ſtudium & vitam vniuerſam ſuam conferret. Inde tot extant VVeſterburgici Heroes, qui magna non ſolum vetuſti generis, ſed etiam excellentium factorum claritate commendati, in ſumma gratia Cæſarum ac Regum, & in omnium honorum ornamentis vixerunt. Multo vero veſtrum antiquiorem ortum eſſe, quam in ſcriptis libris reperiatur, inde perſpicuum eſt, quod vos & ſemper liberi Barones, & inter quatuor primarios Barones tertio loco poſiti per totius Germanici veteris imperij decretum fuiſtis; ad cuius aditum ſummi honoris, nullis tum niſi illuſtri & antiquiſsima familia natis, patere via potuit. Jam altera Leiningiorum Comitum familia, quæ ad veſtram gentem ex nuptiis acceſsit, quam plena eſt antiquæ & honeſtæ & excellentis gloriæ? quam omni decore & multarum ditionum poſſeſsione, & copia laudum affluens? quantam commemorationem in Germanicis hiſtoriis, quam

incun-

iucundam habet, quam glorioſam geſtarum à ſe rerum? Itaque quia iſtæ peruetuſtæ duæ & virtutis gloriæque laude celebratæ familiæ vobis originem naſcendi dederunt, viſus mihi (ſicut dixi) nihil ſum extra ordinem facere, quod vetuſtarum actionum & cum laude gloriaq; ſuſceptarum tractationem ad vos mitterem. Deinde bona etiam pars horum librorum veſtra propria eſt, & eorum præſertim, qui de Landgrauiis Thuringicis ſcripti, iam primum acceſſerunt. Illi enim quorum de vita confecti libri ſunt Thuringiæ Landgrauij, propinquitate & ſanguine vos attinguni: & Ludouici poſtremi, quem Sanctum propter vitam innocenter actam cognominarunt, trineptis, filia Burggrauij Noribergici, in veſtram familiam vni de gentilitate veſtra, Philippo VVeſterburgico collocata, ſtirpem veſtram cum illorum familia conſociauit, vt nihil dicam, multa in his libris eſſe Leimingiorum comitum, multa etiam maiorum veſtrorum inſcripta magnæ fortitudinis ſummæque prudentiæ exempla, quæ à vobis recognoſci operæpretium eſt. Et quanquam iſthæc omnia non eſſent, quæ tamen ampliſſima ſunt: vos ipſi certe veſtris non tenuiter adumbratis, ſed clariſſime expreſsis admodum luminoſis virtutibus, ſtudium meum ſic excitaſtis, vt de inſcribendo vobis libro aliquo iam diu cogitarim. Vidi ipſe cum in arce veſtra Leimingenſi vobiſcum eſſem, quantam operam quantumque ſtudium poneretis, vt maiorum veſtrorum eſſe ſimilimi, hoc eſt, vt in omni virtutis genere, veſtris æqualibus antecedere, & ea quæ accepta ab antiquis progenitoribus, glorioſe vixerunt exempla, vos nouis veſtris factis accumulaſtis, poſteritati propagare poſſetis. Quã alacritatem veſtram non excitandam aut amplificandam, (eſt enim per ſe maxima) ſed laudandam noſtris hominibus eſſe iudicaui: vt multi veſtri ordinis, cum excellentem veteris gloriæ effigiem in vobis aſpicient, ad illam virtutis formam, quæ in vobis lucet, multorumque annorum exercitatione perfecta iam eſt, frequenti cogitatione animum mentemque ſuam cõformarent, & in illuſtri veteri, trita à maioribus veſtris & ſignata via, pedes veſtro exemplo ponerent. De cæteris veſtris clariſſimarum virtutum ornamentis dicam hoc loco nihil: dicam vnum tantum verbum, de incredibili humanitate, quam in iſto ſplendore iſtaq; præſtantia honoris veſtri, tamen erga omnes etiam inferioris ordinum homines exercetis: quæ ſola virtus, quo magis in vobis eminet, tanto plus meretur, vt laudata vehementer ab omnibus & multis in libris inſcripta, ſempiternam apud omnium inſequentium ſeculorum poſteritatem relinquat ſuauitatis amplitudiniſque ſuæ memoriam. Mihi certe, quanta & quam illuſtris eſſet, in meipſo luculenter oſtendiſtis: & illud impetraſtis, vt quantum non ſolum ego vobis deberem, ſed etiam quouſque effuſa tota copia humanitatis veſtræ, quam late vniuerſa pateret, de multis indiciis cognoſcerem. Promiſi quidem tum ſtatim ſi vos manum porrigeretis, ſi veſtrum auxilium interueniret, ad dandam aliquam animi mei ſignificationem, libellum me de familiæ veſtræ vetuſtate & gloria magno ſtudio confecturum eſſe: in quo appareret, quid à maioribus veſtris geſtum, quid adminiſtratum à vobis, quid ſingulis ætatibus ad ſuperiorum annorum dignitatem de fortunæ ornamentis adiunctum eſſet: quomodo cõtinuis progreſſionibus ſtirps veſtra iam à multis annis ad vos vſque proceſſiſſet, non quidem à primo principio originis veſtræ, quod diximus vetuſtate ſic obſtructum, & prorſus inuolutum eſſe, vt nulla diligentia perueſtigari, nulla intelligentia comprehendi queat: ſed inde ab eo tempore, quoad longiſſime in annalium monimẽtis reſpicere, & in ſcriptorum commentarijs, & in teſtimonijs literarum poſſumus. Sed quia ad rem iſtam perficiendam hactenus occaſio ſeſe nulla certa nobis oſtendere voluit, neque videbam, quan-

SCRIPTO
RERVM
Illorum Tomus

do se datura tandem esset: omnino vero cupiebam, vt voluntatis erga vos meæ signum publicum haberetis, visum est, hos libros, cum in lucem à me proferrentur, consecrare vobis, vt indicium obseruantiæ meæ, & testimonium voluntatis, & vestræ vicissim erga me gratiæ tanquam custos esset.

Tot igitur de causis, vt videtis, hoc volumen vobis dicatum & traditum in vestram tutelam fuit: & nunc sub nominum auspiciis vestrorum totam Europam fortasse percurret. Quod ne ægre feratis, & vt me gratia, librum vero patrocinio vestro complectendum putetis, infinitum in modum vehementer certe peto, quod à libentibus vobis, pro incredibili clementia, diuinaque propemodum humanitate vestra, me non difficulter impetraturum esse, plane cõfido. Nec enim habeo cur de vobis dubitem: quorum humanitas reliquis in vobis summis virtutibus clarissime prælucet, & gratia perspecta mihi iamdudum est. quam quia antea multis argumentis testatam notamque feciistis, iam credo ex huius libri dedicatione multo futuram esse illustriorem: præsertim cum ad animum meum, cum ad considerationem consilij mei respicietis, quod cepi: & cum dignitatem vestram huius voluminis inscriptione nihil dedecorari sentietis.

Deus Opt. Max. pater Domini nostri Iesu Christi, vos ambos in splendore vestro, & in rerum omnium optabilium possessione diutissime conseruet, omnibus maximis circumfluentes florentissimæ fortunæ copiis. Ex Caroli castro Turilacensi, Calend. Augusti, anno CIↃ IↃ XVIIC.

V. Gen. & Clem.

Obseruantissimus
Iohannes Pistorius
Nidanus, D.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CATALOGVS AVTHORVM, QVI IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

I. Regino abbas Prumienſis. Pag.1
II. Hermannus Contractus, comes à Veringen, monachus ad S. Gallum p.85
III. Lambertus Schafnaburgenſis, Hirsfeldenſis monachus, ex peruetuſto manuſcripto libro correctus p.149
IV. Appendix ad Lambertum iam primum excuſa, ſcripta quondam ab Erpheſfordenſi monacho p.253
V. Marianus Scotus, monachus Fuldenſis p.266
VI. Dodechini abbatis Appendix ad Mar. Scotum p.457
VII. Sigebertus monachus Gemblacenſis p.477
VIII. Roberti de Monte complementum ad Sigebertum ex inſertionibus Galfridi p.615
IX. Sigefridus presbyter Miſnenſis p.682
X. Compilatio Chronologica è diuerſis ſummorum Pontificum & Imperatorum Chronicis, anonymi authoris opera ab initio mundi vſque ad annum Domini MCCCCLXXIV deducta. Ex bibliotheca Henrici Petrei p.705
XI. Epiſcoporum Citicenſis eccleſiæ hiſtoria, explicata à Paulo Langio monacho, quæ lucem hactenus publicam nondum vidit. Ex bibliotheca Henrici Petrei p.755
XII. Thuringica hiſtoria de Landgrauiis iſtius prouinciæ, plane noua p.908
XIII. Breuior notatio de vita, nuptiis, liberis, & obitu veterum Thuringiæ Landgrauiorum, ex vetuſtiſſimo libro deſcripta p.956
XIV. Genealogia omnium qui vnquam fuerunt, Thuringiæ & Haſſiæ Landgrauiorum p.961.

SCRIPTO: RERVM Germ. Tom.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

AVTHORVM HVIVS VOLVMINIS VITÆ EX TRITHEMIO ET GESNERO.

REGINO.

REGINO *abbas Prumiensis cœnobij, in diœcesi Treuerensi, ordinis sancti Benedicti, natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nobiliter doctus: inter doctores Germaniæ & Galliæ suo tempore facile obtinuit principatum. Scripsit magnæ autoritatis opuscula: de quibus ego tantum reperi subiecta. Ad Alberonem primum Episcopum Metensem, à natiuitate Christi vsque ad annum ecusdem* XCVIII, *continentem præcipue gesta Francorum & Germanorum, scripsit historiam seu Chronicam, lib.* X. *De disciplina ecclesiastica lib.* II. *De cæteris nihil adhuc vidi: Scripsit autem præfatum opus, quod prænotatur De ecclesiastica disciplina & religione Christiana, iubente Rathbodo Archiepiscopo Treuerorum: quod ex decretis sanctorum Patrum & generalium Conciliorum in duobus libris comportauit, & in nongenta ferme capitula per rubricas ex more luculenter distinxit. Claruit sub Arnoldo imperatore, anno Domini* DCCCCX. Trithemius.

HERMAN. CONTRACT.

HERMANNVS, *qui dicebatur Contractus, monachus cœnobij S. Galli, ordinis diui patris Benedicti, natione Teutonicus, filius Comitis de Veringen in Sueuia, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in secularibus literis vniuersaliter doctissimus, philosophus, poeta, astronomus, rhetor, & musicus, nulli suo tempore secundus; trium linguarum, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ, peritissimus. Scripsit carmine & prosa multa præclara volumina: de quibus ego tantum reperi subiecta: videlicet De musica, lib.* I. *De monochordo, lib.* I. *De sex ætatibus mundi, lib.* I *De compositione astrolabij, libr.* III. *De vtilitate astrolabij, lib.* I. *De eclipsibus, lib.* I. *De computo, libr.* I. *De quadratura circuli, libr.* I. *De conflictu rhythmomachiæ, lib.* I. *De physionomia, lib.* I. *Vitas plurium sanctorum, lib.* I. *Hymnos & prosas varias. Composuit etiam dulci & regulari melodia Cantus & prosas pulcherrimas, è quibus est illa de beata virgine Maria dulcissima, Salue regina: &, Alma redemptoris mater, & cæteræ, quarum copiosus est numerus. Transtulit etiam nonnulla Græcorum philosophorum & Arabum astrologorum volumina in Latinum. Membris fuit iuxta nomen suum contractus: sed semper in gratiarum actione perseuerans. vnde & per beatam virginem Dei genitricem interius mirabiliter consolari & illustrari meruit. Claruit temporibus Henrici Imp. II. anno Domini* MXI. Trithem.

LAMBERT. SCHAFNAB.

Claruit his temporibus Lambertus monachus Hirsfeldensis in Buchonia sylua, quæ est inter Hassiam & Duringiam, Magontinæ diœcesis, vir valde eruditus: qui inter cætera scripsit Chronicon monasterij Hirsfeldy, breue quidem, sed non inutile. Et de gestis regum, Principum, ac Imperatorum à tempore Caroli Magni vsque ad annum Domini MLXXVII, *(quo etiam ipse vixit) historiarum volumen vnum insigne, & iucundæ lectionis. & alia multa mihi incognita.* Trithem. Chronic. lib. I. LAMBERTI *Schafnaburgensis historia (quæ hactenus ἀνώνυμος legebatur) de Germanorum rebus præclare olim gestis: itemque rerum aliarum fere memoratu dignissimarum perbreuis & admodum iucunda annotatio, ab exordio mundi repetita; Tubingæ prodyit ex officina Morhardi* 1533, *in* 8, *cum Indice.* Gesner. Biblioth. *Nondum vidi à Germaniæ scriptoribus eo argumento quidquam diligentius esse compositum. tametsi quædam admiscuerit de priuatis rebus, indigna posterorum memoria.* Phil. Mel. in præfat. ad Gasp. Churr.

MARIANVS SCOTVS.

MARIANVS *monachus Fuldensis, ordinis sancti Benedicti, natione Scotus, vir in diuinis scripturis eruditus, & secularium literarum non ignarus; historiographus & computista insignis, patriam suam relinquens, venit in Germaniam pro Christi amore peregrinus: & primum Coloniæ ad Sanctum Martinum monachus factus, & solitudinis desiderio inclusus, duobus annis ibidem mansit. Postea vero ad Fuldam translatus,* XII *annis ibidem inclusus mansit, donec tandem propter eruditionem & sanctitatem iussu Episcopi Moguntini & abbatis Fuldensis ad Moguntiam transmigrans, annis* XVII *apud sanctum Martinum denuo stans inclusus, in magno ab omnibus honore habebatur.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bebatur. Scripsit ab initio mundi vsque ad sua tempora Chronicam insignem, lib. III. De concordantia Euangelistarum lib. I. De computo quoque lib. I. & quædam alia. Moritur sub Henrico IIII, anno MLXXXVI, Indictione IX, ætatis suæ anno LVIII: & Moguntiæ apud S. Martinum in maiori Ecclesia non sine sanctitatis opinione sepelitur. Trithem.

DODECHINVS.

DVDECHINVS presbyter ecclesiæ in Longenstein, natione Teutonicus, vir in scripturis sanctis longa exercitatione doctus, & in disciplinis secularium literarum sufficienter instructus: ob spem æternæ retributionis cum multis aliis sub Conrado Imperatore III, Hierosolymam profectus, cum Sarracenis nauali prælio sæpe dimicantibus, magna deuotione & constantia pro fide Christi clarus effulsit. Reuersus autem in patriam, petente Cunone abbate Montis S. Disibodi, tunc ordinis nostri, scripsit satis eleganti sermone in modum epistolæ siue libelli eandem peregrinationis historiam, lib. I. Epistolarum ad diuersos, lib. I. & quædam alia. Claruit sub Conrado Imperatore tertio, anno Domini MCXL. Trithem.

SIGEBERTVS.

SIGEBERTVS monachus Gemblacensis, ordinis S. Benedicti, natione Gallicus, vir in diuinis scripturis à iuuentute sua studiosissimus & multum eruditus, atque in secularibus literis nulli sui tempore in Leodiensium territorio secundus, carmine exercitatus & prosa. Scripsit vtroque stylo multa volumina, quibus nomen suum transmisit ad posteros. Reprehenditur autem in eo, quod Henrico Imperatori, Romanæ Ecclesiæ persecutori & rebelli, adhærens, contra Gildebrandum Gregorium septimum papam literas & opuscula scripsit, quæ suum propositum non decebant. Quid vero scripserit, in fine illustrium virorum aperte declarauit. Cum in cœnobio S. Vincentij Metensi ad instruendos pueros esset positus, scripsit heroico metro Vitam S. Theodorici episcopi, lib. I. Passionem S. Luciæ metrice, lib. I. De translatione eiusdem, lib. I. Vitam Sigeberti regis, lib. I. Passionem Thebeorum, lib. I. Vitam S. Guiberti, lib. I. Gesta abbatum Gemblacensium, lib. I. Vitam S. Maclouij, lib. I. Vitam S. Theobardi, lib. I. Cõtra papam Gregorium, lib. I. Apologiam ad Imperatorẽ, lib. I. Contra epistolam Paschalis papæ, lib. I. In ecclesiasten heroico metro, lib. I. Historiarũ post Eusebium, lib. I. De illustribus viris, lib. I. De cõputo ecclesiastico, lib. I. Sermonum quoque, lib. I. Epistolarum ad diuersos, lib. I. Alia etiam post hæc edidit, quæ cum suprascriptis opusculis non signauit. Claruit temporibus Henrici Imperatoris tertij, regis quarti, anno Domini MCX. Chronicam suam perduxit vsque ad annum MCXI. Trithemius.

ROBERTVS MONTENSIS.

RVPERTVS monachus cœnobij S. Remigij in diœcesi Remensi, ordinis diui patris Benedicti, natione Gallicus, vir in diuinis scripturis iugi studio exercitatus, & secularium disciplinarum non ignarus, ingenio clarus, & apertus eloquio. Scripsit nonnulla ingenij sui opuscula, quibus nomen eius posteritati innotuit. E quibus ego tantum vidi gestorum in terra sancta per Christianos tempore Vrbani secundi contra infideles historiam insignem, lib. X. De aliis nihil vidi. Claruit sub Henrico quinto, anno Domini MCXX. Trithem. Robertus Montensis abbas, patria Nortmanus, addidit ad Sigeberti Gemblacensis Chronicon annales centum fere annorum; & scripsit bella Christianorum principum, lib. VIII. Acta conciliorum, lib. I. De suis temporibus, lib. I. Claruit anno Domini MCXII. Epitome Biblioth. Gesn.

SIFRIDVS.

DE SIFRIDO nihil habemus aliud, quam quod Gesneri Epitome tradit, eum fuisse presbyterum Misnensem; & Compendium historiarum, quas à creatione mundi vsque ad annum Domini MCCCVII. deduxerit, à Georgio Fabricio cum Annalibus Misniæ, Lipsiæ esse editum anno MDLXIX. Fabricius in præfatione Annalium Misniæ, Annalibus Misniæ, inquit, hunc adiicere auctorem placuit, & quia Misnensis fuit, & argumentum meo non valde dissimile tractauit, & quia temporum suorum vir non indiligens. vixit enim ante annos ducentos & sexaginta duos. Excerpsi ex illius libris hac Epitome, quæ ad nostrum propositum visa sunt aptissima, & quæ aut in aliis non inueniuntur, aut certe commemorantur breuius vel obscurius. Nam post creationem mundi in suo opere ea recenset, quæ in libris sacris traduntur, & historias

SCRIPTO
RERVM
Germ. Tom.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

addit ecclesiasticas sanctorum, quæ apud scriptores veteres Græcos & Latinos leguntur ornatius & copiosius. Hęc Fabricius.

PAVLVS LANGIVS.

PAVLVS LANGIVS *natione fuit Germanus, Voitlandus, patria Zvviccauiensis; parentibus natus minime obscuris, iisque (vt scribit) cum maiorum prosapia & insignibus, tum pietate in Deum eiusque sanctos satis nobilibus. In literis bonis (vt apparet) non vulgariter versatus est. Præceptorem suum agnoscit & nominat Trithemium. Ad tempus in Academia Cracouiensi vixit. Tandem ad annos ætatis virilis cum peruenisset, in monasterium ordinis Benedictini, Bozau, prope Zizam, à patria sua paucis miliaribus distans, à parentibus deductus est, anno Domini* MCCCCLXXXVII: *vbi monachatum inuitus quidem assumpsit, & in eo in primo limine impegit; post tamen seipsum vicit, & in statione permansit. Scriptor alias purus & diligens, liberior quidem interdum in narrationibus, satis tamen cautus, dexteritatisq; non vulgaris. Adulta iam ætate in monachatu confirmatus, viris præcipuis & doctis, cum sui ordinis, tum aliis, notus & charus fuit: & id quidem sine dubio ob ingenij sagacitatem & eruditionis præstantiam. Legatus fuit Trithemij abbatis ad collegia & monasteria per totam Germaniam ad omnis generis antiquitates explorandas, consignandas, & ipsi Trithemio referendas; qua legatione fideliter, quantum per ipsum stetit, functus est; & in ea suam ipsius historiam partim auxit, partim emendauit. Hæc ipse de se in hoc libro passim scribit: in quo etiam indicat adhuc anno* MDXX *vixisse. De obitu eius & tota ætate nihil certi affirmare possumus. Quousque historiam suam extenderit, nescimus, colligitur tamen ex narrationis forma, plura ab ipso esse relicta, eumque non in medio alicuius vocabuli, vt exemplar nostrum manuscriptum habet, substitisse. Quæ si ab iis, apud quos hactenus latuerunt, nobis communicentur, fiet nobis & reipubl. literariæ res pergrata. Id ipsum de aliis etiam rerum Germanicarum scriptoribus intelligimus.*

Interim studiosus lector his

fruatur.

REGINONIS MONACHI PRVMIENSIS ANNALES, NON TAM DE AVGVSTORVM VITIS, QVAM ALIORVM GERMANORVM GESTIS, ET DOcte & compendioſe diſſerentes, ante ſexcentos fere annos editi.

EXCELLENTISSIMI INGENII, ET TOTIVS PHILOSOPHIÆ STVDIIS MVLTIPLICITER INSIGNITO, DOMINO ADALBERONI, Epiſcopo Treuerenſi, Regino, quamuis omnium Chriſticolarum extremus, veſtræ tamen ſublimitati in omnibus deuotiſſimus, fidelia mandat orationum obſequia.

CHRONICA, *quæ de noſtris & anteceſſorum noſtrorum temporibus literis comprehendi, veſtræ ſingulari prudentiæ examinanda tranſmiſi, vt veſtro perſpicaci iudicio aut approbarentur aut condemnarentur. Ea autem in duos libellos diſtinxi, exordium capiens à primo incarnationis Dominicæ anno, & cõſummans cæptum opus vſque in præſentem annum, qui computatur à præfata incarnatione Domini nongenteſ. octauus. Indignum etenim mihi viſum eſt, vt cum Hebræorum, Græcorum, atque Romanorum, aliarumq; gentium hiſtoriographi res in diebus ſuis geſtas ſcriptis vſque ad noſtram notitiam tranſmiſerint, de noſtris, quanquam longe inferioribus, temporibus ita perpetuum ſit ſilentium, vt quaſi in diebus noſtris aut hominum actio ceſſauerit, aut fortaſſis nil dignum, quod memoriæ fuerit commendandum, egerint, aut ſi res memoratu dignæ geſtæ ſunt, nullus ad hæc literis mandanda idoneus inuentus fuerit, notariis per incuriam otio torpentibus. Hac itaque de cauſa non paſſus ſum tempora patrum noſtrorum, & noſtra per omnia intacta præterire, ſed ex multis pauca notare curaui, & vbi ad præſentia tempora ventum eſt, ſtylo temperaui, propter quorundam offenſam, qui adhuc ſunt ſuperſtites; latius hæc poſteris exequenda relinquens. Accipite ergo hoc paruum munuſculum ea benignitate, qua deuotione miſſum eſt à mea paruitate. In calce autem obſecro lectorem, vt ſi illi hæc noſtra dicta, qualiacunque ſint, placuerint, & ea ſibi deſcribi voluerit, hanc præfatiunculam nullatenus omittat, quin eam in prima fronte libelli annotari faciat. Gloriam celſitudinis veſtræ multorum vtilitatibus profuturam ſuperna prouidentia diu incolumem conſeruare dignetur.*

SCRIPTO-
RVM
GERMAN Tomus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CHRONICORVM REGINONIS AD ADALBERONEM, TREVERENSEM EPISCOPVM,

LIBER PRIMVS.

ANno imperij Cæsaris OCTAVIANI quadragesimo secundo, Iesus Christus, filius Dei, natus est. Eadem nocte ab Angelis euangelizatur, à Pastoribus visitatur, octaua die circunciditur, tredecima die, stella duce à Magis adoratur, & mysticis muneribus prædicatur. Quadragesimo die in templum cum oblatione à parentibus inducitur, à Symeone suscipitur, ab Anna cognoscitur. Post hæc in Ægyptum deportatur, vbi manet vsque ad obitum Herodis.

Anno Dominicæ incarnationis secundo, Herodes mittens in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, pueros innocentes iugulare præcepit. Deinde in domesticos arma conuertens multos peremit, dilectam sibi coniugem Mariamnem interfecit, filios quos ex ea susceperat, Aristobulum & Alexandrum in Samaria strangulari iubet, nouissime Antipatrum ex Dodyse natum, incentorem, & insimulatorem, & omnium malorum insidiatorem percutit. Post hæc miserabili morte periit, anno Dominicæ incarnationis sexto, regni vero sui XXXVI.

Anno Dominicæ incarnationis VII, Archelaus filius Herodis in Iudæa regnat. Dominus Iesus Christus ex Ægypto reducitur, & propter metum prædicti regis in Nazareth, ciuitatem Galilææ diuertit, ibique vsque ad tempus baptismi perdurauit.

Duodecimo ætatis suæ anno dominus Iesus Christus Hierosolymam conscendit, ibiq; in templo in medio doctorum residens, à parentibus post triduum inuenitur.

Anno Dominicæ incarnationis XV, Archelaus à Iudæis apud Cæsarem accusatus, in Viennam vrbem Galliæ exilio relegatur. Regnum Iudæorum inter quatuor fratres eius Herodem, Antipatrum, Lysaniam, & Philippum diuiditur. Cæsar Augustus, postquam LVI annis & VI mensibus Romanorum rexit imperium, moritur.

Anno Dominicæ incarnationis XVI, TIBERIVS regnare cœpit, & regnauit annos XXIII.

Anno Dominicæ incarnationis XVI, Pilatus Iudææ procurator à Tiberio dirigitur.

Anno Dominicæ incarnationis XXX, Tiberij autem XII, Ioannes circa regionem Iordanis baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum prædicat, multosq; baptizat, inter quos ipsum redemptorem mundi, qui omnium peccata abluit, aquis Iordanicis tinxit. Post baptismum Dominus in desertum secedit, XL dies ieiunat. Post ieiunium tentatore superato, in virtute Spiritus Galilæam ingreditur, Apostolos vocat, regnum Dei euangelizat, multa signa & miracula facit.

Anno Dominicæ incarnationis XXXII, Ioannes Baptista, Herodiade insidiante, iussu regis Herodis, in carcere capite truncatur.

Anno Dominicæ incarnationis XXXIII, Tiberij autem XVIII, Dominus sua nos passione redemit; XL die post resurrectionem cœlum ascendit; L die Spiritum paracletum misit. Matthias in loco Iudæ constituitur Apostolus. Iacobus frater Domini Hierosolymorum episcopus constituitur. VII diaconi ordinantur. Stephanus lapidatur.

Anno Dominicæ incarnation. XXXIV secundum Latinos, qui à Ianuario annum incipiunt computare, Paulus cum pergeret Damascum, à Christo de cœlo vocatur, secundum Hebræos, qui à Martio initium anni capiunt, eodem anno, quo dominus passus, XI mense, VIII calendas Februarij.

Anno Dominicæ incarnationis XXXIX, CAIVS regnat annos quatuor, menses V, dies

dies VIII. his ergo X mensibus si addamus V I, qui superfuerint LVI annis Octauiani, erunt menses XVI. Ex quibus, IV detractis, annus integer remanet, qui hoc in loco inserendus videtur. Herodes Agrippa Iudæorum genti præficitur.

Anno Dominicę incarnationis XLIV, Herodes Tetrarcha cum Herodiade in Hispania mœrore periit. Pilatus qui in Dei passione mortis sententiam protulit, sua se manu peremit.

Anno Dominicæ incarnationis XLV, CLAVDIVS regnat annos XIV, menses VII, dies XXVII. Addamus itaq; his VII mensibus, qui supra remanserunt, fiunt XI, & IX dies his XXVII diebus, erunt XXXVI, id est annus, & dies VI, qui huius temporibus adnumerandus videtur.

Anno Dominicæ incarnationis XLVII, Iacobus frater Ioannis ab Herode decollatur, Petrus in carcerem mittitur. Idem Herodes ab Angelo percutitur. Antiochiæ Spiritus discipulos alloquitur, *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod elegi eos*. Agrippa filius Herodis in Iudæa regnat vsque ad exterminium Iudæorum.

Anno Dominicæ incarnationis XLVIII, passionis vero XIV, & Claudij IV, Paulus & Barnabas ascenderunt Hierosolymam. De hac ascensione sua Paulus ipse scribit ad Galatas, *Deinde post annos XIV ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito, & contuli cum illis*, id est cum Apostolis, *Euangelium quod prædico in gentibus*. XIV itaque anno passionis Dominicæ iuxta conductum Iacobi, Cephæ, & Ioannis, ad gentium magisterium & Apostolatum Paulus profectus est, vbi numerus ipse quem posuit, recensendus est annorum. Scimus enim Petrum & Paulum Apostolos, anno post ascensionem Domini XXXVIII, id est vltimo Neronis anno, passos fuisse, & beatum Petrum Romæ XXV annis episcopalem sedisse cathedram. XXV autem anni & XIV, non XXXVIII sed XXXIX faciunt. Sequitur ergo, vt beatum Petrum eodem XIV post Domini passionem anno, quo cum Hierosolymis alloquitur Paulus, id est, quarto Claudij anno, Romam veniſſe credamus: simulque, ni fallor hac supputatione, Paulum eodem quo Dominus passus est anno ad fidem veniſſe probatur. Eodem anno fames grauissima facta est, cuius Lucas meminit: & Claudius Britanniam intrauit.

Anno Dominicæ incarnationis LIII, Claudius Iudæos tumultuantes Roma expulit. NERO regnat annos XIII, menses VII, dies XXVIII.

Anno Dominicæ incarnationis LXI, Festus procurator succedit Felici. Paulus vinctus Romam mittitur anno II Neronis.

Anno Dominicæ incarnationis LXIII, Iacobus frater Domini à Iudæis lapidatur. Festo magistratu Iudææ succeſſit Albinus, Albino Florus.

Anno Dominicæ incarnationis LXX, Vespasianus magister militiæ cum exercitu in Iudæam mittitur.

Anno Dominicæ incarnationis LXXII, Romæ Petrus crucifigitur, Paulus decollatur. Sub Neroniana persecutione coronatur Romæ Processus & Martinian°, XLVII qui baptizati sunt à beato Petro, in custodia Manutij retrusi, Torpes, Marcell. & Apuleius. Alexandriæ Marcus Euangelista passus est VIII anno Neronis; Mediolani Nazarius & Celsus; Geruasius & Protasius sub Amilino præfecto apud Nuceriam; Aquileiæ Hermagoras episcopus, Fortunatus diaconus, Felix cum Constantia.

Anno Dominicæ incarnationis LXXIII, VESPASIANVS regnat annos IX, menses XI, dies XXII. his IX mensibus additi VII Neronis, fiunt XVII. & his XXII diebus illius XXVII, fiunt I dies, id est annus, VII menses, & XX dies, qui annus hoc loco inseritur.

Anno Dominicæ incarnationis LXXIII, regnum Iudææ à Tito subuertitur, templumq; destruitur. His temporibus Apollinaris episcopus à beato Rauenna directus martyrio coronatur.

Anno Dominicæ incarnationis LXXXIIII, TITVS regnauit annos II, menses II.

Anno Dominicæ incarnationis LXXXV, DOMITIANVS regnauit annos XVI, menses V. his V mensibus addamus VII Vespasiani, completur annus qui hic inseritur. Huius temporibus Ioannes Apostolus Romæ in feruentis olei dolium mittitur, ante portam Latinam, & in Patmon insulam relegatur, vbi Apocalypsin scribit. Flauia

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Domicilla in Pontianam insulam exiliatur. Anacletus papa tertius post Petrum martyrio coronatur.

Anno Dominicæ incarnationis XC, NERVA regnauit annum I, menses IV, dies VIII. Ioannes Apostolus ab exilio reuocatur, & apud Ephesum Euangelion scribit. Huius temporibus passi sunt Romę Eutyches, Victorinus & Maro apud Amiterninam vrbem, Victorinus apud fratrem Seuerini.

Anno Dominicæ incarnationis XCI, TRAIANVS regnauit annos XIX, menses VI, dies XVI. his VI mensib. si addiderimus Titi II, Neruæ IV, fit annus, qui hoc in loco aptatur: remanent dies XXVIII, qui supra notati sunt.

Anno Dominicæ incarnationis C I, Ioannes Apostolus Epheso requieuit. Traiani temporibus martyrio coronantur Romæ, Clemens papa, Alexander IV post Petrum papa, Quirinus, & filia eius Balbina, Sulpitius & Seruilianus, Domicilla & Seraphia virgines, Nereus & Achilleus, Ignatius Antiochenus episcopus; Hierosolymis Symeon episcopus filius Cleophæ; in Ponto Phocas episcopus.

Anno Dominicę incarnationis CXI, Adrianus regnauit annos XI. Huius temporibus passi sunt Romæ Sixtus papa, Getulius, Sabina, Seraphia, virgines; apud Mesenam ciuitatem Apuliæ Eleutherius episcopus cum Anthia matre; apud Athenas, Quadratus & Aristides clari habentur, Dionysius episcopus Areopagita; apud Tiburnam vrbem Italiæ Symphrosa cum septem filiis.

Anno Dominicæ incarnat. CXXIII, ANTONINVS cognomento PIVS, cum filiis Aurelio & Lucio regnauit annos XXII, mens. III. Iustinus Philosophus claret. Sub Pio episcopo Hermes librum scribit, qui dicitur Pastoralis.

Anno Dominicæ incarnationis CXXV, MARCVS ANTONINVS VERVS, cum fratre Lucio Commodo annis XIX, mense I. Horum & supra dictorum temporibus coronati sunt Romę Anicetus papa, Victor papa, Symmetrius presbyter, Felicitas cum VII filiis, Iulius & Antonius, Eusebius & Pontianus, Peregrinus & Vincentius; apud Sebastem Armeniæ minoris XL martyres sub Agricola iudice; apud Spoletum Concordius; apud Smyrnam Polycarpus episcopus sancti Ioannis discipulus, item Germanicus & Pionius; apud Apameam, Alexander & Gaius; apud Cretæ vrbem Gortynam Philippus episcopus, apud Pergamum Asiæ vrbem Carpus episcopus, Papinus diaconus, & Iustinus Philosophus; apud Lugdunum Galliæ Irenæus episcopus cum multis, Photinus episcopus eiusdem vrbis, & Blandina cum aliis XLVIII. Epipodius & Alexander in Syria, Victor & Corona Mediolani, Faustus Cabillone, Marcellus item in territorio Cabillonensi, castro Trenortio Valerianus, Alexandriæ Tholomæus & Lucius.

Anno Dominicæ incarnationis CXLIV, LVCIVS ANTONINVS COMMODVS, post mortem patris Antonini Veri regnauit annos XIV. Huius temporibus nonnulli passi sunt, quos supra notauimus. Sed idcirco hæc non per ordinem certis imperatorum temporibus exprimere potuimus, quia in quibusdam passionibus sanctorum supra nominatorum, imperatorum vocabula ita confuse posita sunt, vt cum dicas rem sub Antonino gestam, ignoretur, vtrum sub Pio, aut sub Vero, aut sub Commodo actum sit, & cum dicitur sub Lucio, ambiguum sit, vtrum sub Aurelio, aut sub Commodo, aut sub Antonino gestum sit. Ferunt tamen, quod huius temporibus Irenæus episcopus Lugdunensis passus sit.

Anno Dominicæ incarnat. CLVII, HELIVS PERTINAX regnat menses VI.

Anno Dominicæ incarnationis CLVIII, SEVERVS PERTINAX regnauit annos XVII. Clemens Alexandrinæ ecclesiæ pater, & Parthenus Philosophus claruerunt. Narcissus Hierosolymorum episcopus, Theophilus Cæsarienſis insignes habentur. Leonides pater Origenis coronatur apud Carthaginē, Perpetua & Felicitas bestiis deputantur.

Anno Dominicæ incarnat. CLXX, ANTONINVS cognomento CARACALLA, Seueri filius, regnat annos VII.

Anno Dominicæ incarnat. CLXXI, MACRINVS regnat annum vnum.

Anno Dominicæ incarnationis CLXXII, MARCVS AVRELIVS ANTONINVS regnauit annos III.

Anno Dominicæ incarnationis CLXXVI, AVRELIVS ALEXANDER annos XIII regnauit.

regnauit. Origenes toto orbe clarus habetur. Huius temporibus coronantur Romæ, Caliſtus papa, Vrbanus papa, Cæcilia virgo, Tiburtius & Valerianus, Calepodius presbyter, Palmatius conſul cum vxore & filiis, & Simplicius ſenator.

Anno Dominicæ incarnationis CLXXVI, MAXIMINVS regnauit annos III. Huius temporibus coronantur Romæ Antherus papa, Pontianus papa; Cæſareæ Palæſtinæ, Pamphilus & Maximinus presbyteri.

Anno Dominicæ incarnat. CXCII. GORDIANVS regnauit annos VI. Origenes in Cæſarea Palæſtinæ Theodorum cognomento Gregorium, & Athenodorum fratres, diuina Philoſophia imbuit.*

Anno Dominicæ incarnat. CXCVIII, Philippus cum filio Philippo regnauit annos VI. Hic primus omnium imperatorum Chriſtianus fuit.

Anno Dominicæ incarnationis CCIIII, DECIVS regnauit annum vnum, menſes III. his menſibus adde Antonini Pij tres, Marci Antonini vnum, Helij Pertinacis ſex, fit annus, qui hoc in loco ponitur: remanet menſis I, & dies XXVIII ſuprà notati. Huius temporibus martyrio coronantur Romæ, Fabianus papa, Sixtus papa, Laurentius, Feliciſſimus, & Agapetus diaconus, Abdon & Sennes, Hippolytus & Concordia, Irenæus & Abundus, Cornelius papa, Victoria virgo, Miniates; Antiochiæ, Babillus epiſcopus; Apollonia ciuitate Leacus, Thyrſus & Callinicus; Hieroſolyma Alexander epiſcopus; Nazanzo Trypho; in Ægypto ciuitate quę dicitur Thinius, Phileas epiſcopus, & Philoromus tribunus cum aliis multis; in Sicilia ciuitate Catanenſium Agatha virgo; in Perſide Polocronius; Babyloniæ & Cteſiphontis epiſcopus Egen; Pamphylię Neſtor epiſcopus; in Corduba ciuitate Parmenius presbyter cum ſociis; apud Circenſem coloniam Marianus & Iacobus; in Tyro, Anatolia & Andet; apud Africam, Nemeſianus & Felix, Rogatianus presbyter & Feliciſſimus cum multis aliis; Antiochiæ Aſclepiades epiſcopus; Alexandriæ, Agatho & Serapion, Arſenius & Dioſcorus cum ſociis ſuis.

Anno Dominicæ incarnationis CCVI, Gallus cum Voluſiano filio regnauit annos II. menſes IIII. Origenes Doctor moritur, & in Tyro ſepelitur.

Anno Dominicę incarnat. CCIX, Valerianus cum Galieno regnauit annos XV. Horum temporibus coronantur Romæ Stephanus papa, Eugenia virgo, Iouinus & Baſileus, Lucius papa, Baſilla, Rufina, & Secũda virgo, Herculianus, Protus & Hyacinthus, Sixtus papa, Valerianꝰ, Nemeſius, Symphronius & Olympius; in Hiſpania vrbe Terragone, Verona Zenon epiſcopus, & contratres, Fructuoſus epiſcopus, Augurius & Eulogius diaconi; Cæſarea Paleſtinæ Marinus & Artemius; apud Africam ciuitatem Tuburno; Lucernariæ Maxima, Donatilla, & Secunda virgo; in territorio Canellitano, vico Mitanenſi, Priuatus epiſcopus, Theodorus cognomẽto Gregorius. Cæſareę Ponti epiſcopus virtutum gloria claret.

Anno Dominicæ incarnat. CCXXIIII, CLAVDIVS annum vnum regnat, menſ. IX. his adde quatuor Voluſiani, fit annus, qui hic annumeratur, remanet menſis I. Huius temporibus paſſi ſunt Romæ Felix papa, Marius & Martha coniunx eius cum filiis, XLVII. milites qui baptizati ſunt à Dionyſio papa, Cyrilla virgo; in Terracinis Campaniæ ciuitate, Felix presbyter, & Euſebius.

Anno Dominicæ incarnationis CCXXVI, AVRELIANVS regnauit annos V, VI menſes. Huius temporibus paſſi ſunt Romæ Eutychianus papa, Theodora, Baſilides, Tripos, & Mandalio; Lingonis ſancti Gemini; Loonio ciuitate Conon; Cæſarea Cappadociæ Mannes; apud Prænęſtinam vrbem Agapetus; in ciuitate Salona Anaſtaſius; Auguſtoduno Symphorianus; in territorio Nauarienſi, loco qui dicitur Gentibus, Andeolus ſubdiaconus, Andochius presbyter, Thyrſus diaconus, & Felix; in caſtro Diuione Beniguus presbyter.

Anno Dominicæ incarnat. CCXXXII, TACITVS regnat menſes VI. adde VI Aureliani, fit annus, remanent LXXXVIII dies Floriani: his coniunge XVIII dies, qui ſupra remanſerunt, fiunt CVIII, id eſt, menſes III, XVIII dies. Adde duos ſuperfluos menſes, faciunt menſes V, dies XVIII. Anatolius Laodiceæ Syriæ epiſcopus clarus habetur.

Anno Dominicæ incarnationis CCXXXIII, PROBVS regnat annos VI, menſes

IV. His adde VI Taciti, & vsuprà scriptos, fit annus, remanent III menses.

Anno Dominicæ incarnationis CCXL, CARVS cum filiis Carino & Numeriano regnauit annos II. Horum temporibus coronãtur Romę Chrysanthus & Daria, Claudius & Hilaria vxor eius cum filiis, Iason & Mauro, & LXX milites.

Anno Dominicæ incarnationis CCXLII, DIOCLETIANVS cum Maximiano, & Constantio, & post mortem Diocletiani, MAXIMIANVS cum Seuero, Galerio, & Maximiano, regnauit annos XX. Horum temporibus martyrio coronantur Romæ Gaius papa, Cyriacus diaconus, Largus, & Smaragdus, Apronianus, Papias, & Maurus, Claudius, & Prepedigna cum filiis, Gabinius presbyter, Castulus, Pancratius, Artemius cum vxore & filia, Sebastianus, Marcus, & Marcellianus, Marcellinus presbyter, Petrus exorcista, Tranquillinus, Nicostratus, Zoe vxor eius, Primus, Felicianus, Claudius, Castorius, Victorinus, Symphorianus, Basiliscus, Faustinus, Simplicius, & Beatrix, Tiburtius filius Chromatij, Susanna virgo, Ioannes, Crispus, Genesius, Felix, & Adauctus, Lucia, & Geminianus, Sergius, & Bacchus, Chrysogonus, Saturnus, quatuor coronati, Theodorus, Pontianus, Prætextatus, & Thraso; apud Spoletum Gregorius presbyter, Sabinus episcopus, Exsuperantius, & Marcellus diaconus; apud insulas Parmarias Anastasia; Antiochię Iulianus, & Basilissa; in Hispania, ciuitate Cęsaraugustana, Vincentius diaconus; in Barcinona, Eulalia virgo, Cucufas; apud Gerundam Felix; in Cucumis Iuliana virgo; apud Tyrum Tyrannio, Syluanus, Peneleus, atquę episcopi cum innumera multitudine; apud Syrmium Strenum; Nicomedię Petrus, & Lucianus presbyter, Antiochen⁹ Anthimus episcopus, Pantaleon, Ioannes, Adrianus, Dorotheus, & Gorgonius, Eleutherius; Smyrnæ, Irenæus episcopus; in Palæstina, ciuitate Gaza, Syluanus; Mediolanis Victor; apud Illyricũ ciuitate Suscia Quirinus episcopus; apud Tarsum Bonifacius; apud Aquileiam Felix & Fortunatus; apud Ciliciam, Vitus & Modestus cum Crescentia, Lucia virgine; in Britannia Albanus; apud Massiliam Victor; apud Augustam Afra cum matre sua Hilaria in Rhetia; in prouincia Niceę Bithyniæ Theodora cum filiis; in Hispania, ciuitate Compluto, Iustinus & Bastar fratres; in Sicilia ciuitate Catanensium Euplus diaconus; apud vrbem Italiæ Pergamum Alexander; in ciuitate Chalcedonia Euphemia; in Neapoli Campaniæ Ianuarius episcopus, Beneuentura, Sosius diaconus; Mesenate ciuitate Faustus & Desyderius; in Palæstina Peleus & Nilus episcopi; in Cyzico Fausta & Euilasius; Agauno Mauricius cum sociis; Antiochię Cyprianus episcopus cum Iustina; apud Ægeam ciuitatem Cosmas & Damianus; in Gallia Castro Solodora, quod est super Aralam fluuium, Victorinus; apud Coloniam Agrippinam Gereõ cum sociis; apud Tarsum Probus & Andronicus; in Venusia ciuitate Apulię Felix episcopus, Audax & Ianuarius presbyteri; Suessionis ciuitate Crispinus & Crispinianus; apud Sidonem Zenobius presbyter; in territorio Tiberius, Modestus, & Florentina; in Scythia Mennas; Antiochię Romanus; Alexãdrię Petrus episcopus; in Africa ciuitate Crispina virgo; in Tuscia Barbara virgo; in Hispania Leocadia; Emerita ciuitate Eulalia, & Iulia, virgines.

Anno Dominicæ incarnationis CCXLIII, Huius Constantij temporibus pace ecclesiis reddita, episcopi priuatis sedibus restituuntur, & alia plura Christianæ religioni profutura cedũtur. Inter quæ etiam cœnobium seruorum Dei Treueri inchoatur, cui præscripti principis assensu, inter cõtiguos vrbi muros, Ioannes abbas miræ sanctitatis vir, initia dedit, cuius cœnobij beatus Augustinus in lib. Confessionũ mentionẽ fecit.

Anno Dominicæ incarn. CCXLIV CONSTANTINVS, Constantij ex concubina Helena filius, regnat annos XXX, menses X. his adde tres menses qui supra remanserunt, fit annus, remanet mẽsis vnus. Siluester papa clarus habetur, cuius industria Synodus præclarissima toto orbe terrarum CCCXVIII patrum apud Nicæam vrbem celebratur. Crux domini nostri Iesu Christi à Iuda inuenitur. Sed vt in gestis Romanorũ pontificum legimus, sub Constantio patre Constantini, & Eusebio pontifice Romano eadem crux inuẽta est. Nam ibi ita legitur, Sub huius temporibus, id est Eusebij, inuenta est Crux Christi, v nonas Maij, & baptizatus est Iudas, qui & Cyriacus.

Anno Dominicæ incarnationis CCXCV, CONSTANTINVS cum Constantio & Constante fratribus, annos XXVII, menses V, dies XIII. Horum temporibus Maximianus Treuirorum episcopus clarus haberur. Iacobus Nisibis episcop⁹ agnoscitur.

Antonius

Antonius monachus in eremo moritur. Hilarius Pictauiensis episcopus ab exilio reuocatur. Iulius papa in exilium mittitur. Liberius papa exilio deportatur : reuocatus hæreticis fauet. Felix papa deponitur, & ab hæreticis interficitur. Eusebius presbyter propter fidem catholicam in quodam cubiculo includitur, ibique post VII menses moritur. Dionysius episcopus Mediolanensis apud Cappadociam exilio damnatur. Paulus Constantinopolitanus episcopus ab Arrianis strangulatur. Paulinus episcopus Treuirensis, successor sancti Maximiani episcopi, ob catholicam fidem à Constantio relegatur exilio, & vsque ad mortem etiam vltra Christianum nomen mutando exilio fatigatur. Ad vltimum apud Frigidam defunctus est. inde Treueris reportatur.

Anno Dominicæ incarnationis CCCX, IVLIANVS regnauit annos duos, menses VIII. His adde VI qui remanserunt, fit annus. Supersunt menses II, & XVIII dies. Huius temporibus coronantur Romæ Priscus presbyter, Priscillianus clericus, Benedicta fœmina, Pigmenius presbyter, Gordianus, Demetria virgo, Ioannes presbyter, item Ioannes & Paulus, Faustus & Dafrosa, in Hostia Hilarianus Hierosolymorum episcopus, Aretina ciuitate Donatus episcopus, Antiochia Theodoricus presbyter.

Anno Dominicæ incarnationis CCCXV, VALENTINIANVS cum fratre Valente regnauit annos XI. Romæ Damasus papa clarus habetur, Mediolani Ambrosius episcopus insignis habetur. Hilarius episcopus Pictauis moritur, Athanasius Alexandriæ vita decedit.

Anno Dominicæ incarnationis CCCXXVII, VALENS cum Gratiano & Valentiniano Valentiniani fratris sui filio, regnat annos IV. Hunni Gothos propriis sedibus pellunt. Gothi Thraciam depopulantur.

Anno Dominicæ incarnationis CCCXXXII, GRATIANVS cum fratre Valentiniano regnauit annos VI. Theodosius à Gratiano Imperator creatur. Synodus CL patrum congregatur vrbe Augusta sub Damaso papa. Theodosius Arcadium filium consortem imperij facit. Maximus in Britannia Imperator creatur, in Gallia apud Lugdunum Gratianum Augustum interfecit, fratrem eius Valentinianum ab Italia expulit. Martinus Turonorum episcopus virtutum gloria fulget. Hieronymus sacræ scripturæ interpres Bethleem insignis habetur.

Anno Dominicæ incarnationis CCCXXXIX, THEODOSIVS, qui Gratiano viuēte, annos * iam orientem regebat, post eius mortem regnauit annos XI. Maximum Tyrannum quarto ab Aquileia lapide interfecit. Siricius papa Romanam rexit ecclesiam. Hieronymus librum de illustribus viris scripsit. Apud Ægyptum Ioannes Eremita celebratur, qui Theodosio de Tyranno victoriam prædixit.

Anno Dominicæ incarnationis CCCL, ARCADIVS cum fratre Honorio regnauit annos XV. Gothi Italiam, Wandali atque Alani Gallias aggrediuntur. Corpora Abacuc & Micheæ Prophetarum reuelantur. Innocentius papa Romanam rexit ecclesiam. Sanctus Martinus ad cælestia transit. Seuerinus episcopus Coloniæ Agrippinę clarus habetur. Augustinus episcopus eximius Doctor in Hipponensi ecclesia diuinam philosophiam dogmatizat, Pelagius Britto gratiam Dei impugnat.

Anno Dominicæ incarnationis CCCLXIV, HONORIVS cum Theodosio minore fratris sui filio regnauit annos XV. Alaricus rex Gothorum Romam inuadit anno VII Honorij. Corpora sanctorum Stephani protomartyris, Gamalielis & Nicodemi, Luciano presbytero reuelantur. Bonifacius papa, & Celestinus Romanam regunt ecclesiam. Hieronymus presbyter obiit XII Honorij anno, ætatis autem suæ XCVII libros suos perfecit.

Anno Dominicæ incarnationis CCCLXX, Theodosius minor, Arcadij filius, regnauit annos XXVI. Valentinianus iunior, Constantij filius, Rauennæ imperator ordinatur. Gens Wandalorum, Alanorum & Gothorum, Africam deuastat. Augustinus episcopus inter ipsas obsidionum angustias migrauit ad Deum. Wandali capta Carthagine, in Siciliam transeunt. Celestinus & Xistus Romanam regunt ecclesiam. Huius temporib. Leo magnus apostolicam obtinuit cathedram, ad quem & ad Pulcheriam Augustam, multa super Eutychetis errorem scribit Flauianus Con-

ſtantinopolitanus epiſcopus, & Eutychetem damnat.

Anno Dominicæ incarnationis CCCXCVII, MARCIANVS & Valentinianus regnauerũt annos VII. Ioannes Baptiſta duobus monachis caput ſuum manifeſtat. Germanus epiſcopus Vtifrodorenſis, & Lupus Trecaſenis epiſcopus, in Britanniam diriguntur. Poſt hæc Germanus epiſcopus apud Rauennam moritur. Leo epiſcopus Marciano multa fidei dogmata ſcribit. Anatolius epiſcopus Conſtantinopolitanus Eutychetis errorem damnat, & à Leone papa arguitur, quod contra Nicenum concilium, Antiochenam & Alexãdrinam eccleſias ſibi ſubdere voluiſſet. Aetius patricius à Valentiniano occiditur apud Arelatum. Hilarius epiſcopus, doctiſſimus atque præclariſſimus vir, qui vitam ſancti Honorati prædeceſſoris ſui compoſuit, moritur.

Anno Dominicæ incarnationis CCCCV, LEO regnauit annos XVII, huic Leoni Leo papa plurima ſcribit. Theodoritus epiſcopus ciuitatis Cyriæ, hiſtoriam eccleſiaſticam à fine librorum Euſebij ſcribit. Hilarius papa Romanam eccleſiam gubernat, Victorinus, iubente papa Hilario, reuolutionem magni anni deſcribit.

Anno Dominicæ incarnationis CCCCXIV, ZENON regnauit annos XVII. Odoacer rex Gotthorum Romam obtinuit. Theodericus, cognomento Walager, vtramque Macedoniam depopulatur. Honoricus rex Wandalorum, Arrianus in Africa plusquam CCCXXXIV epiſcopis fugatis, eccleſias eorum clauſit, & plebes variis ſuppliciis affecit. Felix papa damnauit Achatium Conſtantinopolitanum epiſcopum, & Petrum Alexandrinum. Gelaſius vir prudens, Felici papæ in pontificatu ſuccedit. Hic etiam damnauit Achatium & Petrum. Poſt hunc, Anaſtaſius præſul efficitur, qui voluit occulte reuocare Achatium, ſed non potuit, qui etiam nutu diuino percuſſus eſt.

Anno Dominicæ incarnation. CCCCXXI, ANASTASIVS regnauit annos XXIX. Thraſamundus rex Wandalorum CCXX epiſcopos exilio Sardinia miſit. Huius & Zenonis temporibus ſub Wandalica perſecutione martyrio coronantur, apud Africam Eugenius Carthaginenſis epiſcopus. & cum eo plusquam quingenti. Appa Bonifacius diaconus, Seruius & Ruſticus ſubdiaconi, Rogatus & Septimus monachi, & Maximus puer, primo igni iniecti, poſt remorum vectibus enecati ſunt. Item Marcianus & Satyrianus, & Maxima virgo, & cum eis CCC LXX crudeliter perempti ſunt. Item Papias & Manſuetus, Vulteius, Valerianus, Vrbanus, Creſcens, Felix & Hortulanus epiſcopi in confeſſione curſum vitæ conſummauerunt. Item Daciua, & Dionyſia, Emelianus medicus, cum multis aliis. Valerianus epiſcopus. Symmachus papa eccleſiam Romanam gubernat, pecuniam, & veſtes per Africam & Sardiniam epiſcopis in exilium miſſis miniſtrat. Poſt hunc Hormiſda papa conſtituitur. Clodoueus rex Francorum, qui Gallias regnauit XXX annos, Syagrium patricium interfecit, Cundibaldum regem Burgundia expulit, Alemannos tributarios fecit. Anno XII regni ſui à ſancto Remigio, Remorum epiſcopo, vna cum Francis baptizatur. Mammerius epiſcopus Viennenſis eccleſiæ triduanas litanias inſtituit ante aſcenſionen Domini. Clodoueus rex cum Alarico, rege Gothorum, in Aquitania iuxta Pictauos confligit, eumque regno & vita priuat. Amalricus filius Alarici in Hiſpania regnum paternum obtinuit. Anaſtaſius Imperator Clodouco dona regia mittit. Clodoueus Reginarium propinquum atque conſortem regni interficit. A tranſitu ſancti Martini vſque ad mortem Clodouei ſunt anni CXII. Quatuor filij eius, Theodoricus, Clodomerus, Childebertus, & Clotharius, regnum patris inter ſe diuiſerunt. Anaſtaſius Imperator in flumine periit.

Anno Dominicæ incarnationis CCCCL, IVSTINVS ſenior regnauit annos VIII. Ioannes papa à Theodorico rege Gotthorum Rauennam propter fidem Catholicam in cuſtodiam mittitur, ibiq; moritur. Idem tyrannus Symmachum patricium interfecit, Boetiũ in liberalibus diſciplinis nulli ſecũdum in carcerem trudit, in quo ipſa Philoſophia miris diſputationũ argumẽtis cõqueritur. Præfatus Theodoricus ſubita morte periit. Athalaricus in regnum ſuccedit. Benedictus pater, & primus in loco, qui Subtulacus dicitur, & poſtea in caſtro Caſſini, vir magnæ vitæ, meritis & apoſtolicis virtutibus effulſit. Felix & Bonifacius Romanam regunt eccleſiam. Sigiſmundus rex Burgundionum, monaſterium ſanctorum Auganenſium ædificat. Idem à ſuprà dictis

filijs

filijs Clodouei interficitur. Theodoricus cum filio Theodeberto & fratre Clotharij o Thuringiã depopulatur, Ermenfridum Thuringorũ ducẽ apud Tulpiacum extinguit.

Anno Dominicæ incarnationis CCCCLIX, IVSTINIANVS, Iustini ex sorore nepos, regnauit annos XXXVIII. Nam per Belisarium patricium Persas fortiter deuicit. Perque ipsum Belisarium Wandalorum gentem, capto eorum rege Gelismero, vsque ad internecionem deleuit, Africamque totam post annos XC & VI Romano imperio restituit. Rursusque Belisarij viribus Gothorum in Italia gentem capto Witisi eorum rege, superauit. Maurosque post hæc Africam infestantes, eorumque regem Attilam per Ioannem proconsulem mirabili virtute prostrauit: leges quoque Romanas quarum prolixitas grauabat, minorauit, & inutiles dissonantias mirabili breuitate correxit. Extruxit quoque Constantinopoli templum, quod Græco vocabulo ἁγία σοφία nominauit, cuius opus adeo cuncta ædificia excellit, vt in totis terrarum spaciis huic simile non possit inueniri. Huius temporibus Cassiodorus Romæ tam seculari quam diuina scientia claruit. Hic primitus consul, deinde senator, ad extremum monachus efficitur. Romæ Dionysius abbas Paschales scribit circulos. Apud Constantinopolim Priscianus Cæsariensis Grammaticæ artis (vt ita dicam) profunda rimatus est, tumque nihilo minus Arator Romanæ ecclesiæ subdiaconus, Poeta mirabilis, Apostolorum actus versibus hexametris decorauit. Huius temporibus Romanam rexerunt ecclesiam Ioannes Agapetus, Syluerius, & Vigilius. Syluerius à Belisario iussu Theodoræ Augustæ in exilium mittitur, & ibi moritur. Vigilius quoque, eo quod nollet reuocare Anthemium hæreticum episcopum Constantinopolitanum, à Iustiniano in exilium truditur: reuocatus ab exilio cum Romam reuerteretur, in Sicilia ciuitate Syracusana calculi dolore moritur. Pelagius in pontificatu succedit. Per idem tempus Albuinus, filius Odouini, Langobardis iam decimus imperat, qui filiam Clotharij regis Francorum Clothsuindam in matrimonium habuit. Childebertus rex Francorum, cum exercitu Hispaniam intrat, Amalricum regem, filium Alarici, in prælio extinguit, multum aurum & argentum inde asportat. Clotharius filius fratris sui Clodomeri cultro confoditur. Theodericus rex moritur. Theodebertus filius eius post eum regnat.

Anno Dominicæ incarnationis CCCCXCVIII, IVSTINIANVS minor regnauit annos XI. Narses patricius Totilam regem Gothorum in Italia occidit. Idem cum ducibus Theudeberti regis Francorum Bucellino & Amingho, qui Italiam deprædabantur, pugnauit, eosque interfecit. Narses apud Iustinianum & eius coniugem Sophiam accusatur à Romanis, quod seruitio Italiam premeret: & statim Longinus præfectus mittitur, qui Narsetis locum obtineret; cui inter cætera Sophia, quia Eunuchus erat, hoc fertur mandasse, quod cum puellis in gynæceo lanarum faceret pensa diuidere. Adhæc ille respondit, talem se ei telam orditurum, qualem ipsa dum viueret, deponere non posset: statimque genti Langobardorum mandat, vt venirent & possiderent Italiam. Ioannes papa Romanam ecclesiam regit. Childebertus & Clotharius reges cum exercitu Hispaniam intrant. Cæsar Augustodunum ciuitatem obsidet. Ciues induti ciliciis tunicam sancti Vincentij super murũ circunferunt, Deũq; contrito corde exorãt. Reges diuina inspiratione flexi obsidionẽ soluũt. Episcopus eiusdẽ ciuitatis Childeberto regi pro munere stolam beati Vincentij cõstituit. Albuinus cum Langobardis Italiam intrauit, & Gisulfum nepotem suum foro Iuliani præfecit. Theodebertus rex Italiam intrat cum Langobardis, certamen init, eosque vicit, in Franciam reuersus moritur. Non multo post tempore Childebertus rex Parisiis moritur, & in basilica sancti Vincentij sepelitur. Regna quæ fratres & nepotes tenuerant, in Clotharij rediguntur potestatem.

His temporibus Medardus episcopus migrauit ad Dominum, quem Clotharius rex cum debito honore Suessionis sepeliuit. Post hæc Clotharius rex cum debito suo moritur, & in basilica sancti Medardi sepelitur. Quatuor filij eius regna inter se diuiserunt. Heribertus regnum Childeberti accepit, & sedem Parisiis habuit. Guntramus regnum Clodomeri tenuit: sedemque constituit Auribanis. Hilpericus regnum patris sui Clotharij, cathedram Suessionis habuit. Sigibertus regnum Theodorici Remis siue Metis sedem statuit. Huni qui & Auares, cõperta morte Clotharij, super

SCRIPTO
RERVM
Rhenum Tomus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sigibertum irruunt. Quibus ille in Thuringiam occurrens, eos iuxta fluuium Albiam potenter superauit. Hic Sigibertus legationem in Hispaniam mittens, Brunichildem Athanahildi regis filiam petit, eamque in coniugium accepit, de eaque filium Childebertum nomine suscepit. Heribertus derelicta legitima vxore, quæ vocabatur Ingoberta, duas sorores Marconefam & Merofilidam sibi in matrimonium iungit: ex quo scelere excommunicatus est à sancto Germano Parisiorum episcopo, & iusto Dei iudicio percussus moritur, & in basilica sancti Romani sepelitur. Regnum eius Sigebertus arripuit. Hilpericus Gilsundam sororem Brunichildis in coniugem accepit, quam pauco interiecto tempore, suggerente Fredegunde, in lecto strangulauit. Deinde Andoueram reginam à se repulit, eo quod adhortante Fredegunde, filiam propriam à sacro fonte suscepisset, & eandem Fredegundem sibi in matrimonium iungit. Habuit vero ex supra dicta Andauera tres filios, Theodebertum, Meroueum, & Clodoueum. Theodebertus iussu patris trans Ligerim regionem, quam auunculus eius Heribertus tenuerat, occupat, & apud Pictauos cum Gulidaldo duce Sigiberti dimicat, eumque superat. Sigibertus cum exercitu Parisios venit, fratremque Hilpericum bello aggreditur, in quo prælio supra dictus Theodebertus occubuit. Hilpericus fugiens cum vxore & filiis, Torniacum ingressus est, ibique se communiuit. Quem cum Sigebertus ibi persequeretur, dolo Fredegundis reginæ à duobus pueris eius dolo interficitur, quem frater in basilica sancti Medardi sepeliuit. Ea tempestate Brunichildis cum filio adhuc paruulo Parisiis morabatur. Guldaldus dux apprehenso puero nocte latenter aufugit, eumque in regnum paternum reportauit. Eademque Brunichildis Rothomagum in exilium mittitur, vbi veniens Meroueus filius Hilperici eam sibi in coniugium sociauit. Ex qua causa postea à patre attonsus, monachus efficitur, & presbyter ordinatur. Eodem tempore sanctus Germanus Parisiorum episcopus ad Dominum transit, & in basilica sancti Vincentij sepelitur, matrem Brunichildem requirit, quam Helpericus redire iubet. Narses patricius de Campania Romam venit, ibique moritur. Corpus eius in locello plumbeo cum omnibus diuitiis eius Constantinopolim perlatum est. Benedictus papa Romanam ecclesiam gubernat. Fortunatus Poeta in Galliis insignis habetur, qui natus quidem in loco qui Duplalis dictus fuit, (qui locus haud longe à Cenitensi castro vel Taruisiana distat ciuitate) sed tamen in Rauenna nutritus & doctus in arte Grammatica siue Rhetorica seu Metrica clarissimus existit. Qui amore sancti Martini in Gallias transiens, primo Turonis, deinde Pictauis habitauit, in qua ciuitate episcopus ordinatus est.

Albinus rex cum Langobardis Taruisium, Vincentiam, Veronamque, & reliquas Venetiæ ciuitates capit. Deinde Liguriam ingressus Mediolanum cepit, & omnes Liguriæ ciuitates. Ticinensis ciuitas vltra tres annos obsidionem perferens Langobardis se tradidit, omnesque ciuitates armis ceperunt, præter Romam, & Rauennam, vel aliqua castra, quæ erant in maris littore constituta. Albuinus postquam in Italia tres annos & sex menses regnauit, insidiis suæ coniugis interemptus est. Elmigisus qui Albuinum occiderat, cum Rosemunda regina Rauennam ad Longinum præfectum fugit, auferens secum Alpisindam filiam regis & omnem Langobardorum thesaurum, vbi ambo veneno perierunt. Longinus Albisindam filiam Albuini cun Longobardorum thesauris Constantinopolim dirigit, Langobardi Gallias ingrediuntur. Horum aduentum vir dei Hospitius, qui apud Niceam erat inclusus, sancto sibi reuelante Spiritu, longe ante præuidit; quibus occurrit armatus dux Guntrannus, & commisso bello à Langobardis extinguitur. Mumulus in locum eius subrogatur, qui ex Longobardis multos interfecit, eosque in Italiam redire compulit.

Anno Dominicæ incarnat. DX, TIBERIVS CONSTANTINVS regnauit annos VII. Hic cum sub Iustino adhuc Cæsare palatium regeret, & multas quotidie eleemosynas faceret, magnam ei Dominus copiam auri subministrauit. nam deambulans per palatium vidit in pauimento tabulam marmoream, in qua erat Crux domini sculpta, quam inde leuari iubens, inuenit defossum magnum thesaurum, habentem supra mille auri centenaria. Huic etiam thesaurus Narseti, à quodam sene qui eum cum aliis terræ mandauerat, manifestatus est, qui tantus fuit, vt vix per multos dies cisterna in qua iacuerat, à deportantibus potuisset euacuari. Huic Sophia Augusta insidias tentauit

uit ingerere. Procedente enim eo ad villam, vt iuxta ritum imperialem xxx diebus ad vindemiam iucundaretur, vocato Iustiniano nepote Iustini mariti, voluit eum in regno sublimare: quo comperto, Tiberius apprehensam Augustam omnibus thesauris spoliauit, solum ei victum relinquens. Huius exercitus Persas debellauit, tantamque prædam cum xx pariter elephantibus detulit, vt humanæ crederetur posse sufficere cupiditati. Ad hunc Hilpericus rex Francorum suos legatos dirigens, multa ab eo ornamenta, aureos etiam singularum librarum suscepit, habentes ab vna parte effigiem imperatoris, & scriptum in circulo, Tiberius Constantinus perpetuus Augustus, ab alia parte habentes quadrigam & ascensorem, in circuitu scriptum, Gloria Romanorum. Huius diaconus Gregorius dicitur: cum esset apocrisarius in vrbe Constantinopolitana, morales libros composuit, Eutychiumq; eiusdem vrbis episcopum de resurrectione errantem, in conspectu Augusti superauit. Pelagius papa Romanam regit ecclesiam, qui absque iussione principis ordinatus est, eo quod Langobardi Romam obsiderent, nec posset quisquam progredi. Hilpericus rex, descriptiones nouas per consilium Fredegundis in omni regno suo facit, vt vnusquisque possessor de propria terra, de vno Arpenne vnam amphoram vini ad partem regis daret, & de iugero modium vnum, vnde populus valde oppressus vociferabatur ad Dominum. Misit autem Dominus plagam in domum regis, & ipse ægrotare cœpit, & duo filij eius mortui sunt. Rex perterritus descriptiones combussit, & tributum indulsit. Post hoc cognouit vxorem suam, quæ peperit filium, quem appellauit Clotharium. Hic fuit postea rex magnus.

Anno Dominicæ incarnationis DXVII, Mauricius regnauit annos XX. Hunc Tiberius sentiens sibi diem mortis imminere, vna cum consilio Sophiæ Augustæ ad imperium elegit, ornataque sua filia regalibus ornamentis eam tradidit, & cum ea omne imperium. Langobardi cum per annos x. sub potestate ducum fuissent, regem super se statuunt Otharium filium Clephonis, quem etiam ob dignitatem Flauium appellauerunt. quo prænomine Longobardorum reges vsi sunt. Duces qui tunc erant ob restaurationem regni, omnium substantiarum suarum medietatem regalibus vsibus tribunnt, vt esse posset vnde rex ipse, siue qui ei aderant, per diuersa officia alerentur. Mauritius imperator Childeberto regi Francorum quinquaginta millia solidorum per suos legatos direxit, petens, vt Langobardos de Italia exterminaret. Qui cum Francis Italiam intrat, Langobardi munera tribuunt, & pacem cum eo faciunt, Imperator solidos requirit, sed ille suarum virium potentia fretus, pro hac re nec responsum reddidit. Idem Childebertus bellum aduersus Hispanos gerens, eorum acies superauit. Causa huius certaminis ista fuit. Childebertus Ingundem sororem suam Herminigildo Leuigildi Hispanorum regis filio in coniugium tradiderat: qui Herminigildus prædicatione Leandri episcopi Hispalensis, atq; adhortatione suæ coniugis, ad Catholicã fidem conuersus fuerat, quem pater impius in ipso sacrato Paschali die securi percussit. Ingundis post mariti mortem, cum in Gallias repedare vellet, à Piratis tenetur, atque in Siciliam deducitur, vbi & moritur. Filius eius imperatori est trãsmissus. Eo tempore fuit aquæ diluuium in finibus Venetiarum & Liguriæ, seu in cæteris regionibus Italiæ, quale post Noe tempus creditur non fuisse. Sed secuta est statim pestis inguinaria, quæ tanta strage populum deuastauit, vt de inæstimabili multitudine pauci remanerent. In hac tribu'atione Gregorius à cunctis generaliter papa electus est, & in pontificali cathedra sublimatus. Per idem tempus idem Gregorius papa Augustinum, & Mellitum, & Ioannem cum aliis plurimis monachis timentibus deum in Britanniam misit, eorumque prædicatione ad Christum Anglos conuertit. Racharedus rex Gothorum, frater Herminigildi martyris, per prædicationem Leandri episcopi ad fidem catholicam conuertitur.

Gens Anglorum ad Christum conuertitur, Edilbertus rex eorum baptizatur.

Gregorius papa libros regulæ pastoralis, quos in episcopatus sui exordio scripserat, libros etiam quos in expositione beati Iob iamdudum Constantinopoli fecerat, supra dicto Leandro episcopo mittit, cui etiam pallium ex benedictione sancti Petri dirigit.

Mauritius imperator legationem ad Childebertum regem dirigit, mandans ei, vt quod prius non fecerat, nunc adimpleret, vt Langobardos ab Italia remoueret: qui

exercitum in Italiam direxit, & commissa pugna cum Langobardis Francorum acies grauiter atritæ sunt. Abrincatis Paternus episcopus ciuis Pictauiensis nitescit.

Flauius rex Otharius, Theodelindam Garibaldi Baioariorum ducis filiam in coniugium accepit. Childebertus, iterato in Italiam exercitu Francorum, cum xx ducibus ad bellandum Langobardorum aciem direxit: qui per tres menses Italiam peruagantes, plurima castra deposuerunt, & innumerabilem multitudinem captiuorum inde abduxerunt, regem autem Otharium habere non potuerunt. Qui intra Ticinensem vrbem se continuerat exercitus, quia tẽpus æstiuum erat, propter inconsueti aeris incommoditatem dysenteriæ morbo grauiter fatigabatur, & ob id in patriam redire compellitur. Thassilo super Bauariam à Childeberto dux constituitur. Otharius rex ad Guntrannum regem Childeberti legatos misit, vt per eius nutum pax inter Childebertum & Otharium firmaretur. Erat autem iste rex pacificus, omni bonitate ornatus. Is cum quodam die venatum in siluam isset, & vt solet fieri, hac illacq; discurrentibus sociis, ipse cum vno fideli suo remansit solus, & graui somno depressus, capite in gremio eius inclinato obdormiuit: de cuius ore paruum animal egressum, tenuem riuulum, qui prope discurrebat, transire moliebatur. tunc is, in cuius gremio quiescebat, spatham suam eduxit, eiq; ex ea pontem fecit, per quem ad aliam transiuit partem, & in quoddam montis foramen ingreditur, & post paululum reuertitur, & per eandem spatham riuulum transiens, in os Guntranni ingreditur, statimq; à somno excitatus omne retulit sicut vidit. Is in cuius gremio dormierat, cum rem per ordinem retulisset, effossus est locus, & inæstimabiles sunt reperti thesauri, de quo auro miræ magnitudinis cœnobium fabricauit, & supra corpus sancti Marcelli martyris in ciuitate Cyballanis poni fecit. Nec est vsquam vllum opus ex auro factum, quod huic valeat comparari. Nec post multum tempus idem rex, cum thesauros suos ecclesiis ac pauperibus erogasset, moritur, & in eadem basilica sepelitur. Regnum eius Childebertus, & filij eius obtinuerũt. Per idem tẽpus venit sanctus presbyter Goar ex Aquitania, & in territorio Treuirensi, in pago Trigorio super ripam Rheni, & riuulum, qui Wochara dicitur, Oratoriũ in honorẽ sanctæ Dei genitricis cõstruens, orationibus, eleemosynis & prædicationi inibi insistens, plenus virtutibus in eodem loco quieuit. Circa hæc etiã tempora Hilpericus rex, insidiis suæ coniugis Tradegundis, cum de venatione rediret, interficitur, & Parisiis in basilica sancti Vincentij sepelitur. Clotharius adhuc puer à matre & Landerico, qui tũc Maior domus erat, in regnũ sublimatur. Audiens Childebertus auunculum mortuum, regnum illius occupare nititur, & cum immenso Francorum & Burgundiorum iuxta Suessionem ciuitatem venit exercitu, vbi eis Fredegundis cum Landerico duce occurrit, & pugna commissa, exercitus Childeberti grauiter cæsus fugit. Post idem tempus Childebertus moritur. Habebat autem duos filios, vnum ex concubina nomine Theodebertum, qui maior natu erat, alterum ex regina nomine Theodoricum. Huius regis Maior domus fuit Arnulfus. Theodebertus regnum patris obtinuit, Theodericus regnum Guntrani. Idem Burgundiam cum auia sua Brunichilde. Per idem tempus bellum inter Clotharium & Theodericum oritur super fluuium Aroadi, tantaq; cædes de vtroque populo facta est, vt ipse alueus de cadaueribus repletus magis cruorem, quam aquam fundere videretur. In prædicto, vt aiunt, certamine visus est angelus Domini gladium euaginatum tenens super populum. His temporibus sanctus pater Columbanus ex Hybernia cum beato Gallo, & aliis probatissimis discipulis venit in Burgundiam, ibiq; permittente rege Theodorico monasterium quod Luxomnium dicitur, ædificauit. Exinde à Brunichilde fugatus, Alemaniam ingressus est, ibi sanctum Gallum discipulum suum reliquit. Ipse vero in Italiam transiens monasterium quod Bouium dicitur, ædificauit, vbi & multorum pater extitit monachorum. Per idem tempus rex Otharius moritur, & Agilulfus dux Taurinatius, accepta Theodelinda regina in coniugium, super Langobardos in regem eleuatur, quibus Gregorius papa de pace inter Langobardos & Romanos conseruanda, multa scribit. Prædictæ etiam reginæ quatuor libros, quos de vita sanctorum composuit, transmisit, quem codicem dialogum, id est duorum locutionem, quia eum, colloquens cum suo Diacono Petro, ediderat, appellauit. Per hanc reginam multum vtilitatis ecclesia consecuta est. Agilulfus

cum

cum Theoderico rege Francorum perpetuam pacem facit. Cœnobium ſancti Benedicti abbatis à Langobardis noctu inuaditur; monachi Romam petierunt, ſecum codicem ſanctæ regulæ, nec non pondus panis, & menſuram vini deferentes. Mauricius imperator cum filiis ſuis Theodoſio, Tiberio, & Conſtantino, à Phoca, qui fuit ſtrator Priſci patricij, occiditur.

Anno Dominicæ incarnationis DXXXVIII, PHOCAS regnauit annos VIII. Huius ſecundo anno Gregorius papa migrauit ad Dominum, cui in pontificatu Sabinianus ſucceſſit, quo defuncto Bonifacius papa cõſtituitur. Hic obtinuit apud Phocam principem, vt ſedes Romana caput eſſet omnium eccleſiarum, quia eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium eccleſiam ſcribebat. Hic menſes VIII & dies XX in cathedra reſidens perrexit ad Dominum, in cuius loco iterum Bonifacius conſecratur. Hic petiit Phocam, vt in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, quod à Domitiano Cæſare fuerat conſtructum, eccleſiam ſibi conſecrare liceret, quod annuit Imperator. Poſt hunc Deus dedit in pontificatu ſublimatur. Eleutherius patricius & cubicularius Imperatoris, in Neapoli ciuitate interfecit Ioannem Tyrannum. Perſæ aduerſus rempublicam grauiſſima bella gerunt, & Hieroſolymam intrantes, vexillum Dominicæ crucis aſportant. Anaſtaſius monachus illuſtre martyrium pertulit. Nam à Perſis multa pro Chriſto perpeſſus, ad extremum à Choſroe rege eorum decollatus, cum aliis LXX. In Francia inter Theodoricum & Theodebertum fratres, inſtigante Brunichilda auia, grauiſſimum oritur bellum, eo quod Theodebertus non legitimus hæres regni diceretur, quia de pellice erat natus, & apud Tulpiacum caſtrum ſummis viribus decertatum. Theodebertus terga vertit & Coloniam fugit, inde abſtractus, & à fratre attonſus, clericus efficitur, & non poſt multum ab eodem fratre trucidatur, & duo filij eius interficiuntur. Regna quę præfati reges tenuerunt, in poteſtatem Clotharij tranſeunt. Brunichildis propter multa maleficia quæ perpetrarat, iuſſu Clotharij equorum indomitorum caudis religata diſcerpitur. Agilulphus rex Langobardorum moritur, & Rodoaldus filius eius in regnum ſtabilitur.

Anno Dominicæ incarnationis DXLVI, HERACLIVS regnauit annos XXVI. Qui aduerſus Perſas bellum aggreſſus, occiſo Choſroe rege eorum, Perſas in deditionẽ accepit, & lignum ſanctæ crucis Hieroſolymæ, vnde ſublatum fuerat, cum magna veneratione reſtituit. Bonifacius quintus, & Honorius Seuerinus, & Ioannes Romanam regunt eccleſiam. Heduinus rex Anglorum, prædicante Paulino epiſcopo, ad Chriſti fidem cum ſua gente conuertitur. Honorius papa Scotos in obſeruatione Paſchæ errantes, per epiſtolam redarguit: ſimiliter & Ioannes ſucceſſor Seuerini facit. Per idem tempus fuit Maior domus in palatio Clotharij regis, Arnulfus vir, vt poſtmodum claruit, Deo amabilis, qui poſt gloriam ſeculi, Chriſti ſe ſeruitio ſubdens, mirabilis in epiſcopatu extitit. Huic Dagobertus filius Clotharij in annis puerilib poſitus, traditus eſt à genitore, vt eum ſecundum ſuam ſapientiam enutriret, eiq́ue tramitem Chriſtianæ religionis oſtenderet. Hinc poſtquam ad virilem ętatem peruenit, Sandragefillum ducem Aquitaniæ & earum conſiliarium patris, eo quod ſe quadam contumacia deſpiceret, verberibus affecit, & barbæ raſione deturpauit. Quod cum pater cognouiſſet, eum ad ſupplicia requirit. Ille furorem patris timens, in baſilicam ſanctorum Dionyſij & ſociorum eius confugit, eorumq́ue tutelam ſupplex expoſcit: quorum ſuffragantibus meritis à nullo potuit idem extrahi, quouſque commiſſum facinus pater indulgeret. Vnde & illum potiſſimum dilexit locum, vbi poſtmodum ingentia dona contulit, & numeroſa prædia dedit. Poſt hæc Dagobertus cum Pipino duce in Auſtraſia regnaturus, à patre dirigitur, & ſancti Arnulfi Metenſis epiſcopi conſiliis commendatur. Rodoaldo Langobardorum rege mortuo, Rotharius eidem regno præficitur.

Anno Dominicæ incarnationis DLXXII, HERACLEONAS filius Heraclij, cum matre ſua Martina regnauit annos II. Cyrus Alexandriæ, Sergius & Pyrrhus regiæ vrbis epiſcopi, vnam operationem in Chriſto diuinitatis & humanitatis, & vnam voluntatem dogmatizant, & ob hoc à Theodoro papa & aliis epiſcopis condemnati ſunt. Dagobertus filius Clotharij cum Saxonibus dimicans, grauiter ab eis vulneratur, patremq́; per legatum vocat in auxilium, qui feſtinãs cum exercitu venit & interfecto eorum duce Bertaldo ita Saxones armis perdomuit, vt omnis virilis ſexus eiuſdem terræ

incolas,qui gladij,quem tunc forte gerebat, lõgitudinem exceſſiſſent,perimeret. Circa hæc tempora Sinenandus,& poſt eum Chilitilla,in Hiſpania regnauerunt. Horum temporibus ſynodus bis facta eſt in vrbe Toletana, vbi plurima de fide catholica & religione Chriſtiana promulgata ſunt & ſcripto roborata. Sub his etiam regibus Iſidorus Hiſpalenſis eccleſiæ epiſcopus floruit, nulli modernorum doctorum poſtponendus, qui multa de fidei regulis eccleſiaſticiſq; diſciplinis diſputauit. Poſt idem tempus coniunx regis, nomine Cæſarea, pro Chriſti amore priuato habitu venit Conſtantinopolim & poſt aliquot dies baptizata ab Auguſto de ſacro fonte leuata eſt. quam vir eius requirens,cum x i militaribus viris pacifice Conſtantinopolim venit. à quo ſatis digne ſuſceptus,cum omnibus quos ſecum adduxerat,baptizatus eſt,& ab Auguſto de fonte leuatus,multisque muneribus honoratus accepta coniuge ad patriam repedauit.

Anno Dominicæ incarnationis DLXXV, CONSTANTIVS filius Heraclij, cum fratre Heraclione regnauit menſibus VI. Pyrrhi ſucceſſor Paulus, non tantum veſana doctrina ſicut prædeceſſores eius,ſed & aperta perſecutione catholicos cruciauit: ob hoc & ipſe,ſicut prædeceſſores eius,à ſede Apoſtolica damnatus eſt.

Anno Dominicæ incarnationis DLXXVI, CONSTANTINVS filius Conſtantij, filij Heraclij, regnauit annos XXVIII. Hic à ſupra dicto Paulo deceptus, hæreticus efficitur,expoſuitq; typum aduerſus catholicam fidem, nec vnã nec duas voluntates, aut operationes in Chriſto definitas eſſe cõfitendas,quaſi nihil velle,nec operari,vel credendus potens ſit Deus. Vnde à Martino papa & CL epiſcopis ſub anathemate damnati ſunt ſupra nominati epiſcopi. Hac de re idẽ Martinus papa in exilium mittitur apud Cherſonam,ibiq; moritur,vbi etiam miraculorum gloria fulget. Eugenius papa conſtituitur: quo vita decedente, Vitellianus in eius loco ſubrogatur. Rothario Longobardorum rege mortuo, Grimaldus vir ſtrenuus regnum obtinuit. Per id tempus Clotharius rex Francorum moritur, & ſub Vrbano Pariſiis in baſilica ſancti Vincentij ſepelitur. Dagobertus monarchiam totius imperii obtinuit, excepto quod fratri ſuo Heriberto contra Ligerim,& limitem quo tenditur partibus Vaſconiæ,pagum ſcilicet Toloſanum, Caturcinum, Aganenſem, Petrogoricum, & Sanctonicum, vel quod ab his verſus Pyrenæos montes excluditur,conceſſit. Grimaldus rex Bertarit virum potentem perſequitur, quem idem rex in ſua fide ſuſcipiens, adulatorum & detrahentium linguis ſtimulatus,dolo occidere meditatur,ſed induſtria Hunoldi fideliſſimi ſatellitis, per murum Ticinenſem depoſitus funẽ,in Franciam ad Dagobertum fugit,mortisque periculum euaſit. Per id tempus Theodorus archiepiſcopus,& Adrianus abbas doctiſſimus à Vitelliano papa miſſi ſunt in Britanniam,plurimaſque eccleſias Anglorum doctrinæ apoſtolicæ fruge fœcundarunt,è quibus Theodorus archiepiſcopus peccantium indici,à quantis ſcilicet annis pro vnoquoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili & diſcreta conſideratione deſcribit. His diebus Conſtantinus Auguſtus Italiam à Langobardorum manu eripere cupiens, Conſtantinopoli egreſſus venit Athenas. inde mare tranſgreſſus Tarentum applicuit. Inde Beneuentum intrauit, omnesq; pene ciuitates Longobardorum, per quas venerat, cepit. Luceriam vſque ad ſolum proſtrauit. Deinde Beneuentum cum omni exercitu circundedit, vbi Romualdus filius Grymaldi ſe incluſerat. Imperator accepta obſide prædicti Romualdi ſorore, ſoluta obſidione,Neapolim proficiſcitur. Inde Romam perrexit, cui ſexto ab vrbe miliario Vitellianus papa cum ſacerdotibus & populo Romano occurrit,qui obtulit beato Petro pallium auro textile, & manens apud Romam diebus XII, omnia quæ fuerant antiquitus inſtituta ex ære in ornamentum ciuitatis depoſuit, in tantum, vt etiam baſilicam beatæ Mariæ,quę aliquando Pantheon vocabatur,diſcooperiret,tegulasque æreas inde auferret. Poſt hæc, Neapolim reuerſus,itinere terreno perrexit ciuitatem Rhegium,ingreſſusque Siciliam habitauit Syracuſas. Manſit autem in Sicilia VI annos,vbi poſt plurimas & inauditas depręda tiones in balneo à ſuis extinctus eſt. Poſt huius mortem Mezentius in Sicilia regnum arripuit, ſed abſque orientalis exercitus voluntate, contra quem Italiæ milites, alij per Hiſtriam, alij per Campaniam, alij vero à partibus Africæ & Sardiniæ, venientes in Syracuſas,eum vita priuarunt. Conſtantinopolim caput falſi imperatoris deportatum eſt. Hæc audiens gens Sarracenorum (quæ iam Ægyptum & Alexandriam peruaſerat) ſubito cum multis nauibus venientes Siciliam inuadunt,

uadunt, Syracusas ingrediuntur, multamque stragem faciunt populorum, auferentes quoque prædam nimiam, & omnem illum quem Constantinus à Roma sumpserat ornatum, in ære & diuersis speciebus, ad Alexandriam reuersi sunt.

Anno Dominicæ incarnationis DCV, CONSTANTINVS filius Constantini superioris Augusti regnauit annos XVII. Donus papa apostolicam sedem tenet. Quo defuncto Agatho papa ordinatur. Constantinus Augustus CL episcopos congregari fecit in vrbe regia, inter quos etiam fuerunt legati sanctæ Romanæ ecclesiæ missi ab Agathone papa, Ioannes diaconus, Ioannes Portuensis episcopus, qui omnes eandem hæresin damnarunt, quæ vnam operationem & voluntatem in Domino Iesu Christo asseuerabat. Ea hora tantæ aranearum telæ in medio populi ceciderunt, vt omnes mirarentur: & per hoc significatū est, quod sordes hæreticæ prauitatis depulsæ essent. Et Gregorius quidem patriarcha Constantinopolitanus correctus est, cæteri vero in sua defensione perseuerantes, anathematis sunt vltione percussi. Recta autem fides & vera hæc est, vt in Domino nostro Iesu Christo, sicut duæ sunt naturæ, hoc est Dei & hominis, sic etiam duæ credantur esse voluntates. His temporib. solis eclipsis facta est v nonas Maij, moxque subsecuta est grauissima pestis tribus mensibus, Iulio, Augusto, & Septembri. Tunc visibiliter multis apparuit, quia bonus & malus angelus noctu per ciuitatem pergerent, & ex iussu boni angeli malus angelus, qui videbatur venabulum manu ferre, quoties de venabulo ostium cuiuscunq; domus percussisset, tot de eadem domo sequenti die homines interirent. Per idem tempus Dagobertus rex Arnulfum auunculum Heriberti fratris sui propter infidelitatem suam interfici iussit, qui ab Amalgario & Arneberto ducibus, & Willibaldo patricio interfectus est. Post discessum igitur beati Arnulfi, adhuc consilio Pipini qui Maior domus dicitur, & Cuniberti pontificis Vlscolone Dagobertus vtens, ab ipsis fortiter admonitus, prosperitatis & iustitiæ amore complexus, vniuersarum sibi gentium subditarum fauoribus extollebatur. Habuit filium ex quadam puella nomine Regnidruda, quem frater eius Heribertus Aurelianus veniens de sacro fonte suscepit. Namque dum eundem puerum Amandus episcopus catechumenum faceret, finita oratione, cum nemo respondisset Amen, aperuit Dominus os pueri, qui non amplius quam quadraginta dies habebat, & cunctis audientibus respondit Amen. Vocatus est idem puer Sigibertus. Arnulfus episcopus & Romaricus abbas clari habentur. Eo anno legati regis Dagoberti, Seruatus & Paternus à Constantinopoli regressi sunt, petiitque imperator Dagobertum, vt omnes Iudæos regni sui secundum fidem catholicam baptizare præciperet, aut de regno expelleret: siquidem in siderum signis cognouerat, quod à circumcisis gentibus diuino nutu eius imperium esset vastandum. Et rex quidem summo hæc peregit studio, sed imperatori non de Iudæis, sed de Sarracenis fuerat demonstratum. Post hæc Heribertus moritur, relinquens filium paruulum nomine Hilpericum, qui etiam paulo post moritur. Regnum ad Dagobertum transiit. Grymaldus rex Langebardorum cum Dagoberto pacis firmissimæ fœdus iniit. Quod cum profugus Bertarius cognouisset, metuens Grymaldum, egressus à Gallia ad Britanniam insulam properare disposuit. Interea Grymaldus moritur. Cumque iam Bertarius nauim ingressus, aliquantum per pelagus nauigasset, vox à littore audita est: Reuertatur Bertarius in patriam suam, quia tertius dies est hodie, quod Grymaldus rex mortuus est. Qui statim reuersus regnum Langobardorum obtinuit, atque Cunibertum filium suum consortem regni fecit. Agathone papa decedente, Leo iunior locum eius obtinuit. Post hunc Benedictus ordinatur. Dagobertus rex cum Sclauis congreditur, eosque superauit, quibus præerat tunc dux nomine Samo. Vascones etiam rebellantes ferro compescuit. Huni & Bulgares inter se prælia conserunt, Huni Bulgares superant, qui deuicti & de Pannonia expulsi, nouem millia cum vxoribus & liberis regem Dagobertum expetunt, terram ad manendum requirunt. Quos rex ad Heimandum & Baioariam recipere præcepit, dispersosque per domos omnes vna nocte cum mulieribus & libris interficere fecit. Circa hæc tempora defuncto Sisebodo rege Hispaniæ, Sisenandus quidam ex proceribus Dagobertum regem expetiit, vt ei auxilium ferret, quatenus regnum Hispaniæ obtinere posset. In huius beneficij recompensatione missorium aurum regi promittit, pensans auri pondera L. Rex exercitum misit cum Abundantio & Vene-

rando ducibus, regnumq; viribus Francorum Siſenandus obtinuit. Miſſorium Gothis contradicentibus non tranſmiſit, ſed ducenta millia ſolidorum pro miſſorio regi Dagoberto perſoluit: quod argentum rex ſancto Dionyſio dedit. Edildrudis regina & virgo apud Anglos clara habetur. Gens Sarracenorum ex Ægypto in Africam cum nimia multitudine pergens, obſeſſam Carthaginem cepit, & crudeliter depopulatam ad ſolum vſque proſtrauit.

Anno Dominicæ incarnationis DCXII, Iuſtinianus minor, filius Conſtantini, regnauit annos x. Ioannes, Conon & Sergius Romanam regunt eccleſiam. Chilianus episcopus Wirtzburgenſis. Arnnal eius diſcipulus clareſcit. Iuſtinianus Africam à Sarracenis abſtulit, & cum eiſdem pacem terra mariq; fecit. Hic Sergium pontificem, quia in errorem illius ſynodi, quam Conſtantinopoli fecerat, fauere & ſubſcribere noluit, miſſo Zacharia protoſpatario ſuo, Conſtantinopolim deportari iuſſit, ſed militibus repugnantibus, iuſſa principis perficere non potuit. Adalgiſus Tyrannus, dux Tridentinæ ciuitatis, adnitentibus Aldone & Grauſone Brixinanis ciuibus, & aliis multis ex Langobardis, contra Cunibertum regem debellat, eumq; de regno expulit, ſed reſumptis viribus Cunibertus præfatum Tyrannum in prælio interfecit. Dagobertus rex Metas veniens in conſilio pontificum & procerum, filium ſuum Sigibertum in regno Auſtraſiæ ſublimat, eumq; Cuniberto epiſcopo Colonienſis eccleſiæ & Pipino duci commendat. Sequenti anno ei filius natus eſt, cui regnum Neuſtriacum atque Burgundiæ dandum poſt ſuum diſceſſum nominauit. Poſt hæc idem Dagobertus moritur, & in baſilica ſancti Dionyſij ſepelitur. Fuit autem prouidus in conſilio, cautus in iudicio, ſtrenuus in militari diſciplina, largus in elemoſynis, ſtudioſus in componenda pace eccleſiarum, præcipue deuotus in ditandis Sanctorum cœnobiis, qui quanuis omnia loca ſancta excoluiſſet, præ cæteris monaſteria Sanctorum Dionyſij, Martini, atq; Mauricij excoluit, & omnia eccleſiaſtica dignitate nobilitauit. Regnum eius, ſicut ipſe viuens diuiſerat, filij eius tenuerunt. Ega Maior domus cum Nautilda regina, regnum Cludeuei adminiſtrat. Circa hæc tempora cum in caſtro Caſino vaſta ſolitudo exiſteret, venientes de Celimanicorum vel Aurelianenſium regione Franci, venerabilis patris Benedicti, eiuſque germanæ Scholaſticæ corpora auferunt, in ſuam patriam aſportant. Corpus ſancti Benedicti in territorio Aurelianenſi, in monaſterio quod vocatur Floriacus, ſepultum eſt. Porro ſanctæ Scholaſticæ in partibus Cenomanenſium religioſorum deuotione conditum. Rege Cuniberto mortuo, de regno Langobardorum inter principes magna fit controuerſia, plurimi interficiuntur, nonnulli excæcantur. Mulieres etiam, quæ ſe reginas fore iactauerant, naſo & auribus abſciſſis deturpantur. Ad extremum Heribertus dux Taurinenſium regnum obtinuit.

Anno Dominicæ incarnationis DCXXII, LEO Auguſtalem dignitatem arripiens, Iuſtinianum regno priuauit, eumque exulem in Ponto ſeruauit, regnumque Romanorum tribus annis rexit. Sergius papa in ſacrario beato Petri Apoſtoli magnam portionem ligni Dominicæ crucis reperit, quæ ex tempore illo ab omni populo in baſilica Cõſtantiniana, die exaltationis eius oſculatur ac adoratur. In Britannia Cunibertus Lindisfranenſis eccleſiæ epiſcopus clarus habetur: in Galliis Audoenus Rotomagenſis, Cligiſus Nouigenſis, Sulpitius Bituriacenſis epiſcopi clari habentur. His etiam temporibus venerabilis vir Willibrordus, cognomento Clemens, de Britannia gentis Anglorum, ob gratiam Euangelij in Gallias tranſiens, à Sergio papa epiſcopus Frisonum conſecratur, atque in eandem gentem ad prædicandum dirigitur. Tiberius regnauit annos ſeptem. Hic contra Leonem inſurgens, regnum eius inuaſit, eumque toto quo ipſe regnauit tempore, in eadem ciuitate in cuſtodia tenuit. Gilſulfus dux, Beneuentum & Campaniam igne, gladio & captiuitate vaſtauit. Ioannes Romanam regit eccleſiam.

Hic vniuerſos captiuos quos Giſulfus ceperat, redimit, atque Langobardos domum redire fecit, cui ſucceſſit alius Ioannes Clodoueus rex, corpus beati Dionyſij diſcooperiens, minus religioſe, licet cupide, os brachij eius fregit & rapuit, confeſtimq; ſtupefactus in amentiam incidit, & poſt duos annos vitam cum regno finiuit. Hoc tempore Synodus Aquileiæ facta ob imperitiam fidei, quintum vniuerſale cõcilium ſuſcipere

pere diffinit. Clariſſima hæc ſynodus rite & ſolenniter celebrata fuit temporibus Vigilij papæ contra hæreticos, qui beatam Mariam ſolum hominem, non Deum & hominem genuiſſe affirmabant: in qua ſynodo catholice inſtitutum eſt, vt Maria ſemper virgo θεοτόκος diceretur, quia non ſolum hominem, ſed vere Deum & hominem genuit. Ea ætate claruit Lambertus Tungrenſis eccleſiæ epiſcopus, qui dum regiam domum zelo religionis accenſus increpaſſet, ab iniquiſſimo Dodone & aliis viris de palatio miſſis improuiſe concluſus, intra domum eccleſiæ in Leodio vico occiditur.

Anno Dominicæ incarnationis DCXXXII, IVSTINIANVS ſecundo cum Tiberio filio regnauit annos VI. hic regnum rurſus recipiens, eos qui ſe expulerant, patricios occidit, Leonem quoque & Tiberium, qui locum eius vſurparant, cepit, & in medio circo coram omni populo iugulari præcepit. Callinicum vero patriarcham Conſtantinopolitanum erutis oculis Romam miſit, Cyrumq; abbatem, qui eum in Ponto exulem aluerat, epiſcopum in loco Callinici conſtituit. Siſinnius & Conſtantinus Romanam regunt eccleſiam. Hunc Conſtantinum ad ſe venire iubens Iuſtinianus, honorifice ſuſcepit ac remiſit, quem proſtratus in terra pro ſuis peccatis intercedere rogans, cuncta eccleſię priuilegia renouauit. Qui cum exercitum in Pontum mitteret ad comprehendendum Philippicum, quem ibi relegauerat, multum eum idem papa prohibuit, ſed tamen inhibere non potuit. Exercitus, qui miſſus contra Philippicum fuerat, ad partem eius ſe contulit, & eum imperatorem facit: qui Conſtantinopolin contra Iuſtinianum veniens, cum eo ab vrbe milliario duodecimo pugnauit, & eum occidit, regnumque adeptus eſt. Imperauit autem, vt præmiſimus, hac ſecunda vice VI annos, quem Leo in expulſione ipſius naribus detruncauit. qui poſt iterum aſſumpto imperio quoties defluentem guttam rheumatis manu deterſit, pene toties aliquem ex his qui contra eum fuerant, iugulari præcepit. Dum hæc in oriente aguntur, Anſprandus, qui apud Baioariam IX exulauerat annos, cum Baioariis Italiam venit, pugnauitque cum Ariberto rege, qui dum in Franciam fugere vellet, Ticinum fluuium ingreſſus, cum equo tranſnatare conatus eſt, ſed quia auro grauatus erat, aquis ſuffocatus extinctus eſt. Anſprandus regnum obtinuit III tantummodo menſes, poſt cuius interitum Luitprandus filius eius in regali conſtituitur ſolio. Apud Francorum quoque gentem, Pipino vita exempto, eius filius Carolus in principatu ſucceſſit, licet per multa bella & certamina de manu Raginfridi, eundem principatum ſuſtulit. Nam cum in cuſtodia teneretur, diuino nutu ereptus aufugit, ac primum contra Raginfridum, cum paucis bis terque certamen iniuit, ad extremum eum apud Vinciacum magno certamine ſuperauit, cui tamen vnam, vt ferunt, hoc eſt Andaganenſem ciuitatem ad habitandum conceſſit, cunctam vero Francorum gentem ipſe gubernandam ſuſcepit.

Anno Dominicæ incarnationis DCXLVIII, PHILIPPICVS regnauit annum vnum & menſes VI. Hic poſtquam imperiali dignitate confirmatus eſt, Cyro de pontificatu abiecto, ad gubernandum monaſterium ſuum in Pontũ redire cœpit. Hic Conſtantino papæ literas praui dogmatis direxit, quas ille reſpuit, ſtatuitq; populus Romanus, ne hęretici imperatoris nomen, aut chartas aut figuram ſolidi ſuſciperent. Contra hũc Anaſtaſius, q & Artemius dictus eſt, inſurgens, eũ regno expulit, oculisq; priuauit.

Anno Dominicæ incarnationis DCL, ANASTASIVS regnauit annos III. Hic literas Conſtantino papę per Scholaſticũ patricium & Exarchã Italiæ direxit, quib. ſe fautorẽ catholicæ fidei & concilij prædicatorem eſſe declarauit. Defuncto Giſulfo duce Beneuentano, Romaldus filius eius locum eius obtinuit. Circa hæc tempora Petronax ciuis Brixianæ vrbis diuino amore compunctus, caſtrum Caſſinum petiit, & monaſterium ſancti Benedicti, quod iam tunc C & X annos deſtructum manebat, reædificauit, multorumq; monachorum pater ibi extitit. Gregorius papa conſtituitur. Hic Bonifacium ex Britannia ortum epiſcopum ordinauit, & per eum in Germaniam verbum ſalutis prædicauit, & gentem illam ſedentem in tenebris euangelica luce illuſtrauit.

Carolus princeps contra Ratbodum regem Friſonum multa certamina conſerit, qui tyrannus diuino nutu percutitur, anno præfati principis, IIII regni ſui. Pugnauit idem Carolus aduerſum Saxones, eoſq; vicit.

Anaſtaſius imperator claſſem in Alexandriam contra Sarracenos direxit. Exercitus de medio itinere reuerſus, Theodoſium imperatorem elegit, atque coactum in ſo-

lio imperij confirmauit. qui Theodosius apud Mycenas ciuitatem Anastasium graui prælio vicit (septem millia de exercitu ceciderunt) datoq; sibi sacramento, eum clericum fieri,& presbyterum fecit ordinari.

Anno Dominicæ incarnationis DCLIV, THEODOSIVS regnauit annum I. Hic postquam regnum accepit, mox in regia vrbe imaginem illam, in qua sancta synodus erat depicta, & à Philippo erat eiecta, pristino in loco erexit. His diebus ita Tiberis fluuius inundauit, vt vltra alueum suum egressus, multa Romanę fecerit exitia ciuitati, ita vt in via lata ad vnam & semis staturam excresceret, atque à porta sancti Petri vsque ad pontem Miluium aquæ se descendentes coniungerent.

Anno Dominicæ incarnationis DCLV, LEO regnauit annos IX. His temporibus Sarracenorum gens cum immenso exercitu veniens, Cõstantinopolim circumdedit, ac per continuum triennium obsedit, donec ciuibus multa instantia ad Deum clamantibus, plurimi eorum fame, frigore, bello, pestilentiaque perirent, ac sic partes obsidionis abscederent. Eorum maxima multitudo tempestate in mari periit. Intra Constantinopolim vero tempore obsidionis, CCC millia hominum pestilentia & fame interiere. Luitprandus rex ossa sancti Augustini episcopi à Sardinia transtulit in vrbem Ticinensem, & cum debito honore sepeliuit. Idem rex Rauennam obsedit, classem inuasit atque destruxit. Carolus princeps X anno regni sui cum Baioariis pugnauit, eosque vicit. Idem rex quintodecimo anno regni sui Alemanniam ingressus contra Lantfridum dimicauit, & sibi eandem gentem subiecit. Sextodecimo anno regni sui Vasconiam ingressus, Eudonem ducem Aquitaniæ bello perterruit. XVII anno Sarraceni ex. Hispania cum vxoribus, & paruulis venientes, Aquitaniam Galliæ prouinciam, quasi in ea habitaturi, intrant. Carolus quidem (vt dictum est) cum Eudone Aquitaniæ principe tunc discordiam habebat, qui tamen in vnum se coniungentes, contra eosdẽ Sarracenos pari consilio dimicarunt. Nam irruentes Franci super eos, CCCLXXV millia ex eis interfecerunt. Eudo quoque super eorum castra irruens, pari modo multos interficiens, omnia deuastauit. Mille tantum quingenti ceciderunt ex Francis, vt in epistola ab Eudone missa Gregorio papæ de eadem victoria continetur. Ea tempestate Leo imperator sanctorum imagines depositas incendit, Romanoque pontifici Gregorio similiter facere, si suam vellet habere gratiam, mandauit. Sed pontifex hoc facere contempsit. Omnes quoque Rauennæ exercitus vel Venetiarum, talibus iussis vno animo restiterunt: & nisi pontifex eos prohibuisset, alium imperatorem super se constituissent. Per id tempus Luitprandus rex castra Æmiliæ, Forumanum & Pentapolim, Auximiumque inuasit. Sed post aliquos dies Romano põtifice elaborante Romanis reddita sunt. Leo Augustus ad peiora progressus est, ita vt compelleret omnes Constantinopolim habitantes, tam vi quam blandimentis sanctorum imagines deponere, & quascunque inuenire potuit, in media ciuitate concremauit. Et quia plerique ex populo tale scelus fieri prohibebant, aliqui ex eis capite truncati, alij parte corporis mutilati sunt. cuius errori Germanus patriarcha non cõsentiens, à propria sede depulsus est, & eius in loco Anastasius presbyter ordinatur. Circa hęc tempora Carolus princeps Pipinum filium suum ad Luitprandum regem direxit, vt eius iuxta morem capillum incideret: qui eius cæsariem incidens, ei pater effectus est, multisque eum ditauit regiis muneribus, & genitori remisit.

Carolus XVII anno regni sui cum exercitu in Westrachiam venit, eamque suæ ditioni subiecit. Anno XX regni sui iterum cum valida manu Vasconiam ingressus est, & Eudonem regno simul & vita priuauit: sequenti anno contra filios eiusdem Eudonis dimicauit.

Anno XXII regni sui, Sarracenorum exercitus rursum in Gallias introiens, multam deuastationem fecit contra quos Carolus non longe à Narbona bellum committens, eos sicut & prius maxima cæde prostrauit.

Anno XXIV regni sui, iterum Sarraceni Gallorum fines ingressi, vsque ad Prouinciã venerunt, & capta Arelate, omnia circumquaq; demoliti sunt. Tunc Carolus ad Luitprandum regem mittens, auxilium contra Sarracenos exposcit, qui nihil moratus cum omni Langobardorum exercitu in eius adiutorium properauit, quo comperto gens Sarracenorum mox ab illis regionibus aufugit.

Anno

Anno XXVI regni sui, Carolus bellicosissimus & victoriosissimus princeps Francorum moritur. Fiunt igitur, ni fallor, anni ab incarnatione Domini, cōputati à quadragesimo secundo anno imperij Octauiani, vsq; ad vltimum Leonis Augusti annum, qui temporibus Caroli principis regnasse cognoscitur, DCCXVIII, menses III, dies II.

Discernamus etiam, si placet, eosdem annos Domini per tempora pontificum Romanorum, & videamus quomodo sibi tempora principum & præsulum adinuicem comparata respondeant.

Beatus Petrus Apostolus Romæ in episcopali cathedra sedit annos XXV, menses II, dies II.

Linus sedit	annos	XI,	menses	III,	dies	XIII.
Cletus sedit	annos	XII,	mensem	I,	dies	XI.
Clemens sedit	annos	IX,	menses	II,	dies	X.
Anacletus sedit	annos	IX,	menses	II,	dies	X.
Eucharistus sedit	annos	IX,	menses	X,	dies	X.
Alexander sedit	annos	X,	menses	VII,	diem	I.
Sixtus sedit	annos	X,	menses	II,	diem	I.
Telesphorus sedit	annos	XI,	menses	III,	dies	XXI.
Hyginus sedit	annos	IV,	menses	III,	dies	III.
Pius sedit	annos	XIX,	menses	IV,	dies	III.
Anicetus sedit	annos	XI,	menses	IV,	dies	III.
Soter sedit	annos	IX,	menses	VI,	dies	III.
Eleutherius sedit	annos	XV,	menses	III,	dies	II.
Victor sedit	annos	X,	menses	II,	dies	X.
Zepherinus sedit	annos	VIII,	menses	VI,	dies	X.
Calixtus sedit	annos	VI,	menses	II,	dies	X.
Vrbanus sedit	annos	IV,	menses	X,	dies	XIII.
Pontianus sedit	annos	IX,	menses	V,	dies	II.
Antherus sedit	annos	XII,	mensem	I,	dies	XII.
Fabianus sedit	annos	XIV,	menses	XI,	dies	XI.
Cornelius sedit	annos	II,	menses	II,	dies	II.
Lucius sedit	annos	III,	menses	III,	dies	III.
Stephanus sedit	annos	VII,	menses	V,	dies	II.
Sixtus sedit	annum	I,	menses	X,	dies	XXIII.
Dionysius sedit	annos	VI,	menses	II,	dies	IV.
Felix sedit	annos	IV,	menses	III,	dies	XXV.
Eutychianus sedit	annum	I,	mensem	I,	diem	I.
Gaius sedit	annos	XI,	menses	IV,	dies	XII.
Marcellinus sedit	annos	IX,	menses	IV,	dies	XXV.
Marcellus sedit	annos	V,	menses	VII,	dies	XXII.
Eusebius sedit	annos	VI,	mensem	I,	dies	III.
Melchiades sedit	annos	IV,	menses	o,	dies	o.
Sylvester sedit	annos	XXIV,	menses	X,	dies	X.
Marcus sedit	annos	II,	menses	VIII,	dies	XX.
Iulius sedit	annos	XV,	menses	II,	dies	VI.
Liberius sedit	annos	VI,	menses	III,	dies	IV.
Felix sedit	annum	I,	menses	III,	dies	II.
Damasus sedit	annos	XVIII,	menses	III,	dies	XII.
Siricius sedit	annos	XV,	menses	o,	dies	o.
Anastasius sedit	annos	III,	menses	o,	dies	X.
Innocentius sedit	annos	XV,	menses	II,	dies	XXI.
Sosimus sedit	annum	I,	menses	III,	dies	XI.
Bonifacius sedit	annos	III,	menses	VIII,	dies	VII.
Celestinus sedit	annos	VIII,	menses	X,	dies	XVII.
Sixtus sedit	annos	VIII,	menses	o.	dies	XIX.
Leo sedit	annos	XXI,	mensem	I,	dies	III.

SCRIPTO
RERVM
Tomus

Hilarius sedit	annos	VI,	menses	III,	dies	X.
Simplicius sedit	annos	XV,	mensem	I,	dies	VII.
Felix sedit	annos	VIII,	menses	XI,	dies	XVIII.
Gelasius sedit	annos	IV,	menses	VIII,	dies	XVIII.
Anastasius sedit	annum	I,	menses	XI,	dies	XXIIII.
Symmachus sedit	annos	XV,	menses	VII,	dies	XXVII.
Hormisda sedit	annos	IX,	menses	o,	dies	XVII.
Ioannes sedit	annos	II,	menses	IX,	dies	XVI.
Felix sedit	annos	IV,	menses	II,	dies	XIV.
Bonifacius sedit	annos	II,	menses	o,	dies	XXVI.
Agapetus sedit	annum	I,	menses	XI,	dies	XIX.
Syluerius sedit	annum	I,	menses	V,	dies	XI
Vigilius sedit	annos	XVIII,	menses	VI,	dies	XXVI
Pelagius sedit	annos	XI,	menses	X,	dies	XVIII.
Ioannes sedit	annos	XII,	menses	XI,	dies	XXVI.
Benedictus sedit	annos	IV,	mensem	I,	dies	XXVIII.
Pelagius sedit	annos	X,	menses	II,	dies	X.
Gregorius sedit	annos	XIII,	menses	VII,	dies	X.
Sabinianus sedit	annum	I,	menses	V,	dies	IX.
Bonifacius sedit	annos	VIII,	menses	o,	dies	XXII.
Honorius sedit	annos	XII,	menses	XI,	dies	XIII.
Seuerinus sedit	annos	o,	menses	II,	dies	IV.
Ioannes sedit	annum	I,	menses	IX,	dies	XVIII.
Theodorus sedit	annos	VI,	menses	V,	dies	XVIII.
Martinus sedit	annum	I,	mensem	I,	dies	XXVI.
Eugenius sedit	annum	I,	menses	VIII,	dies	XXIV.
Vitellianus sedit	annos	VII,	menses	o,	dies	o.
Adeodatus sedit	annos	IV,	menses	II,	dies	V.
Donus sedit	annum	I,	menses	V,	dies	X.
Agatho sedit	annos	II,	menses	VI,	dies	IV.
Leo sedit	annum	I,	menses	X,	dies	XXII.
Benedictus sedit	annos	o,	menses	X,	dies	XII.
Ioannes sedit	annum	I,	menses	o,	dies	IX.
Conon sedit	annos	o,	menses	XI,	dies	c.
Sergius sedit	annos	XIV,	menses	VIII,	dies	XXIII.
Ioannes sedit	annos	III,	menses	II,	dies	XII.
Ioannes sedit	annos	II,	menses	VI,	dies	o.
Sisinnius sedit	annos	o,	menses	o,	dies	XV.
Constantinus sedit	annos	VII,	menses	IX,	dies	XI.
Gregorius sedit	annos	XVI,	menses	IX,	dies	XXV.
Gregorius sedit	annos	X,	menses	IX,	dies	XI.
Zacharias sedit	annos	X,	menses	III,	dies	XIV.

Fit ergo, vt arbitramur, summa horum à temporibus beati Petri Apostoli vsque ad Zachariam papam, qui principio regni Pipini Romanam gubernat ecclesiam, anni DCCCIII, menses VIII, dies XXVI. Quibus si addamus XV an. Octauiani, XXIII Tiberij, III Caij, similiter III Claudij, quia IIII Claudij anno Petrus Apostolus Romam venit, & ipse iam annus in pontificatu eius computatur, colliguntur anni DCCXXVII. Supercrescunt itaq; anni Pontificum, annos principum Romanorum XXIX an. Quid horum potius sequẽdum sit, prudens lector videat. Illud tamen pro certo scimus, quod nec Augustorum, nec Antistitum numerus annorum cyclis Dionysij concordet, siquidem in alio plus, in alio minus inuenitur. Nam secundum Dionysium anno Dominicæ incarnat. DCCXLI, Carolus princeps moritur, & Pipinus suscepit principatum. Potest autem fieri, vt vitio scriptoris numerus sit deprauatus annorum. Hæc idcirco ab ipso incarnationis Domini anno exordium capiẽtes, vsq; huc prædiximus, vt quia sequens libellus

libellus à noſtra paruitate editus, per eiuſdē incarnationis Dominicæ annos tempora principum & geſta declarat, iſte nihilominus, quo tempore, quo loco, vel quid ſub vnoquoq; principe actum ſit, ſummatim demonſtrat. Triumphos quoq; ſanctorum Martyrum, confeſſorum, quibus in locis, vel ſub quibus regibus coronam gloriæ percepe-runt, nominatim aperiet. Igitur vbi iſte finitur, ille conſequenter initium capiat, & vbi ille incipit, iſte finem ſortiatur.

Primi libri finis.

CHRONICORVM REGINO.
NIS DE ORIGINE GENTIS ET REGVM FRANCORVM
LIBER SECVNDVS.

ANNO Dominicæ incarnationis DCCXLI, Carolus filius Pipini, maior domus, & bellicoſiſſimus dux Francorum defunctus eſt.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXLII, Carolomanus & Pipinus filij eius, duxerunt exercitum contra Hunoldum ducem Aquitanorum, & ceperunt caſtrum quod vocatur Lucas, & in eodem itinere diuiſerunt regnum Francorum inter ſe, in loco qui dicitur vicus Pictauis. Poſt hæc Carolomanus eodem anno Alemaniam cum exercitu vaſtauit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXLIII, Carolomanus & Pipinus contra Odilonem ducem Baioariorum duxerunt exercitum, & inierunt pugnam, & victores effecti. Carolomanus abſque fratre in Saxoniam perrexit, & cepit caſtrum quod dicitur Ochſenbrug per placitum & pacis conditionem, & Theodericum Saxonem obſidem accepit: qui ſacramentis datis, in patriam dimiſſus eſt redire, ſed poſthabito ſacramento fefellit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXLIV, iterum Carolomanus & Pipinus Saxoniam cum exercitu ingreſſus, & rurſus captus eſt ſupra dictus Theodericus.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXLV, Carolomanus confeſſus eſt ſuo germano Pipino, quod mente diſpoſuiſſet mundum relinquere, & pro amore Dei regnum terrenum deſerere, vt in futura vita centuplicatam reciperet poſſeſſionem. Et in hoc anno nullā fecerunt expeditionem, ſed præparauit ſe Carolomanus ad id quod decreuerat, & Pipinus vt germanum ſuum ad locum honorifice cum muneribus & debita munificentia proſequeretur. Carolomanus rex Romam pergens, in monachali habitu vitam finiuit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXLVI, Carolomanus Romam perrexit, ibiq; ſe totondit, & in Soracte monte monaſterium ædificauit, in honorem ſancti Syluestri, ibiq; aliquod tempus moram faciens, exinde ad ſanctum Benedictum in Caſſinum vſq; peruenit, & ibi monachus effectus eſt. Fertur autē de ſancto viro exemplum memorabile. Cum adhuc Romæ poſitus in monaſterio quod ſibi ædificauerat, ab omnib. propter regiam nobilitatem, & quod maius eſt, propter contemptum regni terreni, & gloriā præſentis ſeculi, veneraretur, & laudibus extolleretur, timens, vir Deo plenus, fauorem laudis humanæ, qui tanta pro Chriſto reliquerat, fugam magis arripere diſpoſuit, q̄ vanæ gloriæ ſubiacere. Et hoc tantummodo vni fido ſocio confeſſus eſt, quem ab infantia in omnibus fidelem probauerat, cum eo noctu omnib. aufugit inſciis, & ad Caſſinum montem vſque peruenit, nihil ſecum portans ex omnib. bonis, quæ corpori erant neceſſaria, nudus Chriſtū ſecutus eſt. Et iuxta morem portā monaſterij pulſans, colloquiū patris monaſterij expetiit. in cuius preſentiam cum veniſſet, mox in terrā corruit, ſe homicidam eſſe, ſe reum omnium criminū proteſtans, miſericordiam expoſcit, pœnitentiæ locum exquirit. Pater cum hominē peregrinum eſſe cognouiſſet, interrogat, cuiꝰ patriæ aut gentis eſſet; at ille confeſſus eſt ſe Franciū eſſe, & ex Francia propter talia

SCRIPTO
RERVM
Rerum Tom

scelera migrasse, exilium libenter ferre paratum, tantum vt patriam cœlestem non amitteret. Spiritualis pater eius precibus annuens, præcepit eum in cella nouitiorum recipi, vna cum suo collega, probari secundum quod regula iubet, & tanto arctius, quanto barbaræ & ignotæ gentis homo erat, implens illud apostolicum, Probate spiritus si ex Deo sunt. Itaque probatus in omni patientia, sociatus est congregationi vna cum collega: post emensum anni circulum professus stabilitatem, conuersationem, morum obedientiam secundum regulam sancti Benedicti. Cœpit autem irreprehensibiliter inter fratres conuersari, omnibus virtutibus pollens. Accidit autem, vt iuxta quod mos est, ad coquinæ officium hebdomadarius deputaretur: quod cum libenter quidem faceret, sed in multis ignoranter offenderet, coquus vino exæstuans ei alapam dedit, dicens: Ita te fratribus deseruire oportet? cui ille nil motus, placido vultu respondit: Indulgeat tibi Dominus frater, & Carolomanus. neque enim cuiquam nomen suum prodiderat, ne ex vocabulo agnosceretur. Rursum cum in quibusdã cibariis administrandis errasset, à coquo percussus est, cui eadem quæ supra imprecatus est. Et cum tertio à coquo crudeliter cæderetur, indignatus ille comes individuus suæ peregrinationis, quod tantus vir à tam vili persona tam contumeliose afficeretur, iam ferre non valens, arripuit pilum, vnde panis in holera fratrũ mittendus conterebatur, & eum omni annisu percussit dicens, Nec tibi Deus parcat serue nequam, nec Carolomanus indulgeat. Fratres hoc audito valde commoti sunt, quod homo alienigena, & pro misericordia receptus, talia facere præsumpsisset. Protinus ergo custodiæ manciparur, vt die sequenti talis præsumptio acrius vindicaretur. In crastinum productus de custodia in medio conuentu sistitur: percunctatus, cur manus extendere in fratrẽ ministrum ausus fuisset, respondit, quia (inquit) vidi seruum nequiorem omnibus, virum meliorẽ & nobiliorem omnibus quos in terra conuersari scio, non solum verbis dehonestare, sed ẽt plagis afficere. Furore nimio exagitati, quod eum qui peregrinus venerat, cæteris prætulisset, interrogant, quis esset ille qui bonitate & nobilitate omnes anteiret, cur saltem patrem monasterij non excepisset. Ille necessitate compulsus celare non valens, quod Deus iam manifestari volebat, ait: iste est Carolomanus quondam rex Francorum, qui pro Christi amore regnum & gloriam mundi dereliquit, qui de tanta excellentia ita se humiliauit, vt modo à vilissimis personis non solum contumeliis afficiatur, verum etiam verberib. affligatur. Quo audito tremefacti à sedibus surgunt, pedibus eius se prosternunt, veniam postulant de contemptu, ignorantiam profitentur. Ille contra in terram prouolutus, cum lachrymis negare cœpit hęc non esse vera, non se esse Carolomanum, sed hominem peccatorem & homicidam, collegam sine timore perterritum propter cõmissum piaculum hæc excogitasse. Quid plura? cognitus ab omnib. cum magna reuerẽtia est obseruatus. Hæc nõ passi sumus præterire, nunc ad Chronica reuertamus.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXLII, Gripho fugit in Saxoniam, & Pipinus iter faciens per Thuringiam, in Saxoniam introiuit vsque ad fluuium Mussaham, in vico, qui dicitur Schahaningi, & Gripho collecta manu, vna cum Saxonibus super fluuium Obaccrum sedit, qui dicitur Orhemum.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXLIII, Gripho de Saxonia egressus, in Baioariam peruenit, ipsumque ducatum sibi subiugauit. Giltrudem cum Thassilone cepit, & suæ ditioni subiecit Suigder in solatium supra dicti Griphonis. Hæc audiens Pipinus cum exercitu illuc venit, omnesque supra nominatos sibi subiugauit, Griphonem & Lantfridum secum duxit in Franciam, Thassilonem ducem Baioariorum constituit. Griphonem in partibus Neustriæ misit, & ei XII comitatus dedit; inde iterum Gripho fugiens Vasconiam petiit, & ad Wipharium ducem Aquitanorum peruenit.

Anno Dominicę incarnationis DCCXLIX, Burchardus Wirtzburgensis ecclesiæ episcopus, & Floradus capellanus missi sunt Romam ad Zachariam papam, vt interrogarent de regibus in Francia, qui illis temporibus non habẽtes regiam potestatem, reges tamen vocabantur, si bene essent reges. Et præfatus papa mandauit Pipino, melius sibi videri, illum regem vocari qui potestatem haberet, quam illum qui sine regali potestate manebat. Et ne perturbaretur Christianitatis ordo, per auctoritatẽ Apostolicam iussit Pipinum regem creari, & sanctæ vnctionis oleo inungi.

Anno Dominicæ incarnationis DCCL, Pipinus secundum morem Francorum electus

ctus in regem,& vnctus per manũ ſanctæ memoriæ Bonifacij Moguntiacenſis vrbis archiepiſcopi,& eleuatus eſt à Francis in regno, in Sueſſionis ciuitate. Hildericus vero qui falſo rex vocabatur,attonſus eſt,& in monaſterium miſſus.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLI, Pipinus rex in Saxoniam iter fecit,& Hildegarius epiſcopus occiſus eſt à Saxonibus in caſtro quod dicitur Nigberg,& tamen Pipinus rex victor extitit,& peruenit vſque ad locum qui dicitur Rimiæ,& reuerſus eſt in Franciam,vbi ei nunciatum eſt, quod Gripho, qui in Vaſconiam fugerat, germanus eius occiſus eſſet. Stephanus papa eodem anno in Franciam venit, ſolatium & adiutorium quærens pro iuſtitiis ſancti Petri. Venit autem & Carolomanus monachus, & germanus ſupra dicti regis, per iuſſionem abbatis ſui in Franciam, quaſi ad conturbandam petitionem Apoſtolicam. Hoc anno natiuitatem Domini in Theodonis villa Paſcha in Caraſiaco Dominus rex celebrauit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLII, ſupra dictus Stephanus papa confirmauit Pipinum ſancta vnctione in regem, & cum eo vnxit duos filios eius Carolum & Carolomanum ad regiam dignitatem. Eodem anno ſanctus Bonifacius archiepiſcopus annunciãs Dei verbum in Friſia, à paganis interfectus, martyr Chriſti occubuit. Wolfridus in Italia clareſcit.

Anno Dominicę incarnationis DCCLIII, Pipinus rex,per Apoſtolicam inuitationem Italiam ingreſſus eſt,iuſtitiam Petri Apoſtoli quærens. Haiſtulfus rex Langobardorum ſupra dictam iuſtitiam contradicendo, Thermopylas, id eſt clauſuras Langobardorum petiit,& obuiam Pipino regi & Francis venit, & commiſſo prælio, Domino auxiliante & beato Petro intercedente,Pipinus cum Francis victor extitit. Eodem anno Stephanus papa reductus eſt ad ſuam ſedem, per miſſos regis Pipini, Floradum & alios plurimos. Incluſo vero Haiſtulpho rege in Papia ciuitate,neceſſitate deductus iuſtitiam ſancti Petri pollicitus eſt faciendam. Ex hac promiſſione rex Pipinus obſides XL recepit, & cum ſacramento firmato reuerſus eſt in Franciam. Nec ſuperfluum iudicauimus,ſi epiſtolam eiuſdem papæ Stephani,hac de cauſa ſcriptam, huic operi inſeramus. cõtinet enim hunc modum: Stephanus epiſcopus,ſeruus ſeruorum Dei. Sicut nemo ſe debet iactare de ſuis meritis, ſic non debent opera Dei, quæ in illo per ſuos ſanctos fiunt, ſine ſuis meritis fileri, ſed prædicari,ſicut angelus admonet Thobiam. Vnde ego pro oppreſſione ſanctæ eccleſiæ à rege atrociſſimo & blaſphemo & nec dicendo Haiſtolpho ad optimum & ſancti Petri fidelem dominum Pipinum Chriſtianiſſimum regem in Franciam veni, vbi ægrotaui vſque ad mortem, & manſi aliquod tempus apud pagum Pariſiacũ,in venerabili mõaſterio ſancti martyris Dionyſij:quem cum iam medici deſperarent, fui ſicut in oratione in eccleſia eiuſdem beati martyris ſubtus campanis, & vidi ante altare Dominum Petrum, & magiſtrum gentium dominum Paulum, & tota mente illos recognoni de illorum ſurcarijs, & tunc beatum Dominum Dionyſium ad dextram Domini Petri ſubtilem & longiorem. Dixitque bonus paſtor dominus Petrus, Hic frater noſter poſtulat ſanitatem: & dixit beatus Paulus,Modo ſanabitur, & appropinquans miſit manum ſuam ad pectus domini Dionyſij amicabiliter,reſpexitque ad dominum Petrum. Et dixit dominus Petrus ad dominum Dionyſium hilariter, Tua gratia eſt ſanitas eius. Et ſtatim beatus Dionyſius thuribulũ incenſi,& palmam in manu tenens cum presbytero & diacono qui in parte ſtabant,venit ad me & dixit, Pax tecum frater,noli timere,non morieris, donec ad ſedem tuã proſpere reuertaris, ſurge ſanus, & hoc altare in honorem Dei & Apoſtolorum Petri & Pauli quos vides,dedica,miſſas gratiarum agens;moxque factus ſanus ſum,& volebam implere quod mihi præceptum erat: & dicebant qui ibi aderant, quod dementabam. quapropter retuli illis & regi,ſuiſq; omnibus ex ordine, quæ videram, & quomodo ſanatus fuerim, & impleui quæ viſa ſunt mihi omnia. Geſta ſunt autem hæc anno ab incarnatione Domini DCCLIII, vidus Auguſti,quo Chriſti roboratus virtute,inter celebrationem conſecrationis præfati altaris,& oblationem ſacrificij,vnxi in reges Francorum regem Pipinum,& duos filios eius Carolum & Carolomanum. Sed & Bertradam coniugem ipſius regis, indutam cycladibus regiis, & gratia ſpiritus ſancti ſeptiformis conſignaui in Dei nomine,atq; Francorum proceres Apoſtolica benedictione ſanctificans,auctoritate ſancti Petri ſibi à Chriſto tradita obligauit & obteſtatus eſt, vt nunquã

de altera ſtirpe per ſuccedentium temporum curricula, ipſi vel quique ex eorum progenie orti, regem ſuper ſe præſumant aliquo modo conſtituere, niſi de eorum progenie,quos & diuina prouidentia ad fidem Apoſtolicam tuendam eligere, & per eum videlicet ſancti Petri Vicarium, imo Domini noſtri Ieſu Chriſti, in poteſtatem regiam dignata eſt ſublimare,& vnctione ſacratiſſima conſecrare.His interpoſitis ad Chronicaredeamus.Cum Pipinus rex(vt ſupra expreſſum eſt) Italiam ingreſſus eſſet,Carolomanus monachus Vienna ciuitate remanſit vna cum Bertrada regina, vbi languore correptus diem clauſit extremum.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLV, cum audiſſet Pipinus rex ea non eſſe vera,quæ Haiſtulphus promiſerat de iuſtitiis ſancti Petri,iterum Italiam ingreſſus,Papiam obſedit, Haiſtulphum obſidione cinxit,& rurſum de iuſtitiis ſancti Petri firmitatē dedit,vt ſtabiles permanerent,& inſuper Rauennam cum Pentapoli,& omni exercitu conquiſiuit, & ſancto Petro tradidit. Cum autem reuerſus eſſet Pipinus rex in Francia, meditabatur ſupra dictus Haiſtulphus ea fallere quæ promiſerat. Quadam vero die cum venationibus inſeruiret, percuſſus eſt Dei iudicio, vitamque cum regno finiuit,quomodo vero miſſus ſit Deſyderius in regnum,in ſubſequentibus dicemus.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLVI, miſit CONSTANTINVS Imperator regi Pipino cum aliis donis organum.Et rex Pipinus tenuit palatium ſuum in Compendio, ibique Thaſſilo venit dux Baioariorum & ſuus effectus eſt, per manus ſacramentaque multa iurauit Pipino & filiis eius, ſupra corpus ſancti Dionyſij, ſancti Germani, & ſancti Martini ſimul,& eius homines meliores fecerunt.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLVII. Pipinus rex in Saxoniam iter fecit, & in munitiones Saxonum per virtutem introiuit,& in loco, qui dicitur Sitina,multæ ſtrages factæ ſunt de populo Saxonum. Et tunc promiſerunt ſe omnem voluntatem regis facturos, tributum etiam præſentandum,equos ſcilicet CCC per ſingulos annos.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLVIII, natus eſt Pipino regi filius, cui ſupra dictus rex nomen impoſuit,qui vixit annos duos, & in tertio defunctus eſt.Eodem anno celebrauit Natalem Domini in Longolare,& Paſcha in Iopilia.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLX, Pipinus rex cernens Vaifarium ducem Aquitanorum minime conſentire, vt iuſtitias faceret eccleſiis, quæ erant in Francia, de rebus & poſſeſſionibus illarum quæ in ſuo ducatu erant; iniit conſilium cum Francis,vt iter pergeret in Aquitaniam,& ſupra dictas iuſtitias quæreret: & peruenit vſque in locum,qui dicitur Theodoad. Quod cum cognouiſſet Vaifarius, timore perterritus, mittit legatos Otbertum & Dauninum,& dedit obſides ad Algarium ſuum propinquū,& mandauit Pipino,ſe omnia redditurū, quicquid ſupra dictus rex quærebat in cauſis eccleſiaſticis,& celebrauit Natalem Domini in Cariſiaco,& Paſcha ſimiliter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXI, Vaifarius minime cogitans de obſidibus & ſacramentis datis, vt ſe vindicaret de iniuria quam à Francis præterito anno ſuberat perpeſſus, exercitum miſit, qui vſque ad Cabillonem ciuitatem venerunt,vaſtantes omnia. Et cum ſupra dictus rex ſynodum teneret in villa quæ dicitur Duria, nunciatum eſt ei quod Vaifarius perpetraſſet: protinus exercitum mouit,& Aquitaniam ingreſſus,multa caſtella cepit,ſcilicet Burdellum,Clarum montem,Cantellam, Auernen. & peruenit vſque ad Leonidicas vaſtando omnia, & celebrauit Natalem Domini in Cariſiaco,& Paſcha ſimiliter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXII, tertio rex Pipinus Aquitaniam cum exercitu vaſtauit, & cepit ciuitatem Biturigas, & caſtrum quod dicitur Toarcis, & celebrauit Natalem Domini in villa Gentiliaco,& Paſcha ſimiliter.

Anno Dominicę incarnationis DCCLXXIII, rex Pipinus habuit placitum ſuum in Niuernis, & quarto ingreſſus eſt Aquitaniam, ibique Thaſſilo dux Baioariorum poſtpoſitis ſacramentis, fraudulenter ſe inde ſubduxit, omnia beneficia oblitus, quæ rex auunculus eius ei fecerat, & Baioariam ingreſſus ſupra dicti regis faciem amplius videre nolūit. Rex autem Aquitaniam perluſtrans vſque ad Caduriciam venit,& per Leonidicas reuerſus in Franciam venit. Et facta eſt hyems valida, & celebrauit rex Natalem Domini in villa quæ dicitur Longlare,& Paſcha ſimiliter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXIIII, rex Pipinus habuit placitum ſuum in Worma-

Wormatia,& cauſam diligenter pertractauit inter Vaifarium & Thaſſilonem: celebrauit Natalem Domini in Cariſiaco,& Paſcha ſimiliter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXV, rex placitum ſuum habuit apud Attiniacum,& eodem anno ſicut ſuperiori nuſquam profectus eſt. Celebrauit autem Natalem Domini in Aquis villa,& Paſcha ſimiliter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXVI, rex Pipinus perrexit in Aquitaniam,& placitum ſuum habuit in Aurelianis ciuitate, & reſtaurauit Argentonium caſtrum, quod antea à Vaifario fuerat deſtructum, ibiq́ue Francos dimiſit ad continendam Aquitaniã,ſimiliter & in Biturigibus fecit, & celebrauit Natalem Domini in Salmoniaco,& Paſcha in Gentiliaco.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXVII, rex in ſupra dicta villa ſynodum magnam habuit inter Romanos & Græcos de ſancta Trinitate,& de ſanctorum imaginibus,& poſt hæc Aquitaniam ingreſſus eſt per Narbonam. Cepit autẽ Toloſam & Ganaldanem,& celebrauit Paſcha in ciuitate Vienna. Eodem anno,menſ. Auguſt. iterum Aquitaniam ingreſſus vſque Biturigas venit, ibiq́ue ſynodum tenuit, & inde profectus vſque ad Garonnam venit, multas rupes & ſpeluncas cepit,nec non caſtra Scoraliani, Forunam & Petrociam,& reuerſus eſt Biturigas. Ibi nunciatum eſt ei de obitu Pauli papæ:ibi etiam celebrauit Natalem Domini.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXVIII, rex Pipinus iter faciens Rheni ſtagnum cepit,ad Santones ciuitatem vſq; peruenit, & ibi cepit matrem Vaifarij & ſororem eius,& neptes eius. Inde perrexit in locũ qui dicitur Montes,ibi Heriduicus venit ad eum,qui habebat aliam ſororẽ Vaifarij, & inde reuerſus Paſcha celebrauit in caſtro quod dicitur Sles. Poſt hæc aſſumẽs ſecum Bertradam reginam ad Santones ciuitatem peruenit,ibiq; reginam cum famulis dimiſit, & Petragoricum perrexit,& interempto Vaifario, cum triumpho victoriæ ad Santones reuerſus eſt, ibiq; moram faciens poſt aliquot dies ægrotare cœpit,& inde profectus Turones venit,ad oratorium ad ſanctum Martinum perrexit, inde egreſſus Pariſios ad ſanctum Dionyſium vix peruenit, ibiq́ue diem clauſit extremum,VIII idus Auguſti. Et dominus Carolus & Catolomanus eleuati ſunt in regnum, Carolus in Nouiona ciuitate,Carolomanus in Sueſſione,VII idus Octob. Et celebrauit Carolus Natalẽ Domini in Aquis,Paſcha in Roterdama ciuitate.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXIX, Carolus rex Aquitaniam cum exercitu intrauit,eo quod Hunaldus diſpoſuiſſet rebellare,& totam Aquitaniam & Vaſconiam, auxiliante Deo, in deditionem recepit, & Hunaldi iniqua conſilia diſſipauit. Inde digreſſus ad Colonienſem ciuitatem venit, & inde ſumpſit plures Francorum cum armis, & omnibus vtenſilibus eorum, & abiit ſuper flumen Dorhdoniam, & ædificauit ibi caſtrum quod dicitur Fronticus, & in dicto præſidio Francos collocauit. Deinde miſſos direxit ad Lupum Vaſconem mandans, vt ſibi Hunaldum cum vxore repræſentaret, qui ad eum confugerant. Adductus eſt prædictus Hunaldus cum vxore ad nominatum caſtrum. quem cum recepiſſet,in Franciam reuerſus eſt,& celebrauit Natalem Domini in Duria,& Paſcha in Leodio vico publico.

Anno dominicæ incarnationis DCCLXX, Carolus habuit ſynodum in Wormatia ciuitate,& Berta regina perrexit in Baioariam,& inde Italiam ingreſſa eſt, & rex celebrauit Natalem Domini in Moguntia,& Paſcha in Heriſtellio.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXI, Carolus rex ſynodum habuit ad Valentinianas,& eodem anno Carolomanus rex defunctus eſt in villa Salmontiaco II nonas Decembris. Venit autem Carolus ad villam Carboniacum, vbi venit ad eum Volcarius & Folradus capellani cum aliis epiſcopis & ſacerdotibus, Werinus & Adalhardus comites,cum aliis primatibus, qui fuerunt Carolomani. Vxor vero Carolomani, cum perpaucis Francis partibus Italiæ perrexit: & celebrauit rex Natalem Domini in Attiniaco & Paſcha in Heriſtellio.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXII, Carolus rex ſynodum habuit in Wormatia, & inde perrexit in partes Saxoniæ, & primo impetu Heresburg caſtrum cepit, & ad Hermanſaul vſque peruenit, & ipſum fanum deſtruxit, & aurum & argentum quod ibi reperit,abſtulit. Erat autem tunc ſiccitas magna,ita vt aqua deficeret in ſupra dicto loco, & dum vellet ibi rex duos aut tres dies manere, vt prædictum fanum fundi-

tus destruere posset, & aqua exercitui deesset, subito, diuina largiente gratia, omnibus insciis, in quodam torrente aquæ effusæ largissime, ita vt omnis exercitus sufficienter haberet. Destructo fano, rex super Wiseram fluuium venit, & ibi cum Saxonibus placitum habuit, & accepit XII obsides, & reuersus est in Franciam, & celebrauit Natalem Domini in Heristellio, & Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXIII, rex peruenit ad hyemandum in Theodonis villa, vbi eum adiit missus Adriani papæ nomine Petrus, inuitans eum vna cum Francis, vt pro Dei amore, seu pro iustitia sancti Petri acquirenda, super Desyderium & Langobardos veniret. Venit præfatus legatus per mare vsq; in Massiliam, inde per terram vsq; ad regem: & ideo per mare venit, quia viæ clausæ fuerunt à Langobardis, Romanis. Tunc rex fideles consuluit, vtrum petitionibus Apostolicis assensum præberent. Omnibus hoc collaudantibus, illas in partes profectus est, Genuamq; ciuitatem veniens synodum tenuit, & ibi exercitum diuisit in duas partes. Ipse cum vna parte per montem Cinysium perrexit, & misit Bernardum auunculum suum cum reliqua parte per montem Iouis. Coniunxerunt autem se vterq; exercitus ad Clusas. Quod cum cognouisset Desyderius, regi & Francis cum armatis occurrit. Tunc rex castra posuit ad easdem Clusas, & misit occulte vnam scaram de electis viris per montana. Hoc sentiens Desyderius statim Clusas reliquit, & quam citius potuit, Papiam ingressus est. Rex autem cum omnibus, auxiliante Domino, & intercedente beato Petro, sine læsione Italiam ingressus est, & cum ad Papiam peruenisset, Desyderium intri insecus latitantem obsedit, ibiq; in suis castris celebrauit Natalem Domini, & Pascha in Roma.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXIV, rex dum in illis partibus pro huiusmodi negotio moram faceret, Saxones occasione accepta, postpositis sacramentis in finibus Francorum impetum fecerunt, & vsque ad castrum quod nominatur Buriaburg, venerunt: quorum aduentum incolæ loci persentientes, in iam dictam munitionem se receperunt. Igitur cum prefata gens sequiens cœpisset forinsecus villarum ædificia concremare, venerunt ad quandam basilicam, in loco qui dicitur Friedislar, quam sanctæ memoriæ Bonifacius martyr consecrauit, atque per Propheticũ spiritum prædixit, quod nunquam incendio cremaretur. Cœperunt autem præfati Saxones omni intentione certare aduersus eandem basilicam, quemadmodum eam per quodlibet ingenium igne cremare potuissent. Et dum hæc agerent, apparuere quibusdam Christianis qui erant in castello, simul quibusdam paganis qui in eodem erant exercitu, duo iuuenes in albis vestimentis, qui ipsam basilicam ab igne protegebant, & propterea nõ potuerunt neque interius neq; exterius ignem accendere. Interea nutu diuino maiestatis pauore perterriti, in fugam conuersi sunt, nemine persequente. Inuentus autem est postea vnus ex eisdem Saxonibus mortuus iuxta ipsam basilicam, flexis genibus, accliuis supra pedes, habens ignem & ligna in manibus, & velut ore flaret ipsam basilicam cremare. Dum hæc aguntur, Carolus à Roma reuersus venit Papiam, ipsamque ciuitatem armis cepit, insuper Desyderium regem cum vxore sua & filia, omnem thesaurum palatij. Ibique venientes omnes Langobardi de cunctis ciuitatibus Italiæ, eius se subdiderunt dominationi. Adalgisus vero filius Desyderij regis fuga lapsus, mare introiuit, & Constantinopolim perrexit. Carolus subiugata Italia & ordinata, custodiam Francorum in Papia dimittẽs, cum magno triumpho in Franciam reuersus est; & cum venisset in locum qui dicitur Ingelheym, misit quatuor scaras in Saxoniam. tres pugnas cum Saxonibus inierunt, & Deo auxiliante, victores extiterunt; quarta vero scara non habuit pugnam, sed capta præda magna reuersi sunt in Franciam. & celebrauit rex Natalem Domini in Carisiaco, & Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXV, rex habuit synodum in villa quæ dicitur Duria, & inde Saxoniam pergens Sigiburgh castrum cepit, Heresburch reædificauit. Super Wisaram fluuium venit in locum qui dicitur Brunisberg, vbi occurrerunt ei Saxones volentes ripam supra dicti fluminis defendere. Auxiliante Deo, & Francis decertantibus, fugatis Saxonibus, Franci ambas ripas occupauerũt, & multi Saxones occisi sunt. Tunc rex diuidẽs exercitum, sumpsit secum partem, perrexitq; vsq; ad Obaccrum fluuium: vbi omnes orientales Saxones venientes cum Hassinone duce eorum, dederunt obsides iuxta quod placuit regi, & iurauerunt sacramenta. Simul eo reuertẽte

venerunt

venerunt Angrarij in pagum qui dicitur Bucki, vna cum Brunone duce eorum, & fecerunt ſicut orientales Saxones fecerant. Interea cum Francis qui ſuper fluuium Wiſaram remanſerant, Saxones pugnam commiſerant, & Deo largiente Franci victoria potiti ſunt, & plures ex Saxonibus interfecti ſunt. Hæc audiẽs rex, iterum ſuper Saxones cum exercitu irruens multam ſtragem fecit, & prædam copioſam cepit ſuper Weſtphalos, & coacti obſides dederunt. Obſidibus itaque receptis, & prẽda multa capta, rex in Franciam reuerſus, vbi nunciatum eſt ei, quod Rotgandus Langobardus, poſtponens fidem & ſacramẽta, aduerſus eum rebellare diſponeret, ſtatim illis in partibus iter arripuit, & celebrauit Natalem Domini in villa quæ dicitur Schletſtat in Elſatio.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXVI, Carolus rex Italiam ingreſſus, Foroiulij partes petiuit, Rotgandum rebellem captum decollari iuſſit, ad Taruiſium ciuitatem venit, ibiq; Paſcha celebrauit, & ordinatis rebus, derelictis cuſtodibus ex Francis, in ciuitatibus quæ aduerſus eum ſenſerant, in Franciam cum proſperitate reuerſus eſt. Interea Saxones cognita abſentia regis, more ſolito, ruptis ſacramentis in vnum conglobati Heresburgk caſtrum aggrediuntur, fraudulenter Francis ſuadent, vt de caſtro exeant, & cum pace in patriam pergant. Sed cum illi fallacibus verbis (moniti ſunt) minime aſſenſum præberent, machinas præparant, munitionem obſidione cingunt, & ſummis viribus certant, ſed nihil proficiunt. Quadam itaque die cum iterum rediuiuo certamine bellum paraſſent, apparuit gloria Dei manifeſte ſupra domũ eccleſiæ, quæ erat infra ipſum caſtrum, videntibus multis tam Chriſtianis quam Paganis. Nam duo ſcuta apparuerunt ſupra præfatam baſilicam, ſanguineo colore flammantia, & velut in prælio quibuſdam motibus agitantia. itaque Pagani hoc ſignum aſpicientes timore & formidine repleti, mox in fugam conuerſi ſunt, & in tantam amentiam deuenerunt, vt ſtrictis gladiis, mutuis armis ſe confoderent. Quanto vero illi plus pauore perterriti fugerunt, tanto magis Chriſtiani confortati, omnipotentem Dominum laudabant, qui ſaluos facit ſperantes in ſe. Ex prædicto igitur loco cum tanta confuſione diſcedentes, venerunt ad aliud caſtrum quod appellatur Deſuburgh, vbi voluerunt ſimiliter facere, ſed Deo auxiliante, Franciſque eis viriliter repugnantibus, nihil præualuerunt. Oppidani vero perſecuti ſunt eos vſque ad flumen quod Lippa dicitur, & multos ex eis interfecerunt. Itaq; rex Wormatiam veniens, ſynodum placitumq; publicum ibi tenuit, & concilio ſoluto, mox Saxonum fines penetrauit, & velut ingens tempeſtas omnia proſternit, munitiones irrumpit. Saxones perterriti ad locum vbi Lippa oritur, venerunt, ibi ſe ſuamq; patriam regi tradiderunt, & ſpoponderunt ſe Chriſtianos eſſe debere. Tunc rex vna cum Francis reſtaurauit Heresburgh caſtrum, & aliud caſtrum ſuper Lippam, vbi venientes Saxones vna cum vxoribus paruulis innumerabilis multitudo baptizati ſunt in nomine ſanctæ Trinitatis. Poſt hęc obſides quãos rex expetiit dederũt. reformatis autem caſtellis, cuſtodiisq; diſpoſitis, Carolus in Franciam reuertitur, & celebrauit Natalem Domini in Heriſtellio, & Paſcha in Nouiomago.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXVII, rex Saxoniam ingreſſus placitum tenuit in loco, qui dicitur Padresbruna: vbi omnes Saxones conuenerunt, excepto Widichindo, qui cum paucis Saxonibus in partibus Nortmaniæ confugit. In eundem etiam locum venerunt Sarraceni de partibus Hiſpaniæ, quorum hęc ſunt nomina, Ibina, Iarabi & filius Denizeſi, qui Lammeioſeph nominabatur, & gener eius, vbi etiam multitudo Saxonum baptizati ſunt, & ſacramenta ſecundum conſuetudinem dederunt, vt perderent ingenuitatem & omnem hæreditatem, niſi conſeruarent ſuſceptam Chriſtianitatem, & promiſſam fidelitatem regis & filiorum eius, nec nõ etiam & Francorum. Carolus in Franciam reuerſus celebrauit Natalem Domini in Duciato, & Paſcha in Aquitania, in villa quæ dicitur Caſinogilo.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXVIII, Carolus cum exercitu Hiſpaniam ingreſſus eſt. Venit enim primo ad Pampilonam ciuitatem, deinde ad Cæſarauguſtanam vrbem perrexit, vbi innumerabilis multitudo de partibus Burgundiæ, & Auſtraſiæ, vel Baioariæ, ſeu prouinciæ, & Septimaniæ, pars etiam Lãgobardorum in auxilium Francorum cõuenerunt. Obſidione itaq; ciuitatis territi Sarraceni obſides dederunt, & immenſum pondus auri. Eiectis itaque Sarracenis de Pampilona, murisq; eiuſdem ciuitatis dirutis, Vaſconibusq; ſubiugatis, in Franciam reuertitur. Interea Saxones au-

dientes, quod Carolus cum Francis tam longa terrarum ſpacia ab eis eſſet ſeparatus, ſuadente Widichindo, ſecundum conſuetudinem iterum rebellati ſunt, & ad Duriam caſtrum (quod Coloniæ ciuitati contiguum eſt) vſque venerunt, cędibus, rapinis, & incendiis omnia deuaſtantes. Quod cum nunciatum eſſet regi reuertenti, etiam commoranti Antiſſiodoro ciuitate, miſit idem princeps ſcaram vnam ex electis viris, qui eorum violentiæ reſiſterent. Saxones audientes incolumitatem regis & aduentum Francorum, in fugam conuerſi ſunt: quos Franci è veſtigio ſequentes, repererunt eos ſuper fluuium cuius vocabulum eſt Adarna, in loco qui dicitur Liheſi, vbi pugna cœpta & finita. Franci, auxiliante Deo, victores extiterunt, & multitudo Saxonum eſt ibi occiſa. & celebrauit rex Natalem Domini in Heriſtellio & Paſcha ſimiliter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXIX, Carolus venit in villam quæ dicitur Compendium, vbi ſe obtulit Hildebrandus Spoletanorum dux cum muneribus, eiuſque dominationi ſe ſubdit Eodem anno ſynodum tenuit in Duria, & poſt hæc Saxoniam ingreſſus vſque ad Lippam venit. Conati ſunt autem Saxones reſiſtere in loco qui dicitur Bucholtz, ſed nihil prævaluerunt. Aperta autem via Weſtphalos ſubiugauerunt, & omnes Saxones qui vltra Wiſaram commorabantur. Veniens autem rex in locum qui vocatur Medofulli, accepit obſides & ſacramenta à Saxonibus qui ab eodem defecerant, & reuerſus eſt in Franciam, & celebrauit Natalem Domini in Wormatia ciuitate, & Paſcha ſimiliter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXX, Carolus Saxoniam ingreſſus ad Heresburgk venit, & inde ad locum vbi Lippa conſurgit, & ibi ſynodum tenuit. Inde progreſſus ad Albiam fluuium venit, & in ipſo itinere Bardonganenſes, & multi de Nortlindis baptizati ſunt in loco qui dicitur Horheym, vltra Obaccrum fluuium, & peruenit vſque ad locum vbi lora confluit in Albiam. Diſpoſitis itaq; tam Saxonibus quam Sclauis, in Franciam reuerſus eſt. Inito autem conſilio, vt Romam pergeret orationis cauſa, vna cum coniuge Hildegarde, celebrauit Natalem Domini in Papia ciuitate.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXI, Carolus iter pergens celebrauit Paſcha in Roma & ibi baptizatus eſt filius eius Pipinus ab Adriano papa, qui & ipſe eum de ſacro fonte ſuſcepit, & duo filij eius à ſupra dicto pontifice inuncti ſunt in reges, idem Pipinus ſuper Italiam, Ludouicus ſuper Aquitaniã. Inde reuerſus venit Mediolanum, vbi baptizata eſt filia eius Gliſla ab archiepiſcopo Thoma, qui & ipſe eam à ſacro fonte leuauit. His ita peractis, reuerſus eſt in Franciam. Per id tempus legati Apoſtolici, Formoſus & Damaſus epiſcopi, cum miſſis regis Siculfo capellano & Eunardo magiſtro pincernarum, directi ſunt ad Thaſſilonem ducem: commonentes & conteſtantes ex auctoritate Apoſtolica, vt recordaretur priorum ſacramentorum, & non aliter faceret, niſi ſicut iureiurãdo iam dudum promiſerat Pipino regi & filiis eius. His admonitionibus conſenſit Thaſſilo, & ſumptis obſidibus ad regem venit Wormatiam, vbi renouauit ſacramẽta, & dedit duodecim obſides: ſed non diu præfatus Thaſſilo promiſſa conſeruauit. Celebrauit autem rex Natalem Domini in Cariſiaco & Paſcha ſimiliter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXII, Carolus Coloniam veniens, Rhenum tranſiit, & ſynodum tenuit, vbi Lippa conſurgit: vbi omnes Saxones conuenerunt, excepto rebelle Widichindo. Illuc etiam venerunt legati Godefridi regis Nortmanorum & Altdeni & Hoſmundus, nec non etiam legati Auarorum miſſi à Cacano & Iugurro. Peracto placito reuerſus eſt rex in Franciam. Saxonẽs iterum fidem violant, arma corripiunt, ſuadente Widichindo. Rex autem ea tempeſtate miſerat nuncios ſuos ad Adalgiſum, & Geilonem atque Conradum, viros potentes, vt ducerent exercitum Francorum & Saxonum ſuper Sclauos paucos, qui adhuc rebelles erant. Supra dicti vero principes, cum iam in itinere eſſent, audientes quod Saxones rebellaſſent, ſuper eos arma verterunt, & commiſſo prælio multos ex eis interfecerunt. in qua pugna duo duces ceciderunt, videlicet Adalgiſus, & Geilo, in monte qui dicitur Suntdal. Hoc audiens imperator cum Francis, quos ſub celeritate congregare potuit, illuc perrexit, & peruenit vſque ad locum, vbi Alara confluit in Wiſaram. Tunc omnes Saxones iterum conuenientes ſubdiderunt ſe ſub poteſtate ſupra dicti regis & reddiderunt ſeditioſos, qui illam rebellionem maxime terminauerunt, ad occidendum quatuor millia quingentos viros. Widichinder vero partibus Nortmaniæ aufugit. Interfectis

fectis itaque seditiosis, exilioque damnatis, rex in Franciam reuersus est, & celebrauit Natalem Domini in Theodonis villa, & Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXIII, obiit Hildegardis regina pridie calendas Maij, quod euenit tunc in vigilia Ascensionis Domini. & rex iterum Saxoniam ingressus est, eo quod Saxones rursum rebellassent, & cum paucis Francis ad Thietmalli venit: ibi Saxones parauerunt pugnam in campo viriliter. Tunc rex cum Francis super eos irruit, & magnã stragẽ ex eis fecit, ita vt perpauci fuga elaberentur. Post peractam victoriam venit rex ad Paderbrunnam, vbi coadunato exercitu, denuo super Saxones irruit, qui se sociauerant super fluuium cuius vocabulum est Asa. vbi iterum pugna inita non minor numerus Saxonum cecidit, quam in superiori prælio ceciderat. Tunc rex Wisaram transiit, & ad Albiam vsque peruenit. Post hæc in Franciam reuertitur. Eodem anno obiit Bertha regina IV idus Iulij. Et cum Wormatiam peruenisset rex, sociauit in matrimonium Fastradanam reginam, & celebrauit Natalem Domini in Heristellio, & Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXIV, Carolus ingressus est Saxoniam, eo quod iterum rebellasset, & cum eis aliqua pars Frisonum, & peruenit vsque ad Huculin, circumeundo & vastando omnia. Erat autem nimia inundatio aquarum. Ipse igitur per Thuringiam ab orientali parte intrauit super Hostfalos. Porro filium Caroli dimisit cum valida manu contra Westphalos. Itaque rex Thuringiam ingressus, peruenit vsque ad fluuium Albiæ, & inde ad Tagniofurt, deinde ad Scanminge, ex quo loco reuersus est in Franciam. Westphali vero congregauerunt se iuxta Lippam, quibus occurrit filius regis in pago qui dicitur Dragim, & inierunt pugnam: quibus viriliter superatis reuersus est Wormatiam ad genitorem suum. Rex itaque consultis fidelibus, iterato hyemis tempore, Saxoniam intrauit, & celebrauit Natalem Domini iuxta Kichrisburch Winzzagani super fluuium Ambra in villa quæ dicitur Linhidi.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXV, rex vsque Adrine peruenit super fluuiũ Wisaram, vbi confluit Waahna, & propter nimiam inundationem aquarum, inde reuersus est Heresburgh, vbi vxorem suam Fastradanam cum filiis & filiabus venire iussit, & ibi tota hyeme resedit, ibi etiam Pascha celebrauit: & multis vicibus scaras per Saxones misit, & eorum castra deprædatus est, & in Maio synodum ad Paderbrunnam habuit, & inde iter pergens, nullo contradicente, totam Saxoniam circumiuit. Venit autem in Bardenguni, & inde misit post Widichindum & Albionem, & vtrosq; ad se fecit venire: quos sacramento firmauit, vt in Franciam ad eum venirent. Qui acceptis obsidibus, ad Attiniacũ ad regem venerunt, ibiq; baptizati sunt, & tunc tota Saxonia subiugata est Francis, & in eadem villa celebrauit rex Natalem Domini & Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXVI, Carolus misit exercitum suum partibus Britanniæ, vna cum misso suo Odulpho principe Cacorum: vbi multa castella acquisierunt Franci, & eorum primates repræsentauerunt Wormatiam regi in publico conuentu. Tunc rex videns se ex omni parte pacem habere, Romam perrexit orationis causa, & vt ibi cum missis imperatoris colloquium haberet, & celebrauit Natalem Domini in Florentia ciuitate.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXVII, Carolus Romam venit, & à pontifice Adriano susceptus est. vbi aliquot dies moratus est. Quod cum audisset Heregisus dux Beneuentanorum, timore perterritus, misit Romaldum filium suum cum magnis muneribus ad regem, postulans pacem & promittens, se omnem voluntatem eius facturum. Sed his suasionib. minime Apostolicus credidit, sed magis hortatus est regem, vt Beneuenti fines intraret, quod & fecit. Et cum Capuam venisset, Herigisus reliquit Beneuentum, & in Salernum secessit, ibiq; se muniuit. Exinde misit filium suum Grimaldum (nam Romaldum rex secum retinebat) cum magnis muneribus offerens obsides, & promittens omnem fidelitatem, tantum ab impugnatione cessaret. Tunc rex cum consulto fidelium & sacerdotum, ne penitus episcopatus & monasteria deuastarentur, elegit XII obsides, & XIII filium supra dicti ducis Grimaldum, & accepit munera, & iurauerunt ei omnes Beneuentani, & reuersus est Romam, ibique celebrauit Pascha cum præsule sedis Apostolicæ. Venerunt etiam in eodem loco missi Thassilonis, Arnus episcopus, & Henricus abbas, rogantes papam, vt pacem faceret, litemque

terminaret inter Carolum regem, & Thassilonem ducem, ex qua causa multum coarctatus est Apostolicus. Rex autem ad postulata respondit se per multa tempora quęsisse, sed minime obtinere potuisse: ne tamen inobediens videretur esse monitis Apostolicis, asseruit se in eiusdem papæ præsentia cum eisdem missis pacem velle firmare. Illis autem renuentibus atque dicentibus non se audere pro seniore diffinitiuam proferre sententiam, neque se ad hoc destinatos esse: videns Apostolicus ficta mendacia, & cognoscens instabilitatem ducis, iratus anathematizauit prædictum Thassilonem, & omnes illi fauentes, nisi fidelitatem, quam regi Pipino & filio eius Carolo promiserat, per omnia obseruarent: contestans per eosdem missos eundem virum, & monens, ne per eius obdurationem & perfidiam sanguis Christianorum funderetur, & terra deuastaretur: & si ipse dux nullatenus obedire vellet, tunc Carolus & exercitus eius absoluti essent à Deo & sancto Petro, & quicquid in ducatu eius perpetratum esset incendiis & homicidiis vel qualicunque malitia, totum hoc in Thassilonem & socios eius verteretur, & rex & Franci persistant innoxij. His verbis absolutis missis Thassilonis, rex oratione ad limina Apostolorum completa, & benedictione percepta, in Franciam gressum dirigit, & Wormatiam, vbi erat Fastradana coniunx eius, peruenit: vbi synodum congregauit, & manifestauit sacerdotibus & optimatibus regni causas itineris, & qualiter versutia Thassilonis coram summo pontifice esset deprehensa. Misit itaq; cum consulto fidelium ad eundem Thassilonem monens, vt Apostolicis adhortationibus obtemperaret. qui cum nollet obedire, rex partibus Bauariæ exercitum mouit, & venit in locum qui dicitur Lechfeld, super ciuitatem Augustam, & venerunt orientales Franci & Thuringi & Saxones super Danubium in loco qui dicitur Faringa. Porro Pipinus rex de Italia cum exercitu venit Tridentum. Tunc perspiciens Thassilo se ex omni parte esse circumdatum, & videns, quod Baioarij magis essent fideles Carolo, q̃ sibi, vndique coarctatus venit ad eum, tradens se manibus eius, ad seruitium reddens ducatum Pipino regi sibi commissum, & se in omnibus peccasse, & male egisse confessus est, & denuo renouans sacramenta dedit duodecim obsides electos, & tredecimum filium suum Theodonem. Rex receptis obsidibus, reuersus est in Franciam, & celebrauit Natalem Domini in Ingelnheym, & Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXVIII, rex congregauit synodum in præfata villa, ibiq; venit Thassilo. Cœperunt autem eum Bauari accusare, quod fidem promissam violasset, suadente vxore Luitburga. Obiecta vero Thassilo denegare non potuit, sed conuictus est ad Auaros transmisisse, & in vitam fidelium regis conciliatum fuisse. Ad vltimum tamen confessus est se dixisse, si decem filios haberet, omnes mallet amittere, quam ita manere, sicut iurauerat. Ex iis & aliis multis, ab omnibus diiudicatus est ad mortem. Et cum omnes capitalem sententiam proclamarent, rex misericordia motus, eo quod consanguineus eius esset, obtinuit ab ipsis Dei & suis fidelibus, ne moreretur. Interrogatus ergo à rege quid agere vellet, terræ prostratus licẽtiam in monasterium intrãdi expetiit, vt ibi peccata sua deplorare potuisset. Similiter & filius eius Theodo fecit. Igitur attõsi sunt, & in monasterium missi. Pauci Baioarij qui cum Thassilone senserant, in exilium sunt missi. Eodem annó commissum est bellum inter Græcos & Langobardos, ducibus Hildebrando Spoletano, & Grimaldo Beneuentano, & Winegiso à rege directo cum Francis: & fugati sunt Græci, & victores extiterunt Franci & Langobardi. Per id tempus pugna commissa est inter Auaros & Francos qui in Italia habitabant, & Deo largiente victoriam obtinuerunt Franci. Tertia pugna commissa est inter Auaros & Baioarios in campo Iboræ, & fuerunt ibi missi regis Grahamanus, & Odoacer cum aliquibus Francis, & Deo auxiliante victoria fuit Francorum seu Baioariorum. Hæc omnia supra dictus Thassilo & vxor eius Luitburga terminauerunt. Quarta pugna fuit contra Auaros, qui voluerunt vindicare eos qui in prælio superius dicto conciderant: sed Deo adiuuante, victoria Christianis cessit. Post hæc Carolus Ratisbonam venit, ibiq; marcas & fines Baioariorum disposuit, indeque reuersus est in Franciam, & celebrauit Natalem in Aquis Palatio, & Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXIX, rex Rhenum Coloniæ transiit, & Saxoniam ingressus, vsq; Albiam fluuium venit, ibiq; duos pontes construxit, & ex vtraque parte pontis castra fecit ex lignis & terra, & inde progressus Sclauorum fines intrauit,

trauit,& Sclauos vocabulo Wilzi suo dominio subiugauit. Fuerunt autem cum eo in eadem expeditione Franci & Saxones. Frisones vero nauigio venerunt per Habolam fluuium. Fuerunt autem cum eo Sclaui, Vrbi, & Abotrudi, quorum princeps vocabatur Wizan. Obsidibus itaque receptis, reuersus est in Franciam, & celebrauit Natalem Domini Wormatiæ, & Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXC, nullum iter rex fecit, sed in prædicta ciuitate rex celebrauit Natalem Domini, & Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXCI, Carolus ad partes Baioariorum perrexit, & Ratisbonam peruenit, vbi & exercitum suum conuenire iussit, ibique cum consilio optimatum regni disposuit ire in Auarorum regnum propter malitiam intolerabilem, quam in Gallorum populos gesserunt & ecclesias Dei. Venit ergo cum exercitu vsque ad Anisam fluuium, vbi triduanum ieiunium cum litaniis fecerunt, postulantes pro salute exercitus & adiutorium Dei, & vindictam inimicorum. Rex itaque littora Danubii de Australi parte tenuit: Saxones autem cum quibusdam Francis, & plurima multitudine Frisonum de Aquilonari, & ita pergentes peruenerunt, vbi iam dicti Auari habebant munitiones paratas de Australi parte ad Chunberg, de Aquilonari vero ripa, in loco qui dicitur Camp. (sic enim nominatur ille fluuius, qui ibi influit in Danubium) Itaque Auari cum ex vtraque ripæ parte vidissent exercitum, & classem per medium fluuium venientem: tantus terror, Deo faciente, illos inuasit, vt dimissis præsidiis munitionum, fugæ latibula quærerent, & sic, Christo duce, vterque exercitus absque læsione Pannoniam introiuit. Peruenit autem rex vsque ad fluuium qui dicitur Raba, omnia cædibus, incendiis, rapinisq; deuastans, & inde reuersus Ratisbonam, celebrauit ibi Natalem Domini & Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXCII, Feliciana hæresis condemnata est. quem Felicem Engelbertus in præsentiam Adriani pontificis adduxit, & post confessionem hæresin abdicauit. Et eodem anno nulla expeditio facta est, sed tamen super naues ad flumina transeunda, compactus est pons anchoris & funibus, ita cohærens, vt iungi & dissolui possit: & celebrauit rex Natalem Domini Ratisbonæ.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXCIII, Carolus Ratisbonam proficiscens, ad Fossatum magnum inter fluuios Alemonon & Radinzam venit, ibiq; summi pontificis missi cum magnis muneribus in præsentiam eius venerunt. Ibi etiam nunciatum est ei Saxones iterum more solito fidem & promissa violasse. Inde nauigio per Radinzam Mogonum fluuium ingressus, Natalem Domini celebrauit in Wirtzeburch.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXCIV, celebrauit rex Pascha in Francofurt, ibique congregauit synodum magnam episcoporum, Gallorum, Germanorum & Italorum; vbi fuerunt missi apostolici, Theophilus & Stephanus episcopi. In hac synodo tertio condemnata est hæresis Feliciana, quam damnationem per auctoritatem sanctorum patrum in libro conscripserunt, quem librum omnes sacerdotes manibus propriis subscripserunt. Eodem tempore Fastradana regina obiit, & in monasterio sancti Albani honorifice sepulta est. Pseudosynodus Græcorum, quam pro adorandis imaginibus fecerant, à pontificibus reiecta est. Rex autem post hęc diuiso in duas partes exercitu, Saxoniam ingressus est, ipse per Thuringiam, Carolus vero filius eius Coloniæ Rhenum transiit. Tunc Saxones congregantes se in loco qui dicitur Finisfelt, præparauerunt se ad pugnam. Cum vero audissent se ex duabus partibus esse circundatos, dissipauit Deus consilia eorum, quãuis fraudulenter Christianos se esse, & fideles regi promiserunt. Rex in Franciam reuersus celebrauit Natalem Domini in Aquis palatio, & Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXCV, rex venit Moguntiam, ibique tenuit placitum suum in villa quæ dicitur Cuffinstein, in suburbio eiusdem vrbis. Audiens vero q̃ Saxones secundum consuetudinem promissionẽ suam, quam de obseruanda Christianitate & fidelitate regis tenenda fecerant, irritam fecissent, cum exercitu Saxoniam intrauit, & vsque ad fluuium Albiam peruenit ad locum qui dicitur Hiliuni, in quo iisdem diebus Wirzam Abrotitorum rex à Saxonibus occisus fuerat: ibi etiam venerunt missi à Thudone, qui in gente & regno Auarorũ magnam potẽstatẽ habebat, affirmantes q̃ idem Thudon cum terra & populo suo se regi dare vellet, & eiusdem ordinatione

Christianam fidem susciperе. rex itaque afflictis magna ex parte Saxonibus, eorumque terra vastata, acceptis obsidibus in Franciam rediit, & celebrauit Natalem Domini Aquis, & Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXCVI, Adrianus papa obiit, & Leo mox in pontificatu successit, statimq; misit regi legatos cum muneribus, claues etiam cõfessionis sancti Petri, & vexillum Romanę vrbis direxit. Henricus dux Foroiulianorum missis hominibus cum Wonomiro Sclauo in Pannoniam, Iringum gentis Auarorũ principem, longis retro temporibus, qui eum ciuili bello, fatigatis inter se principibus, improuise expoliauit. Caganus & Iuguro intestina clade interempti sunt. Thesaurum priscorum regum multa seculorum prolixitate collectum, idem dux Carolo ad Aquis palatium misit; quo accepto, peracta largitori omnium bonorum gratiarum actione, magnam partem inde Romam ad limina Apostolorum misit per Angelbertum abbatem; porro reliquam partem optimatibus, clericis siue laicis, cæterisq; fidelibus suis largitus est. Per id tempus Thudon secundum promissionem suam, cum magna parte Auarorum ad regem venit, se populum suum, & patriam regi tradidit, ipse & populus eius baptizatus est, & muneribus susceptis redierũt ad propria. Eo tempore rex cum exercitu Saxoniam intrauit, & Pipinus rex in Pannoniam cum exercitu introiuit. Venit autem legatio Pipini regis ad patrem in Saxoniam, quæ dixit Auaros post interfectionẽ priorum ducum super se constituisse regem nomine Karam, & Pipinus contra eum certare disponeret. Rex peragrata Saxonia, in Franciam se recepit, & in Aquis palatio filium suum Pipinum à Pannonia redeuntem, & partem thesauri quæ remanserat, adducentem lætus aspexit. Et celebrauit in eodem loco Natalem Domini & Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXCVII, Barcinona ciuitas Hispaniæ, quæ iam pridem à Francis discesserat, per Thathim præfectum ipsius Francis est reddita. Nam ipse ad palatium veniens, & ciuitatem cum semetipso regi tradidit. Eo tempore expeditio facta est in Saxoniam, & vsq; ad Oceanum trans omnes paludes & inuia loca pertransit exercitus: & rex de Adulo hoc regressus (hoc enim loco nomẽ, vbi Oceanus Saxoniam alluit) tota Saxonum gente in deditionem per obsides accepta, in Aquis palatium reuersus est, vbi Abdellam Sarracenum, qui à fratre regno pulsus in Mauritania exulabat, ipso semetipsum commendante, suscepit. In eodẽ loco & legatus Nicetæ, qui tunc Siciliam regebat, nomine Theophilus, imperatoris epistolam portans, quem honorifice suscipiens post aliquot dies absoluit. Ipse vero Nouembri mense mediante, ad hyemandum cum exercitu Saxoniam intrauit, positisq; castris iuxta Wisaram fluuium, locum castrorum Heristellium vocari iussit. Illuc legati gentis Auarorum cum magnis muneribus venerunt. De eodem loco Abdellam Sarracenum cum filio suo Ludouico in Hispaniam ire iussit, & filium suum Pipinum in Italiam remisit, ipse ad disponendam Saxoniam totũ hyemis tempus impendens, ibi Natalem Domini celebrauit & Pascha.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXCVIII, venit ad regem legatus Aldefonsi regis Galliciæ Austuriæ nomine Froiolo, papilionem miræ magnitudinis præsentans. Et in ipso Paschæ tempore Nordiueli trans Albiam sedentes seditione commota, legatos regios, qui tunc ad iusticias faciẽdas apud eos conuersabantur, cõprehenderunt, quosdam ex eis trucidantes, cæteros ad redimendos seruauere. Rex itaq; collecto exercitu, de Heristellio ad locum qui Minda dicitur, perrexit, & facto cosilio in desertores arma corripuit, & totam inter Albiam & Wisaram Saxoniã depopulando peragrauit. Nortlindi contra Tranaschonem ducem Abotritorum, & Helbruinum legatum regis, commisso prælio, victi sunt. Cæsa sunt ex eis in eo prælio quatuor millia, cęteri qui fugerũt, de pacis conditione tractare cœperunt. Rex acceptis obsidib. à Saxonibus in Franciam reuersus est, & Aquis perueniens legationẽ Græcorum à Constantinopoli missam suscepit. Erant enim legati Michael patricius quõdam Phrygię, & Theophilus presbyter, epistolam Irenæ imperatricis ferentes. Nam filius eius Constantinus imperator à suis comprehensus & excæcatus est. Hæc tamen legatio tantum de pace fuit. quos cum absoluisset, absoluit etiam cum eis Sisinniũ fratrẽ Tharasij Constantinopolitani episcopi, iam dudũ in Italia prẽlio captũ. Hoc anno sidus Martis in toto cœlo non comparuit. Insulæ Baleares à Mauris & Sarracenis deprædatæ sunt. Aldefonsus rex Galliciæ & Austuriæ, prædata Vlysibona vltima Hispaniæ ciuitate, loricas, mulos, captiuosque Mauros re-

ros regi per legatos Frolum & Basilicum hyemis tempore misit, & celebrauit Natalé Domini in eodem loco,& Pascha similiter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCXCIX, Romani Leonem papam, litania maiore captum excęcauerunt,ac linguam eius radicitus abscíderunt:qui in custodia missus noctu per murum euasit, & ad legatos regis qui tunc apud basilicam sancti Petri erant, Wirundum scilicet abbatem & Winegisum Spoletanorum ducem veniens, Spoletum ductus est. Rex Saxoniam ingressus apud Paderbrunnam castris positis consedit, & inde diuiso exercitu,Carolum filium suum cum medietate ad colloquium Sclauorum,& ad recipiendos Saxones qui ex Nortlindis venerunt in Bardengani direxit. In eodem loco Leonem papam summo cum honore susceptt, ibiq; reditum Caroli filij expectans,Leonẽ pontificem simili quo susceptus erat, honore dimisit,qui statim Romã profectus est.Recepto cũ prosperitate filio, Aquas repedauit,vbi legatus Michaelis Siciliæ præfecti nomine Daniel ad eum venit, atque inde cum magno honore dimissus est. Eodem anno gens Auarorum à fide quam promiserat, defecit, & Henricus dux Foroiulianorum post tot victorias prospere gestas iuxta Tharsicam Liburniæ ciuitatem insidiis ciuium oppressus est. Per id tempus Geroldus cum esset Baioariæ præfectus,commisso cum Auaribus prælio,interficitur,& in Augia sepelitur:de quo in visione Wetini legitur, quod inter Martyres sit adnumeratus. Insulæ Baleares, quæ à Mauris & Sarracenis deprædatæ sunt, postulato & accepto à Francis auxilio, à prædonum incursione defensatæ sunt. Signa quoque Maurorum in pugna sublata regi præsentata sunt. Wido comes,qui Marcam contra Britones tenebat,cum sociis Britanniam ingressus , totamque perlustrans in deditionem recepit, & regi de Saxonia reuertenti arma ducum qui se tradiderant,inscriptis singulorum nominibus pręsentauit. Tota itaque Britannia,quod nunquam antea fuit,Francis subiugata est. Eodem anno monachus quidam de Hierosolymis veniens, reliquias multas attulit regi ex parte patriarchę Hierosolymitani. Azan prefectus ciuitatis quę dicitur Oscadanis,regi munera misit.Celebrauit Natalem Domini in eodem palatio.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC, rex absolutum Hierosolymitanum monachum dimisit, & cum eo Zachariam presbyterum de palatio suo, & per illum multam pecuniam misit per illa sancta loca,vbi Dominus conuersatus est corporaliter.Ipse medio Martio de Aquis egressus, littus Oceani Gallici perlustratus,& in ipso mari quod tunc à piratis infestabatur,classem instituit, & præsidia disposuit. Pascha apud sanctum Richardum celebrauit:indeq; per littus Oceani ad Rothomagum ciuitatem peruenit, ibiq; Sequana amnẽ transmisso, Turonęs ad sanctum Martinum orationis caussa profectus est, ibiq; aliquot dies moratus est,propter aduersam Luitgardæ coniugis valetudinem, quæ ibidem & defuncta & humata est. Obiit autem pridie nonas Iunij. Inde per Aurelianos ac Parisios Aquis palatium venit.Eodem anno pridie nonas Iulij, contra morem & naturam aspera & gelu concreta fuit pruina,& VIII idus Iulij similiter: sed tamẽ nullam incommoditatem fructibus attulit.Mense Augusto Moguntiæ placitum tenuit,& inde mouens cum exercitu Rauennam venit, vbi VII dies moratus Romam direxit gressum, filio suo Pipino cum exercitu in Beneuentũ misso. Itaq; cum Romam veniisset, occurrit ei pridie Leo papa & senatus Romanorum apud Nomẽtum,duodecimo ab vrbe lapide, & summa cum humilitate, summoq; honore susceptt, prandens cum eo in eodem loco.Igitur statim cum ad vrbem præcessit, & in crastinum in gradibus basilicæ beati Petri Apostoli stans, missis obuiam Romanæ vrbis vexillis cum crucibus atq; reliquiis: ordinatis etiam atq; dispositis per congrua loca tam peregrinorum quã ciuiũ turmis,qui venienti laudes dicerent, ipse cum clero & episcopis ante gradus ecclesiæ eum humiliter susceptt.Data itaq; benedictione in basilicam beati Petri Apostoli cunctis psallentibus introduxit.Hoc autem factum est VIII idus Decembris.Post VII vero dies rex concione vocata cur Romã venisset,patienter indicauit,& inde quotidie ad ea quæ venerat facienda operam dedit, inter quæ quod maximum & difficillimum,erat de discutiendis criminibus,quæ summo pontifici obiecta erant. Causa itaq; ventilata,cum nullus probator aut testis legitimus appareret,qui locum controuersiæ subire præsumeret, præfatus pontifex corã omni populo in domo sancti Petri Euangelium portans ambonẽ conscendit,inuocatoq; sanctę Trinitatis nomine, iure iurãdo ab

obiectis se criminib. purgauit. Eadem die Zacharias pater cum duobus monachis, vno de monte Oliueti, altero de Bethlehem Romam venit, quos ępiscopus Hierosolymorum ad regē direxit. qui benedictionis causa claues sepulchri Domini ac loci Caluariæ, claues ēt ciuitatis cum vexillo detulerunt: quos rex benigne suscipiens, aliquot dies secū detinuit, & mēse Aprili remuneratos absoluit. Et celebrauit ibi rex Natalē Domini.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCI, cum rex ipse die Natali Domini ante confessionem sancti Petri ab oratione surgeret, Leo papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto Romanorum populo ter acclamatum est: CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORVM, VITA ET VICTORIA. Et post laudes more antiquorum principum adoratus est, & ablato patricij nomine Imperator & Augustus est appellatus. Post paucos dies iussit eos qui anno superiori pontificem deposuerant, exhiberi, & habita de eis quęstione secundum legem Romanam, vt maiestatis rei, capitali sententia damnati sunt: pro quibus tamen papa pio affectu apud imperatorem intercessit. Nam vita & membrorum integritas eis cōcessa est. Cæterum pro facinoris magnitudine exilio deportati sunt. Huius factionis fuere principes, Paschalis Primicerius, & Campulus sacellarius, & multi alij nobiles Romani, qui omnes eadem sententia damnati sunt. Ordinatis itaque Romanæ vrbis totius Italiæ, non tantum publicis, sed etiam ecclesiasticis & priuatis negotiis, missáque iterum super Beneuentanos cum Pipino filio suo hostili expeditione, ipse post Pascha VII calendas Maij Romam egressus est, & venit Spoletum. Et dum ibi moraretur, II calendas Maij, hora noctis secunda terræmotus ingens factus est, quo tota Italia grauiter concussa est. quo motu tectum basilicæ beati Pauli Apostoli magna ex parte cum suis trabibus corruit. Eodem anno loca quædam circa Rhenum & in Gallia & in Germania terræmotu tremuerunt, & pestilentia propter mollitiem hyberni temporis facta est. Imperator de Spoleto Rauennam veniens, aliquot dies ibi moratus, Papiam perrexit. Ibi nunciatum est ei, legatos Aaron Amirmunmilin regis Persarum portum Pisæ intrasse, quibus obuiam mittens inter Vercellas & Eboreiam eos sibi fecit præsentari. Vnus enim ex eis erat Persa de oriente legatus regis Persarum, alter Sarracenus de Africa, legatus Ammirati Abraham, qui in confinio Africæ in Fossato possidebat, qui Isaac Iudæum, quem imperator ante quadriennium ad regem Persarum cum Lantfrido & Sigismundo miserat, reuersum cum magnis muneribus nunciauerunt. Nam Lantfridus & Sigismundus in itinere defuncti sunt. Misit itaque rex Erchānbardum notarium in Liguriam ad naues parandas, vbi elephas etiam inter quæ deferebantur, subuehebatur: ipse vero celebrato die natiuitatis sancti Ioānis baptistę apud Eboreiam, Alpes transgressus in Galliam reuersus est. Ipsa æstate capta est Barcinona ciuitas Hispaniæ, iam tunc minus plus biennio obsessa. Zatuni præfectus eius, & alij quam plures Sarraceni comprehensi sunt. Et in Italia Theate ciuitas similiter capta, & flammis exusta est, eiusque præfectus Rodhelmus comprehensus est. Castella, quæ ad illam ciuitatem aspiciebant, in deditionem recepta sunt. Zatuni & Rotselmus exilio damnati sunt. Mense Octobri Isaac Iudæus de Africa cum elephante regressus, portum Veneris intrauit. Et quia propter niues Alpes transire non potuit, Vercellis hyemauit. Imperator Aquis Natalem Domini celebrauit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCII, Irene imperatrix de Constantinopoli misit legatum nomine Leonem ad imperatorem, de pace confirmanda inter Francos & Græcos, & imperator Constantinopolim misit Iesse episcopum Ambianensem & Helingandum comitem, vt pacem cum eo statuerent. Pascha celebratum est in eodem palatio. Eodem anno, XIII calendas Augusti, venit Isaac cum elephante & cæteris muneribus à rege Persarum missis, in præsentiam imperatoris. Nomen elephātis erat Amhulater. Ostona ciuitas in Italia in deditionem recepta est. Luceria quoque frequenti obsidione fatigata, & ipsa in deditionem venit, præsidiumq; Francorum in ea positum est. Imperator æstatis tempore in Arduenna venationibus operam dedit, & misso in Saxoniam exercitu, Transalbianos Saxones vastauit. Grimaldus Beneuētanorum dux, in Luceria Winegisum comitem Spoleti qui præsidio præerat, aduersa valetudine fatigatum obsedit, & in deditionem accepit, captumque cum magno honore tenuit. Imperator Aquis Natalem Domini celebrauit.

Anno

Anno Dominicæ incarnationis DCCCIII, terræmotus Aquis palatio factus est, & mortalitas subsecuta est. Winegisus à Grimaldo redditus est. Missi imperatoris à Constantinopoli regressi sunt, & venerunt cum eis legati Nicephori imperatoris, qui tunc rem publicam regebant, quorum hæc sunt nomina: Michael episcopus, Petrus abbas, Calixtus & Candidus: qui venerunt ad imperatorem in Germania super fluuium Sala, in loco qui dicitur Saltz, & pactum faciendæ pacis in Christo susceperunt. Inde dimissi cum epistola imperatoris Romam venerunt, inde Constantinopolim regressi sunt. Imperator autē in Bauariam profectus est, & dispositis Pannoniarum causis reuersus est: ibi Natalem Domini celebrauit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCIV, imperator Aquis hyemauit, æstate vero in Saxoniam cum exercitu perrexit, omnesq; qui trans Albiam in Wihmodi habitabant, Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, & pagos Transalbianos Abrotidis dedit. Eodem in die Godefridus rex Danorum venit cum classe sua & omni equitatu regni sui ad locum qui dicitur Schliesswich, in confinio regni sui & Saxoniæ. Promisit enim se ad colloquium imperatoris venturum, sed consilio suorum territus, propius non accessit, sed quicquid voluit per legatos mandauit. Nam imperator super Albiam fluuium sedebat in loco qui dicitur Holdnsteyn, & missa ad Godefridum legatione pro fugitiuis retentis, mediante Septemb. Coloniam venit: deinde ad Arduennam ingressus, venationum iocis exercitatus, Aquas reuersus est. Medio Nouembris nunciatum est ei, Leonem papam cum eo Natalem Domini celebrare velle, vbicunque illi placuisset: quod gratanter suscepit. Et statim misso filio suo Carolo ad sanctum Mauricium, eum suscipere honorifice præcepit. Ipse vero obuiam illi Remorum ciuitate profectus est, ibiq; susceptum ad Carisiacum vsque perductum, cum eo ibi Natalem Domini celebrauit: deinde Aquas perduxit, & honoratum magnis muneribus per Baioariam ire volentem, à suis deduci fecit vsq; Rauennam. Causa autem aduentus eius hæc fuit. Nunciatum est imperatori, Iesu Christi Domini nostri sanguinem in Mantua ciuitate fuisse repertum: imperator ad papam direxit, rogans vt veritatem rei perquireret. qui accepta occasione Roma exeundi, primo in Lāgobardiā, quasi pro inquisitione prædicta profectus est: deinde arrepto itinere subito ad imperatorem vsq; peruenit, mansitq; apud illum dies octo, & (sicut dictum est) Romam repedauit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCV, Cacanus princeps Auarorum imperatorem adiit, postulans sibi locum dari ad habitandum inter Sabariam & Carantanum, qui propter infestationem Sclauorum, in pristinis sedibus manere non poterat. quem imperator benigne suscepit, eiusq; precibus fauit. Eodem tempore misit exercitum cum filio suo Carolo super Sclauos qui vocantur Boemi, qui omnem terram eorum depopulātes, ducem eorum qui appellabatur Letzo, occiderunt. Imperator Theodonis villam venit, indeq; Adromarici montem vsque profectus, ibi venationibus exercitatus est: inde Theodonis villam reuersus Natalem Domini celebrauit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCVI, venerunt Wilharius & Beatus, duces Venetiæ, nec non & Paulus dux Ladoræ, atq; Donatus eiusdem ciuitatis episcopus, legati Dalmatiæ in præsentiam imperatoris cum magnis donis & ordinatis, tam Venetiis q̄ Dalmatiis. Eorum missis absolutis, imperator cum primoribus & optimatibus Francorum de pace constituenda & conseruanda inter filios suos, & de partitione regni placitum habuit. Et diuisione facta in tres partes, imperiū suum partitus est inter tres filios, vt scilicet vnusquisque sciret, quam partem tueri & regere debuisset, si illum patrem superuiueret. De hac diuisione testamentum fecit: & sacramentum interpositum à Francis confirmatum est, & Leoni papæ transmissum, vt hæc decreta manu sua firmaret, quod & factum est. Post hæc imperator dimisso vtroq; filio in regnum sibi deputatum, Pipino scilicet & Ludouico, de Theodonis villa profectus, nauigio per Mosellam Rhenum ingressus, ad Neomagum in Badua venit, ibiq; tota Quadragesima fuit, & sanctum Pascha celebrauit, & inde Aquas rediens, Carolum filium in terra Sclauorum quæ dicitur Sorabi, super Albiam fluuium cum exercitu misit, in qua cōgressione Miliduoh Sclauus occisus est, duoq; castella ab exercitu cōstructa sunt: vnum super ripam fluminis Salæ, alterū super Albiam. Sclauisq; compressis, ex hac parte Bohemos cum Baioariis atq; Alemanis aggreditur, eorumq; terram ex maxima parte vastauit. Eodē anno in

Corſicam inſulam contra Mauros, qui eam vaſtabant, claſſis de Italia à Pipino miſſa eſt, cuius aduentum Mauri non expectantes, diſceſſerunt. Vnus tamen ex Francis Hademarus nomine, comes ciuitatis Genuæ, cum imprudenter pugnaret, occiſus eſt à Mauris. In Hiſpania vero Nauarri & Pampilionenſes, qui ſuperioribus annis ad Sarracenos tranſierant, in fidem recepti ſunt. Claſſis à Nicephoro imperatore, cui Geta patricius præerat, ad recipiendam Dalmatiam mittitur, & legati qui fere annos quatuor ad regem Perſarum miſſi ſunt, per ipſas Græcarum nauium ſtationes trãſuecti, ac Tarduiſium nullo aduerſariorũ ſentiente peruenerunt. Imperator celebrauit Natalem Domini Aquis palatio. Eodem anno fuit eclipſis Lunæ, IV nonas Septembris. erat ſtatio Solis tunc in XVI parte Virginis, Luna autem morabatur in XVI parte Piſcium.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCVII, eclipſis Solis facta eſt III idus Februarij, ſtante vtroque ſidere in XXV parte Aquarij: & in eodem menſe, IV calendas Martij, eclipſis Lunæ facta eſt, & in eadem nocte apparuerunt acies in cœlo miræ magnitudinis, Sole morante in vndecima parte Piſcium, & Luna in XI parte Virginis. Iterum XI calendas Septembris eclipſis Lunæ facta eſt hora noctis tertia, Sole poſito in V parte Virginis, & Luna in V Piſcium. Rutbertus miſſus imperatoris, qui de oriente reuertebatur, defunctus eſt, & legatus regis Perſarum nomine Abdella cum monachis de Hieruſalem, qui legatione Thomæ patriarchæ fungebantur, quorum nomina fuere Gregorius & Felix. Gregorius abbas erat de monte oliueti, & erat natione Germanus, & à parentibus Engilbaldus vocatus eſt. Peruenerunt Aquis ad imperatorem munera ferentes, quæ prædictus rex Cæſari miſerat, ſcilicet papilionem & tentoria atrij, vario colore reſperſa, miræ magnitudinis & pulchritudinis. Erant enim omnia byſſina, tam tentoria quam & funes eorum diuerſis tincti coloribus. Fuerunt etiam munera præfati regis pallia holoſerica, multa, valde precioſa, odoramenta, balſamum atque vnguenta. Miſit præterea horologium ex aurichalco arte mechanica mirifice compoſitum, in quo XII horarum curſus ad clepſydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo ſubiectum ſibi cymbalum reſonare faciebant, additis in eodem horologio eiuſdem numeri equitibus, qui per XII feneſtras completis horis exibant, & in curſu egreſſionis ſuæ totidem feneſtræ, quæ prius erant apertæ, claudebantur: nec non & alia multa erant in præfato horologio. Fuerunt etiam inter prædicta munera duo candelabra ex aurichalco miræ magnitudinis & proceritatis, quæ omnia Aquis depoſita ſunt. Imperator igitur legatum & monachos per aliquod tempus ſecum retinens, poſtmodum eos in Italiam direxit, atque ibi tempus navigationis expectare iuſſit. Eodem anno, Burchardum comitem ſtabuli ſui, quem corrupte Conſtabulum appellamus, cum claſſe miſit in Corſicam, vt eam à Mauris defenderet, qui prædas illic exercebant. Qui iuxta conſuetudinem ſuam de Hiſpania egreſſi, primo Sardiniam appulſi ſunt, ibique cum Sardis prælio commiſſo, multis ſuorum amiſſis (nam tria millia ibi cecidiſſe perhibentur) in Corſicam recto curſu peruenerunt. Ibi iterum in quodam portu eiuſdem inſulæ cum claſſe, cui Burchardus præerat, prælio decertarunt, victique ac fugati ſunt, amiſſis XIII nauibus, & plurimis ſuorum interfectis. A deo illo anno in omnibus locis aduerſa fortuna fatigati ſunt, vt ipſi ſibi idcirco hoc accidiſſe teſtati ſint, quod anno ſuperiori contra omnem iuſtitiam de Pataraia inſula LX monachos aſportatos in Hiſpania vendiderunt, quorum aliqui per libertatem imperatoris iterum in ſua loca reuerſi ſunt. Niceta patricius, qui cum claſſe Conſtantinopolitana ſedebat in Venetia, pace facta cum Pipino rege & induciis vſque ad menſem Auguſti acceptis, ſtatione ſolita Conſtantinopolim regreſſus eſt, & celebrauit imperator Natalem Domini Aquis, & Paſcha ſimiliter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCVIII, hyems molliſſima, & peſtilens erat. Vere inchoante imperator Neumagam profectus eſt, & celebrato ibi Paſchate, iterum Aquis repedauit. vbi nunciatum eſt ei Godefridum regem Danorum copias in Abrotides traiecciſſe, aduerſus quem Carolum filium ſuum cum exercitu miſit, iubens veſano regi reſiſtere, ſi Saxoniæ terminos aggredi tentaret. Godefridus expugnatis aliquot Sclauorum caſtellis, cum magno copiarum ſuarum detrimento in patriã reuerſus eſt. Nam licet Draſconem ducem Abrotidorum loco pepuliſſet, Godelaibũ alium ducem dolo captũ patibulo ſuſpendiſſet, Abrotidorũ duas partes ſibi vectigales feciſſet: optimos

mos tamen militum ſuorum & manu promptiſſimos amiſit, & cum eis filium fratris ſui nomine Reginbaldum, qui in oppugnatione cuiuſdam oppidi cum plurimis Danorum primoribus interfectus eſt. Imperatoris filius Albiam ponte iunxit, & exercitū cui præerat in Hilinones & Smeldingos, qui & ipſi ad Godefridum regem defecerant, quanta potuit celeritate tranſpoſuit, populatiſque circunquaq; eorum agris, tranſito iterum flumine, cum incolumi exercitu in Saxoniam ſe recepit. Fuerunt cum Godefrido in prædicta expeditione Sclaui qui dicuntur Wilzi, qui propter antiquas inimicitias, quas cum Abrotidis habere ſolebant, ſponte illi corpus eorum iunxerant, ipſoq; in regno reuertente cum præda quam inter Abrotides ceperant, & ipſi domum reuerſi ſunt. Godefridus vero priuſquam reuerteretur, deſtructo emporio quod in Oceani littore conſtitutum erat, & lingua Danorum Rerich dicebatur, & magnam regno illius commoditatem vectigalium per ſolutionem præſtabat, tranſlatisque inde negotiatoribus, ſoluta claſſe, ad portum qui Lieſtorph dicitur, cum vniuerſo exercitu venit: vbi per aliquot dies moratus, limitem regni ſui, qui Saxoniam reſpicit, vallo munire conſtituit, eo modo, vt ab orientali maris ſinu, quem illi Hoſarſalet dicunt, vſque ad occidentalem Oceanum, totam Egidoræ fluminis Aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret: vna tantum porta dimiſſa, per quam carra & equites emitti & recipi potuiſſent. Diuiſo itaq; opere inter duces, domum reuerſus eſt. Interea rex Nortdanibrorum de Britannia inſula nomine Eardulf, regno & patria pulſus, ad imperatorem dum adhuc Niumagæ moratur, venit, & patefacto aduentus ſui negotio, Romam proficiſcitur, Romaq; rediens per legatos Romani pōtificis & imperatoris in regnum ſuum reducitur. Fuit autem legatus apoſtolicus Adulphus diaconus de Britānia, natione Saxo, & cum eo ab imperatore miſſi abbates duo, Rotfridus notarius & Nantharius de ſancto Othmaro. Imperator ædificatis per legatos ſuos ſuper Albiam duobus caſtellis, præſidioq; in eis contra Sclauorum incurſiones diſpoſito, Aquis Natalem Domini celebrauit & Paſcha ſimiliter.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCIX, claſſis de Conſtantinopoli miſſa primo Dalmatiam, deinde Venetias appulit. Cumq; ibi hyemaret, pars eius ad Cumaculam inſulam venit, commiſſoque prælio contra præſidium quod in ea poſitum erat, à ciuibus victi atque fugati ſunt. Dux autem qui claſſi præerat, nomine Paulus, cum de pace inter Francos & Græcos conſtituenda, quaſi ſibi hoc eſſet iniunctum, apud Pipinum regem agere moliretur, Willario & Beato Venetiarum ducibus, omnes conatus eius impedientibus, atque ipſis etiam inſidias parantibus, cognita eorum fraude, diſceſſit. Dum hæc in Italia aguntur, Ludouicus rex in occiduis partibus cum exercitu Hiſpaniam ingreſſus, Dertoſam ciuitatem ſuper ripam Iberi fluminis ſitam obſedit, conſumptoq; in expugnatione illius aliquanto tempore, poſtquam eam tam cito capi non poſſe vidit, dimiſſa obſidione cum incolumi exercitu in Aquitaniam ſe recepit. Poſtquam Eardulfus rex Nortdanibrorum in regnum ſuum reſtitutus eſt, cum miſſi reuerterentur, Adulphus diaconus captus eſt à piratis, ſed poſtea redemptus eſt, Romamq; reuerſus. In Tuſcia Populonium ciuitas maritima à Græcis qui Orobitæ vocantur, deprædata eſt. Mauri quoque de Hiſpania Corſicam ingreſſi in ipſo ſabbato S. Paſchæ ciuitatem quandam deprædati ſunt, & præter epiſcopum & paucos ſenes atque infirmos nihil in ea reliquerunt. Interea Godefridus rex Danorum, per quoſdam negotiatores mandauit duci qui Phryſiam præuidebat, audiſſe ſe quod ei imperator eſſet iratus, eo quod in Abrotides duxiſſet exercitum, & ſuas vltus eſſet iniurias, addens ſe velle denegare quod ei obiiciebatur, quod fœdus promiſſum irrupiſſet; petiuit etiam imperatorem, vt mitteret miſſos ſuos trans Albim iuxta terminos regni ſui, & ipſe cum ſuis ibi veniret, inuicemque diſcuſſis cauſis, quæque emendatione digna erant, abſque contradictione ibi corrigerentur. Quod cum Imperatori nunciatum eſſet, non abnuit, colloquiumque eſt habitum cum primoribus Danorum trans Albiam, multisq; hinc inde prolatis, minime ad effectum res perducta eſt. Thraſco dux Abrotidorum, poſtquam filium ſuum poſtulanti Godefrido obſidem dederat, collecta manu & auxilio à Saxonibus contracto, vicinos ſuos Wilzos aggreſſus, agros eorum ferro & igne vaſtauit, regreſſusque domum cum ingenti præda, accepto iterum à Saxonibus validio auxilio, Smeldingorum maximam ciuitatem expugnat, atque his proſperis ſucceſ-

sibus omnes qui ab eo defecerant,ad suam societatem redire coegit.Imperator itaque, cum ei multa de iactatione & superbia regis Danorum nunciarentur, statuit trans Albim ciuitatem ædificare,Frācorumq; in ea ponere præsidium.Cumq; ad hoc per Galliam atq; Germaniam homines congregasset, armisq; ac cæteris ad vsum necessarium rebus instructos, ad locum destinatum ducere per Phrysiam iussisset: Thrasco dux Abroditorum,in emporio Rerich ab hominibus Godefridi dolo interfectus est.Imperator, postquam locus ciuitatis constituendæ fuerat exploratus, Egobertum comitem huic negotio exequendo præficiens, Albiam traiicere & locum iussit occupare.Est autem locus super ripam Sturiæ fluminis vocabulo Esselfelt. Occupatus est itaque ab Egeberto & comitibus Saxonibus, & circa idus Martij muniri cœptus. Dum hæc circa Danos aguntur, Aureolus comes, qui in confinio Hispaniæ atque Galliæ trans Pyrenæum contra Oscam Cæsaraugustæ residebat, defunctus est: & Amoror præfectus in locum eius intrauit,missaq; ad imperatorem legatione,se cum suis omnibus eius obsequio traditurum promisit.Eclipsis Lunæ accidit VII calendas Ianuarij.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCX, Amoror præfectus colloquium imperatoris expetiit in confinio Gallici & Hispanici limitis.In eo colloquio se promisit cum suis omnibus imperatoris manibus commendaturum:quod licet imperator annuisset, multis interuenientibus causis remansit infectum. Mauri de tota Hispania, maxima classe collecta,primo Sardiniam,deinde Corsicam applicuerunt,nulloq; in ea inuento præsidio,insulam pene totam depopulati sunt.Dum hęc aguntur,Pipinus rex perfidia ducum Venetiorum incitatus, ipsam insulam bello terra mariq; vexabat, subiectaque Venetia ac ducibus eius in deditionem receptis, eandem classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit.Sed cum Paulus Cephalaniæ prefectus cum orientali classe ad auxilium Dalmatiis ferendum aduentaret, regia classis ad propria regreditur.Rotrudis filia imperatoris quæ natu maior erat, octauo idus Iunij moritur. Imperator Aquis morabatur, vbi nuntiatum est ei classem ducentarum nauium de Nortmannia in Phrysiam applicuisse,ternaq; prælia cum Phrysonibus commisisse, Danosq; victo res tributum victis imposuisse,etiam c libras argēti à Phrysonibus esse solutas,regemq; Godefridum hæc omnia agere dixit. qui nuntius adeo imperatorem concitauit, vt missis in omnibus circunquaque regionibus ad congregandum exercitum nuntiis,ipse sine mora palatio exiens,illas in partes tendere cœpit.Transito itaque Rheno flumine, in loco qui Lippa dicitur,copias quæ nondum cōuenerant,statuit opperiri. Vbi cum aliquot dies moraretur,elephas ille, quem ei Aaron rex Sarracenorum transmiserat, subita morte periit. Congregatis tandem copiis quanta potuit celeritate, ad Alarum fluuium contendit,castrisq; positis,minarum Godefridi regis *inflatus,se iactauit arroganter,quod cum imperatore congredivellet.Sed cum imperator in loco memorato sederet,diuersarum rerum legationes ad eum perferuntur. Nam & classem quæ Phrysiam vastabat, domum reuertam,& Godefridum à quodam suo satellite interemptum, & castellum vocabulo Huobbuocki, Albiæ flumini contiguum, in quo Odo legatus imperatoris erat,& erat orientalium Saxonum præsidium, à Wilzis captum, & Pipinum filium eius regem Italiæ VIII idus Iulij de corpore migrasse, duasque legationes de diuersis terrarum partibus,vnam de Constantinopoli, alteram de Corduba, aduentare pacis causa, nunciabatur: quibus ille acceptis dispositi pro temporis conditione Saxoniam, Aquis reuertitur. Tanta in ea fuit expeditione boum pestilentia, vt pene nullus tanto exercitui superesset, quin omnes vsque ad vnum perirent: & non solum ibi, sed etiam per omne imperium huius generis animalia perierunt. Aquis veniens mense Octobri remoratas legationes suscepit, pacemq; cum Nicephoro imperatore & cum Abular rege Hispaniæ fecit.siquidem Venetias Nicephoro reddidit,&Heinricum comitem dudum à Sarracenis captum Abular remittente recepit. Eo anno Sol & Luna bis defecerunt: Sol vidus Iunij & pridie calendas Decembris, Luna XI calendas Iulij,& nono calēdas Ianuarij. Corsica insula iterum à Mauris vastata est. Amoror & Abdiraman filius Abular de Cæsaraugusta expulsus, & Oscam intrare compulsus est.Godefrido,vt diximus,mortuo, Hemmingus filius fratris eius in regnum successit, pacemque cum imperatore fecit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXI, absoluto atque dimisso Arsafio spatario, legato

legato Nicephori Augusti, eiusdem pacis confirmandæ gratia legati ad imperatorem Cõstantinopolim mittuntur, Haido episcopus Basiliensis, & Hugo comes de Turonis, & Ago Langobardus de Foroiulio, & cum eis Leo quidam spatarius natione Siculus, Willarius dux Venetiarum, quorum alter ante annos x Romæ ad imperatorem, cum ibi esset, de Sicilia profugit, & redire volens in patriã, remittitur, alter propter perfidiam honore spoliatus, Constantinopolim ad dominum suum duci iubetur, condicta causa ab imperatore & Hemmingo rege Danorum. Rex propter hyemis asperitatem, quæ inter partes commeandi viam claudebat, in armis tantum curata seruatur, donec redeunte veris temperie, viis apertis, aduenientibus ex vtraq; parte Francorum & Danorum x II primoribus, super fluuium Agidoram, datis vicissim secundum ritum ac morem suum sacramentis, pax confirmaretur. Proceres autem de parte Francorum hi fuere: Walach, Burchardus, Bernardus, Egbertus, Theodericus, Ano, Osdag, Wichman, omnes comites: de parte vero Danorum inprimis in fratres Hemmingi, Ancimin, & Anganseo, deinde cæteri honorabiles inter suos viri, quorum nomina superfluum duximus annotare. Imperator itaque pace cum Hemmingo firmata, & placito generali secundum cõsuetudinem Aquis habito, in tres partes regni sui totidem exercitus misit; vnum trãs Albiam in Linones, qui & ipsos vastauit, & castrum Hohbouch superiori anno à Wilzis destructum restaurauit: alterum in Pannoniam ad controuersias Hunnorum ac Sclauorum finiẽdas direxit; tertium super Brittones ad eorum perfidiam misit. qui omnes rebus prospere gestis domum reuersi sunt. ipse autem imperator ad classem videndam, quam præcedenti anno fieri & fabricari iusserat, ad Bononiam venit, fanumq; ibi ad nauigandum, cursus dirigendos, antiquitus constitutum restaurauit, & in eiusdem summitate nocte ignem accendit: inde ad Scaldim fluuium veniens, in loco qui vocatur Gant, naues ad eandem classem ædificatas aspexit, & circa medium Nouẽbris Aquas venit, vbi obuiauerunt ei legati Hemmingij regis, Aoum & Hephi, munera regis & verba pacifica regis deferentes. Fueruntetiam Aquis aduentum eius postulantes qui de Pannonia venerunt, Canizanci princeps Auarorum, & Thudun, & alij principes ac duces Sclauorum circa Danubium habitantium, qui à ducibus Francorum, qui in Pannonias fuerunt missi, ad præsentiam principis iussi sunt venire. Interea Carolus filius imperatoris, qui maior natu erat, obiit II nonas Decembris.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXII, Hemmingus Danorum rex moritur, cui cum Sigefridus nepos Godefridi, & Anilo nepos Herioldi succedere voluissent, neque inter eos de diuisione regni conueniret, comparatis copiis & commisso prælio ambo moriuntur. Pars tamẽ Anilonis adepta victoriam, fratres eius Herioldum & Regnifridum reges sibi constituit: quam necessario pars victa secuta, eosdem sibi imperare non abnuit. In eo prælio x millia DCCCCXL viri cecidisse memorãtur. Nicephorus imperator post multas & insignes victorias in Mœsia prouincia, commisso cum Bulgaris prælio, moritur, & Michael gener eius imperator factus, legatos Domini imperatoris, qui ad Nicephorum imperatorem missi fuerunt, suscepit in Constantinopolim & absoluit, cum quibus & suos legatos direxit, Michaelem scilicet episcopum, & Arsauium, atq; Theognostum protospatarium, & per eos pacem à Nicephoro cœptam confirmauit: nam Aquisgrani, vbi ad imperatorem venerunt, conscriptum pactum ab eo in ecclesia susceperunt, more suo, id est Græca lingua, laudes eius dixerunt, imperatorem eum & basileum appellantes. Et in reuertendo Romam venientes in basilica sancti Petri Apostoli, eũdem pacti seu fœderis libellum à Leone papa denuo susceperunt. quibus dimissis imperator generali conuentu Aquis solenniter habito, Bernhardum filium Pipini nepotem suum in Italiam misit, & propter famam classis, quæ de Africa & Hispania ad vastandam Italiam vẽtura dicebatur, Wallonem filium Bernhardi patruelis sui cum illo esse iussit, quousque rerum euentus securitatem suis afferret. Hæc classis partim in Corsicam, partim in Sardiniam venit. Et ea quidem pars ad Sardiniam venit, quæ pene deleta est. Classis Nortmãnorum Hiberniam insulam aggressa, commissoq; cum Scotis prælio, multi ex eis interfecti, cæteri fuga lapsi sunt. à Grimaldo duce Beneuentanorum xxv millia solidorum auri pro tributo imperatori soluta sunt. Eodem anno expeditio facta est in Wilzos, & ab eis obsides accepti. Herioldus & Re-

gnifridus reges Danorum, missa ad imperatorem legatione, pacem petunt, & fratrem suum Hemmingũ sibi remitti rogant. Hoc anno, idibus Maij, post meridiem Solis eclipsis fuit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXIII, Imperator Aquis hyemauit, & incipiente vernali tempore Hamalarium qui episcopatum Treuerẽsem tenebat, & Petrum abbatem monasterij de Nonantula, propter pacem cum Michaele confirmandam, Constantinopolim misit: ac deinde habito generali conuentu, euocatum ad se de Aquitania Ludouicum filium, coronam illi imperialis dignitatis imposuit, Bernhardum nepotem suum Italiæ præfecit, regemque appellari iussit. Concilia quoque iussu eius super statum ecclesiarum per totam Galliam ab episcopis celebrata sunt: quorũ vnum Moguntiæ, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Caballonis, quintum Arelati congregatum est; & constitutiones, quæ in singulis factæ sunt, ab imperatore confirmatæ sunt: quas qui nosse voluerit, in supra dictis ciuitatibus inuenire poterit, quam & earum exemplaria in archiuo palatij habeantur. Eodem tempore missi sunt trans Albiam quidam Frãcorum & Saxonum proceres ad terminos Nortmannorum, qui pacem cum eis secundum petitionem ipsorum facerent, & fratrem regum eis redderent. Iuramentis itaque ex vtraque parte datis, pax firmata est. Tamẽ ea tempestate reges domi non erant, sed ad Westerfalt cum exercitu perrexerant. quæ regio vltima regni illorum erat, inter septentrionem & occidentem sita. Contra Aquilonem Britanniæ summitatem respicit, cuius principes ac populi eorum dominationem dedignabantur. quibus perdomitis cum reuersi essent, & fratrem ab imperatore missum recepissent; filij Godefridi regis, & nonnulli ex primoribus Danorum, qui iam dudum relicta patria apud Suiones exulabant, attractis vndique copiis bellum intulerũt, & confluentibus ad se passim ex omni Danorum terra populorum turmis, commisso cum eis prælio, eos regno paterno expulerunt. Eodem anno Carolus imperator obiit, & Aquis in basilica sancti Saluatoris & Sanctę Dei genitricis Marię, honorifice sepultus est, quam basilicam ipse mirifico opere à fundamento ædificare fecit. LVDOVICVS filius eius imperialia sceptra sucepit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXIV, hæc quæ supra expressa sunt, in quodam libello reperi, plebeio & rusticano sermone composita, quæ ex parte ad Latinam regulam correxi, quædam etiam addidi, quæ ex narratione seniorum audiui. Cætera quæ sequuntur, meæ paruitatis studio descripta sunt, pro vt in Chronicorum libris adnota-ta inueni, aut ex relatione patrum auditu percipere potui. Et de Ludouici quidem imperatoris temporibus perpauca literis comprehẽdi, quia nec scripta reperi, nec à senioribus quæ digna essent memoriæ commendanda audiui. De Lotharij vero imperatoris, & fratrum eius regum Francorum gestis, plura descripsi: vbi vero ad nostra tempora ventum est, latius sermonem narrationis protraxi. Aliter enim, vt Hieronymus ait, narrantur visa, aliter audita, quæ melius scimus, melius & proferimus.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXVIII, Bernhardus filius Pipini rex Italiæ, Aquis euocatus ad imperatorem, dolo capitur, & primo oculis, post vita priuatur. Habuit autem iste Bernhardus filium nomine Pipinum, qui tres liberos genuit, Bernhardum, Pipinum, & Heribertum. qui Heribertus Rudolphum comitem filium Balduini interfecit nostris temporibus, & non multum post occisus est ab Alduino satellite Balduini Rudolphi, qui Balduinus hucusque in Flandris ducatum tenet.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXXIX, Tancradus secundus abbas Prumiensis monasterij obiit, & Marcunardus ei in regimine successit, vir prudens & sacræ religioni deditus.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXXXVI, Britones fœdera violant, & rebellare incipiunt cum duce suo nomine Murmano, contra quos imperator exercitũ producit, sed non adeo prævaluit.

Anno Dominicæ incarnat. DCCCXXXVII, Murmanus rex Britannorum moritur, & Numenoio apud Ingelnheym ab imperatore ducatus ipsius gentis traditur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXXXVIII, Ludouicus à suis imperio priuatur, & priuatus custodiæ traditur, regnique monarchia Lothario filio eius per electionem Francorum datur, rursumq; à filio Ludouico & à Francis de custodia eruitur, ac impe-

imperiali ſedi reſtituitur. Fuit autem hæc deiectio pro maxima parte facta propter multimodam fornicationem Iudith vxoris eius.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXXXIX, Lotharius derelicta Francia Italiam petiit. Ebbo epiſcopus Remorum in generali ſynodo deponitur, ac multi alij exilio damnantur, qui in deiectione imperatoris conſpirauerant.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXL, Ludouicus imperator, dum filium Ludouicum trans Rhenum perſequitur, morbo grauatur, & in nauim miſſus per Mogonum fluuium in Rhenum deducitur, ibiq́ue in inſula iuxta Ingelnheym vita decedit: inde Mediomatricum deportatus in baſilica ſancti Arnolphi honorabiliter ſepulturę mandatur. Statimq; LOTHARIVS Italiam egreſſus imperium arripuit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXLI, Ludouicus & Carolus indigne ferentes, quod regno paterno per omnia priuati eſſent, exercitum vndequaque contrahunt, ac mox fratrem bello aggrediuntur apud Fontaniacum: in qua pugna ita Francorum vires attenuatę ſunt, ac famoſa virtus infirmata, vt non modo non ad amplificandos regni terminos, verum etiam nec ad proprios tuendos in poſterum ſufficerent. Tandem non ſine graui diſpendio ſuorum Carolus & Ludouicus vicerunt.

Anno Dominicæ incarnat. DCCCXLII, tres ſupra dicti fratres imperium Francorum inter ſe diuiſerunt, & Carolo occidentalia regna ceſſerunt à Britannico Oceano vſque ad Moſam fluuium; Ludouico vero orientalia, ſcilicet omnis Germania vſque Rheni fluenta, & nonnullæ ciuitates cum adiacentibus pagis trans Rhenum propter vini copiam. Porro Lotharius, qui & maior natu erat, & imperator appellabatur, medius inter vtroſque incedens, regnum ſortitus eſt, quod hactenus ex eius vocabulo Lotharingia nuncupatur, totamq; prouinciam, nec non omnia regna Italiæ cum ipſa Romana vrbe, quæ & modo ab omni ſancta eccleſia propter præſentiam Apoſtolorum Petri & Pauli, ſpeciali quodam veneratur priuilegio, & quōdam propter Romani nominis inuictam potentiam, orbis terrarum domina dicta fuerat.

Anno Dominicæ incarnation. DCCCXLVII, Hetto epiſcopus Treuirorum ex hoc ſeculo tranſiit, & Thietgandus cathedram eius obtinuit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLI obiit Herimingardis regina, coiunx Lotharij imperatoris, venerabilis & Deo acceptabilis matrona, quæ tres filios Lothario genuit, videlicet Ludouicum, Lotharium & Carolum.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLIII, Nortmani, Britanni, cum mare nauigio gyrantes, oſtia Ligeris fluminis occupauerunt, & repentina irruptione ciuitatem Namnetis inuadunt, omniaq; cædibus, incendiis, ac rapinis depopulantes, pontificem ciuitatis ipſo die ſabbato ſancto Paſchæ, cum baptiſmum ex more celebraret, in baſilica interficiunt, clerumq; trucidant. Omnemq; circumquaque regionem deuaſtantes, primum Andagauenſem, deinde Turonicam occupant vrbem; ac velut immanis tempeſtas cuncta proſternit, ita cuncta conſumūt. Templum etiam præcellentiſſimi pontificis Martini incendio cremauerunt. Tunc primum Nortmanorum claſſis (vt aiunt) Ligeris attigit littora. Eodem anno Egil abbas monaſterij Prumienſis conſtituitur. Circa hæc tempora Carolus Pipinum regem Aquitaniæ nepotem ſuum, ipſis Aquitanis eum prodentibus, eo quod pace ſoluta eadem prouincia à ſuis indigenis deuaſtaretur, & multa illic mala impune patrarentur, cepit, & captum cum conſilio epiſcoporum & procerum attondit, & habitu monachico indutum Sueſſionis in monaſterio ſancti Medardi miſit. Inde duobus monachis conſentientibus, ſimul & opem ferentibus, fuga dilapſus eſt. Sed iterū captus inſula Nectis caſtro munitiſſimo cuſtodiæ mancipatur. Fuit vero iſte Pipinus filius Pipini filij Ludouici imperatoris, de quo ferūt, quod eum pater, videlicet Ludouicus imperator, dum adhuc puerilis eſſet ætatis, voluerit ad clericatus officium promouere, ac Drogoni epiſcopo Mettenſi, auunculo videlicet ſuo commendare erudiendum liberalibus ſimul & eccleſiaſticis diſciplinis. Sed paternis votis Lotharius frater eiuſdem pueri, nequaquā permiſit eum attonderi, ſed via abſtraxit de manu patris. Erat enim idem puer (vt aiunt) ingentis pulchritudinis, cui poſtmodum Ludouicus imperator pater ſuus, cum imperium diuideret, Aquitaniam prouinciam tantum conceſſit, ſed non ei in proſperum ceſſit, quod à Dei cultura & ſeruitio ſubtractus eſt. Ebrietatibus enim & comeſſationibus die noctuq́ue vacans, ad extremum

mente captus,in maniacam incidit passionem, & præsentem vitam cum dedecore amisit,successorem relinquens Pipinum filium, de quo paulo superius mentionem fecimus.

Anno Dominicæ incarnationis DCCC LV,Lotharius conuocatis primoribus regni imperium filijs suis diuisit, Ludouico Italiam tradidit, eumq; Imperatorem appellari fecit: Æquiuoco vero idem Lothario regnum quod ex suo nomine vocatur, concessit: Carolo autem qui iunior natu erat,Prouinciæ regnum largitus est. Dispositis itaq; atq; ordinatis regni negotijs, valedicens suis,mundum reliquit, atq; in Prumiam monasterium veniens comam capitis deposuit, habituq; sanctæ conuersationis suscepto, in religionis professione diē clausit extremum,III calendas Octobris.

Anno Dominicæ incarn.DCCCLVI, Lotharius rex Thietbergam reginam sibi in matrimonium iunxit, ex qua coniunctione maxima ruina non illi solum, sed etiam omni regno eius accidit,sicut in sequentibus luce clarius apparebit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLVIII, Carolus rex filius Lotharij imperatoris moritur, qui Prouinciam regebat: & ex regno quod tenuerat, facta est nō modica controuersia inter Lotharium regem,& auunculum eius Carolum.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLIX, Lotharius Hueberto abbati inter Iurum & montem Iouis commisit, eo quod tunc fidelissimus putaretur, vtpote affinitate coniunctus propter sororem Thietbergam.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLX, Egil abbatiam Prumiensem sua sponte dimisit, & Auspaltus in regimine successit vir omni sanctitate & bonitate conspicuus.His temporibus Lodouicus senior, frater Lotharij imperatoirs plurima bella strenuissime gessit aduersus Sclauorum gentes: siquidem Marahensium regna ingressus armis cuncta perdomuit,capto eorum principe nomine Rastitz, cui etiam propter violata fœdera oculos erui iussit. Ea tempestate inter principes Caroli,magnum discordiarum ac litium efferbuit incendium. Denique Lambertus qui ducatum tenebat inter Ligerim & Sequanam, Viuianum potentem virum dolo interfecit: rursum eundem Lambertum Gantzbertus comes æque dolo trucidauit.Item Ganzbertus iussu Caroli decollatus est. Destitutam terram principibus & consilio nudatam perspicientes Britones,arma corripiunt,fines regni Francorum inuadunt,Ligerim transeunt, & vsque Pictauis progrediuntur, cædibus,rapinis, ac incendijs omnia depopulantes, oneratiq;ingenti præda ad propria redeunt. Ad compescendam vero huius præsumptionis insolentiam, Carolus cum magno exercitu Britanniam intrauit. Pugna committitur. Saxones qui conducti fuerunt ad excipiendos velocium equorum anfractuosos recursus,in prima fronte ponuntur. Sed primo impetu spiculis Britonum in acie se recondunt,Britones more solito huc illucq; cum equis ad huiuscemodi conflictum exercitatis discurrentes, modo confertam Francorum aciem impetunt,ac totis viribus in medio spicula torquent, nunc fugam simulantes insequentium nihilominus pectoribus spicula figunt. Franci, qui quo minus strictis gladijs pugnare consueuerant,attoniti stabant,nouitate autem inexperti discriminis perculsi,nec ad insequēdum idonei,nec in vnum conglobati tuti.Nox superueniens bellum diremit. Multi ex Francis interfecti, quam plurimi vulnerati,innumerabiles equi perierunt. Sequenti die rursus pugna inchoatur,sed grauiori infortunio finitur.Quod cernens Carolus nimio terrore dissolutus,nocte incio exercitu clam aufugit, derelicto papilione,tentorijs,& omni regio apparatu.Mane facto, cum exercitus fuga lapsum regem comperisset, nimia formidine repletur, nihilq; aliud nisi de fuga meditatur. Britones cum clamore irruunt, & castra Francorum omnibus diuitijs referta inuadunt, omnemq; belli copiam capessunt, fugientia Francorum agmina insequuntur, obuios quosque aut ferro cædunt,aut viuos capiunt.Reliquos fuga seruauit.Ditati itaque Britones opibus Francorum,armisq; instructi,in sua se recolligunt.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXI, Carolus placitum habuit in Compendio,ibique cum optimatum cōsilio, Rodoberto comiti ducatum inter Ligerim & Sequanam aduersum Britones commendauit: quem cum ingenti industria per aliquod tempus rexit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXII Numeneus rex Britonū moritur, diuino

uino nutu percussus. Nam cum ecclesias Dei deuastaret,& confinia crudeliter depopularetur, eo quod Carolo debitam fidelitatem seruarent: quadam die cum equum ascendere vellet, vt cœptam malitiam consummaret, repente vidit ante se sanctum Maurilonem episcopum astare, sibi hæc toruo vultu & terribilibus oculis ingeminantem, Desine tam crudelis prædo ecclesias Dei vastare. His dictis, baculum quem manu gestabat eleuans, eum in capite percussit: qui à suis in domum reportatus, vitam cum regno finiuit. Fuit autem iste Maurilo episcopus Andagauēsis vrbis, cuius ciuitatis termini cohærebant finibus Britanniæ, & ideo ab eis grauiter depopulabatur. Filius Numenei Herispius regnum paternum obtinuit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXIII, Carolus iterum cum immenso exercitu fines Btitonum intrauit, sed minime, vt optauerat, præualuit. Nouissime autem eis pacem fecit. Datis itaque ex vtraque parte obsidibus & sacramentis, Herispius rex ad eum venit, eiusq; dominationi se subdit. Carolus vero magnis muneribus honoratum Herispium in regnum abire permisit, ipse in Franciam reuertitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXIV, Lotharius rex cœpit occasiones quærere, qualiter Thietbergam reginam à suo consortio separare potuisset, quam exosam habebat propter Waldradam, quæ eius fuerat concubina, cum adhuc adolescēs esset in domo paterna; hanc siquidem, diabolo inflammante, nimio diligebat amore. Guntherium itaq; Colonien sis vrbis pontificē, qui eo tempore erat archicapellanus, rex primo per subintroductos missos, deinde per semetipsum super huiusçemodi dissidio omni arte aggreditur, & vt facilius assensum præberet, promisit se eiusdem episcopi neptem in matrimonium accepturum, tantum vt prædictam Thietbergam, eius aliorumq; episcoporum auctoritate & licentia repudiare quacunq; ratione potuisset. Qui, vt erat leuis animo ac inconsideratus actione, protinus omni intentione introducitur, vana spe vt postea claruit, seductus. Rursus idem Guntherius Thietgandū archiepiscopum Treuirensem hac de causa alloquitur, sciens esse virum simplicem, nec adeo in diuinis scripturis eruditum, canonicisq; sanctionibus exercitatum: ex vtriusq; testamenti paginis quasdam sententias profert, quas aliter quam ecclesiastica regula docet edisserens, virum improuidum secum in foueam trahit, cœcus cæco ducatum præstans. Quid plura? facta sunt omnia quæ huic commento videbantur esse necessaria. Concilium Metis conuocat, reginam quasi canonice euocatā in medio statuunt, testes producunt vnà cū scriptis, qui valde grauia crimina imponebant: inter alia protestati sunt, quod eadem Thietberga confessa fuisset, semetipsam fratris germani incestuoso concubitu esse pollutam. Continuo statuta patrum de incestuosis recitātur, & non solum à legitimo viro separatur, verum etiam omnis copula maritalis inhibetur, pœnitentia iuxta modū culpæ indicitur, & tali nefaria machinatione diu exoptata voluntas regis adimpletur. Non multo post interiecto tempore iterum conuēctum synodalem Aquisgrani coadunant, vbi rex libellum suæ proclamationis obtulit: vbi continebatur, qualiter in quadam fœmina Thietberga nomine, factiosis perfidorum hominum argumentis fuerat defraudatus: immo non mediocriter repetiuit, quod iudicio Episcoporum dissidij sententiam pertulisset. quæ si idonea esset coniugali thoro, & pestifera incestus pollutione fœdata non fuisset, nec viuæ vocis confessione publice condemnata, sponte eam retineret: porro se incontinentē esse professus est, & sine copula iuuenilis ætatis ardorē ferre non posse. Allatis itaq; diuersorum conciliorum voluminibus, multa de incestuosis replicata sunt; quibus recitatis hanc diffinitiuam sententiam protulerunt: Credimus illam non fuisse idoneam ac legitimam coniugem, neque adeo præparatam esse vxorem, quæ publica confessione incestuoso fornicationis crimine denotata probatur. Quocirca glorioso principi nostro p̄ sua in diuino cultu deuotissima assertione, atq; victoriosissima regni tuitione, cui non solum nos, verum etiā canonica auctoritas interdixit incestuosum coniugium, legitimum matrimonium à Deo illi concessum non denegamus iuxta indulgentiam dicentis apostoli, Melius est nubere, quam vri. His ita patratis, Waldrada iam in publicum procedit, stipata obsequentium multitudine, omnisq; regia aula resultat Waldradam reginam esse. Gunthe rij episcopi neptis ad regem accersitur, ac semel, vt aiunt, ab eo constupratur, atq; cum cachinno & omnium derisione ad auunculum remittitur. Igitur agentibus fratribus

Thietbergæ reginæ, hæc omnia ad notitiam Nicolai papæ deferuntur, qui eo tempore Romanæ præsidebat ecclesiæ.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXV, missi sunt Hagano & Rodoaldus apostolicæ sedis legati in Galliam ad discutiendum, vtrum res ita se haberet, sicut summo pontifici nunciata fuerat. qui in Franciam venientes, pecunia corrupti, magis fauerũt iniquitati, quam æquitati. Tamen ad regem peruenientes, cum ei declarassent legationis suæ causas, tale responsum ab eo acceperunt: se nihil aliud egisse, nisi quod episcopi ipsius regni in generali synodo sibi agendum præmonstrassent. Dederunt autem iidem legati consilium regi, vt illos episcopos qui illi synodo præfuerant, ad sedem apostolicam destinaret, qui verbis ac scriptis vniuersali papæ satisfacerent. Legati immensis ditati opibus, Romam regressi sunt, nunciaueruntque Præsuli quæ in Galliis viderant & audierant, adiicientes se nullum sapientem episcopum in regno Lotharij inuenisse, qui ad liquidum canonicis esset institutus disciplinis. Interea Thietgandus & Guntherius archiepiscopi Romam profecti sunt, ea animi intentione, & vt regem innoxium in supra dicto facto demonstrarent, & se cum cæteris coepiscopis ecclesiastica atque apostolica exercuisse decreta: stultitiæ quidem elogio denotandi, qui illam Petri sedem aliquo prauo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi vnquam falli potuit. Itaque cum in præsentiam Nicolai papæ veniissent, libellum obtulerunt, in quo continebantur gesta synodalia, quæ in Mediomatrico vrbe & Aquis ab eis statuta fuerant. Qui cum à notario coram omnibus recitatus esset, interrogauit pontifex, si hæc scripta verbis confirmarent? Responderunt inconuenientis videri, vt quod propriis manibus roborauerant, verbis infirmare malent. Et sic nec repulsa, nec admissa eorum assertione, iussi sunt ire ad hospitia sua, quousque reuocarentur. Paucis interpositis diebus, ad synodum quam papa congregauerat, sunt accersiti, vbi eorum damnata & anathematisata sunt scripta, & ipsi, omnibus adiudicantibus episcopis, presbyteris & diaconis, sunt depositi, & omni ecclesiastica dignitate priuati. Qui tam turpiter dehonestati, Ludouicum imperatorem fratrem Lotharij regis adeunt, qui ea tempestate Beneuentanis morabatur, in partibus scriptis ac dictis vociferantes se iniuste esse depositos, ipsi imperatori & omni sanctæ ecclesiæ iniuriam esse factam, cum nunquam auditum sit, vel vspiam lectum, quod vllus metropolitanus sine conscientia principis vel præsentia aliorum metropolitanorum fuerit degradatus. Adiecerunt insuper multa alia, blasphemantes eundem papam, quæ hic superfluum duximus enumerare, existimantes eiusdem se imperatoris adminiculo, simul & intercessionis ope, & criminis obiecti abolere notam, & pristinæ dignitatis recuperare statum. Sed spes eorum frustrata est, quamuis imperator omnibus votis illis opitulari voluisset. Thietgandus depositionis suæ à sede apostolica prolatam sententiam patienter ferens, iuxta præcedentem consuetudinem, nihil omnino de sacro ministerio contingere præsumpsit. Guntherius vero superbiæ spiritu inflatus, vetitum sibi officium vsurpare ausu temerario non expauit, parui pendẽs apostolicam excommunicationem. Reuertuntur igitur in Franciam debita confessione repulsi. Et dum iterum ac tertio sedem apostolicam reparationis & restitutionis gratia adissent, nouissime in Italia infirmitate præuenti, peregrini & exules moriuntur, communione laicali sibi tantum concessa.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXVI, Arsenius episcopus, apocrisarius & consiliarius Nicolai papæ, vice ipsius directus est in Franciam: quo perueniens tanta authoritate & potestate vsus est, ac si idem summus præsul aduenisset. Conuocato denique episcoporum conuentu, Lotharium regem alloquitur, vt vnum è duobus eligat; aut propriæ reconcilietur vxori, abdicato Waldradæ pellicis consortio; aut protinus anathematis gladio feriretur, ipse omnesque ei in hoc scelere fautorem præstantes. Hac necessitate compulsus vel constrictus, vellet nollet, Thietbergam reginam in matrimonium recepit, interposito iurisiurandi sacramento, se illam ita in reliquum habere, sicut æquitatis iura dictant, legitimam vxorem esse tenendam, ne eam à se separaret, nec ipsa viuente aliam super eam induceret. Post hæc Waldradam ex authoritate Dei & sancti Petri, & verbo domini Apostolici Romam ire iubet, vt pro se rationem reddere studeat. Engildrudam vxorẽ quondã Busonis comitis à

sede

ſede apoſtolica excõmunicatam eſſe omnibus declarauit, quia proprium deſeruerat maritum, & Wangerum ſuum vaſallum in Gallias ſecuta fuerit, quã excommunicationem cum omnibus qui aderãt epiſcopis renouauit. Poſt hęc eadem Engildrũda prædicto Arſenio in Wormatia ciuitate ſe repræſentauit, in quo loco præfatus epiſcopus Ludouico regi occurrerat. Iurauit igitur in pręſẽtia ipſius miſſi ſacramentũ, hunc modum continens: Ego Engildrudis filia quondam Matfridi comitis, quæ fui vxor Buſonis comitis, vobis domino Arſenio epiſcopo miſſo, & apochryſario ſummæ ſanctæ catholicę atq; apoſtolicę ſedis, & per vos domino meo Nicolao ſummo põtifici & vniuerſali papę iuro per patrẽ, filiũ, & ſpiritũ ſanctũ, & per hæc quatuor Christi Dei euangelia, quę ore oſculor, & manibus propriis tãgo, quia amodo relictã illã malitiã, quam in prænominato Buſone viro meo exercui, vt ouis quæ perdita fuit, ad ſanctã catholicam, ſub eadẽ obligatione qua dominus Nicolaus ſummus põtifex & vniuerſalis papa me obligauit, reuertar eccleſiã, & in Italico regno, aut vobiſcum, aut ante vos, quoquo modo prouideritis, ibo, & quicquid dominus apoſtolicus iuſſerit vel terminauerit, adimplebo, vel perficere nõ recuſabo. Sed tã horribile iuſiurandũ nõ adimpleuit; ſiquidẽ vſq; Danubij fluẽta cum eodẽ Arſenio perrexit, ibiq; ad quempiã conſanguineum pro caballorũ adminiculo ire cõdixit, & ad Auguſtã ciuitatẽ ad eundẽ miſſum ſe reuerſurã pollicita eſt. Tali occaſione greſſum torquẽs ex Alemania, in Franciã repedauit: quod cum ſupra dictus Arſenius cognouiſſet, epiſtolã miſit omnib. archiepiſcopis & epiſcopis, atq; omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus, Galliæ, Germaniæ ac Neuſtriæ cõmorantibus: obteſtãs omnes per authoritatẽ Dei omnipotẽtis, & beatorũ principũ Petri & Pauli & domini põtificis & vniuerſalis papæ, vt nullus eam in ſuã parochiã reciperet, ſed eam funditus in omnib. eccleſiis ſuis prædicarẽt excõmunicatã & ab omni Chriſtianorũ cõmunione ſequeſtratã, inſuper & anathematis vinculo innodatã & inter impias & ſceleroſas damnatã, donec de peſtiferis factionib. ſuis, atq; perpetrato periurio ante domini apoſtolici pręſentiam dignã acciperet pœnitẽtiam. His ſummatim commemoratis reuertamur ad Lotharij regis ingemiſcendã cauſam. Legatus itaq; apoſtolicę ſedis, compoſitis in Gallia rebus, Romã, vnde venerat, reuerſus eſt. Rurſusq; Waldrada eiusq; complicibus decertãtibus, regis animꝰ aduerſus Thietbergã cõmouetur, excitantur iræ, & in ſopitis diſcordiarum & odiorum cinerib. denuo copioſus ignis accẽditur. Deſpicitur, abominatur, rea citatur, adulterij crimẽ impingitur, omniq; ingenij arte exquiritur, qualiter puniri quaſi rea poſſit. Illa ꝑuidẽs, imminere ſibi mortis periculum, latẽter aufugit, & ad Carolum perueniens, eius ſe tuitioni cõmiſit. Quod cum fama diuulgante Nicolaus papa cognouiſſet, miſit Carolo regi epiſtolam collaudatoriam, hęc continentẽ. Inter alios ſanctę eccleſię religioſos propugnatores, veritatis ſtrenuos defenſores, neminem magis ſuper Thietbergæ glorioſæ reginæ contritione ſollicitum, neminem magis ipſius incommoditatibus condoluiſſe, quam veſtræ pietatis affectum recolimus. Et poſt congruẽtem exhortationẽ addidit. Excellentiam veſtram nolumus ignorare, adeo Lotharium regem Thietbergam coniugem ſuam diuerſis afflictionibus ſubdidiſſe, & innumeris preſſuris contra præſcripta iuramenta ſubegiſſe, vt nobis coacta nũc ſcriberet, regia ſe velle exui dignitate ſine copula, & ſolam priuata vita fore contentam. Cui nos reſcripſimus, nõ hoc aliter fieri poſſe, niſi eandem vitam coniunx eius Lotharius elegiſſet. Verum ſicut multorũ relatu didicimus, ipſe Lotharius conuentum celebrare diſpoſuit, & eandem Thietbergam ex animi proprio iudicio ſubiicere meditatur. Et ſiquidem eam præſtigiis falſitatis ſuæ, vel argumentoſis ambagibus potuerit exhibere, quaſi non fuerit legitima ſua vxor, vult eam penitus à ſe ſequeſtrare: Sin autem, vult tanquam propriam quidem vxorem accipere, ſed deinde, quaſi mœchata fuerit, inſimulare, atque propter hoc hominem ſuum & hominem Thietbergæ ad monachiam impellere, & ſi homo ipſius reginæ ceciderit, diſponit hanc ſine dilatione perimere. Quæ quantum ſint omni diuinæ legi contraria, magnitudo prudentiæ veſtrę, credimus, iam aduertit. Sed & nos hinc aliquid ſtrictim volumus demonſtrare, prius aſſeuerantes, quod de retroacta controuerſia, Thietberga non debet vlterius ad iteratam reſponſionem prouocari, quoniam quod bene ſemel definitum eſt, & interpoſitis ſacramentis deliberatum, nulla debet iteratione, niſi fortaſſis ibi fuerit maior authoritas, retractari. Deinde, quod eccleſię refugium quę-

rens, ecclesiasticum iudicium semper expetens, submitti non debet seculari iudicio. Post hæc vero, cum nos ex vtraque parte idem tam à Lothario quam à Thietberga fuerimus prouocati iudices, nosq; amborum controuersiam executi simus, ad nullos alios conuenit super hoc negotio iudices conuolare; cum secundum sacros canones à iudicibus, quos communis cõsensus elegerit, non liceat prouocare. Itaq; cum non sit apostolicę sedis authoritate, quę amborum negotium executa est, vsquam maior authoritas: nescimus, si alicui liceat de eius iudicio iudicare, vel eius retractare sententiam. Et post pauca: Illud vero, quod Lotharius Thietbergam de adulterio criminatur, quis non videat dolo esse plenum? Denique si vt ipse iactat, vxor eius non pertinet ad eum, illi de adulterio calumniam texere, cum nec mœchari potuit, si alicuius vxor non existit. Porro si à Lothario de adulterio accusatur, & si victa fuerit, vltio præparatur; necesse est vt fateatur vxorem. & quibusdam interpositis: Præterea siue de coniugij fœdere, siue de adulterij crimine iudicium sit agitandum, nulla ratione patet, Thietbergam cum Lothario posse legalem inire conflictum, vel legitimum controuersiæ subire certamen, nisi prius ad tempus suę fuerit reddita potestati, seu & suis consanguineis libere sociata: inter quos etiam locus prouidendus est, vbi nulla vis multitudinis formidanda, & non sit difficile testes producere, vel cæteras personas, quæ tam à sanctis canonibus, quam à venerandis Romanorum legibus in huiusmodi controuersiis requiruntur. Verum hæc non vt fiant dicimus, quæ sine decreto & ordinatione nostra fieri non posse suprà docuimus.

Accensus itaque idem sanctissimus pontifex zelo Dei, quo fuerat sacerdos quondam inflammatus, Waldradam ipso die Purificationis sanctæ Mariæ Dei genitricis, in basilica excommunicauit, & ab omni Christianorum consortio separauit, destinauit epistolam omnibus episcopis per Germaniam & Gallias constitutis, causas & modum excommunicationis continentem, cuius sensum quam verborum seriem causa breuitatis potius placuit ponere. Decreueramus quidem circa Waldradam mœcham & pertinaciter in impœnitentia permanentem, vindictæ modum minus districte temperare, & iuxta quod merebatur, non ita pro scelere sententiam in eam iustæ punitionis proferre, nisi obstinato animo in mœchiæ volutabro perenniter permanere proposuisset. Igitur, quia monita nostra & crebras exhortationes contempsit, quia culpam suam nec dum cognouit nec confessa est, nec missa nobis legatione, qui causam ipsius exequendam suscepimus, veniam postulauit; postremo cum recto itinere nos illi fuerat adeundum, & beati Petri apostoli suffragia requirenda, retro est conuersa post Sathanam, nec non & Thietbergæ reginæ dolos struere cœpta interitus meditatione non cessat: cum egregio apostolo dicimus, quod contra eam contraque eius similes sæpius replicandum est, quia secundum duritiam suam & cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ. Idcirco nos eam de factis suis excommunicauimus, donec ecclesiæ Christi, nobisque præcipue qui eius principaliter curam gerimus, quique causam ipsius exequi ac inuestigare cepimus, satisfecerit, donec etiam sinistram omnem, suspicionem, consilium nostrum suscipiens, admat, ac pretiosi corporis & sanguinis Domini perceptione, atque ab omni modo consortio sanctæ ecclesiæ, sancti Spiritus, beatorumque apostolorum Petri & Pauli iudicio, & mediocritatis authoritate fecimus, prorsus cum vniuersis complicibus & communicatoribus fautoribusque suis prorsus extorrem. Hanc sententiam IV nonas Frebruarij à nobis promulgatam meminimus, eamq; scripto vobis destinauimus, & ne labor inanis constituatur, spiritualis nobiscum vestra fraternitas, aduersus iam dictam mœcham, & communicatores eius arma sustollat, & in parochia sua excommunicatam hanc, fautoresque suos, vna voce vnusquisque denuntiet, donec nostro speciali iudicio dignæ se pœnitentiæ submittat. Direxit etiam Lothario regi idem reuerendissimus pontifex epistolam hæc continentem: Audito reuertenti misso nostro, correctionis tuæ (vt ita dicamus) initio, gratias Deo condignas egimus. & vt tibi quoque grates competibiles referremus, animum præparauimus. Sed heu aduersa nuntia huius intentionis nostræ proposito celeriter obuiauerunt. Quapropter compulsi sumus mutare vocem, & qui ad gratiarum actiones os aperire dispoueramus, in luctus & increpationes ad hoc officium linguæ coacti dirigimus. Didicimus enim te,

qui

qui prolixo tempore in scelere permanens, ecclesiæ Dei non modicum nocuisti, nocere adhuc, & qui in sordibus eras, sordescere adhuc: siquidem, vt opinamur, tibi non sufficit solum adulterium perpetrasse, nisi apponas, vt etiam animas hominum periurij laqueis irretitas, in extremum demergas interitum. Sed quid mirum, si paucorum animabus periurio exitium acquisisti, quando in tanta sublimitate positus, per exemplum tuæ mœchæ tot hominum millia in perditionis chaos præcipitaueris. Illud autem quod Thietberga, quasi Waldradæ testimonium dicens, eam fuisse tuam legitimam vxorem, volens aut inuita frustra conatur astruere, quandoquidem illius nullus prorsus hinc testimonio quis indigeat, cum magis nos ita sentiamus quod iustum est, & intelligamus quod æquum, vt etiam Thietberga mortua, tu nullis legibus, nullis regulis vnquam Waldradam in vxorem possis aut permittaris assumere. Vtrum ergo Waldrada legitima tua fuerit aliquando coniunx, ecclesia Dei satisfactione Thietbergæ non eget. Vnum tamen scimus, quoniam nec nos, eadem ecclesia Dei, authore Deo qui adulteros iudicabit, te, si Waldradam quandocunque resumpseris, etiam Thietberga decedente, dimittet modis omnibus impunitum. Et post pauca: Itaque summo studio præfatam Thietbergam coniugem tuam, tanquam propriam fouere carnem ac diligere procurato, & ne illam à te separare vllo pacto consentias, vigilanter attende: vnde si vult à te discedere, corrige, imo corripe eam, & à tali intentione per omnia reuocare satage. Iam vero si amore pudicitiæ separationem quærat, & coniugalis connubii solutionem efflagitet, certum est apostolo dicente: Quoniam mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Verum si & ipse pudicitiam sectatus religionis obtentu copulam dissoluere vis, tantum ne simulate fiat, concedimus. Nam licet sit scriptum, Quos Deus coniunxit, homo non separet: Deus tamen, & non homo separat, quando diuini amoris intuitu, ex cõsensu vtriusque coniugis matrimonia dissoluuntur. Si ergo hoc modo vis, gratuito permittimus animo, celeremq; præbemus assensum, aliter autem fieri mutuam vestram separationem prohibemus. Porro si sterilitas accusatur, cogites Saram nonagenariam, Annam quoque simul & Elizabeth, quam tamen sterilitatem fortasse non facit infœcũditas, sed iniquitas. Ergo gloriosissime rex esto propria contentus vxore, & præter illius alterius ne quæras consortium. Igitur consilium nostrum accipe, & monita nostra tãquam affectuosi patris amplectere, atque ab omni prauitate mentem, linguam, corpusq; refrena, præcipue Waldradæ pellicis tuæ, & dudum à te repudiatæ communionem declinans, & eius consortium perpetuæ obliuioni contradens. Excommunicata est enim, & vsq; ad præsentiam nostram ab omni Christianorum contubernio sequestrata, sicut totus iam nouit Occidens, & iam quoque per missos nostros minime cum plagis cæteris Oriens ignorabit. Quamobrẽ cauendum est, ne cum ea pari mucrone percellaris sententiæ, ac pro vnius mulierculæ passione, & breuissimi temporis desyderio, vinctus & obligatus ad sulphureos fœtores & ad perẽne trahatis exitium. Et paucis interpositis epistolam sic concludit: Hæc autẽ nos tibi nunc scripsisse, & quasi inter nos & te nostra verba excessus tuos corripiẽtia discurrisse sufficiat: cęterum præcaue, ne cum nobis secũdum pręceptum duos aut tres testes adhibeamus, imo vero ne hoc ecclesiæ sanctæ dicamus, & quod non optamus, de cætero fias sicut ethnicus & publicanus.

Ecce ex multis pauca notare curauimus, vt sic nescientibus ex parte fierent cognita, vt tamen scientib. non per omnia essent onerosa. Qualem vero exitum huius pestiferi morbi pernicies attulerit (apostolico renuẽs antidoto mederi) quãtaq; regni dispendia ex hac mortifera cõtagione fecerit; supra dictus papa spiritu sancto afflatus prędixerat, quæ in subsequentibus suo in loco demonstrabimus. Circa hæc tempora Ludouicus rex fratris sui Caroli regnũ cum exercitu ingressus est, gestiens occidentalia regna suo dominatui subiugare, fratriq; præripere debitam portionem, quæ ei sorte ac funiculo hæreditatis competenter acciderat, oblitus germanitatis ac consanguinitatis fœdera; oblitus pacti, quod iam dudum mutua conuentione pepigerat; immemor etiam sacramentorũ, quibus se cum magnis execrationibus coram Deo obligauerat. Prębuerat ad hoc facinus peragẽdũ occasionem & incitamenta, fomitem, Carolus, qui & (vt præmisimus) quosdam ex nobilioribus regni, aut publice adiudicatos gladio percussit, aut dolo deceptos perdidit. Cęteri formidãtes ne similia paterẽtur, Ludouicum regẽ trans Rhe-

ñum commorantem ſollicitant, eiusq; animum ad obtinendum fratris regnum illiciunt, promittentes ſemetipſos vna cum regno eius ditioni tradituros. Hac perſuaſione, vt animi regum auidi & ſemper inexplebiles ſunt, facile in ſpem introductus, cum valida manu, vt diximus, terminos regni intrauit. Carolus ſentiens viros regni à ſe defeciſſe, in vltimis finibus Aquitaniæ, Lugiæ latibulum quæſiuit. Ludouicus, vt cœperat, regnum obtinuit, ac vſque Retnenſem ciuitatem peruenit. Dimiſſo vero exercitu, in Germaniã ad propria redire, cum optimatib. regni cœpit negotia diſponere. Sed ſubito fortuna mutatur: nã principes qui eum in regnum introduxerant, videntesq; quod longe aliter incederet erga eos quam exiſtimauerant, pœnitudine tacti, ad Carolum reuertuntur. Carolus ex deſperatis rebus vires ſe recepiſſe congaudens, contractis vndique copiis, fratrem bello aggredi tentat. Ille intuens, & à ſuis quos ſecũ adduxerat, & ab his quos ibi acquiſiſſe viſus fuerat, ſe eſſe deſtitutum, maturius fugam arripuit, & cũ debita confuſione fines regni exceſſit. Hac tẽpeſtate Hubertus abbas frater Thietbergæ reginæ contra Lotharium regem rebellare exorſus eſt. Collecta quippe prædonum valida manu, rapinas cœpit exercere, interfectisque aut fugatis Lotharij fidelibus qui finitima poſſidebãt loca, agros villasq; eorũ ſuę factionis ſectatoribus diſtribuit. Ad huiuſcemodi temeritatẽ comprimendã Lotharius rex ſemel, iterũ, atq; tertio exercitũ ꝑduxit, frequenter ẽt cum ducibus armatorũ multitudinẽ direxit, ſed minime hanc præſumptionẽ extinguere potuit, quia loca inacceſſibilia erãt inter Iurã & Alpes Apenninas, ſeditioſis ñunitiſſima itinera & difficilẽ ingreſſum præſtãtia. Attamẽ idẽ Acephala Hubertus nouiſſime à Conrado comite peremptus eſt iuxta caſtrũ quod Vrba dicitur.

Anno Dominicæ incarnat. DCCCLXVI. Heriſpoſius rex Britonum à ſuis interficitur, & Salomon dux in loco eius ſubrogatur. Erat enim iſte vir ſtrenuus & bellicoſus, & tam forma quam animo ad regni gubernacula coaptatus. Carolus tertio ſuper Britones cum exercitu irruere diſponit, ſed cum ad terminos gẽtis appropinquaſſet, audito quod ad reſiſtẽdum totis viribus parati eſſent, ſubito mutata volũtate, magis elegit pacem ſuſcipere quam bellum inferre. Facta itaque pactione cum Salomone, quam dudum cum Heriſpio fecerat, diſceſſit.

Anno Dominicæ incarnat. DCCCLXVII, Nortmanni oram Ligeris fluminis occupantes: nã Metenſem, Andagauenſem, Pictauenſem, atq; Turonicam prouinciã iterato crudeliter depopulari cœperunt: contra quos Rubertus, qui Marchiam tenebat, & Ranulfus dux Aquitanię collecta multitudine, aciem dirigunt. Illi ſentientes ſe exercitu inſequi, cũ ſumma acceleratione ad claſſem repedare contendunt, ſed cũ appropinquare inſequentium multitudinẽ cernerent, cognoſcentes ſe effugere nõ poſſe, quandam villam ingrediũtur, vbi ſe, quantum hora permiſit, cõmuniunt. Erat aũt in eadem villa baſilica pergrandis ex lapide conſtructa, in q̃ maxima pars Nortmannorũ introiuit cum duce eorum, nomine Haſtingo. Rubertus & Ranulfus cum ſociis ſuperirruũt: quoſcunq; extra baſilicã reperiere, abſq; mora trucidant. Ad eccleſiam peruenientes, cum vidiſſent locum munitum, & animaduertiſſent non modicam turbam paganorum intrinſecus latitantem: parũper deliberantes caſtra in circuitu ſtatuũt, tentoria figunt, vt in craſtinũ extructis aggeribus, applicatisq; machinis hoſtes totis viribus expugnarent; declinabat quippe iam ſol ad occaſum. Rubertus nimio calore exęſtuans, galeam & loricam depoſuit, vt aura collecta pauliſper refrigeretur: cumque vnuſquiſq; in poſitione caſtrorum intenderet, repente Nortmanni à munitione exiliunt, & cũ ingenti clamore ſuper Rubertũ ac ſocios impetum fecerunt. Sed quamuis repentini & ſubitanei caſus ẽt fortiſſimos viros in bello conturbare ſoleant, tamen arma quam citius corripiunt, hoſtes viriliter excipiũt, & cædentes in baſilicã redire cõpellunt. Rubert⁹ abſq; galea & lorica accurrẽs, cum incautius dimicaret, & inimicos vltra inſequeretur, interfectus eſt in introitu ipſius eccleſiæ; eius corp⁹ iam exanime Nortmãni intrinſecus trahunt. Porro Ranulfus cũ eminus ſtans euentum rei ſpecularetur, à quodam Nortmano per feneſtrã baſilicæ, ſagittæ ictu grauiter vulneratus eſt, & à ſuis ex certamine eductus vix triduo ſuperuixit. Tali infelici infortunio pugna commiſſa & finita, exercitus amiſſo capite, errore pariter ac mœrore repletus, ſoluit eadem hora obſidionem, & ad propria reuertitur, Nortmanni ouantes ad claſſem dirigunt greſſum. Non multo poſt interiecto tempore Hugo abbas in locum Ruberti ſubſtitutus eſt, vir ſtrenuus, humilis, iuſtus,

iustus,pacificus,& omni morũ honestate fundat⁹:siquidẽ Vdo & Rubertus filij Rubertiadhuc paruuli erãt, quãdo pater extinct⁹est,idcirco non est illis ducatus commissus. Per id tempus gens Sarracenorum in Beneuentum ex Africa veniens,vniuersam pene regionem illam inuaserunt,cædibus,rapinis,ac incendiis omnia depopulantes:contra quos Ludouicus imperator exercitũ contrahit,& veritus ne forte aduersus innumerabilem hostium multitudinem vires regni non sufficerent,ad fratrem in Gallias legatos mittit,omnino exposcens,vt ad præfatæ nequissimæ gentis vires extenuandas, audaciamq; refrenandam,sibi cum Dei auxilio virtute quoq; Francorum opitularetur. Qui nihil cunctatus,exercitũ cum ingenti industria vndequaq; contrahit, fratriq; quanta potuit celeritate in adiutorium venit. vbi plurima bella gesta sunt non solum fortiter, sed ẽt feliciter,Deo opem ferente. Inter hæc exercitus Lotharij graui peste fatigatur, ex insueto quippe calore & intemperie aeris dissolutus,dysenteriæ & lienteriæ morbo corripitur: ex qua plaga innumerabilis multitudo extincta est,plurimi ẽt aranearum morsib. perierunt: vt iam tũc daretur intelligi, q; propter duritiam & cor impœnitens Deus non solum Lothario,verumetiam omni regno eius aduersaretur. Reuertitur itaque in Franciam non sine graui,vt dictum est,dispendio suorum.

Anno Dominicæ incarn. DCCCLXVIII, Nicolaus sanctissimus & beatissimus papa,post multos pro Christo labores & multa pro sanctæ ecclesiæ inuiolabili statu certamina, migrauit ad cœlestia regna, recepturus pro administrata fideliter sibi credita dispensatione à largissimo domino immarcescibilem gloriæ coronã: de cuius Deo placitis actibus plura poterant dici relatu digna,nisi breuitati studentes causas rerũ magis summatim notare, quam explanare proposuissemus. Denique post beatum Gregoriũ vsque in præsens,nullus præsul in Romana vrbe põtificali honore sublimatus,illi videtur æquiparandus. Regibus ac tyrannis imperauit, eisq; ac si dominus orbis terrarum, authoritate præfuit. Episcopis & sacerdotibus religiosis,ac Domini mãdata obseruantibus humilis,blandus, pius, mansuetus apparuit; irreligiosis & à recto tramite exorbitantibus terribilis atque austeritate plenus extitit,vt merito credatur alter Helias (Deo suscitante)nostris in temporibus resurrexisse,etsi non corpore,tamen spiritu & virtute. Huic sanctissimæ memoriæ viro Adrianus in pontificatu successit:quod cum Lotharius rex certa relatione comperisset, ei talia scripta direxit: Infausta relatio & inambigua hacten⁹ manẽs (vt ita dicamus) acriter nostræ serenitatis trãsuerberauit aures intimando, quod beatæ recordationis dominus Nicolaus ab hac lachrymarum valle,vocante Christo,decesserit, cum sanctis (vt credimus) inæstimabiliter coronandus. Nec differt,vt omnis Christiana religio de tãto pontifice doleat,& omnis ecclesiasticus ordo de prudẽtissimo papa ingemiscat: reuera nos potius deflemus,qui causas nostræ calumniæ & fraudulentas æmulorum nostrorum querimonias,tam benigno patri æquitatis ac iustitiæ lance ponderandas ac terminandas ad tempus & in parte commisimus; sed quod lugubrius replicamus,plus apud sanctitatem illius valuere inimicorum insidiæ & simulatæ deceptiones,quam nostra simplex & pura defensio. Nos enim literis & verbis indesinenter proclamantes,& diuersis legationibus eadem repetẽtes,humiliter postulauimus,vt nos & accusatores nostri iuxta diuinas & humanas leges sui pontificatus audientiam mereremur, vt ratio docet, nostram præsentiam exhibendo: sed semper repulsi fumus. Post pauca: Sed quia Deus omnipotens princeps pastorũ in illa sancta sede vestri pontificatus apicem sublimauit,si tempus arriserit,vestrum multipliciter desyderamus conspectum,& nostris Deo dignis animari colloquiis, ac mellifluæ benedictione potiri. In fine ipsius epistolæ: Interea modis omnibus obsecramus,vt de vestra optabili prosperitate literis vestris celsitudinẽ nostram certã reddẽtes, charæ filiationis munus nobis impartiri dignemini.

Ad hæc supra dictus papa rescripsit,sedem sancti Petri semper paratam esse dignam satisfactionem suscipere, nec quod diuinæ humanæque leges iuste decernunt vnquam repulisse: itaque si immunem ab obiectis se sciret,cum omni fiducia sedem apostolicam oportere adire,vt expetitam benedictionem perciperet; si culpam autem recognosceret,nihilominus absque hæsitatione venire festinaret,condigna pœnitentiæ remedia suscepturus.

His temporibus gens Bulgarũ ferociſſima ac bellicosa,relictis idolis,abrenuntiatisq;

gentilium superstitionibus, in Christum pro maxima parte credidit, & abluta salutari baptismatis vnda, in religionem Christianam transiit. Directi sunt autem à sede apostolica in eandem gentem sacerdotes, ac viri religiosi, qui populum adhuc rudem diuinis informarent præceptis, & incultam barbariem sacris dogmatibus excolentes, Christo gratum habitaculum præpararent, vt huius veræ sanctæ deuotionis opus prosperum obtineret effectum. Ludouicus Christianissimus rex qui Germanis imperabat, non mediocre præbuit supplementum. Feruntautem de huius gentis rege, quod tanta perfectione post perceptam baptismi gratiam cœperit, vt diebus ornamentis regiis indutus, coram populo procederet, noctibus vero sacro vestitu latenter ecclesiam intrans, super pauimentum ipsius basilicæ substrato tantum sibi cilicio prostratus in oratione iaceret. Non post multum tempus diuina inspiratione commotus, regnũ terrenũ dimisit, vt in cœlis æternaliter regnaret cũ Christo: & ordinauit in suũ locum regem filium suum maiorem natu: comam capitis deposuit, habituque sanctæ conuersationis suscepto monachus effectus est, eleemosynis, vigiliis, & orationibus die noctuque intentus. Interea filius eius, quem regem constituerat, longe à paterna intentione & operatione recedẽs, prędas cœpit exercere, ebrietatibus, commessationibus, & libidinibus vacare, & omni conamine ad gentilitatis ritum populum nouiter baptizatum reuocare. quod cum pater audisset, nimio zelo accensus sacrum habitum deposuit, & militiæ cingulum resumpsit, & cultu regio indutus, adsociatis sibi Deum timentibus, filium persecutus est: quem mox absque difficultate cepit, oculosque eius effodit, & in carcerem misit: deinde conuocato omni regno suo, filium iuniorem regem constituit, interminatus coram omnibus, similia fore passurum, si in aliquo à recta Christianitate deuiaret. His ita patratis, depositocingulo, & resumpto sancta religionis habitu, in monasterium ingressus, in sancta conuersatione reliquum vitæ præsentis tempus duxit.

Anno Dominicæ incarnat. DCCCLXIX, Lotharius Romam profectus est: quo cum peruenisset, ab Adriano pontifice honorifice susceptus est. qui ab eodem prędsule sciscitatus, si monita pij patris Domini Nicolai cum omni vigilantia hactenus obseruata haberet, & præstitũ iusiurandũ inuiolato fœdere custoditũ, quod ab illo deceptus, qui in veritate nõ stetit, qui non solum mendax est, sed etiã pater omnis mendacij; respondit se ita omnia obseruasse, ac si diuinitus sibi essent imperata. Cumq; proceres & optimates qui cum eo venerant, eadem testificarentur, nec vlla opposita persona inueniretur, quæ aduersus regiã authoritatẽ legitimũ auderet cõtrouersiæ inire certamen: vniuersalis papa talia prosequitur, Si vestræ testificationis verbis veritas suffragatur, cũ omni alacritate mentis omnipotenti Deo multiplices gratiarum actiones referimus. Restat ergo fili charissime, vt ad confessionem sancti Petri accedas, vbi Deo propitio hostiam salutarem pro tua non tam corporis quam animæ incolumitate immolabimus, ex qua te nobiscum participare oportet, vt per hanc participationem membris Christi, vnde abscissus esse videbaris, merearis incorporari. Finitis igitur missarum solennibus, inuitat summus pontifex eundem regẽ ad mensam Christi, acceptoq; in manibus corpore & sanguine Domini, ita eũ alloquitur, Si innoxium te recognoscis à ꝓhibito atque interdicto tibi à Nicolao adulterij scelere, & hoc fixa mente statutũ habes, vt nunquam diebus vitæ tuæ Waldradæ pellicis tuæ dudũ à te repudiatæ miscearis nefario cõcubitu, fiducialiter accede, & sacramentũ salutis æternæ tibi ad remissiõnẽ peccatorũ ꝓfuturũ percipe: si autẽ tua cõscientia te accusat, te lethali vulnere sauciatũ proclamat, aut iterũ redire mente disponis in mœchiæ volutabrũ, nequaquã sumere ꝑsumas, ne forte ad iudicium & cõdemnationem tibi adueniat, quod fidelibus ad remediũ præparauit diuina prouidentia. Qui mente captus, obduratus pariter & obcæcatus, absq; retractatione cõmunionem corporis & sanguinis Domini de manu pontificis sumpsit, nõ expauescens illã sententiã quę dicit, Horribile incidere in manus Dei viuentis. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Deinde conuersus idem prædsul ad sequaces ac fautores regis, vnicuiq; cõmunionẽ obtulit in hæc verba, Si domino ac regi tuo Lothario in obiecto adulterij crimine fautorem non præstitisti, neq; consensum præbuisti, & Waldradæ & aliis ab hac sede apostolica excõmunicatis non cõmunicasti, corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi prosit tibi in vitã æternam.

Igitur

Igitur quiſquis in his ſe læſum ſciens, auſu temerario communionem ſub tali conteſtatione porrectam ſumere præſumpſit, diuino iudicio percuſſus, ab hac luce ſubtractus eſt, antequam ſubſequentis anni rediret principium: perpauci qui ſe à communione ſubtraxerunt, vix mortis periculum euaſerunt. Porro Lotharius Roma egreſſus morbo corripitur, & Placétiam ciuitatem perueniens, diem clauſit extremum VII idus Auguſti. Tanta autem ſtrages in præfati regis populo facta eſt, vt non peſte periiſſe, ſed hoſtili gladio corruiſſe virtus ac nobilitas totius regni videretur, quæ eo tempore tantę fœcunditatis erat, vt in modum denſarum ſegetum pullulans, veluti quoddam examẽ, imperij fines impleuerit.

Carolus certa relatione comperiens Lotharium regem obiiſſe, mox illius occupare ditionem nititur, Metasque perueniens, ab Aduentio præfatæ vrbis epiſcopo & nonnullis aliis primoribus fauorabiliter exceptus, in regnum ſublimatus, indeq; digrediens Aquiſgrani palatium ingreſſus eſt, eo quod ſedes regis eſſe videretur, vbi multo plures ad eum confluxere.

Carebat autem ea tempeſtate vrbs Treuirorum, & Colonia Agrippinenſis pontificibus: ſiquidem (vt præmiſimus) amborum præſules in Italia ab hac labe ſubtracti ſunt. Inito autẽ rex cum optimatibus conſilio, Bertulfum nepotẽ ſupra dicti Aduentij epiſcopi, eccleſiæ Treuirorũ præfecit. Dictum eſt autem, vt iſte vir epiſcopalem obtineret dignitatem, interuentu & ope prædicti Aduentij, quia eo tempore plurimũ apud regẽ poterat, eo quod illi aſſentando in adipiſcendis regni negotiis ambitioſius faueret.

Porro Coloniæ Agrippinæ rex Hilduuinum abbatem præponere tentauit in pontificali cathedra, fecitque à Francone epiſcopo Tungrenſis diœceſis, in Aquis palatio preſbyterum ordinari ad titulum ſancti Petri prædictæ metropolis.

Dum hæc in regno Lotharij aguntur, LVDOVICVS rex infirmitate detentus, in Baioariorum finibus lecto decumbebat. Audiens itaq;, à fratre ſæpe dictum regnũ taliter inuaſum, ægre tulit, & cum omni feſtinatione legatos direxit, qui eum obnixe rogarẽt, vt ab hac temeraria inuaſione ceſſaret, nec ſolus indebita p̃ſumptione vſurparet, quod vtriſque hæreditario iure æqualiter competebat; regno decederet, quouſq; Deo priſtinam ſoſpitatem reddente, venire poſſet. vt pariter colloquerentur, & de eiuſdem regni ſtatu, quod iuſtitiæ & æquitatis iura dictabunt, pari voluntate decernerẽt. His cum tali mãdato præmiſſis, interim Luidpertum archiepiſcopũ Moguntiæ vrbis occulte Coloniã dirigit, hortaturq;, vt omni arte ſatageret ordinationem Hilduini præuenire, & ex ipſius ciuitatis clero epiſcopum cõſecrare ſtuderet per electionem ciuium. qui aſſumptis ſecum aliis epiſcopis, recto itinere Duizam caſtrũ peruenit, & formidans ne forte inſidiæ ſibi à Caroli fautoribus ſtruerentur, nequaquã Rhenum tranſiit, ſed deſtinatis miſſis mandauit, vt honeſtiores ex clero & nobiliores ex populo ſibi ad idem caſtrum occurrerẽt. Illis iuſſa cõplentibus, epiſcopus ex parte regis eos alloquitur, vt ſibi conſulerent, & quam citius ex proprio grege præſulem eligerent, ſe ad hoc deſtinatum eſſe, vt quẽcunq; communi cõſilio præficiendum decernerent, ſtatim conſecraret. Ad hæc illi reſpondent, Hilduinum epiſcopum eſſe datum, iamq; presbyterum ad ipſam ſedẽ ordinatum, omnesq; pene manib. datis eius dominationem ſuſceptam haberent, nulla rõne permitterent, vt alium eligerent. Quib. ille econtra, ſi electionẽ nobis à rege conceſſam deſpicitis, in arbitrio & poteſtate regis eſt, quem nobis velit dare epiſcopũ. His auditis vnanimiter elegerunt Wilibertum venerabilẽ virum, quem nimiũ renuentem ac refugientem ordinauit prædict⁹ antiſtes, cum aliis conſacerdotib. & cum omni clero & populo Rheni fluenta transfretauit, & cum honorifice in ſede pontificali impoſuit, omnibusq; rite peractis, ad ſua omni celeritate receſſit. Carolus comperta ordinatione nimio furore accenditur, ac mox Coloniam ꝓficiſcitur: quippe dum hæc agerentur à miſſis Ludouici, Hilduinus apud Aquas palatium in regio obſequio morabatur. Wilibertus epiſcop⁹, & omnes qui in eius ordinationẽ conſenſerant, Rhenũ tranſeuntes ſęuitiam regis declinauerunt. Rex cum neminem reperiſſet, in quem ſuas iniurias vlciſci poſſet, via qua venerat regreſſus eſt. Interea iterum legati à Ludouico mittuntur, orantes vt à regno diſcederet: ſed cum minime acquieſceret, nouiſſime Luidbertum archiepiſcopum & Altfridum epiſcopum de Saxonia prudentiſſimũ virum Ludouicus legatos dirigit, mandans vt vnum è duobus eligeret, aut cito à regno recederet, aut ſibi pu-

gnandum cum fratre foret. Qui eum tanta ingenij arte, tantaque constantia aggrediuntur, vt absque dilatione recederet, & in proprio regno se reciperet. Post hęc supra dicti reges conuentum celebrare disponunt, in loco qui dicitur Marsana, iuxta Mosam.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXX, Ludouicus & Carolus vna cum optimatibus & proceribus suis ad Marsanam venientes, regnum quondam Lotharij æquis partibus inter se diuiserunt. Qualiter autem hæc diuisio facta sit, quia omnibus pene notum sit, superuacuum duximus annotare. Carolus conuentu absoluto, ad Heristellium perrexit, quia eidem palatium in parte acciderat. Ludouicus vero ad Aquas palatium rediit, vbi duobus fere mensibus lecto decubuit, aduersa valetudine præuentus.

Denique cum à partibus orientis veniens Ribuariorum terminos intrasset, in quandam regiam villam nomine Flamersheim ad hospitium diuertit: cumq; solariũ domus conscendisset, stipatus obsequentium multitudine, repente ipsum solarium, quod nimia vetustate & putredine resolutum fuerat, trabibus fractis corruit, & inter ruinas eius rex grauiter attritus est, ita vt duæ costæ eius à sua compage disiungerentur. Et cum omnes accurrissent, eumque periisse arbitrarentur, ipse à loco in quo ceciderat, surgens, suis se repræsentauit, asserens se nihil mali passum, & vltra quam credi potest dissimulato languore, sequenti die contra fratrem ad Marsanã proficiscitur. Tanta huius principis duritia, tanta animositas fuit, vt cum etiam fragor fractarum costarum adinuicẽ collidentium à nonnullis audiretur, nemo tamen propter hoc audiret eum suspirium trahentem, vel gemitum emittentem.

Per id tempus Carolus Carolomanum filium suum oculis priuauit: siquidem prædictus rex ex Hirmandrude regina tres filios susceperat, Carolum scilicet, Carolomanum, Ludouicum. Sed duo ex his infœliciter perierunt: nempe Carolus leuitate iuuenili ductus, tentare volens Albuini & Bettonis audaciam, ac sæpe laudatam constantiam, alium se esse simulans, cum ex venatione vespertinis horis idem Albuinus quadam die reuerteretur, super eum solus impetum fecit, veluti equum in quo *, violenter ablaturus, nihil minus existimans, quam filium regis, euaginato gladio ex aduerso eum in capite percussit, moxque terræ prostrauit, deinde multis vulneribus confossum semiuiuum reliquit, arma pariter & caballum suum secum auferens. Debilitatis ergo membris, ac vultu deformatus, pauco tempore superuixit. Albuinus cognito quod regis filius esset, in quem talia exercuerat, celeriter aufugiendo mortis periculum declinauit.

Porro Carolomanus cum adhuc esset puerulus, iussu patris attonsus, clericus effectus est: deinde procedente tempore ad diaconatus officium, quamuis inuitus atque coactus, in præsentia genitoris ordinatus est, legitque publice euãgelium, & ponтifici missam celebranti iuxta morem ministrauit. Post hæc per apostasiam recedens ab ecclesiastica religione, abiiciens ac spernens negligenter gratiam quæ ei data erat per impositionem manus, alter Iulianus efficitur. collecta quippe prædonum non modica turba, ecclesias Dei cœpit deuastare, ea quæ pacis sunt impugnare, cuncta diripere, & inaudita mala perpetrare. pro quibus cum crebro à patre correptus fuisset, nec tamen vllatenus accepta prauitas cessaret, nouissime ex præcepto patris ei oculi eruuntur (vt supra meminimus) iusto Dei iudicio lucem exteriorem amittens, qui interiorem, quæ Christus est, à suo pectore effugauerat; in tenebras exteriores missus, qui interioribus sua sponte se tradiderat. Orbataque Ludouicum auunculum suum adiit, miseriarum & calamitatum suarum ærumnas apud eum lugubriter deplorans. Ille miseratione motus, Absternatum monasterium sancti Willibrodi ei ad subsidium vitæ præsentis concessit, vbi non multo post tempore mortuus & sepultus.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXI, Adrianus papa migrauit ad Dominum, & Ioannes summi pontificis culmen adeptus est. His diebus Adalgisus dux Beneuentanus, Græcorum persuasionibus corruptus, aduersus Ludouicum imperatorem manum leuauit. Etenim eius hortatu plurimæ ciuitates prouinciarum Samnij, Campaniæ & Lucaniæ à Ludouico recedentes, Græcorum dominationi se subdiderunt. Quibus cognitis imperator in prouinciam Samnitum exercitum transfert, petiturus harum prouinciarum caput Beneuentum, ditissimam & opulentissimam ciuitatem.

Adalgisus

Adalgisus aduentare exercitum sentiens, timore perterritus ad callida argumenta cõuertitur, & Beneuento egressus imperatori vltro se offert, paratum se esse & semper fuisse ad eius obsequium profitetur, nunquam defectoribus se assensum præbuisse iuramento confirmat: deinde muneribus regem sibi conciliat, ac mox in pristinam recipitur gratiam. Imperator in Campaniam & Lucaniam, ad ciuitates quæ defecerant, copias transponit, quas absque difficultate in deditionem recepit, excepta Capua, quæ quia quadrato lapide erat constructa, audaciam repugnandi ciuibus præbuit. Cingitur itaque obsidione, omnisque aditus intrandi penitus intercluditur, in circuitu vastatur, cuncta hostili rapacitate diripiuntur: nouissime vites, oliueta & cæteræ fructiferæ arbores radicitus exciduntur. Capuani desperatis rebus episcopum ciuitatis adeunt, corpus sancti Germani episcopi, cuius animam venerabilis pater Benedictus in sphæra ignea ab angelis in cœlum viderat deferri, in feretro leuant, & sic portis apertis supplices castra imperatoris petunt, orantes eiusdem sancti interuentu sibi veniam largiri. Augustus, vt totis pietatis visceribus affluebat, misericordia motus erratis atque excessui benigne indulsit, præcepitque exercitui ab excidio retrahere manum. Expulsis itaq; Græcis, custodes ex numero satellitum in ciuitatibus quas receperat, locat, & Beneuentum proficiscitur, vbi aliquantisper decreuerat immorari. Exercitus longa ciuitatum obsidione fatigatus, genitale solum cœpit suspirare, post emensos labores quietem desyderare: coniugum ac liberorum dulces amplexus ante oculos mentis reuocare, & hac ex causa paulatim quotidie diffluere. Interim Adalgisus, vt erat callidus ingenio, imperatorem alloquitur, cur vires suorum nullis existentibus causis profligaret, cur agros villasq; suæ ditioni subditas hostiliter depopulari permitteret: oporteret vt & fessis optata concederent, & regio quæ iam pene deuastata erat clementia principis saluaretur. Flexus his suggestionib. imperator exercitum pro maxima parte absoluit, & ad propria repedare permisit: ipse cum paucis in eodẽ loco remanet, nil aduersi suspicatus. Adalgisus regẽ suis viribus destitutum cernens, iam dudum conceptã iniquitatem parturit, & cum suæ conspirationis sectatoribus palatium, in quo imperator meridie quiescebat, occupare nititur. Rex à strepitu & clamore irruentium excitatus, lecto desilit, arma corripit, & cum perpaucis corporis sui custodibus ad ostium domus turbatus repentina irruptione procedit, aditumq; ferro intercludens hostem à liminibus arcet. Adalgisus sentiens non sine discrimine ostia domus esse penetranda, ab introitu pedem retrahit, palatiumq; flammis iubet exuri. Interea rex inducias sibi dari petit, pacemq; obnixe deposcit: cui responsum est, non aliter petita impetraturum, nisi prius iureiurando deuouisset, nũquam se diebus vitæ suæ Beneuenti fines intraturum, neque ex calumnia quam tunc patiebatur, vindictam aliquando exacturum. Allatis itaque sanctorum pignoribus, necessitate constrictus, sacramentum quod ab eo exigebatur, iurauit, statimq; postera die à Beneuento exiuit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXII, Ludouicus imperator Romam venit, ibiq; cõuentum celebrans, coram summo pontifice multa super Adalgisi tyrannide cõquestus est. Tunc à senatu Romanorum idẽ Adalgisus tyrannus atque hostis reipublicæ declaratur, bellum etiam aduersus eum decernitur. Ioannes papa imperatorẽ a iuramento quo se obligauerat, authoritate Dei & sancti Petri absoluit, adfirmans nihil obesse, quod ob mortis periculum euadendum coactus fecerat, nec sacramentũ esse dicendum, quod cõtra salutẽ reipublicę, quamuis cũ multis execrationibus fuerit prolatum. His exhortationibus principis animus ad rediuiua certamina prouocatur: tamẽ ne à suis periurus diceretur, nequaquam ipse cõtra tyrannum procedit, sed reginã cum exercitu dirigit. Adalgisus certis indiciis colligens, bellum aduersum se summis viribus parari, hostẽq; se ac tyrannũ esse denunciatũ, suæ nequitiæ conscius, metu perterritus, & spem vitæ in fuga ponens, in Corsicam insulam secessit, ibiq; ad tempus latuit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXIV, locustarum inæstimabilis multitudo mense Aug. ab oriente veniens, totam pene peruastauit Galliam, quæ maiores erant quam cæteræ locustæ, habebantq; sena alarum remigia, & mirũ dictu est, vt castrorum acies distinctis ordinibus per aera ferebantur, vel terræ incũbentes castra metabantur. Duces cũ paucis exercitũ itinere vnius diei præibant, quasi loca apta multitudini prouisuri. Circa horam nonam, vbi duces pridie venerant, insidebant, nec à loco occupato

mouebantur,quouſq; ſol ſuũ repręſentaret ortũ;tunc per turmas ſuas ,pficiſcebãtur,vt in paruis animalibus diſciplinam militarẽ cerneres;ſegetib. veſcebantur, quæ ab eis ita depaſtæ ſunt,vt veluti immani tempeſtate conſumptæ viderentur. Spacium diurni itineris quatuor aut quinque milliaribus extendebatur. Peruenerunt autem vſque ad mare Britannicum, & ſuperficiem terræ cooperientes, in quod Deo volente violento ventorum flatu impulſæ, atque in profundum aſportatæ,demerſæ ſunt. Æſtu vero atque refuſione Oceani reiectæ, littora maritima repleuerunt, tantaq; congeries facta eſt,vt ad inſtar montium cumulatæ coaceruarentur.ex earum fœtore ac putredine aer corruptus diram peſtem finitimis generauit,ex qua multi perierunt.

Peridem tempus Carolus Andagauenſem obſidebat vrbem. Denique Nortmanni poſtquã Ruodbertum & Ranulfum & alios generoſæ ſtirpis viros, qui patriæ terminos armis tuebantur,Deo habitatoribus terræ aduerſante, occiderunt,cum nemo inueniretur qui eorum violentiæ reſiſteret, ſollicitati paucarum ciuitatum vel regionum deceptione,ex præda ſingularum quantæ opes vniuerſarum eſſent,animo proſpicientes. Andegauis ciuitatem ciuibus fuga dilapſis, vacuam reperientes ingrediuntur : quam cum munitiſſimam, & pro ſitu loci inexpugnabilem eſſe vidiſſent, in lætitiam effuſi, hanc ſuis ſuorumque copiis tutiſſimum receptaculum aduerſus laceſſitas bello gentes fore decernunt. Protinus nauibus per Medanam fluuium deductis mulieribus & paruulis,veluti in ea habitaturi intrant,diruta reparant, foſſas vallaque renouant, & ex ea proſilientes,repentinis curſionibus circumiacentes regiones deuaſtant. Quod cum Carolo tam perniciosa peſtis in viſceribus regni intercluſa nunciata eſſet, illico ex omnibus regnis quæ ſuæ ditioni parebant, veluti ad commune incendium extinguendum exercitum colligit, atque caſtris in circuitu poſitis ciuitatem obſidione cinxit. Et quia Medana fluuius à partibus Britanniæ vrbis murum alluebat, Salomoni regi Britonum mandat,vt contractis auxiliis citius aduentaret, vt communem hoſtem communibus viribus expugnaret: qui aſſumptis ſecum multis Britonum millibus, ſuper ripam fluminis Medanæ tentoria fixit.Igitur ex omnibus partibus vrbe obſidione circundata, multis diebus vndique ſumma virtute dimicatur, noua & exquiſita machinamentorum genera adplicantur: ſed conatus regis proſperitatis effectum non obtinuit,quia & loci facies non facilem præbebat acceſſum, & paganorum valida manus, quia pro vita res erat, ſummo reſiſtebat conamine. Exercitus immenſæ multitudinis cum longæ obſidionis tædio, fame, & graui peſtilentiæ morbo attereretur;cernentes Britones vrbem inexpugnabilem,conati ſunt fluuium à ſuo alueo deriuare, vt exſiccato naturali meatu naues Nortmannorum inuadere non poſſent.Cœperunt itaque foſſam miræ profunditatis ac latitudinis aperire. quæ res tantæ formidinis metum Nortmannis ingeſſit,vt abſq; dilatione ingentem pecuniã Carolo pollicerentur,ſi ſoluta obſidione eis ex ſuo regno liberum præberet egreſſum. Rex turpi cupiditate ſuperatus pecuniam recepit,& ab obſidione recedens hoſtibus viam patefecit.Illi conſcenſis nauibus in Ligerim reuertuntur, & nequaquam vt ſpoponderant ex regno eius receſſerunt,ſed in eodem loco manentes multo peiora & immaniora quam antea fecerunt.

Anno Dominicæ incarnat. DCCCLXXIV,Ludouic⁹ imperator qui Italiæ regnum regebat moritur.Fuit vero iſte princeps pius & miſericors, iuſtitiæ deditus, ſimplicitate purus,eccleſiarum defenſor,orphanorum & pupillorum pater,eleemoſynarum largus largitor,ſeruorum Dei humilis ſeruitor, vt iuſtitia eius maneret in ſeculum ſeculi, & cornu eius exaltaretur in gloria.

Eodem anno Salomon rex Britonum à Paſquitano & Vurfando ducibus ſuis dolo interficitur: poſt cuius mortem cum hi duo regnum eius inter ſe diuidere vellẽt, ſed in diuiſione diſſentirent,eo quod maxima pars Paſquitani partibus faueret, bellum ab vtriſque ſummis viribus inſtauratur. Paſquitanus quanquam maiore multitudine abundaret,Nortmannorum tamen auxilia pecunia conducit, eaque ad ſupplementũ virium ſuo exercitui miſcet , & mox contra æmulum ad pugnam proficiſcitur. Vurfandi ſatellites videntes vires regni ad Paſquitanum conceſſiſſe, cœperunt ab eo diffugere,vt vix mille cum eo in acie remanerent : qui ipſi cœperunt ſuadere, vt ſecederent, mortisq; periculum declinarent, ſe cum paucis innumeram multitudinem ſuſtinere non poſſe.Ad hæc ille reſpondit,Abſit (inquit) optimi commilitones,vt hodie faciam quod

quod nunquam feci,ſcilicet vt inimicis meis terga vertam, vt gloria nominis noſtri in fametur: melius nobiliter mori,quam ignominia vitam ſeruare:nec diffidendum de victoria;fortunæ vires cum hoſtibus experiamur. neque enim ſalus eſt in multitudine,ſed potius in Deo. Huiuſcemodi exhortationibus animati ſocij, ſuper triginta & eo amplius,vt ferunt,aduerſariorum millia irruunt, clamor in cœlum tollitur, pugna ſumma virtute conſeritur. Vurfandus cum ſuis in confertiſſimam hoſtium aciem irrumpit,& veluti herba pratorum reciſa,ante acumen falcis cadit, & vberrimæ ſegetes procella tempeſtatis deſæuiente proſternũtur,ita ferro cædit,ſternitque omnia. Raro in vllo regno,in vllo prælio tantum ſanguinis fuſum eſt. Paſquitanus, vt mactari ſuos more pecudum vidit,cum paucis quos gladius necdum conſumpſerat, fugit. Porro Nortmanni qui in auxilium fuerant conuocati, monaſterium ſancti Melani epiſcopi ingreſſi ſunt,ibiq: ſe more ſolito communiunt.& ſuccedente nocte fuga dilapſi,ad naues reuertuntur. Fuit vero geſtum hoc prælium in campis iuxta ciuitatem Rodonis. Erat hic Vurfandus genere inter ſuos clarus,ſed virtutum experimentis & nobilitate clarior: quæ tanta fuit in illo, vt animi magnitudine viriumq; gloria inter ſuos,vt diximus,nulli videretur eſſe ſecundus:ad cuius audaciam,mentisq; conſtantiam demonſtrandam,vnum è multis ponere placuit. Nam cum Salomon rex hyemis tẽpore aliquando contra Nortmannos caſtra poſuiſſet,vt ab eorũ incurſione fines regni ſui tueretur,ibique multis diebus reſideret, quadam die cum ſermo inter ſocios teneretur de audacia & duritia Nortmannorum: Vurfandus ſe vltra vires præſumens arrogantiter iactauit,ſi rex cum exercitu recederet,ſe tãtummodo audere cum ſuis in eodẽ loco remanere,& tribus diebus poſt deceſſum regis immorari. Diſtabant vero caſtra Britonum à Nortmannorum claſſe tantum octo milliaribus. Nuntiata ſunt verba quæ Vurfandus quaſi leuiter protulerat,neſcio à quo Haſtingo duce paganorũ. Nõ multo poſt interiecto tempore, datisq; quingentis vaccis Salomon pacem cum Nortmãnis fecit, & acceptis obſidibus cum redire in regnum diſponeret, legatus Haſtingi eum taliter alloquitur: Nuntiatum eſt domino meo,te tantum virum habere qui ſe iactet, quod te recedente ſolus cum ſuis hoc in loco audeat remanere. Si ergo tantus eſt, quantus ſibi videtur,incunctanter remaneat, quia dominus meus vult eum videre, audacisq; viri deſyderat notitiam habere. Interrogatus autem Vurfandus à rege, vtrum tale aliquid profeſſus eſſet,reſpondit ſe talia dixiſſe,& hæc eadem facere velle, protinusque licentiam ibi remanendi petit. Cum à principe obiurgatus, cur tam fatua obſtinatione detentus,prouerbiis inaniter in ventum prolatis,vellet mori,ſuosq;morti tradere,nullatenus acquieuit,afferens niſi remanendi licentiam daret, nequaquam illi fidelis in reliquum foret. Sed cum Salomon irreuocabilem eius animum perſpexiſſet, dare ei ſolatium ex ſuis ſatellitibus voluit:quod renuit ſuſcipere, affirmans, ſi alios quam ſuos ſecum haberet, iam non eſſe vera quæ ſpoponderat. Rex cum omnibus copiis in regnum receſſit, & Vurfandus in eodem loco cum ducentis fere viris remanſit, ibique quinque diebus expectauit. Sexta nocte Haſtingus quendam captiuum abſoluit à vinculis,& eum ad Vurfandum direxit, mandans vt ſibi ad vadum cuiuſdam torrentis inter tertiam & ſecundã ſuperuenientis diei horas occurreret,vt mutuis colloquiis fruerentur. Qui nihil cunctatus, arma corripere ſociis imperat, & ad condictum locum abſque mora pergit,proſpiciensque vadum torrentis inter ſuos & aduerſarios quaſi limitem fore, nullo modo ibi conſiſtere voluit, ſed tranſuadato gurgite vltro obuiam hoſtibus procedit. Nortmanni admirantes animoſitatem & audaciam viri,ab eo declinauerunt,nec eum bello lacerare auſi ſunt. Ille autem vſq; ad horam ſextam intrepidus expectans,cum neminem aduerſæ partis venire cerneret, cum ſuis ad propria reuerſus eſt. Nec illi animus minus in mortem inuictus,quam in hoſtem fuit. Deniq; poſt peractam victoriam morbo grauiter ad extremum deducitur. cuius valetudinem cum perſenſiſſet Paſquitanus,reſumptis viribus, fautores eius bello aggreditur. qui perterriti timore ad ducem confugiunt,& cum lachrymis ei minas Paſquitani aperiunt, petentes contra imminens periculum conſilium. At ille hortatur,vt aduerſus hoſtem audaciter procedant,ſuum vexillum ferentes, polliceturq; victoriam. Qui cum reſpondiſſent,ſine eius præſentia non audere cum aduerſarijs congredi,ſpiritum qui vna cum viribus corporis iam pene effugerat,reſumens,quia nec pedibus neq;equo poterat ire,

iubet se in lecto portari, ante aciem inimicorum exponi, & sic subire certamen. Quod cum satellites fecissent eius, mox hostes in fugam versi sunt. Patrata victoria, eum cum reportare vellent domum, inter manus militum, spiritum qui tantummodo in pectore palpitabat, exhalauit. Pauci s autem interpositis diebus, Pasquitanus & ipse defunctus est. Post horum duorum continuas mortes, Indicheil ex filia Herispon regis natus, & Alanus frater memorati Pasquitani, Britanniam inter se partiti sunt: inter quos etiam multa iurgia & bella fuerunt. Sed Indicheile in prælio, quod contra Nortmannos magis audacter quam prouide gesserat, interempto, in ditionem Alani omnis Britannia concessit, qui & hanc strenue hactenus gubernat.

Eodem anno Carolus Romam perrexit, & datis apostolico Ioanni & Romanis magnis muneribus, imperator creatur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXVI, Ludouicus rex apud Frankonefurt palatium diem clausit extremum v calendas Septembris: sepultus est in monasterio sancti Nazarij quod Lorasham nuncupatur. Fuit autem iste princeps Christianissimus, fide Catholicus, non solum secularibus, verum etiam ecclesiasticis disciplinis sufficienter instructus; quæ religionis sunt, quæ pacis, quæ iustitiæ, ardentissimus executor: ingenio callidissimus, consilio prouidentissimus, in dandis siue subtrahendis publicis dignitatibus discretionis moderamine temperatus, in prælio victoriosissimus, armorum quam conuiuiorum apparatus studiosior, cui maximæ opes erant instrumenta bellica, plus diligens ferri rigorem quam auri fulgorem, apud quem nemo inutilis valuit, in cuius oculis perraro vtilis displicuit, quem nemo muneribus corrumpere potuit, apud quem nullus per pecuniam ecclesiasticam siue mundanam dignitatem obtinuit, sed magis ecclesiam probis moribus & sancta conuersatione mundana, deuoto seruitio & sincera fidelitate. Habuit autem hic glorioſissimus Rex, cuius memoria in benedictione est, reginam nomine Hemmam sibi in matrimonium iunctam, quæ nobilis genere fuit, sed quod magis laudandum, nobilitate mentis multo præstantior, ex qua tres filios suscepit excellentissimę indolis, videlicet Carolomannum, Ludouicum & Carolum, qui felici sorte post decessum patris imperij moderati sunt gubernacula.

Carolvs autem audito quod frater à seculo recessisset, nimia (vt aiunt) exultatione perfusus est, arbitratus portionem regni Lotharij quam idem frater tenuerat, in suos liberos concessuram. Exercitum ergo quanta potuit celeritate adunauit, & cum omnibus viribus regnum ingressus ad Aquas palatium venit, vbi paucis diebus moratus Coloniam profectus est. Dum hæc aguntur in memorato regno, Carolomannus primogenitus Ludouici Italiæ fines intrauit, cupiens eam paterno suoq; subiugare dominatui: siquidem Ludouicus imperator iam (vt diximus) ab hac luce subtractus fuerat, & Carolus imperatoris nomen reportans, ex Italia excesserat. Carolus vero frater eius in Alemania morabatur. Porro Ludouicus qui ad patris obitum fuerat, funerisque eius obsequia condigno honore celebrauerat, apud Franckfurt principalem sedem orientalis regni residebat. Cui cum nunciatum esset, quod Carolus auunculus eius, iam regni paterni terminis occupatis, circa Rhenum fluuium castra posuisset, nimio furore accenditur, statimque legatos ad eum dirigit, orans vt memor esset germanitatis atque consanguinitatis, memor esset nominis Domini nostri Iesu Christi, cuius mentionem coram nonnullis testibus facientes ipse & frater, quando regnum inter se diuiserunt, terribili essent alternam pacem adinuicem pacto polliciti, & pertimescens tantum nomen in vanum accipere, redderet Domino iuramenta sua, fœdus quod vterque pepigerat inuiolabile maneret, parceret gladio, & humanum fundere sanguinem tam dira cupiditate infectus formidolosius exhorresceret, foret sua sorte contentus, & funiculo hæreditatis diuinitus sibi collato pacifice frueretur, aliena iura non inuadens, non subtrahens, non perturbans, non esset in tanto viro vanæ gloriæ typus, non supercilij fastus, non alterius vsurpandi terminos ambitio, sed iustitia, charitas & concordia regnaret, ac summum pacis inter illum & nepotes teneret omnino fastigium. Sed huius commodi monita Carolus spreuit, asserens se cum fratre non cum nepotibus pepegisse. Interim Ludouicus exercitum ex Saxonia, Thuringia, & orientali Francia congregat, & vt in filio tantum paternos vultus, quantum animi subtilitatem, artiumq;

artiumque ingenia recognoſceres, caſtra è regione Coloniæ contra caſtra Caroli ſuper ripam fluminis magno apparatu collocat. Ipſe autem cum hoſtili virtute inter Confluentes & Arduennam Rhenum tranſiit, nec defuit, qui ad aures Caroli perferret, nepotem cum omnibus copiis Rhenum tranſiſſe. Tunc primum animaduertit Carolus ſe à caſtris Ludouici eſſe illuſum. Mouit vero abſque mora exercitum cum quinquaginta & eo amplius, vt ferunt, millibus in pago Meginenſe, non longe ab Andernaco caſtello. Aduerſus eum ad pugnam procedit, ſed non ſaluatur ex multa virtute. fallax enim equus ad ſalutem, ſiquidem inito certamine Reginarius comes, qui regium vexillum ferebat, primo impetu extinguitur: confertiſſimæ acies Ludouici à ſociis irrumpuntur, & ſicut ignis in ſtipulam immiſſus furit, & in momẽto cuncta deuorat, ita vires aduerſariorum ferro conterunt, & terræ proſternunt. Exercitus Caroli grauiter cæſus terga vertit, & Ludouici victoria fuit. Carolus videns ſuos fugere, & ipſe fuga vitam ſeruauit; ſero ſecum reuoluens, quanti diſcriminis ſit, æquitatis iura diuinarum humanarumque legum inſtitutionibus roborata, immoderatæ cupiditatis ambitione violare velle. Acta eſt autem hæc ſtrages VIII idus Octobris. Poſt hæc cum venerunt tres ſupra dicti fratres in loco qui dicitur Saulifelt, ibi diuiſerunt paternum regnum. Carolomanus ſortitus eſt Baioariam, Pannoniam & Carnutum, quod corrupte Carantanũ dicitur, nec non & regna Sclauorum, Beheimenſium & Marahenſium: Ludouicus orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, & partem regni Lotharij: porro Carolus Alemaniam & aliquas ciuitates ex regno Lotharij.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXVII, Carolus ſenior Romam ſecundo profectus eſt, vbi iam pridem imperatoris nomen, à præſule ſedis Apoſtolicæ Ioanne ingenti precio emerat, regnumque Italiæ magis in tranſeundo vidit, quam fruendo potitus eſt. Ab vrbe Roma in Langobardiam reuerſus eſt. Boſoni Germanichildis reginæ Hirmingardem filiam Ludouici imperatoris in matrimonium iungit. Dies nuptiarum tanto apparatu, tantaque ludorum magnificentia celebratus eſt, vt huius celebritatis gaudia modum exceſſiſſe ferantur. Dedit inſuper eidem Boſoni Prouinciam, & corona in vertice capitis impoſita, cum regem appellari iuſſit, vt more priſcorum imperatorum regibus videretur dominari. Euolutis deinde paucis diebus, Papiam ingreditur: in qua cum diſponendis publicarum rerum negotiis animum intenderet, repentine nunciatum eſt ei, Carolomannum cum ingenti armatorum multitudine Langobardorum ditionem introiiſſe. Mox pauore ſolutus, Ticinum Padumque tranſit, & ſummo anniſu in Gallias repedare contendit. Sed priuſquam Alpium præeminentia iuga anguſtaque itinera attingeret, ægritudine pulſatur, quam protinus mors ſubſecuta finem vitæ impoſuit. Eſt autem fama, quod à quodam Iudæo qui vocabatur Sedechias, poculum mortis ei propinatum ſit, qui ei familiarius adhærebat, eo quod in medendis corporum paſſionibus ſingularem experientiam habere diceretur. Porro hic ſicarius plane erat, & magicis præſtigiis incantationibusque mentes hominum deludebat. Obiit vero pridie nonas Octobris. Corpus eius leuatum eſt in feretro, à ſuis extra Italiam deportatur: ſed quia fœtor intolerabilis ex putredine cadaueris baiulantes grauabat, compulit illud terræ mandare. Poſt aliquantos annos eius oſſa tranſlata ſunt, & Pariſiis in monaſterio ſancti Dionyſij honorifice ſepulta. Cui ſucceſſit in regnum filius Ludouicus.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXVIII, eclipſis Lunæ magna facta eſt, menſe Octobri, die XVI. Item eodem menſe eclipſis Solis accidit, die XXIX circa horam nonam. Paucis interiectis diebus, Ludouicus rex filius Caroli, qui Balbus appellabatur, eo quod impeditioris & tardioris eſſet eloquj, ab hac luce ſubtractus eſt. Fuit vero iſte princeps, vir ſimplex ac mitis, pacis, iuſtitiæ, & religionis amator. Habuit aũt, cum adhuc iuuenilis ætatis flore polleret, quandam puellam nobilem nomine Anſgard, ſibi coniugij fœdere copulatam, ex qua duos liberos ſuſcepit elegantis formæ ac ingentis animi virtute pſtantes: horũ vnus Ludouicus, alter Carolomannus vocabatur. Sed quia hãc ſine genitoris conſcientia & voluntatis cõſenſu ſuis amplexib. ſociauerat, ab ipſo patre ei poſtmodum interdicta, & interpoſito iuriſiurandi ſacramento, ab eius conſortio in perpetuum ſeparata. Tradita eſt aũt eidem ab eodem patre Adelheidis in matrimonium; quã grauidam ex ſe reliquit idem rex, cum obiret. quæ tẽpore pariendi

expleto, enixa est puerum, cui nomen aui imposuit, eumque Carolum vocitari fecit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXIX, Boso (de quo paulo superius mentionem fecimus) audita morte Ludouici, à Prouincia egreditur, totamq; Burgundiam occupare nititur. Deniq; nonnullos episcopos partim minis, partim suasionibus, in sociorum fœdera colligit, & Lugdunum ingressus ab Aureliano eiusdem vrbis metropolitano, & aliis pontificibus in regem super præfatum Burgundiæ regnum inungitur: pro nihilo ducēs adolescentes filios Ludouici, & velut degeneres despiciens, eo quod iussu Caroli eorum genitrx spreta atque repudiata fuerit. Quæ res obtulit illi magis continuum tam odium ac periculorum dispendium, quam gloriæ & dignitatis emolumentum. Siquidem iam dicti adolescentes Ludouicus, & Carolomannus, industria ac studio Hugonis abbatis & aliorum procerum in regnum sublimatorum, & eundem Bosonem diebus vitæ suæ omni instantia sunt persecuti. Nec solum illi, verum etiam alij reges Francorum, per succedentia tempora adeo grauiter nomen eius tulerunt, atque exosum habuerunt, vt irrecuperabili eius deiectione & mortis exitio, non modo principes ac duces, sed etiam eorum satellites sacramentis & execrationibus obligarentur. Fuit autem tam perspicacis ingenij, vt cum à multis (vt dictum est) regibus & regnis assidue insectatus sit, à nullo tamen aut capi aut circumueniri aliquādo potuerit: tantę moderationis, vt cum sibi fauentes proscriptionibus damnarentur, bonisq; omnibus priuarentur, nunquam insidiis suorum militum fuerit petitus, neque fraude proditus, cum vtrumque hostes sæpe tentassent.

Per id tempus LVDOVICVS qui Austrasiis imperabat, cognita morte æquiuoci sui, regnum illius inuadere disposuit, & transuadata Mosa imperij fines occupauit. cui occurrerunt duo memorati fratres cum valida manu, sed intercurrentibus vicissim legationibus, nequaquam pugna committitur, sed pax roboratur. Adolescentes, quo impetu fœderatus ab eis recederet Ludouicus, portionem regni Lotharij, quam auus paterq; tenuerat, ex integro illi concesserunt, addita insuper Atrabatis abbatia sancti Vedasti. Facta itaq; pactione, datisque sacramentis, cum in regnum idem rex reuerteretur, repente obuiam habuit Nortmannorum innumeram multitudinem, iuxta Carbonariam in loco qui vocatur Thimnin, cum ingenti præda ad classem repedantem, cum quibus absque mora conflixit, & (Deo propitiante) maximam ex eis partem gladio prostrauit. Reliqui fuga dilapsi, in fiscum regium se communiunt, vbi Hugo filius regis ex pellice natus, cum incautius dimicaret, grauiter vulneratus ab hostibus rapitur, & inter aduersariorum arma cecidit.

Rex existimans quod adhuc filius viuus ab inimicis seruaretur, exercitum ab impugnationis infestatione iubet cessare, vt quocunq; pacto illum incolumem recipere posset. Interea nox desuper veniens, regem cum suis redire ad castra compulit. Nortmanni cadauera suorum flammis exurentes noctu diffugiunt, & ad classem diriguntgressum. Rex diluculo consurgēs, cum filiū extinctū reperisset, nimio dolore afficitur, corpus eius in loco compositū ad Lorsheym monasteriū imperat deferri, ibiq; tumulari.

Anno Dominicæ incarnat. DCCCLXXX, Carolomannus rex paralysi dissolutus, diem clausit extremum VII nonas Aprilis. Sepultusq; est cum debito honore in Baioaria, in loco qui dicitur Hodingas. Fuit vero iste præcellentissimus rex literis eruditus, Christianæ religioni deditus, iustus, pacificus, & omni morum honestate decoratus, pulchritudo eius corporis insignis, vires in homine quoque admirabiles fuere, nec inferior animi magnitudine. Permulta quippe bella cum patre, plurima sine patre in regnis Sclauorum gessit, semperque victoriæ triumphum reportauit, terminos imperij sui ampliādo ferro dilatauit, suis mitis, hostibus terribilis apparuit, alloquio blādus, humanitate ornatus, in ordinandis regni negotijs singulari solertia præditus, sic vt prorsus ei nihil deesse in regiæ maiestatis competentia videretur. Huic ex legitimo matrimonio non est nata soboles propter infœcunditatem coniugis, sed ex quadam nobili fœmina filium elegantissimæ speciei suscepit, quem Arnulphum nominari iussit, ob recordationem reuerendissimi Arnulphi Mettēsis ecclesiæ episcopi, de cuius sancto germine sua aliorumque germanorum Francorum prosapia pullulauerat: quod non casu accidisse, sed quodam præsagio portentoque futurorum actitatum videtur. siquidem genealogia regum cœlitus prouisa, per interualla temporum secundis incrementorum

rum successionibus cœpit exuberare, quousque in magno Carolo summum imperij fastigium non solum Francorum, verum etiam diuersarum gentium regnorumque obtineret. Post cuius decessum, variante fortuna, rerum gloria quæ supra vota fluxerat, eodem quo accesserat modo, cœpit paulatim diffluere, donec deficientibus non modo regnis, sed etiam ipsa regia stirpe, partim immatura ætate pereunte, partim sterilitate coniugum marcescente, hic solus de tam numerosa regum posteritate idoneus inueniretur, qui imperij Francorum sceptra susciperet: quod in subsequentibus suo in loco iudicius apparebit.

Ludouicus comperto, quod frater obijsset, Baioariam ingressus Ratisbonam venit, vbi omnes optimates regni ad eum confluentes eius ditioni se subdiderunt. Concessit autem idem rex Arnolpho Corantanum, quod ei pater iam pridem concesserat, in quo situm est castrum munitissimum quod Mosburgk nuncupatur, eo quod palude impenetrabili locus vallatus difficilimum adeuntibus præbeat accessum.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXI, CAROLVS de Alemania egressus, Langobardorum fines occupauit, ac in paucis diebus totam Italiam in deditionem accepit, & Romam perueniens, à præsule Apostolicæ sedis Ioanne, & senatu Romanorum fauorabiliter exceptus, cum magna gloria Imperator creatus est.

Per id tempus Nortmannorum classis Walam fluuium ingressa, Neumago palatio regio applicuit, ibique castra posuit. Quod factum cum ad noticiam Ludouici perlatum est, absque dilatione cum exercitu venit, & munitionem obsidione clausit. Conserto nonnullis diebus certamine, non adeo præualuit, quia palatium ingentis magnitudinis mirique operis hostibus tutissimum præbebat receptaculum. In qua congressione captus est aduersarius Eberhardus Saxo filius Meginardi comitis, & captiuus ducitur, quoad postea mater Enesse magno pretio dato incolumem recepit. Postremo rex, accepta pollicitatione, quod si ab obsidione cessaret, Nortmanni continuo è regno eius decederent, cum omnibus copiis recessit. Illo recedente, pagani palatium vna cum munitione exurentes flammis, nauibus ascensis ostia Rheni repetunt. Item eodem anno, mense Nouembri, duo reges Nortmannorum Godefridus & Sigefridus cum inæstimabili multitudine peditum & equitum confederunt, in loco qui dicitur Hasslou iuxta Mosam, & primo quidem impetu finitima loca depopulantes, Leodium ciuitatem, Traiectum castrum, Tungrensem vrbem incendio cremant. Secunda incursione Ribuariorum finibus effusi, cædibus, rapinis, ac incendiis omnia deuastant, Coloniam Agrippinam, Bonnam ciuitates, cum adiacentibus castellis, scilicet Tulpiacum, Vilipiacum, & Nuis igne comburunt, post hæc Aquis palatium. Iidē Amalimundarias & Stabilius monasteria in fauillam redigunt.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXII, Arduennam percurrentes Prumiam monasterium ingrediuntur ipso die Epiphanię domini, vbi triduo commorantes, omnem in circuitu regionem depopulati sunt. in quo loco innumera multitudine peditum ex agris & villis in vnum agmen conglobata, eos expugnatura aggreditur. sed Nortmanni cernentes ignobile vulgus non tantum inerme, quantum disciplina nudatum, super eos cum clamore irruunt, tantaque cæde prosternunt, vt bruta animalia, non homines mactari viderentur. His itaque patratis, onerati præda ad castra redeunt. Illis discedentibus, ignis qui in diuersis habitaculis accensus remanserat, cum nullus esset qui eum extingueret, monasterium consumpsit.

Dum hæc aguntur, Ludouicus rex morbo grauatus, apud Franckfurt moritur XIII calendas Septembris: sepultus est in Loresheym iuxta patrem in cœnobio. Habuit autem Luidgardam reginam in matrimonium copulatam, ex qua filium vnicum suscepit, quem nomine suo Ludouicum appellauit. Sed (vt præmisimus) post obitum patris ad obtinendum regnum eius, Baioariam ingressus, cum Ratisbonę moraretur, idē puerulus de feneſtra cecidit, & confractis ceruicibus statim expirauit. quæ non tantum immatura, sed inhonesta mors, non solum regi & reginæ, verum etiam omni domui regiæ maximum luctum ingessit.

Nortmanni, audita morte regis, nimio exultabant tripudio, etiam nō de conflictu sed de præda cogitant. Igitur cū omni admiratione exiliunt, & Treuirorū nobilissimā

ciuitatem Galliarum nonas Aprilis, die ſacratiſſimæ Cœnæ Domini occupant, in quæ vſque ſanctum diem Paſchæ feſſa ab itinere corpora recreantes, omne tentorium vrbis circumquaque vſq; ad ſolum demoliti ſunt: deinde ciuitatem flammis exurentes, Mediomatricum dirigunt aciem. Quod cum reperiſſet eiuſdem vrbis epiſcopus Walo, adiuncto ſibi Bertolfo epiſcopo & Andalhardo comite, vltro illis obuiã ad pugnam procedit. Inito certamine, Nortmanni victores extiterunt. Idẽ Walo epiſcopus cecidit, cæteri fugerunt. Pagani iter quod ceperant, deſerentes, cum ingenti præda ſumma celeritate ad claſſem reuertuntur.

Ea tempeſtate Carolus imperator in Italia morabatur, vbi diuerſis legationib. Germaniæ ac Galliæ pulſatur, vt ad ſuſcipienda regna ſibi hæreditario iure competentia feſtinaret, & periclitanti imperio ſuccurreret: quod capite amiſſo, ludibrio hoſtibus erat. Qui nihil tardatus, cum omnib. copiis in Franciam venit, & cum Langobardis, Baioariis, Alemannis, Thuringis, Saxonibus, Friſonibus & omnibus regnis ſuæ ditioni ſubditis, Nortmannos in ſupra dicto loco obſidere exorſus eſt: ſed conatus eius parum effectum obtinuit, quanquam (vt diximus) ex diuerſis regnis & gentibus inæſtimabilis multitudo in vnum confluxit, indignatione cæleſti ſuper populum Chriſtianam religionem profanantem deſęuiente. Nouiſſime rex Godefridus Nortmannorum ea conditione Chriſtianum ſe fieri pollicetur, ſi ei munere regis Friſia prouincia concederetur, & Giſla filia Lotharij in vxorem daretur. Qui, vt optauit, adeptus baptizatus eſt, & ex ſacro fonte ab imperatore ſuſceptus. Sigifrido & reliquis Nortmannis immenſum pondus auri & argenti expoſitum eſt, & tali tenore fines regni excedunt.

Anno Dominicę incarnationis DCCCLXXXIII, Ludouicus frater Carolomanni moritur apud ſanctum Dionyſium, ibique honorabiliter tumulatur, quem omnes Galliarum populi nimio planctu lamentati ſunt. Fuit enim virtutis maximæ, regnumque ſibi ſubditum à paganorum infeſtatione potenter viriliterque defendit. Inter cætera quæ ſtrenue geſſit, illud præcipue prælium commendatur, quod aduerſum Nortmannos in loco qui vocatur Sodalcurch, ſummis viribus exercuit. in quo certamine (vt ferunt) pluſquam octo millia hominum gladio proſtrauit. Carolomannus frater regnum illius obtinuit. Eodem tempore Bertulphus Treuirorum epiſcopus, migrauit ad Dominum IV idus Septembris, cui ſucceſſit in põtificali cathedra per electionem cleri & totius plebis Ratbodus reuerendiſſimus antiſtes VII idus Aprilis. His etiam diebus Rupertus præſul ab eodem epiſcopo Ratbodo in Mettenſi eccleſia conſecratur X calendas Maij.

Circa hæc tempora Hugo filius Lotharij, in ſpem recuperandi paterni regni ab aliquibus diſcordiarum aclitium ſectatoribus introducitur, omneſq; qui iuſtitiam & pacem execrabantur, ad eum confluxerunt, ita vt paucis diebus innumera multitudo prædonum eius dominationi ſe ſubdiderint: inter quos etiam nonnulli ex primoribus regni vana ſpe ſeducti manibus datis accedunt, videlicet Stephanus, Rotbertus, Witbertus, Thietbaldus comites, Albricus & frater eius Stephanus, tantaq; rapina & violentia ab his in regno fit, vt inter horum & Nortmãnorum malitiam nil differret, præter quod à cædibus & incendiis abſtinerent. Sic omnipotens Deus iratus regno Lotharij aduerſabatur, & talibus incrementorum cladibus vires eiuſdem regni radicitus exterminabat, vt prophetia ſanctiſſimi Nicolai papæ, ſimul etiam maledictum quod ſuper idem regnum protulerat, adimpleretur.

Hoc etiam tempore idem Hugo Witbertum comitem, qui ab ineunte ætate ſibi fauerat, interfecit. Paucis dehinc interpoſitis diebus, Bernarium nobilem virum ſibiq; fideliſſimum dolo trucidare iuſſit, pulchritudine illius captus vxoris; quam abſque momento in matrimonium iungit. Vocabatur autem mulier Friderach, quæ, antequam Bernario ſociaretur, copulata fuerat Engelranno potenti viro, ex quo filiam peperit, quam poſtmodum Richininus comes in coniugium accepit, quam etiam propter ſuſprum commiſſum idem comes decollari iuſſit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXIV, Nortmanni qui ab Haſlou receſſerant, Sonum fluuium intrãt, ibiq; conſederunt. quorum creberrimas incurſiones cum Carolomannus ſuſtinere non poſſet, pecuniam pollicetur, ſi à regno eius recederent. Mox auidæ gentis animi ad obtinendam pecuniam exardeſcunt, & XII millia pondera argen-

argenti puri atq; probati exigunt, totidemque annis pacem promittunt. Accepta tam ingenti pecunia, funes à littore soluunt, naues cõscendunt, & marina littora repetunt. Interea Carolomannus venatum perrexit, vbi & ab apro grauiter vulneratus, post modicum vitam cum regno amisit, sepultusque est apud sanctum Dionysium. Aiunt autem quidam, quod à quodam suo satellite improuidè arma ferente vulneratus fuerit; & quia non sponte sed inuitus hoc facinus commiserat, idcirco à rege celatum est, ne innoxius morti traderetur.

Nortmanni, cognita morte regis, protinus in regnum reuertuntur. Itaq; Hugo abbas & cæteri proceres legatos ad eos dirigunt, promissionem & fidem datam violatam esse proclamant. Ad hæc illi respondent, se cum Carolomanno rege, non cum alio aliquo fœdus pepigisse: quisquis ille esset qui in regnũ eius succederet, eiusdem numeri & quantitatis pecuniam daret, si quiete ac pacifice imperium tenere vellet. Territi huiuscemodi mãdatis optimates regni, ad Carolum imperatorem missos dirigunt, eumq; vltro in regnum inuitant, eiq; aduenienti ad Gundolphi villam obuiam procedunt, & manibus sacramentisq; iuxta morem datis, eius ditioni se subdiderunt.

Eodem anno Nortmanni, qui in Chinheym & Denemarcam venerant, adsentiente Godefrido, Rhenum nauigio ascendunt, & Dinsburch oppido occupato munitionem in eodem loco more solito construunt, & in ea tota hyeme resident, contra quos Henricus dux castra posuit, & nullatenus prędas agere permisit. Redeũte vernali tempore, castris exustis, ad maritima loca se recipiunt.

His etiam diebus Nortmanni à Sono exeunt, & rursus in regnum Lotharij reuertentes, in loco qui dicitur Louen, castrametati sunt in confinio eiusdem regni, & continuis eiusdem regni infestationibus vtraque regna fatigãt: ad quorum malitiam compescendam, imperator semel & iterum exercitum misit, sed nihil dignum memoria aduersus tantam violentorum rapacitatem actum est.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXV, Hugo rebellare disponens contra imperatorem, legatos ad Godefridum in Frisiam occulte dirigit, eo quod illi esset affinitate coniunctus, propter sororem quam in coniugium acceperat, hortaturque, vt in patriam mitteret, auxiliorum validam manum vndique contraheret, & cum omnibus viribus sibi opem ferret, quatenus regnum paternum euindicare armis posset: & si id ei⁹ industria, virtutisq; suffragio prosperitatis effectũ obtineret, medietatẽ ipsius regni pro munere pollicetur. His suasionum promissionibus Godefridus veluti veneno infectus, occasionis fomitem inquirit, qualiter ac si iuxta rationem à fidelitate imperatoris se subducere prævaleret, statimq; Gerolphum & Gardolphum comites Frisonum legatos ad Cæsarem dirigit, mandatq;, si vellet, cum ea quam pollicitus fuerat fidelitate perseueraret, finesq; regni sibi commissos ab incursione propriæ gentis defenderet, Confluentem, Andernacum, Sucicham, & nonnullos alios fines obsequiis imperialibus deditos, sibiq; largiretur propter vini affluentiam quę in his locis erat, eo quod terra, quam ex munificentia principis possidendam perceperat, minimè vini ferax esset. Agebat autem hoc ea animi intentione, vt si petita sibi largirentur, suos in visceribus regni immiscere posset, & varios euentus speculari; si autem denegarẽtur, nihilominus offensus in sibi prohibitos, quasi iustitia dictãte, rationabilius desęuire posset, rebellionisq; causam suscipere. Quorum callida machinamenta & factionum conspirationes cũ persensisset imperator, cum Henrico viro prudentissimo altiori consilio pertractat, quo ingenio hostem quem in regni extremitatibus introduxerat, extinguere posset, & sciens loca inaccessibilia exercitui, propter diuersarum aquarum innumeros decursus & impenetrabiles paludes, magis id arte quam ex virtute experiri statuit. Legatos igitur responso suspensos absoluit, & ad Godefridum redire permisit: asserens per suos missos de omnibus legationum suarum causis ea responsa redditurum, quæ sibi & eidem Godefrido essent conuenientia, tantum vt in cœpta fidelitate perseueraret. Post hæc Henricum ad eundẽ virum mittit, vt fraus quę struebatur, occultaretur, cum eo Willibertum venerabilem episcopum Coloniæ Agrippinæ, qui suis satellitibus secreto imperat, vt per Saxoniam properantes, non agmine facto, sed sparsim sibi occurrerent loco & die, quo eis edixit: ipse cum perpaucis Coloniam venit, & assumpto cum prædicto episcopo mox in Batuam proficiscitur. Godefridus audito eorum aduentu,

illis obuiam procedit ad locum qui dicitur Heriſpich, in quo Rheni fluenta & Walvno ſe alueo reſoluunt, & ab inuicem longius recedentes Batuam prouinciam ſuo gurgite cingunt. Hanc inſulam ingredientes epiſcopus & comes multa à Godefrido audiunt, multa ex parte imperatoris reſpondēt: dies ad occaſum vergitur, ſoluto colloquio inſula excedunt, hoſpitia repetunt in craſtinum reuerſuri. Heinricus epiſcopum hortatur, vt die ſubſequenti Giſlam vxorem Godefridi extra inſulam euocaret, eamque ad pacis ſtudium reuocare ſatageret, interim ipſe cum Godefrido cauſam Eberhardi comitis agitaret, cui rerum poſſeſſio ab eo violenter diripiebatur. Deinde perſuadet eidem Eberhardo, vt de iniuſtitia quam patiebatur, in medio adſurgens ſe proclamaret, & cum à ferocis & barbaræ gentis homine durius & contumelioſius verbum ſibi eſſet prolatum, abſque mora euaginato gladio eum ſummo anniſu in capite percutit, antequam à terra eleuari poſſet. Quid plura? ab Eberhardo primo percuſſus, & ſatellitibus Heinrici confoſſus Godefridus moritur, omneſque Nortmanni qui in Batua reperti ſunt, trucidantur. Non multis poſt interpoſitis diebus, Hugo eiuſdem Heinrici cōſilio ad Gundulfi villam promiſſionibus attractus, dolo capitur, & iuſſu imperatoris ab eodem Henrico ei oculi eruuntur, omneſque fauentes dehoneſtantur: poſt hæc in Alemania in monaſterium ſancti Galli mittitur, inde poſtea in patriam reuocatur. Nouiſſime temporib. Zundibolchi regis in Prumia monaſterio manu mea attonſus eſt. Eram enim tunc temporis in eodem loco, dominici ouilis quamuis non idoneus tamen cuſtos. vbi non poſt multos annos moritur & ſepelitur.

Anno Dominicæ incarnat. DCCCLXXXVI, Nortmanni à Sanno fluuio exeunt, & rurſus in regno Lotharij reuertentes, in loco qui dicitur Louen, caſtra ſedesq; ſtatuunt, ſcilicet in confinio vtriuſq; regni, & continuis incurſionum infeſtationib. vtraq; regna fatigant. ad quorum ingenitam malitiam compeſcendam, imperator ſemel & iterum exercitum miſit, ſed nihil dignum aduerſus tantam violentorū rapacitatem actum eſt.

Eodem anno Ansbaldus abbas Prumienſis cœnobij, ſummæ ſanctitatis ac religionis vir, ad cœleſtem patriam tranſiit IV idus Iulij, cui ſucceſſit in regiminis loco Sarabertus venerabilis pater VIII idus Auguſti.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXVII, Nortmanni à Louen recedentes Sequanam ingrediuntur, Pariſiis applicantes caſtra ponunt, & ciuitatem obſidione claudunt: contra quos imperator Henricum ducem cum exercitu vernali tempore dirigit, ſed minime prævaluit. Erant enim (vt ferunt) XXX & eo amplius aduerſariorum millia, omnes pene robuſti bellatores. Denuo æſtiuo tempore antequam ſegetes in manipulos redigerentur, idem Henricus cum exercitibus vtriuſq; regni Parriſios venit, & circunſtantibus legionib. ipſe cum perpaucis propius accedens, munitionem circuit, ſitum loci contemplatur, aditumq; perquirit, quo exercitui cum hoſtibus minus periculoſus pateret congreſſus. Porro Nortmanni audientes appropinquare exercitum, foderant foueas latitudinis vnius pedis & profunditatis trium in circuitu caſtrorum, eaſq; quiſquiliis & ſtipula operuerant, ſemitas tantum diſcurſui neceſſarias intactas reſeruantes. Pauci igitur latrunculi, qui latitabant in concauis viarum itineribus, videntes Henricum appropinquantem, quare cito ſurgunt à locis quibus delituerant, prouocantq; virum, telis & voce laceſſunt. Ille animi magnitudine indignitatem non ferens, ſuper eos irruit, & mox incertis foueis equus cui inſidebat impegit, & cum ipſo in terram corruit: hoſtes ſumma cum feſtinatione aduolantes, antequam à loco eleuaretur, eum in terra confodiunt, & aſpiciente vniuerſo exercitu, abſque mora eum trucidant, arma auferunt, & ſpolia ex parte diripiunt. Agminibus autem impetum facientibus, vix cadauer exanime eruitur, & à ſuis vſque Sueſſionis deportatur, in baſilica ſancti Medardi ſepelitur. exercitus amiſſo duce ad propria reuertitur.

Eodem tempore Hugo abbas, magnæ pietatis vir & magnæ prudentiæ, Aurelianis moritur, & apud ſanctum Germanum Antiſſiodoro tumulatur. Ducatus quem tenuerat & ſtrenue rexerat, Odoni filio Rudberti ab imperatore traditur, qui ea tempeſtate Parriſiorum comes erat, & cum Gozzilino eiuſdem vrbis epiſcopo contra Nortmannorum aſſiduam impugnationem ciuitatem totis viribus tuebatur. His etiam diebus prædictus Gozzilinus epiſcopus inter ipſas obſidionum preſſuras migrauit à ſeculo, in cuius loco ſubſtitutus eſt ab imperatore Haſchiricus epiſcopus. Poſt hæc imperator

Gallia-

Galliarum populos perlustrans, Parisios cum immenso exercitu venit, ibique aduersus hostes castra posuit, sed nil dignum imperatoria maiestate gessit. In eodem loco ad extremum, concessis terris & regionibus quæ vltra Sequanam erant, Nortmannis ad deprædandum, eo quod incolæ illarum sibi obtemperare nollent, recessit, & recto itinere in Alemaniam recessit, & primo quidem Luidvvardum episcopum Vercellensem, virum sibi percharum & in administrandis publicis vtilitatibus vnicum consiliarium, obiecto adulterij crimine, eo quod reginæ secretis familiarius quam oportebat immisceretur, à suo latere cum dedecore repulit. Deinde paucis interpositis diebus coniugem Richardem (sic enim Augusta vocabatur) pro eadem re in concionem vocat, & (mirum dictu) publice protestatur, nunquam se carnali coitu miscuisse, cum plusquam decennio legitimi matrimonij fœdere eius consortio esset sociata. Illa econtra non solum ab eius, sed etiam ab omni virili commixtione se immunem esse profitetur, & de virginitatis integritate gloriatur, idq; se approbare Dei omnipotentis iudicio, si marito placeret, aut singulari certamine, aut ignitorum vomerum examine fiducialiter adfirmat. Erat enim religiosa fœmina. Ea, acto dissidio, in monasterium quod in proprietate sua construxerat, Deo famulatura recessit.

His ita gestis imperator corpore & animo cœpit ægrotare. Mense itaque Nouemb. circa transitum sancti Martini Triburias venit, ibiq; conuentum generalem conuocat. Cernentes optimates regni non modo vires corporis, verum etiam animi sensus ab eo diffugere, ARNOLPHVM filium Carolomanni vltro in regnum attrahunt, & subito facta cõspiratione ab imperatore deficientes, ad prædictum virum certatim transeunt; ita vt in triduo vix aliquis remaneret, qui ei saltem officia humanitatis impenderet. Cibus tamẽ & potus ex Luidperti episcopi sumptib. administrabatur. Erat res spectaculo digna, & æstimatione sortis humanæ rerum varietate miranda. Nam sicut ante secunda fortuna rebus vltra quam arbitrari posset affluentibus, tot tantaque imperij regna sine laborum sudoribus & certaminibus attraxerat, ita vt post magnum Carolum maiestate, potestate, diuitiis, nulli regum Francorum videretur esse postponẽdus: ita nunc aduersa velut in ostensione fragilitatis humanæ deficiens, quæ fortuna cumulauerat cuncta inhoneste in momento abstulit, quæ prospero arridens successu quondam glorioſe attulerat. Mittit ergo ad Arnolphum ex imperatore effectus egenus, ex desperatis rebus non de imperij dignitate, sed de victu quotidiano cogitans, tantum alimẽtorum copiam ad subsidium vitę præsentis supplex exposcit: dirigit etiam Bernhardum filium quem ex pellice susceperat, cum xeniis, eumque eius fidei commendat. Miseranda rerum facies, videre imperatorem opulentissimum, non solum fortunæ ornamentis destitutum, verum etiam humanæ opis egentem. Concessit autem Arnolphus rex nonnullos fiscos in Alemania, vnde ei alimonia præberetur: ipse vero, compositis in Francia feliciter rebus, in Baioariam reuertitur. Eodem anno Witgarius episcopus de Augusta ciuitate obiit, & Adalbero nobilis generis, magnique ingenij ac prudentiæ vir, cathedram eius obtinuit, & ei in episcopatum successit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXVIII, Carolus imperator, tertius huius nominis & dignitatis, obiit pridie idus Ianuarij, sepultusq; est in Augea monasterio. Fuit vero hic Christianissimus princeps, Deum timens, & mandata eius ex toto corde custodiens, ecclesiasticis sanctionibus deuotissime parens, in eleemosynis largus, orationi & psalmorum melodiis indesinenter deditus, laudibus Dei infatigabiliter intentus, omnem spem & consilium suum diuinæ dispensationi committens: vnde & ei omnia felici successu concurrebant in bonum, ita vt omnia regna Francorum, quæ prædecessores sui non sine sanguinis effusione cum magno labore acquisierant, ipse perfacile in breui temporũ spacio sine cõflictu, nullo contradicente, possidenda percepe-rit. Quod autem circa finem vitæ dignitatibus nudatus, bonisq; omnibus spoliatus est, tentatio fuit (vt credimus) non solum ad purgationem, sed quod maius est, ad probationem: siquidem hãc (vt ferunt) patientissime tolerauit in aduersis, sicuti in prosperis gratiarum vota persoluens, & ideo coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se, aut iam accepit, aut absque dubio accepturus est. Post cuius mortem regna quæ eius ditioni paruerant, veluti legitimo destituta hærede, in partes à sua compage resoluuntur, & iam non naturalem dominum præstolantur, sed vnumquodque de suis visceri-

bus regem ſibi creari diſponit. Quæ cauſa magnos bellorum motus excitauit, non quia principes Francorum deeſſent, qui nobilitate, fortitudine, & ſapientia regnis imperare poſſent, ſed quia inter ipſos æqualitas generoſitatis, dignitatis, ac potentię diſcordiam augebant, nemine tantum cæteros præcellente, vt eius dominio reliqui ſe ſubmittere dignarentur. Multos enim idoneos principes ad regni gubernacula moderanda Francia genuiſſet, niſi fortuna eos æmulatione virtutis in perniciem mutuam armaſſet.

Igitur quædam pars Italici populi Berengarium filium Ennarhardi, qui ducatum Foroiulianorum tenebat, regem ſibi ſtatuunt; quædam Guidonem filium Lamperti ducem Spoletanorum, æque regia dignitate ſublimandum decernunt: ex qua diſſenſionum controuerſia tanta ſtrages ex vtraque parte poſtmodum facta eſt, tantuſq; humanus ſanguis effuſus, vt iuxta dominicam vocem, regnum in ſeipſum diuiſum, deſolationis miſeriam pene incurrerit. Ad extremum Wido victor exiſtens, Berengarium regno expulit. pulſus itaque ad Arnolphum regem adiit, eiusq; patrocinia contra hoſtem expoſcit. Quid vero Arnolphus fecerit, qualiter Italiæ regnum bis cum exercitu penetrauerit, ſuo loco commemorabitur.

Interea Galliarum populi in vnum congregati, cum conſenſu Arnolphi Ottonem ducem filium Ruperti (de quo paulo ſuperius mentionem fecimus) virum ſtrenuum, cui præ cæteris formæ pulchritudo & proceritas corporis & virium ſapientiæq; magnitudo inerat, regem ſuper ſe pari conſilio & voluntate creant, qui rempublicam viriliter rexit, & contra aſſiduas deprædationes Nortmannorũ indefeſſus propugnator extitit.

Per id tempus Rudolphus filius Conradi, nepos Hugonis abbatis (de quo ſupra meminimus) prouinciam inter Iuram & Alpes Penninas occupat, & apud ſanctum Mauricium, accitis ſecum quibuſdam primoribus & nonnullis ſacerdotibus, coronam ſibi impoſuit, regemq; ſe appellari iuſſit. Poſt hæc mittit legatos per vniuerſum regnũ Lotharij, & ſuaſionibus pollicitationibusq; epiſcoporum ac nobilium virorum mentes in ſui fauorem demulcet. Quod cum nunciatum eſſet Arnolpho, illico cum exercitu ſupereum irruit. Ille per arctiſſima itinera fuga dilapſus, in tutiſſimis rupium locis ſalutis præſidium quæſiuit, omnibusq; diebus vitæ ſuæ Arnolphus & Zundibaldus filius eius eundem Rudolphum perſecuti ſunt, nec tamen eum lædere potuerunt, quia (vt ſupra expreſſum eſt) loca inacceſſibilia, quæ ſemitis tantum peruia ſunt, inſequentium confertas acies procul ab ingreſſu repellebant.

Eodem anno Nortmanni qui Pariſiorum vrbem obſidebant, miram & inauditam rem non ſolum noſtra, ſed etiam ſuperiore ætate fecerunt. Nam cum ciuitatem inexpugnabilem eſſe perſenſiſſent, omni virtute, omniq; ingenio laborare cœperunt, quatenus vrbe poſt tergum relicta, claſſem cum omnibus copiis per Sequanam fluuium ingredientes, Burgundiæ fines abſq; obſtaculo penetrarent. Ciuibus autem omni inſtantia prohibentibus aſcenſum fluminis, naues per ſiccum pluſquam duorũ paſſuum millibus trahunt. Taliter declinato omni periculo, iterum eas Sequanæ fluẽtis immergunt. Poſt paululum Sequanam relinquentes, Hionnam, vt diſpoſuerant, & ſub omni celeritate nauigantes, Senonis applicuerunt, ibiq; caſtris poſitis, per cõtinuos ſex menſes eandem vrbem obſidione claudunt, totamq; pene Burgundiam rapinis, cędibus, ac incendiis demoliuntur. Sed ciuibus fortiter repugnantibus, Deo protegente, nequaquam præfatam ciuitatem capere potuerunt, quanquam omni laborum ſudore, omniumq; artium & machinamentorum ingenio id multipliciter pertentaſſent.

Inter ipſas vero obſidionum anguſtias Evverhardus eiuſdẽ loci metropolita, vir totius ſanctitatis & ſapientiæ nitore fulgidus, corporeis vinculis abſolutus, ad cœleſtẽ patriam tranſiit, in cuius cathedrã ſublimatus eſt Waltharius, nepos Waltharij Aurelianěſis vrbis epiſcopi, lõge inferior prędeceſſore morib⁹, religione, & philoſophię ſtudio.

Anno Dominicę incarn. DCCCLXXXIX, gens Hungarorum ferociſſima & omni belua crudelior, retro ante ſeculis ideo inaudita, quia nec nominata à Scythicis regnis & à paludibus, quas Tunais ſua refuſione in immenſum porrigit, egreſſa eſt. Sed priuſquam ipſius gentis acta crudelia perſequamur ſtylo, non ſuperfluum videatur, ſi de Scythię ſitu Scytharumq; moribus, hiſtoriographorum dicta ſequentes, aliquid commemoremus. Scythia (vt aiunt) in oriente extenſa, induitur ab vno latere Ponto, ab altero montibus Riphæis, à tergo Aſia & Ithaſi flumine. Patet autem multũ in longitudinem

nem & latitudinem. Hominib⁹ hanc inhabitantibus inter ſe nulli fines: perraro enim agrum exercent, nec domus illis vlla, aut tectum vel ſedes eſt, armenta & pecora ſemper paſcẽtibus, & per incultas ſolitudines errare ſolitis. Vxores liberosq; ſecũ in plauſtris vehunt, quib. coriis imbriũ hyemisq; cauſa tectis, pro domib. vtũtur. Nullũ ſcelus apud eos furto grauius, quippe ſine tecti munimẽto pecora & armenta alimentaq; habent. Aurum & argentum non perinde vt reliqui mortales appetunt, venationum & piſcationum exercitiis inſeruiunt, lacte & melle veſcuntur. lanæ his vſus ac veſtium ignotus, & quanq̃ continuis frigoribus afficiantur, pellibus tantum ferinis ac murinis induuntur. Imperium Aſiæ ter quęſiuere, ipſi perpetuo ab alieno imperio aut intacti aut inuicti manſere, nec virorum magis quam fœminarum virtutib. claruere. Quippe cum ipſi Parthos Bactrianosq;, fœminę autẽ eorum Amazonum regna condiderint: prorſus vt res geſtas virorum mulierumque conſiderantibus incertum ſit, vter apud eos ſexus illuſtrior fuerit. Darium regem Perſarum turpi à Scythia ſummouerunt fuga: Cyrum cum omni exercitu trucidauerunt: Alexandri Magni ducem Zopyriona pari ratione cum vniuerſis copiis deleuerunt: Romanorum audiere, non ſenſere arma. laboribus & bellis aſperi, vires corporis immenſæ. Abundant vero tanta multitudine populorum, vt eos genitale ſolum non ſufficiat alere. Septentrionalis quippe plaga, quanto magis ab æſtu ſolis remota eſt, & niuali frigore gelida, tanto ſalubrior corporibus hominum & propagandis gentibus coaptata. Sicut & econtra omnis meridiana regio, quo ſolis eſt feruori vicinior, eo ſemper morbis abundat, & educandis minus eſt apta mortalibus; vnde fit, vt tantæ populorum multitudines arctoo ſub axe oriantur, vt non immerito vniuerſa illa regio à Tanai fluuio vſque ad occiduum, licet & propriis loca in ea ſingula nuncupentur nominibus, generali tamen vocabulo Germaniæ ſæpe annumerabitur. Ab hac ergo populoſa Germania, ſæpe innumerabiles captiuorum turmæ abductæ meridianis populis precio traduntur. Multæ quoque ex ea, pro eo quod tantos mortalium germinent, quantos alere vix ſufficit, frequẽter gentes egreſſæ ſunt, quę nihilominus & partes Aſiæ, ſed maxime ſibi contiguam Europam afflixerunt. Teſtantur hoc vbique vrbes erutę per totam Illyriam Galliamq; ſed maxime miſeræ Italiæ, quæ pene illarum omnium eſt gentium experta ſæuitiam.

Ex ſupra dictis igitur locis, gens memorata à finitimis ſibi populis qui Pezinati vocantur, à propriis ſedibus expulſa eſt, eo quod numero & virtute præſtarent, & genitale, vt præmiſimus, rus exuberante multitudine non ſufficeret ad habitandum. Horum itaque violentia effugati ad exquirendas quas poſſent incolere terras ſedesq; ſtatuere. Valedicentes patriæ iter arripiunt. Et primo quidem Pannoniorum & Auarorum ſolitudinem pererrantes, venatu ac piſcatione victum quotidianũ quæritant. Deinde Carantanorum, Marahenſium ac Bulgarum fines crebris incurſionum infeſtationibus irrumpunt, perpaucos gladio, multa millia ſagittis interimũt, quas tanta arte ex corneis arcubus dirigunt, vt earum ictus vix præcaueri poſſit. Cominus enim in acie præliari, aut obſeſſas expugnare vrbes neſciunt. Pugnant autem procurrentib. equis, aut tergadantibus, ſæpe etiam fugam ſimulant, nec pugnare diu poſſunt. Cęterum intolerandi forent, ſi quantus eſt impetus, vis tanta & perſeuerantia eſſet. Plerumque in ipſo ardore certaminis prælia deſerunt, ac paulo poſt pugnam ex fuga repetunt, vt cum maxime viciſſe te putes, tunc tibi diſcrimen ſubeundum ſit. Quorum pugna quo cæteris gentibus inuſitatior, eo & periculoſior. Inter horum & Britonum cõflictum hoc vnum intereſt, quod illi miſſilibus, iſti ſagittis vtuntur. viuunt nõ hominum, ſed beluarum more, carnibus (vt fama eſt) crudis veſcuntur, ſanguinem bibunt, corda hominum quos capiunt particulatim diuidentes, veluti pro remedio deuorant, nulla miſeratione flectuntur, nullis pietatis viſceribus commouentur. capillum vſque ad cutem ferro cædunt, ſuper illos ire, meditari, conſiſtere, ac colloqui ſolent, liberos ac ſeruos ſuos equitare ac ſagittare magna iuduſtria docent, ingenia illis tumida, ſeditioſa, fraudulenta, præcocia. Quippe eandem ferocitatem fœminis quam viris adſignant, ſemper in externos aut in domeſticos motus inquieti, natura taciti, ad faciendum quam ad dicendum proniores. Huius igitur nefandiſſimæ gentis crudelitate non ſolum memoratæ regiones, verum etiam Italiæ regnum ex permaxima parte deuaſtatum eſt.

Eodem anno Nortmanni à Senonica vrbe recedentes, denuo Pariſios cum omni-

bus copiis deuenerunt. Et cum illis decursus fluminis à ciuibus omnino inhiberetur, rursus castra ponunt, ciuitatem totis viribus impugnant, sed Deo opẽm ferente nihil prævalent. Transactis paucis diebus, iterum Sequanam cum classe ascendunt, & Matronam fluuium ingredientes, Trecas ciuitatem incendio cremant, & vsque Verdensem ac Tullensem vrbes, cuncta circunquaque depopulantes.

His etiam diebus Luidpertus Moguntiæ vrbis præsul è rebus humanis sublatus est: in cuius loco subrogatus est Sunzo vir religiosus ac simplex, sacris literis sufficienter instructus, qui in Fulda monasterio sub regimine abbatis ab ineunte ætate nutritus & conuersatus est, Poppone Thuringorum duce & Arnolpho rege annuente.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXC, Arnolphus rex concessit Zundebolch Marahensium Sclauorum regi ducatum Bohemensium, qui hactenus principem suæ cognationis ac gentis super se habuerant, Francorumque regibus fidelitatem promissam inuiolato fœdere conseruauerant, eo quod illi, antequam in regni fastigio sublimaretur, familiaritatis gratia fuerit connexus: denique filium eius quem ex pellice susceperat, à sacro fonte leuauit, eumq; ex nomine suo Zundebolch appellari fecit. Quæ res non modicum discordiarum & defectionis præbuit incitamentum. nam & Bohemi à fidelitate diutius custodita recesserunt, & Zundebolch ex adiectione alterius regni vires non paruas sibi accessisse sentiẽs, fastu superbiæ inflatus, contra Arnolphum rebellauit. Quod cum cognouisset Arnolphus, cum exercitu regnum Marahensium ingressus, cuncta quæ extra vrbes reperit, solotenus demolitus est. Ad vltimum, ne cæteræ fructiferæ arbores radicitus exciderentur, Zundebolch pacem posuit, & dato filio obside hanc pacem sero promeruit.

Per id tempus Nortmanni à Matrona fluuio exeuntes Parisios reuertuntur. Et quia omnimodus descensus fluminis per pontem prohibebatur, tertio castra locant, & iterato certamine prædictam vrbem impugnant. Sed ciuibus (continuis enim operum ac vigiliarum laboribus indurauerant, & assiduis bellorum conflictibus exercitati erant) audaciter reluctantibus, Nortmanni desperatis rebus naues per terram cum magno sudore trahunt, & sic alueum repetentes, Britanniæ finibus classem traiiciunt. Quoddam castellum in Cõstantiensi territorio, quod ad sanctum Loth dicebatur, obsident, & accessum ad fontem aquæ ex toto prohibentes, oppidanis siti arescentibus, fit deditio, eo pacto, vt vita tãtum concessa, cętera tollerent. Illis à munitione progressis, gens perfida fidem & promissa data prophanat, omnesque absque respectu iugulat, inter quos episcopum Constantiensis ecclesiæ interimunt.

Erat tunc temporis inter Alanum & Widicheil duces Britonum non parua de partitione regni dissensionum controuersia In hoc ergo schismate & diuisione non tãtum terrarum, quantum montium pagani Britones reperientes, super eos fiducialiter irruunt. Illi dum priuatum singulorum, nõ commune vniuersorum bellum ducunt, & auxilium ferre alter alteri recusat, quasi victoria vnius, non omnium foret, grauiter ab hoste læduntur, cæduntur passim, & vsque ad Blauitam fluuium omnis eorum possessio diripitur. Tunc primum intelligentes, quantam sibi perniciem, quantas aduersariis vires discordia administraret, per internuncios se inuicem confirmant, tempus & locum ei indicunt, bellumque communibus viribus construunt. Itaq; Widicheil qui erat adolescentior, cupiens gloriam nominis sui exaltare, non expectato Alano cum sociis, prælium conserit, multa millia hostium cædit, reliquos in quendam vicum fugere cõpulit. Quos cum vltra, quam oporteret, improuide persequeretur, ab ipsis extinguitur ignarus cui vincere bonum est, superuincere bonum non est. periculosa est enim desperatio. Post hæc Alanus coadunata omni Britãnia tale votum vouit, vt si aduersarios per diuinam virtutem posset superare, decimam partem omnium bonorum suorum Deo & sancto Petro Romam destinaret. Omnibus autem Britonibus idem votum spondentibus ad pugnam procedit, & commisso prælio tanta strage hostes effudit, vt vix quadringenti viri ex quindecim millibus ad classem repedarent.

Hac tempestate sanctissimo & in diuinis humanisque rebus prudentissimo Willeberto episcopo ab hac luce subtracto, Hermannus venerabilis vir per electionem cleri ac plebis ecclesiæ Colonensi præficitur.

Circa hæc tempora Salomon Constantiensis ecclesiæ antistes recessit à seculo, in cuius

cuius loco succeſſit Salomon, qui hac ætate abbatiam ſancti Galli tenebat, vir non ſolum nobilitate, verum etiam prudentiæ ac ſapientiæ virtutibus inſignitus, qui præfatæ vrbis tertius huius nominis dignoſcitur eſſe pontifex.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXCI, Nortmanni duobus continuis præliis in Britannia grauiter attriti, in regnum Lotharij claſſem transferunt, & caſtrametati prædas exercent: contra quos Arnolphus rex exercitum dirigit, iubetq; ſuper Moſam tentoria figere, tranſitumq; fluminis hoſtibus prohibere. Sed antequam exercitus in vnum colligeretur ad condictum locum iuxta caſtrum Traiectenſe, Nortmanni ſuperiora tenentes, circa Leodium Moſam tranſierunt, & hoſtilem expeditionem à tergo relinquentes, in ſyluis & paludibus Aquis palatio contiguis diſperguntur, obuios quoſque perimunt, plauſtra & vehicula, in quibus alimenta exercitui deferebantur, capiunt. Quæ fama cum ad exercitũ peruenisſet, qui iam ipſo die natiuitatis ſancti Ioannis baptiſtę pene in vnum conuenerant, non tam tremor quam ſtupor mentes omnium occupauit. Principes vero concione conuocata non tam de periculo, quam de re dubia conſulunt: incerti, vtrum Ribuariorum fines intrantes Coloniam tenderet, aut per Prumiam tranſeuntes Treueros dirigerent greſſum, vel certe congregata aduerſum ſe multitudine pertimeſcentes tranſuadata Moſa ad claſſem feſtinarent. Inter hæc nox ſuperueniens conuentum ſoluit. Poſtera die cum aurora radios ſuæ lucis repræſentaret, omnes armantur, & leuatis vexillis per deſcenſum fluminis ad pugnam gradiuntur. Cumque torrentem qui Gulid dicitur, tranſiſſent, acies pariter ſubſtiterunt. Dehinc deliberant, ne omnis exercitus incaſſum fatigaretur, quod vnuſquiſque procerum duodecim ex ſuis mitteret, qui in vnũ agmen redacti hoſtes inueſtigarent. Hæc ſermocinantibus ſubito apparuerunt ſpeculatores Nortmannorum. quos cum omnis multitudo inconſultis ducibus confuſo ordine inſequerentur, peditum turmas in quadam villula offendunt, qui in vnum conglobati, facile ſparſim ſuperuenientes repellunt, atque retrorſum redire cogunt. Deinde perſtrepentibus ſecundum morem pharetris, clamor in cœlum tollitur, pugna committitur. Equites Nortmannorum, audito clamore, ſumma cum feſtinatione aduolant, & ingrauato prælio Chriſtianorum exercitus, peccatis facientibus, heu proh dolor, terga vertit. In quo prælio epiſcopus Moguntiæ vrbis Sunzo, & Arnolphus comes occubuerunt, nec non innumera multitudo nobilium virorum. Nortmanni patrata victoria caſtra diuitiis omnibus referta inuadunt, & trucidatis quos in bello ceperant, onerati præda ad claſſem reuertuntur. Fuit vero hæc cædes facta VI calendas Iulij.

Dum hæc aguntur, Arnolphus rex in Baioariorum extremitatibus morabatur, inſolentiam Sclauorum reprimens. Cui cum cunciata eſſet ſuorum ſtrages, hoſtiumque victoria, primo pro amiſſis fidelibus nimium triſtatur, & querelam cum gemitu deponit, quod Franci eatenus inuicti aduerſariis terga darent: deinde indignitatem rei animoſo in pectore verſans, in hoſtem accenditur, & congregato ex orientalibus regnis exercitu, mox Rheno tranſmiſſo, circa littora Moſæ caſtra ſtatuit. Interiectis diebus Nortmanni ex ſuperiori pugna elati, cum omni virtute ad deprædandum proficiſcuntur, contra quos rex cum expeditis ad pugnam procedit. Illi cernentes acies appropinquare, ſuper fluuium qui Thilia dicitur, ligno & terræ congerie more ſolito ſe communiunt, & cachinnis, & exprobrationibus agmina laceſſunt, ingeminantes cum inſultatione & deriſu, vt memorarentur Guliæ, turpiſque fugæ, cædiſque patratæ, poſt modicum ſimilia paſſuri. Rex felle commotus, exercitum iubet deſcendere, & pedeſtri congreſſione cũ aduerſariis decertare. Qui dicto citius ab equis deſiliẽtes, clamore exhortationis dato, præſidium inimicorum irrumpunt, & (Deo vires cœlitus adminiſtrante) eos vſque ad internicionem ferro cædunt, terræque proſternunt, ita vt ex innumerabili multitudine vix reſiduus eſſet, qui ad claſſem aduerſum nuncium reportaret. Rebus feliciter geſtis Arnolphus in Bauariam reuertitur.

Eodem anno Hatto venerabilis abbas in Maguntiacenſi eccleſia metropolitanus conſecratur, qui hactenus in Augia monaſterio multorum pater extitit monachorum.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXCII, menſe Februario, Nortmanni qui ad naues remanſerant, Moſam tranſeuntes, Ribuariorum pagum ingreſſi, & ſecundum crudelitatẽ ſibi ingenitam cuncta deuorantes, peruenerunt vſq; Bonnam. Inde digreſſi

occupauerunt quandam villam quæ Landolfesdorff dicitur, vbi occurrit eis exercitus Christianorum, sed nihil dignum quod virtuti asscribatur, egit. Nocte superueniente recesserunt Nortmanni à iam dicta villa, & formidantes hostilem impetum, nequaquã ausi sunt se committere planioribus atq; campestribus locis, sed syluas semper tenẽtes, exercitum vero à læua post tergum relinquentes, quanta poterant velocitate ad Prumiam monasterium aciem dirigebant, ipsisq; iam irruentibus abbas & cõgregatio framit m vix fuga dilapsi sunt. At Nortmanni monasteriũ ingressi omnia depopulati sunt, & quosdam ex monachis interficientes, plurimamq; familiam trucidãtes, reliquos captiuos abduxerunt. Inde exeuntes Arduennam intrant, vbi quoddam castrum in quodam præeminenti monte nouiter cõstructum, in quo innumera multitudo vulgi confugerat, adgrediuntur, & absq; mora expugnant. Interfectis omnibus cũ ingenti prẹda ad classem redeunt, oneratisq; nauib⁹ cu omnib. copiis transmarinas repetũt regiones.

Per id tempus Farabertus abbas Prumiensis cœnobij curam pastoralem sua sponte per concessum regis deposuit, & ego quamuis indignus, secundum regularem authoritatem per electionem fratrum in regimine successi: in quo tamen non diutius immoratus, æmulis agentibus, Richarium fratrem Gerhardi & Matfridi, inuidiosum mei negotij successorem sustinui. Obsecro autem ne lectori onerosum videatur, si rem ab origine repetam, & qualiter huiuscemodi negotium ad effectum perductum fuerit, simplici sermone pãdam. Absurdum enim videtur, vt quia aliorum actiones & rerum gestarum causas explanare proposui, negotium quod ad me pertinet, silentio prætermittam, prẹsertim poplitibus veniam posco lectoris, eo quod verbosus in hac relatione vltra quam decuit, extiti. Necessitas enim exigit, vt non solum facta, sed etiam dicta in ordine dicam, propter inuidentium & aduersantium calumniosam querelam.

Hæc de retroactis causis transcursisq; temporibus, ex multis pauca commemorasse sufficiat. Nam de modernis temporib. idcirco reticere disposuimus: quia si veritatem rerum gestarum ad liquidum stylo executi fuerimus, proculdubio odium & offensam quorundam qui adhuc superstites sunt, incurremus: si autem à veritate recedentes aliter, quam causa se habeat, scripserimus; nihilomnius adulationis & mendacij notam incurremus, quia omnibus pene res cognita est posteris. Ergo hoc latius explanandum relinquimus, sed ne hæc per omnia intacta præterisse culpemur, res tantum gestas ex parte summatim annotare curabimus.

Igitur anno supra memorato, mense Iulio, Waltharius comes nepos Ottonis regis filius scilicet auunculi eius Adalhelmi, aduersus eundẽ regem cum cõsilio quorundam rebellionis arma leuauit, & Lugdunũ tum ingressus, omni annisu regiæ potestati contraire nititur. Quod cum Otto cognouisset, ciuitatem obsidione cinxit, quam absque mora in deditionem recepit. Deinde omnibus primoribus qui tunc ibi aderant, adiudicantibus, eundẽ Walgarium decollari iussit, eo quod in conuentu publico contra regem & dominum suum gladium euaginasset. Post hęc in Aquitaniã proficiscitur, contra Ramnolphũ & fratrem eius Gozbertũ, Ebulonem abbatem de sancto Dionysio, & alios nõnullos, qui eius imperiis obtẽperare renuebãt, vt eorũ insolentiam reprimeret.

Item eodem anno mense Septembri Megingandus comes, nepos supra dicti Ottonis regis, dol o interfectus est ab Alberico & sociis eius, in monasterio sancti Xysti quod vocatur Sotila: cuius corp⁹ Treuerim deportatũ, apud sanctũ Maximinũ est sepultum.

Per id tempus Arnt, Wirtzburgensis ecclesiæ venerabilis episcopus, hortatu & suasione Popponis Thuringorum ducis, ad pugnam contra Sclauos profectus, in eadem pugna occiditur: cuius cathedram Rodulphus licet nobilis, stultissimus tamen, frater Cunradi & Geberhardi comitum, obtinuit, & ei in episcopatu successit.

Arnolphus Zundibolcho filio honores Megingandi comitis ex parte largitur.

Popppo dux Thuringorum dignitatibus expoliatur. Ducatus quem tenuerat, Cunrado commendatur, quem pauco tempore tenuit, & sua sponte eum reddidit. Deinde Burchardo comiti committitur, qui eum hactenus strenue gubernat.

Ottone rege in Aquitania commorante, Francorum principes ex permaxima parte ab eo deficiunt, & agẽtibus Falcone archiepiscopo, Heriberto & Pipino comitibus in Remorum ciuitate Carolus filius Ludouici ex Adelheyde regina (vt supra meminimus) natus, in regnum eleuatur.

Anno

Anno Dominicæ incarnat. DCCCXCIII, Arnolphus Baioariam egreſſus Franckfurt venit, & Rhenum tranſiens, ciuitates quæ in regno Lotharij ſunt, ex maxima parte circumiuit: in quo itinere ingentia dona illi ab epiſcopis oblata ſunt.

Otto compoſitis rebus in Aquitania, in Franciam reuertitur, & cum Rodeberto fratre Carolum fugat, defectoresq; perſequitur.

Ebulo abbas de ſancto Dionyſio, cum quoddam caſtrum in Aquitania ſitum ardentius expugnaret, ictu lapidis periit. monaſterium ſancti Dionyſij Otto ad ſuum ſeruitium reuocat.

Carolus vires Ottonis ferre non valens, patrocinia Arnolphi ſupplex expoſcit. Æſtiuo ſiquidem tempore iam dictus rex conuentum publicum Wormatiæ celebrauit, vbi Carolus venit, & Arnolphum magnis muneribus ſibi conciliat, regnumque quod vſurpauerat, ex eius manu percepit. Iuſſum eſt etiam, vt epiſcopi & comites qui circa Moſam reſidebant, illi auxilium ferrent, & eum in regnum inducentes, in ſede regia inthroniſarent. Sed neutrum horum illi quicquam profuit. Denique Otto rex audiens, cum exercitu ſuper ripam Axani fluminis ſedit, & copias Arnolphi intrare in regnum nullatenus permiſit. Duces regis cernētes Ottonem viriliter paratum eſſe ad pugnam, ab eo declinauerunt, & ad propria reuerſi ſunt.

Carolus autem in Burgundiam ſeceſſit, & Ottone Pariſios reuertente, rurſus regni fines occupat, Ottonis fideles inſectatur: ſicq; alternatim ex vtraq; parte multi pereūt, ingens malitia, innumerabiles rapinæ, & aſſiduæ prædæ fiunt.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXCIIII, Arnolphus cum valido exercitu Langobardorum terminos intrauit, & circa purificationem ſanctæ Mariæ caſtrum quod nuncupatur Pergamum, armis cepit, & Ambroſium comitem ipſius ciuitatis laqueo ante portam ipſius vrbis in quadam arbore ſuſpendit. Vnde tantus timor ſuper reliquas ciuitates cecidit, vt nullus auderet contradicere, ſed omnes obuiam procederent venienti. Peruenit autem vſque Placentiam. Inde conuerſus eſt per Alpes Penninas, Galliam intrauit, & ſanctum vſque Mauricium peruenit. Rudolpho quem quęrebat, nocere non potuit, quia montana conſcendens, in tutiſſimis locis ſe abſconderat. Regionem inter Iuram & montem Iouis, exercitus grauiter attriuit.

Poſt Wormatiam venit, ibiq; placitum tenuit, volens Zundibolch filium ſuum regno Lotharij præficere, ſed minime optimates prædicti regni ea vice aſſenſum præbuerunt.

Soluto conuentu cum ad Loraham idem princeps veniſſet, Ludouico filio Boſonis, matre Hirmingarde interueniente, quaſdam ciuitates cum adiacentibus pagis, quas Rudolphus tenebat, dedit. Sed & hoc ei in vacuum ceſſit, quia eas nullo modo de poteſtate Rudolphi eripere præualuit.

Eodem anno Guido qui Italiam regebat, & imperatoris tenebat nomen, moritur. Lampertus filius eius regnum obtinuit, & Romam veniens diadema imperij à præſule ſedis apoſtolicæ ei imponi fecit.

Per id tempus Hildegardis filia Ludouici regis, fratris Carolomāni & Caroli, à quibuſdam coram Arnolpho accuſata, regiis poſſeſſionibus priuatur, & priuata in exilium deſtinatur, in monaſterio puellarum quod Chemiſſem dicitur: ſed non multum poſt temporis in gratiam rediit, & ſua ex maiori parte recepit.

Circa hæc etiam tempora Zundibolch rex Marahenſium Sclauorum, vir inter ſuos prudentiſſimus & ingenio callidiſſimus, diem clauſit extremum: cuius regnum filij eius pauco tempore infeliciter tenuerunt, Vngaris omnia vſque ad ſolum depopulantibus.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXCV, ſynodus magna celebrata eſt apud Triburias contra pleroſque ſeculares, qui authoritatem epiſcopalem imminuere tentabant: vbi viginti ſex epiſcopi cum abbatibus monaſteriorum reſidentes, plurima decreta ſuper ſtatum ſanctæ eccleſiæ ſcripto roborauerunt. Poſt hæc Arnolphus Wormatiam venit, ibiq; optimatibus ex omnibus regnis ſuæ ditioni ſubditis ſibi occurrentibus, conuentum publicum celebrauit. in quo conuentu, omnibus aſſentientibus atq; collaudantibus, Zundibolch filium regno Lotharij præfecit.

In eodem placito Otto rex cum magnis munerib. ad Arnolphum venit, à quo hono-

SCRIPTO
RERVM
Tomus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rifice ſuſceptus eſt,omnibusq; impetratis pro quibus venerat,cum in regnum reuerteretur,Folconem epiſcopum & Adalongum comitem ſui manſionarij ad Arnolphum xeniis à Carolo miſſis,veniẽtes in media via offenderunt,ſuper quos cum clamore impetum faciũt.Epiſcopus fuga dilabitur, Adalõgus mortali vulnere ſauciatur, ſarcinę diripiuntur,prædictus comes in Trigorio,in villa quæ dicitur Belthonnus, ſepelitur.

Eodem anno Zundibolch,collecto immenſo exercitu,cupiens amplificare terminos regni ſui,quaſi Carolo aduerſus Ottonem auxilium laturus, Lugdunum deprędatum venit,&ciuitatem obſidione cinxit,ſed minime eam capere potuit,quamuis multis diebus ſummis viribus certatim dimicatum eſſet. Audiens autem Ottonem cum exercitu aduenire,qui ea tempeſtate in Aquitania morabatur,cum omnibus copiis receſſit,& in propria regna ſe recepit.Ea tempeſtate Ludelinus venerabilis vir,in Tullẽſi eccleſia à metropolitano Ratboldo à ſuis ſuffraganeis epiſcopus conſecratur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXCVI, Arnolphus ſecundo Italiam ingreſſus, Romam venit,& vrbem Romanam cum conſenſu ſummi pontificis armis cepit. Quod retro ante ſeculis ideo inauditum, quia non factum fuit: excepto quod Galli Senones cum Brennone duce multo ante natiuitatem Chriſti tempore, ſemel fecerunt. Mater Lamperti quæ ad præſidium à filio relicta fuerat, cum ſuis latenter aufugit. Arnolphus ciuitatem ingreſſus,à Formoſo Apoſtolicę ſedis præſule magno honore ſuſceptus,ante confeſſionem ſancti Petri coronatus,imperator creatus eſt.

Inde reuertens paralyſi morbo grauatur, ex qua infirmitate diu langueſcit. Eodem anno Lampertus filius Guidonis,de quo ſuperius paulo mentionem fecimus, vita decedit, & Ludouicus filius Boſonis à Langobardis inuitatus, à prouincia egreſſus Italiam intrat.

Per id tempus circa feſtiuitatem ſancti Andreæ, Albricus comes qui Megingandum occiderat,à Stephano fratre Walonis interficitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXCVII, Stephanus Odocar, Gerhardus & Matfridus comites,honores &dignitates quas à rege acceperãt,perdunt.Zundibolch Treueris cum exercitu veniens,terram quam præfati tenuerant,inter ſuos diuidit,monaſterium ad Horrea, & monaſterium ſancti Petri quod Mettis ſitũ eſt, ſibi reſeruans.

Poſt hæc patrem ſuper vxore quam accipere deſyderabat, per legatos conſulit,cuius hortatu ad Ottonem comitem miſſum dirigit, eius filiam nomine Odam in coniugium expoſcit. Ille petitionibus eius grauiter aſſenſum præbuit, eique filiam tradidit, quam poſt Paſcha celebratis nuptiis ſibi in matrimonium ſociauit.Eodẽ anno Arnolphus Wormatiam venit,ibiq; placitũ tenuit,vbi ad eius colloquiũ Zundibolch occurrit,& interuẽtu imperatoris Stephanus,Gerhardus,&Matfridus cũ filio recõciliantur.

Ea tempeſtate inter Rudolphum epiſcopum Wirtzeburgẽſem,& filios Henrici ducis Adalhardum & Henricum, magna diſcordiarum lis & implacabilis odiorum controuerſia ex paucis minimisque rebus oritur, & velut ex permodica ſcintilla ingens incendiũ excitatur, ita de die in diem ſucreſcens in immenſum dilatatur.Et dum de nobilitate carnis,de parentum numeroſa multitudine, de magnitudine terrenæ poteſtatis vltra quam decet,ſe extollunt: in mutuis cædibus prorumpunt, innumerabiles exvtraque parte gladio pereunt, truncationes manuum ac pedum fiunt,regiones illis ſubiectæ,rapinis & incendiis ſolotenus deuaſtantur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXCVIII, Otto rex ægritudine pulſatur, & menſis Ianuarij die tertio diem clauſit extremum,& apud ſanctum Dionyſium cum debito honore ſepulturæ mandatur. Principes in vnum congregati, pari conſilio & voluntate Carolum ſuper ſe conſtituunt.

Eodem anno Zundibolch Reginarium ducem ſibi fidiſſimum & vnicum conſiliarium,neſcio cuius inſtinctu,à ſe repulit,& honoribus,hæreditatib.quas in ſuo regno habebat, interdictis, eum extra regnum infra XIV dies ſecedere iuſſit. Ille adiuncto ſibi Odocro comite & quibuſdam aliis cum mulieribus, paruulis, & omni ſupellectile in quendam tutiſſimum locum qui Durfos dicitur, intrauit, ibiq; ſe communiuit. Quod cum rex cognouiſſet,coadunato exercitu,caſtrum expugnare conatus eſt,ſed minime prævaluit propter paludes & multiplices refuſiones, quas in prædicto loco Moſa fluuius facit Rege ab obſidione recedente,præfati comites Carolum adeunt,& eum cum

exercitu

exercitu in regnum introducunt. Zundibolch, quanuis sero intelligens se circumuentum, cum paucis fuga dilabitur. Carolus recto itinere Aquas venit, deinde Neumagum perrexit. Interea Zundibolch ad Franconem episcopum venit & omnibus suis secum adsumptis Mosam transiit, & ad Forichmagas venit, vbi omnes proceres regni qui in illis partibus erant, ad eum confluxerunt. Et ex desperatis itaque rebus vires se recepisse congaudens, resumpta fiducia, contra æmulum ad pugnam proficiscitur. Carolus Neumago reuersus Prumiam venit, & inde aduersus Zundibolch copias transfert: sed appropinquantib. ex vtraque parte exercitibus, nequaquam pugna committitur, sed intercurrentibus legatis pax firmatur, sacramenta iurantur. Carolus transuadata Mosa, in suum regnum regreditur.

Dum hæc in Francia geruntur, inter Ludouicum & Berengarium in Italia plurimæ congressiones fiunt: multa certaminum discrimina vicissim sibi succedunt. Nouissime Ludouicus Berengarium fugat, Romam ingreditur, vbi à summo pōtifice coronatus, imperator appellatur.

Per id tempus Eberhardus dux filius Meginardi à Waltgario Frisone filio Gerolphi, cum venatum pergeret, dolo trucidatur. Ducatus quem tenuerat, Meginardo fratri ab imperatore committitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXCIX, Zundibolch colloquium habuit cum optimatibus Arnolphi & Caroli & suis apud sanctum Goarem: ex regno Arnolphi interfuerunt Hatto archiepiscopus, Cunradus & Gebelhardus comites: ex parte Caroli Haschiricus episcopus & Odacar comes. Quid vero in eodem conuentu seorsum sine præsentia regis pertractatum sit, postea euentus rei luce clarius manifestauit.

Eodem anno Richarius abbas monasterij Prumiensis constituitur. Qualiter autem erga me actum sit, idcirco hoc in loco notare distuli, ne forte iniuriis prouocatus vltra quam Christiana patientia permittit, persecutionis meę causas exaggerasse viderer, & ne prolixę rationis oratio, quæ multiplex atq; perplexa est, fastidium inferret audientibus. Res enim gestas (vt supra prǫmisimus) notare studuimus, non rerum gestarum causas certis rationum indiciis enodare. Et qui in aliorum actionibus breuitati studemus, in nostris verbositatis vitium cauere debemus. Zundibolch denuo cum exercitu ad Durfos venit, multitudinem totis viribus expugnare molitur. Sed cum minime conatus eius proficeret: episcopos iubet, vt Reginariū & Odacrum & socios eorum anathematizarent. Sed cum illi anathematis sententiam proferre recusarēt, minis, exprobrationibus & contumeliis vtitur, & sic soluta obsidione vnusquisq; ad propria rediit.

Eatempestate Odilbaldus sanctus vir, Traiectensis ecclesiæ præsul, rebus humanis sublatus ad cœleste regnum trāsiuit, in cuius loco subrogatus est Ratboldus venērabilis antistes. Circa confinia memorati anni Arnolphus imperator migrauit à seculo III calēdas Decemb. sepultusq; est honorifice in Odingis, vbi & pater eius tumulat⁹ iacet.

Anno Dominicæ incarnat. DCCCC, proceres & optimates, qui sub seditione Arnolphi fuerant, ad Forachem in vnum cōgregati, LVDOVICVM filium præfati principis, quem ex legitimo matrimonio susceperat, regem super se creāt, & coronatum regiisq; ornamentis indutum, in fastigio regni sublimant. Dum hæc in Germania aguntur, inter Zuendipoldū & priores regni inexpiabilis oritur dissensio, propter assiduas depræ-dationes & rapinas quæ in regno fiebant, & quia cum mulieribus & ignobilioribus regni negotia disponens, honestiores & nobiliores quosq; deiiciebat, & honoribus & dignitatibus expoliabat. Pro huiuscemodi itaq; causa, omnibus odiosus efficitur. Certatim igitur ad Ludouicum transeunt, eumq; in regnum introducunt, & in Theodonis villa manibus datis eius dominationi se subiiciunt. Ludouico trans Rhenum eunte, Zuendipol coadunatis *quasq; potuit ciuitates regni circuit, incendiis ac rapinis cuncta deuastat, arbitratus, defectores qui propter eius insolentiā & immanem malitiā ab eo defecerant, immaniora & peiora faciēs, ad se reuocare posse. Ludouicus in regnum rursus accersitur, & à comitibus Stephano, Gerhardo, & Matfrido, circa Mosam idem Zuēdipol in prælio interficitur idibus Augusti. Eodem anno Gerhardus comes Odam vxorem eiusdem Zuendipoldi regis sibi in matrimonium copulat.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCI, gens Hungarorum Langobardorū fines ingressa, cædibus, incendiis ac rapinis crudeliter cuncta deuastat. cuius violentiæ ac

beluino furori, cum terræ incolæ in vnum agmen conglobati reſiſtere conarentur, innumerabilis multitudo ictib. ſagittarum periit, quam plurimi epiſcopi & comites trucidantur. Ludmardus epiſcopus Vercellenſis eccleſiæ, Caroli quondam imperatoris familiariſſimus & conſiliarius à ſecreto, aſſumptis ſecum opibus atque incomparabilibus theſauris, quibus vltra, quam æſtimari poteſt, abundabat, cum effugere eorum cruentam ferocitatem omnibus votis elaboraret, ſuper eos inſcius incidit, ac mox interficitur; opes quæ ſecum ferebantur, diripiuntur.

Eodem anno Stephanus comes, frater Walonis, cum in ſeceſſu reſidens nocturnis horis aluum purgaret, à quodam per feneſtram cubiculi ſagittæ toxicatæ ictu grauiter vulneratur: ex quo vulnere eadem nocte extinguitur.

Anno Dominicę incarnat. DCCCCII, Adalbertus cum fratribus Adalhardo & Heinrico, collecta valida manu, aduerſus Eberhardum & Gebelhardū & Rudolphum fratres (de quibus paulo ſuperius mentionem fecimus) ex caſtro quod Babenbergk dicitur, proſiliens ad pugnam proceſſit. cuius impetum viriliter excipientes, ferro aciem irrumpunt, obuios quoſq; terræ proſternunt, nec ante deſiſtunt, quam aduerſariorum agmen fugam inire compellant. in quo certamine Heinricus interfectus, & Adalhardus captus, & poſtmodum iuſſu Gebelhardi decollatus eſt. Eberhardus etiam multis vulneribus confoſſus in prælio cecidit, vbi finito conflictu, inter cadauera occiſorum à ſuis inuentus domum reportatur, & paucis interpoſitis diebus & ipſe moritur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCIIII, Adalbertus Rudolphum epiſcopum de Wirtzburgenſi eccleſia fugat, res & poſſeſſiones præfatæ eccleſiæ crudeliſſime depopulatur, filios etiam Eberhardi ſimul cum matre à propriis hæreditatibus & honoribus regio munere conceſſis, exire compellens, vltra Spectheshart ſecedere cogit.

Circa hæc tempora Folco Remorum archiepiſcopus à quodam Winimaro ſatellite Balduini comitis interfectus eſt. Cauſa autem huius interfectionis hęc fuiſſe memoratur. Prædictus Balduinus Atrabatis caſtrum, videlicet abbatiam ſancti Vedaſti, nullo ſibi concedente inuaſerat, quam Carolus rex ei auferens, Folconi epiſcopo eandem in beneficium largitus eſt. Quod Balduinus ægre ferens, miſit ad iam dictum epiſcopum Winimarum, obſecrans, ne honores quos hactenus tenuerat atque poſſederat, ipſe cupiditate ductus ſibi vſurparet: inſuper etiam ingentia dona pollicitus eſt, ſi eius ope & interuentu præfatam poſſeſſionem obtinere poſſet. Sed cum epiſcopus minime aſſenſum præberet, & neſcio quid durius & amarius, quam oportebat, reſponderet: ille, diabolo inſtigante, furore nimio ſuccenſus ab eo diuertit, & quandam ſyluam cum ſociis ingreſſus, cum idem Folco à Compendio palatio à rege reuerteretur, ſuper eum irruit, & eum abſque mora trucidauit. In Remorum cathedra Henricus ſublimatus eſt, qui eundem Winimarum cum multis aliis epiſcopis excommunicauit, & pro tam inaudito ſcelere perpetuo anathemate condemnauit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCIV, Ludouicus filius Boſonis (quem ſupra meminimus imperatoris nomen eſſe ſortitum) Berengarium de Italia expulit, atque omne illud regnum ſuæ ditioni ſubegit. Cernens autem nullum eſſe aut poſſe nocere, vltra quam oportebat, de ſecuritate præſumens, ea quæ pacis & quietis ſunt, cœpit cogitare Abſoluto itaque exercitu, cum perpaucis Veronam ingreſſus eſt, adhortante Adelhardo præfatæ vrbis epiſcopo. Ciues autem hoc Berengario ſumma cum feſtinatione notum fecerunt, qui eo tempore in Baioaria exulabat. Ille nil moratus, contractis vndique copiis, Veronam peruenit, atque improuidum virum dolo cepit, & captum luminibus priuauit: ſiquidem ciues, qui partibus eius fauebant, portas ciuitatis ei apparientes, eum nocturno tempore intra muros receperunt, & ſic inſperato & abſq; præmeditatione Ludouicus non ſolum regno, ſed etiam oculis priuatus eſt. Tandem itaq; Berengarius regnum Italiæ multis cædibus cruentatum, infauſtis infortunatisq; præliis diu quæſitum, cum huiuſcemodi triumpho obtinuit. Eodem anno in menſe Maio Cometæ ſtella apparuit, & in menſe Auguſto hæc mutatio regni facta eſt.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCV, Cunradus comes filium ſuum Cunradum miſit cum armatorum non modica manu, vt irruerent ſuper Gerahrdum & fratrem eius Matfridum, eo quod honores ſuos & Gebelhardi fratris eius, videlicet poſſeſſionem ſancti Maximini & ſanctæ Mariæ ad Horrea violenter inuaſiſſent: quibus exerci-

exercitus ex regno Lotharij ſociatus eſt. Peruenerunt autem vſque in pagum Bleſiacum, rapinis & incendiis hæreditatem & poſſeſſionem ſupra dictorum fratrum ac ſatellitum eorum depopulantes. Porro Gerhardus & Matfridus à caſtro in quo ſe munierant, legationem mittentes, pacem petierunt: qua conceſſa, datis ex vtraque parte ſacramentis, vſque in octaua Paſchæ exercitus ad propria diſceſſit.

Dum hæc in regno Lotharij aguntur, Cunradus ſenior in Heſſia, in loco qui dicitur Frideſlar, cum multa turba peditum & equitum reſidebat, crebras incurſiones Adelberti ſuſpectas habens; frater vero eius Gerhardus in Wederauia, cum omnibus quos ſibi adſociare poterat, eiuſdem Adelberti præſtolabatur repentinam irruptionem; nec eos fefellit per omnia rerum euentus: ſiquidem Adelbertus vires aduerſariorum extenuatas eſſe ſentiens, eo quod in tribus partibus eſſent diuiſi, opportunum & diu exoptatum tempus aduenisſe gaudens, congregatis ſociis mox arma corripit, & primo quidem ſimulat ſe contra Gerhardum copias transferre velle, vt & illum bello perterreret, & fratrem ſecuriorem redderet, deinde quanta potuit celeritate aciem aduerſus Cunradum dirigit. Quod cum Cunradus ſero cognouiſſet diuiſis ſociis in tribus turmis ei incunctanter occurrit, & commiſſa pugna duæ turmæ, vna peditum, & altera Saxonum, ſtatim terga vertũt. Quos cum Cunradus clamore ingenti fruſtra hortaretur, vt nullatenus hoſtibus cederent, ſed pro coniugum ac liberorum ſalute & defenſione patriæ totis viribus decertarent: ipſe cum tertia turma, animatis ſociis, ſuper aduerſarios irruit, ſed mox in ipſo primo impetu multis vulneribus confoſſus, extinctus eſt. Adelbertus victoria potitus cum ſociis fugientes inſecutus eſt, & innumeram multitudinem maxime peditum gladio proſtrauit. Tribus itaque continuis diebus totam illam regionem perluſtrans, cædibus ac rapinis cuncta demolitus eſt. His patratis ſociis, ſpoliis ac ingenti præda ad Babenberch caſtrum reuerſus eſt. Peracta eſt autem hæc cædes III calendas Martij. Venientes filij cum matre, leuauerunt corpus Cunradi, & ſepelierunt in caſtro quod Wileneburch vocatur.

Eodem anno circa Iulium menſem, Ludouicus rex conuentum generalem celebrauit apud Triburias villa regia, vbi adeſſe mandauit ſæpe dictum Adalbertum, vt in præſentia optimatum regni pro ſe rationem redderet, & pacis conditionem quam hactenus exoſam habuerat, tandem aliquando depoſita crudelitatis tyrannide, ſuſciperet, & rapinis, cædibus, & incendiis ſaltem vel ſero quieſceret. Sed his ſalutaribus monitis nequaquam aſſenſum præbuit. Cernens itaque rex obduratum eius animum, & in cœpta rebellionis malitia obſtinatum, collecto vndiq; exercitu, cum in caſtro quod Tetraſſa dicitur, obſidione cinxit. Interea Egino, qui eius indiuiduus comes in omni prauitate extiterat, ab eius ſocietate defecit, & cum omnib. ſuis ad regis caſtra tranſiit. Protracta igitur paulo prolixius obſidione, fractus animo Adalbertus ad callida argumenta conuertitur, & omni ingenio excogitare cœpit, qua arte obſidio ſolueretur, vt, exercitu ad propria remeante, optata libertate, potius ipſe cum ſibi fauentibus dolos quos in pectore voluebat, longe lateq; effundere poſſet. Portis itaque apertis, à munitione exiens cum perpaucis, vltro ſe regi obtulit, ſupplex veniam de cõmiſſis expoſcit, emendationem promittit. Sed cum fraus quæ ſtruebatur, ſuis prodentibus fuiſſet detecta, cuſtodiæ mancipatur, & in præſentia totius exercitus manibus vinctis adductus, omnibus adiudicantibus, capitalem ſententiam ſuſcepit quinto idus Septembris. Facultates & poſſeſſiones eius in fiſcum redactæ ſunt, & dona regis inter nobiliores quoſque diſtributa. Compoſitis ita in orientali Francia rebus, rex Mediomatricum venit, ibique in publico conuentu Gerhardum atque Matfridum proſcriptione damnauit. Inde regreſſus Strasburgenſem vrbem adiit, epiſcopum ac plebem inter ſe diſſidentem ad concordiam reuocauit, & ſic Rheno tranſmiſſo recto itinere in Alemaniam perrexit. Per id tempus Baltrannus Strasburgenſis eccleſiæ & Luidhelmus Tullienſis eccleſię pręſules migrauerunt à ſęculo, quibus ſucceſſerunt in pontificali cathedra Otbertus in Strasburgenſi ciuitate, & Drugo in Tullenſi.

Hucuſque Regino. Hæc vero quæ ſequuntur, addita fortaſſe ſunt ab alio quopiam monacho.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCVII, Bauari cum Hungaris congreſſi, multa cæde proſtrati ſunt, in qua congreſſione Luitbaldus dux occiſus eſt, cui filius ſuus Arnolphus in ducatu ſucceſſit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCVIII, Hungari iterum terminos transgressi, Saxoniam & Thuringiam vastauerunt.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCIX, Hungari Alemaniam ingressi sunt.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCX, Franci in confinio Bauariæ & Franciæ Hungaris congressi, miserabiliter aut victi aut fugati sunt. in quo prælio Gebelhardus comes interiit, relictis duobus filiis suis adhuc pueris, Vdone & Herimanno, qui postea clari & nobiles in Francia extiterunt.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXI, Ludouicus rex filius Arnolphi imperatoris obiit, cui CVNRADVS filius Cunradi ab Adalberto occisi, regali iam stirpe deficiente, in regno successit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXII, Hungari iterum, nullo resistente, Franciam & Thuringiam vastauerunt. Hatto archiepiscopus obiit, vir adeo strenuus & prudens, cui Heringerus successit. Otto dux Saxonum obiit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXIII, hyems magna nimis. Hungari partes Alemaniæ vastauerunt, & iuxta In fluuium à Bauaris & Alemannis occisi sunt. Eodem anno Euerhardus episcopus Spirensis ab Erenhardo & Cunrado comitibus cæcatus est. Otbertus Strasburgensis episcopus occiditur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXIV, Salomon episcopus captus est.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXV, Hungari totam Alemaniam igne & gladio vastauerunt, sed Thuringiam & Saxoniam peruaserunt, & vsq; ad Fuldam monasterium peruenerunt DCCCCXVI.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXVII, Hungari per Alemaniam in Alsatiam, & vsque ad fines Lotharienſis regni peruenerunt. Freckanger & Berahtold decollantur. Arnolphus dux Bauarorum regi rebellat.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXVIII, Cunradus rex natiuitatem sancti Ioannis in Heroluesfelt monasterio celebrauit.

Anno Dominicæ incarnatiouis DCCCCXIX, Cunradus rex obiit, vir per omnia mansuetus, prudens, & diuinæ religionis amator. Qui cum obitus sui diem imminere sentiret, vocatis ad se fratribus & cognatis suis, maioribus scilicet Francorum, mortem sibi imminere prædixit, & ne in eligendo post se regem dissidium regni fieret, paterna eos voce præmonuit. Sed & Heinricum Saxonum ducem, filium Ottonis, virum strenuum & industrium, præcipuumque pacis sectatorem, vt eligerent iussit, aliumque ei ad hoc officium æque condignum inueniri non posse testificans, sceptrum ei & coronam, cæteraque regiæ dignitatis ornamenta, pacto tuendi & conseruandi regni, per eos transmisit. Ipse vero hac vita decedens, in Fulda monasterio honorificata sepultura tumulatus est. Multis tamen laboribus, ad paucos quos regnauit annos, est à Bauaris, Alemanis, & Saxonibus sibi rebellantibus fugatus, quos ante obitum suum, Deo propitio, superauit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXX, HEINRICVS dux, consensu Francorum, Alemanorum, Bauarorum, Thuringorum & Saxonum, rex eligitur. qui initium sui regni disciplina seruandæ pacis inchoauit. Multi enim illis temporibus, etiam nobiles, latrociniis insudabant.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXI, apud Franciam superiorem graues & intestinæ discordiæ feruent inter Rudbertum inuasorem regni & Carolum regem. Interim Heinricus rex stabiliendæ paci & reprimēdæ Sclauorum sæuitiæ fortiter insistit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXII, Suessionis inter Rudbertum & Carolum tanta pugna commissa est, vt pene ex vtraque parte victores esse viderentur. Carolus tamen ori sacrilego Rudberti ita lanceam infixit, vt diffissa lingua ceruicis posteriora penetraret.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXIII, pretiosissimus thesaurus sanguinis domini venit in Augiam VI idus Nouembris. Haicho abbas Fuldēsis obiit, cui Hilbertus successit. Carolus Alsatiam & partes illas Franciæ iuxta Rhenum vsq; Moguntiam sibi vsurpaturus, vsq; Patennichheym villam iuxta Wormatiā hostiliter peruenit. Vnde fidelibus regis Heinrichi Wormatię coadunatis, aliter quam decuerat regē, aufugit.

Eodem anno Heinricus rex, adiunctis sibi Rutgero archiepiscopo, Gisalberto duce, Meten-

Metensem vrbem obsedit,& Witgerum licet diu reluctantem sibi obedire coegit. Herimannus sanctissimus vir,Colonien sis episcopus obiit,cui Wigfridus successit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXIV, Hungari orientalem Franciam vastauerunt. Carolus & Heinricus reges apud Bonnam castellum conueniunt, & pacem inter se facientes, fœdus ineunt: & Carolus nunquam sibi amplius Lotharien se regnum vsurpaturum promittens,regreditur.Eodem anno ab Heriberto comprehensus,in custodiam mittitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXV, Heinrico rege coadunatum & constabilitum Lotharien se regnum ideo in sua potestate habente, Carolus rex in custodia qua tenebatur,obiit: qui fertur vir hebetis esse ingenij,&minus aptus vtilitatibus regni. Omnes etiam à filio eius deficientes, quippe qui tunc temporis, capto patre,in Hibernia exulauerat,quendam Rudolphum sibi regem eligunt.Eodem anno Witgerus episcopus obiit,cui Benno ex ordinariis Strasburgensibus, in Alpibus quondam eremiticam vitam ducens,successor eligitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXVI, Hungari totam Franciam, Alsatiam, Galliam & Alemaniam, igne & gladio vastauerunt. Burchardus dux Alemaniæ in Italia occiditur. Herigerus Deo dignus præsul obiit, cui Hildebertus Fuldensis abbas successit, Herimanno ducatus Alemaniæ committitur, qui Widam Burchardi duxit vxorem.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXVII,Benno qui Benedictus episcopus dicitur,à Metensibus excæcatur,& synodo apud Duisburgenses habita, omnes illius facti authores excommunicantur,& Adalbero nobilis pro eo episcopus instituitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXVIII, Heinricus rex Boemos hostiliter inuasit,& præstante Deo fortiter superauit.Ea tempestate Ottoni filio eiusdem regis natus est filius Willihelmus. Hyems magna nimis. Rutgerus Treuirorum archiepiscopus obiit,cui Rudbertus successit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXIX, Gisalbertus dux Gerburgam filiam Heinrici regis duxit vxorem.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXX,Otto filius regis Heinrici Edgid filiam regis Anglorum duxit vxorem.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXI, Heinricus rex regem Abotridorum & regem Danorum efficit Christianos. Eodem anno rex ab Eberhardo aliisque Franciæ comitibus seu episcopis in Franciam vocatus, singillatim ab vnoquoque eorum in domibus suis,vel ecclesiarum sedibus regem decentibus,est conuiuiis & muneribus honoratus DCCCCXXXII.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXIII, Hungari per orientales Francos & in Alemania multis ciuitatibus igne & gladio consumptis , iuxta Wormatiam Rheno tranſito,vsque ad mare Oceanum Galliam deuastantes, per Italiam redierunt.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXIV, Heinricus rex Hungaros multa cæde prostrauit, pluresque ex eis comprehendit. Eodem anno Sclauos qui Vncrani vocantur,hostiliter inuasit & vicit,sibique tributarios fecit. Ecclesia sancti Maximini turbine cecidit, sed clementia regis monachis reparata. Ogo ante præpositus, abbas eiusdem loci eligitur,& monachi non regulariter ibi viuentes expelluntur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXV, Heinricus rex paralysi percutitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXVI, synodus apud Erfurd in Thuringia celebratur à complurib. episcopis. Heinricus rex præcipuus pacis sectator, strenuusque paganorum insecutor,post plures fortiter &viriliter actas victorias, dilatatis vndique sui regni terminis,VI nonas Iulij diem clausit extremum, cui filius suus OTTO consensu primorum regni successor eligitur. Hildebertus archiepiscop' obiit, cui Fridericus successit: Vnni archiepiscopus,cui Adalgisus successit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXVII, monasterium sancti Galli & monasterium sancti Bonifacij igne comburuntur. Rudolphus rex Burgundiorum & Arnolphus dux Bauarorum obierunt. Graues & inteſtinæ discordiæ inter Heinricum fratrem regis & Eberhardum ducem Francorum nascuntur, ob exortas inter Wassallos eorum inimicitias.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXVIII, filij ducis Arnolphi, ambitione ducatus regi rebellarunt, quos ipſe debellaturus in Bauariam ibat, ſed non, vt voluit, eos pacificare valens, reuertitur. Interim frater regis Heinricus ab Eberhardo comprehenditur in caſtello Badalikki. quo tamen citius liberato, Eberhardus Hildinesheym in exilium deſtinatur. Iterumq; rex in Bauariã reuertens, omnes ſibi ſubdidit, & Eberhardum Arnolphi filium plus aliis rebellem in exilium miſit. Hungari iterum à Saxonibus multa cæde vaſtati.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXIX, Eberhardus ab exilio remittitur, totumq; regnum inimicis & rebellionibus confunditur. Eberhardus enim & Giſalbertus cum Heinrico fratre regis aduerſus regem coniurant, ſed quidam eccleſiaſtici viri nequam, & Deo odibiles, cum illis factione concordant, omniaq; paſſim pacis & concordiæ iura turbabãt. Tũc rege Lothario, vbi tũc rebellionis ſumma gerebatur, adeunte, Giſalbertus cum fratre regis tranſitum Rheni regi prohibere volens, nec valens, iuxta Biertanam ſociis regis congreditur: Deoq; victoriam præſtante, pluribus ſuorum occiſis, aliisq; fugatis, ipſe & frater regis fugæ ſubſidia petunt. Quos rex inſequens vſq; ad Capri montem peruenit, caſtellumq; in eo ſitum firma vndique obſidione circumdedit. Interim Ludouicus rex Galliæ Romanæ, filius Caroli, conſilio inimicorum regis ſub obtentu requirendi Lotharienſis regni quod pater ſuus perdiderat, Alſatiam inuaſit: vbi quæq; poterat plus hoſtiliter quam regaliter geſſit. Quod rex Otto patienter nõ ferens, Capri montem obſidione abſoluit, & Alſatiam petens Ludouicum regem expulit. Quo expulſo Briſacum caſtellum munitiſſimum obſedit, vbi quam plura vtrinq; fortia & bellica geſta peracta ſunt, quæ futura poſterorum ſucceſſio non ignorabit. Vnde Fridericus archiepiſcopus Moguntinenſis, & Rudhardus epiſcopus Strasburgenſis, defixis in obſidione tentoriis, & relictis copiarum quas detulerãt ſarcinis, nocte clam aufugerunt, & Metenſem vrbem adeuntes, Giſalberto & Heinrico ſe occurſuros, vt coniurauerant, ſperauerunt. Sed longe aliter eis contigit, cum eos ſpes inaniſſima deluſit. Nam Giſalbertus & Eberhardus iuxta Andernacũ caſtellum cum ſuis Rhenum tranſituri, ab Vdone & Chunrado comitibus, cæterisq; regi fidelibus, ne tranſeant, bellica congreſſione citoq; mortis compendio præuenti. Nam Eberhardus occiditur, & Giſalbertus in Rheno ſubmerſus necatur, plurimiq; ex illorum ſociis occiſi, reliqui vero ſunt fugati, aut capti. Quo audito, Briſacenſes caſtellani regię dominationi ſubduntur, & caſtellum obſidione abſoluitur. Tunc iterum Lotharienſes adiens, omnes ſuo ſubiugauit imperio. Sed & fratrem ſuum proiectis armis ad ſe venientem, ſolita ſibi ſuſcepit miſericordia. Nam omnia quæ in eum deliquit, indulſit, & fraterno ſecum amore detinuit: omnibus tamen Lotharienſibus ſubactis, aliquãdiu reſiſtere conatus eſt epiſcopus Mettenſis. Vnde Theodonis villa capellam domini Ludouici Pij imperatoris, inſtar Aquẽſis inceptam, ne perficeretur, aut pro munimine haberetur, deſtruxit. Nec tamen diutius in huiuſcemodi rebellione permanſit: ſtatim ſiquidem totum regnum velut ex ipſis fidei viſceribus, Deo propitio, ad regem cõuertitur, & extinctis hoſtibus, pax & concordia renouatur. Fridericus archiepiſcopus ad Fuldam monaſterium mittitur, & Rudhardus Strasburgenſis Corbeiæ monaſterio deſtinatur. Interim dum hæc quæ prædiximus, aguntur; domina Egid regina Lauresheym monaſterio commoratur. In hac eadem tempeſtate Danemar frater regis ex concubina, rebellans Meresburgo caſtello occiditur, alijque ſequaces eius truncantur, aut ſuſpenduntur.

Hac tempeſtate non in vno ſolum, ſed in omnibus Saxoniæ & Franciæ prouinciis, huc & illuc verſabatur Wigman Saxo rebellans, ſed reconciliatur. Ludouicus rex Gerbirgam viduam Giſalberti duxit vxorem.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXL, Heinrico fratri regis Lotharienſis ducatus committitur, qui mox eodem anno à Lotharienſibus expellitur: cui Otto comes in eodem ducatu ſucceſſit. Fridericus Epiſcopus à Fulda remittitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLI, Heinricus frater cum quibuſdam Saxonibus contra regem conſpirat, quorum qui maiores videbantur, rex decollari iubebat. Fratrem vero ſuum Ingelnheym cuſtodiæ mancipabat. Fridericus archiepiſcopus, quia conſpirationis huius particeps videbatur, publica ſe examinatione, perceptione corporis & ſanguinis domini, coram populo in eccleſia purgauit.

Anno

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLII, rex natalem Domini Franckfurdiæ celebrauit: vbi frater eius per Rudbertum Maguntinensis ecclesiæ diaconum, custodiam noctu clam aufugiens, antelucano tempore regis ecclesiam adeuntis pedibus accubuit, & concessa venia misericordiam quam precatur, obtinuit. Bonna castello præclara synodus à viginti duobus episcopis habetur. Treueris basilica sancti Maximini dedicatur. Sydus simile Cometæ per XIV noctes visum, & immensa mortalitas boum secuta est.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLIII, Otto dux obiit, cui Cunradus filius Werinheri in ducatu successit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLIV, rex apud Duisburgam in rogationibus placitum cum primoribus Lotharienſium & Francorum habuit, vbi factione Conradi ducis Rutbertus archiepiscopus Treuirensis, & Richarius Tungrensis episcopus infidelitatis apud regem arguuntur: sed in breui ab obiecto sibi crimine liberantur. Illuc etiam à Traiectensibus clericis corpus sancti Seruatii asportatum est, ob multimodas sibi ab Immone comite illatas iniurias. Hungari à Carantanis tanta cæde mactantur, vt nunquam à nostratibus antea taliter infirmarentur. Adalbertus comes filius Matfridi ab Idone occiditur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLV, Richarius episcopus obiit, cui Ogo Treuerensis abbas in episcopatum successit. Herimannus & Cunradus duces quasdam inter se inimicitias habentes, in præsentia piissimi regis in Cassella sunt replicati. Bertaldus dux Bauarienſis obiit, cui Heinrichus frater regis in ducatu successit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLVI, Ludouicus rex à suis regno expulsus, auxilium petens regem Ottonem adiit, & vt desiderauerat obtinuit. Nam valida manu rex Galliam intrauit, & Remensem vrbem, & Laudunum, aliaq; castella complurima, firma & munita Ludouico reddi fecit, ipseque hostiliter vsque Rothomagum peruenit. Inde omnibus pene, excepto Hugone Ruodberti filio, regni maioribus regi suo subactis, in patriam regreditur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLVII, domina Edgid regina obiit, quæ maximo regis omniumque suorum planctu Madeburgi sepelitur. Cunradus dux, regi tunc temporis pene præ omnibus charus, Luidgardam filiam regis in matrimonium sumpsit. Ludolfus filius regis tali, vt decuerat, apparatu tertiam filiam Hermanni ducis sibi coniugio copulauit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLVIII, synodus in Ingelheym à XXXIV Episcopis habetur. Cui, præsidente Martino Episcopo Romanæ ecclesiæ legato, inclyti reges Otto & Ludouicus affuerunt: in qua multis ecclesiasticæ vtilitati rebusque promulgatis, causa quoque Hugonis filij Heriberti, qui Artaldum archiepiscopum expellens sedes ecclesiæ Remensis inuaserat, ventilatur, & omnium qui affuerant iudicio episcoporum damnatur. Cunradus comes qui Curcipoldus dicebatur, filius Eberhardi, vir sapiens & prudens obiit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLIX, Waldo Curiensis Episcopus obiit, cui Hardbertus successit. Vto comes obiit, qui permissu regis quicquid beneficij aut præfecturarum habuit, quasi hæreditatem inter filios diuisit. Herimannus dux inter suos sapientissimus & prudentissimus, obiit IV idus Decembris. Eodem anno Luidolfo filio regis Mathildis filia nascitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCL, rex Purificationem sanctæ Mariæ Franckfurt celebrauit, indeq; Wormatiam adiit, vbi viduam Herimanni ducis ad se venientem benigne suscepit, sed & filio Luidolpho ducatum Alemaniæ commisit. Ibi Cunradus filius Eberhardi comitis, qui cum quadam nepte regis se concubuisse sibi imposuit, à quodam Burchardo Saxone monomachia victus, fefelliſſe se patefecit. Eodem anno Bohemorum princeps Bolizlaus regi rebellat, quem rex validissima manu adibat, sueque per omnia ditioni subdebat. Rothardus Strasburgensis episcopus obiit, cui Vdo filius Vdonis comitis, in Episcopatu successit. Rihgonno Wormatiensis Episcopus obiit, cui Anno successit. Ruodbertus archiepiscopus pro acquirenda abbatia sancti Maximini multum laborauit, sed (Deo propitio) non prævaluit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLI, rex Otto in Italiam ire volens, multo se

ad hoc iter apparatu præstruxit, quomodo Adalhaidam viduam Lotharij regis Italici, filiam Rudolphi regis, à vinculis & custodia qua à Berēgario tenebatur, liberare, sibiq; eam in matrimonium assumere, regnumque cum ea simul Italicum adquirere posset, deliberauit. Quod inter filios eius Luidolphus cum Alemannis anticipans, patriq; si quid ibi ad ingressum suum fortirer ageretur, placere desiderans, nihil tale quod sperauerat, peregit, sed potius inconsultum patrem offendens, totius inde rebellionis & discordiæ seminarium sumpsit. Patruus enim eius Heinricus dux omnium eius honorum & prosperitatum inuidus, de Bauaria per triennium legatos suos præmisit in Italiam, omniumque quorum potuit mentes Italicorum ab eo auertit, in tantum vt nec ciuitas nec castellum, quæ subsequenter regis pistoribus cocisq; patuerant filio regis aperiretur, omniaque ibi incommoda & plena molestiæ pateretur. Mox subsequenter rex regnum Italicum ingreditur, Deoque sibi assistente totius Italiæ possessor efficitur. Sed & domina Adelheid, Deo amabilis regina, sua ipsius prudentia à custodia est (Deo propitio) liberata, & Ottoni regi felici, Deo auspicante, copula coniuncta. Tunc Luidolphus dux hæc quæ præscripsimus, ægre ferens, inconsulto patre, archiepiscopo Friderico comite, in patriam reuertitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLII, rex expulso Berengario cum suis fidelibus hyemans in Italia, Papiæ Natalem Domini celebrauit. Sicque dispositis regni negotiis, verno tempore in patriam rediit, ducem autem Chunradum ad persequendum Berengarium in Italia reliquit. Luidolphus dux de Italia reuertens, regio ambitu Natalem Domini in Salefelt celebrauit, vbi Fridericum archiepiscopum, omnesque qui in promptu erant regni maiores, secum detinuit. Quod conuiuium iam multis suspiciosum cœpit haberi, & plus ibi destructionis quam vtilitatis ferebatur tractari. Chunrado duce ad persequendū Berengarium relicto, Berengarius eiusdem ducis consilio sponte sua in Saxoniam ad regem venit, nihil tamen de his quæ voluit, obtinuit: sed machinatione Heinrici ducis fratris, vix vita & patria indulta, in Italiam rediit: vnde etiam Chunradus dux multum offensus à debita regis fidelitate defecit. Tunc Friderici archiepiscopus & Chunradus dux amici facti sunt, nam antea inimici erant ad inuicem. Eodem anno, mediante Augusto mense, conuentus Francorum, Saxonum, Bauarorum, Alemannorum & Langobardorum publicus, apud Augustanam vrbem Rhetiæ prouinciæ agitur: vbi præscriptus Berengarius cum filio suo Adalberto regiæ se per omnia in vasallitium dedit dominationi, & Italiam iterum cum gratia & dono regis accepit regendam. Marca tantum Veronensis & Aquileiensis excipitur, quæ Heinricho fratri regis committitur. Berengarius tamē in Italiam reuertens, omnia hęc in Episcopos & comites cæterosque Italiæ principes retorsit: omnes eos odiis & inimicitiis insequens, inimicissimos sibi fecit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLIII, rex Natalem Domini Franconofurdiæ celebrauit. Indeque Alsatiam progrediens, socrui suę Bertæ, matri scilicet dominę Adelheid reginæ, abbatiam Merenstein dedit. Tunc iam animositates & consilia occulte contra eum facta palam cœperant apparere, & vnusquisque eorum quæ in corde cōtexerant aperire. Redeunte enim illo de Alsatia, & Ingelheym Pascha celebraturo, Luidolphus filius eius & Chunradus dux, nequam fautoribus & maxime iuuenibus, & de Francia & de Saxonia & de Bauaria sibi coadunatis, conspirauerant, & quascunque poterant munitiones seu castella futuræ seditioni muniebant. Nec enim iam clam agebatur quo tendebant, sed aperta rebellionis signa monstrabant. Rex igitur Ingelheym perueniens, paucis suorum fidelium secum habitis, non tute inter medios hostes Pascha celebrandum ratus, Moguntiam inde secessit: vbi aliter quam regem decebat, diutius ante portas expectans, Friderico archiepiscopo iam cum illis conspirante, vix vrbis ingressum obtinuit.

Tunc Luidolphus & Chunradus ibi, facta ad eū humilitate (vt post claruit) venientes, nihil talium se in eius cōtrarietate egisse dicebāt, sed si Henrichus frater eius in Pascha Ingelheym veniret, illum se comprehensuros non negabant: quod rex tranquille ac modeste suscipiens, nauigio Coloniam attigit, indeq; progrediens Droomanni vico Pascha celebrauit. Post Pascha coadunata fidelium suorū multitudine, Coloniam itērū rediit, ibiq; Metensem episcopū, in quo maxima spes & fiducia Luidolpho & Chunrado

rado esse videbatur, omnesque Lotharienses, exceptis paucis quibus prædæ & rapinæ cordi erant, obuios habuit, & ab amicis suis deficientes, benigna ad se venientes suscepit caritate, & in sua fidelitate firmos & stabiles coadunauit. Quib⁹ dispositis in Saxoniam reuertitur, vbi firmatis nihilominus & stabilitis suis rebus, iterum in Franciam hostili manu reuertitur. Quo audito Fridericus archiepiscopus Magũtia secessit, & ciuitatem Brisacum (castellum latibulum semper Deo regiq; rebellantium) intrauit, totamq; ibi pene æstatem, rei euentum expectaturus permansit. Tunc rex audiens Moguntiam metropolim Franciæ regiamq; ciuitatem inimicis suis deditam, qua potuit velocitate eam adiit, collectaq; suorum fidelium multitudine tam Francorum quam Saxonũ & Lothariensium firma eam obsidione circumdedit. Sed & frater eius Henrichus de Bauaria regi auxilium collaturus aduenit, licet sibi plus incommodi, quam vtilitatis conquisierit. Nam interim Luidolfus Bauaros machinatione Arnoldi fratris Iudithæ vxoris eius ab eo auertit, & Ratisbonam intromissus omnes eius ibi thesauros diripuit, suisq; rapiendos distribuit. Quæ eius incommoda rex suis præponẽs, Moguntiam obsidione absoluit, & in Bauariam iter dirigens Ratisbonam obsedit, in qua obsidione pene vsque Natalem Domini permansit. Eodem anno Wigfridus Colonien sis ecclesiæ archiepiscopus obiit: cui Bruno frater regis succedens, totius Lotharien sis regni ducatum & regnum cum episcopatu suscepit. Luidgarda filia regis obiit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLIV, rex omissa obsidione in Saxonia Natalem Domini celebrauit, iterumq; appropinquante Quadragesima in Bauariam remeauit. Ibi Heroldus archiepiscop⁹ à fratre regis cęcatus, Deo propitio, viribus imminutis inimicorum, in breui tota Bauarię virtus ad eum & Alemaniæ in tantum conuertitur, vt & Ratisbona ciuitas regi redderetur, ipsiq; rebellatores nihil se contra eum velle vel posse profiterentur. Fridericus etiam sacramento se expurgaturus, nihil contra regiam se fidelitatem egisse, accessit: sed rex omni pietate plenus, eum sacramento absoluit. In eodem anno Chunradus dux cum Lotharięsibus, duce Brunone archiepiscopo, in Belensi pago apud villam Rimilinga congressurus erat. Sed in vltimo, quia contra regem erat, Deo volente ne fieret, remanebat. Hungari, ducẽtibus inimicis regis in Quadragesima, Rheno transito, peruadentes Galliam, inaudita mala in ecclesia Dei fecerunt, & per Italiam redierunt. Fridericus archiepiscopus obiit, vir in sancta religione strenuus & valde laudabilis, nisi in hoc tantum videbatur reprehensibilis, quod sicubi vel vnus regis inimicus emersit, ipse se statim secundum apposuit: cui successit regis filius Wilhelmus, à populo & clero in Arnestat concorditer electus. Ea tempestate Luidolphus in gratiam regis reuocatus, vasallos quos habuit, & ducatum patri reddidit, cui Burchardus in ducatu successit. Chunradus etiam omnium quas habuit diuitiarum nudus, omisso ducatu, in gratiam regis intromittitur, vita, patria & prædio cõtentus. Luidolpho filius Otto nascitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLV, Hungari cum tam ingenti multitudine exeuntes, vt non, nisi terra eos dehisceret, vel cœlum eos obrueret, ab aliquo se vinci posse dicerent. Chunradus quondam dux ibi occiditur, & ab exercitu regis apud Lichum fluuium tanta cæde (Deo præstante) prostrati sunt, vt nunquam ante apud nostrates victoria talis audiretur aut fieret. Rex inde reuertens, in Sclauos hostes dirigit, vbi simili potitus victoria, vasta illos cæde prosternit. Wigmannus expellitur. Henrichus frater regis, desperatis rebus recuperatis, recepto Bauariæ ducatu obiit: cuius filio Henrico Pius rex ducatum & Marcam dedit. Otto filius regi nascitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLVI, rex in pace & otio degens maximo suorum fidelium conuentu, Colonię placitum regale habuit. Ea tempestate, grauis per omnes regni partes pestilentia grassabatur, quę innumeram populi multitudinem passim extinxit: ex qua Rotbertus archiepiscopus Treuerensis, & Hadamarus abbas Fuldensis obierunt: quibus Henricus in episcopatu, & Hatto in abbatia successerunt. Eodem anno Luidolphus in Italiam ad deprimendam Berengarij tyrannidem dirigitur, & in breui expulso Berẽgario, totius pene Italiæ possessor efficitur. Abbatia sancti Nazarij in Lauresheym electione restituitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLVII, Rex iterum Sclauos inuasit. Luidolphus in Italia obiit, cuius corpus inde trãslatum, à venerabili archiepiscopo Wilhelmo

fratre eius, Moguntiæ apud ſanctum Albanum honorifice ſepultum eſt. Willerus Treuerenſis abbas obiit, cui Wikerus ſucceſſit. Ea tempeſtate rex clementiſſimus abbatiam ſancti Petri in Wirtzburg, multis retro temporibus ſub anteceſſoribus ſuis electionis & priuilegij dono priuatam, ſtudio ſanctæ religionis dignitati priſtinæ reſtituit, & virum venerabilem Gelionem eidem cœnobio abbatem præfecit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLVIII, rex Paſcha celebrauit Ingelheym, vnde nauigio Coloniam placitũ ibi acturus venit. Eodem anno factione Brun. archiepiſcopi Reginerus comes cõprehenditur, & in Sclauos exul mittitur. Fridericus conſenſu Heroldi Ingelheym in præſentia regis in octauis Paſchæ, habita ibi XVI Epiſcoporum ſynodo, Viennenſis eccleſiæ Archiepiſcopus ordinatur. Alenuicus Augienſis cœnobij abbas obiit, cui Ekkihardus ſucceſſit. Cralo abbas cœnobij ſancti Galli obiit, cui Burchardus ſucceſſit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLIX, rex iterum Sclauos inuaſit, vbi Thiet-marus occiditur. Legati Helenæ reginæ Rugorũ, quæ ſub Romano Imperatore Conſtãtinopolitano Conſtantinopoli baptizata eſt, ficte (vt poſt claruit) ad regem venientes epiſcopum & presbyteros eidem genti petebant. Eodem anno Hagatio Heresfeldenſis abbas paralyſi percutitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLX, rex Natalem Domini Franconofurd celebrauit, vbi Libutius ex cœnobitis ſancti Albani à venerabili epiſcopo Adaldago genti Rugorum epiſcopus ordinatur. Guntherus rogatu Haganonis abbas conſtituitur. Eodem anno rex iterum pergit in Sclauos. Legati quoque ab apoſtolica ſede venerunt, Ioannes diaconus & Azo ſcriniarius, vocantes regem ad defendendum Italiam & Romanam rempublicam à tyrannide Berengarij. Waltbertus etiam archiepiſcopus Mediolanenſis, & Waldo Cumanus epiſcopus, & Opertus marchio Berengarium fugientes, in Saxonia regem adeunt. Sed & reliqui pene omnes Italiæ comites & epiſcopi literis eum aut legatis, vt ad ſe liberandos veniat, expoſcunt. Geilo Wirtzburgenſis abbas obiit, cui Gerrichus ſucceſſit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXI, rex Natalem Dominis Ratisbonæ celebrauit: Vbi Poppo Wirtzburgẽſis archiepiſcopus regi percharus, XIII calẽdas Martij diem clauſit extremum, cui proximus ſuus Poppo in epiſcopatu ſucceſſit. Libutius priori anno quibuſdam dilationibus abitinere ſuſpenſus, XV calendas Martij anni præſentis obiit, cui Adalbertus ex cœnobitis ſancti Maximini machinatione & conſilio Wilhelmi archiepiſcopi, licet meliora in eum confiſus fuerit, & nihil vnquam in eum deliquerit, peregre mittendus in ordinatione ſucceſſit. Quem piiſſimus rex ſolita ſibi miſericordia, omnibus quibus indigebat copiis inſtructum genti Rugorum honorifice deſtinauit. Rex in Italiam ire diſponens, maximam ſuorum fidelium multitudinem Wormatiæ coadunauit: vbi conſenſu & vnanimitate regni procerum totiuſq; populi, filius eius Otto rex eligitur. Indeque progrediens conuenientia quoque & electione omnium Lotharienſium Aquis rex ordinatur. Ordinato vero filio, pater in Saxoniam rediens, diſpoſitis regni negotiis, filium Wilhelmo archiepiſcopo tuendum & nutriẽdum commiſit, ſicq; per Bauariam & Tridentum in Italiam ſe admiſit: vbi omnes pene Italiæ comites & epiſcopos obuios habuit, & (vt decuit) ab eis honorifice ſuſceptus, poteſtatiue & abſque vlla reſiſtentia Papiam intrauit, & palatium à Berengario deſtructum reædificare præcepit. Berengarius vero & Willa filijque eorum, quibus poterant munitionibus aut caſtellis includebantur, & nuſquam forinſecus contra regem quid audentes progrediebantur. Eodem anno Gotefridus Spirenſis epiſcopus obiit, cui Otgerus ſucceſſit. Eclipſis Solis XVI calendas Iunij. Rex Hattonem Fuldenſem abbatem ad conſtruenda ſibi habitacula Romam præmiſit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXII, rex Natalem Domini celebrauit, indeq; progrediens Romæ fauorabiliter ſuſceptus, acclamatione totius Romani populi & cleri, ab apoſtolico Ioanne filio Alberici Imperator & Auguſtus vocatur & ordinatur. Papa quoque multa illum ſecum charitate detinuit, & diebus vitæ ſuæ nunquam ſe ab eo defecturum promiſit: quæ tamen promiſſio longe diſſimilem, quam prætendebatur, effectum obtinuit. Imperatore Auguſto ab vrbe redeunte, & Papiæ paſcha celebrante, Berengarius in quodam monte qui dicitur ad ſanctum Leonem, plurimis vndiq;

vndiq; secum copiis attractis se muniuit, & Willa in lacu maiori, in quadam insula quæ dicitur ad sanctum Iulium, se inclusit. Filij vero eius, Adalbertus & Guido, huc illucq; incerti vagabantur: quasdam tamen munitiones cum suis sequacibus adhuc possidebant, hoc est Grad castellum, & Traualium, & insulam in lacu Cumano. Tunc Willa in primis hostiliter aditur, & adempto omni de lacu exitu, cotidianis fundibulariorum & sagittariorum, aliorumq; belli instrumentorum impugnationibus fatigatur & non plenis duobus mensibus obsessa capitur, & ad vltimum clementia imperatoris dimissus, quo vellet, ire permittitur. Qui quanta potuit velocitate Berengarium adiit, & ne se Imperatori dederet, omnibus modis persuasit. Eodem anno Adalbertus Rugis ordinatus episcopus, nihil in his, ꝓpter quæ missus fuerat, proficere valens, & inaniter se fatigatum vidés, reuertitur: & quibusdam ex suis in redeundo occisis, ipse cum magno labore vix euasit, & ad regem veniens, charitatiue suscipitur, & à Deo amabili Wilhelmo archiepiscopo, pro retributione tã incommode ab eo sibi machinatæ peregrinationis, bonis omnibus & commodis quasi frater amplectitur & sustentatur. Reginbertus Dei seruus obiit, missis etiam pro eo ad imperatorem literis, reditum ipsius in palatio operiri iubetur. Eodẽ anno Adalbero venerabilis vir Metensis episcopus obiit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXIII, rex iterum Papiæ Natalem Domini & Pascha celebrauit. Interim Adalbertus huc illucq; discurrens, quoscunque poterat sibi vndique attraxit, sed & Corsicam ibi se tueri nitens intrauit. Romanum etiam pontificem multipliciter in suum adiutorium sollicitauit. Dum hęc igitur aguntur, imperator à Papia mouens iter, Berengarium in monte sancti Leonis obsedit, toramque ibi æstatem sedens, sæpe montem vndique circumdedit, & ne aliquatenus pateret exitus vel introitus, ꝓhibuit. Interim Ioannes papa, promissiones imperatori factas oblioni tradens, ab eo deficit, & Berengarij seu Adalberti partibus fauens, Adalbertum Romã intromittit. Quas dolositatis eius fraudes imperator audiens, relicta circa mõtem obsidione Romam versus cum hoste pergit: cuius ipsi metuentes aduentum, plurimum thesaurum sancti Petri rapientes, fugæ subsidia petunt. Tunc Roma in plura diuisa, partim imperatori fauentes (multi enim à prædicto papa iniuriis se opprimi cõquerebantur) partim apostolico blandientes, licet diuersa sentirent, imperatorem tamen cum honore debito vrbem intromittunt, seq; per omnia, datis obsidibus, illius ditioni subiungunt. Imperator vero plurimorum episcoporum collecta multitudine synodum coadunauit, & consilio corũ missa legatione, canonica authoritate, profugum apostolicum ad sedem pontificalem & apostolicam reuocauit. Illo tamen hoc ómnibus modis renuente, plebs Romana Leonem protoscriniarium, virum strenuum & industrium, communi consensu in locum eius elegit & ordinauit: cui synodo interfuerunt omnes prope Romanæ & Italiæ episcopi: Angelfredus etiam Aquileiensis Patriarcha, qui tunc temporis etiam ibidem obiit. Sed & de nostratibus interfuerunt, Adaldagus & Heinrichus archiepiscopi, Landvvardus & Otgerus episcopi. Postea Ioannes, qui & Octauianus, videns se esse depositum, sera pœnitentia ductus, Adalberto diffungitur, Adalbertus vero in Corsicam reuertitur. Eodem anno Gard castellum in Italia capitur: apud nos quoque Sclaui qui dicuntur Lunsinzani, subduntur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXIV, Imperator Romæ natalem Domini celebrauit. Berengarius cum suis in monte sancti Leonis obsessus vincitur, & adipsum castellum Imperatoris ditioni subditur, & Berengarius cum Willa in Bauariam mittitur. Romani iterum ab Imperatore solito more deficientes, pluribus aliis castellanis sibi per coniurationem extrinsecus adiunctis, eum occidere nitebantur: sed insidiis eorum patefactis, eodem die quo eum extinguere moliebantur, necem sibi paratam anticipans, III nonas Ianuarij cum pauciſſimis suorum eos inuasit, & non modicam illorum multitudinem intra muros vrbis prostrauit. Die vero sequenti, Romam iterum venientes, centum obsides dederunt, & supra corpus sancti Petri subiurciurãdo fidelitatem imperatori & Papæ promiserunt. Tunc Imperator plena adhuc hebdomada apud illos manens, Spoletinum ducatum & Camerinum ordinaturus exiuit, & ad preces Papæ Leonis obsides Romanis remisit: quibus ipsi beneficiis ingrati, non longe illo ab vrbe posito, Ioannem, qui & Octauianus, vrbi intromittunt, & fidem Imperatori & Papæ promissam annihilare non metuunt. Leo vero Papa vix cum pau-

cis facultatum omnium nudus euasit, & Imperatorem in Camerino ducatu positum adiit, ibiq; Pascha celebrauit. Ioannes autem, qui & Octauianus, Ioannem diaconum & Azonem scriniarium crudeliter detruncauit, & Otgerum Spirensem episcopum comprehensum & flagellatum, aliquandiu licet incommode secum detinuit: sed postea statim eum spe impetrandæ ab imperatore veniæ remisit: quæ spes diuina eum ordinatione fefellit. Nam 11. Idus Maij rebus humanis excessit. Tunc Romani non modice metuentes Imperatoris aduentum, Benedictum quendam Romanę ecclesiæ diaconum, fidei & electionis domini Leonis immemores eligunt, & ordinatum sedi apostolicæ imponunt. Quo audito, Imperator collecta vndique secus fidelium suorum multitudine, Romam adiit, & firma eam omni parte obsidione, ne quis pateret exitus, muniuit. Sed prædictus Benedictus falso nomine apostolicus, diutius vt Imperatori resisterent, Romanos animauit, ipseque Imperatori suisque fidelibus excommunicationem comminans, muros vrbis ascendit, & elatiori se fastu, quam apostolicum decuerat, ostendit. Ad vltimum Romani, fame & obsidione constricti, se errasse, contraque Imperatorem iniuste deliquisse, pœnitentes in vigilia Præcursoris, id est IX. calendas Iulij, portas vrbis aperiunt, & Imperatore cum honorificentia debita intromisso, Benedictum sacrilegum & periurum imperatoriæ ditioni reddunt, & dominum Leonem in sedem apostolicam restituunt. Tunc Leo apostolicus coadunata multorum episcoporum synodo, eundem Benedictum Romanæ sedis inuasorem iudicio omnium ab inuaso gradu deposuit, & pontificale pallium quod sibi imposuerat, abscidit, ferulamque pastoralem manu eius arreptam coram omnibus in frusta confregit, & ad preces Imperatoris, diaconatus ei tantum gradu vti concessit. Celebrata vero beati Ioannis natiuitate, & sanctorum apostolorum festiuitate, Imperator ab vrbe Romana reuertitur, & infeliciore quam sperauerat omine in redeundo fruitur. Nam tanta exercitum eius pestis & mortalitas inuasit, vt vix vel sanus quis à mane vsque ad vesperam, vel à vespera vsq; mane se victurum sperauerit. Ex qua pestilentia obierunt Hentricus archiepiscopus Treuerensis, & Gerricus abbas Wirtzeburgensis, & Godefridus dux Lothariensis, aliorumque innumera multitudo, tam nobilium quam ignobilium. Tandem miseratione diuina pestilentia cessante, Imperator in Liguriam peruenit, ibique autumnali tempore paci & otio vacans, se venationibus exercitauit. Eodem anno Duodo palatij capellanus ab Adalberto comprehenditur, & flagellis cæsus in Corsicam deducitur, sed non longo post tempore dimittitur. Ea tempestate Waldo Cumanus episcopus insulam in Cumano lacu cepit, & munitiones in ea à solo destruxit, quod Vdoni comiti nuncium malorum fuit. Nam Hattonem eiusdem insulæ tutorem in suam fidem suscepit, & destructa insula non, vt optauerat, eum Imperatori reconciliare potuit: quod indigne ferens, totum in Waldonem episcopum detorsit, & inimicus in eum (si posset) vlcisci disposuit. Erkanbertus in locum fratris sui Gerrici Wirtzburgensis cœnobij abbas constituitur.

Anno Dominicę incarnationis DCCCCLXV, Imperator Papiæ Natalem Domini celebrauit, & peracta festiuitate statim in patriam, dispositis in Italia regni negotiis, commeauit. Cui filij sui Otto & Wilhelmus archiepiscopus in confinio Franciæ & Alemaniæ in villa Heimbodesheym occurrerunt, & cum magna ibi eum alacritate susceperunt. Inde Wormatiam progressus, fratrem suum Brunienſem archiepiscopum in Purificatione sanctissimæ Mariæ virginis sibi obuium habuit, sicque tota Quadragesima in Francia commorans, in Ingelheym Pascha cum magno gaudio celebrauit. Inde nauigio Coloniam attingens, matrem suam dominam Mathildam & sororem suam Gerbirgam reginam filiumque eius regem Lotharium sibi obuios condigno ibi amore & honore tractauit, sicque in Saxoniam iterum direxit. Benedictum etiam illum depositum ab vrbe Romana secum in Franciam aduexit, quem Adaldago archiepiscopo custodiendum commisit. Duas quoque filias Berengarij in palatio cum domina imperatrice decenti sibi honore detinuit.

Eodem anno quidam ex Langobardis more solito, ab Imperatore deficiunt, & Adalbertum in Italiam reducunt. Tunc Imperator Burchardum ducem Alemannorum in Italiam misit, cui ad congrediendum ei vbicunque iuueniretur, cum Langobardis Imperatoris fidelibus & Alemannis visum per Padum nauigauit, & illis vbi eum audierant

dierant esse partibus nauim applicuit. In quos in prima fluminis egressione Adalbertus insiluit, vbi & frater eius Guido cum aliis quam pluribus occubuit. Ipse vero Adalbertus vix fuga euasit, & montana quædam vbi Imperatorem lateret, intrauit. Hac igitur dux lætus victoria in patriam repedauit, & quæ sibi acciderāt Imperatori significauit. Interim Guido Metensis episcopus vulpina calliditate Imperatori simulans fidelem, ipsiq; infideles se prodituru iactitans, legatione Adalberti fungens, in Saxonia Imperatorem aggreditur, nec tamen visu aut allocutione ipsius participatur: cum dedecore redire permissus, infra Alpes vltra Curiam comprehenditur, & in Saxoniam remissus Selauis custodiæ mancipatur. Vdo Strasburgensis Episcopus obiit, cui Erkanboldus successit.

Eodem etiam anno dominus Leo Papa obiit. Tunc legati Romanorum, Azo videlicet protoscriniarius, & Marinus Sutriensis ecclesiæ episcopus, Imperatorem pro instituendo quem vellet Romano Pontifice in Saxoniam adeuntes, honorifice suscipiuntur & remittuntur. Et Otgerus Spirensis Episcopus, & Linzo Cremonensis Episcopus, cum eisdem Romam ab Imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romana Ioannes Narniensis ecclesiæ episcopus eligitur, sediq; apostolicæ Pōtifex inthronizatur. Qui statim maiores Romanorum elatiore animo quam oporteret insequitur, quo in breui inimicissimos & infestos patitur. Nam ab vrbis præfecto & quodam Rotfredo comprehenditur, & vrbe expulsus in Campania custodiæ mancipatur. Hoc demum anno Imperatore ab Italia redeunte, Henricho Archiepiscopo Treuirensi, Thiedericus eiusdem Ecclesiæ diaconus, & Adalberoni Mettensi Episcopo, Thiedericus consobrinus Imperatoris successores instituuntur. Bruno quoque archiepiscopus, germanus Imperatoris, vir ducatu pariter & episcopatu dignissimus, vi Idus Octobris obiit, cui Foltmarus in episcopatu successit. Eodem anno Gero marchionum nostri temporis optimus, præcipuus obiit. Lotharius rex dominam Henimam sibi coniugio copulauit.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC LXVI, Imperator Coloniæ Natalem Domini celebrauit, cunctaque ibi Lothariensis regni negotia prout sibi videbatur, dispo-
suit. Erkanbertus Wirtzburgensis cœnobij abbas obiit, & Imperator electione monachorum Adelbertum Rugis ordinatum episcopum eidem monasterio præfecit. Starkandus Rubilocensis ecclesiæ episcopus obiit, cui Reginoldus successit in episcopatu. Vdo comes coniurationem cum Adelberto Berēgarij filio habens, & in Italiam ad excæcandum Waldonem Cumanum Episcopum ire disponens, imperatoriæ maiestatis reus esse conuincitur, & sacramento, ne aliquatenus vllas partes regni præsumat ingredi, regno expellitur. Wikerus Treuirensis cœnobij abbas obiit, cui Adolphus in abbatia successit. Imperator iterum in Italiam ire disponens, Assumptionem sanctissimæ Mariæ virginis Wormatiæ celebrauit, ibique habito cum omnibus regni maioribus concilio, inde per Alsatiam & Curiam Alpes transcendens, Italiam intrauit, & Sigolfum Placentinum episcopum, quosdamque ex comitibus Italicis propter Adalbertum priori anno à se deficientes, in Transalpinas partes Franciæ vel Saxoniæ custodiendos direxit. Tunc Romani Imperatoris metuentes aduentum, Rotfredo iam mortuo, à custodia qua tenebatur, Ioannem Apostolicum absoluunt, & veniam pro malis quæ ei ingesserant, poscentes, in locum & sedem suam illum restituunt. Eodem anno comes Eberhardus obiit. Eodem anno Berengarius quondam Italiæ rex exul moritur, & in Badenberg regio more sepelitur: cuius vidua Willa antequam sepeliretur, sibi velum sanctimoniale assumpsit. Vdo comes sacramenti oblitus Franciam ingreditur, vnde iterum absque omni vtilitate reuertitur.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCC LXVII, Imperator Romæ Natalem Domini celebrauit, & excepto præfecto vrbis qui aufugerat, XIII ex maioribus Romanorum qui authores expulsionis domini Ioannis Papæ videbantur, suspendio interire iussit. Inde progrediens per Spoletum Rauēnam adiit, ibiq; Pascha celebrans cum domino Ioanne Papa, plurimos ibi ex Italia & Romania episcopos coadunauit, & habita synodo multa ad vtilitatē sanctæ ecclesiæ adinuenit, & apostolico Ioanni vrbem & terram Rauennatium, aliaq; complura, multis retro temporibus Romanis Pontificib. ablata, reddidit, eumq; inde Romam cum magna lætitia remisit, ipse vero in partes Tu-

ſciæ ſeceſſit. Interim papa Ioannes & imperator regi Otthoni literas inuitatorias miſerunt, & vt cum ipſis ad Natalem Domini Romæ celebrandum feſtinaret, iuſſerunt. Tunc rex pro diſponendis regni negotiis ante ſuum in Italiam iter Wormatiam venit, ibique in primo ſuo placito, Deo propitio, plurima futuræ prudentiæ ſimul & clementiæ indicia præmonſtrauit. Sicque natiuitate Præcurſoris & Apoſtolorum feſtiuitate Franconofurd celebrata, iter ſuum acceleraturus in Saxoniam remeauit.

Ea tempeſtate Aſulfus Treuerenſis abbas præſenti vitæ ſubtrahitur, cui Thietfridus ſucceſſor eligitur. Tunc etiam dominus archiepiſcopus Wilhelmus aliquantula infirmitate detentus, in breui (Deo miſerante) conualuit. Domino imperatore in Italia commorante, legati Nicephori Græcorum imperatoris Rauennæ ad eum venerunt, honorifica ſecum munera ferentes, & pacem ab eo vel amicitiam poſcentes. Quibus honorabiliter ſuſceptis decenterque remiſſis, dominus imperator nuncium ſuum eidem Græcorum imperatori, pro coniungenda in matrimonium ſuo filio regi Otthoni priuigna ipſius Nicephori, filia ſcilicet Romani imperatoris, Conſtãtinopolim dirigit: qui iterum eodem anno ante Natalem Domini ad imperatorem reuertitur. Eodem anno intrante, Septembri menſe Ottho rex Romam iturus, decenti ſe comitatu egreſſus, memoriam ſancti Michaelis in Auguſta ciuitate celebrauit.

CHRONICORVM SIVE ANNALIVM REGINONIS Prumienſis cœnobij abbatis à Chriſti natiuitate vſque ad Otthonem ſecundum FINIS.

HERMAN-

HERMANNI CONTRACTI
COMITIS VERINGENSIS
Chronicon.

DE SEX MVNDI ÆTATIBVS.

Anni mundi

PRima est mundi huius ætas ab Adam vsque ad Noe, continens annos iuxta Hebraicam veritatem MDCLVI, iuxta LXX interpretes TT CCXLII, generationes iuxta vtranque editionem numero X. Quæ vniuersali deleta est diluuio, sicut primam cuiusque hominis obliuio demergere consueuit ætatem. Quotus enim quisque est qui suam recordetur infantiam? Secunda ætas à Mose vsq; ad Abraham generationes iuxta Hebraicam veritatem complexa X, annos autem CCXCII: porro iuxta LXX interpretes an. MLXXII, generationes vero XI. Hæc quasi pueritia fuit generis populi Dei, & ideo in lingua inuenta est, id est, Hebræa. A pueritia nanque homo incipit loqui nosse post infantiam, quę hinc appellata est, quod fari non potest. Tertia ab Abraham vsque ad Dauid generationes iuxta vtranque autoritatem XIV, annos vero DCCCXLII complectens. Hæc quædam velut adolescentia fuit populi Dei, à qua ætate quia incipit homo posse generare, propterea Matthæus Euangelista generationũ ex Abraham sumpsit exordium: qui etiam pater gentium constitutus est, quando mutatum nomen accepit. Quarta à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, habens annos iuxta Hebraicam veritatem CCCCLXXIII. iuxta LXX translationem XII amplius, generationes iuxta vtrosque codices XVII; quas tamen Euangelista Matthæus certi mysterii gratia XIV ponit. A qua velut iuuenili ætate in populo Dei regum tempora cœperunt. Hæc namque in hominibus ætas apta gubernando solet existere regno. Quinta quasi senilis ætas à transmigratione Babylonis vsque in aduentum Domini saluatoris est, generationibus & ipsa XIV, porro annis DLXXXIX extenta: in qua vt graui senectute fessa, malis crebrioribus plebs Hebræa quassatur. Sexta quæ nunc agitur ætas, nulla generationum vel temporum serie certa, sed vt ætas decrepita ipsa totius seculi morte consummanda. Has ærumnosas plenasque laboribus mundi ætates sancti quique felici morte vicerunt, septimam iam sabbati perennis ætate susceptam, octauam beatæ resurrectionis ætatem, in qua semper cum Domino regnent, expectant.

Prima igitur ætate seculi nascẽtis prima huius die fecit Deus lucem, quam appellauit diem. Secunda, firmamentum cœli in medio librauit aquarum, ipsis aquis ac terra cum cœlo superiore, ac virtutibus quæ in eo Conditorem laudarent, ante horum VI dierum exordium creatis. Tertia die congregatis aquis in suum locum, quæ cuncta cõtexerant, aridam iussit apparere. Quarta, sidera in firmamento cœli posuit, quæ nunc quantum æquinoctii coniectura colligimus, XII calendarum Aprilium dies vocatur. Quinta, natatilia & volatilia creauit animalia. Sexta, animalia terrestria & ipsum hominem formauit Adam, de cuius latere dormientis matrem omnium viuentium produxit Euam. Quæ nunc quãtum mihi videtur esse credibile, X cal. Aprilium dies appellatur. Vnde merito creditur, si non verior sententia vincit, quod beatus Theophilus cum cæteris non solum Palæstinæ, sed & permultis aliarum regionum Episcopis de Pascha disputans scripsit, eodem X. cal. Aprilium die Dominum fuisse crucifixum. Decebat enim vna eademq; non solum hebdomadis, sed mensis die secundum Adam pro generis humani salute viuifica morte sopitum, de productis è latere suo sacramentis cœlestibus sponsam sibi sanctificare Ecclesiam: qua videlicet die primum Adam, patrem videlicet humani generis ipse creauerat, eique de latere costam tollens ædificauit mulierem, cuius adiutorio genus propagaret humanum.

Anni mundi.

130 Adam annorum CXXX genuit Seth, cui superuixit annis DCCC. Verum LXX interpretes ante natum Seth posuere annos CCXXX, postea DCC. Seth interpretatur resurrectio, significans resurrectionem à mortuis Christi, cuius mortem illatam à Iudæis significat Abel, qui dicitur luctus, à fratre Cain occisus.

235 Seth annorum CV genuit Enos, cui superuixit an. DCCCVII. Porro LXX ante natum Enos annos CCV, postea posuere DCCVII. Enos interpretatur homo, de quo benedicitur: Iste cœpit inuocare nomen Domini. Quod hominũ est propriũ, vt suæ fragilitatis memores inuocent Conditoris auxilium, eorum dũtaxat, qui in fide Christi viuentes filii resurrectionis esse lætentur:

325 Enos annorum XC genuit Cainam, cui superuixit annis DCCCXV. Sed LXX ante natum Cainam CXC annos, postea DCCXV posuere.

395 Cainan annorum LXX genuit Malaleel, post cuius ortum vixit annos DCCCLX. LXX ante natum Malaleel CLXX, postea dixere DCCXL.

460 Malaleel annorum LXV genuit Iared, cui superuixit an. DCCCXXX. LXX ante natum Iared CLXV, postea posuere annos DCCXXX.

622 Iared annorum CLXII genuit Enoch, cui superuixit annis DCCC. In hac generatione nusquam vtriq; codices discrepant. Hunc Enoch nonnulla diuina scripsisse Iuda Apostolo attestãte comperimus. Sed vt beatus Augustinus dicit, Non frustra non sunt in eo canone scripturarum, qui seruabatur in templo Hebræi populi succedentium diligentia sacerdotum, nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei iudicata sunt, ne vtrum hæc essent quæ ille scripsisset, poterat inueniri. Vnde illa quæ sub eius nomine proferuntur, & continẽt illas de Gigantibus fabulas, quod non habuerint homines patres, recte à prudentibus iudicantur non ipsius esse credenda.

987 Enoch annorum LXV genuit Mathusalam, post cuius ortum ambulauit cum Deo CCC an. LXX ante natum Mathusalam posuere CXV annos, post ea CC. Et bene in septima generatione Enoch, qui interpretatur dedicatio, tulit à mortalibus Deus, quia ciuitas electorum in vt huius seculi pro Deo laborans ætatibus, in septima sabbati futuri gloriam dedicationis expectat, atque reprobi sola præsenti sunt felicitate contenti. Cain ciuitatem quam statuit, non in septima generatione, sed primogenito Enoch filio consecrat.

874 Mathusalam annorum CLXXXVII genuit Lamech, cui superuixit annis DCC LXXXII, id est vsque ad diluuium. LXX ante natum Lamech CLXVII ponunt annos, postea DCCC & II. Qui numerus, vt lector facilime videbit, iuxta Hebraicam veritatem XX annis, iuxta ipsorum vero autoritatem XIV annis diluuii tempora transit. de qua famosissima quæstione doctissimi patres Hieronymus in libro quæstionum Hebraicarum, Augustinus in libro de Ciuitate Dei XV plenissime disputant.

1056 Lamech annorum CLXXXII genuit Noe, cui superuixit annis DXCV. LXX ante natum Noe ponunt an. CLXXXVIII, & postea DLXV. In hac sola generatione summa vniuersitatis discrepat, quia XX & IV an. plus vixisse Lamech in Hebræis, quam in LXX translatorum codicibus inuenitur.

1656 Noe an. DC venit diluuium, mense secundo, XVII die mensis. Sane de differentia annorum inter Hebræam & LXX interpretum autoritatẽ, ne quis nos laceret nouas mouisse quæstiones, legat præfatorum patrum memorata opuscula, & intelliget hanc iam olim notissimam fuisse distantiam. Cuius originem distantiæ cum beatus Augustinus solertissime quæsisset, dixit in libro supra scripto capitulo XIII, inter alia sic: Credibilius ergo quis dixerit, cum primo de bibliotheca Ptolomæi describi ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuisse in codice vno, sed primitus inde descripto, vnde iã latius emanaret. Vbi potuit quidem accidere etiam scriptoris error, sed hoc in illa quæstione de vita Mathusalæ non absurdum est suspicari. Et post aliquanta: Recte fieri, inquit, nullo modo dubitauerim, vt cum diuersum aliquid in vtrisque codicibus inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum vtrunque esse non

non potest, verum ei linguæ potius credatur, vnde est in aliam per interpretes facta translatio. *Anni mundi.*

SECVNDA seculi ætate, prima huius die, quæ est XXVII mensis secundi, egressus est Noe de arca, in qua pauci, id est VIII animæ saluæ factæ sunt per aquam. Quod memorans in Epistola beatus Apostolus Petrus mirifice statim exponere curauit, cum subiunxit; *Quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ integratio in Deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei.* In aqua diluuii baptismũ, in arca & iis quæ continebat Ecclesiam, & fideles illius, in octonario animarum numero mysterium dominicæ resurrectionis, in cuius fide baptizamur, docens esse figuratum.

Sem c an. genuit Arphaxad biennio post diluuium. Ab Arphaxad Chaldæos originem duxisse Hieronymus scribit. Superuixit autem Sem nato Arphaxad D annis, id est vsque ad L annum natiuitatis Iacob. 1658

Arphaxad ann. XXXV genuit Sale. Hic LXX interpretes vna generatione plus quam Hebraica veritas posuere, dicentes q; Arphaxad, cũ esset an. CXXXV, genuit Cainan: qui cum CXXX annorum fuerit, ipse genuerit Sale. Quorum translationem Euangelista Lucas hoc loco videtur esse secutus. Verum chronographi Græcorum, cum generationum seriem ad autoritatem Hebraicam castigassent, ablata vna generatione Cainan, nec tamen numerum annorum in generationibus, quas eis habuere communes, ad eorum autoritatem castigare curassent; propriam secuti autoritatem dederunt huic ætati annorum summam, minorem quidem LXX translatorũ editione an. LXXX; sed Hebraica veritate annis DCL maiorẽ, id est annis DCCC & XLII. Vixit autem Arphaxad post natum Sale annis CCC & III: cui tamen LXX post natum Cainan scribunt annos CCCCXXX, & Cainan post natum Sale CCCCXXXVIII. 1693

Sale annorum XXX genuit Heber, cui superuixit an. CCCIII. LXX ante natum Heber posuere annos CXXX, postea CCCXXX. Ab hoc Heber Hebræorum nomen & genus oritur. 1723

Heber an. XXXIII genuit Phalech, cui superuixit annis CCCCXXX. LXX ante natum Phalech annos posuere CXXXIV, postea †CCLXX. Phalech interpretatur diuisio, cui propterea tale nomen imposuere parentes, quod tempore natiuitatis ipsius terra per linguarum confusionem diuisa est. Cuius diuisionis Arnobius Rhetor in expositione Psalmi CIII ita meminit: Sem primogenito Noe pars facta est à Perside & Bactris vsque in Indiam longe, & vsque Rhinocozuras: quæ spacia terrarum habent linguas sermone barbarico XX & VII. In quibus linguis gentes sunt patriarum CCCC & VI. & non diuersarum linguarum, sed vt dixi diuersarum patriarum: verbi gratia, cum vna lingua sit Latina, sub vna diuersæ sunt patriæ, Brutiorum, Lucanorum, Apulorum, Calabrorum, Picentum, Tuscorum, & his atque huiusmodi similia si dicamus. 1756 †CCLX.

Cham vero secundus filius Noe à Rhinocozuris vsq; Gadira habens linguas; sermone Punico à parte Garamãtum, Latino à parte Boreæ; barbarico à parte meridiana Æthiopum & Ægyptiorum, ac barbaris interioribus vario sermone, viginti duabus linguis in patriis CCCCC & IV. Iaphet flumen Tigridem, quod diuidit Mediam & Babyloniam, in patriis ducentis, sermone vario, linguis XX & III. Fiunt ergo omnes simul linguæ LXXII: patriæ autem generationum M. quæ in tripartito seculo hoc ordine sitæ sunt. Habet autem, vt diximus, Iaphet flumẽ Tigridem quod diuidit Mediam & Babyloniam, Sem autem Euphratem, Cham vero Geon, qui vocatur Nilus.

Phalech annorũ XXX genuit Reu, cui superuixit an. CCIX. LXX ante natum Reu CXXX annos ponunt, postea †CCVIII. His temporibus primum templa constructa, & quidam principes gentium tanquam dii sunt adorati. 1786 †CCIX. 1818

Reu annorum XXXII genuit Saruch, cui superuixit annis †CCVII. LXX †CCXI.

Anni mundi

ante natum Saruch CXXII ponunt an. postea CCVII. Scytharum regnum dicitur exortum, vbi primus regnauit † Tanaus.

† *Taurus.*

1849 Saruch annorum XXX genuit Nachor, cui superuixit annis CC. LXX ante natum Nachor ponunt annos CXXX, postea CC. Ægyptiorum dicitur imperium inchoare, primo is regnante Vizoues.

1878 Nachor an. XXIX genuit Thare, cui superuixit annis CXIX. LXX ante natum Thare ponunt annos LXXIX, postea CXXXI. Assyriorum Sicyoniorumq; regnum nascitur: his primum Belo, illis Ægialeo regnante.

1948 Thare annorum LXX genuit Abraham, cui superuixit CXXXV ann. Hactenus secunda ætas seculi protenditur, cuius tota serie recensita, beatus Augustinus in libro de Ciuitate Dei 10, capitulo 10, hoc modo concluſit: Fiunt itaque anni à diluuio vsque ad Abraham MLXXX secundum vulgatã editionem, hoc est interpretum LXX. (n Hebræis autem codicibus longe pauciores annos perhibent inueniri, de quibus rationem aut nullam aut difficillimam reddunt.

2023 TERTIA mundi ætas à natiuitate cœpit Abraham Patriarchæ, qui LXXV an. cum esset, relicta gẽte patria, ad imperium Dei venit in terram Chanaan, accipiens promissionem nascituri de suo semine Saluatoris, in quo benedicerentur omnes gentes, simul & seipsum in gentem magnam esse futurum. Quarum vna spiritalis, altera est promissio carnalis. His temporibus Ninus & Semiramis Assyriis regnant.

2034 Abraham annorum LXXXVI genuit Ismael, à quo Ismaelitæ. Genuit autem Ismael XII duces, & vixit annis CXXXVII.

2048 Idem Abraham an. C. genuit Isaac, qui primus & solus in tota Testamenti veteris serie legitur octauo die circumcisus, quod non sine magno mysterio priuilegium est filio promissionis donatum.

2108 Isaac annorum LX genuit Esau & Iacob Patriarchas Idumeæ & Israeliticæ gentis. Post quorum ortum vixit an. CXX. His temporibus primus apud Argos regnauit Inachus an. I, cuius filia Io, quam Ægyptii mutato nomine Isidem colunt.

2238 Iacob CXXX annorum descendit in Ægyptum in animabus LXX. Huius temporibus Memphis in Ægypto ab Api Argiuorum rege condita. Sparta quoque à Sparto filio Phoronei regis Argiuorum conditur.

2453 Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit CCCCXXX an. quibus expletis eadẽ die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti, vt scriptura testatur Exodi: quorum tamen summã annorũ Chronographi à LXXV an. natiuitatis Abraham, quando terram repromissionis intrauit, computant, sequentes editionem LXX interpretum, quæ dicit: *Habitatio aũt filiorum Israel, qua habitauerunt in Ægypto, & in terra Chanaan ipsi & patres eorũ anni* CCCCXXX. Quam necessario sequendam & ipsa veritas Hebraica ostendit, quæ narrat Caath filium Leui, quẽ natum esse constat in terra Chanaan, vixisse an. CXXX III, & filium eius Amram patrem Mosis an. CXXXVII, & ipsum Mosen LXXX an. fuisse tempore egressionis de Ægypto. † Quam nimirum horũ summam annorum constat CCCC & XXX implere non posse. Annuit autem horum trãslationi & Apostolus cum ait: *Abrahæ dicta sunt promissiones & semini eius. Non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo qui est Christus. Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post* CCCC & XXX *annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandas promissiones patrum.*

† *Quia.*

2493 Moses an. XL eductum ex Ægypto regit populum Israel in deserto. Quorum primo an. tabernaculum Domino constituit, & VII mensibus opus perficiens, mense primo an. secundi, prima die mensis erexit. Huc vsq;, vt Eusebius cõmemorat, V libri Mosi continent gesta annorum ᵀᴵᴵᴵ DCCXXX secundum LXX seniorum interpretationem. Quot vero an. huius temporis Hebraica veritas contineat, Iosephus in primo contra Appionem Grammaticum libro ita commemorat: Neque igitur innumera apud nos habentur volumi-

volumina inter se inuicem discordantia, sed duo tantum & viginti sunt libri, qui omnium temporum seriem continent, qui & iuste creduntur diuinitus inspirati: Ex quibus quinque sunt Mosi continentes leges vitæ, & successionis humanæ prosapiam, vsque ad ipsius Mosi terminum pertendentes, qui paulo minus ad ꝛꝛꝛ an. continentiam gerunt. *Anni mundi*

Iosue ann. xxvi regit populum Israel, vt Iosephus docet: nam scriptura sancta, quot fuerint anni ducatus illius, tacet. Quare vero Eusebius in Chronicis xxvii posuerit, infra dicemus. Primo autem ducatus sui an. Iosue, primo mense, 10. die mensis, populũ patefacto Iordanis alueo in terram tepromissionis induxit: quo videlicet ann. (vt in Chronicis præfati B. Eusebii reperimus) principium erat quinquagesimi primi Iubilei secundum Hebræos, id est an. ꝛꝛ D erant ab initio mundi cõpleti, singulis Iubileorum ordinibus per quinquagenos annos deputatis. At vero hanc temporis huius esse summam nostra inquisitio nequaquam inuenire valuit. Constat enim, quia MDCLVI ad diluuium vsque fuere anni, inde ad Abraham CCXCII, qui LXXV erat annorũ, quando promissionem Dei accepit, promissionis anni CCCCXXX, ducatus Mosi anni XL: Qui profecto numerus non ꝛꝛ D, sed VII minus, id est ꝛꝛ CCCCXCIII (vt prænotauimus) annos implet. † 3519 † 2950,

Othoniel ann. XL de tribu Iuda, primus Israeli iudex Domino iubente constituitur. Huius temporibus primis filii Israel seruiere Chusanrasathaim regi Mesopotamiæ VIII annis. 3559

Aod ann. LXXX, filius Gera filii Iemini, qui vtraq; manu vtebatur ℘ dextera, cuius † inprimis seruiuit Israel Eglon regi Moab ann. XIX, donec eum ipso percusso Eglon liberauit. Hoc tempore Cyrene ciuitas cõdita est Libya. 3639 † in principio.

Debora annis XL, prophetissa de tribu Ephraim, cum Barac de tribu Nepthali: cuius in initio ducatus oppressit filios Israel Iabin rex Chanaam XX annis, qui regnabat in Asor: sed occiso ab Israel principe militiæ eius Sisara, humiliatus tandem ac deletus est. Hoc tempore Miletus condita. 3679

Gedeon ann. XL ex tribu Manasse. Sub quo seruiuit Israel Madianitis, & Amalecitis † VIII annis: sed, Gedeone pugnante, liberatus est. Tyrus condita ante templum Hierosolymorum ann. CCX I, vt scribit Iosephus, 3719 †3709 †VII.

Abimelech annis III filius Gedeonis, qui regnabat in Sichem. Hercules Ilium vastat. 3722

Thola ann. XXIII, filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar, qui habitabat in Samir montis Ephraim. Bellum Lapitharum & Centaurorum, quos scribit Palæphatus primo de Incredibilib. libro nobiles fuisse equites Thessalorum in Troia post Laomedontem regnauit Priamus. 3743

Iair annis XXII ex tribu Manasse. Hercules agonem Olympiacum constituit, à quo vsque ad primam Olympiadem supputantur anni CCCCXXX.

Iephthe Galaadites an. VI. Philisthini & Ammonitæ debellantur ab Iephthe: qui in libro Iudicũ ab ætate Mosis vsq; ad semetipsũ ait supputari an. CCC. 3773

Abesan de Bethlehem annis VII. Agamemnon imperat Mycenis annis XXXV, cuius anno XV Troia capitur. 3780

Achialon Zabulonites annis X. Hic cum annis X suis LXX Interpretibus non habetur, pro quorũ damno supplendo Eusebius Iosue filio Nun, Samueli & Sauli, quorum annos scriptura non dicit, plures annos quã in Iosepho legebat, annotauit, quatenus ab egressu Israel ex Ægypto vsq; ad ędificationem templi † CCCCLXXX ann summam quam scriptura prædicat, haberet. 3790 † CCC. LXXX.

Abdon de tribu Ephraim annis VIII. Huius ann. III Troia capta est, completis à primo ann. Cecropis qui primus apud Atticam regnauit, CCCLXXV an. A X I autem & III regni Nini Assyriorum regis annis DCCCXXXVI. Mortuo Abdon seruiuit Israel Philisthæis annis XI. 3798

Samson de tribu Dan. anu. XX. Hactenus Iudicũ liber tempora signat, habens ann. CCXCIX, Iudices autẽ XII. Sicyoniis reges defecerunt, qui ab Ægialeo vsq; ad Zeuxippũ regnauerunt DCCCCLXII. Post quos sacerdotes Carni 3818

Anni mundi

constituti sunt. Latinis, qui postea Romani nuncupati sunt, post tertium annum captiuitatis Troiæ, siue (vt quidam volunt) octauũ regnauit Æneas annis tribus. Post quem Ascanius an. XXXVIII. Ante Æneam, Ianus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus, in Italia regnauerunt annis circiter CL. Ascanius Æneæ filius Albam condidit vrbem.

2858 Heli sacerdos an. XL. In Hebræorum lib. XXI anni inueniuntur, in LXX autem interpretatione XX. Hectoris filii Ilium receperunt, expulsis Antenoris posteris, Heleno sibi subsidium ferente. Latinorum tertius Syluius, Æneæ filius, regnat annis XXIX: qui, quia post mortem patris editus ruri fuerat educatus, & Syluii & Posthumi nomen accepit, à quo omnes Albanorum reges Syluii vocati sunt.

2870 Samuel an. XII, vt docet Iosephus. In scriptura enim sancta quam diu præfuerit minime patet. Ab hoc tempora Prophetarum incipiunt. Latinorum Æneas quartus Syluius annis XXXI.

2890 Saul primus Hebræorũ rex an. XX. & huius, quia in Canonica scriptura nõ habetur, de Antiquitate Iosephi tempus regni notauimus. In Lacedæmone regnauit primus Eurystheus annis XLII. Corinthi primus Aletes XXXV.

QVARTA mundi ætas non solum cum inchoato gentis Iudææ imperio, sed cum innouata promissione, quæ patribus olim data est, imperii Christiani sumit exordium, iurante Domino Dauid veritatem: *De fructu ventris eius sedere super sedem eius.*

2930 Dauid primus ex tribu Iuda rex annis XL. Latinorum quintus Latinus Syluius annis L. Ephesus condita ab Andronico. Carthago condita est, vt quidam volunt à Carchedone Tyrio: vt vero alii, à Didone filia eius, anno

†CXLIII. † CCX LIII post Troianum excidium.

2960 Salomon filius Dauid an. XL. Qui quarto regni sui anno, mense secundo templum Domino ædificare cœpit in Hierusalem, collectis ab egressu Israeli ex Ægypto an. CCCCLXXX, vt regum quoque liber testimonio est. Quod in figura vniuersi temporis, quo in hoc seculo Christi ædificatur Ecclesia, quæ in futuro perficitur, VII an. perficit, & VII octaui an. mense dedicauit. Latinorum sextus Alba Syluius Syluii Æneæ filius regnat an. XXXI. Regina Saba venit audire sapientiam Solomonis.

†2983. †2988 Roboam filius Solõmonis an. XVII. Ieroboam de tribu Ephraim separauit X tribus à domo Dauid & à Domino, in figuram hæreticorum qui suos sequaces à Christo & Ecclesia segregant. Huius V an. Sesac rex Ægypti veniẽs Hierosolymam templum spoliauit. Latinorum septimus rex Ægyptus Syluius Albæ superioris regis filius regnat an. XXII. Samus condita, & Smyrna in vrbis modum ampliata.

2998 Abia filius Roboam an. III. Hic pugnantem contra se Ieroboam superauit, occisis de exercitu eius millibus quingentis, eo quod speraſſet in Domino.

3031 Asia filius Abia an. XLI. Ab hoc conductus Benadab rex Syriæ Damasci contra Israel, percussit omnem terram Nepthalim. Latinorum VIII Capys Syluius Ægypti superioris regis filius regnat an. XXVIII. Asa idola destruit, templum mundat, egredientem contra se Zara Æthiopem cum suo sternit exercitu. Ambri rex Israel emit montes Samariæ Lasomer duobus talentis argenti, & ædificat eam Achiel de Bethel, Hiericho instaurat.

3056 Iosaphat filius Asa an. XXV. Elias Thesbites tres semis annos pluuiam continuit propter peccata Achab & populi Israel. Et inter cætera magnalia Elisæum filium Saphat qui erat de Abel-meula pro se vnxit Prophetam. Latinorum IX Capetus Syluius superioris filius Capys regis, regnauit ann. XIII. Post quem filius eius Tiberinus Syluius an. VIII, à quo & fluuius appellatus est Tyberis, qui prius Albula dicebatur. Post quem Agrippa Syluius filius eius annis XL. Iosaphat fecit rectum coram Domino.

3063 Iorã filius Iosaphat ann. VIII. Elias curru igneo rapitur quasi vsq; in cœlũ, & Elisæus hæres prophetiæ derelictus, primo miraculo aquas Hiericho sanat. In

nat. In diebus Ioram recessit Edom, ne esset sub Iuda, & constituit sibi regem. Ambulauit autem Ioram in vijs domus Achab: filia quippe Achab erat vxor eius. *Anni mundi.*

Azarias filius Ioram anno vno. Ionadab filius Rechab clarus habetur. Azariam cum filio suo Ioas & nepote Amasia ob enormitatē scelerum, & quia nec patrem filiumue quispiam eorum bonum habebat, Euangelista Matthæus à Domini Saluatoris genealogia secludit. 3065

Athalia mater Azarię an. VI. Quæ vidēs interfectum ab Hieu rege Israel † filium suum Azariam, interfecit omnē stirpem regiam domus Ioram, præter solum Ioas filium Azariæ quem Iosabeth soror Azariæ vxor Ioiadæ Pōtificis furata est de medio filiorum regis cum interficerentur. In LXX interpretibus VII an. regnasse Athalia narratur. Ioas filius Azariæ an. XL. Iste bono principio, & fine vsus pessimo, in principijs sui regni templum innouat, in extremis inter cætera facinora Zachariam quoque filium Ioiadæ tutoris quondam ac regnificatoris sui, inter templum & altare lapidari præcepit: quem ob meritorum gratiam Dominus in Euangelio filium Barachiæ, id est benedicti domini, cognominat. Latinorum XII, Aremulus Syluius Agrippæ superioris regis filius, regnauit annis XIX, qui præsidium Albanorum inter montes vbi nunc Roma est, posuit. Huius filius fuit Iulius proauus Iulij Proculi, qui cum Romulo Romam commigrans fundauit Iuliam gentem. 3081 †3071

Amasias filius Ioas annis XXIX. Elisæus Propheta defunctus sepelitur in Samaria. Azahel rex Syriæ afflixit Israel. Latinorum XIII Auentinus Aremuli superioris regis maior filius regnauit annis XXXVII: atq; in eo monte, qui nunc pars vrbis est, mortuus ac sepultus, æternum loco vocabulum dedit. 3140

Azarias, qui & Ozias, filius Amasiæ an. LII. Assyriorum XXXVI Thonoscōcoleros, qui vocatur Græce Sardanapalus, Tarsum atq; Anchialen condidit, & in prælio victus ab Arbace Medo, semetipsum incendio concremauit. Vsque ad id tempus fuisse reges Assyriorum historia refert, & fiunt simul anni MCXCVII. Omnes autem anni regni Assyriorum à primo anno Nini supputātur MCCX I. Latinorum XIV Procas Syluius Auentini superioris regis filius, regnauit an. XXIII. Post quem XV Amulius Syluius annis XLIV. Arbaces Medus Assyriorum imperio destructo, regnum in Medos transtulit, vbi primus ipse regnauit annis XXVIII. Macedonum regnum inchoat, primum habens regem Caranum annis XXVIII. Lacedæmoniorum reges deficiunt, Lydorum incipiunt.

Ioatham filius Oziæ annis XVI. Olympias prima ab Elensibus constituitur post annum Troianæ captiuitatis CCCCV. Romulus & Remus generantur Marte & Ilia. Ioathā inter cætera virtutum bonarum opera portā domus Domini sublimissimam ædificauit, quæ in actibus Apostolorum Speciosa vocatur: omnes siquidem portæ templi in terra fuerunt, excepta Speciosa quæ pēdebat, quæ ab Hebræis porta vocabatur Ioatham. 3208

Achaz filius Ioatham annis XVI. Ab hoc conductus Theglathphalasar rex Assyriorum, Rasin regem Syriæ interfecit, & habitatores Damasci transtulit Cyrenen. Roma cōdita in monte Palatino XI Cal. Maias à geminis Remo & Romulo, filijs Rheæ Syluiæ, quæ erat filia Numitoris fratris regis Amulij, virgo Vestalis, sed constuprata. Consualib. ludis Sabinæ raptæ an. ab vrbe conditatertio, Remus rastro pastorali à Fabio Romuli duce occisus. 3224

Ezechias filius Achaz annis XXIX. Huius anno sexto Salmanassar rex Assyriorum capta Samaria transtulit Israel in Assyrios, cuius regnum à primo Ieroboam steterat annis CCCLX. Mortuo Romulo qui XXXVII annis regnauit, per quinos dies Senatores Rempub. rexerunt, atque ita vnus expletus est annus. Post quos Numa Pompilius annis XLI, qui Capitolium à fundamentis ædificauit. 3253

Manasses filius Ezechiæ annis LV. Hic ob scelera sua catenatus & compeditus in Babyloniam ducitur: sed ob pœnitentiam & preces restituitur in re-

Anni mundi

gnum. Rom. tertius Tullus Hostilius regnauit ann. xxxii, qui primus regum Rom. purpura & fascibus vsus est, & adiecto monte Cælio vrbem ampliauit.

3310 Amon filius Manassæ annis ii. In Hebraica veritate duobus annis, in LXX legitur regnasse xii. Istrus ciuitas in Ponto condita. Amon à seruis suis interficitur.

3341 Iosias filius Amon annis xxxi. Hic mundata Iudæa, & Hierusalem templo etiam innouato, post abiectas idololatriæ sordes Pascha Domino celeberrimum facit XVIII anno regni sui, & cum Nechaone Ægyptiorum rege congressus, occiditur in Campo Mageddo, quæ nunc Maximianopolis vocatur. Romanorum quartus Ancus Martius Numæ ex filia nepos, regnauit annis XXIII, qui Auentinum montem & Ianiculum vrbi addidit, & supra mare XVI ab vrbe milliaria Ostiam condidit. Post quem Tarquinius Priscus annis XXXVII, qui circum Romæ ædificauit, numerum Senatorum auxit, Romanos ludos instituit, muros & cloacas ædificauit, Capitolium extruxit. In Hebræo xxxi annis regnasse Iosias, in LXX interpretibus xxxii legitur. Sed Eusebius inter regnum eius & Ioachim alium de suo adiicit annum, propter menses bis ternos quibus Ioachas vel Ioachim regnauerat. Verum quid veritas habeat, Hieremias pandit, qui se à XIII anno Iosiæ vsq; ad annum quartum Ioachim, XXIII an. prophetasse perhibet, & Nabuchodonosor quarto anno Ioachim regnare cœpisse, XIX autem regni eius anno Hierusalem destructam.

3352 Ioachim filius Iosiæ annis xi. Post Iosiam regnauit Ioachaz filius eius tribus mens. quem Nechao vinctum ducens in Ægyptum, Ioachim regem cõstituit. Huius anno III à Nabuchodonosor capta Hierusalem & plurimis captiuatis, in quibus erant Daniel, Ananias Azarias & Masaël, partem vasorum templi Babyloniam transfert. A IV Ioacim ann. scriptura regnũ Nabuchodonosor computat, quia ex eo non solum Chaldæis & Iudæis, sed & Assyrijs, Ægyptijs, Moabitis, alijsque innumeris gentibus incipit regnare Ioachim, qui & Iechonias filius Ioachim, mẽsibus III ac diebus x. Hic circumdata à Chaldæis Hierusalem exijt ad regem Babylonis & mater eius, & ductus est in Babylonem cum populo anno VIII regni Nabuchodonosor.

3363 Sedecias qui & Matthias, filius Iosiæ, annis XI. Huius anno XI, regis autem Babylonis XIX, Iudæa captiuata in Babyloniam, & templum Domini incensum est, anno ex quo fundari cœpit CCCCXXX. Qui autem reliqui fuerunt Iudæi transfugerunt in Ægyptum, qua post annos V percussa à Chaldæis, in Babyloniam sunt & ipsi transmigrati.

QVINTA mundi ætas ab exterminio cœpit regni Iudaici, quod iuxta prophetiam Hieremiæ LXX annis permansit.

3377 Anno XIV, postquam percussa est ciuitas, qui est XXV annus transmigrationis regis Ioachim, cum quo & Ezechiel captiuatus est, ipse Ezechiel in visionibus Dei adductus in terram Israel, vidit renouationem ciuitatis, ac templi cæremoniarumq; eius. Romanorum VI Seruius regnauit ann. XXXIV, qui tres montes vrbi addidit, Quirinalem, Æsquilinum, Viminalem, fossas circum muros duxit, census Romanorum ciuium primus instituit.

3389 Anno XXVI post euersionem Hierosolymorum, qui est an. XXXVII transmigrationis regis Ioachim, sublenauit Euilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Ioachim regis Iudæ de carcere, & posuit thronum eius super thronum regum qui erant cum eo in Babylone. Meminit huius temporis adhuc futuri Propheta Hieremias ita scribens: *Ecce ego mittam & assumam vniuersas cognationes Aquilonis (ait Dominus) & Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes nationes eius quæ in circuitu illius sunt, & interficiam eos, & ponam eos in stuporem & in sibilum, & in solitudines sempiternas, & seruient omnes gentes istæ regi Babylonis LXX annis. Cumque impleti fuerint anni LXX, visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam in solitudines sempiternas.* Et alibi scribens

bens ad transmigrationem, quam transduxerat Nabuchodonosor de Hierusalem in Babylonem cum Iechonia rege: *Cum cœperint* (inquit) *impleri in Babylone LXX anni, visitabo vos, & suscitabo vos super verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istum, ait Dominus.* Rursum eiusdem temporis iam præteriti verba dierum ita recordantur: *Si quis euaserat gladium, ductus in Babylonem seruiuit regi & filiis eius, donec imperaret rex Persarũ, & compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usq; dum complerentur LXX anni. Anno autem primo ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Hieremiæ, suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, &c.* Quibus verbis ostenditur, quia vastata Chaldæi Iudæa, non vt Assyrij in Samariam alios misere colonos, sed desertam reliquere terram, donec ipsi post annos LXX in eam rediere Iudæi. Consentit his Iosephus in X Antiquitatum libro, scribens templum & Hierusalem, & omnem Iudæam LXX annis permansisse desolatam. Qui rursum enumerando reges Babylonis (si tamen ipse sic scribit, & nõ codex fallit mendosus) c fere annos ab euersa Hierusalem vsque ad euersionem regni Chaldæorum facit colligi. Scribit enim post Nabuchodonosor, qui teste scriptura sacra, XXV post euersam Hierusalem vixit annis, Euilmerodach filium eius regnasse annis XVIII, post quem Hegesar filium eius annis XL, cui successisse filium eius Labosordach mensibus IX: hoc defuncto ad Balthassar qui Naboan nuncupatur, transisse imperium, qui cum iam X & VIII regnauerit annis, captam à Cyro Persarum, & Dario Medorum rege Babyloniam exequitur. Darius autem Astyagis filius, qui Babyloniorum destruxit imperium, cum Cyro cognato suo agebat annum † LXX & II cum Babylon fuisset inuasa, qui tamen alio nomine vocabatur à Græcis, quique Danielem Prophetam sumens ad se in Mediam duxit, & omni eum honore celebrauit. Huius Darij ipse Daniel ita meminit: *In anno primo Darij filij Asueri de semine Medorũ, qui imperauit super regnũ Chaldæorũ, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam Prophetam, vt complerentur desolationis Hierusalem LXX anni.* Eusebius in temporum libro XXX annos ab euersione Hierusalem vsque ad initium Cyri regis Persarum: Iulius autem Africanus LXX computat. Porro Hieronymus in expositione Prophetæ ita dicit: Tradunt enim Hebręi huiuscemodi fabulam vsq; ad LXX annum, quo Hieremias captiuitatem populi Iudæorũ dixerat esse soluẽdam. De quo & Zacharias in principio voluminis sui loqtur: Irritam putãs Dei pollicitationem Balthassar, falsumque promissum, versus in gaudium fecit grande conuiuium, insultans quodammodo spei Iudæorum, & vasis templi Dei. Sed statim vltio secuta est.

Anni mundi

† LXII

Persarum primus Cyrus regnauit annis XXX. Hic, vt impleretur verbum Domini ex ore Hieremiæ, primo sui regni anno laxata Hebræorum captiuitate, L fere millia regredi fecit in Iudæam, restituens eis vasa templi Domini aurea & argentea ꝝ CCCC. Qui congregati in Hierusalem mense septimo ædificauerunt altare, & à primo die mensis eiusdem cœperunt offerre holocaustum Domino. Anno autem secundo aduentus sui, mense secundo templi fundamenta iecerunt, anno incensionis eius iuxta Africanum LXXII, iuxta autem Chronica Eusebij XXXII. Sed impedientibus Samaritis intermissum est opus vsq; ad annum Darij secundum, qui etiam Asueri in regno & Artaxerxis scripserunt accusationẽ aduersum Iudæos, & rescripsit Artaxerxes, ne ædificaretur Hierusalem. Romanorum VII. Tarquinius regnauit annis XXXV, qui causa Tarquinij iunioris filij sui qui Lucretiam corruperat, à regno expulsus est.

3413

Cambyses Cyri filius annis VIII. Hic deuicta Ægypto cunctam eius religionem abominatus, cæremonias eius & templa deposuit. Babylonem in Ægypto ædificauit. Hunc aiunt ab Hebræis secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Iudith historia inscribitur.

3431

Anni mundi.

Fratres Magi mensib. VII. Iesus sacerdos magnus & princeps gentis, Zorobabel, Aggæus, Zacharias, & Malachias Prophetæ clarescunt. Pythagoras Physicus philosophus clarus habetur.

3432 3468 Darius an. XXXVI. Inter Darium & Cambysen regnasse duos fratres Magos in libris Chronicorum Eusebij reperimus. Verum Hieronymus in expositione Danielis scribit post Cambysen Smerdem magnum regnasse, qui Panthapten (inquit) filiam Cambysis vxorem duxit, qui cum à VII Magis fuisset occisus, & in locum eius Darius suscepisset imperium, eadem Panthaptes nupsit Dario, & ex eo Xexem filium genuit. Secundo anno Darij LXX captiuitatis Hierusalem annus impletur, vt vult Eusebius, testem adhibens Zachariam Prophetam, apud quem secundo Darij anno loquitur Angelus: *Domine exercituum vsq; quo tu non miserebéris Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste* LXX *annus est.* Item IV Darij regis anno dicit idē Propheta: *Cū ieiunaretis & plangeretis per hos* LXX *annos, nunquid ieiunium ieiunastis mihi?* Sexto Darij anno Templi ædificatio completur, die tertia mensis Adar, qui est LVI annus, ex quo eius sub Cyro fundamenta sunt iacta. Vnde in Euangelio dicunt Iudæi: XL & VI *annis ædificatum est templum hoc.* Cœperunt autem ædificare anno secundo Darij, mense VI, die †XXIX: & anno VI (vt dictum est) mense XII, die tertia cōpleuerunt. Ex quo apparet, opus templi & antea ex parte nō parua peractum, annos autem LXX à destruction allius vsq; ad perfectam restaurandi licentiam esse computandos.

†XXIV

Pulsis vrbe regibus, qui imperauerunt annis CCXLIII, vix vsque ad XV lapidem Roma tenebat imperium. Romæ post exactos reges primum Consules à Bruto esse cœperunt, deinde Tribuni plebis ac Dictatores, & rursum Consules rempubl. obtinuerunt per annos ferme CCCCLXXIV, vsque ad Iulium Cæsarem, qui primus singulare arripuit imperium, Olympiade CLXXXIII.

3488 †CCC *habet Beda.* Xerxes filius Darij an. XX. Hic Ægyptum quæ à Dario discesserat, capit, & aduersus Græciam pugnaturus DCC millia armatorum de regno, & †CCCC de auxilijs, rostratas etiam naues mille ducentas, onerarias autem tria millia numero habuisse narratur. Attamen victus patriam refugit. Herodotus historiarum scriptor, Zeuxis pictor agnoscitur.

3498 Artabanus mensibus VII. Socrates nascitur.

3529 Artaxerxes, qui & Longimanus, id est μακρόχειρ, an. XL. Huius anno VII prima die mensis primi Esra sacerdos & scriba legis Dei ascendit de Babylone cum epistolis regis, & in prima mensis quinti venit in Hierusalem cum viris MDCC. Et inter alia strenue gesta castigauit filios trāsmigrationis ab vxoribus alienigenis. Eiusdem anno XX, Neemias pincerna de Susis castro aduenies, murum Hierusalem LII diebus restituit, & ducatum genti XII annis præbuit. Huc vsq; diuina scriptura temporum seriem continet. Quæ vero post hæc apud Iudæos sunt gesta, de libro Machabæorum, & Iosephi, atque Africani scriptis exhibentur, qui deinceps vniuersam historiam vsq; ad Romana tempora prosecuti sunt. Et quidem African⁹ in quinto temporum volumine huius temporis ita meminit: Mansit itaq; imperfectum opus vsq; ad Neemiam, & vigesimum an. regis Artaxerxis. Quo tempore regni Persarum c & XV. an. fuerunt euoluti: captiuitatis autem Hierusalem c LXXX & V. an. erat. Et tunc primum Artaxerxes iussit muros extrui Hierusalem, cui operi præfuit Neemias, & ædificata est platea, & muri circumdati. Et ex illo tempore si numerare velis, LXX an. hebdomadas vsq; ad Christum poteris inuenire. Xerxes menses II. Post quem Sogdianus mēses VII. Plato nascitur. Hippocrates medicus insignis habetur.

3548 Darius cognomento Nothus ann. XIX. Ægyptus recessit à Persis. Reuersis de captiuitate Iudæis, non reges, sed Pontifices præfuerunt vsque ad Aristobulum, qui cum dignitate pontificis etiam regale sibi cœpit vsurpare vocabulum.

Artaxerxes

Artaxerxes qui cognominatus est Mnemon, Darij & Paryſatidis filius, an. XL. Sub hoc rege videtur Heſter hiſtoria completa: ipſe quippe eſt qui ab Hebræis Aſuerus, & à LXX interpretibus Artaxerxes vocatur. Athenienſ. XXIV literis vti cœperunt, cum antea XVI tantum literas haberent. Carthaginenſium bellum famoſum. Galli Senones duce Brenno Romam inuaſerunt, exceptoCapitolio, & incenſam VI menſibus vaſtauerunt. Tribuni militares pro Conſulibus eſſe cœperunt. Ariſtoteles auditor eſt Platonis XVIII ætatis annum agens. *Ami mundi.* 3588

Artaxerxes, qui & Ochus, annis XXVI. Ipſe Ægyptum ſuo iunxit imperio, Nectanebo rege in Æthiopiam pulſo, in quo Ægyptiorum regnum deſtructum eſt. Demoſthenes orator omnium rumore celebratur. Rom. Gallos ſuperant. Plato moritur, poſt quem Academiam Speuſippus tenuit. 3614

Artaxerxes Ochi filius an. IV. Iudæorum pontifex maximus Iaddus clarus habetur, cuius frater Manaſſes templum in monte Garizi cõſtruit. Speuſippus moritur, cui ſuccedit Xenocrates quarto anno Ochi. Alexander Philippi & Olympiadis filius vigeſimum ætatis annum gerens Macedonibus regnare incipit. 3618

Darius Arſamis filius an. VI. Alexander aduerſum Illyrios & Thracas feliciter dimicans, ſubuerſis Thebis in Perſas arma corripuit, & apud Granicum flumen regijs ducibus oppreſſis, vrbem Sardis capit. Idem capta Tyro Iudæam inuadit, à qua fauorabiliter exceptus Deo victimas immolat, & põtificem templi Iaddum honoribus plurimis proſequitur. Andromachò locorum cuſtode dimiſſo, ac VII regni ſui ann. Alexandriam in Ægypto condidit. Nec mora, Babylonem obtinuit interfecto Dario, in quo Perſarũ regnum deſtructum eſt, quod ſteterat annis CCXXXI. Quo tempore etiam Latini à Romanis perdomiti ſunt. 3624

Alexander poſt mortem Darij ann. V regnauit: nam antea VII, Alexander Hyrcanos & † Mardos capit, reuertenſque in Ammone condidit Parætonium. Idem Indicum vſque oceanum victorijs potius quam bellis peruenit, ac Babylonem reuerſus XXXII vitæ, regni autem ſui XII an. veneni hauſtu periit. Poſt quem translato in multos imperio, Ægyptum Ptolemæus Lagi tenuit filius, Macedonas Philippus, qui & Aridæus, frater Alexandri, Syriam & Babylonem, & omnia regna Oriẽtis Seleucus Nicanor. Aſiæ regnauit Antigonus. qui apud Danielem per IV hirci qui arietem contereret, cornua deſignantur. 3629 † *Medos*

Ægypto primus regnauit Ptolemæus Lagi filius annis XL. Appius Claudius Cæcus clarus habetur, qui aquam Claudiam induxit, & viam Appiam ſtrauit. Ptolemæus Hieroſolymis & Iudæa in ditionem ſuam dolo redactis, plurimos captiuorum in Ægyptum tranſtulit. Iudæorum Pontifex maximus Onias Iaddi filius clarus habetur. XIII Ptolemæi anno Syriæ, & Babyloniæ, & ſuperioribus locis regnare incipit Seleucus Nicanor. A quo tempore Machabæorum Hebræa hiſtoria Græcorum ſupputat regnum, & Ediſſeni ſua tempora computant. Seleucus Seleuciam, Laodiceam. Antiochiam, Apameam, Ediſſam, Berrhœam, & Pellam vrbes condidit. Iudæorum Pontifex maximus, religioſiſſimus ac pijſſimus, Simon Oniæ filius clarus habetur Poſt quem Eleazarus frater eius Suſcepit templi miniſterium, filio eius Onia parũo admodum derelicto. Seleucus in eas vrbes quas extruxerat Iudæos tranſtulit, iis eis ciuium & municipalem ordinem cum Græcis æquali honore concedens. 3669

Ptolemæus Philadelphus annis XXXVIII. Soſtratus Gnidius Pharum in Alexandria conſtruxit. Ptolemæus Iudæos qui in Ægypto erant liberos eſſe permiſit & Eleazaro Pontifici multa Hieroſolymam, & in templi donaria vaſa tranſmittens LXX interpretes petit, qui ſcripturam ſanctam in Græcum verterent eloquium. Aratus cognoſcitur. Iudæorum põtificatum poſt Eleazarum auunculus eius Manaſſes accepit. Tantæ autem potentiæ fuiſſe nar- 3707

Anni Mundi.

ratur Ptolemæus iste Philadelphus, vt Ptolemæum patrem vinceret. Narrant enim historiæ habuisse eum peditum cc millia, equitum xx millia, curruum ii millia, elephantos quos primus adduxit ex Æthiopia cccc, & cætera his similia.

3733 Ptolemæus Euergetes frater superioris regis an. xxvi. Qui inde Euergetes ab Ægyptijs est vocatus: quia capta Syria & Cilicia, & propemodum vniuersa Asia, inter innumera argenti pondera ac vasa preciosa quæ cepit, etiã deos eorum, quos Cambyses capta Ægypto in Persas portauerat, retulit. Iudęorum Pontifex Onias Simonis Iusti filius clarus habetur. Cuius item filius Simon non minori gloria fulget. Sub quo Iesus filius Syrach Sapientiæ librum componens, quem vocant Panareton, etiam Simonis in eo fecit mentionem.

3750 Ptolemæus Philopator filius Euergetis an. xvii. Antiochus rex Syriæ victo Philopatore Iudæam sibi sociat. Iudæorum Pontifex maximus Onias filius Simonis insignis habetur, ad quem Lacedæmoniorum rex Areus legatos mittit.

3774 Ptolemæus Epiphanes filius Philopatoris annis xxiv. Secundus liber Machabæorum apud Iudæos huius temporis gesta continet. Onias sacerdos assumptis Iudæorum plurimis fugit in Ægyptum, & à Ptolemæo honorifice susceptus accepit eam regionem quæ Heliopoleos vocabatur, & concedente rege templum extruxit in Ægypto simile templi Iudæorum, quod permãsit vsq; ad imperium Vespasiani annis cc i. Sub occasione igitur Oniæ Pontificis infinita examina Iudæorum in Ægyptum confugerunt. Eo tempore & Cyrene eorum multitudine repleta est. Hæc autem vel Oniæ, vel cæteris fuit causa Ægyptum petendi: quia pugnantibus contra se magno Antiocho & ducibus Ptolemæi, posita in medio Iudæa in contraria studia scindebatur, alijs Antiocho, alijs Ptolemæo fauentibus.

3809 Ptolemæus Philometor annis xxxv. Aristobulus natione Iudæus, Peripateticus philosophus agnoscitur, qui ad Philometorem Ptolemæum explanationum in Mosen commentarios scripsit. Antiochus Epiphanes, qui post Seleucum cognomento Philopatorem, annis xi regnauit in Syria, Iudæorum legem impugnans, omniaque sordibus idolorum complens, in templo Iouis Olympij simulachrum ponit. Sed & in Samaria super verticem montis Garizi, Iouis peregrini delubrum ædificat, ipsis Samaritanis vt id faceret precantibus. Verum Mathathias sacerdos leges patrias vindicat, aduersus Antiochi duces arma corripiens. Quo mortuo ducatum Iudæorum suscepit filius eius Iudas Machabæus an. cxlvi regni Græcorum, xx autem Ptolemæi, Olympiade clv: qui mox Antiochi duces de Iudæa expellens, & templum ab idolorum imaginibus emundans, patrias leges post triennium suis ciuibus reddidit. Vnde post secessum Oniæ sacerdotis in Ægyptum, de quo supra diximus, & mortem Alchimi, qui effugato Onia pontificatum indignus inuadere tentabat, omnium fauore Iudæorum Machabæo sacerdotium decernitur: quod post mortem ei⁹ frater Ionathas sortitus, & xix annis summa ministrauit industria.

3838 Ptolemæus Euergetes an. xxix. Ionathas dux Iudæorum & Pontifex cum Romanis & Spartiatis amicitias facit. Quo à Tryphone interfecto in sacerdotium frater Simon assumitur, an. regis Euergetis vii. quod viii an. strenuissime regens, filio Ioanni reliquit. Hic aduersum Hyrcanos bellum gerens, Hyrcani nomen accepit, & à Rom. ius amicitiæ postulans, decreto Senatus inter amicos relatus est. Samariam, quæ nostro tempore Sebaste vocatur, obsidione captam solo coæquauit, quam postea Herodes instaurans, Sebasten in honorem Augusti appellari voluit.

3855 Ptolemæus Physcon, qui & Soter, annis xvii. Cicero Arpini nascitur matre Heluia, patre equestris ordinis ex regio Volscorum genere. Hyrcano in pontificatum, quem ipse xxvi annis tenuit, Aristobulus succedit annum vnum, qui rex pariter & Pontifex primus apud Iudæos diadematis sumpsit insigne,

insigne, post CCCCLXXXIII annos Babylonicæ captiuitatis. Post quem regnauit Ianneus cognomento Alexander annis XXVII, qui pontificatum quoque administrans crudelissime ciuibus præfuit. *Anni mundi.*

Ptolemæus, qui & Alexander, annis X. Huius anno VII, Syria in Romanam ditionem cessit, capto Philippo à Gabinio. Expulsus de regno Ptolemæus Physcon per matrem Cleopatram, in Cyprum secedit. 3865

Ptolemæus qui à matre fuerat eiectus, an. VIII regressus de fuga regnum obtinuit, quia Alexandrum qui ante eum fuerat, ob interfectionem matris ciues pepulerant. Sylla Athenienses vastat. 3873

Ptolemæus Dionysius annis XXX. Ab huius anno V Alexandra vxor Alexandri Pontificis post mortem eius regnauit Iudæis an. IX. Ex quo tempore Iudæos rerum confusio, & variæ clades oppresserunt. Post cuius mortem Aristobulus & Hyrcanus filii eius contra se de imperio dimicãtes, occasionem præbuere Romanis, vt Iudæam inuaderent. Itaq; Pompeius Hierosolymam veniens, capta vrbe & templo reserato vsq; ad Sancta sanctorum accedit, Aristobulum vinctum secum abducit, pontificatum confirmat Hyrcano: deinde Antipatrum Herodis Ascalonitæ filium procuratorem Palæstinæ facit, mansitq; in pontificatu Hyrcanus annis XXXIV. Vergilius Maro in pago qui Andes dicitur, haud procul à Mantua nascitur, Pompeio & Crasso COSS. Pompeius captis Hierosolymis tributarios Iudæos facit. Virgilius Cremonæ studiis eruditur. Cæsar Germanos & Gallos capit, & Britannos quoque, quibus ante eum ne nomen quidem Rom. cognitum fuerat: victos obsidibus acceptis stipendiarios facit. 3903

Cleopatra soror Ptolemæi annis XXII. Orto enim bello ciuili inter Cæsarem & Pompeium, victus Pompeius Alexandriam petit, ibiq; ab ipso, à quo sperabat auxilia, Ptolemæo percussus interiit. Mox Cæsar Alexandriam venit: ipsi quoque Ptolemæus parare insidias voluit, vnde bello ei illato, victus in Nilo periit. Cæsar Alexandria potitus, regnum Cleopatræ dedit, cum qua consuetudinem stupri habuerat: cuius regni tertio an. ipse primus Rom. singulare obtinuit imperium, à quo Cæsares Rom. principes appellati. Cleopatra regio comitatu vrbem ingressa. 3925

Cæsar ob insolentiam morum, coniurantibus in eum LX vel amplius Senatoribus equitibusque Rom. in curia confossus interiit, post annos IV, & mensES VI, quam regnare cœperat. Cassius Iudæa capta templum spoliat.

Octauianus Cæsar Augustus Rom. II. regnauit annis LVI, & mensibus VI, à quo Augusti appellati reges Rom. quorum XV viuente Cleopatra, XL & vnum postea viuit annos. XI Augusti anno, deficiente in Iudæa pontificum principatu, Herodes nil ad eum pertinens, vtpote Antipatri Ascalonitæ & matris Cypridis Arabicæ filius, à Ro. Iudæorum suscepit principatũ, quem tenet an. XXXVI. Qui ne ignobilis forte & à Iudæorum semine argueretur extraneus, combussit libros omnes, quibus nobilitas gentis in templo seruabatur ascripta, vt deficientibus probamentis & ipse ad hanc pertinere putaretur. Insuper etiam vt suam sobolem regio illorum generi commisceret, proiecta Dosidе fœmina Hierosolymitana, quam priuatus acceperat vxorem, & nato ex eo filio Antipatro, sociat sibi Mariamnem filiam Alexandri, neptem Aristobuli fratris Hyrcani, qui ante eum rex erat Iudæorum. Hæc quinque ei filios genuit, quorum duos Alexandrum & Aristobulum ipse necauit in Samaria. Nec mora, post etiam matrem illorum, qua nil carius nouerat, simili scelere peremit. E quibus Aristobulus Herodem ex Beronice susceperat filium, quem actibus Apostolorum ab angelo percussum legimus. 3929

Tertio inter Augustum & Antonium orto bello, quod Antonius qui Asiam & Orientem tenebat, repudiata sorore Augusti Cleopatrã duxisset vxorem Antonius & Cleopatra victi semet interficiunt. A quo tempore quidam primum annum Augusti monarchiæ supputant. Hactenus qui vocabantur Lagidæ, in Ægypto regnauerunt annis CCXCV.

Anni mundi 3952 Anno Cæsaris Augusti XLII, à morte vero Cleopatræ & Antonii, quando & Ægyptus in prouinciam versa est, anno XLVII, Olympiadis 193 anno tertio, ab Vrbe autem condita DCCLII anno, id est, eo anno quo compressis cunctarum per orbem terræ gentium motibus firmissimam verissimamque pacem ordinatione Dei Cæsar composuit, Iesus Christus filius Dei sextam mundi ætatem suo consecrauit aduentu, anno imperii Augusti XLIV. Herodes morbo intercutis aquæ, & scatentibus toto corpore vermibus miserabiliter & digne moritur. Pro quo substitutus ab Augusto filius eius Archelaus, regnauit annis IX, id est vsque ad ipsius Augusti finem: tunc enim non ferentibus vltra, sed accusantibus apud Augustum ferocitatem eius Iudæis, in Viennam vrbem Galliæ relegatur, & ad minuendam Iudaici regni potẽtiam, insolentiamque domãdam, quatuor fratres eius pro eo sunt Tetrarchę creati, Herodes, Antipater, Lysias & Philippus: quorum Philippus & Herodes qui Antipas prius nuncupabatur, etiam viuente Archelao Tetrarchæ fuerãt ordinati.

3980 Tiberius priuignus Augusti, hoc est Liuiæ vxoris eius filius ex superiore genitus coniuge, regnauit ann. XXIII. Huius anno XII Pilatus Iudææ procurator ab eodem dirigitur. Herodes Tetrarcha qui Iudæorum principatum tenet ann. XXIV, in honorem Tiberii & matris eius Liuiæ, Tiberiadem condidit & Libiadem.

3981 Anno XV imperii Tiberii, dominus post baptismum quem prædicauit Ioannes, mundo regnum cœlorum annunciat, peractis à mundi principio secundum Hebræos ann. (vt Eusebius in suis Chronicis signat) IV millib. annotando quod XVI ann. Tiberii principium fuerit LXXXI Iubilei secundum Hebræos. Quare autem nostra supputatio vndeuiginti minus ponendos æstimauerit annos, facile qui superiora libelli huius legerit inueniet. Iuxta vero Chronica eadem, quæ ipse Eusebius de vtraq; editione, vt sibi videbatur, composuit, anni sunt V millia, CCXXVIII.

3984 Anno XVIII imperii Tiberii Dominus sua passione mundum redemit, & prædicaturi per Iudææ regiones Apostoli, Iacobum fratrem domini Hierosolymis ordinant Episcopum, ordinãt & VII diaconos. Et lapidato Stephano Ecclesia per regiones Iudææ & Samariæ dispergitur. Agrippa cognomento Herodes, filius Aristobuli filii Herodis regis, accusator Herodis Tetrarchæ, Romã profectus à Tiberio in vincula coniicitur, vbi plurimos sibi asciuit ad amicitiam, & maxime Germanici filium Caium.

3993 Caius cognomento Caligula regnauit annos III, mens. X, dies VIII. Hic Herodem Agrippam amicum suum vinculis liberatum regem Iudææ facit, qui permanet in regno ann. VII, id est vsque ad quartum Claudii ann. Quo ab angelo percusso succedit in regnum filius eius Agrippa, & vsq; ad exterminium Iudæorum XXVI an. perseuerat. Herodes Tetrarcha & ipse Caij amicitiam petens, cogente Herodiade Rom. venit, sed accusatus ab Agrippa etiam Tetrarchiam perdidit, fugiensque in Hispaniam cum Herodiade mœrore periit. Pilatus qui sententiam damnationis in Christum dixerat, tantis irrogante Caio angoribus coartatus est, vt sua se manu peremerit. Caius in Deos se referens, Iudæorum loca sancta sordibus Idolorum profanat. Matthæus in Iudæa prædicans Euangelium scripsit.

4007 Claudius an. XIII, mens. VII, dies XXVIII. Petrus apostolus cum primis Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam pergit, ibiq; XXV an. cathedram tenet Episcopalem, id est, ad vltimum Neronis an. Marcus Euãgelium quod Rom. scripserat, Ægypto Petro mittente prædicat. Quarto Claudii anno fames grauissima, cuius Lucas meminit, facta est. Eodem anno ipse Britanniam adiens, quam neque ante Iulium Cæsarem, neque post eum quisquam attingere ausus fuerat, sine vllo prælio ac sanguine intra pauciss imos dies, plurimam insulæ partem in deditionem recepit, Orcades etiam insulas Romano adiecit imperio, ac VI quam profectus erat mense Romam rediit.

Nono

Nono regni sui anno Iudæos tumultuantes Roma expulit, quod Lucas refert. Sequenti anno fames maxima Romam corripit. *Anni mundi.*

Nero ann. XIII, mens. VII, dies XXVIII. Huius secundo anno Festus Iudææ procurator successit Felici, à quo Paulus Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens custodia, post hæc ad prædicandum dimittitur, nec dum Nerone in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ. Iacobus frater domini, cum XXX annos rexisset Hierosolymorũ Ecclesiam, VII Neronis anno lapidatur à Iudæis, vindicantibus in illo, quod Paulum interficere nequiuerunt. Festo magistratui Iudææ succedit Albinus, Albino Florus, cuius luxuriam & auaritiam, cæteraque flagitia non ferentes Iudæi, contra Rom. rebellauerunt: aduersum quos Vespasianus magister militiæ transmissus, plurimas vrbes Iudææ cepit. Primus vero super omnia scelera sua etiam Christianos persequitur, quorum eximios Romæ Petrum cruce, Paulum occidit gladio. Hic in re militari nihil omnino ausus, Britanniam pene amisit. Nam duo sub eo nobilissima oppida illic capta atque euersa sunt. 4022

Vespasianus annos IX, menses XI, dies XXII. Hic apud Iudæam imperator ab exercitu appellatus, & bellum Tito filio commendans Romam per Alexandriam proficiscitur: qui secundo anno Iudææ regnum subuertit, templumque solo strauit, post annum primæ ædificationis eius M LXXXIX. Consummatum est bellum an. IV, duobus Nerone viuente, & duobus aliis postea. Vespasianus inter alia magnorum operum in priuata adhuc vita in Germaniam, ac deinde in Britanniam à Claudio missus, tricies & bis cum hoste conflixit, duas validissimas gentes, XX oppida, insulam Hectam Britanniæ proximam imperio Romano adiecit. Colossus erigitur, habens altitudinis pedes CVII. 4031

Titus annos II, menses II, vir omnium genere virtutum mirabilis, adeo vt amor & deliciæ humani generis diceretur. Hic Amphitheatrum Romæ ædificat, & in dedicatione eius quinque millia ferarum occidit. 4033

Domitianus frater Titi iunior annos XV, menses V. Hic secundus post Neronem Christianos persequitur, sub quo Apostolus Ioannes in Patmum insulam relegatus est, & Flauia Domicilla Flauii Clementis Consulis ex sorore neptis, in insulam Pontianam ob fidei testimonium exiliatur. 4049

Anni mundi

Regnum Romanorum.

Anni Domini.

Anno XLII Octauiani Augusti Cæsaris, ex quo anno Ægyptus in prouinciam redacta est, & Cleopatra cum Antonio victa XXVIII anno, ab Vrbe vero condita DCC LII, Olympiadis CXCIII anno III, Dominus noster Iesus Christus in Bethlehem Iuda nascitur, transactis ab initio mundi secundum Hebraicam veritatem annis tribus millibus DCCCC LII, secundum LXX vero Interpretes quinque millibus CXCIX.

43
44 Augustus Tiberium & Agrippam in filios adoptauit.
Herodes infantes occidit.
45 Iudas Galilæus ad rebellandum Iudæos cohortatur.
46 Asinius Pollio orator moritur.
47 Herodes rex Iudææ cum magno cruciatu moritur, pro quo Archelaus regnauit annis IX.
48 Fames magna Romæ facta est.
49
50 Tiberius Cæsar Dalmatas Sarmatasque subegit.
51
52

Regnum Romanorum.

Anni mundi / *Anni Domini*

53 Iani portæ 12 annis iam ab Augusto clausæ aperiuntur.
54 Messala Coruinus orator moritur.
55 Eclipsis Solis facta est.
56 Archelaus in Viennam Galliæ vrbem ab Augusto relegatur, & Iudæa Tetrarchis committitur: & Augustus moritur ann ætatis 76.

TIBERIVS II, priuignus Augusti, regnauit annis 23.

1 Herodes Tetrarcha Iudæorum regnum tenuit annis 24.
2 Mathematici vrbe pelluntur.
3 Liuius historiographus moritur. Ouidius poeta in exilio moritur.
4 Germanicus à Tiberio missus Germanos vicit.
5 Tredecim vrbes terræmotu corruerunt. Germanicus Cæsar moritur.
6 Fenestella historiographus & poeta moritur.
7 Tiberius multos reges ad se dolo vocatos nunquam remisit.
8 Pompeii theatrum incensum est.
9 Tiberius Drusum consortem regni fecit, qui eodem anno
10 veneno periit.
11
12 Pilatus præses Iudææ à Tiberio mittitur.
13
14
15 Dominus Iesus Christus à Ioanne baptizatur, tricesimo an-
16 no ætatis suæ secundum carnem inchoante, & prædicare cœpit.
17 Ioannes baptista ab Herode Tetrarcha decollatur.
18 Dominus in Hierosolymis passus est, & resurrexit. Eclipsis Solis, & maximi terræmotus facti sunt.
19 Iacobus frater Domini, Hierosolymorum Episcopus ab Apostolis ordinatur, sedit ann. 30. Stephanus lapidatur.
Paulus Apostolus de cœlo vocatur.
20 Pilatus imaginem Cæsaris in templo statuens seditionem Iudæis excitauit.
21 Seianus præfectus Tiberium, vt Iudæos deleat, cohortatur.
22 Agrippa Herodem Tetrarcham Romæ accusans à Tiberio in vincula mittitur.
23 Tiberius populũ Rom. grauiter afflixit, & ipse veneno periit.

† 3 CAIVS Caligula III an. † 4, mens. 10, dies 8, vir sceleratissimus.
1 Herodes Agrippa rex Iudææ à Caio constitutus regnauit annis 7.
2 Iudæi apud Alexandriam profligantur, pro quibus Philo clarissimus scriptor apud Caium interpellans nihil profuit.
3 Pilatus semetipsum interfecit, magnis à Caio calamitatibus oppressus.
4 Matthæus Euangelium scripsit Hebraice.
Caius occiditur à protectoribus suis.
1 CLAVDIVS IV annos 13, menses 7, dies 28.
2 Petrus Apostolus Romam venit, ibique per 25 ann. prædicãs Episcopatum tenuit.
3 Herodes Agrippa ab Angelo percussus expirauit, pro quo filius eius Agrippa regnauit annis 26.
Marcus Euangelista in Ægypto Christum annunciat. Primus Antiochiæ Episcopus Euodius ordinatur.

4 Fames

Regnum Romanorum.

Anni mundi.		*Anni Domini*
	4 Fames magna facta est. Claudius Britanniam subegit.	
	5 Noua insula xxx stadiorum in mari apparuit.	
	6 Ciues Romani à Claudio numerati sunt sexagies nouies centum & quadraginta quatuor millia.	
4000	7 Iudæorum in seditione triginta millia necantur in diebus A-	50
	8 zymorum.	
	9 Claudius Iudæos expulit vrbe.	
	10 Magna fames Romæ facta est.	
	11 Claudius Felicem procuratorem Iudææ facit.	
	12 His temporibus Simon magus simoniacæ hæreseos autor extitit.	
	13 Ægyptius quidam pseudopropheta Iudæorum plures seducens à Felice opprimitur.	
	14 Claudius veneno mortuus est anno ætatis LXIV.	
	NERO V annos 13, menses 7, dies 28. Iste flagitiosus in cunctis primam in Christianos persecutionem exercuit, in qua Romæ Processus & Martianus, XVII à beato Petro baptizati, Torpes, Marcellus & Apuleius: Mediolani, Nazarius & Celsus: Aquileiæ, Hermagoras Episcopus, Fortunatus diaconus, Felix cum Constantia: Rauennæ Apollinaris Episcopus pro Christo coronantur.	
	1 Seditio in Cæsarea orta plures Iudæorum perdidit. Festus Felici successit.	
	2 Paulus Apostolus Romam à Festo præside mittitur.	
	3 Hucusque librum Actus Apostolorum Lucas Euãgelista perduxit, continentem annos à passione Domini XXVII.	60
	4 Statius poeta clarus habetur.	
	5 Nero Agrippinam matrem suam, & sororẽ patris interfecit.	
	6 Nero infinita luxuria & lasciuia, ignauiaque bacchatur.	
	7 Iacobus frater Domini à Iudæis lapidatur. Festo præsidi Albinus in Iudæa successit.	
	8 Marcus Euangelista apud Alexandriam passus est, pro quo Ananias 23 annis. Albino Florus successit.	
	9 Neronianæ thermæ à Nerone ædificantur.	
	Persius & Lucanus poetæ moriuntur.	
	10 Nero vt similitudinem Troiæ ardentis videret, magnam partem Romæ incendit.	
	11 Nero Senecam magistrum suum interfecit.	
	12 Vespasianus dux exercitus aduersus Iudæos rebellantes à Nerone mittitur.	70
	13 Petrus & Paulus à Nerone propter Simonem magum trucidantur, & pestilentia Romæ facta est, Neroque seipsum interfecit.	
	IVLIVS I à beato Petro papa, sedit annis 12. Antiochiæ secundus Episcopus ordinatur Ignatius.	
	GALBA VI mens. 7, Otho mens. 3, Vitellius mens. 8.	
	1 Vespasianus in Iudæa pugnans, Imperator ab exercitu constituitur.	
	VESPASIANVS VII annos 9, menses 11, dies 22, vir militari virtute præcipuus.	
	Titus Iudæos inenarrabili fame cruciatos obsedit.	
	2 Hierusalem à Tito expugnata destruitur, anno à passione Domini 42, à prima vero conditione templi sub Solomone 1089.	
	3	
	4	
	5 Hoc tempore Iosephus historiographus clarus habetur.	

Anni mundi | *Anni Domini.*

6
7 Coloſſus erectus eſt, habens altitudinis pedes 107.
8
9 Peſtilentia Romæ facta eſt: & terræmotus tres ciuitates Cypri ſubuertit. 80
10 Veſpaſianus profluuio ventris in villa circa Sabinos obiit.

TITVS VIII, Veſpaſiani filius annos 2, menſes 2. Vir omnium genere virtutum mirabilis, ita vt deliciæ & amor humani generis diceretur.

1 Titus amphitheatrum Romæ conſtruxit, in cuius dedicatione 5000 ferarum occidit. 10
2 Anacletus papa II ſedit annis 12. Titus in eadem villa qua & pater, obiit anno ætatis 42.

DOMITIANVS IX, frater Titi, ann. 15, menſibus 5. Hic omnibus infectus ſceleribus, ſecundo perſequitur Chriſtianos, cuius tempore paſſi ſunt Romæ Eutyches, Victorinus & Maro: apud Amiterninam vrbem Victorinus Epiſcopus.

1 Domitianus Eunuchos fieri prohibuit.
2 Decreto Senatus Titus inter Deos refertur.
3 Tres virgines Veſtæ ob ſtuprum damnantur. 20
4 Anianus I poſt Marcum Euangeliſtam Epiſcopus Alexan.
5 driæ poſt annos 22. obiit, pro quo Abilius II an. 13.
6 Domitianus ſe Deum & dominum appellari iuſſit.
7 90
8 Quintilianus rhetor Romæ clarus habetur.
9 His temporibus hæreſis Menandri magi & Ebionitarum & Cerinthiorum & Nicolaitarum exoritur.
10 Hoc tempore Romani mala plurima à Cæſare & ab hoſtibus pertulerunt.
11 Domitianus de Dacis & Germanis triumphat.
12 Clemens papa III ſedit annis 9. Cornelia virgo veſtalis obſtuprum viua defoſſa eſt. 30
13 Domitianus multos nobilium occidit.
14 Hoc tempore Ioannes Apoſtolus in Patmon inſulam à Domitiano exilio miſſus, Apocalypſim ſcripſit.
15 Domitianus Flauiam Domicillam cum multis aliis in exilium pro fide Chriſti relegauit.
16 Domitianus cum multa mala egiſſet, crudeliter à ſuis interfectus eſt, anno ætatis 35.

NERVA X ſenex anno 1, menſibus 3, diebus 8. Hic primo edicto ſuo omnes exules reuocauit. 40

4050 1 Sanctus Iohannes Apoſtolus ab exilio rediens Euangelium ſcripſit. Nerua confectus morbo obiit. 100

TRAIANVS XI genere Hiſpanus annis 19, menſibus 6, diebus 15. Vir reipublicæ vtilis, ſed errore deceptus, tertio perſequitur Chriſtianos.

1 Alexandriæ III Cerdon Epiſcopus ſedit annis 12.
2 Ioannes Apoſtolus apud Epheſum dormiuit in pace, anno à
3 paſſione Domini 68.
4 Euariſtus papa IV ſedit annis 8. Traianus de Dacis & Scythis triumphat. 50
5 Traianus multas gentes Romano ſubiecit imperio.
6
7

8 Huius

Anni mundi

Regnum Romanorum.

Anni Domini

8 Huius Traiani tempore terræmotus multas vrbes ſubuertit, &
9 aurea domus Neronis incendio perijt, & Pantheum fulmine crematum eſt.

10 Hoc tempore Symeon Cleophæ filius, Hieroſolymæ Epiſcopus, crucifigitur, anno ætatis 120. pro quo Iuſtus. 110
Terræmotus factus eſt.

11 Hoc tempore Plinius Secũdus philoſophus clarus, pro Chriſtianis Traianũ mitigat. Ignatius Antiochiæ Epiſcopus Romæ beſtijs traditur, pro quo Oron III conſtituitur.

12 Alexander papa V, ſedit annis 10.

13 Alexandriæ primus IV Epiſcopus, ſedit annis 12.

14 Poſt Iuſtum Hieroſolymæ Epiſcopum Zachæus IV ſedit: poſt
15 quem Tobias V, & poſt hunc Beniamin VI, deinde Ioannes VII, poſt quem Matathias VIII, cui ſuccedit Philippus IX.

16 Traianus Armeniam, Aſſyriam & Meſopotamiam prouinci-
17 as facit. Terræmotus pene totam Antiochiam ſubruit.

18 Iudæi commoti magnas cædes hominum faciunt, ſed in Alexandria victi ab omnibus vbiq; trucidantur.

19 Traianus apud Seleuciam pro fluuio ventris moritur anno ætatis 64.

ÆLIVS ADRIANVS XII an. 21. Hic per Quadratum diſcipulum Apoſtolorum, & Ariſtidem virum ſapientem, libris apologeticis edoctus, mitis efficitur Chriſtianis.

Huius tempore paſſi ſunt Romæ Xiſtus papa, Getulius, Sabina & Seraphia virgines: apud Meſenam Eleutherius Epiſcopus cũ Anthia matre, Pariſius, Dionyſius Areopagita Epiſcopus: apud Tiburnam Symphoroſa cum VII filijs.

1 Adrianus Alexandriam publicis reſtaurauit expenſis. 120

2 Adrianus iterum Iudæos profligat. Traianum Senatus inter Deos refert.

3 XISTVS papa VI, ſedit annis 10. Adrianus plurima tribu-
4 ta relaxat. Terræmotus factus eſt. Bellum contra Sauromatas geſtum.

5 Adrianus in Libyam quæ à Iudæis vaſtata fuerat, colonias deducit.

6 Alexandriæ † Iuſtinus V Epiſcopus, ſedit annis 11. Adrianus Athenienſibus legem dedit. † *Iuſtus*

7 Hieroſolymis poſt Philippum Epiſcopus Seneca X, & poſt hunc Iuſtus XI, deinde Leui XII, poſt quem Ephres XIII, poſtea † Ieſſes XIV, & poſt hunc Iudas XV, Epiſcopi præfuerunt. † *Ioſes*

8 Hoc tempore Aquila interpres habetur.

9 Adrianus apologeticis noſtrorum acceptis literas pro Chri-
10 ſtianis miſit. 130

11 His temporibus Saturninus & Baſilides & Carpocrates hæreſim condiderunt.

12 Adrianus Pater patriæ primus appellatur. TELESPHORVS papa VII, ſedit ann. 11.

13 Antiochiæ conſtituitur Cornelius Epiſcopus. Nicopolis &
14 Cæſarea terræmotu corruerunt. Templum Romæ & Veneris Romæ factum eſt.

15 Adrianus Athenas ampliauit ædificijs plurimis.

16 Iudæi in arma verſi Palæſtinam depopulantur.

Anni mundi	Regnum Romanorum.	Anni Domini
	17 Alexandriæ Eumenes VI Episcopus, sedit annis 13.	
	18 Iudæi iterum commoti, magnis vbique cædibus enecantur.	
	19 Hierusalem ab Ælio Adriano reparata est, & ex eius nomine Ælia nuncupata, & Iudæis ne introirent interdicta.	
	20 Primus ex gentibus Hierosolymis Episcopus Marcus ordinatur, cum iam XV de Iudaica gente fuissent.	
	21 Adrianus morbo intercutis aquæ moritur, maior sexagenario.	140
	ANTONINVS XIII, cognomento Pius, annis 22, mens. 3. Iste per apologeticum Iustini Christiani philosophi & postea martyris edoctus, clemens efficitur nostris.	10
	1 HYGINVS Papa VIII sedit annis III.	
	2 Antoninus Pater patriæ appellatur.	
	3 Valentinus & Cerdon, & post hos Marcion & Marcus Ecclesiam hæresi impugnant.	
	4 Iustinus Philosophus pro Christianis apologeticon Antonino scripsit.	
	5 PIVS Papa IX sedit 15. Sub hoc Hermes librum Pastoris scripsit.	20
	6 Antiochiæ constituitur Episcopus Heros V.	
	7	
	8	
	9 Alexandriæ Marcus VII, sedit annis 10.	
4100	10	150
	11	
	12	
	13 Apollonius & Basilides philosophi illustres habentur.	
	14	30
	15.	
	16	
	17 Crescens Cynicus philosophus Iustino nostro philosopho persecutionem commouit, in qua ille pro Christo occu-	
	18 buit.	
	19 Alexandriæ Celadion VIII Episcopus, sedit annis 14	
	20 ANICETVS papa X, sedit annis 11.	160
	21 Hierosolymis post Marcum factus est Episcopus Cassianus	
	22 XV I, Publius XVIII, Maximus XIX, Iulianus XX, Gaianus XXI,	40
	Symmachus XXII, Caius XXIII, Iulianus XXIV, Capito XXV.	
†72	23 Antoninus Pius ad Lorium obijt anno ætatis †77	
	MARCVS ANTONINVS VERVS, cum fratre Lucio Aurelio Commodo annis 19 mense 1.	
	1 Hi primum æquo iure administrauerunt imperium.	
	2 Lucio Cæsari Athenis sacrificanti ignis ab Oriente ad Occidentem in cœlo ferri visus est.	
	3 Vologesus rex Parthorum prouincias populatur Romanas quasdam.	50
	4 Fronto orator insignis habetur. Seleucia à Romanis capta est.	
	5 Cæsares de Parthis triumphant.	
	6 Sub his principibus quarta persecutio orta apud Asiam Polycarpum Smyrnæ Episcopum cum plurimis, & in Gallia multos sanctorum coronauit. in qua passi sunt Romæ Anicetus Papa,	

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Regnum Romanorum.

Anni Mundi.

Anni Domini

Papa, Victor papa, Symmetrius presbyter, Felicitas cum VII filijs Iulius & Antoninus, Euſebius & Pontianus, Peregrinus & Vincentius: apud Sebaſtē Armeniæ XL martyres ſub Agricola iudice: apud Spoletum Concordius, Germanicus, & Pionius: apud Apameam Alexander & Gaius: apud Cretam Philippus Epiſcopus: apud Pergamum Carpus Epiſcopus, Papyrius diaconus: Lugduni Galliæ Irenæus Epiſcopus cum multis, Photinus quoq; vrbis eiuſdem Epiſcopus, & Blandina cum aliijs 48. Epipodius & Alexander in Syria: Victor & Corona Mediolani: Fauſtus † Cabillone, Marcellus, item Valerianus: Alexandriæ Ptolemæus & Lucius. † *Auinione* 170

7 Hoc tempore lues maxima multas vaſtauit prouincias, & exercitum Romanum pene deleuit.

8 SOTER papa XI ſedit annis 8. Antiochiæ Theophilus VI Epi-
9 ſcopus vir ſapiens ordinatur.

10 Alexandriæ Agrippinus Epiſcopus ſedit ann. 10. Lucius Cęſar apoplexia extinctus eſt.

11 Cataphrygarum hæreſis oritur.

12

13 His temporibus Epiſcopus Dionyſius Corinthi, Epiſcopus Modeſtus, Melislo, Pinytus Cretæ Epiſcopus, Theophilus Antiochiæ Epiſcopus, Apollinaris & alij plurimi doctores clari habentur.

14 Antoninus Imperator multa prælia per ſe & per duces ſuos cōtra Romanos inmicos exegit. Antiochiæ VII Epiſcopus † Maximꝰ conſtituitur. *Maximinus.*

15 Hoc tempore Tatianus hæreſin Encratitarum condit.

16 ELEVTHERIVS papa XII ſedit annis † 13. Antoninus Commodum filium conſortem regni fecit. † 15.

17 Imperatores de hoſtibus triumphant, & debita plebi relaxant. 180

18 Lucius Britanniæ rex ab Eleutherio papa, vt Chriſtianus efficiatur, impetrat.

19 Antoninus in Pannonia moritur.

L. ANTONINVS COMMODVS XV poſt mortem patris annos 13 regnauit. Hic Germanos feliciter vicit. Cæterum obſcœnus & prauus fuit.

1 Alexandriæ Iulianus X Epiſcopus ſedit annis 10. Commodus de Germanis triumphat.

2 Templum Serapidis Alexandriæ incenſum eſt.

3 Hoc tempore Parthenus & Clemens Alexandriæ clari habentur.

4 Hieroſolymis Maximus XXVI Epiſcopus ordinatur, poſt quem Antoninus XXVII, Valens XXVIII, † Dulcianus XXIX, Narciſſus XXX, † Dius XXXI, Germanio XXXII, Gordius XXXIII, & Narciſſus XXXIV. † *Dulychianus.* † *Ælius.*

5 Commodianæ thermæ Romæ factæ ſunt.

6 Origenes apud Alexandriam naſcitur.

7 Hoc tempore Montanus quidam Cataphrygarum hęreſin condit.

8 Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, & alij doctores claruerunt. 190

9 Capitolium Romæ & bibliotheca fulmine cremantur.

10 Commodus Coloſſi capite ſublato, ſuæ imaginis caput iuſſit

Regnum Romanorum.

Anni Mundi.		*Anni Domini*
	imponi. VICTOR papa XIII, sedit annis 13.	
	Alexandiæ Demetrius XI Episcopus annis 43.	
	11 Magna quæstio de Pascha oritur, & in dominica die celebrari iubetur.	
	12 Serapion Antiochiæ Episcopus VIII ordinatur. Commodus multos nobilium interfecit.	
	13 Commodus cunctis incommodus, in domo Vestiliani strangulatur.	
	ÆLIVS PERTINAX XVI, mensibus 6. Hunc Iulianus iurisperi-	10
	1 tus occidens, regnauit mensib. 7.	
	SEVERVS genere Afer annis 17. Hic Iulianum ciuili bello vi-	
	1 cit, & se Pertinacem appellauit.	
	2	
	3 Hoc tempore Narcissus Hierosolymitanus Episcopus, & The-	
4150	4 ophilus Cæsarienſis, Polycarpus quoq; & Bacchylus Asiani, &	200
	alij Episcopi insignes habentur.	
	5 Iudaicum & Samariticum bellum motum est.	
	6 Seuerus Parthos & Adiabenos Arabasque superauit & sub-	
	7 iecit.	20
	8 Thermæ Seuerianæ apud Antiochiam factæ sunt.	
	9 ZEPHYRINVS Papa XIII, sedit annis 18.	
	10 Seuerus quinta persecutione plurimos sanctorum corona-	
	11 uit, inter quos pater Origenis Leonides cũ multis alijs martyrizatur.	
	12 Perpetua & Felicitas hac persecutione apud Carthaginem bestijs deputantur.	
	13 Hoc tempore Symmachus & Theodotion interpretes habentur.	
	14 Seuerus vallum apud Britannos per 132 passuum millia à mari	210 30
	15 ad mare fecit.	
	16 Tertullianus Afer clarus habetur.	
	17 Seuerus in Britannia moritur.	
	ANTONINVS CARACALLA XVIII, annis 7.	
	1 Antiochiæ IX Episcopus Asclepiades constituitur.	
† Secus à liquanto Eusebi° habet.	2 † Hoc tempore Alexander XXXV Episcopus Cappadociæ à Narcisso Hierosolymitano Episcopo constituitur.	
	3 Antoninus Caracalla propter genus vestis quod Romæ eroga-	
	4 bat, cognominatur.	40
	5 Antoninus Romæ thermas sui nominis ædificauit.	
	6 Antoninus impatientia libidinis nouercam suam Iuliam duxit vxorem.	
† 44.	7 Antoninus interficitur anno vitæ † 43.	220
	OPILIVS MACRINVS XIX, annum vnum regnauit.	
	1 Macrinus cum filio Diadumeno occiditur. Antiochiæ X Philetus Episcopus constituitur.	
	M. AVRELIVS ANTONINVS XX annis 4.	
	1 CALLISTVS Papa XV, sedit annis 5.	
	2 Hippolytus Episcopus clarus habetur. Heliogabalum templum Romæ ædificatur.	50
	3 In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, condita est.	
	4 Aurelius tumultu militari Romæ occiditur. Huius tempore coronatur Romæ Callistus Papa, Vrbanus Papa, Cæcilia virgo, Tiburtius & Valerianus, Calepodius presbyter,	

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Anni mundi

Regnum Romanorum.

Anni Domini

byter, Palmarius consul cum vxore & filijs, & Simplicius senator.

AVRELIVS ALEXANDER XXI annis 13. Hic in matrem suam vnice pius fuit, & cunctis charus.

1 Alexander Xerxem regem Persarum vicit.

2 VRBANVS papa XVI. sedit annis † 8. Hic multos nobilium ad † 9

3 Christi fidem conuertit.

4 Vlpianus iurisconsultus insignis habetur.

5 Neronianæ thermæ Alexandrinæ vocantur.

6 Geminus presbyter, & Hippolytus & Beryllus Episcopi & Bostrenus clari habentur. 230

7 Antiochiæ Episcopus XI Zebennus constituitur.

8 Mammea mater Alexandri Origenem celeberrimum doctorem ad se vocatum audire curauit.

9

10 PONTIANVS papa XVII sedit annis † 6. † 5.

11 Alexandriæ Heracleas XII Episcopus, vir sapiens, sedit annis

12 † 13. † 16.

13 Alexander tumultu militari occiditur.

MAXIMINVS XXII annis 3. Iste Christianos & maxime rectores Ecclesiæ sexto post Neronem persequitur.

Sub quo apud Cæsaream Palæstinam Pamphilus & Maximus presbyteri coronantur.

1 Pontianus papa & successor eius ANTHERVS XVIII papa post 240

2 primum mensem pontificatus martyrio coronantur.

3 FABIANVS papa XIX sedit annis 14. Maximinus Aquileiæ occiditur.

GORDIANVS XXIII annis 6.

1

2 Pupienus & Balbinus qui imperium arripuerant, in palatio occisi sunt.

3 Hoc tẽpore Iulius Africanus chronographus clarus habetur.

4 Hac tempestate Origenes Theodorum & Athenodorum fratres, postea nobiles Episcopos, diuina imbuit philosophia.

5

6 Gordianus cum victor à Parthis reuerteretur, haud longe à Romano solo interficitur.

PHILIPPVS cum filio Philippo annis VII. Hic primus omnium Imperatorum Christianus fuit.

1 Philippus Philippum filium suum consortem regni fecit.

2

3 Alexandriæ XIII Dionysius Episcopus clarus doctor, sedit 250
annis † 19. † 17.

4 Millesimus annus ab vrbe condita festiue celebratur.

5 Origenes presbyter his temporibus tanta scripsit, vt Hieronymus quodam loco quinque millia librorum eius se legisse

6 dicat.

7 Philippus senior Veronæ, iunior vero Romæ occiditur.

DECIVS XXV anno 1, mens. 3. Iste septimam in Christianos persecutionem excitauit.

1 Hac & sequenti persecutione passi sunt Romæ Fabianus papa, Xistus papa, Laurentius, Felicissimus, & Agapetus diaconus, Abdo & Sennes, Hippolytus & Concordia, Irenæus & Habundius, Cornelius papa, Victoria virgo, Miniates: Antiochiæ † Babillus Episcopus: Apollonia ciuitate Leacus, † *Babylas.*

Regnum Romanorum.

Anni mundi — *Anni Domini*

Thyrſus & Callinicus: Hieroſolymis Alexander Epiſcopus: Nazanzo Trypho: in Ægypto ciuitate Tanais, Phileas epiſc. Philoromus: Babyloniæ etiam Cteſiphontes Epiſcopus: Pamphyliæ Neſtor epiſcopus: in Corduba Parmenius presbyter cum alijs: in Cyrienſi colonia Marianus & Iacob: in Tyro Anatolia & Audax: in Africa Nemeſianus, Felix, Rogatianus presbyter, Feliciſſimus cum alijs: Antiochiæ Aſclepiades Epiſcopus: Alexandriæ Agatho, Serapion, Arſenius, Dioſcorus cum alijs: item Romæ Stephanus papa, Eugenia, Iouinus, Baſilius, Lucius papa, Baſilla, Rufina, & Secunda virgines, Tertullianus, Protus, Hyacinthus, Xiſtus papa, Valerianus, Nemeſius, Symphorianus & Olympius: in Hiſpania Terragone: Veronæ Zenon Epiſcopus, Fructuoſus Epiſcopus, Augurius & Eulogius diaconi: Cæſareæ Marinus & Artemiſius: in Africa Maxima, Donatilla & ſecunda virgines: in vico Mitanenſi Priuatus Epiſcopus, Theodorus cognomento Gregorius Ponti Epiſcopus.

Sub Claudio vero & Aureliano Proboque & Caro Imperatoribus paſſi ſunt Romæ Felix papa, Marius & Martha coniunx eius cum filijs, XLVII milites qui baptizati ſunt à Dionyſio papa, Cyrilla virgo: in Campania Felix presbyter & Euſebius: Romæ item Eutychianus papa, Theodora, Baſilides, Tripos & Mandalio: Lingonis ſancti gemini: Loonio ciuitate Conon: Cæſarea Cappadociæ Mammes: apud Prænestе Agapitus: in ciuitate Salona Anaſtaſius: Auguſtoduno Symphorianus: in territorio Vitarienſi Andeolus ſubdiaconus, Andochius presbyter, Thyrſus diaconus, & Felix: in caſtro Duuone Benignus presbyter: item Romæ Chryſanthus & Daria, Claudius & Hilaria vxor eius cum filijs, Iaſone & Mauro, & LXX milites. Fabianus martyrizatur, pro quo CORNELIVS XX, ſedit annis 3.

Decius cum filio ſuo in Thracia à Gothis occiditur. Antonius monachus in Ægypto naſcitur.

GALLVS XXVI cum Voluſiano filio an. 2, menſ. 4.

1 Origenes anno ætatis 70 moritur. Nouatus presbyter hæreſeos autor extitit. Maxima peſtilentia facta eſt. Anthiochiæ † Demetrius XIV ordinatur Epiſcopus. — † *Demetrinus.*

2 Gallus & Voluſianus interfecti ſunt Interamnæ.

VALERIANVS XXVII cum Gallieno annis 15. iſte octauam perſecutionem in Chriſtianos exercuit.

1 Cornelius papa martyr efficitur.

LVCIVS papa XXI ſedit menſ. 8, & martyr efficitur.

2 STEPHANVS papa XXII, ſedit an. 2.

3 Cyprianus doctor eximius Carthaginenſis Epiſcopus martyrio coronatur. 260

4 XISTVS papa XXIII ſedit annis † 11. Valerianus commota perſecutione à Sapore rege Perſarum captus, & oculis priuatus in — † *VIII.*

5 ſeruitute miſerabili conſeneſcit, & Gallienus tertius pacem

6 Chriſticolis reddidit.

Antiochiæ XV Paulus Samoſatenus poſtea hæreticus, Epiſco-

7 pus conſtituitur.

8 Germani Italiam, Alemanni Gallias & Italiam populantur.

9 Græcia, Macedonia, Pontus, Aſia depopulantur per Gothos,

10 & alias plures prouincias Barbarorum quaſſauit irruptio.

11 Alexandriæ Maximus XIV Epiſcopus ſedit annis 18.

12 Hoc tempore Theodorus, qui & Gregorius, Neocæſariæ Epiſcopus virtutibus claruit.

13 Hic-

Anni mundi. *Regnum Romanorum.* *Anni Domini*

13 Hierosolymæ XXXVII Episcopus Hymenæus constituitur.
14 DIONYSIVS papa XXIII sedit ann. 8. Paulo Samosateno hæretico deposito, Dominus XVI Antiochiæ Episcopus ordinatur.
15 Gallienus Mediolani occiditur.
CLAVDIVS XXVIII ann. 1. mensib. 9. Iste Gothos iam per annos 15 Illyricum Macedoniamque vastantes superat.
1 Paulus de Samosata Antiochenus Episcopus, hæreticus esse conuincitur.
2 Claudius Syrmio moritur, pro quo frater Quintilius regnauit dies 17. Aquileiæ occiditur.
AVRELIANVS XXIX annis 5, mensibus 6. Hic reipublicæ vtilis, primo clemens Christianis, postea persecutor fuit.
1 Antiochiæ Episcopus XVII Timæus efficitur.
2 Zenobia regina Orientis vincitur.
3 Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus & Zenobia captiui præcesserunt.
4 Aurelianus templum Soli ædificat, & nonam persecutionem in Christianos excitat.
5 Aurelianus diuino fulmine territus inter Byzantium & Heracleam à militibus occiditur.
TACITVS XXX mens. 6. Quo apud Pontum occiso, Florianus regnauit dies 88, & apud Tarsum occiditur.
1 FELIX papa XXV sedit annis 5.
PROBVS XXXI annis 6, mensibus 4.
1 Galliæ à barbaris vastatæ, à Probo Rom. restituũtur imperio.
2 Anatolius Laodiceæ Episcopus clarus habetur.
3 Manes quidam, genere Persa, insanam Manichæorum hæresim condit.
4 Antiochiæ Episcopus XVIII Cyrillus constituitur.
5 EVTYCHIANVS papa XXVI sedit mensibus 10.
6 GAIVS papa XXVII annis 15. Alexandriæ Theonas Episcopus XV ann. 18. Probus apud Syrmium tumultu militum occiditur.
CARVS XXXII cum filiis Carino & Numeriano an. 2.
1 Carus victor de Parthis super Tigridem fulmine ictus interiit.
2 Numerianus occiditur. Carinus apud Margum à Diocletiano interficitur.
Hucusque ab incarnatione Domini supputantur secundum Dionysium anni CCXXXIV.
DIOCLETIANVS XXXIII annis 20.
1 Ab hoc anno Græci paschales circulos inchoabant.
2 Diocletianus Herculium Maximianum in consortium regni assumit.
3 Maximianus in Gallia Amandum cum rusticis vicit. Carus sumpta purpura Britannias occupat.
4 Hoc tempore Carausius Britannias, Narseus rex Persarum Orientem, Ægyptum Achilles, Quinquegentiani Africam vastauerunt.
6 Diocletianus Constantium Constantini patrem Cæsarem facit, qui regnauit annis XVI. 290
7 Diocletianus Galerium Maximianum Cæsarem facit.
8 Hoc tempore Pierius presbyter, & Achillas, & Melitius

Anni mundi.	*Regnum Romanorum.*	*Anni Domini*
	Alexandrinus claruerunt.	
9	His temporibus diuersis & multis præliis hostes diuersi vin-	
10	cuntur.	
11	Diocletianus se vt Deum adorari iussit.	
4250 12		
13	Gaio papa martyrizato Marcellinus XXVIII successit.	
14	Diocletianus victo Achilleo Alexandriam Ægyptumque re-	
	cepit.	
15	Constantinus IX millia Alemannorum occidit. Hierosoly-	
	mis Episcopus Lábdas ordinatur XXXVIII.	
16	Alexandriæ XVI Petrus Episcopus sedit annis XII.	300
	Galerius Maximianus à Narseo victus est.	
17	Galerius Maximianus Narseum superauit, & vxorem ac li-	
	beros ac sorores captiuauit.	
18	Antiochiæ XIX Tiramnus Episcopus constituitur. Diocletia-	
	nus & Maximianus insigni pompa de hostibus triumphant.	
19	Diocletianus in oriente, & Herculius Maximianus in occi-	
	dente Ecclesias subuertunt, libros diuinos incendunt, & Christia-	
	nos decima persecutione post Neronem cruciauerunt.	
20	Marcellino papa martyrizato Eusebius XXIX successit men-	
	sibus 8. Quo item passo, XXX Miltiades sedit annis IV. Diocletia-	
	nus Nicomediæ, & Maximianus Mediolani purpuras & regnum	
	ob senectutis defectum sponte deponunt. In persecutione Dioclc-	
	tiani, Maximiani, Constantij, Seueri, Galerij & Maximiani, passi	
	sunt Romæ Caius papa, Cyriacus diaconus, Largus, Smaragdus,	
	Apronianus, Papias, Maurus, Claudius, & Prepedigna cum fi-	
	liis, Gabinius presbyter, Castulus, Pancratius, Artemius cum vxo-	
	re & filia, Sebastianus, Marcus Marcellianus, Marcellinus presby-	
	ter, Petrus exorcista, Tranquillinus, Nicostratus, Zoe vxor eius,	
	Primus, Felicianus, Claudius, Castorius, Victorinus, Symphoria-	
	nus, Basiliscus, Faustinus, Simplicius, Beatrix, Tiburtius filius Tro-	
	matii, Susanna virgo, Ioannes, Crispus, Genesius, Felix & Adau-	
	ctus, Lucia & Geminianus, Sergius & Bacchus, Chrysogonus, Sa-	
	turninus & Sisinnus, Quatuor coronati, Theodorus, Pontianus,	
	Prætextatus, & Thraso: apud Spoletum Gregorius presbyter, Sa-	
	binus Episcopus, Exuperantius & Marcellinus diaconus: apud in-	
	sulas Parmarias Anastasia: Antiochiæ Iulianus & Basilissa: in Hispa-	
	nia, ciuitate Cæsar Augustana Vincentius diaconus: in Barcinona	
	Eulalia virgo, Cucufas: apud Gerendanam Felix: in Cucumis Iulia-	
	na virgo: apud Tyrum Tyrannio, Syluanus, Peneleus & Linus Epi-	
	scopi, cum innumera multitudine: apud Syrmium Sirenus: Nico-	
	mediæ, Petrus, Lucianus presbyter Antiochenus, Anthimus Epi-	
	scopus, Pătaleon, Ioannes, Adrianus, Dorotheus, & Gorgonius, E-	
	leutherius: Smyrnæ Irenæus Episc. in Palæstina ciuitate Gaza, Syl-	
	uanus: Mediolanis Victor: in ciuitate Suscia Quirinus Episcopus:	
	apud Tarsum Bonifacius: in Aquileia Felix & Fortunatus: apud	
	Ciliciam Vitus & Modestus, cum Crescentia, Lucia virgine: in Bri-	
	tannia Albanus: in Massilia Victor: apud Augustam Afra in Rhetia	
	prouincia: Nicæa Bithyniæ Theodata cum filiis: in ciuitate Com-	
	pluto Iustinus & Hastar fratres: in Sicilia Euplus diaconus: Perga-	
	mis Alexander: in Chalcedone Euphemia: in Neapoli Campaniæ	
	Ianuarius Episcopus Beneuentanus, Sosius diaconus: Mesenate ci-	
	uitate Faustus & Desiderius: in Palæstina Peleus & Nilus Episcopi:	
	In Cyzico Fausta & Euilasius: Agauno Mauricius cum sociis:	
		Antio-

Anni mundi. *Regnum Romanorum.* *Anni Domini*

Antiochiæ Cyprianus Episcopus cum Iustina: apud Ægæam ciuitatem Cosmas & Damianus: in castro Solodoro Victor: apud Coloniam Agrippinam Gereon cum sociis: apud Tarsum Carracus, Probus & Andronicus: in Venusia Felix Episcopus, Audax, Ianuarius presbyter: Suessionis ciuitate Crispinianus & Crispinus: apud Sidonem Zenobius presbyter: in territorio Augauensi Tiberius, Modestus & Florentia: in Scythia Mennas: Antiochiæ Romanus: Alexandriæ Petrus Episcopus: in Africa Crispina virgo: in Tuscia Barbara virgo: in Hispania Leocadia: Emerita ciuitate Eulalia & Iulia virgines.

GALERIVS & Constantius Augusti. Maximinus persecutor Christianorum & Seuerus Cæsares eliguntur.

1 Constantius Augustus vir mansuetus in Britannia Eboraci obiit.

CONSTANTINVS Constantii XXXIV, ex concubina Helena filius, annis 30, mensibus 10. Hic primus imperator excepto Philippo Christianus fuit, & ab hoc Christiani imperatores cœperunt.

1 Maxentius Maximini Herculij filius Augustus appellatur.

2 Maximianus Herculius apud Massiliam turpiter interficitur.

3 Quirinus Episcopus pro Christo passus est. Occiso Seuero Licinius Cæsar efficitur. Galerius Maximianus Christianorum persecutor, diuina vltione tactus parcere Christianis iussit, & ipse moritur.

4 Maximus Cæsar persecutionem restaurat, & ipse moritur.

Meleiade papa passo, SYLVESTER XXXI sedit an. 22.

5 Petrus Alexandriæ Episcopus martyrio coronatur, pro quo Achillas XVI sedit. Magna fames & lues in persecutores facta est. 310

6 Constantinus Maxentium ciuili prælio Deo iuuante apud pontem Miluium vicit.

7 Persecutio tandem post X annos finita est.

8 Hierosolymitanus Episcopus Macarius XXXIX constituitur.

9 Diocletianus moritur, & inter Deos refertur.

10 Plurimi persecutorum & magorum trucidantur.

11 Crispus & Constantinus filii Constantini, & Licinius Cæsares

12 appellantur. Lactantius clarus habetur.

13

14 Licinius Christianos de palatio suo expellit & eos persequitur.

15 Alexandriæ Alexander XVIII Episcopus ordinatur, à quo 320

16 Arius presbyter de Ecclesia ejectus, multos errori suo sociat, & Ecclesiam hæresi impugnat.

17 Concilium in Nicæa congregatur CCCXVIII Episcoporum sub Iulio papa, in quo Arius condemnatur.

18 Constantinus filius Constantini Cæsar efficitur. Licinius occiditur.

19 Hoc tempore crux dominica ab Helena Constantini ma-

20 tre in Hierosolymis reperitur, sub Macario eiusdem vrbis Episcopo.

21 Vicennalia Constantini Romæ acta.

22 Antiochiæ post Tyramnum Vitalis XX Episcopus ordina- † *Philo-*

23 tur, pro quo † Philogimius XXI, & post hunc Paulinus *gonus.*

Regnum Romanorum.

Anni mundi. *Anni Domini*

xxii, cui succeſſit Euſtathius xxiii. Quo ob fidem catholicam in exilium miſſo, Ariani Epiſcopi xi numero Eccleſiam illam vnus poſt alium occupauerunt.

Conſtantinus vxorem ſuam Bauſiam interfecit.

Donatus quidam Donatiſtarum hæreſim condidit.

24 Conſtantinus Byzantium vrbem reparauit, & ex ſuo nomine Conſtantinopolim appellauit, & ſedem Romani regni eam eſſe voluit.

25 Alexandriæ Athanaſius xix Epiſcopus ordinatur. Romæ MARCVS xxxii papa ſedit menſib. 8, pro quo IVLIVS xxxiii annis 16, menſibus 9. Porphyrius miſſo ad Conſtãtinum volumine, exilio liberatur. Templa idolorum deſtruuntur. 330

27 Conſtans filius Conſtantini Cæſar efficitur.

28 Antonius monachus clarus habetur.

29 Conſtantia Conſtantini ſoror, vxor Licinii moriens, Arianũ quendam presbyterum fratri commendat.

30 Dalmatius Cæſar efficitur. Conſtantinus in Arianum dogma labitur, ab Euſebio Nicomedienſe baptizatus.

31 Conſtantinus dum bellum in Perſas pararet, apud Nicomediam obiit anno vitæ 66.

CONSTANTIVS xxxv filius Conſtantini cum Conſtantino & Conſtante fratribus, annis 24, menſibus 5, diebus 13, regnauerunt.

1 Conſtantius Ariana hæreſi per Arianum presbyterum & Euſebium Nicomedienſem polluitur, & catholicos perſequitur.

2 Iacobus Niſibinus Epiſcopus virtutibus claruit. Dalmatius Cæſar occiditur. Sapor rex Perſarum Meſopotamiam vaſtat, & Chriſtianos perſequitur.

3 Conſtantinus bellum fratri Conſtantio inferens, iuxta Aquileiam occiditur.

4 Terræmotus multas vrbes obruit. Audeus Syrius Audeanam hæreſim condit. 340

5 Francià Conſtante perdomiti, in pacem recepti ſunt.

6 Conſtantinopoli electo ab Arianis Paulo Epiſcopo, Macedonius hæreſiarches in locum eius ſubſtituitur.

7 Hoc tempore Maximinus Treuirorum Epiſcopus clarus habetur,

8 à quo Athanaſius Alexandriæ Epiſcopus à Conſtantio profugus honorifice ſuſceptus eſt.

9 Athanaſius Epiſcopus ad Conſtantis literas Alexandriam regreditur.

4300 10 Eclipſis Solis facta eſt, & terræmotus hoc tempore multas vrbes ſubuertit.

11 Bellum contra Perſas graui Romanorum damno geritur.

Maximus xl poſt Macariũ Hieroſolymitanũ Epiſcopũ moritur, poſt quem Cyrillus expulſo Heraclio & cæteri Ariani Epiſcopi Eccleſiam illam occupant.

12 Romæ LIBERIVS xxxiv papa ordinatur. Quo ab Arianis electo, Felix locum eius occupat annum vnum, ſed liberius hæreſi ſubſcribens rediit, & Felix eiicitur. Conſtans haud longe ab † Hyſpen interficitur anno ætatis 30. 350

† *Hiſpania.*

13 Magnentius qui Conſtantem occiderat, & alii rempublicam turbant.

14 Magnentio graui ciuili prælio victo, Gallus Cæſar efficitur.

15 Gallus multos Iudæorũ deleuit, & ciuitatem eorum ſubuertit.

16 Magnen-

Anni mundi. *Regnum Romanorum.* *Anni Domini*

16 Magnentius seipsum occidit, & Decentius frater eius laqueo vitam finiuit.

17 Gallus Cæsar à Constantio patruelì suo ob suspicionem occiditur. Victorinus rhetor, & Donatus Grammaticus Romæ insignes habentur.

18 Iulianus frater Galli Cæsar efficitur à Constantio. Antonius monachus cv ætatis anno obiit.

19 Liberius papa & multi catholicorum Episcopi ab Arianis expulsi sunt. Magnæ Alemannorum copiæ apud Argentarium deletæ sunt.

20 Ossa Andreæ apostoli, & Lucæ Euangelistæ, & Timothei Constantinopolim allata sunt. Iulianus Rheno Germanos vicit.

21 Paulinus Treuirorum Episcopus in exilio obiit. Hoc tempore Hilarius Pictauiensis Episcopus, & Athanasius Alexandrinus, & omnes catholici Episcopi multa ab Arianis mala passi sunt.

22 Apud Ariminum synodus Arianorum contra fidem facta est.

23 Iulianus bellorum successibus elatus, Augusti nomen vsurpat. Constantius in Parthos bellum parat.

24 Constantius Parthico bello dimisso contra Iulianum arma sumens moritur anno ætatis 46. 360

IVLIANVS XXXVI Apostata anno vno, mensibus 8. Hic ex Christiano lectore paganus factus persequitur Christianos.

1 Alexandriæ Georgio Ariano Episcopo à populo incenso, Athanasius ad sedem suam reuertitur, in parte catholicorum Antiochiæ Episcopus fit. Pagani apud Sebasten sepulchrum sancti Ioannis Baptistæ inuadunt.

2 Iulianus ad bellum Parthicum profectus, & Christianorum sanguinem diis suis vouens, Dei iudicio à quodam hoste occisus interiit, anno ætatis 32.

IOVIANVS XXXVII mensibus 8. Iste iterum cum omni exercitu ad Christianitatem redit.

1 Iouianus in noua domo recubans, suffocatus odore prunarum & calcis moritur. Synodus hæresiaca Antiochiæ facta est.

VALENTINIANVS XXXVIII regnauit annis 11.

Hic ob fidem Christi tribunatu militum à Iuliano priuatus fuit.

1 Valentinianus Valenti fratri suo Orientis imperium dedit.

2 Romæ DAMASVS XXXV papa ordinatur. Valens ab Eudoxio Arianorum Episcopo seductus & baptizatus, post mortem fratris orthodoxos persequitur. Terræmotus per totum orbem factus est.

3 Gratianus Valentiniani filius Ambianus imperator efficitur. Vera lana pluuiæ mixta de nubibus fluxit.

4 Athanaricus rex Gothorum Christianos in sua gente persequitur.

Hilarius Pictauis Episcopus obiit.

5 Eusebius Vercellensis Episcopus moritur. Laodiceæ Apollinaris Episcopus plura scripsit, sed postea hæresim condit.

6 Magna fames in Phrygia. Lucifer Caralitanus Episcopus vir valde catholicus obiit.

† *Maximus.* 7 † Maximinus præfectus † Rom. multos nobilium occidit. 370

8 Valentinus Saxones in regione Francorum cæde perdomuit. † *anno.*

Anni mundi. *Regnum Romanorum.* *Anni Domini*

9 Alexandriæ Petrus XX Episcopus post Athanasium ordinatur. Burgundiorum LXXX fere millia iuxta Rhenum confederunt. Eunomius hæresiarcha extitit.

Didymus cæcus clarus habetur.

10 Magnentia, quæ & Tecla, Romanorum nobilissima Hierosolymam veniens, virtutibus & humilitate claruit.

Post Auxentium Arianum Ambrosio Mediolani Episcopo ordinato, Italia ad rectam fidem reuertitur.

11 Valentinianus bellum in Sarmatas parans, apoplexia obiit. Multi monachorum martyrio coronantur.

VALENS XXXIX post mortem fratris cum Gratiano & Valentiniano annis 4. regnauit.

1 Photinus hæreticus moritur. Theodosius Theodosij postea imperatoris pater, & multi nobiles à Valente occisi.

2 Gratianus triginta millia Alemannorum deleuit. Gothi depulsi ab Hunis diffunduntur in Thraciam. Valens legem dedit, vt monachi militarent, nolentes fustibus iussit interfici. Gothi datis à Valente hæreticis doctoribus Ariani efficiuntur.

3 Gothi fame compulsi rebellant.

4 Valens à Gothis occiso exercitu fugiens in domo quadam viuus crematur.

Huc vsque Chronicam Eusebii Hieronymus perduxit.

GRATIANVS XL cum Valentiniano fratre post mortem patrui annis 6. regnauit.

1 Gratianus Theodosium genere Hispanum, Orientis imperatorem fecit Priscillianus Episcopus hæresim condit. 380

2 Ab hoc anno Theophilus Paschales circulos inchoat.

3 Synodus secunda CL Episcoporum Constantinopoli aduersus Macedonium congregatur sub Damaso papa.

4 Hoc tempore Theodosius multis præliis Gothos, Hunos, Alanosque superauit. Athanaricus rex Gothorum moritur.

5 Arcadius Theodosii filius Imperator efficitur.

6 Maximus regnum sibi vsurpans, Valentinianum Italia depulit. Gratianus Lugduno occiditur.

Romæ post Damasum VRSINVS XXXVI papa sedit annis 14.

THEODOSIVS XLI cum Valentiniano post mortem Gratiani annis XI regnauit.

1 Theodosius vir omnibus virtutibus plenus Valentinianum benigne suscepit. Priscillianus & alii hæretici sequaces eius ab Euodio præfecto gladio addicti sunt.

2 Ambrosius Mediolanensis Episcopus, & sanctus Martinus Turonensis Episcopus, & Hieronymus presbyter Bethleemites clarissimi habentur.

3

4 Maximus tyrannus à Theodosio victus & captus, capite plectitur, & Victor filius eius ab Arbogaste interficitur, & Valentinianus regno restituitur.

5 Ithacius & Vrsacius Episcopi ob necem Priscilliani quem accusauerant, Ecclesiæ communione priuantur.

6 390

7

8 Valentinianus dolo Arbogastis suspendio periit.

Hiero-

Anni mundi. | Anni Domini

Regnum Romanorum.
Hieronymus vsq; huc librum de illustribus virîs Ecclesiæ perduxit.

9 Arbogastes Eugenium Tyrannum imperatorem constituit.
10 Ioannes eremita Theodosium victorem fore contra Eugenium prophetat.
11 Augustinus doctor facundissimus, Hippone regione Africæ Episcopus ordinatur.
Claudianus poeta clarus habetur.
Theodosius Eugenium tyrannum superauit, & ipse Mediolani in pace obijt.

Huc vsque ecclesiasticam historiam Eusebij Rufinus perduxit.

ARCADIVS XLII, filius Theodosij, cum fratre Honorio annis 13.

4350 1 Gildo comes Africam sibi vsurpare audet. Ioannes eremita obiit.
2 Concilium Carthaginense colligitur.
Sanctus Martinus Turonorum Episcopus, post multas virtutes migrauit ad Dominum anno ætatis 81, Episcopatus vero 26.
3 Romæ ANASTASIVS XXXVII papa ordinatur.
Ambrosius Mediolanensis Episcopus, doctor sapientissimus, migrauit ad Dominum.
4 Templa idolorum destruuntur, & ludi gladiatorum tollũtur. † Mazelser.
†Mascezil Gildonem fratrem Deo iuuante superauit.
5 Gothi Halarico & Radagaiso regibus Italiam ingrediuntur. 400
6 Ioannes Constantinopolitanus & Theophilus Alexandrinus illustres Episcopi sibi inuicem discordissimi habentur. Hoc tempore corpora prophetarum & Abacuc & Micheæ à Domino reuelantur.
7 Romæ INNOCENTIVS XXXVIII papa sedit annis 14. Gothi Stiliconem cum Romano exercitu victum fugauerunt.
8 Carthaginense concilium contra Donatistas habetur.
His temporibus Orosius presbyter clarus habetur.
9
10 Hoc tempore Radagaisus hostis crudelissimus cum cc millibus Gothorum Deo donante sine bello perijt. His diebus Innocentius papa dedicauit basilicam Geruasij & Protasij martyrum.
11 Vandali & Alani transito Rheno Galliasintrauerunt.
12 Constantinus tyrannus Gallias occupat.
Pelagius Brito Dei gratiam impugnat.
13 Arcadius Orientis imperator Constantinopoli moritur.
Stilico cum filio Eucherio ab Honorio occiditur.
HONORIVS XLIII cum Theodosio fratris sui filio annis 15.
1 Attalus rex imperator factus, qui mox priuatus regno Gothis cohæsit. Vandali Hispanias occupauerunt.
2 Roma irrupta est à Gothis Halarico rege, anno à conditione eius MLXIV. Sed quia Christianus rex erat, clementer victoria vsus est. 410
3 Constantinus tyrannus victus & captus est, pro quo Maximus tyrannidem inuasit.
Athaulphus Placidiam sororem Honorij accepit vxorem.
Constantius dux constituitur.
4 Gothi rege Athaulpho Gallias intrant.
5 Burgundiones partem Galliæ Rheno coniunctam tenuerunt.

Anni Mundi.	*Regnum Romanorum.*	Anni Domini
	6 Attalus in Gallijs tyrannidem exercet.	
	7 Corpora Stephani protomartyris, Gamalielis & Nicodemi, Luciano presbytero reuelantur.	
	8 Romæ Zosimvs xxxix papa sedit annis 3. Gothi placati Constantio Placidiam reddiderunt, cuius ille nuptias promeruit.	
	9 Honorius Attalum tyrannum exilio damnauit. Quæstio de huius anni Pascha sub Zosimo papa oritur.	
	10 Synodus Carthaginensis congregatur ccxvi Episcoporum contra Pelagium & cæteros hæreticos sub Zosimo papa. eclipsis Solis facta est 14. Calend. Augusti,& cometa vsque ad mensem Septembrem visa est.	10
	11 Honorius Constantium in regni consortium sumpsit. Romæ Bonifacivs xi papa annis 4.	
	12 Hieronymus presbyter Bethleemites, incomparabilis doctor, obijt anno vitæ 91.	420
	13 Constantius imperator moritur.	
	14 Exercitus contra Vandalos ad Hispanias mittitur.	
	15 Placidia à fratre Honorio cum filijs ad Orientem mittitur, & Honorius moritur	20
	Romæ Cælestinvs papa xli annis 9 sedit. Theodosivs xliv, minor Arcadij filius, annis 26.	
	1 Theodosius Valentinianum Placidiæ filium consobrinum suum Cæsarem facit,& cum matre ad Occidentis imperium misit.	
	2 Valentinianus Ioannem tyrannum extinxit, Hunosq; per Aëtium patricium superauit.	
	3 Patroclus Arelatensis Episcopus à Tribuno quodam innocens occiditur.	
	4 Gens Vandalorum à Gothis exclusa de Hispanijs ad Africam transit.	30
	5 Nestorius Constantinopolitanus Episcopus hæresim condit, sanctam Mariam theotocon negans, cui Cyrillus Alexandrinus Episcopus & Celestinus papa multum resistunt. Aëtius multis Francis cæsis, partem Galliæ quam possederant recepit.	
	6	
	7 Sanctus Augustinus Hipponensis Episcopus & doctor facundissimus in ciuitate sua à Barbaris obsessus, obijt anno ætatis 76, episcopatus vero sui 40.	430 40
	8 Palladius episcopus à Celestino papa ad Scotos credentes Christo mittitur. Romæ Xistvs xlii papa sedit annis 8. Hoc tempore tertia synodus vniuersalis in Epheso congregatur c Episcoporum contra Nestorium sub Celestino	
	9 papa.	
	10	
	11	
	12 Pax cum Vandalis facta, data eis Africæ portione. Aëtius Gundicarum Burgundionum regem vicit, quem Huni post peremerunt.	50
	13 Gothi pacem turbant, & per Litorium ducem Romanum pelluntur.	
	14 Ginsericus rex Vandalorum Arianus catholicos in Africa persequitur. Valentinianus filiam Theodosij in matrimonium accipit.	
	15	

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Anni mundi — *Regnum Romanorum.* — *Anni Domini.*

15

16 Iulianus Atheſenſis Epiſcopus Pelagianiſta iactantiſſimus, Eccleſiam multa arte inſequitur, ſed à Xiſto papa damnatur. Bellum aduerſus Gothos Hunis auxiliatoribus geritur, & Litorius dux Romanus ab eis capitur.

Ginſericus dolo Carthaginem cepit.

17 Ginſericus Siciliam grauiter afflixit. 440

Romæ LEO XLIV papa conſtituitur.

18 Theodoſius imperator bellum contra Vandalos inefficaciter mouit.

19 Huni Thracias & Illyricum vaſtauerunt.

Pax cum Ginſerico facta eſt.

20 Leo papa multos in vrbe Manichæos inueniens publicauit & correxit. Et ſanctus Briccius Turonenſis Epiſcopus obijt, cui ſanctus Euſtathius ſucceſſit.

27 Attila rex Hunorum † Bledlam fratrem interfecit, & eius populum ſibi ſubiecit. † *Bledam.*

De huius anni Paſcha Proterius & Paſchaſinus Leoni Papæ ſcribunt.

22

4400 23 Britanni contra Scotos & Pictauos auxilium ab Aëtio & Romanis petunt, nec impetrant.

24 Eutyches Conſtantinopolitanus hæreſim condidit, & ſuffragante Theodoſio imperatore & Dioſcoro Alexandrino epiſcopo, Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum catholicum multis iniurijs affecit.

25 Theodoſius Leonem papam pro Eutyche te ad ſe vocat, qui à
26 populo Romano venire prohibitus nuncios mittit.

Theodoſius imperator Orientis moritur.

MARTIANVS XLV cum Valentiniano annis 7.

1 Aetius cum Romanis Gothis auxiliatoribus, Attilam ſuperauit.

2 Attila Aquileiam vi magna cepit, cum quo Valentinianus pacem fecit. 450

3 Attila Hunorum rex moritur.

Hoc tempore quarta Synodus DCXXX Epiſcoporum in Chalcedone congregatur ſub Leone papa contra Eutychen.

4 Valentinianus Aetium patricium reipublicæ vtilem manu ſua occidit.

Valentinianus ab amicis Aetij in campo Martio occiditur: pro quo Maximus menſes duos regnauit, & à militibus occiditur: Poſt quem Auitus ſumpſit imperium.

Eodem anno Ginſericus Romam opibus cunctis expoliat.

Hucuſq; Proſper Chronicam ſuam perduxit.

6 Auitus imperium Placentiæ depoſuit: pro quo Maiorianus regnauit.

7 Martianus Orientis imperator obijt.

Ab hoc anno Victorius Paſchalem circulum, ſed mendoſum inchoat, iubente papa Hilario.

LEO XLVI annis 17 Orienti imperat.

1 Maiorianus imperator Occidentis in Africam mouit pro-
2 cinctum.

† *Theodoretus.* 3 Hoc tempore † Theodorus Cyriæ Epiſcopus clarus habetur.

4 Ricimer Maioriano occiſo Seuerum conſtituit. 460

Anni mundi — *Anni Domin.*

5 HILARIVS papa XLIV sedit annis sex, mensibus tribus, die-
6 bus 10.
7 Rex Alanorum Beorgor à Ricimere patricio victus interijt.
8 Seuerus fraude (vt aiunt) Ricimeris veneno perijt.
9
10 Anthemius imperator Occidentis à Leone mittitur.
11 Marcellinus in Sicilia occiditur.
SIMPLICIVS XLV papa sedit annis 15, mense 1, diebus 7.
†*Seruãdus.* 12 † Arabundus imperium tentans ab Anthemio in exilium mittitur. 10
13 Romanus imperium affectans decollatur.
14 Aspar aspectata tyrannide Cõstantinopoli à Leone occiditur. 470
Sanctus Remigius Remorum Archiepiscopus ordinatur anno ætatis 22.
15 Rizimer Anthemium imperatorem cum graui clade vrbis occidit, & Olybrium constituit, pseq; perijt.
†*Lycerius.* 16 Olybrius imperator septimo mense moritur: pro quo † Clyterius. Leo Leonem consortem regni fecit.
17 Leo senior obijt : pro quo iunior Leo paucis mensibus re- 20
gnauit.
Romæ Clyterio nepos successit.
ZENON XLVII annis 17 Orientem rexit.
1 Orestes nepotem fugauit, & filio suo Augustulo imperium dedit.
†*Turcilingorũ.* 2 Odoacer rex † Torcilingorum & Rugorum cum multis Barbarorum auxilijs Italiam veniens, Orestem & Paulum fratres occidit, Augustulum exilio damnauit, & Romam obtinuit anno à conditione eius MCCXXIX.
3 Odoacer Romæ inuito Zenone regnauit.
4 Hoc tempore corpus Barnabæ Apostoli, & Euangelium Mat- 30
thæi stylo eius scriptum ipso reuelante reperitur.
5
6
7 Odoacer in Dalmatijs Odiciam vicit & peremit. 480
8
†*Theodimerus.* 9 Theodericus † Theotmari filius rex Ostrogothorum, Zenoni Augusto familiaris efficitur.
FELIX XLVI, papa sedit annis 8, mens. 11, diebus 17.
10 Zenon Theodericum cõsulem & magistrum militum fecit. 40
11 Hoc tempore Honorius rex Vãdalorum plus quam CCCXXX-
III Episcopis exulatis, catholicos Ariana impietate perse-
12 quitur.
13 Odoacer Phœbam regem Rugorum vicit & cepit.
14
15 Theodericus permittente Zenone Italiam venit, & Odoacrũ duobus prælijs superauit.
16 Theodericus Odoacrum tertio certamine victum apud Ra-
uennam obsedit.
17 Odoacer nocte egressus quarto prælio vincitur à Theoderico. 490 50
Vandali pacem fecerunt: & Zenon obijt.
ANASTASIVS XLVIII annis 28.
1 GELASIVS XLVII papa sedit annis 4, mensib. 8, dieb. 18.
2 Theodericus Odoacrum insidias sibi molientem interemit, & ipse Occidentis regnum 30 annis tenuit.

Regnum Romanorum.

Anni mundi. | *Anni Domini*

3

4 Hoc tempore Thraſamundus rex Vandalorum catholicas Eccleſias clauſit, & CCXX Epiſcopos exilio in Sardiniam miſit, quos Symmachus papa ſanctiſſimus inibi aluit. Et mortuo rege Francorum Childerico filius eius Clodoueꝰ, qui & Ludouicus rex magnus ſucceſſit.

5 ANASTASIVS papa ſedit anno vno, menſibus vndecim, die-
4450 6 bus 24.

7 SYMMACHVS papa ſedit annis 15, menſibus 7, diebus 24.

His temporibus Boëtius conſul Romę plurima ingenij ſui monimenta conſcripſit.

8 Iſauri occiſo Lilinge duce eorum ab Anaſtaſio victi trucidantur. Ludouicus rex Syagrium Ægidij filium principem Romanorum bello vicit & peremit.

9 Theodericus Romam venit, multaque miranda ædificia con-
10 ſtruxit.

11 Theodericus aquam Rauennam perduxit. 500

12 Italiam Syrmium recepit, victis à Theoderico Bulgaris.

13

14

15 Fulgentius clarus Epiſcopus his temporibus habetur.

16 Theodericus victis Francis Gallias acquiſiuit.

17

18 Ludouicus rex Alemannos diuinum inuocans auxilium bello vicit atq; ſubiecit.

19 Ludouicus rex quem Clodoueum dicunt, cum gente Francorum à ſancto Remigio Remenſi Archiepiſcopo fide Chriſti imbuitur & baptizatur.

20

21 Sub hoc Anaſtaſio diuerſis vbiq; bellis Reſpublica fatigatur. 510

22 Vitalianus cum Scythis aduerſus Anaſtaſium ſeruꝰ rebellat.

HORMISDA papa I, ſedit annis 9, diebus 17.

23 Clerus & populus Romæ pacificantur.

24 Theodericus filiam ſuam Amalſuintam Eutharico dedit.

25

26 Vitalianus ſæpe milites Anaſtaſij vincens ipſum irridentes
27 ſpreuit.

28 Anaſtaſius hæreſi fauens Eutychetis, & catholicos perſequẽs diuino fulmine perijt, maior octogenario.

IVSTINVS maior XLIX annis 8.

1 Iuſtinus plurimos regno ſuo inhiantes occidit, & cum Vitaliano fœdus percuſſit, quem tamen poſtea occidit.

2 520

3 Ioannes papa Conſtantinopolim veniens cæcum illuminat, ſedens annis 2, menſibus 9, diebus 16.

4 Theodericus ſanctum Ioãnem papam carceris afflictione perimit, & Symmachum patricium occidit.

5 Theodericus ſubitanea morte Rauennæ perijt: pro quo Athalaricus nepos eius regnauit annis 8.

FELIX papa LII ſedit annis 4, menſibus 2, diebus 14.

Clodoueus, qui & Ludouicus, rex Francorum tricesimo regni anno moritur, & Pariſijs ſepelitur.

6 Hoc tempore Heldericus rex Vandalorum Epiſcopos ab exilio reuerti iubet.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Regnum Romanorum.

Anni Mundi. | *Anni Domini*

7 His temporibus sanctus Benedictus abbas virtutum gloriâ claruit.

8 Iustinus Iustinianum regni consortem & successorem faciens obijt.

IVSTINIANVS I, Iustini ex sorore nepos, annis 38.

1 Iustinianus Parthos bellum mouẽtes misso exercitu superat: Et BONIFACIVS papa LIII sedit annis 2, diebus 26.

2 Hoc tempore Athalaricus matre Amalsuinta se regente Italiæ regnauit.

3 Parthi Romanum exercitum sabbato Paschæ vincunt.

MERCVRIVS papa, qui & IOANNES LIV, sedit annis 2, mensibus 4, diebus 6.

4 Mortuo Athalarico Amalsuinta Theodohadum consortem regni fecit. 530

5 Amalsuinta Theodohado iubente occisa est.

AGAPETVS LV papa sedit mensibus 11, diebus 18.

6 Ab hoc anno Dionysius Romanus abbas paschalem circulum magnum inchoat, incipiens ab anno Dominicæ incarnationis DLXXXII, qui est annus Diocletiani CCXLI.

SYLVERIVS papa sedit anno 1, mensibus 5, diebus 17.

7 Hoc tempore Bilisarius à Iustiniano missus Vandalos in Africa deleuit.

VIGILIVS papa sedit annis 18, mensibus 6.

8 Carthago à Bilisario patricio recepta est, anno excessionis suæ XXVI.

9

10

11 Hoc tempore Bilisarius consul iterum Africam extinctis tyrannis liberat.

12

13 His temporibus Bilisarius in Italia Vitigiso, qui Theodohadum occiderat, superato, & Francis cum Theodeberto rege
14 deuictis, Romanam Rempublicam viriliter feliciterque re-
15 parauit. 540
16
17 Huius principis tempore corpus Sancti Antonij monachi repertum Alexandriæ sepelitur.

18 Arator subdiaconus librum suum publice coram Vigilio papa legit & sanctus Remigius Remensis Archiepiscopus, & gentis Francorum Apostolus, Idib. Ianuarijs migrauit ad Dominum, anno episcopatus sui 74.

19

4500 20 Hoc tempore quinta synodus vniuersalis in Constantinopoli congregatur, contra Theodorum & omnes hæreticos sub Vigilio papa. Et eodem anno Theodericus rex filius Clodouei 23 regni anno moritur, & Metis sepelitur.

21

22 Hac tempestate Totila Gothorum rex in Italia tyrannidem
23 exercet.
24 Victor Capuanus de huius anni Pascha scribens Victorij arguit errores. 550
25 Hucusque Iordanis Episcopus Chronicam suam scribens de
26 gestis Romanorum perduxit. Et PELAGIVS papa sedit annis
27 11, mensibus 10, diebus 18.
28

29

Regnum Romanorum.

Anni mundi.		*Anni Domini*
	29	
	30	
	31 Bridius rex Pictis regnare cœpit.	
	32	
	33	
	34 Theodebertus filius Theodeberti rex fortis moritur, annos regnans 14.	560
	35	
	36	
	37 IOANNES papa LIX sedit annis 12, mensibus 11, diebus XXVI. Hildebertus rex filius Clodouei Magni annis regnans 40 moritur, & Parisiis ad sanctum Vincentium sepelitur.	
	38 Iustus imperator obiit.	
	IVSTINVS minor LI annis II.	
	1 Sanctus Columba presbyter & abbas de Hibernia veniens	
	2 Britannis verbum Dei prædicat.	
	3 Hoc tempore Narses patricius Totilam Gothorum victum	
	4 occidit, Gothosque Italia expulit, & eodem anno Theobaldus rex filius Theodoberti, anno regni VII moritur.	
	5 Narses patricius qui Gothos expulit, à Iustino offensus Langobardos in Italiam venire fecit.	
	6 Sanctus Vedastus obiit.	
	7	570
	8 Hoc tempore Ioannes papa Ecclesiam Philippi & Iacobi Apostolorum, quam prædecessor eius Pelagius cœpit, perfecit & dedicauit.	
	9	
	10 Lotharius rex filius Clodouei Magni annis regnans LI moritur, & Suessionis ad sanctum Medardum sepelitur.	
	11 Iustinus imperator obiit.	
	TIBERIVS Constantinus LII annis 7.	
	1 BENEDICTVS papa LX sedit an. 4, mense 1, diebus 20.	
	2 Hoc tempore Gregorius tunc apocrisarius mortalia Iob scri-	
	3 psit, & Eutychium Constantinopolitanum Episcopum Tibe-	
	4 rio præsente in fide resurrectionis errasse conuicit.	
	5 Hoc tempore gens Langobardorum comitante fame & peste	580
	Italiam vastat. ET PELAGIVS papa sedit annis 10, mensibus	
	6 11, diebus 10.	
	7 Tiberius imperator obiit.	
	MAVRICIVS LIII, annis 21.	
	1 Hoc tempore Leuigildus Gothorum rex Arianus Hirmini-	
	2 gildum filium ob fidem catholicam securi iussit occidi.	
	3	
	4 Hoc tempore Richardus rex Hirminigildi frater per Lean-	
	5 drum Hispalitanum Episcopum cum tota gente Gothorum	
	6 ad catholicam fidem conuertitur.	
	7 Sigibertus filius Lotharii rex foris insidiis perimitur anno re-	
	8 gni 14, & Remis sepelitur.	590
	9 Magna inundatio facta est, & mortalitas in Italia.	
	10 Sanctus GREGORIVS LXII ad pontificatum Romanæ Eccle-	
	siæ eligitur, in qua sedit annis 13, mensibus 6, diebus 10.	
	11 Edilfridus rex cum Edilberto rege Anglis imperat.	
	12	
	13 Gregorius papa synodum XXIII Episcoporum ad corpus	

Anni mundi. *Anni Domini.*

beati Petri Apostoli congregat, indictione decimatertia.
Sanctus Colũba abbas in insula Hu obiit anno ætatis septuagesimo septimo.
4550 14 Hoc tempore Gregorius papa missis doctoribus Augustino, Mellito, & Ioanne, aliisque pluribus Anglos ad Christum conuertit.
15 Helpericus rex filius Lotharii interiit, anno regni XXIII, &
16 Suessionis sepelitur. 10
17 600
18 Gregorius Londunæ & Eboraci Episcopos misso pallio me-
19 tropolitanos esse decernit, indictione quarta.
20
21 Mauricius scelerum suorum pœnas in hoc seculo (vt ipse orauit) exoluens, à Phoca turpiter interficitur.
PHOCAS XIV, annis 8.
1 Edilfridus rex Edan Scotorum regem forti prælio vicit.
2 Gregorius papa sanctissimus migrauit ad Dominum, indictio-
3 ne octaua. SABINIANVS LXIII papa sedit anno 1, mensibus 5, diebus 9. 20
4 Hoc tempore Phocas Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum caput esse constituit: nam Constantinopolitana primam se esse scripsit.
BONIFACIVS LXIV papa sedit mensibus 8, dieb. 22.
Guntrammus filius Lotharii Burgundiæ rex pius obiit, annos regnans 33.
5 BONIFACIVS papa sedit annis 6, mensibus 8, diebus 13.
6 Hoc tempore Phocas Pantheum, id est domum omnium idolorum, Ecclesiæ dedit, rogante papa Bonifacio. 610 30
7 His temporib. Persæ multas prouincias Romanis auferunt: Hierosolymam quoque, & crucem dominicam abstulerunt.
8 Phocas moritur. Hildebertus XXXIII, rex fortis, filius Sigeberti moritur, annis regnans 23.
HERACLIVS LV annis 26.
1
2
3 Hoc tempore Anastasius Persa monachus nobile pro Christo martyrium à Cosdroe rege Persarum patitur.
4 DEVSDEDIT LXV papa sedit annis 3, diebus 13. 40
5 Edilbertus primus Anglorum regum Christianus anno regni quinquagesimo sexto obiit, pro quo Phatald regnauit ann. 24.
6 Eduinus occiso Edilfrido Anglorum rex efficitur, indictione quinta, & regnauit annis 17.
7 BONIFACIVS papa sedit annis 5.
8 His temporibus Heraclius Cosdroem regem Persarum, qui se vt Deum coli iussit, superauit, & lignum dominicæ crucis Hierosolymam reduxit. 620
9 Sanctus Laurentius archiepiscopus obiit, pro quo Mellitus. 50
10
11
12 HONORIVS papa LXVI sedit an. 12, mensib. 11, dieb. 17.
13 His temporibus Isidorus Hispalensis Episcopus clarus habetur. Sanctus Mellitus archiepiscopus obiit, pro quo Iustus.
14 Sanctus Paulinus à Iusto archiepiscopo Anglis doctor & Epi-
15 scopus ordinatur.

16 San-

Anni mundi. *Regnum Romanorum.* *Anni Domini*

16 Sanctus Columbanus à Brunnihilde & Theodorico rege Luxouio pulsus, Eustasium sibi abbatem reliquit. Eduinus rex Anglorum in Britannia à Paulino Episcopo ad fidem Christi conuertitur, indictione decima quinta, anno aduentus Anglorum in Britāniam circiter 230.

17 Theodebertus rex, filius Hildeberti, à fratre Theodorico victus & detonsus, cum filiis trucidatur anno regni 17.

18 Theodericus rex filius Hildeberti machinante auia sua Brunnihilde veneno interiit, annos regnans 18.

19 His temporibus hæresis de Pascha & Pelagiana Britanniam turbat. 630

20 Sancto Columbano Italiam petente à Brigantio, sanctus Gallus nobiscum remansit, & cellam suam construere cœ-

21 pit.

22 His temporibus Heraclius (vt aiunt) à Sergio Episcopo Constātinopolitano, sed hęretico decipitur. Sigebertus rex filius Theoderici à Lothario rege pugna victus, cum Brunihilde proauia & tota stirpe trucidatur.

Eduinus rex Anglorum à Ceadualda & Penda victus pugna

23 occiditur.

24 Oswaldus filius Edilfridi, victo per Dei auxilium Ceadualda tyranno, regnauit super Anglos annis 9.

25 SEVERINVS LXVII papa, menses 2, dies 4.

26 Heraclius imperator obiit. IOANNES LXVIII papa, sedit anno vno, mensibus 9, diebus 19.

HERACLIONAS LVI cum matre Martina annis 2.

1 Cyrus Alexandrinus, Sergius & Pyrrhus Constantinopolitani Acephalorum hæresim instaurant.

THEODORVS LXIX papa, sedit an. 6, mens. 5, diebus 18.

2 Heraclionas moritur occisus.

CONSTANTINVS LVII, filius Heraclii, mensibus 6.

1 Paulus Constantinopolitanus Pyrrhi successor aperte catholicos persequitur. Earbaldus rex Canthuariorum obiit, pro quo Erchanbertus filius regnauit annis 25. 640

CONSTANTINVS LVIII, filius Constantini, an. 28.

1 Hic deceptus à Paulo hæretico persequitur Christianos.

2 Sanctus Oswaldus rex Anglorum pro patria pugnans, à Penda rege Merciorum occiditur, pro quo Osui frater eius regna-

3 uit annis 28.

4 Sanctus Paulinus Anglorum Episcopus, vicesimo Episcopatus anno obiit, 6 idus Octobris.

4600 5 MARTINVS LXX papa, sedit annis 6, mense vno, diebus

6 26.

7

8

9 MARTINVS papa, synodum c Episcopum congregans, Cyrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum condemnat, indictione 8.

10 EVGENIVS LXXI papa, sedit annis 2, mensibus 9, diebus 24. 650
Hoc tempore Martinus papa à Cōstantino Chersonam exilio missus, ad Dominum migrauit.

Heribertus rex filius Lotharii annos regnans 9 moritur.

11 Osuinus rex bonus proditus, ab Osui rege occidi iussus est, &

12 sanctus Atdam Episcopus obiit pridie cal. Septemb.

13 VITALIANVS LXXII papa, sedit annis 14, mensibus 6,

Regnum Romanorum.

Anni mundi. *Anni Domini*

pro quo DEVSDEDIT annis 10.
Honorius Anglorum archiepiscopus obiit.
14 Mediterranei Angli Christiani effecti.
15 Penda rex ab Osui rege pugna victus interiit, & gens Merciо-
16 rum Christiana efficitur.
17
18 Dagobertus rex magnus, filius Lotharii, annis regnans XVI, moritur, & ad sanctum Dionysium sepelitur.
19 Volfhere filius Pendani, rex Merciorum effectus, regnauit
20 annis 17. 660
21
22
23 Constantinus Romam venit, & beato Petro pallium auro textile obtulit, toto exercitu cum cereis Ecclesiam intrante.
24 Eclipsis Solis facta est quasi hora decima, v nonas Maias, indictione 7. Inter Anglos & Scotos quæstio de Pascha ventilata, & Scoti à Vilfrido presbytero victi sunt. Sæua lues & pestilentia Britanniam vastat.
Deusdedit archiepiscopus obiit. Ceadda & Vilfridus Nordam Vmbrorum Episcopi ordinantur.
25 Herchanberto rege Cantuariorum mortuo, filius eius Eg-
26 bertus regnauit annis 9.
27 ADEODATVS LXXIII papa, sedit annis 4, mensibus 2, diebus 5.
28 Constantinus post multas deprecationes à prouinciis factas, occisus in balneo periit indictione 12.
Theodorus Anglis archiepiscopus ordinatur à Vitaliano papa, & ad Britanniam cum Adriano abbate mittitur.
CONSTANTINVS filius Constantini annis 17.
1 670
2
3 Hoc tempore Saraceni Siciliam deprædantes cum magna præda Alexandriam redeunt. DONVS LXXIV papa, sedit anno v-no, mensibus 5, diebus 10. Osui rex Anglorum obiit, pro quo Egfridus regnauit annis 15.
4 AGATHO LXXV papa, sedit annis 2, mensibus 6, diebus 4.
5 Sub hoc principe sexta synodus vniuersalis Constantinopoli congregatur sub Agathone papa.
Egbertus rex Cantuariorum obiit, pro quo frater Lutherius regnauit annis 11, mensibus 4.
Theodorus archiepiscopus Anglorum synodum collegit.
6 LEO LXXVI papa sedit mensibus 10, diebus 17.
Ludouicus rex, filius Dagoberti, frater Sigiberti moritur, anno regni 16.
7 BENEDICTVS LXXVII papa, sedit mensibus 10, diebus 12. Volfherus rex Merciorum obiit, pro quo frater Edilredus anno 25.
8 IOANNES LXXVIII papa, sedit anno vno, diebus 9. Edilredus rex Cantiam vastauit.
9 CANON LXXIX papa, sedit mensibus 11.
10 SERGIVS LXXX papa, sedit annis 13, mensib. 8, dieb. 23.
Lotharius filius Ludouici, anno regni 4 moritur.
Wilfridus Episcopus ab Egfrido rege sede sua pulsus, multos
11 ad Dominum prædicando conuertit.
12 Theo-

Anni mundi		Anni Domini
	Regnum Romanorum.	
	12 Theodorus archiepiſcopus Anglorum iterum ſynodum col-	
	13 ligit tempore Agathonis papæ.	680
	14	
	15 Egfridus rex Hiberniam miſſo exercitu immeritam vaſtat. Sanctus Cudbertus Lindisfarnenſis Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur.	
	16 Egfridus rex cum Pictos incaute peteret, ab ipſis peremptus interiit, pro quo Alfridus annis 19.	
	17 Conſtantinus imperator obiit. Lutherus rex Cantuariorum interiit.	
	Ivstinianvs minor LX, filius Conſtantini, an. 10.	
	1 Hic hæreſi pollutus, catholicos perſequitur, & cum Sarracenis pacem fecit. Sanctus Ioannes Haguſtaldenſis Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur.	
	2 Sergivs papa annis ſedit 13, menſibus 9.	
	3 Pipinus filius Anſgiſi Maior domus, & dux Francorum regnauit annis 27, cum Ludouico, Hiltiberto & Dagaberto regibus. Ceadualus rex occidentalium Saxonum Romam venit, & à Sergio papa baptizatus in Albis obiit, & ibi	
	4 ſepelitur.	
	5 Theodorus Anglorum archiepiſcopus obiit anno ætatis 88.	690
	6 Hoc tempore Villibrordus qui & Clemens, à Sergio papa Epiſcopus ordinatus, Freſonum gentem ad Chriſtum conuertit. Iuſtinianus ob culpam perfidiæ regno priuatus, exul in Pontum ſeceſſit. Ludouicus puer, filius Theoderici, anno	
	7 regni v moritur.	
	8 Theodericus rex, filius Ludouici, annis regnans 19 moritur.	
	9 Hoc tempore duo Angli presbyteri niger & albus Heualdus Saxonibus prædicantes martyrio coronantur, & à Pipino Co-	
	10 loniæ ſepeliuntur.	
	Leo lxi, annos 3.	
4650	1 Hoc tempore Sergius papa capſam cum portione dominicæ crucis inuenit.	
	2 Sanctus Cudbertus ex Anachoreta Epiſcopus ſub hoc principe obiit. Oſtrich regina à ſuis peremptа eſt.	
	3 Leo regnum dimiſit.	
	Tiberivs lxii, annis 7.	
	1 Hoc tempore ſynodus Aquileiæ congregatur ſub Sergio papa.	
	2 Romæ Ioannes papa ſedit annis 3, menſibus 2.	700
	3 His temporibus Giſulphus dux Langobardorum Beneuen-	
	4 ti Campaniam vaſtat.	
	5 Beda venerabilis Anglorum presbyter, Chronicam minoris libri de temporibus huc vſque perduxit.	
	6 Edilredus rex Merciorum, Conredo regnum dedit, & ſe monachum fecit.	
	Ioannes papa annis 2, menſibus 8.	
	7 Iuſtinianus auxilio Terbelli Bulgarorum regis regreſſus, Leonem & Tiberium cum multis qui eum expulerant, occidit. Aidfridus rex Normannorum obiit, pro quo filius Ofredus annis 11 regnauit.	
	Sanctus Heddius Epiſcopus occidentalium Saxonum obiit, pro quo Daniel & Alrhelmus Epiſcopi præfuerunt.	
	Ivstinianvs lxiii, ſecundùm cum filio Tiberio an. 6.	

Regnum Romanorum.

Anni mundi. *Anni Domini*

1 SISINIVS papa dieb. 20. Constantinus papa an. 7, dieb. 15.
2 Hoc tempore Iustinianus de peccatis suis pœnitẽtiam agens, Constantinum papam summo honore habuit.
3 Althelmus Episcopus, vir doctus & eloquens obiit.
4 Conredus rex Merciorum Romam venit ad Constantinum papam, & cum illo Offa filius Sigiberti regis, ibiq; monachi facti, in seruitio Dei vitam finierunt.
5 Hildebertus rex, filius Theoderici, anno regni 17 moritur. 710
Wilfridus venerabilis Episcopus, anno Episcopatus 45 post multos labores obiit, pro quo Arca Hagustaldensis Ecclesiæ Episcopus ordinatur. Adrianus abbas venerabilis cooperator Theodori archiepiscopi obiit anno à quo Vitaliano missus est.
6 Philippicus ab exercitu imperator factus Iustinianũ occidit.
PHILIPPICVS LXIV, anno vno, mensibus 6.
1 Philippicus hæresi pollutus, Catholicis infestus fuit.
Mors Hereberti regis Langobardorum.
2 Anastasius Philippicum oculis priuauit, regnoque expulit.
ANASTASIVS LXV, annis 3.
1 GREGORIVS II, papa LXXXVI, sedit annis 15, mensib 8, diebus
2 23. Pippinus Maior domus obiit, pro quo Carolus annis 27.
Mors Dagoberti regis.
3 Egbertus vir sanctus Scotos legitime Pascha celebrare docuit. Ofredus rex occiditur, pro quo Conradus regnauit annis 41.
THEODOSIVS annum vnum. Hic Anastasium prælio vicit, eumque presbyterum ordinari fecit.
1 Carolus Hilpericum regem & Reginfridum vicit.
Tiberis fluuius alueum suum egressus multa Romæ subuertit ædificia.
LEO LXVII, annos 9.
1 Carolus Lotharium sibi regem constituit.
2 Hoc tempore Saraceni triennio Constantinopolim obsidentes, & multas prouincias deuastantes, fame, peste, ferro, naufragioque repelluntur.
Sanctus Vinfridus, qui & Bonifacius, à Gregorio papa Moguntiæ archiepiscopus constituitur.
Sanctus Othmarus in cella sancti Galli abbas efficitur. 720
3
4 Mortuo Hilperico Theodericus filius Theodeberti rex efficitur à Carolo. Sanctus Ioannes Hagustaldensis Episcopus post multas virtutes migrauit ad Dominum.
5
6 Hoc tempore corpus sancti Augustini Episcopi de Sardinia in Ticinum à Liudbrando translatum est.
7 Sanctus Priminus ad Augiam insulam venit.
8 Saraceni ab Eudone duce contra Carolum euocati, Gallias vastant.
9 Huc vsq; Beda venerabilis presbyter Chronicam suam in maiori de temporib. libro perduxit, continentem ab initio mundi secundũ Hebraicã veritatẽ annos quatuor millia, sexcẽtos, octoginta.
10 Carolus de Saracenis occiso rege eorum triumphat.
11 Huc vsq; regnum Romanorum, ex hinc Frãcorũ supputatur.
12 CAROLVS Pippini filius, cum iam principatum Maior domus 12 annis teneret, post hæc eundem principatum tenet an. 15, regibus tamen in Francia, sed parua dignitate regnantibus.
13 San-

Anni Mundi. *Regnum Romanorum.* *Anni Domini*

13 Sanctus Pirminius à Thietbaldo Gotifridi filio expulsus, Eto-
14 nem abbatem constituit, & ipse in Alsatiam venit.
15 Carolus Fresiam vastat, Poppone duce eius occiso.
Sanctus Egbertus presbyter obijt anno ætatis 20, VIII Calen. April. id est Paschatis die.
16 Landfridus moritur. Saraceni item Gallias vastant. 730
17 Beda venerabilis Anglorum presbyter obijt, indictione 14.
GREGORIVS III, papa XCI, an. 10, mens. 8, dieb. 24.
18 Carolus contra Saracenos pugnat die sabbati.
19 Carolus item Saracenos cum rege suo dekeuit.
20 Carolus Maior domus Fresiam vastat. Etho Argentinæ Episcopus promouetur.
21 Carolus Wasconiam inuadit.
22 Audonius Episcopus obijt. Ernfridus Augiæ abbas, & Constantiæ Episcopus ordinatur.
23 Carolus contra Saracenos in Gothia pugnat.
24 Carolus Saxoniam intrat.
25 Carolus prouinciam subijcit,
26
27 Carolus moritur indictione 9, & apud sanctum Dionysium sepelitur. ZACHARIAS, XCIII papa, annis 10, mensibus 4, diebus 4. 740

PIPINVS, filius Caroli cum fratre Carlomanno, Maior domus annos 11 regnauit.
1 Carlomannus Wasconiam & Alemanniam petit.
2 Carlomannus Alemanniam vastat.
3 Carlomannus pacem cum Saxonibus facit. Fuldense cœnobi-
4 um in sylua Buchonia à sancto Bonifacio cœptum.
5 Carlomannus Maior domus Alemanniam ingreditur.
6 Carlomannus diuino amore succensus Romam pergit, & se monachum in monte Soracte fecit.
Sanctus Burchardus Wirzeburgensi; & sanctus Wilibaldus Eistettensi ecclesiæ Episcopi primi à sancto Bonifacio ordinantur.
7 Sidonius abbas Augiæ & Constantiæ Episcopus constituitur.
8 Pippinus Tassilonem fororis suæ filium, Baioariæ ducem
9 post Odilonem fecit. 750
10 Lantfridus moritur. Zacharia papa defuncto, STEPHANVS II, papa XCIV, annis 6.
11 Audogarius primus Campidonæ abbas efficitur.
PIPPINVS authoritate Stephani papæ, deposito ac detonso rege Hilderico, rex Francorum factus regnauit an. 15.
1 Hildigarius Episcopus Coloniæ à Saxonibus interimitur. Gripho frater Pippini occiditur.
2 Sanctus Bonifacius Archiepiscopus à Fresonibus martyrio coronatur: post quem Lullus Moguntiæ Archiepiscopus sedit
3 annis 32. Pippinus Langobardos in Italia cum exercitu petit.
4 Haistolphus rex Langobardorum moritur.
5 PAVLVS papa XCV, annis 10, mens. 1.
6 Pippinus Saxoniam bello petit.
7 Pippinus Vasconiam inuadit.
8 Sanctus Othmarus abbas à Warino & Rudhardo in insulam Rheinstein nomine relegatus, migrauit ad Dominum. 760

Anni mundi	Regnum Romanorum.	Anni Domini
	Eclipsis Solis facta est XVIII Calendas Septembres, hora quasi nona.	
9	Sidonio episcopo misere mortuo, Ioannes Episcopus & abbas	
10	successit.	
11	Pippinus aliquot comitatus filijs suis dedit.	
12	Hyems valida hoc anno facta est: & eclipsis Solis pridie nonas Iunias hora sexta.	
13	Corpora sanctorum Gorganij, Naboris, & Nazarij in Franciam deferuntur.	
14	Corpus sancti Nazarij ad Loressam oblatum est.	
15	Pippinus rex Parisijs moritur indictione 6. Paulus papa obijt.	
	STEPHANVS III papa XCVI, annis 4, mens. 6	
	CAROLVS MAGNVS II, Pippini filius cum fratre Carlomanno	
1	an. 4, postea solus 42.	
2	Corpus sancti Othmari post 10 annos in insula quâ obijt, incorruptum reperitur, & in basilica sancti Galli sepelitur.	
3	Carolus filiam Desiderij regis Lãgobardorum vxorem duxit, & statim repudiauit.	770
4	Carlomannus rex frater Caroli moritur. Carolus synodum colligit.	
5	Carolus rex Saxoniam bello petit.	
	ADRIANVS XCVII papa ordinatus, sedit an. 23, dieb. 16.	
6	Carolus Italiam inuadit, & Desiderium regem vicit.	
7	Carolus Langobardus cum Italia subiecit, anno ex quo intrauerant CCV, ipseq; cum triumpho Romam venit.	
	Corpora sanctorum Gordiani & Epimachi martyrum de Roma in Alemanniam allata sunt.	
8	Carolus item Saxoniam.	
9	Carolus item in Italia Ruttaisum occidit.	
10	Carolus item in Saxoniam pergit.	
11	Carolus Hispaniam inuadens cepit.	
12	Carolus item Saxoniam sæpius rebellantem inuadit.	
	Fames & mortalitas Franciam vastat.	
13	Carolus tandem Saxonicum bellum (vt putabatur) subiectis Saxonibus consummat.	780
14	Carolus iterum Romam venit, & Pipinus filius eius baptizatur ab Adriano papa.	
15	Carolus conuentum in Saxonia habuit. Ioannes Episcopus & abbas obijt, pro quo Egino Episcopus & Petrus abbas.	
16	Hildegarta regina, vxor Caroli, obijt pridie Calend. Maias: & Peretha obijt.	
17	Carolus Saxones rebelles plaga magna occidit, & Christianos	
18	fecit.	
19	Eclipsis Solis facta est XV Calendas Octobres, hora quasi secunda. Carolus iterum Romam perrexit. Et cruces in vestibus apparuerunt.	
20	Carolus per Alemanniã ad fines Baioariæ rebellantes cum exercitu venit. Waldo abbas Augiæ efficitur.	
	Lullo archiepiscopo Richolphus successit.	
21	Tassilo duce Baioariæ iubente Carolus in Franciam venit, & Baioaria Carolo subijcitur.	
22	Carolus Sclauos qui Wilzi dicuntur, bello petit.	
23	Carolus hunc annum sine bello Wormatiæ sedit.	790
24	Carolus Pannoniam regnum Hunnorum vastat.	

25 Saxo-

Regnum Romanorum.

Anni mundi		*Anni Domini*
	25 Saxones fidem Christi relinquentes iterum rebellant.	
	26 Alcuinus, qui & Albinus, his temporibus clarus habetur.	
	27 Fastrada regina. Carolus synodum magnam congregat.	
	28 Carolus Saxones petit, & tertiam partem virorum obsides accepit.	
4750	29 Huni munera mittentes Carolo subijciuntur.	
	Adriano papæ LEO III, papa XCIX successit, & sedit annis 20, mens 5. diebus 10.	
	30	
	Constantinus imperator à Græcis excæcatur.	
	31 Romani Leonem papam in litania maiore excæcant, & linguam eius amputant.	
	Geroldus pijssimus signifer Caroli in pugna occiditur ab	
	32 Hunis.	
	33 Liutcarda regina obijt pridie Nonas Iunias.	800
	34 Carolus imperiali benedictione sublimatus, Augustus & Cæsar Romano more appellatur.	
	35 Græci cum Carolo pacem firmant.	
	36 Terræmotus factus, & mortalitas subsecuta est.	
	37 Carolus Saxonum rebellantium multitudinem in Franciam	
	38 transfert.	
	39 Waldoni abbas † Hatto Episcopus Basileæ successit.	† *Alias Haito.*
	40 Eclipsis Solis facta est III. Id. Febr. hora quasi sexta.	
	41 Hoc tempore Gotafridus Normannorum rex superbe Carolo minatur.	
	42 Carolus synodum magnam congregat.	
	Egino Constantiæ Episcopus obijt.	
	43 Eclipsis solis facta est VII Id. Iun. hora quasi secunda. Item in eodem anno eclipsis Solis pridie Calend. Decemb. hora quasi tertia. Pippinus rex Caroli filius obijt.	810
	44 Carolus thesauros inter episcopia & ecclesias diuidit.	
	Carolus rex filius Caroli obijt. Hatto Episcopus ab imperatore Constantinopolim mittitur.	
	45 Bernardus rex à Carolo efficitur.	
	46 Carolus febre & pleuresi pulsatus obiit, indictione VII, V Calend. Febr. anno ætatis 71.	
	LVDOVICVS III, Caroli Magni filius, annis 27.	
	1	
	2	
	3 Leo papa obijt, & Ludouicus imperator à Stephano papa factus est. STEPHANVS IV, papa XCIX, mens 7.	
	4 PASCHALIS papa C effectus, sedit an. 7, diebus 18.	
	5 Bernhardus rex Ludouico rebellat.	
	6 Bernhardus rex interijt. Ludouicus rebellat.	
	7 Exercitus contra Ludouicum congregatur.	820
	8 Item exercitus contra eundem Ludouicum congregatur.	
	9 Nix magna à X Calendas Octobres vsq; in pridie Idus Apriles permansit.	
	10 EVGENIVS papa CI, an. 3	
	11 Wetti Augiensis monachus in spiritu raptus admirabilem vi-	
	12 dit visionem.	
	13	
	14 VALENTINVS papa CII, diebus XL. GREGORIVS II, papa CIII,	
	15 annis 16.	

Regnum Romanorum.

Anni mundi		*Anni Domini*
	16	
	17 Corpora ſanctorum Valentis & Syneſij in Augiam inſulam	830
	18 deferuntur.	
	19 Ludouicus Imperator magnum conuentum in Nouiomago	
	20 habuit.	
	21	
	22 Dedicatio baſilicæ ſancti Galli.	
	23 Hatto Epiſcopus Baſilienſis obijt.	
	24	
	25 Puto diaconus palatij in Iudaiſmum lapſus eſt.	
	26	
	27 Eclipſis Solis facta eſt IV nonas Maias, hora ante Nonam. Et	840
	Ludouicus Imperator obijt XII cal. Iulias.	
	LVDOVICVS IV, Ludouici filius, cum fratribus Lothario, Caro-	
	lo & Pipino, annis 36.	
	1 Bellum inter fratres de participatione regni excanduit.	
	2 Ludouicus Germaniam, Lotharius cum Imperatoris nomine	
	Italiam, Carolus Gallias regnum diuidentes accipiunt.	
	3 Iudith imperatrix vxor Ludouici prioris obijt.	
	4 SERGIVS II papa CIV, annis 3.	
4800	5 Hincmarus vir doctus Remorum Archiepiſcopus ordina-	
	6 tur.	
	7 LEO IV papa CV, ſedit annis 9, menſ. 3. diebus 6.	
	8	
	9 Walafridus Strabo abbas Augienſis vir doctus obijt.	850
	10	
	11	
	12 Translatio ſancti Remigij Remorum Archiepiſcopi ab Hinc-	
	maro eiuſdem vrbis archiepiſcopo facta eſt Calend. Octob.	
	13 Corpus ſancti Martini de tumulo leuatur.	
	14	
	15	
	16 BENEDICTVS III papa CVI, annis 2, menſibus 6, diebus 9. Leo	
	papa, Trogo & Rabanus, Hiligart regina obierunt. Lotharius im	
	perator obijt: pro quo filius eius Ludouicus imperauit cum fratre	
	Lothario annis 19.	
	17 Benedictus papa obijt.	
	18 NICOLAVS papa CVII doctus, annis 9, diebus 9.	860
	19	
	20	
	21 Meginradus eremita martyrizatur.	
	22	
	23 Huni Chriſtianitatis nomen aggreſſi ſunt.	
	24 Translatio ſancti Otmari in baſilicam ſancti Galli.	
	25	
	26	
	27 Nicolaus papa obijt. Pro quo ADRIANVS II papa CVIII, ſedit	
	annis 5.	
	28 Terræmotus factus eſt, & cometa viſus eſt.	
	29 Lotharius rex frater Ludouici imperatoris obijt, & Carolus	
	Galliarum rex regnum eius inuaſit.	870
	30 Ludouicus imperator cecidit de ſolario.	
	31 Ludouicus & Carolus cum patre pacificantur. Solomon	
	Conſtantienſis Epiſcopus obijt. Iſo magiſter obijt in cœnobio	
	ſancti	

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Regnum Romanorum.

Anni Mundi.		Anni Domini
	sancti Galli.	
	32 Wormatium fulminis ictu crematur. Grimaldus abbas obijt, cui Hartmutus succeſſit.	
	33 IOANNES VIII, papa CIX, annis 10.	
	34 Ratolphus Veronenſis Epiſcopus obijt.	
	35 Ludouicus imperator obijt, & Carolus rex Galliarum Romã peruenit.	
	Ludouicus rex Germaniæ obijt v Calend. Septem.	
	Bellum in Ribuaria inter Ludouicũ & Carolum cõmittitur.	
	CAROLVS V, iunior filius Ludouici, cum fratribus Carlomanno & Ludouico, annis 11.	
	1	
	2 Carolus Galliarum rex obijt. Papa Ioannes in Franciam venit.	
	3 Ludouicus Balbus filius Caroli obijt. Eclipſis Solis facta eſt.	
	4 Ludouicus viuente fratre ſuo Carlomanno Baioariam ingreditur, & Carlomannus moritur.	880
	5 Carolus iunior cum vxore ſua Richgarta imperiali benedictione ſublimatur.	
	6 Ludouicus rex Francorum Caroli imperatoris frater obijt.	
	7 Petitione Hartmuti Bernardus abbas efficitur,	
	MARINVS papa CX, anno 1, menſ. 4.	
	8 ADRIANVS III papa CXI, an. 1. menſ. 6.	
	9	
	10 STEPHANVS V, papa CXII, ſedit an. 6, diebus 13.	
	11 Carolus imperator regno priuatur.	
	ARNOLPHVS VI annis 12, filius Carlomanni.	
	1 Carolus iunior obijt.	
	2 Luitpertus archiepiſcopus obijt: pro quo Sinderoldus. Arnolphus rex exercitum Normannorum prorſus deleuit.	890
	Solomon abbas in cœnobio ſancti Galli efficitur.	
	4 Ratiſpona Baioariæ vrbs incendio flagrat. Sinderoldus à Normannis occiditur: pro quo Harto. Solomon Conſtantienſis epiſcopus ordinatur.	
	5 FORMOSVS papa CXIII, an. 4, menſ. 7, diebus 18.	
	6	
	7 Arnolphus Italiam Burgundiamq; ſuo regno ſubijcit.	
	8	
4850	9 Arnolphus rex Romam veniens imperator efficitur.	
	Magna fames homines ſe inuicem comedere perſuaſit.	
	10 Poſt Bonifacium VI, papam CXIV, decimo quinto die necatum, STEPHANVS VI, papa CXV, anno 1, menſe 1, diebus 19.	
	11 ROMANVS papa CXVI, menſ. 4, diebus 20.	
	THEODORVS II, CXVII, diebus 20.	
	12 Arnolpus imperator moritur. Gentes Pannonicæ quas Hungaros dicimus depopulantur.	
	IOANNES IX, papa CXVIII, annis 2.	
	LVDOVICVS VII, filius Arnolphi, admodum puer annis 12 regnauit.	
	1 Hungari Baioariam ingrediuntur, & plus quam mille ex eis occiduntur. Zundebaldus rex filius Arnolphi occiditur.	900
	2 Hungari Carentaniam inuadunt, & in ſabbatho commiſſa pugna occiduntur.	
	CHRISTOPHORVS papa CXIX, menſ. 6.	
	Eodem anno Moimarius & Iſauricus cum rege pacificantur.	

CHRIPTO
RERVM
Tomus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Regnum Romanorum.

Anni Mundi. | *Anni Domini*

3 Hungari à Marijs occiduntur. Beringerus, Riginoltus, & Ger-
4 ardus Germani fratres occiduntur. BENEDICTVS IV papa CXX,
5 annis 4, menſ. 6, diebus 34.
6
7 Pugna inter Adelbertum & Conradum committitur, in quâ Conradus occiditur. SERGIVS III papa CXXI, annis 7, menſibus 3, diebus 23.
8 Adelbertus perfidia Hattonis Archiepiſcopi & cuiuſdã Luidbaldi deceptus, Ludouico iubente decollatur. 10
Baioarij ab Hungaris interficiuntur.
9 Hungari Saxoniam & Thuringiam vaſtant.
Luidpaldus occiditur.
10 Hungari Alemanniam petunt. Bellum Francorum cum Hungaris. Adelbero venerabilis Auguſtenſis Epiſcopus
11 obijt. 910
12 Ludouicus rex moritur, & Burchardus dux occiditur.
CONRADVS VIII filius Conradi in regnum eleuatus regnauit annis 7.
1 Hungari à Baioarijs & Alemannis iuxta fluuium Inum occi- 20
duntur. Magiſter Nockerus obijt. Opertus Epiſcopus occiditur. Cometæ videntur. Rudolphus rex obijt.
2 Hungari Alemanniam depopulantur. Hatto archiepiſcopus moritur, Herigerus ſucceſſit.
ANASTASIVS II papa CXXII, annis 2, menſe vno, diebus 22.
3 Solomon Epiſcopus captus eſt.
4 LANDO CXXIII papa menſ. 4, diebus 22.
LEO VI papa CXXIV, menſe vno, diebus 26.
IOANNES X papa CXXV, annis 14, menſ. 2, diebus 7. 30
5 Hungari totam Alemanniam igne & gladio vaſtant.
Wiborada incluſa eſt.
6 Erchangerus dux & Bertholdus Germani fratres decollantur XII Calend. Februarias.
BASILEA ab Hungaris deſtruitur.
7 Hungari per Alemanniam, Alſatiam & regnum Lotharij inuadunt. Burchardus dux conſtituitur.
Conradus rex moritur. In hoc defecit progenies Caroli.
HENRICVS IX Comes, rex efficitur, regnans annis 8. 40
1 Solomon Epiſcopus obijt. Burchardus dux Alemanniæ Rodolphum regem apud Winterturum pugna vicit.
2 Carolus rex Galliæ in Franciam venit. 920
Rachilta incluſa eſt.
3 Hermannus abbas efficitur in cœnobio ſancti Galli.
4
5 Sanguis Domini in Augiam inſulam defertur.
6 Engelbertus abbas efficitur in cœnobio ſancti Galli.
Sanctus Vdalricus Auguſtenſis Epiſcopus ordinatur.
7 Wiborada ab Hungaris martyrizata eſt. 50
8 Hungari totam Franciam, Alſatiam, atq; Alemanniam gladio & igne vaſtant. Burchardus dux occiditur.
Hermanno Alemannia committitur.
9 Herigerus Archiepiſcopus obijt, pro quo Hiltibertus.
10
11 STEPHANVS VII papa CXXVI, an. 2, menſe vno, diebus 12.
12 Hen-

Anni mundi.	Regnum Romanorum.	Anni Domini.
	12 Henricus rex Boemiam petit.	
	13 Henricus regem Abroditarum & Nortmannorum Christianum effecit. IOANNES XI, papa CCXVII, annis 4, mensibus 10.	
	14 Henricus Hungaros in Suirbia interfecit.	
	15 Thieto abbas efficitur in cœnobio sancti Galli.	
	16 Notingus Constantiēsis Episcopus obiit, pro quo Conradus.	
	17 LEO VII, papa CXXVIII, annis 3, mensibus 6.	
	18 Henricus rex obiit.	
	OTHO MAGNVS X, Henrici filius, annis 37.	
	1 Hungari Franciam, Alemanniam, Galliam, vsq; Oceanum & Burgundiam deuastantes, per Italiam redierunt. Monasteria sancti Galli & sancti Bonifacii cremantur. Arnolphus Noricorum dux, & Rodolphus rex obierunt.	
	2 Henricus frater Othonis ab Eberhardo comprehensus est.	
	STEPHANVS VIII, papa CXXIX, annis 3, mensibus 4.	
	3 Giselbertus & Adelbertus occisi, & Episcopi in fugam lapsi sunt.	
	4 Hyems valida, & mortalitas animalium facta. Otho rex Gal-	940
	5 lias petit.	
	6 Otho rex & Ludouicus pacificantur. Cometæ 12 noctes apparent, & mortalitas animalium facta est.	
	MARINVS II, papa CXXX, annis 3, mensibus 2.	
	7 Hungari cum Baioariis pugnant & vincuntur.	
	8 Terræmotus factus est XVI calendas Maias.	
	9 Otho rex Galliam intrauit. AGAPETVS II, papa CXXXI annis 9, mensibus 7, diebus 23.	
4900	10 Rachilta inclusa obiit.	
	11 Bertholphus Baioariorum dux obiit, cui Henricus Othonis frater successit.	
	12 Herimannus Alemannorum dux obiit, pro quo Liutholphus Othonis filius regnauit. Synodus XXX Episcoporum apud Engelinheim coram Othone & Ludouico regibus congregatur. Lindaugia concremata est.	
	13	
	14 Otho rex Italiam petit, eamque sibi subiecit, & Beringerum regem expulit.	950
	15 Beringerus apud Augustam in conuentu Othonis ad deditionem venit. Ignitus lapis quasi massa cādentis ferri ab Occidente volitans venit, & draco visus est.	
	Synodus XXV Episcoporum apud Augustam Vindelicam coram Othone rege colligitur.	
	16 Otho rex vna cum filio Italiam intrat, ac nuptiæ regales Papiæ factæ sunt.	
	17 Liutholphus dux Othoni patri suo rebellat.	
	Adelbertus comes occiditur.	
	18 Hungari Noricam, Franciam, Italiamque petunt.	
	Fridericus Mogontiensis archiepiscopus obiit.	
	19 Hungari totam Baioariam depopulantes, iuxta Augustam Alemanniæ vrbem, Deo iuuante, ab Othone rege pugna victi, immensa cæde necantur. IV idus Augusti Henricus dux Baioariæ obiit. IOANNES XII, papa CXXXII, annis 8, mensibus 4.	
	20 Lutolphus dux hostiliter Italiam inuasit.	

Regnum Romanorum.

Anni mundi / *Anni Domini*

21 Lutolphus dux Adalbertum bello vicit, & ipſe eodem Anno moritur, pro quo Burchardus.

22 Cruces in veſtibus apparuerunt. Alauicus abbas obiit, cui

23 ſucceſſit Eggehardus.

24 960

25 Signum in Sole apparuit. Otho rex Romam veniens imperator efficitur.

26 Otho rex ab Octauiano Ioanne papa imperator ordinatur.

27 Otho imperator Natalem Domini Papiæ moratur. 10

Fugato Ioanne, LEO VIII, papa CXXXIII ordinatus, & poſt vnum annum expulſus, atque ab imperatore reſtitutus, ſedit annis 16, menſibus 3.

28 Item Otho imperator Natalem Domini Romæ moratur.

29 Otho imperator de Italia redit, & Burchardus dux in Italia

30 rebelles Cæſari vicit.

31

32 Eclipſis Solis XI Calendas Decembres.

33

34 970 10

35 Signum quoddam ignei coloris in cœlo apparuit.

36 Eggehardo abbati Rutmannus ſucceſſit. Synodus apud Ingelinheim, propter Adalberonem ſancti Vdalrici nepotem colligitur.

37 Sanctus Vdalricus Auguſtenſis Epiſcopus anno 83, Epiſcopatus vero quinquageſimo, IV nonas Iulias feria VI migrauit ad Dominum. Eodem quoque anno, ſed prius Otho imperator nonis Maiis ſubitanea morte apud Parthenopolim obiit & ſepelitur. Burchardus dux obiit, pro quo Otho Liutolphi filius regnauit.

OTHO XI ſecundus, Othonis Magni filius, regnauit annis 9. 30

1 Conradus Epiſcopus obiit VI Calendas Decembres, pro quo Gaminolphus.

2 Diſſenſio inter Othonem imperatorem & Henricum ducem Baioariæ oritur. Hymno abbas efficitur ad ſanctum Gal-

3 lum.

4 Henricus & æquiuocus eius duces, & Henricus Auguſtenſis Epiſcopus capti ſunt, & in exilium miſſi.

Otho imperator contra Lotharium regem Gallias inuadit. 40

5 Gaminolphus Epiſcopus obiit, pro quo Gebehardus.

BENEDICTVS V, papa CXXXIV, dies 2. 980

6 IOANNES VIII, papa CXXXV, annis 7.

7 Otho imperator Neapolim venit.

8 Otho imperator apud Calabriam, occiſo à Græcis & Sarracenis exercitu, de naui exiliens natando aufugit.

Otho dux obiit.

9 Otho imperator Romæ VI idus Decembres moritur, & ibi ſepelitur. 50

OTHO XII, tertius, Othonis ſecundi filius, admodum puer,

1 annos 18.

2 Rudmannus Augienſis abbas obiit, cui Witegouo ſucceſſit.

3 BENEDICTVS VI, papa CXXXVI, poſt primum annum à Creſcentio relegatus & ſtrangulatus eſt.

4 Fames facta eſt magna. BONIFACIO CXXXVII papa, poſt primum menſem fugato, BENEDICTVS VII, papa CXXXVIII,

Anni mundi | *Anni Domini*

Regnum Romanorum.

cxxxviii, sedit mensibus 9.

5 Ioannes xiv, papa cxxxix, qui & Petrus, Papiæ Episcopus, post 8 menses à Bonifacio reuerso comprehensus & necatus est.

6 Bonifacius vii, papa cxl, interiit: & Ioannes xv, papa cxli, successit.

7 Theophana Græca imperatrix, mater Othonis regis, nono anno viduitatis obiit. Eaillanus Scotus obiit. Vdalricus 990

8 abbas, & Eggehardus magister in cœnobio sancti Galli

9 obiit.

10

11 Conrado rege Burgundiæ mortuo, Rodolphus filius eius Ignauus successit.

12 Gebehardus Constantiensis Episcopus obiit, pro quo Lam- 4950
pertus. Henricus dux Baioariæ, filius Henrici ducis obiit.

13

14 Conradus dux obiit, pro quo Herimannus. Witegouo obiit, Aleuicus successit. Bruno, qui & Gregorius v, papa cxlii, Romæ ordinatus, sedit annis 2, mensibus 9, & Otho

15 imperator efficitur.

16 Gerbertvs, qui & Syluester ii, papa cxliii, ann. 5.

17 Aleuicus abbas Episcopus Argentinæ promouetur, & Werinherus abbas efficitur. 1000

18 Otho imperator in Italia x Calendas Februarias obiit, & intestina eius Augustæ, reliquum corpus Aquisgrani sepelitur. Gerhardus abbas obiit, Burchardus successit ad sanctum Gallum. 1001

Henricvs xiii, dux Baioariæ rex efficitur, regnans annis 13,

1 mensibus 5. 1002

2 Henricus rex Henricum marchionem & alios sibi resistentes cum exercitu petit. 1003

3 Henricus rex Italiam & Boemiam, & Bolizlaum ducem Sclauorum cum prima gente sua subiugauit. Herimannus dux obiit, pro quo filius eius puer Herimannus. 1004

4 Fames magna facta est. Ioannes xvi, papa cxliv, anno vno. 1005

5 Werinherus abbas obiit, pro quo Hymno monasterii destructor & fratrum expulsor, constituitur. Ioannes xvii, qui & Phasanus, papa cxlv ordinatur. 1006

6 Episcopatus Babenbergensis ab Henrico rege constituitur, & Eberhardus ibi Episcopus ordinatur. 1007

7 Bernhardus Augiæ abbas vir doctissimus ordinatur, locum eundem pene destructum recollectis fratribus recreat. Liutolphus Treuirensis archiepiscopus obiit, & Episcopatum eius Adalbero frater reginæ sibi vsurpare, quibusdam contra regem fauentibus, molitur: sed à rege conuicti, Megingaudo 1008

8 Episcopatum reliquerunt. 1009

9 Wolueradus comes obiit 4 nonas Martias. 1010

10 Willigisus Moguntinensis archiepiscopus obiit, pro quo Erchanbandus. & Theodericus dux à Lothariis captus est. 1011

11 Conradus dux filius Othonis obiit. Herimannus dux iunior obiit. 1012

12 Sergio iv papa mortuo, Benedictvs viii, papa cxlvi, sedit annis 11, diebus 12. 1013

Regnum Romanorum.

Anni mundi.		*Anni Domini*
	13 Henricus rex Romæ imperiali benedictione coronatur à Benedicto papa.	1014
	14 Ernustus dux in venatu ab Adalberone comite sagitta occiditur, & Megingaudus Treuirorum archiepiscopus obiit, pro	1015
	15 quo Popo.	1016
	16 Conradus dux Gerhardum vicit.	1017
	17 Lampertus Episcopus obiit, pro quo Ruthardus.	1018
	18 Conradus puer, auxiliante patruele suo Conrado postea imperator Adalberonem ducem pugna vincens fugauit: & Benedictus papa Babenbergam veniens Ecclesiam sancti Stephani dedicauit.	1019
	19 Werinhatius Argentinæ Episcopus cum Alemannis contra Burgundiones pugnauit & vicit.	1020
	20 Terræmotus magnus factus est 4 idus Maias, feria VI. Herebertus Colonienſis archiepiscopus obiit, pro quo Piligrinus.	1021
	21 Henricus imperator nouam Troiam cepit, & magna in exercitu mortalitas facta est. Ruthardus Episcopus obiit, pro quo Heimo. Notgerus obiit.	1022
	22 Gebehardus Ratisponenſis Episcopus obiit, pro quo item Gebehardus.	1023
	23 Henricus imperator III idus Iulias obiit, & in Babenbergenſi Episcopatu à se facto, in monasterio sancti Petri sepelitur. Benedictus papa obiit. IOANNES XVIII, papa CXLVII, annos 9.	1024
	CONRADVS XXIV, annos fere 15 regnauit.	
	1 Magna dissensio in regno contra Conradum regem efficitur.	1025
	2 Conradus rex filium suum Henricum regem fecit, & ipse Romam pergens imperator efficitur. Heimo Episcopus obiit, pro quo Warmannus. Bruno Augustenſis Episcopus, &	1026
	3 Welfus comes prædas & incendia inter se faciunt.	1027
	4 Ernustus dux & Vestus comes Cõrado imperatori ad dedicationem veniunt.	1028
	5 Bruno Augustenſis Episcopus obiit, pro quo Eberhardus.	1029
	6 Conradus imperator Stephanum Pannoniæ regem cum exercitu petit, & interea in Alemãnia dux & Werinherus comes cum aliis multis occiduntur, XVI Calend. Septembris.	1030
	7 Stephanus Rex missis legatis cum imperatore Conrado pacificatus est.	1031
	8 Rodolphus rex Burgundiæ moriens, diadema suum Conrado misit.	1032
	9 Conradus hyeme Burgundiam petit. Eclipsis Solis III Calendas Iulias quasi hora sexta. Conradus occidentalem Franciam contra Othonem petit. BENEDICTVS IX, papa CXLVIII, qui & Theophylactus, seditan. 12, mens. 8.	1033
	10 Conradus item Burgundiam vastat. Pagani Saxoniæ confinia petunt. Warmannus Episcopus obiit, pro quo Eberhardus. Conradus ex castro suo Limpurgo inter Nemetes & Vangiones sito monasterium fecit, quod in honorem sanctæ Crucis, & diui Ioannis Euangelistæ dedicari iussit.	1034
	11. Pagani qui Luitici dicuntur, Virbinam castellum in confinio Saxoniæ, multis Christianis occisis & captis, obtinent, quos Conradus imperator cum exercitu petit.	1035
4950	12 Italia ciuium discordia laborat. Gebehardus Ratisponenſis Episcopus obiit, pro quo item Gebehardus.	1036

Nuptiæ

Anni mundi.

Regnum Romanorum.

Anni Domini

Nuptiæ Henrici. Pagani supra dicti Conrado imperatori vectigales facti.

Piligrinus Agrippensis archiepiscopus obiit, pro quo Herimannus.

13 Conradus imperator Italiam cum exercitu petit: & Mediolanensem archiepiscopum in custodiam misit, qui fuga lapsus cum multis aliis eidem imperatori rebellat. 1037

Otho princeps Carlingorum à Gozzelone duce pugna victus, fugiensque à quodam milite occiditur.

14 Eliphdruda, quæ & Cunegundis, regina vxor Henrici regis, xv Calendas Augusti, & Herimannus dux v Calendas Augusti, in Italia cum multis aliis obierunt. 1038

Stephanus Hungarorum rex bonæ memoriæ obiit, qui seipsum cum tota gente sua ad fidem Christi ex gentili errore conuertit, pro quo Petrus regnauit.

15 Conradus imperator 11 nonas Iunii obiit, & apud vrbem quæ Spira vocatur, sepelitur. 1039

Conradus dux, & Adalbero dux obierunt.

Eclipsis Solis x1 Calendas Septembris.

Reginbaldus Spirensis Episcopus 111 idus Octobris bonæ memoriæ obiit.

HENRICVS XV, filius Conradi, annis 17, mensibus 7.

Henricus rex Boemiæ ducem bello petit, sed multis proceribus & militibus in præstructione syluæ citra & vltra occisis vel captis, nihil dignum efficere potuit. Petrus quoque Hungarorum rex eidem duci contra Henricum regem auxilia mittit. 1040

Hungari quendam Ouonem regem sibi eligentes, Petrum regem suum expellunt. Qui profugus & exul, Henrici regis, cui priori anno rebellauerat, gratiam quærit & inuenit. Henricus rex Boemiam cum exercitu ingressus, igne prædaque cuncta deuastat, & rebellem ducem obsides dare, & ipsum post se Ratisponam ad deditionem humiliter venire, sibique iureiurando fidelitatem seruitiumque confirmare, coartat. 1041

Ouo rex Hungarorum ob susceptum ab Henrico rege Petrum à se expulsum, fines Baioariæ prædis & incendiis depopulatur. Sed magna pars exercitus eius, quæ à septentrionali Danubii parte prædas factura venerat, ab Adalberto marchione inita pugna penitus deleta est. 1042

Henricus quoque rex sui vlturus iniuriam, Pannoniam cum exercitu in autumno ingressus, magnam prouinciæ partē vastauit, duas populosissimas ciuitates euertit, plures deditione subiecit. Sed cum Petrum regem suum quem secum ducebat, nulla ratione Prouinciales recipere consentirent, alium quendam quem petebant, ducem eis constituit: quem tamē statim post discessum eius Ouo rex de prouincia sua in Boemiam depulit. Poppo Aquileiæ patriarcha obiit, pro quo Eberhardus.

Gisla imperatrix, mater Henrici regis, xvi Calendas Martias obiit, & apud vrbem Spiram sepelitur. Totum tempus æstiuum in tempestates pluuiasque hyemales pene conuersum, magnam frugum & vindemiarum penuriam effecit. Henricus rex iterum Pannonias cum exercitu petens, satisfactionem, obsides, munera, pacis per iusiurandum confirmationem, Hungaris vix impetrantibus, accipiens discessit. Qui inde reuersus Constantiensi synodo affuit: vbi primo cunctis sibi aliquid debentibus omne dimisit debitum, deinde omnes Sueuiæ principes, memoresque personas cunctis inimicitiis destructis pacificari fecit, & pacem hactenus inauditam, tam in hac, quam in aliis regni sui prouinciis, regia censura per edictum confirmauit. 1043

Anni Domini

Deinde Agnetem Wilhelmi Pictauiensis principis filiam, reginam apud Moguntiam vrbem vngi faciens, regalibus sibi nuptiis eam apud Ingelenheim villam regalem copulauit. Vnde infinitam histrionum & ioculatorum multitudinem ad laudis suæ cumulum, vacuam & inanem sine cibo & muneribus mœrentem abire permisit. Liutpaldus marchio, Adalberti marchionis filius, bonæ indolis iuuenis, & maxima Hungarorum clades immature obiit.

1044 Maxima pestis pecudum, & hyems satis dura & niuosa magnam vinearum partem frigore perdidit, & frugum sterilitas famem non modicam effecit. Gozzilo dux Lotharienſium moriens Gozziloni filio, quamuis ignauo, ducatum suum à rege Henrico promissum relinquere dispossuit. Sed alter filius eius Gotefridus iam dudum dux, cum ducatum fratri debitum contra fas à rege sibi obtinere nequiuisset, iusiurandum fidemque postponens rebellare pio regi præsumpsit.

Quo rex cum iusiurandum pactumque infregisset, Henricus rex cum perpaucis copiis Pannonias petiit: quem Quo, qui maximum parauerat exercitum, in tantum despexit, vt eum quasi facile occidendum seu capiendum, prouinciam ingredi sineret. Sed Henricus cum parte copiarum Rabam fluuium festine in diuino confisus auxilio transuadauit, pugnam cunctis militibus passim festinantibus iniit, & in prima congregatione innumerabilem Hungarorum exercitum fugauit atque prostrauit: & paucissimis suorum amissis, in semet fortissime pugnans glorioſissimam victoriam adeptus est, III nonas Iulias. Et Quone rege vix fuga elapso, omnes Hungari ad deditionem Henrico regi cateruatim concurrerunt, subiectionem seruitiumque promittunt. Ipse vero vt erat per omnia piissimus, Petrum regem dudum expulsum regno suo restituit, Hungaros petentes lege Baioarica donauit, ipseque cum triumpho in regnum suum rediit. Nec multo post idem Quo à Petro rege comprehensus, scelerum suorum pœnas capite plexus persoluit.

Eodem Anno Ludouicus comes Reginoldum principem, reginæ Agnetis auunculum, sed regi Henrico inimicum, dum quoddam castellum eius quod Monspeligardæ dicitur, magna cum manu expugnare pararet, cum parua militum suorum copia pugnam iniens vicit, multisque cæsis reliquos fugauit.

Romani Benedictum XI. papam multis criminatum sede sua pellunt, & Syluestrum III quendam in locum suum statuunt: quem tamen postea Benedictus, quibusdam sibi fauentibus, excommunicatum depulit, sediq; suæ redditus seipsum postea priuauit, & alium pro se ob auaritiam contra canones ordinauit. Herebertus Mediolani Episcopus obiit. Beggelenheim castellum Gotefridi à rege captum.

Reginoldus & Geroldus Burgundiones regi apud Solodoram ad deditionem venerunt. Otho Palatinus comes, paschali hebdomada dux Alemanniæ apud Goslare à rege constituitur. Petrus rex Henricum regem in
1045 festiuitate Pentecostes ad se inuitatum magno paratu suscepit, & maximis muneribus donauit, eique regnum Pannoniarum, principibus Hungarorum fidelitatem illi & successoribus eius iuramento firmantibus, reddidit. Quod tamen ab eo ipse dum viueret possidendum recepit. In quo videlicet itinere rex quoddam vetus solarium ascendens cum multis aliis ædificio cadente corruit, ipsoque Deo protegente illæso, Bruno Wirciburgensis Episcopus lethaliter cum aliis collapsus post vnam hebdomadam, id est VII Calendas Iunias, obiit, & ad sedem suam reportatus, ibique sepultus, Adelberonem successorem suscepit.

Gotefridus dux rebellioni suæ desperans, regique ad deditionem veniens in custodiam mittitur. Wido Mediolani Episcopus constituitur. Sclaui qui & Liutici dicuntur, Saxoniæ terminos inquietantes, regi illò cum copiis militum

militum venienti se tradunt, & solitum censum promittunt. Autumnali tempore Guntharius eremita ad Christum migrauit, & in Praga Boëmiæ vrbe sepultus. *Anni Domini.*

Per idem tempus regale colloquium apud Tribura condictum grauis regis infirmitas præpediuit. Quo etiam tempore Agnes regina filiam regi peperit. Rex Natalem Domini in Saxonia apud Goslare celebrauit. Magna mortalitas multos passim extinxit. Eggehardus marchio ditissimus subito moriens, prædiorum suorum regem reliquit hæredem. Rex Paschale festum apud Traiectum Fresiæ vrbem egit, & subsecutis diebus nauali expeditione in Phladirtingam fretum traiiciens, pagum quendam, quem Theodoricus marchio sibi vsurpauerat, ab eo eripuit: Vnde idem postea rebellionis causam sumpsit. Sanctum autem Pentecostes Aquisgrani faciens, Gotefrido duce è custodia relaxato, sibique procedenti terratenus prostrato, ducatum suum misertus reddidit. Quibus etiam diebus Widgerum, qui Rauennæ præsulatum iam biennio inepte & crudeliter nondum consecratus tenebat, ad se vocatum episcopatu priuauit. 1046

Sequente tempore rex in Italiam expeditionem parat. Fridericus frater Henrici ducis Baioariæ, dux Lotharingorum pro Gotefridi fratre ignauo Gozzilone constituitur. Subsecuto autumno Hungari pristinæ perfidiæ suæ memores, Andream quendam Regem sibi statuunt, Petrum regem, multis aduenarum, qui pro eo pugnauerant, occisis, variis cum coniuge sua iniuriis affectum postremo oculis priuant, & in quendam locum cum eadem coniuge sua alendum deputant, multis etiam per idem tempus peregrinis inibi expoliatis, exulatis atque necatis.

Quo comperto rex Heinricus, qui iam valido exercitu congregato in Italiam iter cœperat, nimis indoluit, sed tamen cœptam expeditionem non deseruit. Itaque coadunato exercitu Papiæ synodum celebrauit. Inde Placentiam veniens Gratianum c i, quem expulsis prioribus Romani papam statuerant, ad se venientem honorifice suscepit: sicque cunctis prospere cedentibus iuxta Natalem Domini non longe ab vrbe Roma apud Sutriam, synodo item acta, causaque erroneorum pontificum diligentius ventilata, Gratianum papam conuictum baculo pastorali priuauit. Dein omnium tam Romanorum quam aliorum consensu Suidegerum episcopum, qui post Eberhardum primum secundus Babinbergensem sexto iam anno regebat Ecclesiam, nimium reluctantem summum Romanæ Ecclesiæ elegit pontificem: sicque circa vigilias Natalis Domini ipsam ingrediuntur vrbem. Eadem nocte bonæ memoriæ Eberhardus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus inibi in porticu sancti Petri sepeliendus, obijt xiii episcopatus sui anno.

In ipsa Natalis Domini die præfatus Suidegerus, natione Saxo, Apostolicæ sedi c x i papa ex more consecratus, & nomine auctus, Clemens ii vocatus est. Qui mox ipsa die Henricum regem, & coniugem eius Agnetem imperiali benedictione sublimauit: peractisque Missarum solenniis, ipse Dominus papa & imperator cum imperatrice, ita vt erat coronatus, ad Lateranense palatium cum ingenti gloria proficiscuntur, cunctis ciuibus Romanis mirantibus, honoremque singulis quibusque pro facultate obiter impendentibus. Completisque Romæ cum summa pace aliquot diebus, imperator magnam exercitus partem patriam redire permittens, ipse cum reliquo ad vlteriora contendit. Circa idem tempus imperator præsules nonnullos constituit: inter quos Rauennati ecclesiæ Hunfridum cancellarium suum in Italia; Constantiensi Theodericum, per alias prouincias cancellarium suum & archicapellanum, & Aquisgrani præpositum; Argentinæ Herrandum, Spiræ præpositum, pro Villihelmo autumnali tempore de- 1047

Anni Domini

functo: Viridunensi Theodoricum, Basileæ præpositum & capellanum suum pontifices præfecit. Imperator vero Roma egressus, nonnulla castella sibi rebellantia cepit prouincias illas prout videbatur disposuit, duces Nordmannis qui in illis partibus commorantur, & alijs eo loco vrbibus constituit. Sed socru imperatoris de monte Gargano Beneuentum reuersa, orto tumultu Beneuentani ciues quibusdam eam iniurijs afficiunt. Vnde sæuam ab imperatore vindictam metuentes, eique se subdere non præsumentes, rebellionem ineunt. Sed imperator qui magna, vt dictum est, ex parte exercitum iam remiserat, & ad aliam occupato animo patriam tendebat, tentam tunc temporis ciuitatem expugnatum aggredi distulit, interimque eo infecto negotio, sed alias vniuersa Italia parente pacataque, redire disposuit. Interea imperatrix Agnes, quæ Romæ ab imperatore digressa fuerat, in Rauennati territorio filiam peperit. Imperator vero cœpto redeundi itinere Mantuæ paschale festum in grauissima decumbens ægritudine commoratur. Postea cõualescens corpus beati Widonis Pomposæ monasterij abbatis, in magna sanctitate ante non integrum annum defuncti plurimis glorificatum miraculis, de Parmensi vbi sepultum fuit ciuitate, ad vrbem Spiram transferendum magno secum cum honore de Italia rediens deuexit. In quo itinere Augustam Vindelicam in litanijs ante Ascensionem domini veniens, Gebehardo vrbis eiusdem Episcopo in aduentu eius defuncto, Henricum capellanum suum successorem constituit. Actoque inibi eodem festo, Pentecostes solennia Spiræ celebrauit: ibique colloquium cum regni principibus habuit, & corpus præfati abbatis in incepta quadam extra vrbem basilica tumulari fecit. Quo tempore Welfum comitem Sueuigenam Welfi dudum comitis filium Carentani ducem promouit. Auunculum quoque eius Adalberonem ducem videlicet Henrici & Frederici fratrem, Metensis Ecclesiæ Episcopum, post Theodoricum nuper defunctum constituit. Item Poppone archiepiscopo his diebus defuncto, Treuerensi vrbi Eberhardum Wormatiæ præpositum archipræsulem præfecit. Per idem tempus cum expeditionem in Pannonias ad Petrum vlciscendum disponeret, Gotefridus dux cum Balduino de Flandris, & alijs nonnullis rebellionem inchoasse, bellumque copijs collectis parauisse: Theodericus quoque de Phladirtinga marchio rebellauisse, & episcopatus sibi contiguos ad iniuriam imperatoris populatus esse nunciatur. Præterea Andreas qui regnum Petri obtinuit, iam crebro legatos supplices miserat, regnum se ab Hungaris coactum suscepisse confirmans, de Petri sese iniurijs excusans: quique aduersus eum coniurauerant, partim à se trucidatos, partim imperatori tradendos denuncians, suamque imperatori subiectionem, annuum censum, & deuotam seruitutem, si regnum se habere permitteret, mandans. Quibus ex causis dilata expeditione illa, cum Gotefridus quoque dux rebellionem suam callidis legationibus dissimularet, autumnal. tempore nauali exercitu collecto contra Theodericum in Phladirtingã arma commouit. Interea Otho Sueuorum dux, qui prouinciam sibi traditam pie ac strenue tertio iam anno regebat, immaturo obitu diem clausit extremum. In ipsis quoque diebus Henricus Baioariæ dux defunctus Treuiris sepelitur. Clemens etiam, qui & Suidegerus, papa in Romanis partibus nono mense promotionis suæ diem obiens, ad episcopatum suum Babinbergum reportatus tumulatur. Imperator expeditione in Phladirtingam traiecta, aquosis impedientibus locis parum proficere potuit, & reuertens aduersarijs marino cursu leuibus scaphis latrocinantium more sequentibus, & extremos quosque incursando cædentibus, non modicam in exercitu eadem pertulit.

Ipso quoque tempore Gotefridus inter alia quæ contra regem gessit, Viridunensem ciuitatem dolo captam incendit & euertit.

Impera-

Anni Domini 1048

Imperator Natalem Domini in Saxonia moratus confestim per Wurciburgum in Alemanniam venit, & Vlmæ colloquium habens Ottonem de Suinfurto marchionem Sueuis ducem constituit: indeq; in Baioariam veniens Quadragesimale & Paschale tempus exegit. Eadem Quadragesima sanguis, vt creditur, Domini apud vrbem Mantuam diuina per quendam cæcum reuelatione inuenitur, & plurimis miraculis declaratur. Imperator Ratispona, vbi Pascha cum Otthone & Brecizlao ducibus & multis alijs principibus egit, digressus Alemanniam repetit, & Augiam nostram ingressus VIII Calendas Maias, nouam sancti Marci Euangelistæ patroni nostri basilicam, à domino Bernhardo abbate constructam, se præsente à Theodorico Constantiensi Episcopo dedicari fecit, & eiusdem sancti festo in litania maiore apud nos acto, Ascensionem Domini Turegi, Pentecosten autem Solodori celebrauit: Habitoque ibi cum Burgundionibus colloquio per Franciam Orientalem in Saxoniam remeauit. Per idem tempus Dominus Bernhardus abbas Augiæ, vir doctrina & moribus insignis, anno promotionis suæ quadragesimo, in senectute bona morbo confectus VII Idus Iunias diem vltimum clausit, & in basilica sancti Marci sepultus quiescit: in cuius locum Vdalricus decanus à fratribus electus, abbas ab imperatore constituitur. Defuncto quoque viro docto Vattone Leodij pontifice, Dietuinus successit.

Sequente Iulio Poppo Brixensis Episcopus ab imperatore electus Romam mittitur, & honorifice susceptus Apostolicę sedis CLII papa ordinatus, mutato nomine Damasus II vocatur. Sed paucis diebus exactis defunctus, ad sanctam Laurentiam extra vrbem sepultus est. Autumnali tempore Henric⁹ imperator, & Henricus Galliarum rex in Metensi territorio conuenientes pacem pactumque inter se iuramento confirmant. His diebus terræmotus magnus factus est nocte, III Idus Octobres. Ipsis item diebus Agnes imperatrix filiam imperatori peperit. Eodem etiam tempore Gotefridus Adelbertum ducem se deprædantem persecutus, & dimissa multitudine cum paucis inuentũ, cum alijs qui repugnare tentabant occidit. Post quem Gotefridus dux ab imperatore constituitur. Imperator ipsis diebus Argentoratum, & inde prope Natalem Domini Vlmam venit, sicque in Baioariam proficiscitur. Imperator Natalem Domini Frisingiæ, & Purificationem sanctæ Mariæ Ratisponæ agens, Baioariæ ducem Conradum constituit, & circa Quadragesimale tempus inde in Saxoniam recessit. Gotebaldus Nemetensis præpositus Aquileiæ patriarcha post Eberhardum ijs diebus defunctum ab imperatore promouetur. Interea glaciali hyeme suppeditante nonnulli de partibus maritimis milites & principes cum Leodinensi Episcopo, Traiectensi & Metensi congregati, Theodericus in Phladirtinga insidias tendunt, commissaque pugna victum occidunt, & prouinciam illam imperatori subijciunt: quam tamen non multo post Gotefridus occupans, ab eisdem pugna petitus & victus vix aufugit. Per idem tempus Bruno Leucorum Episcopus, ab imperatore electus Romamque missus summo honore suscipitur, & in Quadragesima papa c LIII ordinatus, Leonis noni nomen accepit. Qui in proximo Pascha Vdalricum Augiensis cœnobij prouisorem Romam venientem abbatis benedictione consecrauit, & monasterij eiusdem priuilegia antiquitus à sede Apostolica tradita sua authoritate confirmauit & innouauit, indictione II, VII Calend. April. Idem papa in hebdomada post Albas synodum cum Episcopis Italiæ Romæ celebrauit. Idem in hebdomada Pentecostes aliam synodum Papiæ congregauit, indeq; per montem Iouis cum pluribus Romanorum in Cisalpinas partes deuenit. Exacto etiam tempore Odilo, venerabilis Cluniacensis cœnobij, & multorum pater monasteriorum migrauit ad Dominum.

1049

Secuta æstate cum imperator expeditionem contra Gotefridum & Bal-

1050

Anni Domini

duinum à domino papa excommunicatos pararet, Godefridus tam contra vim imperatoris, quam papæ excommunicationem Aquisgranum venit, & opitulante papa gratiam imperatoris promeruit. Balduinus vero vtrunque contemnens, vastata ab exercitu magna ex parte prouincia sua tandem obsides dedit, & pactum cum imperatore fecit. Autumnali tempore Dominus papa synodum magnam Remis cum Galliarum Episcopis habuit, indeque Mogontiacum veniens, aliam synodum x I prope Episcoporum coram imperatore & regni nostri principib. celebrauit: Et postea Alemanniam adiens, Augiæ festum sancti Clementis, & dominicâ ante Aduentũ Domini v I Cal. Decemb. egit: ac per Augustam Baioariamque transiens, Natalem Domini Veronæ coluit. Imperator verò idem festum in Saxonia mansit. Ipsa hyeme cum Episcopus Ratisponę Gebehardus, qui Campidonensem abbatiam nuper beneficij loco acceperat ab imperatore, in Pannoniarum terminis moraretur, cedentibus Hungaris, fines eorum ingrediens prædas inde abduxit. Sed ipso discedente plurimus Hungarorum exercitus fines nostros inuadẽs plurimam partem captiuauit, incẽdit atque vastauit. Imperator paschale festum apud Traiectum moratur. Dominus papa post Pascha synodum item Romæ collegit, & subsecuto tempore vltra Romam progrediens, nonnullos eo locorum principes & ciuitates tam sibi, quam imperatori iureiurando subiecit, Beneuentanosq; adhuc rebellantes excõmunicauit. Nonnulli etiã exterarum principes gentium, missis ad eum vtpote apostolicum virum legatis, subiectionem ipsi promittunt.

Imperator contra Gazmerum ducem Polonorum rebellionem molientem, expeditionem parat, grauique infirmitate detentus, pacem pactumque eum petentem suscipiens discessit. Gebehardus Ratisponensis Episcopus cum Conrado duce Baioariæ, & Adelberto marchione, alijsque quibusdam episcopis & principibus Baioariæ Heimenburgum reædificant, & magnam Hungarorum copiam se inuadentem prosternunt, & vsque ad innumerabilis exercitus eorum prę sentiam refugientem pẽrsequuntur; cunctisq; agminibus Hungarorum deuictis, immisso terrore terga vertentib. ad castra Deo gratias reddentes rẽuertuntur. Ipso autumno dominus papa synodum Vercellis collegit, & Hunfridum archiepiscopum pro quadam inter Rauennatem & Romanam Ecclesiam contentione ab officio suspendit, indeque Gallias & episcopatum suum Leucorum ciuitatem reuisit: quo etiam tempore Agnes imperatrix tandem imperij filium peperit.

1052 Imperator Natalem Domini in Saxonia apud Goslare egit, & multos ex principibus filio suo iureiurãdo fidem subiectionemq; promittere fecit. Nec multo post ipse & dominus papa cum multis Episcopis & principibus apud Augustam Vindelicam cõuenientes, Purificationem Dei genitricis celebrauerunt, Rauẽnateq; archiepiscopo apud papã imbi reconciliato charitatiue à se inuicem discedẽtes, papa Romam reuertitur: imperator Nemeti partem Quadragesimæ, Paschale verò festum Coloniæ demoratur, ibique filius eius Henricus ab archiepiscopo Herimanno baptizatur. Post Pascha itẽ dominus papa Leo synodum Romæ collegit, vbi inter alia Gregorium Vercellensem episcopum, propter adulterium cum vidua quadã auunculi sui sponsa admissum, & periuria perpetrata, absentem & nescientem excommunicauit: quem tamen non multo post Romam venientem, satisfactionẽ promittentem officio priori restituit. Per idem tempus imperator Lampertum comitẽ rebellare molientem ad deditionem compulit. Eadem æstate Bardo Mogontiacẽsis Archiepiscopus obijt, pro quo imperator Liutbaldum Babinbergensem præpositum constituit. Idem pro Theoderico Constantiensi episcopo, x. cal. Iul. quinto præsulatus sui anno, post longam ægritudinem defuncto, Rumaldum promouit. Rauẽnas quoq; archiepiscopus Hunfridus veneno (vt aiunt) subito perijt. Sequenti autumno magno cum exercitu imperator pactũ Andreæ regis, vt per legatos offerebatur, accipere contẽnens, Pannonias petijt,

Gebehar-

Gebehardoq; Ratiſponenſe Epiſcopo, & Velff, Brezizlaoq; ducibus ad ſeptẽtrionalem Danubij partem depopulandam tranſmiſſis, ipſe deuecto à nauibus quantum in equis poterat ſumptu, longo propter fluuiorum illuuiem circuitu per Carentani fines tranſiens, peruiumq; regnum inuadens, hac & illac Hungarico exercitu latrocinantium more fugitante, & nuſquam æquo marte conferre manum audente, omnia circumquaq;, quoad ſumptus militi ſuppetebant, vaſta reddit. Sed cum laboranti iam penuria & fame exercitui Hungari reditum pararent intercludere, oppoſitiſq; per ripas fluminum præmunitas, vadoſaſq; paludes copijs ſuis, omnes ſe vel ad deditionem cogere, vel inedia minitarentur extinguere, milites interriti hoſtes per fluuios obſiſtentes incunctanter tranſuadentes fugant, quandamq; munitionem firmiſſimam ad pontem Rabiniza fluminibus ſtructam, in qua maximam hoſtis fiduciam habebat, quidam ex Burgundionibus, Saxonibus & Polonis milites non ſine ſui periculo flumine tranſito, in breui expugnatam capiunt, cæſiſq; palatiſq; Hungaris reliquo exercitui viam pandunt. Quæ pertranſeuntibus pene cunctis incenſa, aliquot de poſtremis in magno periculo hoſtibus inſequentibus intercluſit. Sicq; redeũte imperatore, illiſq; quos vltra Danubium tranſmiſerat, rebus proſpere geſtis iamdudum reuerſis, Andreas rex à noſtro marchione Adelberto pacem poſtulatum mittit, eamq; viciſſim tribuit. Ipſis diebus defunctis vno pene in tempore Lindaugienſe & Buochaugienſe Abbatiſſis, Iuota nobilis, prudens & religioſa vidua, vtriq; loco recuperando ab imperatore præficitur. *Anni Domini*

Imperator Natalem Domini Goslarę egit, ibiq; quoſdam hæreticos inter alia praui erroris dogmata Manichæa ſecta omnis eſum animalis execrantes, conſenſu cunctorum, ne hæretica ſcabies latius ſerpens plures inficeret, in patibulis ſuſpendi iuſſit. Eodem tempore v Idus Ianuarij mater mea Hiltrudis, Wolfradi comitis vxor, admodum pia, mitis, liberalis, & religioſa fœmina, marito, ſeptemq; liberis ſuperſtitibus, deuoto & felici, vti hominibus apparere poterat, exitu diem vltimum clauſit, anno ætatis circiter LXI, coniunctionis vero cum marito XLIV, & apud villam Alleshaſan ſub capella ſancti Vdalrici à ſe conſtructa, in ſepulchro quod ipſa ſibi prępararuerat, condita eſt: cui vt pro epitaphio hos ſcriberem verſiculos libuit: 1052

Mater egenorum ſpes auxiliumq; ſuorum,
Hoc Hiltrud tumulo debita reddit humo.
Quæ prępollentes generoſa ſtirpe parentes
Nobilitans claris extulerat ſtudiis:
Atq; colens caſtam reuerenter monogamiam,
Vixit diuinis prona miniſteriis:
Ingq; bona Marthæ ſatagens conſiſtere parte,
Practica quod docuit, vita ſequi ſtuduit.
Veſte, cibo, lingua, pede, totis viſibus ipſa
Se miſeris largam præbuit atque piam.
Religione pios præ cunctis fouit amicos,
Cunctis morigeram ſe dedit & placidam.
Cunctis manens mitis patiens ac neſcia litis,
Complacuit mundo, o vtinamq; Deo.
Carnem caſtigans, precibus loca ſancta frequentans,
Quærere cæleſtem ſedula ſuenit opem.
Crede panegyricis non hæc me fingere vanis,
Nec matrem verbis tollere falſidicis.
Conſule rumorem quaquauerſum popularem,
Dictaq; de veris paucula certa eris.
Hanc quoque poſtremo meracum confeſſio crebra
Purgaſſet, Domino debita corde pio.

Anni Domini

Communita fide, ſpe tuta, vigens pietate,
Felix hanc vitam deſeruit miſeram.
Cum menſis Ianus quintas deuolueret Idus,
Mouit permultas morte ſua lacrymas.
Pro qua quæſo, precor, peto, poſtulo, flagito lector,
Pulſes ſupplicibus vt Dominum precibus:
Quatenus ipſius pietate ſui miſeratus
Abſoluat cunctis mitis eam maculis,
Inq; beatorum felici ſorte ſuorum
Largus ei ſtabilem contribuat requiem.

Sequenti tempore Quadrageſimali imperator Rauennatem archiepiſcopum Henrichum promouit. Et Nizo Friſingenſis Epiſcopus prius ex ſuperbiſſimo vitæ habitu ad humilitatis & religionis ſpeciem conuerſus, ac denuo ad priſtinæ conuerſationis inſolentiam reuerſus, cum eum iuſſu imperatoris Rauennam perduxiſſet, ſubita inibi morte perijt.

Imperator Paſchale feſtum Nemeti egit, indeque (vt aiunt) locum illum patris matriſq; ſuæ ſepultura præditum magis magiſq; paruipendens, ſubiratus, Epiſcopoq; loci illius infenſus diſceſſit. Iiſdem diebus Bonifacius ditiſſimus Italiæ marchio, imo tyrannus, inſidijs à duobus exceptus militibus ſagittiſq; vulneratus & mortuus, Mantuæ ſepelitur. Cum imperator circa litaniarum tempus Solodori colloquium haberet, quidam ex Burgundionibus offenſi inde diſcedunt, ſed non multo poſt aliqui ex illis ad gratiam eius redeunt. Inde ipſe cum Turegi Pentecoſten peregiſſet, in Pannonicam itidem expeditionem proficiſcitur Andreaq; rege Hungarorum minus minuſq; pro pacto pacis poſtulando allegante & promittente, Berzisburg caſtrum obſedit, & varijs belli machinis diu oppugnatum, Deo obſeſſis ſe anxie inuocantibus opitulante, fruſtratis ſemper nixibus, nullo modo capere potuit. Interim Dominus Leo papa ab Andrea accitus, cum pro pace componenda interueniſſet, imperatorem ab obſidione auocauit, eumq; ſibi per omnia conſentaneum inueniens, ſed econtra Andream conſilijs ſuis minus parentem experiens; offenſus, eiq; excommunicationem vtpote deluſa ſede Apoſtolica minitans, cum imperatore diſceſſit, & aliquantum cum eo temporis manſit. Ipſis diebus imperatrix iterum filium quem Conradum poſtea vocauerunt, imperatori peperit. Diſcordia inter Gebehardum Ratiſponenſem præſulem, & Conradum Baioariæ ducem mota & agitata. Reliquiæ beati Zenonis confeſſoris ex Valthario Veronenſe Epiſcopo in Alemanniam ad villam Vlmam allatæ, plurimis per hæc tempora claruere miraculis. Conſtantię baſilica ſanctæ Mariæ corruit.

Imperator cum domino papa, multiſque epiſcopis & principibus, Natalem Domini Wormatiæ egit, vbi cum papa, ſicut dudum cœperat, Fuldenſem abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia quæ ſancto Petro antiquitus donata feruntur, ab imperatore repoſcens exegiſſet, demum imperator pleraque in Vltraromanis partibus ad ſuum ius pertinentia pro Ciſalpinis illi quaſi per concambium tradidit. Cumque idem papa de Normannorum violentijs & iniurijs, qui res ſancti Petri ſe inuito vi tenebant, multa conqueſtus eſſet, ad hos etiam inde propulſandos imperator ei auxilia delegauit. Ea ſiquidem gens à temporibus prioris Henrichi imperatoris in Calabriæ, Samniæ, Campaniæque partes paulatim ex Gallici oris oceani aduentitia confluebat, & quia bellicoſior Italicis gentibus videbatur, primo gratanter accepta, crebro indigenis contra Græcorum & Saracenorum incurſiones audacter præliando auxiliabatur. Poſtea vero pluribus eorum ad vberem terram accurrentibus, viribus adaucti ipſos indigetes bello premere, iniuſtum dominatū inuadere, hæredibus legitimis caſtella, prædia, villas, domus, vxores etiam quibus libuit vi auferre, res Eccleſiarum diripere, poſtremo diuina & hu-

& humana omnia, prout viribus plus poterant, iura confundere, nec iam Apostolico pontifici, nec ipsi imperatori, nisi tantum verbotenus cedere. Ad horum igitur nefaria & inextricabilia scelera illis è partibus eliminanda, indigenasque ab eis liberandos dominus papa animũ intendens, summa cum charitate ab imperatore Romam reuersurus digreditur. Secuti sunt autem eum plurimi Teutonicorum, partim iussu dominorum, partim quæstu adducti, multi etiam scelerati & proterui, diuersasque ob noxias patria pulsi. Quos ille omnes tum consuetæ misericordiæ nimia compassione, tum etiam quia opera eorum ad imminens videbatur bellum indigere, clementer & grataner suscipiebat. Transiens ergo per Alemanniam, Purificationem sanctæ Mariæ Augustæ egit, Mantuæq; Quinquagesimæ acta; & nonnullis suorum orto inibi tumultu occisis, infra dies Quadragesimæ Rom. peruenit. Ipsis diebus in Italia quidam lacus, quos Iulius quondã Cæsar quadrato lapide perpetuo (vt putabatur) opere fertur obstruxisse, nimia aquarum inundatione effracti, Narniam flumẽ, Tiberimq; vltra modum exundare fecere, subitaq; illuuione multa ædificia, ipse pons Narniensis dirutus, multiq; mortales absumpti sunt. Imperatore in Saxonia apud Meresburg commanente, cum rege Danorum Pascha egit, ipsisq; diebus Conradum Baioariæ ducem, cui iam prius infensus erat, incusatum quorundam Principum iudicio ducatu priuauit. Quo tempore regni tam primores quam inferiores cõtra imperatorem magis magisque mussitantes, iamdudum eum ab inchoatæ iustitiæ, pacis, pietatis, diuini timoris, multimodæque virtutis tenore, in quo de die in diem debuerat proficere, paulatim ad quæstum & incuriam quandam deficere, multumq; seipso deteriorem fore causabantur. Altorfense cœnobium igne consumitur. Dominus papa habita post Pascha synodo, contra Normannos, vt proposuerat, exercitum mouit: cumq; illi pacem petentes, subiectionem seruitiumque ipsi promitterent, & quæ prius iniuste sibi vsurpantes inuaserant, eius beneficio gratiaq; retinere velle se dicerent, idque papa abnegans vi & iniuria raptas res sancti Petri reposceret, eosque perperam peruaso cedere loco iuberet: illi quia numero longe præstabant, quasi rem impossibilem sibi propositam refutantes, se potius bello obuiam ituros, armisque acquisitam patriam armis defensuros, vel morte occubituros denuntiant. Sicque xiv. Cal. Iul. valida pugna confligentes prima acie à Teutonicis pene victi sunt, sed succenturiatis copiis ex insidiis nostros circumuenientes, Italis citius terga vertentibus, Teutonicis maxima ex parte sed non inulte occumbentibus occulto Dei iudicio; siue quia tantum sacerdotẽ spiritalis potius quam pro caducis rebus carnalis pugna decebat; siue quod nefarios homines quam multos ad se ob impunitatem scelerum, vel quæstum auarum confluentes, contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat; siue diuina iustitia alias quas ipsa nouit ob causas nostros plectente, quamuis nimis cruentam hostes adepti sunt victoriam: ipseque Dominus papa in quodam ab eis castello obsessus, cum expugnata iam iamque munitione, necessitate coactus, communionem eis prius interdictam reddidisset, acceptus ab eis, Beneuentum cum honore tamen reductus est, ibique tempore aliquanto detentus, nec redire permissus. Et hoc & superiori anno frugum penuria facta est non modica. Werinharius frater meus Augiensis monachus, admodum doctus, & religioni vere deditus, iuuenis cum alio monacho Liutharioque studio vitæ perfectioris flagrans, peregrinationem clam pro Christo aggreditur, literis remissis licentiam abbatis postulans, & impetrans. Et sequenti tempore Richardus Renauigensis abbas, & Henrichus itẽ Augiensis monachus hoc exemplum secuti, relictis omnibus idem propositum aggrediuntur Imperator Henricus magno apud Tribuariam conuentu habito, filium æquiuocum regem à cunctis eligi, eique post obitum suum, si rector iustus futurus esset, subiectionem promitti fecit. Ad quem conuentum cum Conradus dudum Baioariæ dux venire nolens, cum expeditis militibus regi

Anni Domini

rebellare moliens Hungaris se adiungere tentasset, & Carentani fines inuasisset, quibusdam inibi quæ prius habuerat possessionibus suis ab Imperatore priuatus est, eas quasi legaliter acquirente. Ibi etiam legati Andreæ regis Hũgarorum pro pace pactoq; cum suffragante Ratisponensi Episcopo immensam pecuniam, suæque prouinciæ partem, & ad expeditiones omnes præter Italicam suos ituros promitterent, eaque omnia regem suum impleturum sacramento promitterent, imperator ea se accepturum fide data spondens eos remisit. Hadamuta de Nuinburgo abbatissa venerabilis, quæ locum suum prius pene dilapsum, intra & extra laudabiliter recuperatũ, in optimum deduxerat statum, aliam pro se designans, & sororibus pie admonitis, vltimũ valedicens IV Cal. Nouembris feliciter, ô vtinam, decessit. Hazelinus etiam Babenbergensis Episcopus infamis moriens locum dedit. Per idem tempus Conradus dudum dux ab Andrea rege Hungarorum gratanter susceptus, ei ne alligatum cum imperatore fœdus perficeret dissuasit, & auxilio eius quãdam Carentani partem, quorundam etiam primatum qui eam possidebant, machinatione aliis expulsis primoribus, inuasam cepit. Imperator vero in Baioariam veniens, ducatũ eiusdem prouinciæ filio suo æquiuoco tradidit, sicque in eadem commorans prouincia, Natalem Domini in villa Otinga egit, ibique Babenbergẽsis Ecclesiæ præsulatum consobrino suo Adalberoni donauit. Deinde habito Ratisponæ colloquio, per Alemanniam transiẽs, & furibus infestus nonnulla eorum conuenticula exuri iubens, Turegi Quadragesimam inchoauit, & per ripales Rheni vrbes paulatim descendens, Mogontiæ Paschale festum celebrauit: vbi Theodbaldus Othonis & eum de Galliis veniens, & miles eius effectus, auxilium suum illi pollicitus est. Dominus papa cum apud Beneuentum diuino intentus seruitio diu demoratus, tandem instante paschali tempore Romam ægrotans reuersus esset, inualescente indies languore glorioso exitu cunctis prius benedicens, & admonitis valedicens, sanctoque Petro peccata sua confessus & deuote se illi commendans, XV. Calen. Maias obiit, & in basilica sancti Petri iuxta sepulchrum sancti papæ Gregorii sepultus, miraculis claruisse memoratur. Gotefridus iterum contra imperatorem tyrannidem inuasit, Italiamque latenter adiens, Beatricem Bonifacii quondam marchionis viduam vxorem accepit.

Herimannus Wolferadi Comitis filius ab infantia omnibus membris contractus, sed omnes tunc temporis viros sapientia & virtutibus præcellẽs, in Aleshusan prædio suo defunctus ac sepultus est. Werinherus, Liutherus in Hierosolym itinere defuncti sunt. Conuentus ab Imperatore Mogontiæ factus est, in quo Gebehardus Eistetẽsis Episcopus ab Episcopis electus, Romamq; missus, ibiq; honorifice susceptus, insequenti Quadragesima in cœna Domini CLIV papa ordinatus, Victoris secundi nomen accepit. Imperator natalem Domini Goslare celebrauit, ac deinde expeditionem in Italiam parauit, & diem sanctæ Paschæ Mantuæ egit, diem autem Pentecostes Florentiæ: ibique coram eo à domino Papa generali synodo habita multa correcta sunt. Imperator Adalbertum capitali sententiæ adiudicatum, per interuentum Episcoporum dimisit. Eodem tẽpore L aut eo amplius armati milites à Normannia latenter per mare transeuntes, Nordmannis contra imperatorem auxilium præbere cupientes, à Pisentibus ciuibus capti atque ad imperatorem delati. Imperator Othonem Nouariensem Episcopum Constantinopolim misit, vbi pro Michaele nuper defuncto quandam fœminam totius regni monarchiam tenentem inuenit, quæ illum sequenti anno suis etiam legatis adiunctis amicitiam pactumque confirmandum imperatori remisit. Beatrix imperatori ad deditionem veniens causa mariti sui, quanquam data fide, tenetur, filiusque eius puer Bonifacius hac causa venire veretur: sed non multis interpositis diebus cum Imperat. ibidem moraretur, idem puer moritur. Gebehardus Ratisponensis Episcopus & Welffus

1055

dux

dux licentiam repatriandi ab Italia impetrauerant, militesque eorum illis (vt aiunt) ignorantibus contra imperatorem coniurauerunt. Quo tempore Welffus dux suis & omni populo admodum flebili morte præuentus, apud Altorfense cœnobium sepultus est. Arnoltus Episc. Metensis moritur. Imperator de Italia per Baioariam rediens, natalem Domini apud castrum Turegum celebrauit, ibique Othonis marchionis filiam æquiuoco suo filio desponsauit. Gebehardus Ratisponensis Episcopus ab Imperatore de coniuratione contra se facta victus, primum in castro Vlfilingino, dein in Stofola per aliquod tempus sub custodia tenetur. Conradus ab imperatore Nemeti pro Arnolto Episcopo substituitur. Herimannus Agrippinæ vrbis archiepiscopus obiit, pro quo Hanno Goslare prius præpositus in archipræsulatum successit. Imperator diem sanctum Paschæ celebrauit. Eodem ann. Sclaui, qui Liutici dicuntur, terminos Saxonum infectantes, quam plurimos eorum principes cum Wilhelmo marchione peremerunt. Henricus imperator, domino apostolico ad se tempore autumnali inuitato, cum in Saxonia in Bothfeldino commoraretur, morbo ingraueſcente infirmatus obiit ann. ætatis suæ XXXIX, regni vero XVIII, imperii XV, indictione X. Qui inde asportatus, Nemetumque translatus, in Ecclesia sanctæ Mariæ, quam ipse construxerat, adhuc imperfecta, iuxta patrem matremque sepultus, & filius eius Henricus quartus VII ætatis annum habens, pro eo regni iura suscipiens, à primoribus matri imperatrici educandus est commendatus.

Anni Domini

1056

Henricus rex Natalem Domini Ratisponæ celebrauit septimo Calendas Maias. Immensitas niuis & pruinæ magnam partem vinearum perdidit. Romæ Victor secundus decessit, in cuius locum Fridericus frater Gotefridi ducis, dudum beati Leonis papæ archidiaconus, tunc autem temporis monasterii sancti Benedicti abbas, CIV papa ordinatus, Stephanus VII est nominatus. Otho dux Alemannorum obiit, cuius ducatum Rodolphus accepit. Hoc an. lapides miræ magnitudinis mixti grandine de cœlo ceciderunt, & nonnulli hominum fulmine perierunt. Romæ Stephanus papa obiit. Rom. autem accepta pecunia quendam Ioan. contra canones elegerunt, qui sine consecratione per aliquot dies sedens à Gotefrido duce expellitur, atq; Florentinæ ciuitatis Episcopus CLVI papa substitutus, Nicolaus secundus est vocatus. Eodem tempore Henricus Augustensis Episc. apud imperatricem summum consilii locum habuit, quod nonnullis regni principibus eius insolentiam non ferentibus multum displicuit. Hoc an. magna mortalitas hominum, & pestis pecorum facta est. Orto inter Mediolanenses & Ticinenses bello, multi ex vtraque parte ceciderunt. Rodolphus Alemannorum dux Mathildam Henrici regis sororem duxit vxorem. Fuldis Eberhardus abbas decessit, cui Sigefridus successit. Andreas Pannoniæ rex cum prius pacem pactumque per legatos cum Henrico rege confirmasset, etiam sororem eius minorem filio suo adhuc puero Sponsam obtinuit. Henricus Galliarum rex obiit, & filius eius adhuc puer regnum cum matre gubernandum suscepit. Liudpaldus Mogunt. archiepisc. decessit, cui Sigefridus Fuldis abbas successit. Conradus Nemetensis Episc. moritur, in cuius locum Einhardus promouetur. Mathildas soror regis obiit. Henricus Palatinus comes in amētiam versus, cūm specie religionis quasi seculum derelinquens in monasterium Ephtirnacha se contulisset, inde abstractus coniugem suam occidit. Et hoc an. sicut in priore mortalitas multos extinxit, hiems satis dura & niuosa & plus solito prolixa, frumenti viniq; maximum attulit damnum. Andreas rex Pannoniarum cum à fratre suo regnum sibi circumquaq; vastante multas iniurias perpessus fuisset, tandem febre pulsatus, omnes thesauros suos in castrum Medilhecka, nec non & filium suum Henrico regi per Tiedbaldū comitem transmisit. Magna fames multos cōsumpsit. Gebehardus Ratisponensis Episc. obiit, cui Otho successit. Conradus qui Carentanis solo nomine ducis præfuit, moriens locum dedit: cuius ducatum Bertholdus Sueuigena

1057

1059

1060

Anni Domini

accepit. Romæ Nicolao papa defuncto, Rom. coronam & alia munera Henrico regi transmiserunt, eumq; pro eligendo summo pontifice interpellauerunt. Qui ad se conuocatis omnibus Italiæ Episc. generaliq; conuentu Basileæ habito, eadem imposita corona patricius Rom. appellatus est. Deinde cum communi consilio omnium Parmensem Episc. summum Romanæ Ecclesiæ elegit pontificem. Interim dum hæc aguntur, Anshelmus Episcopus de Luca, quibusdam Romanis fauentibus, Apostolicam sedem sibi vsurpauit. Burchardus & Wezil de Zolorin occiduntur. Ecclesia Nemetensis dedicatur, & Anna imperatrix depositis regalibus vestimẽtis, sacro velamine circundata.

1062 VI idus Feb. terræmotus, fulgura & tonitrua facta sunt: pestilentia & mortalitas subsecuta multos extinxit. Henricus rex apud Traiectum Frisiæ vrbem diem Paschæ cum matre imperatrice egit. His diebus Hanno Agrippinæ Coloniæ archiepiscopus, adnitentibus quibusdam regni principibus, Henricum regem cum lancea & aliis imperii insignibus à matre imperatrice vi arripuit, secumque Coloniam abduxit. Parmensis Episcopus dudum electus Romam consecrandus adiit: cui cum Romani armati occurrerent, ingressumq; prohiberent, multitudo illorum à militibus eius & occiduntur, & in Tiberi submerguntur; cæteri fugantur.

1063 Tempore veris, medio mense Aprilis per quatuor dies hyems sæua, ventosa & niuosa, aues & pecora frigore extinxit, arborum & vinearum maximam quoque partem perdidit. Engilhardus Episcopus de Magdiburg obiit, cui frater Colonienſis archiepiscopi successit. Henrichus Augustensis Episcopus obiit, cui Imbricus successit. Eodem anno quædam mulier iuxta Constantiam infantem duo capita, nec non & cætera membra aduſq; clunes duplicia habentem peperit. Henrichus rex Natalem domini Coloniæ celebrauit, diem Paschæ autem Leodii. Synodus Mantuæ. Henrichus rex Natalem

1064

1065 domini Goslare, diem autem Paschæ Wormatiæ celebrauit. Domus regalis Goslari concremata est; quod & factum est in VI Cal. April. indictione III. Et ibidem accinctus est gladio, anno regni sui IX, ætatis autem suæ XIV, & dux Gotfridus scutarius eius eligebatur. Patauiensis Episcopus obiit, cui Altmannus imperatricis capellanus successit. Hoc tempore Sigifridus Mogontiacensis archiepiscopus, Wilhelmus Traiectensis Episcopus, & Guntharius Babinbergensis Episcopus, Otto Ratisponensis Episc. cum magno apparatu & comitatu Hierusalem proficiscentes, in eo itinere à paganis multa sunt perpessi. nam bellum cum eis inire sunt coacti. In eadem via Guntharus obiit, cui Ricimannus simoniace successit.

Multi nobiles ciuili bello perierunt. Hẽrichus rex Natalem domini, † Pascha autem apud Traiectum egit. Eberhardus Treuerensis archiepiscopus XVII Cal. Maij, sabbato sanctæ Paschæ, completis à se ipsius diei officiis, ipsis sacerdotalibus vestimentis indutus, requieuit in pace. Cui Conradus Colonienſis præpositus electus à rege succedere debuit, sed à clero & ciuibus Treuirensibus refutatus est. Vnde quidam comes de militia Treuirensi nomine Theodoricus, eundem Conradum Treuirim tendentem comprehendit, & diu sub custodia maceratum quatuor militibus enecandum commisit. Qui dum eum ter per quoddam præcipitium deiecissent, & nihil sibi, nisi brachium collidere possent, vnus ex illis pœnitentia ductus ab eo veniam impetrauit. Alius autem volens eum decollare, maxillam eius tantum abscidit. Et sic ipse Deo dignus martyr ad dominum migrauit Cal. Iun. sepultus ad abbatiam quandam nomine Doleiam. Tres autem milites mortis illius autores digna vltio postmodum subsecuta est: nam vnus eorum acceptum cibum deglutire non valens, alii duo manus suas lacerantes.

FINIS.

LAM-

LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS DE REBVS GESTIS GERMANORVM.

PRima ætas ab Adam vſque ad Noe continens generationes 10, annos vero 1656. Quæ tota periit diluuio, ſicut infantiam mergere ſolet obliuio.

Secunda à Noe vſque ad Abraham, generationes ſimiliter complexa 10, annos autem 292: in qua linguarum facta eſt diuiſio. A pueritia namque homo incipit loqui poſſe poſt infantiam, quæ & inde nomen accepit, quia fari, id eſt loqui non poteſt.

Tertia ad Abraham vſque ad Dauid, generationes 14, annos quoque 942 continens. Et quia ab adoleſcentia incipit homo poſſe generare: Matthæus ab Abraham generationum ſumpſit exordium.

Quarta à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationibus æque iuxta Matthæum 14, annis autem 483 porrecta. De qua regum tempora cœperunt. Quia dignitas iuuenilis regno eſt habilis.

Quinta deinde vſque ad aduentum Saluatoris in carne, generationibus & ipſa 14, porro annis 588 extenta. In qua vt graui ſenectute feſſa, malis crebrioribus plebs Hebræa quaſſatur.

Sexta quæ nunc agitur, nulla generationum vel temporum ſerie certa, ſed vt ætas decrepita, ipſa totius ſeculi morte finienda. Secula generationibus conſtant. Inde dicuntur ſecula, quod ſe ſequantur. Abeuntibus enim aliis, alia ſuccedunt. Quorum decurſus per generationes & regna ita ſcribitur:

Prima ætas cõtinet creationem mundi. Primo enim die Deus in lucis nomine condidit angelos: ſecundo, in firmamenti appellatione creauit cœlos: tertio, in diſcretionis vocabulo ſpeciem aquarum & terræ: quarto, luminaria cœli: quinto, animantia ex aqua: ſexto, animantia ex terra, & primum hominem Adam. Adam 130 anno genuit Seth, à quo filii Dei. Seth anno 105 genuit Enos, qui cœpit inuocare nomen Domini. Enos anno 90 genuit Cainan. Cainan anno 70 genuit Mahaleel, qui interpretatur plantatio Domini. Mahaleel anno 72 genuit Iared. Iared anno 162 genuit Enoch. Hunc nonnulla diuina ſcripſiſſe, Iuda Apoſtolo teſtante, comperimus. Enoch anno 65 genuit Mathuſalem, poſt cuius ortum translatus eſt à Deo. Mathuſalem anno 187 genuit Lamech. Gigantes nati ſunt, & cõcupierunt filii Dei, id eſt Seth, filias hominũ, id eſt Cain Lamech anno 182 genuit Noe, qui Arcam ædificauit. Nohæ anno 600, venit diluuium. Fuerunt autẽ ab Adam vſque ad cataclyſmũ, id eſt diluuium anni 1656.

Secunda ætas continet annos 292. Sem anno 2 poſt diluuium genuit Arphaxat, à quo Chaldæi. Arphaxat anno 35 genuit Sela, à quo Samaritæ & Indi. Sela anno 30 genuit Heber, à quo Hebræi. Heber an. 34 genuit Phalech. Turris ædificabatur. Phalech an. 30 genuit Reu. Dii primum adorantur. Reu anno 32 genuit Saruh. Regnum Scytharum inchoatur. Saruh anno 30 genuit Nahor. Regnum Ægyptiorum naſcitur. Nahor anno 29 genuit Thare. Regnum Aſſyriorum & Sicyoniorum oritur. Thare anno 70 genuit Abraham. Semiramis condidit Babyloniam, & Zoroaſtes magicam reperit. Fuerunt autem anni ab Adam vſque ad Abraham 1947.

Tertia ætas continet annos 942. Abraham anno 75 propter imperium Dei venit in terram Canaam. Abraham anno 86. genuit Iſmahel, à quo Iſmahelitæ. Abraham anno 100 genuit Iſaac. Iſaac anno 60 genuit Iacob. Iacob anno 90 genuit Ioſeph. Memphis in Ægypto cõditur. Ioſeph annis 90 vixit. Græcia ſegetes habere cœpit. Hebræorum ſeruitus in Ægypto annis 147. & Cecrops Athenas cõdidit. Moyſes annis 40 rexit Iſrael, ſub quo Hebræi literas habere cœperũt. Ioſue annis 26 rexit Iſrael. Erichtho-

nius in Græcia primus iunxit quadrigam. Iudices à Moyſe vſque ad Samuel præfuerunt annis 305. Othoniel annis 40 præfuit. Cadmus Thebanorum rex Græcas literas inuenit. Aod annis 80 præfuit. Amphion muſicus claruit. Debbora annis 40. Primus Latinis regnauit Picus. Et Apollo medicinæ artē inuenit. Gedeon annis 40. Orpheus Linuſq; muſici claruerunt. Abimelech annis 3. Iſte 70 fratres ſuos occidit. Thola annis 30. Priamus regnauit in Troia. Iair annis 22. Carmenta Latinas literas reperit. Iephtheannis 6. Hercules flammis ſe iniecit. Abeſſa annis 7. Bellum decennale Troiæ ſurrexit. Achialon annis 10. Hic in 70 interpretibus non habetur. Labdo annis 8. Capta Troia Æneas venit in Italiam. Samſon annis 20. Aſcanius Albam condidit. Heli ſacerdos annis 40. Arca teſtamenti capitur, & regnum Sicyoniorum finitur. Samuel & Saul annis 32. Regnum Lacedæmoniorum exoritur, & Homerus fuiſſe probatur.

Quarta ætas continens annos 453. Dauid annis 40. regnauit. Carthago à Didone conditur. Gath, Nathan, & Aſaph prophetauerunt. Salomon annis 40. Templū Hieroſolymis ædificatur, annis 480 egreſſionis ex Ægypto expletis. Ex quo apparet Samuelem & Saulem 32 annos, & non 40 præfuiſſe. Roboam 17 annis regnauit. Regnum Iſrael & Iuda diuiditur. Abia annis 3. Pontifex Abimelech inſignis habetur. Aſa annis 41. Aggæus, Amos, Iohel, & Iehu prophetauerunt, & Azarias. Ioſaphat annis 25. Helias, Heliſæus, Abdias, & Michæas prophetauerūt. Ioram annis 8. Edom receſſit à Iuda, & conſtituit ſibi regem. Ochozias anno 1. Helias rapitur. Athalia annis 7. Ionadab filius Rechab ſacerdos claruit. Ioas annis 40. Zacharias filius Ioiadæ lapidatur. Amaſias annis 28. Amos propheta claruit in Iſrael. Ozias annis 52. Olympias prima à Græcis conſtituitur. Ionathā annis 16. Eſaias, Oſeas, & Iohel prophetauerunt. Et Romulus naſcitur. Achaz annis 16. Roma conditur. Et Iſrael in Medos transfertur. Ezechias annis 29. Romulus 100 ſenatores conſtituit. Manaſſes annis 55. Numa 2 menſes adiecit, & Sibylla Samia claruit. Ammon annis 2. Tullus in republica cenſum exegit. Ioſias annis 31. Thales Phyſicus claruit. Ioachim annis 11. Huius tertio anno Nabuchodonoſor Iudæam cepit. Sedechias annis 11. Templum Hieroſolymis incenſum eſt. Fuerunt autem ab origine mundi vſq; ad terminum Iudaici regni anni 3363.

Quinta ætas continet annos 580. Hebræorum captiuitas annis 70. Iudith hiſtoria conſcribitur. Darius annis 36. Huius ſecundo anno templum Hieroſolymis conſtruitur, finitis 70 annis Iudaicæ captiuitatis. Xerxes annis 21. Herodotus hiſtoriographus agnoſcitur. Artaxerxes annis 40. Ezdras legem incenſam renouauit. Et Nehemias Hieruſalem reſtaurauit. Darius, qui & Nothus, annis 19. Hæc ætas habuit Platonem. Artaxerxes, qui & Ochus, annis 26. Demoſthenes & Ariſtoteles prædicantur. Xerxes Ochi filius annis 4. Xenocrates claruit. Darius annis 6. Alexander Macedo annis 12, qui Hieroſolymam cepit. Hucuſque regnum Perſarum, dehinc Græcorum. Alexander ann. 5 Aſiam obtinuit. Ptolemæus Lagi filius annis 40. Machabæorum liber primus inchoauit. Philadelphus annis 38. 70. Interpretes claruerūt. Euergetes annis 26. Ieſus ſapientiæ librum compoſuit. Philopater annis 17. Machabæorum liber ſecundus inchoauit. Epiphanes annis 24. Romani Græcos obtinuerunt. Philometor annis 35. Hunc Antiochus ſuperās Iudæos oppreſſit. Et Scipio Africam vicit. Euergetes annis 29. Brutus Hiſpaniam ſubegit. Soter annis 17. Thraces Romanis ſubiiciuntur. Varro & Cicero naſcuntur. Alexander annis 10. Syria per Gabinium Romanis ſubiicitur. Ptolemæus Cleopatræ filius annis 8. Saluſtius hiſtoriographus naſcitur. Dionyſius annis 30. Pompeius Iudæam cepit. Cleopatra annis 2. Ægyptius Romanis ſubditur. Hucuſq; regnum Græcorum: nunc Romanorum. Iulius Cæſar annis 5. Hic primus monarchiam tenuit, & ab hoc Cæſares appellati ſunt. Octauianus annis 56. Huius anno 42. Dominus noſter Ieſus Chriſtus naſcitur, completis ab Adam iuxta Hieronymum annis 5199. Tiberius autem annis 23. Huius anno 18, Dominus noſter Ieſus Chriſtus crucifixus eſt. Gaius annis 4. Matthæus Euangelium ſcripſit. Claudius annis 14. Petrus Romam, & Marcus Alexandriam petierunt. Nero annis 13. Petrus & Paulus cruci, gladioque traditi ſunt. Veſpaſianus annis 10. Huius anno ſecundo Titus Hieroſolymam ſubuertit, templum ſolo ſtrauit, poſt annos primæ ædificationis 1089, Dominicæ autem incarnationis 71. Titus annis 2. Hic facundus & pius fuit. Domitianus annis 16. Iohannes Apoſtolus in Patmon relegatur. Nerua anno vno.

Ioannes

Ioannes Ephesum redijt,& Euãgelium scripsit. Traianus annis 9. Symeon Hierosolymorum Episcopus crucifigitur,& Iohannes Apostolus requiescit. Adrianus annis 21. Aquila interpres oritur. Antoninus minor annis 19. Mõtanus Cataphrygarum author oritur. Commodus annis 13. Theodotion interpres apparuit. Ælius Pertinax anno 1. nihil historiæ habet. Seuerus Pertinax annis 18. Symmachus interpres agnoscitur. Antoninus Caracalla annis 7. Quinta editio Hierusalẽ inuenitur. Macrinus anno vno vel Marcus. Aurelius Antoninus annis 4. Sexta editio Nicopoli reperitur, & Sabellius infelix oritur. Alexander annis 13. Origenes Alexandriæ claruit. Maximianus vel Maximus annis 3. Hic persecutus est Christianos. Gordianus annis 7. Fabianus Episcopus Romæ claruit. Philippus annis 7. Hic primus imperator Christianus fuit. Decius anno 1. Antonius monachus oritur. Gallienus & filius eius Volusianus annis 2. Nouatiana hæresis oritur. Valerius cum Gallieno annis 5. Cyprianus & Cornelius martyrio coronãtur. Claudius annis 2. Iste Gothos ab Illyrico expulit. Aurelianus annis 5. Hic etiam persecutus est Christianos. Tacitus annum vnum. Probus annis 5. Manichæorum hæresis oritur. Carus annis 2. Iste de Persis triumphauit. Diocletianus & Maximianus annis 20. Isti diuinis libris exustis, vastari Ecclesias, affligi & interfici Christianos iusserunt. Maximinus filius Maximiani, Seuerus, & Galerius anno 1. Constantinus annis 31: cuius 16 anno Nicena synodus congregatur, Dominicæ incarnationis anno 318. Constantius & Constans annis 27. Reliquiæ sancti Andreæ sanctique Lucæ Euangelistæ Constantinopolim transferuntur, & Anthropomorphitarum hæresis oritur. Per idem tempus Athanasius & Maximinus Treuerorum Archiepiscopus, atque Hilarius doctrina & fide clari habebantur. Iulianus annis 2. Hic ex monacho paganus factus, Christianos persecutus est. Iouianus anno 1. Iste cum omni exercitu Christianus efficitur. Valentinianus annis 11, qui à Iuliano ob fidem Christi militia fuerat priuatus: & Gothi hæretici facti sunt. Gratianus cum fratre Valentiniano annis 6. Ambrosius & Martinus Episcopi claruerunt. Valentinianus cum Theodosio annis 9. Hieronymus in Bethlehem toto mundo claruit. Theodosius annis 11. Sanctus Iohannes Anachorita claruit. Arcadius cum fratre Honorio annis 13. Iohannes Chrysostomus & Augustinus Episcopi claruerunt. Honorius cum Theodosio minore annis 15. Cyrillus Alexandriæ Episcopus claruit. Theodosius minor Arcadij filius annis 26. Ephesina synodus Nestorium cum suis fautoribus Pelagianis damnat, sub Celestino papa. Marcianus annis 7. Chalcedonense concilium sub Leone papa 630 patrum agitur. Leo maior cum Leone minore annis 17. Ægyptus ab errore Dioscori liberatur. Zenon annis 17. Corpus Barnabæ Apostoli reperitur,& Acephalorum hęresis oritur. Anastasius 26 annis. Fulgentius episcopus claruit. Iustinus maior annis 9. Acephalorum hæresis abdicatur. Iustinianus annis 39. Huius sexto anno primus cyclus Dionysij inchoauit. Dominicæ incarnationis anno 532. Iustinus minor annis 11. Armenij fidem Christi susceperunt. Tiberius annis 9. Ermingildus rex Gothorum martyrio coronatur. Mauricius annis 21. Gregorius papa Augustinum Archiepiscopum cum monachis Britanniam misit, vt genti Anglorum verbum Dei euangelizarent, Dominicæ incarnationis anno 596. Phocas annis 8. Angli Saxones fidem Christi susceperunt. Heraclius annis 36. Iudæi in Hispania Christiani facti sunt. Heracleonas cum matre sua Martina annis 2. Pyrrhus regiæ vrbis Episcopus à Theodoro papa damnatur. Constantinus Heraclij filius menses 6. Pauli Pyrrhi successor ob eandem vesanam doctrinam damnatus est. Constantinus Constantini filius annis 17. Hic sextam synodum congregauit. Cuius rogatu Agatho papa misit in regiam vrbem legatos suos, in quibus fuit Ioannes Romanę Ecclesiæ tunc diaconus, non longe post episcopus, p adunatione facienda S. Ecclesiæ. Hæc sexta synodus Cõstantinopolim acta est, vbi affuerũt Epis. 150, præsidente Georg. patriarcha vrbis regię, & Macario vrbis Antiochiæ, & conuicti sunt, qui vnam voluntatem & operationem astruebant in Christo falso, patrum catholicorum dicta p plurima.

702 Anno Dominicæ incarnationis. Huc vsq; Beda.

His signis [ ] *inclusa, è manuscripto iam accesserunt.*

703. 704. 705. [Aldfridus rex Nordanimbrorum, filius Oswi fratris S. Oswaldi regis.]

706. [Initium monasterij S. Petri in Erphesphurt, quod construxit Tagebertus rex

Francorũ in monte, qui antea Merruigisburg vocabatur: ſed ab ipſo Tageberto mons ſancti Petri nuncupatus eſt: & omnia, quæ habuit in Thuringia, ad eum locum dedit monitu Trutmani ſolitarii.]

707. 708. Conradus rex de Britannia Romam perrexit, ibique attonſus ac monachus factus, in ieiuniis & precibus ad diem peruenit vltimum.

709. 710. Pipinus maior domus regni Francorum perrexit in Alemanniam.

711. 712. Mortuus eſt Heribertus rex Longobardorum.

713. 714. Mortuus eſt Pipinus maior domus, cui ſucceſſit Carolus Martellus filius eius.

715. Mortuus eſt Dagobertus rex, fuitque pugna Francorum.

716. Pugnauit Carolus contra regem Ratbodum.

717. Pugnauit Carolus contra Francos in Dominica die ante Paſcha.

718. Vaſtauit Carolus Saxoniam plaga magna. [Sanctus Bonifacius ordinatur epiſcopus 11. calend. Decembris.]

719. Occiſio Francorum ad Sueſſonis ciuitatem.

720. Pugnauit Carolus contra Saxones.

721. 722. Magna fertilitas facta eſt.

723. [Carolus infirmatur.]

724. 725. Carolus perrexit Andegauum.

726. 727. Sanctus Egbertus migrauit ad Chriſtum.

728. 729. Cometæ ſtellæ apparuerunt.

730. 731. Carolus vaſtauit vltra Liguriam.

732. [Carolus pugnauit contra Sarracenos.]

733. [Eclipſis facta eſt ſolis.]

734. Carolus perrexit in Friſiam.

735. Carolus vaſtauit Waſcones.

736. Beda nobilis & præclarus doctor obiit. Initium Heruelденſis monaſterii.

737. 738. Carolus pugnauit contra Sarracenos in Gothia.

739. Carolus Saxoniam iterum intrauit, & fecit eos tributarios.

740. Carolus Prouinciam intrauit vſque in Maſſiliam.

741. Carolus obiit, maior domus regni Francorum, cui ſucceſſerunt Carlmannus & Pipinus, filii eius. Initium Altahenſis monaſterii.

742. Carolus Magnus natus eſt. [Sanctus Bonifacius cum Carlomanno magnam ſynodum habuit.]

743. 744. Initium Fuldenſis monaſterii.

745. 746. Sanctus Burchardus ordinatus eſt epiſcopus primus in Wirziburg.

747. Sanctus Wigbertus migrauit à ſæculo. Carlmannus Romæ monachus factus eſt.

748. 749. 750. Pipinus decreto Zachariæ papæ per vnctionem ſancti Bonifacii archiepiſcopi rex appellatus eſt, qui antea maior domus vocatus eſt, & Hildericus rex tonſoratus in monaſterium mittitur.

751. Zacharias papa obiit, Stephanus electus eſt atque occiſus, & alter Stephanus electus atque conſecratus eſt.

752. 753. Stephanus papa ad Pipinum veniens, defenſionem petiit contra Haiſtulfum regem.

754. Stephanus papa duos filios Pipini Carolum & Carlmannum vnxit in reges.

755. Sanctus Bonifacius martyrio coronatur.

756. Organa primum miſſa ſunt Pipino ex Græcia.

757. 758. Pipinus Saxonibus ſuperatis tributum impoſuit, vt 300. equos ſingulis annis perſoluerent.

759. 760. 761. 762. 763. 764. Pipinus magnum conuentum habuit in Cariſiago, fuitque hyems duriſſima.

765. Ruotgangus epiſcopus corpora ſanctorum Gorgonii, Naboris, & Nazarii Romaaduexit.

766. 767. Victi ſunt Sclaui in Weidahaburg à Francis.

768. Pipinus

768. Pipinus rex acquisiuit Aquitaniam totam, & inde reuertens ad sanctum Dionysium octauo calendas Octobris obiit, Carolo Magno & Carlmanno regnum relinquens.

769. 770. Bertha regina venit de Italia, & Desyderii regis filiam adduxit in Franciam.

771. Carlmannus obiit, fratri Carolo regnum relinquens.

772. Carolus in Saxonia Eresburg expugnauit, & fanum eorum, quod vocabatur Irminsul, destruxit.

773. Carolus ab Adriano papa inuitatus, Desyderium regem in Papia obsedit.

774. Carolus Papiam cepit, & Desyderium regem in Franciam duxit. Eodem anno Saxones ecclesiam in Fridesslare, lignis & igne implentes incendere volebant, sed minime valebant.

775. 776. Saxones Christiani effecti sunt.

777. [Dedicatio Ecclesiæ in Ordorff à beato Lullo in honore S. Petri.]

778. Carolus pugnauit contra Sarracenos, & Saxones Loganabhi vastant.

779. Sturm abbas Fuldensis cœnobii obiit.

780. 781. Carolus Romam perrexit, ibique baptizatus est Carlomannus filius eius, quem Adrianus Papa immutato nomine vocauit Pipinum. Ibi quoque desponsata est Rudrut filia eius Constantino imperatori. Carolus diuisit terram inter episcopos in Saxonia.

782. Caroli comites occisi sunt à Saxonibus in loco, qui dicitur Suntal.

783. Hildigart regina obiit, cui Fastrat successit.

784. 785. 786. Sanctus Lullus archiepiscopus obiit, [cui Richolffus successit:] & Carolus ad Italiam venit. Multa quoq; visa sunt prodigia. Signum enim crucis in vestimentis hominum apparuit, & sanguis è cœlo terraque profluxit.

787. Carolus Romam veniens Beneuentum profectus est, & monasterium sancti Benedicti adiit. [Et eclipsis facta est solis.]

788. 789. Carolus subegit gentem Wilsorum.

790. Carolus perrexit in Pannoniam.

791. Carolus subegit gentem Auarorum, & fundata est ecclesia sancti Bonifacii in Fulda.

792. Coniuratio Pipini contra patrem suum, quæ per Fardolfum publicata est. Vnde Pipinus attonsus, in monasterium mittitur, cæterique omnes perditi, alii decollati, alii suspensi, miserabiliter sunt mortui. Et ipsi Fardolfo datum est cœnobium sancti Dionysii.

794. Hæresis Feliciana damnata est in synodo Franconefurt, & Vastrath regina obiit.

795. Adrianus papa obiit in natiuitate Domini.

796. 797. 798. Balthart abbas Herueldensis obiit.

799. Leo papa, lingua truncata, excœcatus, & de pontificatu eiectus, videns & loquens in Franciam venit ad Carolum, in locum qui dicitur Heristelle.

800. Carolus à Romanis Augustus est appellatus.

801. Amarmurmulus rex Persarum elephantem vnum cum aliis muneribus Carolo misit.

802. 803. Leo papa iterum venit in Franciam, & Saxones Transalbiani translati sunt in Franciam.

804. 805. Carolus Caroli filius Bohemios vastat.

806. 807. Mortalitas maxima facta est in Fulda.

808. 809. 810. Hohenburg castellum impositum est Albi flumini ab imperatore Carolo contra Danos.

811. Depositio Luitgeri episcopi.

812. 813. Richolfus Moguntiæ Archiepiscopus obiit, [cui Haistolfus successit] & pons apud Moguntiam incendio periit.

814. Carolus Magnus imperator obiit, cui Ludouicus successit, qui episcopatum in Hildensheim constructit.

815. Baugolfus abbas Fuldenſis obiit. [Et præceptum eſt, vt omnes monachi cantarent curſum ſancti Benedicti.]
816. 817. Ludouicus imperator Aquiſgrani habuit ſynodum, ibique ordinauit vitam monachorum.
818. Ludouicus imperator in Britannia Normannum regem vicit.
819. Ludouicus Iudith filiam Wefilin vxorem accepit, & in Fulda dedicata eſt eccleſia.
820. 821. 822. Inchoatio monaſterii nouæ Corbeiæ.
823. 824. Ludouicus contra Viuomareum regem pugnauit, & Britanniam vaſtauit.
825. Viuomarcus occiſus eſt in domo propria, & Haiſtolfus Moguntiæ archiepiſcopus obiit, cui Otger ſucceſſit.
826. Hiltwinus oſſa ſancti Sebaſtiani in Galliam tranſtulit.
827. 828. 829. Ludouicus imperator depoſitus eſt à filiis ſuis Lothario, Ludouico & Carolo.
830. 831. Brun & Raban abbates fundamentum Eccleſiæ ſancti Wigberti foderunt 6. idus Iulii, ſecunda feria.
832. Corpus S. Aurelii in Germaniam delatum eſt, & Hirſaugia fundata. Coniuratio Ludouici contra patrem ſuum.
833. Regnum Francorum ad Lotharium eſt conuerſum.
834. Pipinus & Ludouicus patrem ſuum reſtituerunt in regnum.
835. 836. [Otgarius archiepiſcopus tranſtulit ſanctum Seuerum ad Franckfurt.]
837. 838. Coniuratio Ludouici iterum ad Franckonefurt, & conuerſum eſt regnum ad patrem eius.
839. 840. Ludouicus inſequẽdo filium venit ad Herolfesfelt monaſterium 6. idus Aprilis. Ludouicus imperator obiit, cui filius eius Ludouicus ſucceſſit.
841. Lotharius bellauit contra fratres ſuos Ludouicum & Carolum, in quo prælio pene ad internecionem deleti ſunt Franci, & Luitharius victus eſt, vbi & Adelbertus comes occiſus eſt.
842. Luitharius expulſus eſt à regno, & Raban abbas de monaſterio.
843. Luitharius, Ludouicus & Carolus pacem fecerunt.
844. Luitharius rex regem Sclauorum Geſtimulum occidit.
845. Ludouicus venit ad Herolfesfelt 2. calendas Nouembris, & priuilegia monachis dedit, ſuoque ſigillo muniuit. Monachi quoq; eiuſdem Heruelденſis monaſterii reconciliati ſunt cum Otgario archiepiſcopo de decimis frugum & porcorum ex terra Thuringorum, per fideles legatos domini Ludouici Auguſti, epiſcopos videlicet & præſides.
846. Ludouicus filius Ludouici Pannoniam ſubegit, & Bohemos domum rediens vaſtauit. Brun abbas Heruelденſis obiit, cui Brunuart ſucceſſit.
847. Oggarius Moguntiæ archiepiſcopus obiit, cui abbas Fuldenſis Rabanus ſucceſſit. Abbatiam Waldo ſuſcepit.
848. Ad Moguntiã habito ſynodali concilio, Godeſcalcus hæreticus damnatus eſt.
849. 850. Dedicata eſt eccleſia ſancti Wigberti 5. calendas Nouembris à Rabano Moguntiacenſi archiepiſcopo.
851. 852. Tranſlatio Lulli in cœna Domini.
853. 854. 855. Ludouicus rex cum magno exercitu perrexit contra Ratzidum regem Maruhenſium. Luitharius etiam rex tonſuram & monachicum habitum ſuſcepit, moriturus in Prumia.
856. Rabanus archiepiſcopus obiit, cui Carolus ſucceſſit.
857. Carolus archiepiſcopus Moguntiæ magnam ſynodum habuit.
858. Ludouicus rex Ludouicum filiũ ſuum miſit cum exercitu magno ad Abotritos.
859. Ludouicus & Carolus atque Lutharius filius Lutharii fratris eorum cum iuramento pacem fecerunt.
860. 861. Vdo, Ernoſt, Berngerus comites, & Waldo abbas Fuldenſis honoribus depoſiti ſunt. Thiodo abbas ſucceſſit.

862.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

862. 863. Carolus archiepiſcopus obiit, cui Luitpernus ſucceſſit.
864. Ludouicus rex Ratzidum regem Morahenſium ſibi ſubegit.
865. 866. 867. 868. 869. Luitherus rex à Beneuento reuerſus, Romam venit, ibique ab Adriano damnatus eſt, qui domum rediens pene cum ſuis omnibus periit. Eodem anno Thiodo abbas Fuldenſis depoſitus, & Sigehardus electus eſt vir religioſus.
870. 871. 872. 873. 874. 875. Ludouicus rex obiit, cui filius eius Ludouicus ſucceſſit. Brunwart Heruueldenſis epiſcopus obiit, cui Drugo ſucceſſit.
876. Pugna iuxta Andarnaha facta eſt inter Carolum & Ludouicum Ludouici regis filium.
877. 878. 879. Ludouicus rex filius Ludouici regis obiit, cui frater eius Carolus ſucceſſit.
880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. Carolus de regno eſt electus, & Arnoldus electus.
888. Carolus obiit.
889. 890. Luitbertus archiepiſcopus obiit, cui Sunderolt ſucceſſit.
891. Sunderolt Moguntiæ archiepiſcopus occiſus eſt, cui Hatto ſucceſſit.
892. Arn[Herbipolenſis]epiſcopus occiſus eſt. Et Drugo abbas Heruueldenſis obiit, cui Harderat ſucceſſit.
893. Prælium magnum factum eſt inter Baioarios & Vngaros.
894. 895. 896. Arnoldus Romæ imperator factus eſt.
897. 898. 899. Arnoldus imperator obiit, cui Ludouicus filius eius ſucceſſit.
900. 901. Harderat abbas Heruueldenſis obiit, cui Dietbart ſucceſſit.
902. Sclaui vaſtauerunt Saxoniam.
903. Adelbracht, Eberhart, & Heinricus occiſi ſunt.
904. 905. Conradus comes occiſus eſt ab Adelberto.
906. Vngari vaſtauerunt Saxoniam.
907. Adelbertus comes occiſus eſt, iubente Ludouico rege.
908. Luitboldus dux Thuringorum occiſus eſt ab Vngaris.
909. Burchardus dux Thuringorum occiſus eſt ab Vngaris.
910. Ludouicus rex pugnauit cum Vngaris, & victus eſt.
911. Vngari vaſtauerunt Franciam.
912. Ludouicus rex obiit, cui Conradus ſucceſſit. Hatto archiepiſcopus Moguntiæ obiit, cui Hereger ſucceſſit.
913. 914. Otto Saxonicus comes obiit.
915. Vngari vaſtando venerunt vſque in Fuldam.
916. 917. 918. Conradus rex fuit in Herolfelde.
919. Conradus rex obiit, cui Heinricus Saxo ſucceſſit.
920. 921. 922. 923. 924. Hereger archiepiſcopus Moguntiæ obiit, cui Hildibertus ſucceſſit.
925. 926. 927. Diethardus iunior abbas Herfeldiæ factus eſt cum ſenioris Diothardi conſenſu.
928. Diothardus abbas iunior epiſcopus ordinatus, & Burchardus abbas electus eſt.
929. 930. Diothardus ſenior obiit.
931. Heinricus rex Abotritos ſubegit.
932. Diedo [Wirtzburgenſis] epiſcopus obiit, cui Burchardus abbas Herfeldiæ ſucceſſit.
933. Megingoz abbas Heruueldiæ electus eſt.
934. Heinricus rex Wucronin cum exercitu fugat.
935. Magna ſynodus fuit in Erphesfurt. Eodem anno Heinricus rex obiit, cui filius eius Otto ſucceſſit.
936. Otto rex fuit Herolfesfelde. Eodem anno eccleſia ſancti Bonifacii exuſta eſt.

937. Eberhardus Comes Heinricum filium Heinrici regis captum proiecit in vincula.

938. Eberhardus & Gisilbertus occisi sunt. Hildibertus archiepiscopus Moguntiæ obiit, cui Fridericus successit.

940. 941. 942. Dedicata est ecclesia sancti Maximini in Treueris.

943. Synodus Bonnæ congregata est.

944. 945. Nuntii Græcorum ad regem Ottonem venerunt cum magnis muneribus, in vigilia omnium Sanctorum.

946. 947. Etheit regina obiit, cui Adelheit successit.

948. Synodus ad Ingelheim congregata est, cui Marinus legatus Apostolicus præsedit.

949. Iterum nuntii Græcorum ad regem Ottonem cum pretiosissimis muneribus venerunt, in memoria omnium Sanctorum, & Otto rex dedit filiam suã Conrado duci.

950. Factum est magnum prælium inter Baioarios & Vngaros.

951. Otto rex perrexit in Italiam, & acquisiuit Adelheidam reginam, & Berngerum regem subdidit sibi.

952. 953. Nimis crudelis dissensio exorta est inter Luitdolfum regis filiũ, & Heinricum patruum suum. Eodem anno obsessa est Moguntia, & Rossadal castellum, factaque est in illo loco magna pugna.

954. Fridericus archiepiscopus Moguntię obiit, cui Wilhelmus filius regis successit.

955. Otto rex Vngaros cum magno periculo sui suorumq; magna cæde prostrauit in Lechfelt, in natali sancti Laurentii: in quo etiam bello dux Conradus cum aliis multis est occisus. Heinricus quoque dux Baioariorum obiit.

956. Rudbertus Treuerensis archiepiscopus obiit, cui Heinricus successit, & Hadamarus abbas Fuldensis obiit, cui Hatto successit. Eodem anno Luitdolfus in Italiã perrexit, eamque sibi subegit. Et Megingoz abbas Heruеldiæ obiit, cui Hagano successit.

957. Luitdolfus in Italia est mortuus, & inde ad Moguntiam portatus est, & ad sanctum Albanum sepultus est.

958. Signum crucis in vestimentis apparuit.

959. Hagono abbas Heruеldensis potestatem suam reliquit ob infirmitatem corporis sui, eoque viuente Guntherus electus est in locum eius.

960. Venerunt legati Rusciæ gentis ad regem Ottonem, deprecantes, vt aliquem suorum episcoporum transmitteret, qui ostenderet eis viam veritatis. Qui consensit deprecationi eorum, mittens Adelbertum episcopum fide catholicum, qui etiam vix euasit manus eorum.

961. Venerunt legati domini Apostolici ad regem Ottonem, inuocantes eum Romam, in adiutorium Iohannis Papæ. Filius eius Otto secundus in regem vngitur Aquisgrani.

962. Otto rex perrexit Romam, eumq; Iohannes Papa gratanter suscipiens honorifice super cathedram Augustalem posuit, & benedictione atque consecratione sua imperatorem fecit. Guntherus Heruеldensis abbas obiit, cui Egilolfus successit.

963. Magna synodus facta est Romæ, cui Otto imperator præsidebat cum multitudine magna episcoporum, abbatum, sacerdotum, clericorum, ac monachorum, ibique deiectus est Benedictus à sede Apostolica.

964. Berngerus rex obsessus est in monte sancti Leonis, ibique captus, atque in Babenberg ductus est cum Willa vxore sua.

965. Otto imperator de Italia venit. Brun [Colonienſis] archiepiscopus obiit, cui Volcmarus successit.

966. Otto imperator tertia vice Romam venit.

967. Otto imperator misit legatos suos ad Wilhelmum archiepiscopum & alios principes, vt Ottonem filium suum cum omni dignitate regali ad Italiam mitterent, quem ipse suscipiens Romam perduxit, vt Papa Iohannes posterior imperatorem faceret: quod & libenter fecit.

968. Wilhelmus [Moguntinensis] archiepiscopus obiit, cui abbas Fuldensis Hatto successit. Abbatiam vero suscepit Wernher.

969. Hatto

969. Hatto Moguntiæ archiepiſcopus obiit, cui Ruitbertus ſucceſſit.
970. Egilolfus Herfeldenſis abbas obiit, cui Gozbertus ſucceſſit.
971. Exuſtum eſt famoſum templum in Dornburg.
972. Ottoni iuniori imperatori miſſa eſt Theophania ab imperatore de Græcia. Eodem anno Otto ſenior imperator cum iuniore Ottone de Italia perrexit in Franciam.

973. Otto imperator ſenior cum iuniore venit Quidilinburg, ibiq; celebrauit ſanctum Paſcha 10 cal. Aprilis. Illucque venerunt legati plurimarum gentium, videlicet Romanorum, Græcorum, Beneuentorum, Italorum, Vngarorum, Danorum, Sclauorum, Bulgarorum, atq; Ruſcorum cum magnis muneribus. Eodem anno Otto imperator ſenior obiit in Mimelieba nonis Maij, cui filius eius ſecundus Otto ſucceſſit.
974. Heinricus dux Baioariorum & Abraham Epiſcopus cum Boliſclaione & Miſichone inierunt contra imperatorem prauum conſilium. At imperator tali nefando comperto conſilio, congregauit omnes principes ſuos, & quid inde faceret conſilium petiit. Qui dederunt ei conſilium, vt mitteret ad ducem Heinricum & Bopponem epiſcopum, & Gebehardum comitem, eosq; ad placitum inuitaret per edictum: qui ſine dilatione Deo donante dedit ſe in poteſtatem imperatoris. Eodemque anno perrexit imperator contra Haroldum in Scleoſwig.
975. Otto imperator habuit magnum conuentum in Wehmare. Eodem anno imperator Bohemos vaſtauit & concremauit.
976. Otto Imperator perrexit ad Baioariam, atque Henricum ducem expulit, Ottonique duci Baioariam commendauit.
977. Imperator cum magno exercitu perrexit ad Bohemos, & maximam partem terræ illius incendio concremauit. Ipſe quoque Heinricus cum altero Heinrico inuaſerant Bazowam. quod imperator vt audiuit, feſtinato exercitum illo mouit, vrbemq; obſedit, & Heinricum ducem ad ſuam gratiam recepit, atque in Franciam perrexit.
978. Ad imperatorem Ottonem venit in Paſcha Boliſlawo, qui honorifice ſuſceptus muneribusque muneribus ab imperatore oneratus rediit domum. Aderat & Heinricus cum altero Heinrico, qui comprehenſi in exilium miſſi ſunt. Eodem anno Luitherus rex cum electo numero militum repente inuaſit Aquiſgrani palatium, ſeditque ibi tribus diebus. At Otto imperator feſtinato cum exercitu inſecutus eſt Luitharium vſque in Sigonem fluuium, & vſque ad ſancti Dionyſij cœnobium, eumque non apprehendit, quia fugiendo euaſit.
979. Gero Comes à Waldone quodam accuſatus, dum eum in ſingulari certamine occidiſſet, ipſe tamen ab imperatore decollatus eſt.
980. Otto imperator perrexit in Italiam, & Gozbertus Hirsfeldenſis abbas eccleſiam conſtruxit in Ordorf.
981. Adelbertus Magdaburgenſis archiepiſcopus obiit, cui Hiſillarius ſucceſſit. Imperator Natalem domini Romæ celebrauit.
982. Deſtructus eſt epiſcopatus in Merſiburg, miræq; magnitudinis ędificium cecidit in Magdeburg. Eodē anno Otto imperator valde periculoſum habuit prælium cum Sarracenis in Calabria, in quo prælio occiſus eſt Heinricus Auguſtenſis eccleſiæ epiſcopus, cum aliis plurimis epiſcopis. in quo etiā prælio idus Iulij occiſi ſunt milites fortiſſimi, hi ſcilicet, Vdo, Gebehardus, Guntherus, Bertholdus cum aliis multis, & Otto dux atq; Wernher abbas Fuldenſis. Ipſe imperator vita comite vix euaſit.
983. Otto ſecundus imperator Romam poſt male geſtas res regreſſus obiit, ibidemque ſepultus eſt. Heinricus dux Baioariæ regnum inuaſit, ſed à Principibus eſt reprobatus.
984. Filius imperatoris tertius Otto patri ſucceſſit in regnum, vnctus in regē Aquiſgrani à Iohanne Rauennati epiſcopo.
985. Gozberdus [Hirsfeldenſem] abbatiam reddidit, cui Bernharius ſucceſſit.
986. Otto rex puer Boemiam vaſtauit, ſed Miſchonem cum muneribus obuium ſuſcepit.
987. Iterum rex Boemiam intrauit, & eam ad deditionem coegit.

988. Æstatis feruor nimius. Rupertus Moguntiæ archiepiscopus obiit, cui Willigis succeſſit.

989. Theophana imperatrix Romam perrexit, omnemque illam regionem Regi subdidit.

990. 991. Theophana imperatrix obiit. Ignis de Rheno ascendit, & villas proximas absumpsit. Gotehardus monachus factus est.

992. Otto rex Brandenburgam obsedit. Gerdach Hildesheimensis episcopus obiit. [Dominus Bernnardus regis cancellarius, in diuinis & humanis rebus 14 calend. Februarias ordinatus, solertissimus succeſſit. Filij Heinrici comitis Heinricus, Vtto, Sigifridus contra piratas pugnant: quorum vnus occisus, duo sunt capti.]

993. 994. Wolffgangus Ratisponensis episcopus obiit, cui Gebehardus succeſſit. Filij Heinrici comitis, Heinricus, Vtto, &c. (vt iam supra) perierunt.

995. Maiolus abbas obiit.

996. Otto rex contra Crescentium Romam venit, vbi & Brunonem in sede Apostolica constituit, à quo & ipse imperator factus est. Gothardus abbas factus est in Altaha.

997. Iohannes Placentinus episcopus sedem Apostolicam inuasit consilio Crescentij. Adalbertus episcopus martyrizatur.

998. Crescentius ab imperatore decollatus, cum duodecim suis ante vrbem suspenditur. Iohannes pseudopapa cæcatur.

999. Brun papa qui & Gregorius, obiit, cui Gebertus qui & Siluester, succeſſit. S. Adelheit imperatrix obiit.

1000. Imperator ossa Caroli Magni Aquisgrani à pluribus eo vsque ignorata inuenit. Gaudentius frater Adelberti martyris Pragæ archiepiscopus constituitur.

1001. Imperator Natalem domini Romæ celebrauit.

1002. Otto III imperator obiit, cui Heinricus Baioarius succeſſit. Eggihardus marchio regni vsurpator Polodi occisus est.

1003. Plerique Principes à rege deficiunt, sed post modicum correcti in gratiã recipiuntur.

1004. Miserandum Papiæ incendium. Brun frater regis, qui electioni eius aliquandiu restiterat, in gratiam eius rediit.

1005. Bernharius abbas Heruelden sis obiit, cui Godehardus succeſſit.

1006. Guntherus nobilis vir de Thuringia monachus factus est Heruelditç, sed postea ad Altaha transiuit consilio Godehardi abbatis. Fames valida.

1007. 1008. Nothger Leodiensis episcopus obiit, cui Baldaricus succeſſit. Guntherus monachus eremum petiuit.

1009. Ecclesia maior Moguntiæ quam Willidisus construxerat, incensa est ipso die consecrationis suæ.

1010. Ansfridus Traiectensis episcopus obiit, cui Adelboldus succeſſit.

1011. Willigisus Moguntiæ archiepiscopus obiit, cui Erchennaldus [Fuldensis] succeſſit. Abbatiam Brantho suscepit.

1012. Ecclesia maior in Babenberg ab Eberhardo primo eiusdem sedis episcopo consecrata est. Gotehardus abbatiam Heruelden sem reliquit, cui Arnoldus succeſſit.

1013. 1014. Henricus rex cum Kunigunda regina imperiale nomen suscepit.

1015. Imperator ad Polonos cum exercitu abiit.

1016. Grando magna fuit, & multi fulmine exusti sunt.

1017. Megingoz Treuerorum episcopus obiit, cui Boppo succeſſit. Imperator contra Polonos iterum exercitum duxit.

1018. 1019. Imperator papam Babenberg suscepit hospitio.

1020. Heribertus Colonien sis archiepiscopus obiit, cui Peligrinus succeſſit. Erchenbaldus Moguntiæ archiepiscopus obiit, cui Aribo succeſſit.

1021. Ingens terræmotus factus est in Baioaria.

1022. [Dominus Bernnardus Hildesheimensis episcopus obiit. Gotehardus Altaha abbas succeſſit, 4. non. Decebris ordinatus.]

1023. Gero

1023. Gero Magdaburgenſis epiſcopus obiit, cui Hunfridus ſucceſſit. Brantho abbas Fuldenſis epiſcopus factus eſt Halberſtat. Richardus abbas Fuldenſis factus eſt.

1024. Heinricus ſecundus rex, primus imperator obiit, cui ſucceſſit Conradus.

1025. 1026. 1027. Conradus rex imperator factus eſt in Paſcha. Gebehardus frater imperatoris coactus eſt ex laico clericus fieri.

1028. Henricus imperatoris filius rex factus eſt Aquiſgrani per Pilegrinum Colonienſem archiepiſcopum.

1029. Bruno Auguſtenſis epiſcopus obiit, cui Ebbo ſucceſſit. Wernher Argentinæ epiſcopus obiit, cui Wilhelmus ſucceſſit.

1030. Conradus imperator Hungariam cum exercitu intrauit.

1031. Arnoldus abbatiam Heruеldenſem perdidit, cui Bardo ſucceſſit. Sed is poſt dimidium annum Ariboni Moguntino archiepiſcopo defuncto ſucceſſit. Rudolphus vero abbatiam Heruеldenſem ſuſcepit.

1032. Arnoldus amiſſa abbatia Heruеldenſi obiit in Gellingin.

1033. Kunigund imperatrix obiit. Imperator exercitum duxit in Burgundiam contra Vdonem.

1034. Albuwinus præpoſitus Heruеldenſis abbas factus in Nuinburg.

1035. Rudolphus abbas Heruеldenſis ordinatur epiſcopus Podelbrunon, cui Meginherus vir venerabilis ſucceſſit.

1036. Pilegrinus Colonienſis archiepiſcopus obiit, cui Herimannus ſucceſſit. [Ædificatum eſt monaſterium Scotorum in Erphordia per dominum Waltherum de Glisberg, qui ibidem ſepultus eſt.]

1037. Incẽſum eſt monaſterium Heruеldenſe. Gozelo dux Vdonem comitem occidit, & cum eo ad ſex homines.

1038. Godehardus Hildenesheimenſis epiſcopus obiit, cui Dietmarus ſucceſſit.

1039. Conradus imperator obiit Traiecti [feria ſecunda] in Pentecoſte, cui Heinricus [tertius] filius eius ſucceſſit. Richardus abbas Fuldenſis obiit, cui Sigewart ſucceſſit. Regenbolt Spirenſis epiſcopus obiit, cui Sibicho ſucceſſit.

1040. Heinricus rex in Boemiam duxit exercitũ, ibiq; Werinherus comes & Reginhard ſignifer Fuldenſis cum aliis multis occiſi ſunt. Petrus Vngariorum rex à ſuis expulſus, ad regem Heinricum confugit, petens auxilium. Eberhardus epiſcopus Babenbergenſis obiit, cui Suitgerus ſucceſſit. Dedicata eſt crypta Heruеldenſis, atque in eam tranſlatæ ſunt reliquiæ ſanctorum confeſſorum Wigberti & Lulli.

1041. Heinricus rex ſecundo Boemiam ingreſſus, ducem eius in deditionem accepit Prenzlao nomine, terramq; eius tributariam fecit. Inde per Baioariam regreſſus, feſtum ſancti Michaelis Ratiſponæ celebrauit.

Vban qui Vngariorum regnum inuaſerat, eruptionem in fines Baioariorum & Carentinorum fecit, multamq; prædam abegit. Sed Baioarij coadunatis viribus inſecuti prædam excuſſerunt, multisq; occiſis reliquos in fugam coegerunt.

1042. Rex prima expeditione in Vngariam facta, prædictum Vban fugauit, vſque ad fluuium Raban peruenit, tres vrbes maximas cepit, acceptoq; à prouincialibus iureiurando in pace remeauit.

Hermannus Mimigardenuurdenſis epiſcopus obiit, cui Rudbertus ſucceſſit. Heriberdus Emſtatenſis epiſcopus obiit, cui frater eius Gezman ſucceſſit, cui poſt aliquot hebdomadas defuncto Geberhardus ſucceſſit.

1043. Rex incarnationem Domini Goſlariæ celebrauit. Illuc dux Boemicus aduеniens, benigne ſuſceptus à rege, & honorifice aliquandiu habitus, tandem in pace eſt dimiſſus. Ibi inter diuerſarum prouinciarum legatos, legati Ruſcorum triſtes redierunt, quia de filia regis ſui, quam regi Henrico nupturam ſperauerant, certum repudium reportabant.

Ibi quoque legati regis Vngariorum pacem ſuppliciter orant, ſed non impetrant, quoniam rex Petrus, quem Vban per vim regno expulerat, præſens erat, ſuppliciterq; Heinrici regis auxilium contra illius violentiam implorabat. Sigeward Fuldenſis abbas obiit, cui Rohingus ſucceſſit. Giſla imperatrix obiit, & Spiræ ſepulta eſt.

Rex ſecunda expeditione in Vngaros facta, prædictum Vban ad placitam ſibi pactionem coegit, acceptisque ab eo de pace iuramentis & obſidibus, reuerſus nuptias celebrauit in Ingelheim, in coniunctione Agnetis filiæ Wilhelmi comitis Pictauorum.

1044. Rex natalem domini celebrauit Treueris, ibique omnes qui in regiam maieſtatem deliquerant, crimine abſoluit, eandemq; legem per totum regnum promulgauit, vt omnes ſibi inuicem delicta condonarent.

Gozelo dux Lotharingorum obiit, cuius filius Godefridus nobiliſſimæ indolis iuuenis, atque in re militari admodum exercitatus, quia ducatum patris non potuit obtinere, arma contra Rempublicam corripuit, Adelbertum ducem, quem rex patri eius ſubrogauerat, prælio victum occidit, cædes hominum & depopulationes agrorum quam maximas fecit, loca omnia vſque ad Rhenum, præter ea quæ vel murorum præſidio hoſtilem impetum ſubterfugiebant, vel ſe data pecunia redemerant, in cinerem redegit.

Rex tertia expeditione in Vngariam facta, prædictum Vban vicit & expulit, Petroq; regnum reſtituit.

Hazecho Wormatiæ epiſcopus obiit, cui Adelgerus ſucceſſit: cui itidem paulo poſt humanis rebus exempto Arnoldus ſucceſſit. Dietmarus Hildinesheimenſis epiſcopus obiit, cui Æzelinus ſucceſſit.

1045. Dux Godefridus à rege in deditionem acceptus, in Gibekenſtein miſſus eſt cuſtodiendus, ſicque regnum breui tempore quietum & pacatum manſit. Petrus Vngariorum rex Vban æmulum atque inſidiatorem regni ſui captum decollauit. Brunnus Wirceburgenſis epiſcopus obiit, cui Adelbero ſucceſſit. Cathelo Citicenſis Epiſcopus obiit, cui Eppo ſucceſſit. Altbrandus Bremenſis archiepiſcopus obiit, cui Adelbertus ſucceſſit.

1046. Rex Natalem domini Goſlariæ celebrauit, vbi & ſocrus eius de Pictauis cum primoribus gentis ſuæ aderat. Petrus rex Vngarorum ab Andrea propinquo ſuo dolo circumuentus cæcatur. Eggihardus marchio ſubitanea morte præfocatus interiit. Drutmarus abbas Corbeienſis obiit, cui Ruthardus ſucceſſit. Dux Godefridus cuſtodia abſolutus, dum videret, nec interceſſionem Principum, nec deditionem quam ſponte ſubierat, ſibi aliquid profuiſſe, & rei indignitate, & inopiæ familiaris tædio permotus, bellū rurſus de integro ſumpſit. Inter alias quas Reipublicæ intulit clades, Neomagum domum regiam miri & incomparabilis operis incendit, ciuitatem Verdonenſem cepit, maiorem in ea eccleſiam concremauit. Sed poſt modicum facti in tantum eum pœnituit, vt publice ſe verberari faceret, & capillos ſuos ne tonderentur, multa pecunia redimeret, ſumptus ad reædificandam eccleſiam daret, & in opere cæmentario per ſeipſum plerunque vilis mancipij miniſterio functus deſeruiret.

1047. Rex Natalem domini Romæ celebrauit, vbi tribus depoſitis qui ſedem Apoſtolicam contra eccleſiaſticas regulas inuaſerant, Suitgerum Babenbergenſem Epiſcopum vicarium Apoſtolorum conſtituit, à quo in die ſancto ipſe viciſſim cum Agnete regina imperiali nomine & honore eſt donatus. Inde Beneuentum vicinasque regiones peragrans, ſanctum Paſcha in redeundo Mantuæ celebrauit; Aſcenſionem in Auguſta, vbi Epponi epiſcopo defuncto, Heinricum ſubrogauit. Deinde exercitum naualem per Rhenum duxit in Friſiam contra Godefridum, eiuſque adiutorem Diodericum, ibique duas vrbes munitiſſimas cepit, Rinesburg & Fleerdingen. Suitgerus papa, qui & Clemens, obiit, & Babenbergæ ſepultus eſt. Rohingus abbas Fuldenſis obiit, qui eodem anno Romæ in Natali domini conſecratus fuerat à Suitgero papa. Guntherus [de Thuringia] eremita obiit.

1048. Imperator Natalem domini Polethæ celebrauit. Ibi legati aderant Romanorum, Suitgeri papæ obitum nunciantes, eiq; ſucceſſorem poſtulantes: quibus imperator Bopponem Priſnienſem epiſcopum aſſignauit, Babenbergenſem vero epiſcopatum Hezekin cancellario tradidit. Feſtum ſancti Michaelis imperator iterum Polethæ celebrauit: ibi poſtero die Dietmarus comes, frater Ducis Bernhardi, cum à milite ſuo Arnoldo accuſatus fuiſſet, de inito contra imperatorem conſilio, congreſſus cum eo, vt obiectum crimen manu propria purgaret, victus & occiſus eſt. Ecbertus Fuldenſis abbas factus ſtatim poſt Natalem domini.

1049. Im-

1049. Imperator Natalem domini Frisingæ celebrauit. Ibi iterum legati Romanorum, Bopponis papæ morte nunciata, rectorem Romanæ ecclesiæ postulabant: quibus imperator Brunonem Tolosæ episcopum dedit.

1050. Leo papa propter componendum statum ecclesiarum & pacem Galliis reddendam Roma egressus, Moguntiæ synodum celebrauit, præsidente imperatore cum 42 episcopis. Vbi Sibecho Spirensis episcopus de criminibus quibus accusabatur, sacra communione se purgauit: & dux Godefridus interuentu papæ & principum gratiam imperatoris obtinuit. Expleta synodo imperator expeditionem mouit super Balduinum, papa vero reditum eius Aquisgrani expectauit.

1051. Imperator natalem domini Wormaciæ celebrauit, vbi Leo papa ei valefaciens, mediocriter compositis & causis ecclesiasticis & regni negotiis, Romam reuersus est, abducens secum Godefridum ducem, & fratrem eius Fridericum, qui Gebehardo postmodum in sedem Apostolicam successit, item alios quam plures tam clericos quam laicos in re militari probatissimos, quorum virtute Nortmannis qui Apuliam occupauerant, obuiam ire parabat. Consecrata est ecclesia in Goslaria ab Herimanno Colonienſi archiepiscopo. Imperator Pentecosten celebrauit Podelbrunnen, vbi Bardo archiepiscopus ad missam habito sermone, obitum suum instare prædicens, orationi fidelium se commendauit, qui eodem mense decessit, eiq; Lupoldus successit. Dietricus Constantiensis episcopus obiit, cui Rumolt successit. Hunfridus Magdaburgensis episcopus obiit, cui Engelhardus successit. Natus est imperatori filius Henricus IV rex, III idus Nouembris.

1052. Imperator Natalem domini Polethæ celebrauit, vbi filio suo Heinrico adhuc catechumeno principes regni sub iuramento fidem promittere fecit. Pascha celebrauit Coloniæ, ibiq; prædictus puer ab Herimanno eiusdem ciuitatis archiepiscopo baptizatus est. Rudolphus Podelbrunnensis episcopus obiit, cui Immed successit.

1053. Imperator Natalem domini Goslariæ celebrauit, vbi & Immed consecratus est à Luitpoldo archiepiscopo. Leo papa profectus contra Nortmannos contulit cum eis prope Beneuentum signa, & fugientibus statim in prima congressione Longobardis, Teutonici omnes pene ad vnum interfecti sunt. Ipse quoque obsessus est in Beneuento, & vix tandem post multas tribulationes obsidione liberatus, cunctos dies quibus superuixit tantæ calamitati, in luctu & mœrore egit. Eo tempore Fridericus frater Gotefridi, Romanæ ecclesiæ archidiaconus, Constantinopolim Apostolicæ sedis functus legatione abierat. In dicta synodo cum imperatorem Constantinopolitanum & Patriarcham euocasset, & illi primatus sui maiestatem vindicantes, dicto obtemperare dedignarentur, egressus vrbem, scandalia sua more Apostolorum publice super eos excussit. Quo facto, tantum terrorem omnibus Constantinopolitanis incussit, vt imperator & patriarcha cum clero & populo sequenti die sacco & cinere obuoluti ad eum procederent, & Apostolicam authoritatem in eo proni in terram adorarent. Ibi quoq; per Godefridum ducem hæretici deprehensi sunt & suspensi.

Marchio Italorum Bonifacius obiit, cuius viduam Beatricem dux Godefridus accipiens, marcham & cæteras eius possessiones coniugij prætextu sibi vendicauit: quo comperto imperator Heinricus graui scrupulo perurgeri cœpit, reputans ne forte per eum animi Italorum semper auidi nouarum rerum, vt à regno Teutonicorum deficerent, solicitarentur.

1054. Leo nonus papa 13 calendas Maij beato fine quieuit in Domino, Romæque sepultus est. Imperator interpellatus à Romanis, vt antistitem sedi Apostolicæ prouideret, Gebhardum Emstadensem episcopum misit, datisq; clanculo literis ad omnes qui in Italia opibus aut virtute militari plurimum poterant, deprecabatur eos, vt ducem Godefridum, ne quid forte mali contra rempublicam machinaretur, obseruarent; promittebatque seipsum, vita comite, proximo anno affuturum, & quid facto opus esset, visurum.

Huic subdiaconus toxicum in calicem misit, quem cum ipse post consecrationem leuare vellet, nec posset, à domino causam facti inquisiturus, cum populo ad orationem prosternitur, statimque toxicator à dæmone arripitur. Ita igitur causa manifestata dominus papa calicem cum sanguine Dominico cuidam altari iussit includi, & pro

reliquiis in perpetuum conseruari; deinde iterum cum populo tam diu ad orationem prosternitur, quousque subdiaconus à dæmonio liberaretur.

Fridericus archidiaconus Constantinopoli regressus, vbi comperit Leonem papam humanis rebus excessisse, & alium iam ecclesiastici regiminis iura suscepisse, dona quidem quæ ab imperatore Constantinopolitano permagnifica deferebat, ecclesiæ Romanæ consignauit, & statim vrbe excedens, in monasterium Casinum se contulit, ibi deinceps Christo sub sanctæ professionis titulo militaturus; quod factum male plerique interpretabantur. Sed nemo qui sanum sapiebat, aliter hoc eum quam ardore fidei & tædio secularium negotiorum feciſſe credebat, præsertim cum eodem tempore & longi itineris labore exhaustus, & graui corporis molestia pulsatus, diu se posse viuere desperaret.

Azelinus Hildenesheimensis episcopus obiit, cui Hecelo successit. Siuico Spirensis episcopus obiit, cui Arnoldus successit. Hezeken Babenbergensis episcopus obiit, cui Adelbero successit.

Imperatoris filius Heinricus consecratus est in regem Aquisgrani ab Hermanno Colonienſi archiepiscopo, vix & ægre super hoc impetrato consensu Luipoldi archiepiscopi, ad quem propter primatum Moguntinæ sedis consecratio regis & cætera negotiorum regni dispositio potissimum pertinebat. Sed imperator potius Hermanno archiepiscopo hoc priuilegium vendicabat, propter claritatem generis eius, & quia intra diœcesim ipsius consecratio hæc celebranda contigisset.

1055. Heinricus imperator Natalem domini Goslariæ celebrauit, statimque exactis feriis solennibus in Italiam perrexit, vocatus eo legatione Romanorum, qui nunciauerant nimium in Italia contra Rempublicam crescere opes & potentiam Godefridi ducis: & nisi turbatis rebus mature consuleretur, ipsum quoque regnum propediem ab eo dissimulato pudore occupandum fore. Sed vbi Italiam ingressus est, dux Godefridus missis in occursum eius nunciis, mandauit nihil se minus quam rebellionem cogitare, paratum potius pro statu reipublicæ & imperatoris salute, extrema etiam omnia experiri, gratum se habere, quod patriis finibus extorris, patriis possessionibus eiectus, opibus saltem vxoris suæ in peregrinatione sustentaretur: quam nec dolo, nec rapto, sed ipsius placito, & celebratis solemniter nuptiis, in matrimonium sibi iunxisset. Beatrix quoq; dissimulato metu imperatori obuiam processit, & vix impetrata dicendi copia ait, nihil se egisse præter quam quod iure gentium sibi agere licuisset: destitutam se priori marito, desolatæ domui patronum parauisse, & ingenuam ingenuo sine fuco nefariæ cuiusquam machinationis nupsisse: nec æqui, nec boni memorem eum esse, si id sibi pace eius nõ liceret, quod in imperio Romano fœminis nobilibus semper licuisset. Imperator itaque accepto à primoribus consilio, Godefridum crimine absoluit, non tam probans satisfactionẽ eius, quam metuens ne malis recentibus exasperatus Normannis infestantibus Italiam ducém belli se præberet, & fierent nouissima eius peioribus: Beatricem tamen quasi per deditionem acceptam secum abduxit, hoc illi culpæ obiiciens, quod contractis se inconsulto nuptiis hosti publico Italiam prodidisset. Deinde anno integro intra Italiam commoratus, cuncta quæ rei vtilitas exposcere videbatur, magnifice pro loco & tempore ordinauit.

1056. Guntherus tunc temporis cancellarius [imperatoris] visionem vidit memoria dignam; Dominum in solio maiestatis suæ residere, & eleuato in altum brachio districtum gladium magno nisu vibrare, & circumstantibus dicere, Reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam. Quam visionem protinus mortalitas subsecuta est principum regni. Eaque expleta vidit eodem rursus schemate dominum residere, & remisso iam in vaginam gladio, & super genua sua reclinato, dicere circumstantibus: ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Hermannus Colonienſis episcopus obiit, cui Hanno Goslariensis præpositus successit. Imperator regressus de Italia, sanctum Pascha Podelbrunnæ celebrauit, breuiq; commoratus in Goslaria, perrexit ad villam Ciuois in confinio sitam regni Francorum ac Teutonicorum, colloquium ibi habiturus cum rege Francorum: à quo contumelioſe atque hostiliter obiurgatus, quod multa sæpe sibi mentitus fuisset, & quod partem maximam regni Francorum dolo à patribus eius occupatam, reddere tam diu distulisset.

Cum

Cum imperator paratum se diceret, singulariter cum eo conserta manu obiecta refellere, ille proxima nocte fuga lapsus, in suos se fines recepit. Imperator Natiuitatẽ sanctæ Mariæ Goslariæ celebrauit, ibique Victorem papam, qui & Gebehart, magnifico apparatu suscepit hospitio, collectis scili. ad ornandam tantæ diei solemnitatem cunctis pene regni opibus & principibus. Inde profectus Botfelden, cum ibi aliquandiu venationi deditus moraretur, comperit Wilhelmum marchionem & Diodericum comitem, cum infinita multitudine Saxonici exercitus, quos contra Luticios miserat, male gestis rebus occubuisse. Nec multo post ipse corporis molestia correptus, cum septem aut eo amplius diebus lecto decubuisset, diem clausit extremum. Præsentes erant, quasi ad officium tanti funeris ex industria euocati: Romanus pontifex, Aquileiensis patriarcha, patruus Imperatotis Ratisponensis Episcopus, item aliæ innumerabiles tam laici quam ecclesiastici ordinis dignitates. Notatumque est nulla retro maiorum memoria, sine publica indictione tot illustres personas in vnum confluxisse. Corpus eius Spiram translatum est, & celebratis regio more exequiis, die natalitio Apostolorum Simonis & Iudæ, quo scilicet die etiam natus fuerat, sepulturæ est traditum. Regnum pro patre obtinuit filius eius Henricus [quartus] v annorũ infantulus, anno, postquam in Regem vnctus fuerat, tertio. Summa tamen rerum, & omnium quibus facto opus erat, administratio penes imperatricem remansit, quæ tanta arte periclitantis reipublicę statum tutata est, vt nihil in ea tumultus, nihil simultatis tãtæ rei nouitas generaret.

Arnoldus Spirensis episcopus obiit, cui Cunradus successit.

Cunradus filius imperatoris dux Baioariæ obiit. Ducatum eius Imperator imperatrici dedit, priuato iure, quoad vellet, possidendum.

Dedi Palatinus comes à quodam clerico Bremensi occisus est, quem à fratre suo archiepiscopo susceperat, pro criminibus quæ ei obiiciebantur, exilio deportandum, sepultusq; est, iubente Imperatore, in Goslaria. Wilhelmo marchioni successit Vdo comes, vir valde industrius, & regi consanguinitate proximus.

1057. Rex Natalem Domini Ratisponæ celebrauit, præsente adhuc Victore papa, qui exinde compositis mediocriter, prout tunc copia erat, regni negotiis, in Italiam regressus, quinto Calendas Augusti migrauit ad Dominum. Einstatensem episcopatum (quo se ille papa factus non abdicauerat) Gunzo suscepit. Tum vero vniuersi quidquid principum, quidquid plebis Romanæ erat, vno animo, pari voluntate, in electionem consenserunt Friderici fratris Godefridi ducis, extractumque de monasterio Casino, vbi lucerna Dei ardens & lucens sub lecto monasticæ quietis delitescebat, super candelabrum extulerunt sedis Apostolicæ. Nec quisquam sane multis retro annis lætioribus suffragiis, maiori omnium expectatione, ad regimen processerat Romanæ ecclesiæ. Sed tantam spem heu frustrata est mors immatura. Vto marchio obiit, cui filius eius Vto iunior successit. Principes Saxoniæ crebris conuenticulis agitabant de iniuriis, quibus sub Imperatore affecti fuerant, arbitrabanturque pulchre sibi de his satisfactum fore, si filio eius (dum adhuc ætas opportuna iniuriæ esset) regnum eriperent: nec procul ab fide aberat, filium in mores vitamque patris pedibus, vt aiunt, iturum esse. Accessit ex insperato magnum turbandis rebus adiumentum, Otto frater Guillelmi marchionis, sed matrimonio impari, matre scilicet Sclauica natus, vir acer ingenio, & manu impiger. Is apud gentem Bohemorum iam à puero exulauerat, sed comperta morte fratris, magna spe obtinendæ hæreditatis regressus in Saxoniam, à cunctis illic principibus benigne accipitur, magnisque omnium adhortationibus instigatur, non modo marchiam (quæ sibi iure hæreditario competeret) sed ipsum quoque regnum affectare. Vbi alacrem paratumque negotio aduertunt, fidem illi omnes dicunt: suas quisque manus, suam operam pollicentur: regemque vbicunque fortuna opportunum feciſſet, interficere constituunt. Perculsis metu omnibus quibus rerum publicarum solicitudo aliqua erat, & magnopere intentis ad sedandam turbam quę oriebatur, placuit regem ocyus in Saxoniam venire, & periclitanti reipublicæ quaqua posset ratione consulere. Itaque Natalem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Erfenburg celebraturus erat, eo quicquid principum erat in Saxonia, ad colloquium euocari iussit. Quo dum pergerent pro sua singuli copia, magna militum

manu ſtipati, contigit, vt Brun & Ecbertus patrueles regis caſu inciderent in multitudinem prædicti Ottonis, conglobato agmine ad curtem regiam proficiſcentis. Hi præter cauſam publicam, priuatis quoq; inimicitiis infeſtiſſimi illi erant. Nec mora, dato militibus ſigno ad pugnam, equis ſubdũt calcaria, & pari vtraque pars audacia, paribus odiis in mutua vulnera ruunt. Ibi in prima fronte Brun & Otto, ambo pleni irarum, ambo ſui tegendi immemores, dum hoſtem ferirent, tam concitatos in ſeſe vicißim impetus dederunt, vt vterq; alterum primo incurſu equo excuſſum letali vulnere transfoderet. A miſſis ducibus aliquandiu vtranq; aciem anceps pugna tenuit. Sed Ecbertus quanquam grauiter ſaucius, dolore tamen interempti fratris efferatus, rapido curſu in confertiſſimos hoſtes præcipitem ſe mittit. Bernardi comitis filium egregium adoleſcentem, ſed vix dum militiæ maturum, interficit: cæteros languidius, quoniam ducem perdidiſſent, pugnantes in fugam conuertit. Sic reſpublica maximo metu liberata eſt, & Saxones adempto rebellionis ſignifero, nihil vlterius quod ſecus eſſet, contra regem moliti ſunt. Cuono cognatus regis, dux factus eſt Carẽtinorum: frater eius Henricus Palatinus Comes Luthariorum, inſtinctu dęmonis monaſticam vitam profeſſus eſt in Gorzia. Sed per paucos dies, vulgante ſe dæmonio quo illuſus fuerat, ſanctæ conuerſationis habitum quo ſe angelus Satanæ in angelum lucis transfigurauerat, abiecit, vxoremq; ſuam & poſſeſſiones deſertor Dei & transfuga recepit.

1058. Rex Natalem Domini Merſenburg celebrauit, aderatque ibi inter alios regni principes, etiam Hildebrãdus abbas de ſancto Paulo, mandata deferens ab ſede Apoſtolica, vir & eloquentia & ſacrarum literarum eruditione valde admirandus. Ego N. familiaris curam, ne in via Dei prægrauarer, abieci, ſanctamq; veſtem ab eius ſanctiſſimis manibus idibus Martiis, heu nimium impar tali armaturæ, ſuſcepi. Piæ memoriæ Stephanus papa, qui & Fridericus, cum in ciuitate Florentia moraretur, III Calendas Aprilis naturæ mortali debitum ſoluit, & vere (vt ſperamus) de hac conualle lacrymarum ad gaudium tranſiit angelorum. Indicio ſunt ſigna & prodigia, quibus ſepulchrũ eius in eadem ciuitate vſq; hodie diuinitus illuſtratur. Sedem Apoſtolicam protinus, inconſulto rege & principibus, inuaſit Benedictus quidam Lateranẽſis adiutus factione popularium, quos pecunia corruperat. Otto de Suinfurde dux Sueuorum obiit. Ducatum eius Rudolphus obtinuit, & vt regi in dubiis tunc rebus ex affinitate deuinctior fideliorq; in rempublicam foret, ſoror quoque regis ei deſpõſata eſt, tenera adhuc ætate, traditaq; eſt epiſcopo Conſtantienſi nutrienda, dum thoro coniugali matureſceret. Cuono dux Carentinorum, contractis ingentibus copiis, ad occupandum ducatum ſuum, quem tanto tempore, metu rebellionis nõ inuiſerat, primam profectionem parabat, ſed morte præuẽtus cœptum iter nõ expleuit. Ego N. presbyter ordinatus ſum à Schafnaburg in ieiunio autumnali à Lupoldo archiepiſcopo, ſtatimq; peregrinationẽ Hieroſolymitanam adgreſſus tum zelo Dei, ſed vtinam ſecundum ſcientiam. Ecbertus, qui & Eppo, abbas Fuld. XV Calendas Decembres obiit, cui Sigisfridus eiuſdem cœnobij monachus ſucceſſit.

1059. Rex Natalem domini in ciuitate Marouvva celebrauit, in confinio ſita Hungariorum & Bulgariorũ. Romani principes ſatisfactionem ad regem mittunt, ſe ſcilicet fidẽ quam patri dixiſſent, filio quoad poſſent ſeruaturos, eoq; animo vacanti Romanę Eccleſiæ pontificem vſque ad id tempus non ſubrogaſſe, eius magis ſuper hoc expectare ſententiam, orantq; ſedulo, vt, quem ipſe velit tranſmittat, nihil eius ordinationi obſtare, ſi quis non per legitimæ electionis oſtium, ſed aliunde aſcendiſſet in ouile ouium. Rex habita cum primoribus deliberatione, Gerardum Florentinum epiſcopũ (in quem & Romanorum & Teutonicorum ſtudia conſenſerant) Pontificem deſignat, Romamq; per Godefridum marchionem tranſmittit. Ita Benedicto, qui ſine iuſſu regis & principum ſacerdotium vſurpauerat, reprobato: Gerardus, qui & Nicolaus, pontificatum obtinuit. Is eodem anno ab abbate Meginhero interpellatus propter decimationes Saxoniæ, literas & mandata direxit Burchardo Halberſtadenſi epiſcopo, ne ſtatutos patrum terminos tranſgrederetur, neve monaſterium Herueldenſe ſuperfluis concertationibus inquietaret: ſi pergeret moleſtus eſſe, neceſſario ſe Apoſtolicæ auctoritatis virga vſurum aduerſus eius inobedientiam, præſertim cum monaſterium illud

illud sub iurisdictione esse Romani pontificis tot prædecessorum eius priuilegia testarentur. Abbati quoque epistolam scripsit verbis consolatoriis, quæ vsque in præsentiarum in chartario seruatur Herueldensis monasterij. Ego exacta peregrinatione Hierosolymitana XV Calendas Octobris ad monasterium reuersus sum, & quod in omni illa profectione mea præcipuum à Deo postulaueram, Meginherum abbatem superstitem inueni. Timebam scilicet, quoniam sine benedictione illius profectus fuissem, si offensus irreconciliatusque decessisset, magni criminis reum me teneri apud Dominum: sed non abfuit propitia diuinitas redeunti, quæ tanto illo itinere sæpe vsque ad vltimam necessitatem periclitatum misericordissime texerat. Incolumem reperi, peccato indulsit, & quasi ex inferis rediuiuus emergerem, sic obuiis, vt aiunt, manibus me gratulabundus excepit. Mirum autem in modum, diceres, vitam eius absolutioni meæ ex industria seruatam fuisse, eodem die quo me crimine absoluerat, febre correptus est, & sic per octo dies graui ægritudine decoctus, VI Calendas Octobris feliciter consummato cursu, quieuit in Domino: vir magnarum in Christo virtutum, & vere (quod omnium modernorum abbatum pace dixerim) vnicum sua ætate in Teutonicis regionibus recte ac monastice viuendi exemplar. Is (vt prædictum est) cum Burchardo Halberstadensi episcopo diuturnam traxerat litem propter decimationes Saxoniæ, quas ille Herueldensi monasterio ereptas, per occasionem episcopalis reginiinis sibi vendicabat. Contra cuius improbitatem cum nec forenses, nec ecclesiasticæ leges quicquam valerent, & abbas, sæpe querimonia in ius relata, surdis tribunalibus fabulam narrasset: tandem breui, antequam vita excederet, mandauit ei per Fridericum Palatinum comitem, se quidem tanquam viribus imparem causa cadere, Deo tamen vires ad tuendam æquitatem non defuturas esse: proinde parati ambo essent, vt intra paucos dies ad tribunal æquissimi iudicis Dei causam dicerent, victurum ibi esse, non qui plus posset, sed cuius causa iustior esset. Nec fefellit euentus. Nam post dormitionem abbatis pauci dies interceserant: Et ecce Episcopus, cum prædictæ rei gratia synodum indixisset, & admoto iam equo illuc properare vellet, repente diuina animaduersione ictus corruit, reportatusque ad cubiculum, ascitis oeyus presbyteris suis per Deum obtestabatur, vt decimationes suas Herueldensi monasterio restituerent, atque omnem in perpetuum super hac re litem præciderent, scirentque, cunctis qui eadem tentassent, sic infeliciter rem cessuram, vt sibi cessisset, qui iniustæ exactionis tam acerbum vindicem ipsum experiretur Dominum. Cumque Magdeburgensis & Hildenesheimensis Episcopi visitatum eum aduenissent, cum magno eiulatu fatebatur, se iuxta prædictum eximij abbatis ad tribunal Dei iamiam abripi, & pro inuasis rebus alienis rationem exigi, rogabatque obnixe, vt missis Herueldiam nuncijs, veniam sibi pro admisso supplices precarentur. Nec multo post diruptis miserabili genere morbi visceribus expirauit. Vto quoque archipresbyter eius, quo ille potissimum in centore in hanc sæuitiam inarserat, quique exactor atque administer huius calumniæ vehementissimus extiterat, eodem anno subitanea morte sine confessione, sine sacra communione, interiit, à Diabolo (vt fama vulgatior loquebatur) suffocatus. Meginhero abbati VI Idus Nouembris substitutus est Ruothardus Corbeiensis disciplinæ monachus, qui in monasterio Corbeiensi abbas quondam fuerat ordinatus. Sed quorundam criminum postea falso (vt creditur) insimulatus, abbatia amissa, nonnullos per diuersa monasteria priuatus iam exegerat annos. Burchardo episcopo succesit Bucco Goslariensis præpositus, qui prædecessoris sui recenti adhuc exitio conterritus, ab infestatione Herueldensis monasterij temperabat. Minabatur tamen plerumque magna se facturum, sed vltra verba non processit. Lupoldus archiepiscopus Moguntinus VII Idus Decembris obiit, relicto in monumentum sui Monasterio sancti Iacobi, quod propriis impensis extruxerat Moguntiæ, foris murum, in monte qui dicitur Speciosus: cui succesit Sigifridus abbas Fuldensis. Abbatiam vero Wideradus obtinuit, eiusdem cœnobij monachus, eiusdem quoque familiæ oriundus.

1060. Rex Natalem Domini Wormatiæ celebrauit, vbi & synodus indicta fuerat. Sed excusantibus se episcopis per infirmitatem & pestilentiam, quæ tunc temporis vehementer grassabatur in Gallia, ad effectum non peruenit. Sitto Verdensis Episcopus

obiit,cui Ruebertus ſucceſſit. Gebehardus Ratiſponẽſis epiſcopus obiit,cui Otto ſucceſſit. Conradus Spirenſis epiſcopus moritur,in cuius locum Einhart promouetur.

1061. Andreas rex Vngariorum, videns Belem quendam propinquum ſuum regnũ affectare, & Vngarios à ſe paulatim ad eum deficere, vxorem ſuam & filium Salomonem cui imperator filiam ſuam paruulo paruulam deſponderat, cum multis opibus ad regem Henricum tranſmiſit, petens vt & ſibi miſſo exercitu ſubueniret,& ſuos,donec rebus tranquillitas redderetur, ſeruaret. Rex Wilhelmum marchionem Thuringorum,& Epponem Citicenſem epiſcopum cum duce Bohemorum & exercitu Baioarico illuc miſit. Sed marchio & epiſcopus priores Vngariam ingreſſi, non expectato duce Bohemorum, cum Bele ſigna contulerunt, atq; infinitam multitudinem Vngarorum peremerunt. Deinde cum ex omni parte Vngari ad ferendum ſuis auxilium frequentes confluxiſſent: videntes miſſi regis tantæ multitudini ſe numero & viribus impares eſſe, finibus hoſtium excedere volebant. Verum illi loca omnia per quæ exitus eſſe poterat, occluſerant, tum ne quid cibi aut potus in via reperiretur, prouiderant. Cumque inſuper abeuntes crebra incurſione infeſtarent, & illi ſemper periculum virtute propulſantes, magnas hoſtium ſtrages darent,tãdem diuturna cæde exhauſtis viribus, Andreas equo forte excuſſus, pugnantium pedibus eſt conculcatus, Epiſcopus captus,marchio fama magis,quam ferro expugnatus,ſe dedidit: cuius virtus tantæ admirationi apud barbaros fuit,vt Ioas filius Belis pro illius tum gentis moribus haud deſperatæ indolis adoleſcens,vltro patrem exoraret, non modo vt eum iure belli intactũ ſineret,ſed etiam vt affinitate ſibi iungeret, deſponſata ei filia ſua ſorore Ioiada. Imperatrix ducatum Baioariæ, quem poſt mortem Cunradi filij ſui vſque ad id tempus per ſeipſam adminiſtrauerat, Ottoni dedit, videns eum virum induſtrium & iuuandis regni negotiis ſatis opportunum.

Henricus Palatinus comes Luthariorum vxorem ſuam manu propria interfecit, & ſic tandem publicata euidentius infeſtatione dæmonis, quam diu diſſimulauerat, miſſus eſt in monaſterium Efdernachenſe, ibique diuturna vexatione conſumptus interijt.

1062. Wilhelmus marchio reuerſus in Thuringiam, dum redire in Vngariam, & ſponſam ſuam cum magna opum ſuarum oſtentatione adducere pararet, inter eundum ſecunda manſione morbo correptus obiit. Sponſam eius Vldaricus marchio Carentinorum cognatus eius accepit,Marcham Otto frater eius obtinuit. Sed is beneficia Moguntini epiſcopatus aliter obtinere non potuit, niſi promitteret decimas ſe de ſuis in Thuringia poſſeſſionibus daturum,& cæteros Thuringos vt idem facerent, coacturum: quę res multorum malorum ſeminarium fuit, deteſtantibus omnibus Thuringis factum eius,& aſſerentibus, mori ſe malle, quam patrum ſuorum legitima amittere. Imperatrix nutriens adhuc filium ſuum, regni negotia per ſe ipſam curabat, vtebaturque plurimum conſilio Henrici Auguſtenſis epiſcopi. Vnde nec ſuſpicionem inceſti amoris effugere potuit: paſſim fama iactitante, quod non ſine turpi commercio in tantam coaluiſſent familiaritatem. Ea res principes grauiter offendebat,videntes ſcilicet,quod propter vnius priuatum amorem,ſua,quæ potiſſimum reipublicæ valere debuerat,authoritas pene obliterata fuiſſet. Itaque indignitatem rei non ferentes, crebra conuenticula facere,circa publicas functiones remiſſius agere, aduerſus imperatricẽ popularium animos ſollicitare, poſtremo omnibus modis niti,vt à matre puerum diſtraherent, & regni adminiſtrationem in ſe transferrent. Ad vltimum Colonienſis epiſcopus, communicatis cum Ecberto comite & cum Ottone duce Bauariorum conſiliis, nauigio per Rhenum ad locum qui dicitur ſancti Suitberti inſula, venit. Ibi tum rex erat, qui dum quadam die poſt ſolemnes epulas factus fuiſſet hilarior, hortari eum epiſcopus cœpit, vt nauim quandam ſuam, quam ad hoc ipſum miro opere inſtruxerat,ſpectatum procederet. Facile hoc perſuaſit puero ſimplici,& nihil minus quam inſidias ſuſpicanti. Cumque nauim ingreſſus fuiſſet, ſtipantibus eum his quos epiſcopus factionis ſuæ ſocios ac miniſtros parauerat, repente remiges inſurgunt, remis incumbunt, nauim dicto citius in medium fluminis impellunt. Rex noua rerum facie confuſus,incertuſque animi, nec aliud quam vim & necem ſibi paratam arbitratus,in flumen ſe præcipitem dedit: citiuſq; eum aqua violentior ſuffocaſſet,niſi Ecbertus co-

tus comes dato post eum saltu periclitantem, ipse quoque non minimum periclitatus, vix & ægre morti eriperet,& naui restitueret. Exin blanditiis quibus poterant delinitũ Coloniam perducunt. Cætera multitudo per terram subsequitur, criminantibus plurimis,quod Regia maiestas violata, suique impos facta foret. Episcopus vt inuidiam facti mitigaret,ne videlicet priuatæ gloriæ potius,quam communis commodi ratione hæc admisisse videretur: statuit,vt episcopus quilibet,in cuius diœcesi rex tunc temporis moraretur,ne quid detrimẽti respublica pateretur,prouideret, & causis quæ ad regem delatæ fuissent,potissimum responderet. Imperatrix nec filium sequi,nec iniurias suas iure gentium expostulare voluit, sed in propria recedens,priuate deinceps ætatẽ agere proposuit. Nec multo post tædium passa ærumnarum seculi, domesticis quoque erudita calamitatibus, quam cito & velociter ex sufflante spiritu Dei exsiccetur fœnum temporalis gloriæ, cogitauit sæculo renunciare; statimque ad explendum quod cogitauerat præceps abisset, nisi in ea impetum spiritus amici maturioribus consiliis inhibuissent.

1063. Rex Natalem Domini Goslariæ celebrauit. Vbi ipsa die,dum ad vesperam sellæ episcoporum locarentur, inter camerarios Hecelonis Hildenesheimensis Episcopi,& camerarios Wideradi Fuldensis abbatis, grauis concertatio oborta est, & primo iurgiis,deinde pugnis res gesta est, citoque ad gladios prorupissent, nisi Ottonis ducis Baioariorum,qui causam abbatis tuebatur,authoritas intercessisset. Causa vero talis erat. Consuetudo erat in regno per multos retro maiores obseruata, vt semper in conuentu episcoporum abbas Fuldensis archiepiscopo Moguntino proximus assideret. Sed episcopus causabatur neminem sibi intra diœcesim suam post archiepiscopũ debere præferri,animatus ad hoc & opum gloria, qua antecessores suos longe supergrediebatur,& temporis opportunitate, quia rege adhuc in puerilibus annis constituto, singuli quod sibi animus suggessisset,facere impune poterant.

Gerhardus papa,qui & Nicolaus,obiit,in cuius locum per electionem regis & quorundam principum Parmensis episcopus substitutus est, & Romam per Bucconem Halberstadensem episcopum missus.cui redeunti pro præmio bene curatæ legationis pallium dedit, & alia quædam archiepiscopatus insignia: quod archiepiscopus Moguntinus ad obfuscandum sui prioratus fastigium factum interpretatus, indignissime tulit:sed per archiepiscopi Colonien sis interuentum satisfactione accepta, quieuit indignatio eius. Rex Pentecosten Goslariæ celebrauit. Ibi dum ad vespertinalem synaxin rex & Episcopi conuenissent, rursus de positione sellarum Episcopalium tumultus exoritur, non fortuita vt prius conuersione, sed præmeditata diu machinatione: Nam Episcopus Hildesheimensis acceptæ prius contumeliæ memor, Ecbertum comitem cum expeditis militibus retro altare occuluerat. Hi audito tumultuantium camerariorum strepitu ocyus aduolant, Fuldensium alios pugnis, alios fustibus cædunt, prosternunt, & de sacrario ecclesiæ inopinato periculo attonitos facile proturbant. Quibus illico ad arma conclamantibus, Fuldenses quibus arma in promptu erant facto grege ecclesiam irrumpunt, in medio chori psallentiumque fratrum manus conserunt, rem iam non fustibus sed gladiis gerunt. Pugna atrox committitur, atque per totam ecclesiam pro hymnis & canticis spiritualibus vociferatio adhortantium & vlulatus morientium exauditur. Super altaria Dei tristes iugulantur hostiç,passimque per ecclesiam sanguinis currunt flumina,non legali,vt quondam,religione, sed hostili crudelitate profusa. Episcopus Hildenesheimensis capto editiori loco,tanquam militari quodam classico, suos vt fortiter præliarentur hortabatur,& ne loci religione ab armis terrerentur, suæ authoritatis & promissionis titulum obtendebat. Multi vtrinque vulnerati, multi occisi sunt,inter quos præcipui erãt Regenbodo signifer Fuldensis, & Bero Ecberto comiti carissimus miles. Rex inter hæc vociferans, & sub obtentu regiæ maiestatis populum adiurans, surdis fabulam narrare videbatur. Tandem monitus à suis,vt vitæ propriæ pugna excedens consuleret, vixque inter constipatam arctius multitudinem eluctatus in palatium se recepit. Hildenesheimensis qui instructi præmeditatiq; ad pugnam venerant, superiores efficiuntur. Fuldenses,vtpote quos inermes inopinatosq; subito exortę seditionis procellacõtraxerat,fusi,fugatiq; atq; de ecclesia expulsi sunt. Fores illico obserãtur. Fuldẽses

qui primo tumultu ad arma tollenda paulo longius discurrerant, frequentes, armatiq; adsunt, atrium ecclesiæ occupãt, aciem instruunt, vt de ecclesia progressos statim adoriantur: sed nox concertationem diremit. Postero die seueriſſime habita quæstione, Ekbertus comes facile crimen remouit, non tantum iuris & legum patrocinio, quantũ fauore & indulgentia regis, cuius patruelis erat. Totum accusationis pondus in abbatem versum est. Hunc inquiunt omnium quę acciderant caput fomitemq; fuisse, hunc ad disturbandam quietem regiæ curtis præmeditato furore venisse, argumento rei esse, quod tanta vi hominum, tanta bellici apparatus pompa instructus, nullo periculi metu vrgente eo venisset. Tum vero vrgebat & ille Apostolicæ sanctitatis ac Mosaicæ mansuetudinis episcopus, qui tanti sanguinis effusione manus suas Deo cõsecrauerat, & violatæ ecclesiæ iniurias truculentius atq; immitius, quam rex suas, persequebatur. In quorum corpora prius ferro debacchatus fuerat, ad perimẽdas horum animas gladio spiritus modo fulminabat, pręcidẽs tam defunctos, quam eos qui cędi superfuerãt, de corpore ecclesiæ. Abbatẽ præter acerbitatẽ rei quę acciderat, odiũ quoq; grauabat nominis monachici, quod inueterata malitia homines seculi semper obfuscare atque opprimere conabantur. Sic vndiq; impetitus, oppugnatus, oppressus, post tot tantasque cõtumelias priuatus abscessisset, nisi quem nec lex, nec innocẽtia tueri poterant, pecunia tutata fuisset. Nam distractis ac dilapidatis rebus Fuldensis monasterij, se suosque carissimo mercimonio redemit. Quantum regi, quantum auricularijs, quantum episcopo datum sit, haud satis certo comperimus. Cautum enim fuerat, ne passim vulgaretur. Hoc haud dubio constat, sic ea tempestate exhaustas atque attritas esse illius monasterij opes, quæ vsque ad id temporis florentissimæ erant, cunctisque Galliarum ecclesiis eminebant, vt modo ibi prioris opulentiæ vix monimenta reperias. Abbas post hæc accepta licentia, Fuldam remeauit, amaro & confecto nimis super tantis calamitatibus animo. Et ecce ibi acerbiori pene rerum asperitate excipitur, & secundum Prophetæ elogium fugiens arma ferrea incidit in arcum æreum. Fratres Fuldenses à principio austerum eius & minus quam decuit populare ingenium offenderant. Auxit ipse inuidiam, & facem non minimam æmulationi subdidit, prædia ecclesiæ militibus improbe erogando, & victualia fratrum priorum abbatum liberalitate statuta, minuendo. Murmurabãt de his quotidie, & intestinis simultatibus quatiebatur monasteriũ. Tolerabantur tamen timore magis quam amore, ne scilicet immature vulgata querimonia, fauor regis & principum eum tuerentur. At vbi nuncius acceptæ in Goslaria cladis Fuldam venit, tum vero & recentis vulneris dolore, & præteritorum memoria accensi, fremere omnes, & se vicissim hortari, vt tantam temporis commoditatem diuinitus oblatam non negligerent, agendo negotio nihil præter operam industriamque suam deesse, vrgeri hominem propriis iniquitatibus ad interitum, agerent nunc singuli pro virili portione, & se suumque monasterium liberarent acerrimo non patre sed hoste, qui Fuldense nomen cœlo prius æquatum, probro nunc ludibrioque cunctis exposuisset. Sic inflammatæ seditioni, tanquam oleum igni, additur iniuria recentior. Reginbodo, qui in illa Goslariensi congressione occubuerat, equum vnum magni precij fratribus Fuldensib⁹ ob recordationem animæ suæ dederat, quem protinus abbas, ipsis inconsultis, laico cuidam dedit. Hunc efferatis animis, intemperatissimis clamoribus, fratres repetunt, diu se tyrannidem eius magis quam dominatum seruili patientia tulisse, non vltra laturos fore: redderet ocyus per vim erepta sibi alienę liberalitatis beneficia: si cunctaretur, non iam clandestinis mussitationibus se acturos, sed palam aditis tribunalibus diuinam & humanam opem contra violentiam eius imploraturos. Abbati pondus malorum primo consilium respondendi ademerat, deinde totus ad preces lacrymasque versus orare & obtestari per Deum, ne iuxta vetus prouerbium ignem gladio scrutarentur, ne Goslariensis contumeliæ vulnus recens adhuc & necdum in cicatricem obductum, nouis doloribus exulcerarent, memorarentur calamum conquassatum non conterendum, nec linum fumigans in fauillas cineresque redigendum, parcerent si minus existimationi propriæ, at calamitati eius & miseriæ, quæ tanta esset, vt hostibus quoque suis lachrymas excutere posset, se si Angelus Domini persequens eum paululum remisisset, si à tantis malis vita comite vnquam respirasset, non modo adempta redditurum, sed duplicatis quoque muneribus cumulaturum.

laturum. His qui ætate & sensu maturiores erant, cito hæc verba satisfecerant. Sed iuuentus more suo, nihil veniæ, nihil laxamenti admittebat: diu simplicitati suę per mollia verba insultatum fuisse, fidem eius, tanto tempore, tot rebus spectatam vltra fallere non posse; eos mores, eam improbitatem hominis esse, quicquid vrgentibus in præsentiarum malis non feciſſet, id nisi iterum vis adhiberetur, perpetuo infectum fore: propterea se à iure suo non cessuros esse, donec ad expugnandam animi eius duritiam, omnia diuinæ, omnia humanæ opis suffragia pertentassent. Abbas diu immoratus, vbi se videt nihil supplicando agere, nec copiam sibi esse ad reddenda quæ exigebantur, præsertim exhaustis pene cunctis opibus monasterij, nec sufficientibus tamen ad exsaturandam ingluuiem auaritiæ eorum qui in Goslarienſi tumultu læsi fuerant, tandem regis iussione accersitus, ad curtim regiam proficiscitur, dato necessariis suis negotio, vt terroribus & blandimentis, quaqua via possent, efferatæ iuuentutis animos mitigarent: sed hoc in irritum cessit. Denique post abscessum eius, principes iuuentutis, quibus potissimum incensoribus tantum malum exarserat, totam adeunt congregationem, indicant animo sibi fixum esse, vt eruptione facta de monasterio, regem, vbicunque gentium reperiatur, perquirant, contra sæuitiam abbatis eius potentiæ patrocinium expoſcant; orantque, vt quibus valetudo non obsistat, secum proficiscantur; qui vero ætate vel morbo prægrauante id non possint, scripti sui astipulatione factum eorum corroborent. Res fœda & dictu quoque horrenda visa est senioribus, fusique in terram per Deum precabantur, ne se & ipsum Fuldensis spei exiguum quod restabat, perditum irent; turbatam grauiter Goslarienſi clade rem Fuldēsem, si ipsi monasterij limen ea mente excessissent, non turbandam modo, sed omnino in præceps ituram. Nihil illi his sermonibus moti (iam enim pertinacia in amentiam atque in rabiem se verterant) concite per monasterium discurrunt: inuicem se ad audendum facinus adhortantur, & sic tandem adulta conspiratione, sedecim numero crucem sibi præferentes, antiphona imposita clausträs monasterij erumpunt. Sequebantur eos eminus maiores natu, qui sanum aliquid sapiebant, cum tanto luctu atque eiulatu, ac si eos ad sepulturam funebris pompa vltimum vale audituros efferret. Itaque ne rei tam atrocis nouitas repente nunciata regi stuporem incuteret, vnum ex numero suo citato quantum poterat equo præmittunt, qui literas ad regem tantæ calamitatis indices perferat, & qua vi, qua necessitate ad hæc extrema experienda coacti sint, edoceat. Ipsi paulatim pedestres seruatis ordinibus subsequuntur. Postquam nuncius eo peruenit, lectæque sunt literæ; horror quidam perculit omnes qui in palatio erant super tam procaci facto, mirabanturque, inter eximios & Apostolicæ conuersationis viros tantum flagitij potuisse reperiri, vt priuatas iniurias tam pessimo exemplo vleiscerentur, nec filij patris in ea potissimum calamitate misererentur, in qua hostes quanquam suos ad miserationem & ad lachrymas prouocare potuisset. Placuit itaque omnibus insigne hoc facinus insigni aliquo exemplo vindicari. Tum rex consilio vsus Colonien- sis archiepiscopi & Ottonis ducis Baioariorum, quorum tunc arbitrio respublica administrabatur, præcepit, vt ipse baiulus literarum cum aliis tribus qui authores seditionis fuerāt, per diuersa monasteria in custodia habendi mitterentur. Ad compescendam vero cæteram multitudinem, quoniam nec spiritu lenitatis nec virga monasticæ correptionis sanari potuissent, abbas militari manu vteretur. Tunc abbas missis obuiam militibus sine vi & tumultu eos Fuldam reduci iussit, & extra monasterium custodibus adhibitis suum præstolari reditum. Ipse quoque regi valefacto eos è vestigio est subsecutus. Ibi collectos fratres, & primos militum Fuldensium diu ea consultatio tenuit, laicorum an monachorum iudicio in eos animaduerti oporteret. Vicit ea sententia quæ censebat, eos qui excusso iugo regulæ, contempto abbate, per contumaciam egressi, & necdum in monasterium recepti essent, laicorum potius lege iudicandos forefacta abbas laicorum iurisdictionem secutus, duos ex eis, alterum presbyteratus, alterum diaconij honore insignes, iussit publice virgis cæsos & attonsos expelli: reliquos multis plagis maceratos, per vicina monasteria aliū alio transmisit. De singulis tamen non pro modo culpæ, sed pro natalium suorum claritate vel obscuritate mitius vel atrocius sumptum supplicium est. Viderit abbas, an vi doloris impulsus iniurias suas acerbius quam decuit vindicando modum forte excesserit. Id constat, inustam esse ea

tempestate maculam Fuldensi monasterio, quæ longa forsitan succedentium temporum serie ablui & extergi non possit.

Bel qui regnum inuaserat Vngariorum, obiit. Ioas filius eius satius putans moderatis opibus in pace perfrui, quam immoderatas ambiẽdo calamitatem atque excidium parere genti suæ, mandauit regi Heinrico, si sibi apud Salomonem filium Andreæ regis natalibus & meritis suis condignus honor haberetur, subditum se ei fidelemq; futurum, & malle beneficiis cum eo quam armis, fide quam acie dimicare. Eadem Vngarij omnes assidua legatione pollicebantur. Ita rex Henricus Vngariam cum exercitu ingressus, Salomonem in solium patris restituit, iuncta ei in coniugium sorore sua; ablatisque omnibus quæ regi scrupulum mouere, vel regni statum labefactare poterant, in pace remeauit ad Gallias.

Educatio regis atque ordinatio omnium rerum publicarum penes episcopos erat, eminebatque inter eos Moguntini & Colonienſis archiepiscoporum auctoritas. A quibus cum in partem consilij Adelbertus Bremensis archiepiscopus assumptus fuisset, tum propter claritatem generis, tum propter ætatis atque archiepiscopatus prærogatiuam, ille sæpius colloquendo, obsequendo etiam atque assentando ita sibi regem breui deuinxerat, vt cæteris episcopis posthabitis, totus in eum inclinaretur, & ipse in regno communi pene monarchiam vsurpare videretur. Secundas post eum partes agebat Werenher comes, iuuenis tam ingenio quam ætate ferox. Hi duo pro rege imperitabant: ab his episcopatus & abbatiæ, ab his quicquid ecclesiasticarum, quicquid secularium dignitatum est, emebatur: nec alia cuiquam, licet industrio atque egregio viro, spes adipiscendi honoris vllius erat, quam vt hos prius ingenti profusione pecuniarum suarum redemisset. Et ab episcopis quidem & ducibus metu magis quam religione temperabant. In abbates vero, quod hi iniuriæ obuiam ire non poterant, tota libertate grassabantur, illud præ se ferentes, nihil minus regem in hos iuris ac potestatis habere quam in villicos suos, vel in alios quoslibet regalis fisci dispensatores. Et primo quidem prædia monasteriorum fautoribus suis (prout libitum erat) distribuebant, & quod reliquum erat, crebra regalium seruitiorum exactione vsque ad feces vltimas exhauriebant. Deinde conualescente audacia, in ipsa monasteria impetum faciebant, atque ea inter se tanquam prouincias partiebantur, rege ad omnia quæ iussus fuisset, puerili facilitate annuente. Itaque Bremensis archiepiscopus duas occupat abbatias, Laurensem & Corbeiensem, præmium hoc asserens esse fidei ac deuotionis suæ erga regem. Ne id inuidiosum apud cæteros regni principes foret, persuaso rege, dat Colonienſi archiepiscopo duas, Malmendren & Endan, Moguntino archiepiscopo vnam in Selechinstat, Ottoni duci Baioariorum vnam in Altaha, Rodolpho duci Sueuorum vnam in Kenbeten. Igitur Bremensis archiepiscopus, vt totam tyrannidi suæ vacantem redderet Corbeiensem abbatiam, ridiculam commentatur fabulam: Disseminatis per curtem regiam rumoribus diuulgat, episcopum ciuitatis cuiusdam Transalpinæ cui Pole nomen est, humanis rebus excessisse: huic successorem persuaso rege subrogat abbatem Corbeiensem, iubetque vt destitutam rectore ecclesiam quantocyus eat inuisere. Verum inter moras quibus ille itineri necessaria parabat, dum quidam de Italia venientes episcopum qui mortuus dictus fuerat, viuum & incolumem nunciassent, irridere omnes & detestari fraudem archiepiscopi cœperunt. Tunc Otto dux Baioariorum ad prohibendum tantum nefas diuino spiritu animatus, multis conatibus circumquaque explicitis, vix & ægre obtinuit, vt tam abbati quam monasterio Corbeiensi suus honor, sua dignitas incolumis seruaretur.

Porro cum in monasterium Laurenze satellites archiepiscopi veniissent, nunciantes, quod regia donatione locus ipse in ius potestatemque archiepiscopi concessisset, iuberentque, vt abbas ei constituto loco non pigritaretur occurre-re, tantus dolor & indignatio omnes inuasit, vt nec manibus in legatos ipsos temperassent, nisi ius gentium plus quam ira valuisset. Contumelioſe auditi, contu-

contumelioſius multo ſunt dimiſſi. Quod poſtquam regi nunciatum eſt, miſſis aliis nũtiis iuſſit abbati ſub interminatione ſalutis propriæ, vt abbatia ſe abdicaret, feſtinuſque monaſterio excederet. Ille comperta priuſquam legati aduenirent regis ſententia, benigne eos ſuſcipi iuſſit, atque in diem poſterum, eorum quæ in mandatis habebant, audientiam diſtulit. Nocte paucis ſibi adhibitis inde diſcedens, in loca tutiſſima, omnibus præter admodum paucos ignoratus, ſe recepit, cum & prius omnes eccleſiæ theſauros clanculo exportatos in tutum locaſſet. Ita legati die poſtero cui iuſſa regis exponerent non habentes, multumque viri prudentiam admirantes, infecta legatione redierunt. Tum milites eius, quos eo tempore & opum gloria & militaris rei induſtria clariſſimos habebat, collatis viribus montem qui proximus adiacet monaſterio, occupant, caſtellum extruunt, præſidium imponunt, parati archiepiſcopum ab infeſtatione monaſterij capitis quoque ſui periculo arcere.

1064. Cauſabantur Romani principes, quod rex eis inconſultis Romanæ eccleſiæ pontificem conſtituiſſet, & ob eam iniuriam defectionem meditari videbantur, propter quod placuit Colonienſem archiepiſcopum Romam mitti. Qui veniens eo, cum aliud turbatis rebus inuenire non poſſet remedium, iudicauit ordinationem, quæ inſcio ſenatu Romano facta fuiſſet, irritam fore; & ſic amoto Parmenſi epiſcopo, per electionem eorum Anſelmum Luccenſem epiſcopum pro eo ordinari conſtituit. Verum vbi ipſe peracta legatione regreſſus eſt in Galliam, Parmenſis epiſcopus armata multitudine non modica Luccẽſem epiſcopum ſede Apoſtolica per vim deturbare aggreſſus eſt. E contra fautoribus iilius ad arma impigre concurrentibus, congreſſio facta eſt, multique hinc & inde vulneribus acceptis corruerunt. Sic deprauata eccleſiaſtici rigoris cenſura, homines non vt quondam, vt præeſſent eccleſiæ Dei, iniecta manu trahebantur, ſed ne non prę eſſent, armata manu prę liabantur, fundebantque mutuo ſanguinem non pro ouibus Chriſti, ſed ne non dominarentur ouibus Chriſti. Anſelmus tamen, qui & Alexander, & virtute militum & fauore Principum ſedem obtinuit. Alter vero etſi per contumeliam repulſus, tamen quoad vixit, ab iure ſuo non cedebat; huic ſemper derogans, hunc adulterum eccleſię Dei, hunc pſeudoapoſtolum appellãs, miſſas quoque ſeorſum celebrans, ordinationes facere, & ſua per eccleſias decreta & epiſtolas more ſedis Apoſtolicæ deſtinare non deſiſtebat. Verum nullus attendebat, criminantibus vniuerſis, quod in vltionem priuatæ contumeliæ ſedem quanquam Apoſtolicam homicidio maculaſſet.

Henricus Auguſtenſis epiſcopus obiit, inuiſus regi, inuiſus epiſcopis omnibus, propter ſuperbe adminiſtratam regni gubernationem tempore imperatricis. Embricho ei ſucceſſit præpoſitus Moguntinus, vir pontificalis modeſtiæ & grauitatis.

Werherus Comes villam monaſterij noſtri, quæ dicitur Kirchberg, inconſulto abbate à rege petiit, & impetrauit. Pro qua recipienda diuturnum agonẽ deſudauimus, dimicantes aduerſus tanti hoſtis ſæuitiam, non armis carnalibus, ſed ieiuniis & crebris orationibus. Vnde ille mordaciter magis quam facete iocari ſolebat, magno munere dignum ſe eſſe apud regem, qui monachos eius languidos prius in opere Dei & tepidos, nouis facibus adhibitis exſuſcitaſſet, inuitoſque ad ieiunia & nudipedalia coegiſſet.

Sigefridus Moguntinus epiſcopus. & Gunderus Babenbergenſis, & Otto Ratiſponenſis, & Wilhelmus Traiectenſis epiſcopi, item alii quam plures columnæ & capita Galliarum autumnali tempore Hieroſolymam proficiſcuntur.

1065. Rex Natalem domini Goſlariæ celebrauit, Paſcha Wormaciæ. Vbi archiepiſcopus Bremenſis inter ſacra miſſarum ſolemnia, dum debitum tantæ feſtiuitati ſermonem faceret, hominem ab infeſtatione dæmonis purgauit, fuſis pro eo tam ſuis quam totius populi qui præſens erat, precibus. Ea res grandi miraculo cunctis erat, ſtupentibus ſcilicet, quod vir tam peſſimæ in populo exiſtimationis, qui vitam virtutum non haberet, ſigna virtutum faceret. Sed æmuli eius inuidioſe hoc interpretabantur, non meritis eius, ſed præſentium populorum ſupplicationi aſcribendum eſſe tantæ rei effectum. Ibi per conceſſionem eiuſdem archiepiſcopi primum ſe rex ad arma bellica ſuccinxit, ſtatimque primam ſuſceptæ armaturæ experientiam in archiepiſcopum Colonienſem dediſſet, & ad perſequendum eum ferro & igni præceps ab-

isset, nisi res turbatas imperatrix tempestiuo valde consilio composuisset. Inter cætera id potissimum inuidiæ ei erat, quod ante aliquot annos dum imperatrici regni rerumque gubernacula eripere vellet, ipsum pene regem in vltimum discrimen præcipitasset.

Hecceloni Argentorati episcopo paulo ante defuncto, successor substitutus est Werher, propinquus Werheri Comitis.

Interea prædicti episcopi Hierosolymam pergentes, dum magnitudinem opum suarum gentibus per quas iter habebant inconsultius ostentarent, vltimum sibi periculum conscIuerunt, nisi rem humana temeritate prolapsam diuina misericordia restituisset. Nam barbaros qui ex vrbibus & agris ad spectandos tam illustres viros cateruatim profluebant, primo peregrini cultus ac magnifici apparatus ingens miraculum, deinde (vt fit) non minor prædæ spes ac desyderium cepit. Itaque cum transita Lycia fines Sarracenorum introissent, & iam à ciuitate cui Ramulo nomen est, vna vel paulo plus mansione abessent, proxima parasceue ante Pascha circa tertiam diei horam incursionem passi sunt ab Arabitis, qui comperto tam insignium virorum aduentu, vndique ad spolia diripienda frequentes armatique confluxerant. Plerique Christianorum religiosum putantes manu sibi auxilium ferre, & salutem suam quam peregre proficiscentes Deo deuouerant, armis corporalibus tueri, prima statim congressione prostrati, vulneribus multis confecti, & omnibus quæ habebant, à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ exspoliati sunt. Inter quos Wilhelmus quoque Traiectensis Episcopus brachio pene plagis debilitato nudus ac semiuiuus relictus est. Cæteri Christiani iactu lapidum, quod genus teli forte locus ipse affatim ministrabat, non tam periculum propulsabant, quam mortem quæ præsens vrgebat, differre conabantur. Pedem etiam paulatim subtrahendo, ad villam declinabant, quæ ab ipso itinere spatio mediocri distabat. Capharnaum hanc fuisse ex similitudine vocabuli coniiciebant. Quam vt ingressi sunt, Episcopi omnes atrium quoddam occupant humili septum maceria & tam fragili, vt etiamsi nulla vis adhiberetur, sola vetustate facile corrueret: in cuius medio domus erat cœnaculum habens satis editum, & ad repugnandum quasi ex industria præparatum. Huius superiora Episcopus Moguntinus & Babenbergensis cum clericis suis, inferiora cæteri Episcopi sibi vendicant. Laici omnes ad arcendam vim hostium, & maceriam defendendam impigre discurrunt, & primam quidem certaminis procellam lapidum iactu (vt prædictum est) sustinuere. Deinde cum Barbari magnam telorum nubem in castra coniecissent, & ipsi plerumque impressione in eos facta clypeos & gladios manibus eorum vi extorsissent, non solum iam maceriam tueri sufficiunt, sed portis etiam interdum erumpere, & pugnam comminus lacessere audent. Quorum impetum dum Arabes nullo iam loco, nulla acie sustinere possent, consilium tandem à tumultuaria congressione ad obsidionem vertunt, & inedia atque lassitudine conficere aggrediuntur, quos ferro expugnare non poterant. Itaque multitudinem qua superabundabant, conglobatis scilicet circiter duodecim millibus partiuntur, vt alij alijs vicissim ad oppugnationis studium succedentes, nullam illis vel paululum respirandi copiam facerent, suspicantes quod propter inopiam rerum omnium, quibus vita humana sustentari solet, dimicandi laborem non diu toleraturi forent. Ita Christiani tota parasceue, toto sabbato sancto vsque ad tertiam fere horam Paschalis diei sine intermissione oppugnabantur: nec eis hostilis improbitas vel modicum temporis punctum, quo saltem somni perceptione corpora recrearent, indulgebat. Nam cibum & potum, mortem præ oculis habentes, non desiderabant, nec si magnopere desiderarentur, quid sumerent omnium inopes habebant. Cumque die tertio labore & inedia exhausti ad extremum peruenissent, & fortia plerumque conatos virtus ieiunio infracta frustraretur, quidam ex numero presbyterorum exclamauit, non recte eos agere, quod in armis suis plus quam in Deo spei ac roboris ponerēt, & calamitatem, quam eo permittente incidissent, propriis viribus propulsare conarentur; propterea placere sibi vt se dederent, præsertim cum triduana iam abstinentia militaribus rebus eos inutiles prorsus reddidisset; non esse Deo difficile, vt deditis eis & ab hoste sub iugum missis misericordiam præstaret, qui suos toties etiam in vltima necessitate conclusos mirabi-

mirabiliter liberaſſet. Vt hoc quoque inferret, Barbaros nequaquàm propter ipſos occidendos tanto molimine graſſari, ſed vt pecunias eorum auferrent, quibus ſi potiti fuiſſent, liberos eos deinceps intactoſque ſine vi, ſine moleſtia abire paſſuros. Placuit conſilium omnibus, ſtatimque ab armis ad preces verſi, per interpretem, vt in deditionem acciperentur, orabant. Quo comperto dux Arabum citato equo in primos aduolat, & cæteros quidem longius ſummouet, cauens, ne temere admiſſa multitudine præda confuſe diſtraheretur. Ipſe decem & ſeptem honoratiſſimos gentis ſuæ ſecum aſſumens, caſtra ingreſſus eſt patentia, relicto ad portas præſidij cauſa filio ſuo, ne quis forte prædæ auidus poſt ſe non vocatus irrumperet. Cumque admotis ſcalis in cœnaculum, vbi Moguntinus & Babenbergenſis epiſcopi latitabant, cum paucis aſcendiſſet: Babẽbergenſis epiſcopus, cui licet iunior ętate eſſet, tamen propter virtutũ prę-rogatiuam & totius corporis admirandam dignitatem præcipuus à cunctis honor deferebatur, rogare eum cœpit, vt omnibus quæ haberent vſque ad nouiſſimum quadrantem ſublatis nudos ſe abire ſineret. Ille & victoria elatus, & præter ingenitam morum barbariem accepta quoque tot congreſſionibus clade nimium efferatus, ait ſe aduerſus eos iam triduo non ſine grandi damno exercitus ſui ea mente bellum geſſiſſe, vt ſuis conditionibus erga victos vteretur, non quas ipſi conſtituiſſent: ne ergo falſa ſpe eluderentur, ſe omnibus quæ haberent ſublatis, carnes eorum comeſturum & ſanguinem bibiturum. Nec moratus, linteum quo caput more gentis obuoluerat, expediens, facto vinculo in collum epiſcopi iniecit. Epiſcopus, vt erat vir liberalis verecundiæ & maturæ admodum grauitatis, ignominiam non ferens, tanto niſu pugnum ei dedit in faciem, vt vno ictu conſternatum ad pauimentum vſque præcipitem daret, vociferans inſuper, prius eum pœnas pro impietate daturum, quod impuras manus in ſacerdotem Chriſti profanus & idololatra mittere præſumpſiſſet. Irruunt protinus alij clerici & laici, & tam huic quam cæteris qui in cœnaculum aſcenderant, adeo artis nexibus manus à tergo conſtringunt, vt ſanguis pleriſque rupta cute per vngues profluęret. Perlato audacis facti indicio ad eos qui in inferiori parte domus conſiſtebant, ipſi quoque his qui apud ſe erant Arabum principibus idem faciunt. Deinde laici omnes ſublato in altum clamore, vocatoque in auxilium ſibi omnium rerum opifice Deo, rurſus arma capeſſunt, maceriam occupant, præſidium quod circa portas erat, conſerta manu fundunt, fugantque, & ſic alacres, ſic innouatis inopino ſucceſſu viribus vbique rem peragunt, vt nihil laſſitudinis, nihil incommodi ex triduana cis inedia & labore acceſſiſſe putares. Alacritatem tantam repente ex trepidis rebus & vltima deſperatione coortam nimium admirati Arabes, nec aliam nouitatis huius cauſam ſuſpicati, quam quod de principibus ſuis ſumptum fuiſſet ſupplicium, infeſtiſſimis animis in pugnam ruunt, & facto grege per arma, per viros in caſtra perrumpere parant. Et acta res foret, niſi mature orto conſilio Chriſtiani vinctos eo loco principes ſtatuerent, vbi atrociſſima vis hoſtium & creberrimus telorum imber incumbebat, appoſito ſuper capita eorum ſpiculatore, qui diſtrictum in manibus gladium tenens clamitabat per interpretem, niſi ab oppugnatione quieſcerent, non armis ſe aduerſum eos, ſed principum capitibus dimicaturos. Tum ipſi principes, quos prẽter vinculorum acerbitatem imminens quoque ceruicibus gladius vehemẽter angebat, cum magno eiulatu ſuos obteſtabantur, vt moderatius agerent, ne obſtinate certamen hoſtibus inferentes, eos ad ſupplicium necemque ſuam, cum inciſa ſpes eſſet veniæ, inflammarent. Patris periculo attonitus filius ducis Arabum, quem ad portam atrij à patre cauſa præſidij relictum ſupra memoraui, citato gradu in confertiſſimos ſuorum cuneos ſe dedit, & furentis exercitus impetum voce & manu increpitans retinuit, & tela in hoſtes iacere prohibuit, quæ non hoſtes, vt ipſi putarent, ſed principes ſui propriis pectoribus excepturi forent. Per hanc occaſionem paululum ab armis & incurſionibus vacatione data, nũcius venit in caſtra ad Chriſtianos, miſſus ab his qui in Parafceue omnibus amiſſis nudi & ſaucij vſque Ramulo pertenderant. Is amaritudine & metu confectis mentibus magnum attulit refrigerium, indicans ducem prædictæ ciuitatis licet paganum, diuino tamen (vt putabatur) inſtinctu animatum cum ingentibus copiis ad ipſos liberandos aduenire. Nec latere potuit Arabitas aduenientium hoſtium fama, ſtatimque omnes auerſis ab aliorum oppugnatione ad ſe ipſos ſaluandos cogita-

tionibus, præcipiti fuga, quo quemque ſpes euadendi vocabat, dilabuntur. In ea trepidatione dum alij ad alia curanda diſcurrerent, vnus vinctorum euaſit, opera vſus Sarraceni cuiuſdam, quem ducem itineris Chriſtiani habebant, tanto omnium dolore, tanto gemitu, vt ab eo cuius indulgentia dimiſſus fuerat, vix manus inhiberent. Nec multo poſt dux ipſe (vt nunciatum fuerat) cum exercitu aduenit, pacificeque in atrium à Chriſtianis ſuſceptus eſt: ſuſpenſis tamen omnibus inter ſpem & metum, ne forte nó ſublata calamitas, ſed hoſtis tãtum mutatus eſſet, & propter nouitatem rei difficile credentibus, quod Satanas Satanam eiicere, hoc eſt, paganus paganum ab infeſtatione Chriſtianorum cohibere vellet: primo omnium vinctos ſibi præſentari iuſſit. quos cum aſpexiſſet, & quæ facta fuerant ordine audiſſet; maximas Chriſtianis gratias egit pro magnifice geſtis rebus & expugnatis reipublicæ acerrimis hoſtibus, qui regnum Babylonicum iam per multos annos aſſiduis populationibus infeſtaſſent, & magnas plerunque aduerſum ſe inſtructas acies commiſſo certamine obtriuiſſent. Traditos eos cuſtodibus, regi Babyloniorum viuos ſeruari præcepit: ipſe accepta à Chriſtianis quanta conuenerat pecunia ſecum eos Ramulo perduxit; inde adhibito eis expeditorum iuuenum præſidio, ne qua denuo latronum incurſione periclitarẽtur, vſque Hieroſolymam eos perduci iuſſit. Nihil deinceps difficultatis in eundo, nihil in redeundo perpeſſi, Lyciam peruenerunt, gratias Deo referentes quod emenſis tot rerum aſperitatibus viuos eos & incolumes in tutum reſtituiſſet. Ex hoc per Chriſtianorum fines reditum facientibus, omnia cedebant ex ſententia: verum poſteaquam in Vngariam ventum eſt, Guntherus Babenbergenſis epiſcopus (heu) immatura morte præuentus, proſperæ ac lætæ reuerſionis lugubrem omnibus exitum fecit. Deceſſit autem 10 calendas Auguſti, ætate integra, & ad perfruendum hoc ſeculo maxime matura, vir præter morum gloriam & animæ diuitias, corporis quoque bonis adprime ornatus. Natus erat ex primis palatij, priuatis poſſeſſionibus præter Epiſcopatum affluentiſſimus, lingua promptus & conſilio, literis eruditus tam diuinis quam humanis, tum ſtatura & formæ elegantia, ac totius corporis integritate ita cæteris eminens mortalibus, vt in illo Hieroſolymitano itinere ex vrbibus & agris ſpectandi eius ſtudio proſluerent, & bene ſecum actum crederet, cui eum videre contigiſſet: vnde cum poſitis eis in diuerſorio, plerunq; turba intemperans propter eum nimis moleſta foret, compulſus eſt aliquoties à cæteris epiſcopis, vt in publicum procederet, & obſidentem foris multitudinem ſuo ſpectaculo à cæterorum vexatione auocaret. Tantum hunc tranſitoriæ felicitatis ſplendorem vitæ innocentia & morum temperantia clariorem in eo cumulatioremque faciebant; nam tantam in ſe vtriuſque hominis gloriam quam omnes mirabantur, ſolus ipſe ita propter Deum contemnebat, vt infimæ quoque conditionis hominibus popularem ſe communemque præberet, & à ſeruis ſuis plerunque maximas verborum contumelias inultus acciperet. Celebri ergo pompa funeris in patriam reportatus, & magnis omnium qui eum nouerant, planctibus exceptus, in Babenbergẽſi eccleſia vbi à puero adoleuerat, ſepultus eſt. Succeſſit ei in epiſcopatu Herimannus, vicedominus Moguntinus, qui in eadem Hieroſolymitana peregrinatione conſtitutus, dum eum inualeſcẽte morbo ad exitum vrgeri videret, legationem prẽmiſit ad neceſſarios ſuos, quibus patria excedens ſuæ rei familiaris diſpenſationem delegauerat, petens vt ſibi ad epiſcopatum quaqua poſſent ratione aditum patefacerent: quod & ſedulo fecerunt, profuſo in coemptionem eius argenti & auri inæſtimabili pondere.

Eilbertus Patauij Epiſcopus obiit, cui Altman capellanus imperatricis ſucceſſit, qui dum ipſo tempore cum cæteris principibus Hieroſolymam abiſſet, per interuentum imperatricis abſens deſignatus eſt epiſcopus.

Arnolphus Wormatiæ Epiſcopus, vir pontificalis modeſtiæ & ſanctitatis migrauit ad Dominum, ſucceſſitque ei Adelhero monachus ex monaſterio ſancti Galli, frater Rudolphi ducis, vno pede omnino debilis, vir per omnia dignus ſpectaculo. Erat enim fortitudinis magnæ, edacitatis nimiæ, craſſitudinis tantę, quæ aſpicientibus horrorem magis incuteret, quam admirationem, nec ita centimanus gigas aut aliud antiquitatis monſtrum, ſi ab inferis emergeret, ſtupentis populi oculos in ſe atque ora conuerteret.

1066. Rex Natalem Domini Goſlariæ celebrauit, vbi ab ipſo iam initio autumni vſque

vsque ad eam partem hyemis tanquam statiuis castris se continuerat, sumptus habens regiæ magnificentiæ multum impares. Nam præter pauca quæ ex reditibus regalis fisci veniebant, vel quę abbates coactitio famulatu ministrabant, cętera omnia in quotidianos vsus eius quotidianis impensis emebantur. Hoc adeo fiebat odio Bremensis Archiepiscopi, quem omnes criminabantur, sub prætextu regiæ familiaritatis monarchiam vsurpasse manifestæ tyrannidis: & ipsi ergo consueta regi seruitia mittere detrectabant: & ille in alias regni partes regem adducere nolebat ne scilicet cum alijs principibus communicando principatum consiliorum & familiaritatis, ipse sibi aliquid imminueret de fastigio vsurpatæ singularitatis. Sed non vltra laturi iniuriam videbantur principes regni, Archiepiscopi Moguntinus & Colonienſis cum cæteris quibus curæ erat Respublica, crebra conuenticula faciebant, atque omnes in commune quid facto opus esset, consulere rogitabant. Deinde iam adulta conspiratione, diem generalis colloquij omnibus indixere regni principibus, vt Triburiam conuenientes, Bremensem Archiepiscopum communem omnium hostem communibus omnes studijs oppugnarent, regique denunciarent, aut regno ei cedendum esse, aut familiaritate & amicitia Bremensis Archiepiscopi defungendum. Perlato Goslariam atrocis rei nuncio, rex ad statutam diem concitus properabat, cum quo & Wernher comes veniens in villam Ingilneheim, cuius pars aliqua ad nostrum quoque monasterium pertinet, hospitatum diuertit: vbi dum milites eius ab incolis prædas agerent, & illi ad aram conclamantes manu vindicare se niterentur, atrox pugna coorta est. In qua dum Werner comes ad ferendam suis opem impigre discurreret, à quodam nostri monasterij vilissimo mancipio, vel (vt alij ferunt) à fœmina saltatrice claua percussus in capite corruit, atque ad regem semiuiuus est reportatus. Admonitus ab Episcopis qui præsentes erant, vt pro peccatis suis Deo in extremo iam spiritu constitutus satisfaceret, seque Heruelden sium monachorum precibus interemptum recognoscens, villam Kirchberg quam iniuste inuaserat, redderet, nullo modo acquieuit, donec Episcopi consensu facto minitarentur, se ei sacram communionem moriēti non daturos, nisi prius tanti peccati põdere se exoneraſſet. Sic tandem pudore magis quam religione victus reddidit, statimque vita excessit. Statuta die tristis in regem omnium vultus, tristis erat sententia, vt aut regno se abdicaret, aut Archiepiscopum Bremensem à cõsiliis suis atque à regni consortio amoueret. Tergiuersanti, & quid potius eligeret hæsitanti, Achiepiscopus consilium dedit, vt proxima nocte ablatis secum regni insignibus clam aufugeret, & Goslariam aut in alium locum se reciperet, vbi ab iniuria tutus foret, donec turba hæc conquiesceret. Adueniente vespera thesauros regios per satellites & socios fraudis suæ iam exportare cœperat, cum repente ad ministros regis consilium hoc (nescio quo indicio) permanauit, qui statim raptis armis curtem regiam circumdederunt, totamque deinceps noctem ducentes peruigilem, ne quid noui acciderēt asseruabant. Facto mane infensis adeo animis omnes in Archiepiscopum coorti sunt, vt nec manibus temperassent, nisi regia maiestas vix & ægre iracundiam cohibuisset. Contumelioſe itaque eiectus est de curte regia cum omnibus tyrannidis suæ fautoribus, misitque cum eo rex amicorum suorum non modicam manum, ne scilicet ab æmulis suis insidias in via pateretur. Sic iterũ Rerũpublicarum administratio ad episcopos rediit, vt singuli suis vicibus quid regi, quid reipublicæ facto opus esset, præuiderent.

Rex Pascha Traiecti celebrauit. Eberhardus Treuerorum Archiepiscopus, dum in Sabbatho sancto tantæ diei mysterium solemniter populo exhibuisset, regressus in sacrarium, caput in sinum archidiaconi reclinauit, circumstantibusq; fratribus spiritum exhalauit. Episcopatum eius per interuentum Colonienſis archiepiscopi suscepit Cuno præpositus Colonienſis. Grauiter & indigne nimis tulit tam clerus quam populus Treuerorum, quod ipsi in electionem eius admissi consultique non essent, seque vicissim hortabantur, vt insignem hanc contumeliam insigni aliquo exemplo eluerent. Erat tum temporis maior domus ecclesiæ Treuirorum Diedericus comes, adolescens tam natura ferox, quam ætate. Is die quo Episcopus vrbem ingressurus sperabatur, cum ingentibus copiis ei obuiam processit, atque in ipso lucis crepusculo, priusquam

hoſpitio progrederetur,ſuper eum irruens,paucos reſiſtere tẽtantes occidit, cæteroſque inopino terrore perculſos facile fudit fugauitq;,opes quas ampliſſimas aduexerat, diripuit,ipſum epiſcopum captum traditumq; in manus carnificum,de rupe altiſſima præcipitari & ſic interfici iuſſit. Corpus eius à religioſis viris collectum, atq; in monaſterio Doleienſi ſepultum eſt,vbi vſque in præſens tempus magnis (vt fertur) miraculis diuinitus ſæpe illuſtratur. Succeſſit ei in epiſcopatum Vto concordante in electioné eius tam clero quam populo.

In feſtis Paſchalibus per quatuordecim fere noctes continuas cometa apparebat: quo in tempore atrox & lacrymabile nimis prælium factum eſt in partibus Aquilonis, in quo rex Angliſaxonum tres reges cum infinito eorum exercitu vſque ad internicionem deleuit.

Rex Erideslare iam veniens, grauiſſimam ægritudinem incidit, ita vt à medicis deſperaretur,& principes de regni ſucceſſione cõſilia conferre cœpiſſent: à qua infirmitate vix dum plene reſumptis viribus Pentecoſten Herueldiæ celebrauit, nec multo poſt nuptias in Triburia regio apparatu celebrauit,in coniunctione Berthæ reginæ filiæ Ottonis marchionis Italorum.

Reginherus Miſnenſis Epiſcopus obiit, cui Craft præpoſitus Goslarienſis ſucceſſit. Sed is dum ſuſcepto epiſcopatu Goslariam veniſſet, poſt refectionem in cubiculum, vbi theſauros ſuos, quorum nimis amator erat, nullo conſcio infoderat, quaſi paululum requieſcere volens ſeſe incluſit. Cumque iam die vergente in veſperam præter modum conſuetudinemque ſuam ſomno indulgere videretur, rem inſolitam mirantes cubicularij pulſare oſtium cœperunt: ſed nec pulſantibus nec vociferantibus vllum dabatur reſponſum. Tandem effractis foribus irrumpentes inuenerunt eum fractis ceruicibus,colore tetro,exanimem,ipſis theſauris ſuis miſerabilem in modum incubantem. Epiſcopatum pro eo ſuſcepit Benno,prædictæ Goslarienſis eccleſię canonicus.

1067. Otto marchio Thuringorum obijt, gaudentibus admodum in morte eius omnibus Thuringis,eo quod ipſe primus ex principibus Thuringorum (vt prædictum eſt) decimas ex ſuis in Thuringia poſſeſſionibus dare conſenſiſſet, & per hoc calamitatem maximam genti ſuæ inuexiſſe videretur. Marchiam eius Ecbertus patruelis regis ſuſcepit.

Einhardus Spirenſis Epiſcopus obiit: cui Heinricus ſucceſſit, Goslarienſis Eccleſiæ canonicus, tantæ dignitati vix dum per ætatem maturus, & non tam electione principum ad hanc prouectus quam indulgentia regis, cui in puerili ætate fuerat familiariſſime aſſentatus.

Benno Oſenbruggenſis Epiſcopus obiit, cui alius Benno ſucceſſit.

Rex in Natalem ſancti Martini Goslariam veniens, grauiter infirmari cœpit, atque eadem valetudine per multos dies laborans lecto recubabat.

1068. Rex Natalem domini Goslariæ,nec dum ſoſpitate ad plenum recuperata,celebrauit,à quo Ecbertus marchio exactis diebus feſtis digreſſus, dum ſe in ſua receſſet, modica febre pulſatus terminum vitæ accepit Sed marchiam adhuc viuens acquiſierat filio ſuo tenerrimæ ætatis infantulo,quem ei vidua ducis Ottonis de Svvinenfurt pepererat,cui tamen ipſe paucis diebus antequã vita excederet,repudium ſcribere cogitauerat,& contra leges ac ſtatuta canonum viduam Ottonis marchionis matrimonio ſibi iungere,quod hæc forma elegantior, & efferatis moribus ſuis opportunior videretur: ſed mors opportune interueniens,nefarios conatus eius intercepit.

Rauenger patriarcha Aquileienſis obiit, cui Sigehardus cancellarius ſucceſſit, pro quo Bibo cancellarius eſt ſubſtitutus.

1069. Rex Natalem domini Goslariæ celebrauit, Paſcha Quidelenburgi, Pentecoſten Coloniæ. Poſt Pentecoſten Wormaciæ cum principibus regni colloquium habuit. Ibi primum cum Epiſcopo Moguntino rem ſecreto agit, eiuſque opem ad perficiendum quod mente machinetur, obnixe implorat: ſi impetret, ſe deinceps ei ſubditum,& dicto obtemperantem fore: ad hoc Thuringos armata manu, ſi aliter nequeat,coacturum,vt decimas ſine vlla in perpetuum contradictione perſoluant. Annuente Epiſcopo, & pactione vtrinque firmata, rex ad publicum refert,ſibi cum vxore ſua non

non conuenire, diu oculos hominum fefelliſſe, vltra fallere nolle, nullum eius crimen quo iuſte repudium mereatur, afferre, ſed ſe (incertum quo fato, quo Dei iudicio) nullam cum ea maritalis operis copiam habere: proinde per Deum orare, vt ſe male ominata compede abſoluant, patianturque æquo animo diſcidium fieri, vt illa ſibi, & ipſe ei, ſi ita Deus velit, felicioris matrimonij viam patefaciat: & ne quis violatum ſemel pudorem cauſetur obſtare iterum nupturæ, ſe ſub iureiurando confirmare, quod eam, vt acceperit, ſic ineontaminatam illibatoque virginitatis pudore conſeruauerit. Fœda res, & ab regia maieſtate nimium abhorrens viſa eſt omnibus qui aderant: negotio tamen cui rex tam feruide animum adiecciſſet, detrectare ſinguli religioſum arbitrabantur. Epiſcopus quoque tam precioſa pollicitatione redemptus, quantum poterat ſalua verecundia, haud ægre cauſam regis tuebatur. Itaque cunctis id fieri decernentibus, ſynodum conficiendo negotio indixit Moguntiæ proxima poſt feſtum ſancti Michaelis hebdomada. Hac expectatione rebus ſuſpenſis, regina Loresheim, vt ſtatutum tempus ibi præſtolaretur, miſſa eſt: rex alio quo regni negotia vocabant, abiit. Interea Dedi marchio Saxonicus, cum viduã duxiſſet Ottonis marchionis tertio prius anno defuncti, prædia etiã quæ ille à diuerſis dominis beneficij loco habuerat, ſumma vi nitebatur acquirere. Cum nullus daret poſtulanti, indignitatem non ferens, regi, per quem potiſſimum ſtetiſſet, ne darentur, bellum parabat, crebriſque colloquiis Thuringos ad ſocietatem armorũ ſollicitabat: promptum hoc fore ſperabat, eo quod rex, Archiepiſcopum adiuuando in exigendis decimationibus, multum à ſe auertiſſet animos eorum. Incitamentum tamen illi furoris vel maximum erat vxor ſæuiſſima. Hæc placido hominis ingenio, & per ætatem iam manſuefacto iuueniles animos inſpirabat, ſæpius obtundens, quia ſi vir eſſet, non inultus iniurias acciperet, nec priori marito eius audacia ſe imparem gereret, quo & virtute & opulentia ſuperior eſſet. Rex accepto nuncio grauiter permotus, ingentes copias, & quæ pluribus etiam bellis ſatis eſſent, celerrime contraxit. Tum vero Epiſcopus Moguntinus tempus ſe accepiſſe ratus, quo per occaſionem publici belli priuatum in Thuringos odium vindicaret, infeſtiſſimus aderat, regem quam atrociſſime rem agere inſtigabat. Ipſe quoque totis amicorum, totis Moguntini epiſcopatus opibus cœpto annitebatur. Non fefellit Thuringos efferatus in ſe animus epiſcopi, nec ipſi in eum mitiores ſpiritus gerentes, legatos ad regem miſerunt, ſe nihil iniquum, nihil quod ſecus ſit moliri aduerſus eum, nec arma contra rempublicam ſuo conſilio aut fauore ſumpta eſſe, paratos ſe potius hoſtõ publicum capitis quoque ſui periculo expugnare, promptius autem ac deuotius id facturos eſſe, ſi decimationum leges priorum regum & epiſcoporum indulgentia ſibi ſtatutas, ratas inuiolataſq; fore pateretur: quod ſi epiſcopus ad eos rem diuinam, non diuinis ſed humanis armis, expugnatum veniret, & decimas iure belli ſibi extorquere vellet, quas nec iure eccleſiaſtico, nec lege forenſi potuiſſet, iam pridem ſe ſacramento obſtrictos, obligatoſq; fuiſſe, vt raptores & prædatores inultos non ſinerent, ſatius ſibi eſſe mori in bello, quam amiſſis patrum legitimis periuros viuere. Rex ad hæc benigne reſpondit, auxiliumq; ſuum, ſi in fide permanerent, certiſſimos ſperare iuſſit. Dehinc vbi res matura viſa eſt, infeſto agmine Thuringiam intrauit. Duo ibi caſtella quibus marchio præſidium impoſuerat, Bichelingun & Schidingen, alterum per deditionem, alterum manu expugnatum recepit. Cæteris ilico admouendus erat exercitus. Sed marchio aduertens nullo loco vel munitione ſuſtineri poſſe impetum regis inciſa ſpe reſiſtendi ſe ſuaque omnia dedidit. Thuringi etſi (vt promiſerant) erga regem & cauſam publicam deuoti fideleſq; eſſent, in Epiſcopum tamen Moguntinum hoſtilia pleraque facere, probris & conuiciis in faciem laceſſere, milites eius, dum prædas agerent, facto grege ſæpius incurſare, rapinam excutere, fundere, fugare, nonnullos denique miniſtros eius, nec hos mediocri fortuna vel humili loco ortos, dum ab exercitu regis paulo longius prędatum abiſſent, comprehenſos ſuſpendere. Iuſſum tamen eis eſt a rege facile & contemptim, vt decimas darent, non quod recuſantibus vim ferre in animo eſſet, ſed ne non reddito promiſſo, Archiepiſcopum offenderet. Dedi marchio aliquandiu habitus in cuſtodia, tandem adempta poſſeſſionum & redituum non modica parte dimiſſus eſt: Filius eius Dedi iunior patrem ea tempeſtate infeſtius acerbiuſque quam alius quiſquam inſectatus eſt. Ob eam rem exacto bello in

ingenti gloria esse cœpit apud regem, egregię indolis adolescens, nisi ambitionis spiritu & præpropera dominandi cupidine præceps raperetur. Is non multo post, cum nocte quadam ad necessitatem naturæ secessisset, appositio extrinsecus insidiatore, confossus in inguine & occisus est. Quis necis eius author fuerit, non satis constat, quam dolo nouercæ interfectum, vulgi sermonibus passim iactaretur. Illud haud dubie liquet, monasteria & ecclesias, moriēte eo, magna formidine exoneratas esse, cum mētibus omnium certissima opinio insedisset, eum augendarum opum studio non Deo, non homini parciturum, qui patri proprio non pepercisset.

Imminente iam die qui scindendo regis coniugio dictus fuerat, rex Moguntiam concitus properabat. Et ecce inter eundum comperit legatum sedis Apostolicæ suum Moguntiæ aduentum præstolari, qui discidium fieri prohibeat, & Episcopo Moguntino Apostolicæ animaduersionis sententiam minitetur, quod tam nefariæ separationis se authorem promiserit. Consternatus ilico, quod rem diu exoptatam perdidisset è manibus, pariter quo venerat, in Saxoniam redire volebat. Vix & ægre tamen amicorum consilijs superatus, ne principes regni frustraretur, quos summa frequentia sibi Moguntiæ occurrere iussisset, Francofurt abiit, ibique eos qui Moguntiæ conuenerant, statuto die adesse iussit. Quo dum frequentes veniissent, Petrus Damianus (is legatus erat sedis Apostolicæ, vir ætate & vitæ innocentia admodum reuerendus) mandata exposuit Romani pontificis, pessimam rem, & ab nomine Christiano, nedum ab regio multum abhorrentem esse, quam moliatur: si minus humanis legibus vel canonum sanctionibus terreretur, parceret saltem famæ & existimationi propriæ, ne scilicet tam fœdi exempli venenum ab rege sumpto initio totum commacularet populum Christianum, & qui vltor esse debuisset criminum, ipse author & signifer fieret ad flagitium: postremo si non flecteretur consilijs, se necessario vim ecclesiasticam adhibiturum, & canonum lege scelus prohibiturum, ad hæc suis manibus nunquam Imperatorem consecrandum fore, qui tam pestilenti exemplo quantum in se esset, fidem Christianam prodidisset. Tum vero in eum coorti omnes qui aderant Principes aiebant æqua censere Romanum pontificem, & per Deum rogabant, ne crimen inferret gloriæ suæ, & regij nominis maiestatem tam turpis facti colluuione macularet, præterea ne parentibus reginæ causam defectionis, & iustam turbandæ Reipublicæ occasionem daret. qui si viri essent, cum armis & opibus plurimum possent, tantam filiæ suæ contumeliam proculdubio insigni aliquo facinore expiaturi essent. Hac oratione fractus magis quam inflexus, Si id, inquit, fixum obstinatumq; est vobis, imperabo egomet mihi, feramque, vt potero, onus quod deponere non valeo. Ita efferato magis per studium concordiæ odio annuit quidem, vt in regni consortium regina reuocaretur, ipse tamen vt congressum eius conspectumque vitaret, adhibitis sibi vix 40 militibus in Saxoniam concitus redijt. Regina cum cætera multitudine & regni insignibus paulatim subsecuta est: cumque ad eum Goslariam veniisset, vix compulsus ille à familiaribus suis, vt ei obuiam procederet, satis superq; pro consuetudine eam benigne suscepit, sed protinus refrigescente amore, ad ingenium suum atque ad pristinum rigorem animi rediit, & quia consilia scindendi coniugij sæpe iam tentata non processerant, statuit deinceps, communicato cum ea solum regni nomine, sic eam habere quasi non haberet.

Maxima eo anno vinearum omniumq; sylvestrium arborum sterilitas fuit.

Meginvvardus abbas Hildenesheimensis abbatiam suscepit Augiensem, patefacto in eam sibi per multam largitionem aditu.

Rumoldus Constantiensis Episcopus, maturæ admodum grauitatis vir obiit, cui Carolus successit Magdaburgensis canonicus. Is à clericis Constantiensibus primo benigne susceptus est, sed processu temporis, dum pro libito suo magis quam ex ratione rem gereret, indignantes clerici à communione eius se abstinere cœperunt, propter Simoniacam hæresim, per quam episcopatum vsurpasse dicebatur: id quoque ei crimini dantes, quod plerosque Ecclesiæ thesauros furtiue abstulisset. Qua accusatione Romam perlata, Romanus Pontifex mandata direxit Moguntino archiepiscopo, ne vllo modo ab eo consecraretur, donec in sui præsentia causa diligentius ventilaretur.

Tolosæ

Toloſæ Epiſcopus obiit, cui Bibo cancellarius ſucceſſit: pro quo Adalbero canonicus Metenſis cancellarius eſt ſubſtitutus.

1070. Rex Natalem Domini Friſingæ celebrauit.

Epiſcopus Moguntinus & Colonienſis & Babenbergenſis à domino Apoſtolico euocati, Romam venerunt. Ibi Epiſcopus Babenbergenſis accuſatus, quod per Simoniacam hæreſim, data pecunia, epiſcopatum inuaſiſſet, multa & precioſa munera papæ dedit, & per hæc efferatam aduerſum ſe mētem eius ad tantam manſuetudinem reduxit, vt qui non ſine periculo honoris & gradus ſui euaſurus putabatur, nō ſolum impunitatem criminis quod obiectum fuerat, conſequeretur, ſed etiam pallium & alia quædam Archiepiſcopatus inſignia, à ſede Apoſtolica pro benedictione perciperet. Moguntinus archiepiſcopus vltro ſe epiſcopatu abdicare, atque in otium priuatæ cōuerſationis ſecedere magnopere cupiebat: ſed tam Romani pontificis authoritate, quam eorum qui præſentes erant, maturioribus conſilijs vix & ægre abductus eſt à ſententia. Omnes in commune acerbe obiurgati, quod ſacros ordines per Simoniacam hæreſim venderent, & ementibus indifferenter communicarent, manuſque imponerent. Tandem accepto ab eis iureiurando, quod hæc vlterius facturi non eſſent, in ſua cum pace dimiſſi ſunt.

Dux Lotharingorum Godefridus omnibus pene terris magnitudine ſuarum rerū geſtarum compertus & cognitus obiit, & Verdunis ſepultus eſt: cui filius eius Godefridus ſucceſſit, præſtantis quidem animi adoleſcens, ſed gibboſus.

Vdalricus marchio Carentinorum obiit.

Rex Paſcha in Hildenesheim celebrauit. Ibi inter milites regis & milites Epiſcopi ſeditio facta eſt. Sed milites regis in congreſſione ſuperiores facti, pleroſque ex militibus Epiſcopi peremerunt, captoſque ſeditionis authores ex edicto regis in vincula coniecerunt.

Rex Aſcenſionem domini Quidelenburgi, Pentecoſten Merſeburgi celebrauit.

Auguſtiſſimum in Quidelenburg templum, cum omnibus attiguis ſibi ædificijs (incertum diuina vltione an fortuita calamitate) incenſum, atque in cineres redactum eſt.

Clarus eo tempore in palatio, & magnæ in Republica authoritatis erat Otto dux Baioariorum. Sed, ſicut ſemper gloriam ſequi ſolet inuidia, inuidentes ei plerique homines nequam, qui malitiæ ſuæ potentiam eius atque immoderatam gloriam obſtare querebantur, ſolicite opportunitatem ad opprimendum eum quærebant. Itaq; quendam Egenē nomine, hominem ingenuum, ſed omni flagitiorum genere infamatum, in necem exitiumque eius ſubornauerunt. Is crimen aduerſus eum detulit, quod ſe ad occidendum regem precibus & pollicitationibus multis ſæpenumero ſolicitaſſet, atque in argumentum fidei gladium oſtentabat, quem ſibi ab eo in hos tam ſceleratos nefarioſque vſus datum aſſerebat: ſi inficiaretur, paratum ſe quouis indicio verbis ſuis fidem facere. Qua accuſatione vulgata, hi quos ratione communis commodi aliquando offenderat, omnes infenſi infeſtique aderant, & iracundiam regis aduerſus eum inflammare ſumma vi, ſumma ope nitebantur. Igitur rex eum Moguntiam cum cæteris principibus ad colloquium euocauit, quid delatum eſſet expoſuit, negantique inducias in ſex hebdomadas dedit, vt Calendis Auguſti Goslariam veniens, obiectum crimen congreſſus cum accuſatore ſuo manu propria refelleret. Cum in hæc verba diſceſſum eſſet: cauſari principes de iniquitate cōditionis cœperunt, nec bonum, nec æquum eſſe dicentes, vt homo nobiliſſimus, integerrimæ apud omnes exiſtimationis, nec vlla vnquam ſiniſtri rumoris macula attaminatus manum conferre iuberetur cum homine ſceleratiſſimo, qui, ſi quid ingenuitatis à parentibus accepiſſet, id per furta, per latrocinia, denique per omnia vitiorum probra iam dudum obliteraſſet. Ille tamen & indignitate rei efferatus, & Deo innocentiæ ſuæ teſte & conſcio fretus, cum quouis, etiam indigno, etiam præter Natales ſuos, pugnare malebat, quam tanti ſceleris ſuſpicione teneri. Igitur die ſtatuta ad proxima Goslariæ loca cū armata multitudine venit. Miſſis ad regem nuncijs, mandauit, ſi ſibi tuto venire, ſi tuto cauſam dicere liceret: paratum ſe coram venire, & conditione quam principes regni æquam iudicaſſent, crimen cuius inſimulatus fuerat, refellere. Rex ad hæc atrociter & acerbe

reſpondit,ſe ei nec in veniendo,nec in cauſa dicenda pacem aut ſecuritatem polliceri, id ſolum expectare, vt iuxta condictum Goslariam comminus veniret, & ſi quid de innocentia ſua præſumeret,conſerta cum aduerſario ſuo manu, æquiſſimo iudici Deo rem committeret:ni id faceret, ſe omiſſa legum diſſidentium ſimultate, relegato ſententiarum certamine, pro conuicto confeſſoque eum in tanti ſceleris immanitate habiturum. Relato ad ducem hoc reſponſo, nec tutum, nec ſatis honeſtum eius rationibus viſum eſt his qui recte ei conſultum cupiebant, vt ſic inflammatæ aduerſum ſe regis iracundiæ illudenſum ſe vexandumque obiiceret,cum ſibi,integris ad hęc rebus,& crimine nec dum comprobato, tuto coram venire non licuiſſet: quod tam iure cœli, quam iure fori omnibus ſemper reis,omnibus in cauſis licuiſſet. Ita inciſa ſpe venię,infectis rebus in ſua ſe recepit, ſatius putans quoad poſſet armis ſalutem tueri, quam ad exſaturanda hoſtium ſuorum odia turpiter more pecudum iugulari. Poſtera die rex principes Saxoniæ,quod ex his oriundus eſſet,& hi propter priuatas inimicitias maxime inuiſum eum haberent, ſententiam ſuper eo rogauit : qui eum tanquam manifeſti criminis deprehenſum,reum maieſtatis iudicauerunt, & ſi caperetur, capitali in eum ſententia animaduertendum fore decreuerunt. Illico amici regis ferro & igne perſequi eum ſinguli pro virili portione adgrediuntur, plerique etiam nec fide erga regem, nec ſtudio erga rempub.nec vltione cuiuſquam priuatæ iniurię,ſed ſola rapinarum cupiditate arma contra eum capiunt. Ita vndique laxatis, imo ruptis irarum habenis,omnes in eum irruunt, prædia eius & poſſeſſiones alias diripiunt, vaſtant, incendunt, miniſtros eius,agrorumque cultores,ſi quos ſors obtuliſſet,obtruncant,lacerant,iugulant. Sic poſtremo præter modum modeſtiamque ira immoderatior debacchabatur, vt nec ab eccleſiis, nec templis, quæ ille propriis impenſis Deo conſtruxerat, hoſtilis fæuitiæ impetus temperaret. Deinde rex collecto exercitu egreſſus, extremam operi manum per ſeipſum impoſuit : principes quos ei cõſanguinitate vel alia neceſſitudine obnoxios nouerat,aut acceptis obſidibus,aut iureiurando, ne ad eum deficerent,obligauit:caſtellum eius Hanenſtein, à quo ad primum ſtatim belli terrorem præſidium abductum fuerat,funditus euerti iuſſit:alij caſtello quod Teſenberg dicitur,exercitum iam admouerat.Sed hi qui intus erant, etſi loci ſitu inexpugnabiles eſſent, & copiis omnibus quæ adminiſtrando bello neceſſariæ erant, affatim affluerent : vltro tamen ſe dedere,quam ancipitem belli fortunam tentare maluerunt. Relicto illic præſidio rex in vlteriora loca,ad demoliendas vxoris quoque eius poſſeſſiones, exercitum abduxit, villas multas opibus & ædificiis ornatiſſimas incędit,bona diripuit,in mulieres & pueros (nam viri in montes & in ſaltus deuios ſe abdiderant) fœda & hoſtilia multa commiſit. Tantaque in ea expeditione acerba & crudelia perpeſſi ſunt à rege proprio homines innocẽtes,&nulla ſaltem ſuſpicione criminis cuiuſquam infamati,vt nihil acerbius,nihil crudelius à barbaris perpeti potuiſſent. Tandem dux Otto perdoluit, & calamitatum pondere ſuperata eſt conſtantia patientiæ. Itaque aſſumptis ſecum ad tria millia viris electis,& omni militaris diſciplinæ ſtudio exercitatis,impetum in Thuringiam fecit, villas regalis fiſci rebus cunctis affluentiſſimas incendit, prædam multam abegit,& milites ſuos quorum pleroſque ad ſocietatem belli ſola ſpes rapinarum allexerat,hac primum mercede ineſcauit, fidoſque ac firmos ſibi effecit. Ita populabundus vltra Heſchenevvege peruenit. Ibi confluentibus ad ſe agrorum ſuorum cultoribus, quibus milites regis præter miſeram vitam nihil reliquum fecerant, partem aliquam prædę diſtribuit, verbera diuinæ animaduerſionis fortibus animis tolerare admonuit, & pro ſe quoniam arma ferre non poſſent, ſuppliciter ad Deum vota facere flagitauit.Interea Thuringi, qui ſe ante aliquot annos ſacramento obſtrinxiſſent, ne latrones aut raptores inultos ſinerent,rerum ſuarum direptionibus exacerbati, ad arma conclamant,conglobatis propere ingẽtibus copijs, hoſtes eueſtigio inſequuntur, inuentiſque haud procul ab Heſchenevvege certamen inferunt 4 nonas Septembris. Nec diu anceps pugna fuit.Nam his qui cum duce Ottone erant, impigre occurſantibus, vix primam prœlij procellam ſuſtinentes in fugam vertuntur, & alij in proximos montes & ſyluas euadere,alij pariter quo venerant, citatis equis reuerti ſummo conamine nitebantur,haud ſatis auſpicato tentatam fortunæ aleam deteſtantes. Ipſe denique qui primo vt res certamini committeretur, vehementiſſimus author incentorque fuerat

fuerat Rutgerus comes, is nunc primus fugiendi author ac signifer apparebat, omniq; (vt vulgo dicitur) vento citatior, montes & colles modernus Idithun transmittebat. Trecenti plus minusve in ea congressione ex Thuringis corruerunt: ex parte altera vnus occisus, duo sunt vulnerati. Dux Otto signo receptui dato, cum à cæde hostium vix & ægre militem suum reuocasset, aliquandiu in eisdem castris commoratus est, & vergente iam in vesperam die plerosque principes exercitus sui singulos in sua cum pace dimisit. Ipse adhibitis sibi quantas res poscere videbatur copiis, in vlteriorē Saxoniam contendit, ibique totam hyemem vsque ad Natalem Domini exegit, partim rapinis & deprædationibus victitans, partim ex possessionibus Magni comitis, quem belli periculorumque omnium socium & innocentiæ suæ deuotissimum assertorem habebat. Is filius erat Ottonis ducis Saxoniæ, egregius adolescens, boni & æqui in pace supra annos suos seruantissimus, & in bello audacia & virtute militari nulli secundus. Perlato ad regem nuncio acceptæ in Hesche newege cladis, omissis rebus aliis Goslariam concitus remeauit, nec inde vsquam ante Natalem Domini abscessit, timens scilicet, ne tam charam tamque acceptam sibi villam, quam pro patria ac pro lare domestico Teutonici reges incolere soliti erant, hostes per absentiam eius, quod minitari & crebris vsurpare sermonibus dicebantur, in fauillas cineresque redigerent.

Adelbertus Wormatiæ episcopus [monachus sancti Galli & frater ducis Sueuorum] propria (vt fertur) crassitudine præfocatus interiit, cui Adalbertus successit.

Kribo diaconus frater Wilhelmi & Ottonis marchionum occisus est à propriis seruis suis, vir tam diuinis quam secularibus literis apprime eruditus, sed propter lasciuiam morumque intemperantiam merito bonis omnibus grauis & inuisus.

Siluestrium arborum eadem quæ priore anno sterilitas permansit, sed vinearum tanta fertilitas fuit, vt plerisque in locis præ multitudine vix colligi vindemia posset.

1071. Rex Natalem Domini Goslariæ celebrauit. Ibi per interuentum Rudolphi ducis Sueuorum Welf filius Azzonis marchionis Italorum ducatum Baioariæ suscepit. Is filiam Ottonis ducis Baioariorum vxorem duxerat, & per iusiurandum altera iam vice matrimonio fidem dixerat. Quandiu itaque res tranquillæ erant; quandiu etiam bellum temere cœptum fine grandi permutatione rerum sedari posse sperabat, maritalem vxori affectum & honorem deferebat, & causam soceri quantum poterat, armis & consiliis tuebatur. At vbi animaduertit datam in eum esse sententiam & bellum, iracundiamque regis magis indies aduersus eum crudescere, leges omnes, vinculaque omnia quibus vicissim propinquitatem firmauerant, abrupit; satius putans, periurij crimen & violatæ fidei verecundiam sustinere, quam res suas florentissimas desperatis ac perditis eius rebus admiscere. Et primo in tam trepidis rebus petenti auxilium denegauit, deinde filiam eius à complexibus suis & thori consortio segregauit, patriqueremisit, postremo ad ipsum eius ducatum occupandum omnem operam intendit; nihil pensi habens, quantum auri, quantum argenti, quantum redituum ac possessionum suarum dilapidaret, dum modo quod cupiebat, assequeretur. Directus est ergo dolus in manu eius, & potuit & inualuit, cunctis detestantibus, quod clarissimam atque inopinatissimam in republica dignitatem tam fœda ambitione polluisset. Nouerat rex haud satis placiturum principibus Baioariæ, quod hoc tum contra morem & ius, tum ipsis inconsultis factum fuisset, & propterea quantocyus ire in Baioariam cogitabat, vt tumultum si quis forte oriretur, per seipsum reprimeret: sed è diuerso haud nescius erat, si ipse longius abisset, hostes ilico in Goslariam impetum facturos, & clarissimum illud regni domicilium in cinerem redacturos. Accepto à familiaribus suis consilio, quosdam Saxoniæ principes illic præsidij causa reliquit, & ipse, sicut instituerat, in Baioariam proficisci parabat. Interea dux Otto vidēs sibi nihil iam spei reliquum esse, cuius & bona omnia flamma hostilis absumpsisset, & ducatum alius in suam potissimum contumeliam inuasisset, statuit rem in extremum discrimen adducere, & cum rege vbi primum copia fieret, collatis signis dimicare. Itaque montem qui dicitur Hasengun occupauit, vt is scilicet militibus suis, quomodocunque res in prælio cecidissent, receptui foret. eum etsi natura & situ ipso satis munitum, munitiorem tamen manu atque opere fecit, ibique conuecta ex circumiacentibus agris præda regem præstolabatur. Rex accepto nuncio nihil moratus, quātas in ea trepidatione potuit copias ex

Saxonia, ex Thuringia, atque ex Haſſia celerrime contraxit: cæteris principibus qui longius aberant mandauit, vt ſi forte res ſine mora & diuturnitate confici non poſſet, ſibi quam citius poſſent armata manu concurrerent. Plurimum eo tempore rex conſiliis vtebatur Eberhardi comitis, ſapiẽtis admodum viri. Is videns hoſtes ſic ad bella exercitatos, ſic ipſa iam deſperatione quæ plerumque timidis etiam virtutem addere ſolet, efferatos, ſine magno detrimento reipub. nec vinci nec vincere poſſe: abiit ad ducem Ottonem, eumq; per Deum obteſtari cœpit, ne ſe ſuosq; in tantum diſcrimẽ præcipitaret; necdum ei omnẽ ſpem veniæ, omnem reſpirandi facultatem ereptã eſſe, ſi de monte quem occupauerat, exercitum abduceret, ſeque regi iuſtis conditionibus dederet; ſub iuramento ſe ei promittere, quod & veniam culpæ cuius inſimulatus fuerat, & omnium quæ iure belli amiſerat, reſtitutionem ei à rege impetraret. Annuente eo, rem ad regem detulit, & eum haud difficulter in ſententiam abduxit, quippe cum tædere eum iam belli cœpiſſet, quod propter priuatum hominis amorem à principibus per ingenium trahi, ac ſegniter geri videbat. Pace per iuſiurandum vtrinque firmata, induciæ datæ ſunt Ottoni duci vſque in Paſcha, vt Coloniam veniens deditionem lege, quam principes æquam iudicaſſent, perficeret. Inter has inducias, cum dux Otto exercitum ſingulos in ſua dimiſiſſet, Rether comes (partium eius haud leue momentum) occiſus eſt ab hoſtibus ſuis propter quaſdam priuatas ſimulates.

Saricho abbas Corbeienſis obiit, cui Werenher eiuſdem cœnobij monachus ſucceſſit.

Rex ſicut inſtituerat in Baioariam abiit, ibique compoſitis mediocriter, prout tum copia erat, regni negotiis, ad Rhenum rediit; caſtellum Hamerſtein, quod à ſuperioribus regib. iam olim dirutum fuerat, ſummo niſu inſtaurauit; Paſcha Coloniæ celebrauit, ibique rurſus Ottoni duci inducias vſque in Pentecoſten dedit: exacta ſolennitate Paſchali Leodium abiit. Ibi ad eum vidua Balduuini comitis venit, regię maieſtatis patrocinium expetens contra violentiam improbitatemque Rutberti fratris Balduuini, qui & fratrem prælio victum vita priuaſſet, & comitatum eius, expulſis vxore & liberis, tyrannica crudelitate occupaſſet. Non ingratum fortaſſis lectori fecero, ſi geſtæ rei hiſtoriam, quam paucis potero, abſoluam. In comitatu Balduuini eiuſque familia id multis iam ſeculis ſeruabatur, quaſi ſancitum lege perpetua, vt vnus filiorum qui patri potiſſimum placuiſſet, nomen patris acciperet, & totius Flandriæ principatum ſolus hæreditaria ſucceſſione obtineret; cæteri vero fratres aut huic ſubditi, dictoq; obtemperantes ingloriam vitam ducerent, aut peregre profecti, magis propriis rebus geſtis florere cõtenderent, quam deſidiæ ac ſocordiæ dediti, egeſtatem ſuam vana maiorum opinione conſolarentur. Hoc ſcilicet fiebat, ne in plures diuiſa prouincia claritas illius familiæ per inopiam rei familiaris obſoleret. Igitur cum Balduuinus ſenior duos genuiſſet filios Balduuinum & Robertum; Balduuinum omnium quæ habebat hæredem inſtituit; Ruberto, vbi primum ætas faciendis ſtipendiis matura viſa eſt, naues parauit, aurum, argentum & cæteras longinquæ profectionis impenſas affatim præbuit, iuſſitque vt ad gentes exteras iret, & ſi vir eſſet, propria ſibi virtute regnum diuitiaſque pararet. Ille patri acquieſcens: aſſumpta ſecum multitudine qua regio prægrauari videbatur, nauem aſcendit, & in Gallitiam ire, eamq;, ſi votis Deus ſucceſſum annuiſſet, ſibi ſubdere cogitauit. Cumq; poſt paucos dies ad ignota quædam littora applicuiſſet, & egreſſus in terram, ab incolis loci prædas agere cœpiſſet: illi ex omnibus partibus ad arcendam vim ilico armati conueniunt. Facta congreſſione eum, cum aliquandiu pugnam fortiter ſuſtinuiſſet, in fugam vertunt, fugientem vſque ad naues perſequuntur, ſocioſque eius pene ad internicionem proſternunt. Ipſe cum paucis vix fuga elapſus, ad patrem tantæ calamitatis nuncius rediit, à quo propter male geſtas res contumelioſe repulſus, alia rurſum via quomodo hac non ſucceſſiſſet, fortunam tentare adgreditur; omnia paratus etiam extrema perpeti, vt maculam veterem factis recentioribus eluеret. Reparatis nauibus, & numero militum inſtaurato, marinis iterum fluctibus ſe credidit, in regionem longinquam, vbi ſedem vaganti Deus oſtendiſſet, iter facturus. Et ecce poſt paucos dies tempeſtate infeſtiſſima circumuentus, multis ſuorum naufragio amiſſis, ipſe nudus, omniumque rerum egens, vix & ægre in littus euaſit. Dehinc aſſumpto plebeio habitu, inter eos qui Hieroſolymam cauſa orationis pergebant,

bant, Constantinopolim ire parabat, vocatus eo crebris legationibus Nortmannorum qui sub imperatore Constantinopolitano militabant, quique ei si illuc veniret, totius Græciæ principatum pollicebantur. Sed imperator Constantinopolitanus, compertohoc consilio, omnia flumina per quæ transitus in Græciam esse poterat, appositis custodibus obseruari fecit, vt deprehensus ilico trucidaretur. Sic conatus cœptumque eius irritum fuit. Tandem aduertens sic infeliciter sibi cedere, quamcunque viam tentasset amplificandæ gloriæ suæ: deinceps in perpetuum ab oppugnatione exterarum gentium animum auocauit, atq; in Frisiam quę confinis est Flandriæ (cui Theodericus quondam comes, & post hunc Florentius frater eius imperauerat) irruptionem fecit. Bis ibi commisso prælio victus ac fugatus est. Tandem incolæ loci multis certaminibus exhausti, cum animum eius vel ad mortem, vel ad victoriam obstinatum cernerēt, vltro se ei dediderunt. Quod vbi frater eius Balduuinus comperit, (iam enim pater eius morbo ac senio confectus naturæ concesserat) armata multitudine his eum sedibus proturbare magna vi, magno molimine parabat. Cui cum exercitu aduentanti Rubertus legatos obuiam misit, obtestans per Deum, vt se fratrem suum reminisceretur, nec iura germanitatis, apud barbaros quoque semper sacrosancta & inuiolata, polluceret; misereretur potius peregrinationis, laborum & calamitatum, in quibus totam ætatem suam detriuisset; gauderet ipse beatus forte sua, quod totam communis patris hæreditatem quam iure gentium secum diuidere debuisset, solus sine consorte obtineret: se patriis finibus extorrem, paterna hæreditate destitutum, ab summa gloria maiorum suorum ad vltimam egestatem coactum exteras gentes bello lacessisse, terras ac maria concitasse, nihil denique prætermisisse, ne de portione paternæ substantiæ, quæ se contingeret, fratri molestus esset: nunc laboribus exhaustum, aduersitatibus defatigatum, vix & ægre paruissimo terrarum angulo insedisse, cuius nullam partem consteret ad eius dominium pertinere: postremo id se animo fixum habere, nec à sententia vlla vi, vlla necessitate abduci posse, vt hic aut instantis iam senectutis requiem, aut honestæ saltem mortis sepulchrum sit habiturus. Nihil ille his verbis motus, exercitum haud segniter ad Frisiam admouebat. Tum Rubertus necessitate compulsus, armata iuuentute quam secum lectissimam habebat, obuiam ei processit: commissoque prælio ex parte Balduwini multi occisi, plures vulnerati, omnes in fugam versi sunt: quos dum ipse loco pulsos sistere, pugnamque restituere summo conamine moliretur, in confertissimos hostium cuneos temere inuectus occiditur: cuius morte comperta Rubertus ilico in Flandriam irruptionem fecit, eamque sibi tanquam ex iure debitæ successionis totam mancipauit. Filius erat Balduino impubis adhuc adolescens, & nec dum armis militaribus maturus: is repente & perempti patris & hostilis irruptionis atroci nuncio attonitus, ad regem Francorum Philippum nomine confugit, auxilium & necis paternæ vindictam expetens, eo quod pater eius tam ipsi quam maioribus eius sæpe in arduis rebus commodissime affuisset, & ciuitates quasdam ex his quas Rubertus occupauerat, pro donatiuo ab eo accepisset. Ille rei indignitate grauissime permotus, statim temere & tumultuario tantum milite collectum exercitum duxit in Flandriam, de magnitudine virium suarum & hostis imbecillitate nimium præsumens. Sed Rubertus, quo viribus erat impar, eo magis vt rem astu tractaret intentus, simulato aliquandiu metu & fugiendi studio, ex insperato atq; ex insidiis copias suas super exercitum regis effudit, tantumque eis terrorem incussit, vt abiectis armis fugiendo saluti consulere summa ope conarentur. Filius Balduini, cum deinceps parum spei in armis Francorum poneret, assumpta matre sua ad regem Teutonicorum Heinricum Leodij (vt prædictum est) tum temporis positum venit, opemque eius aduersus patrui violentiam supplex implorauit, atque vt magis eum sibi obnoxium faceret, comitatum Reginheri quondam comitis cum castello munitissimo Mons nomine, quæ scilicet prædia mater eius à priore marito suo dotis nomine acceperat, sancto Lamperto tradidit: quæ rursus episcopus Leodiensis duci Godefrido, ille itidem ipsi filio Balduin beneficij loco dedit. Hoc rex quasi pretio redemptus, episcopo Leodiensi, atq; duci Godefrido, item alijs Lotharingiæ principibus præcepit, vt in arduis rebus præsidio illi essent, & Rubertum, si iniuste inuasis sedibus vltro excedere nollet, vi & armis expellerent. Qui protinus coadunato exercitu, in Flandriam profecti sunt; sed comperto,

quod Rubertus cum rege Francorum iam in gratiam rediiſſet, & expiata veteri contumelia firmum ſibi cum fidelemq; feciſſet, infectis rebus in ſua rediere, temerarium iudicantes, cum rege potentiſſimo priuatis viribus acie confligere. Sic Rubertus deinceps Flandriæ principatu in ſecuritate potiebatur.

[Cum Heinricus imperator tertius Leodium veniſſet:] fratres de monaſterio [Stabulaus] proturbati, quotidie aures regias obtundebant pro repetitione monaſterij Malmendrenſis, quod abbati ereptum rex conſilio Bremenſis epiſcopi (vt prædictum eſt) dono dederat Colonienſi archiepiſcopo. Cumque nihil ille precibus, nihil lacrymis, nihil ipſa perurgentium importunitate moueretur; inito conſilio & (vt fertur) diuina reuelatione ad hoc faciendum incitati, oſſa beati Remacli leuant, Leodium deferunt, & rege celebri quodam loco conuiuium agente ſuper menſam ipſam apponunt, obſecrantes per Deum, vt ſi minus filiorum, ſaltem patris tanti miſereretur iam cum Chriſto regnantis, & de iniuriis ſuis quotidie ad tribunal æterni iudicis proclamationem facientis; cui niſi ſua reſtitueret, vltra ei propter penuriam rerum neceſſariarum militaturi non eſſent. Hoc ſupplicationis genere, quod ad captandam beneuolentiam comparatum fuerat, rex verſa vice nimium efferatus, concitus ſe relictis epulis in palatium proripuit, & quo exemplo in abbatem tam audacis facti incentorem animaduertere deberet, plenus irarum cogitabat. Sed ecce menſa cui ſuperpoſitę erant ſacræ reliquiæ, diuina virtute, confracta corruit: miniſtroque regis, haud obſcuri nominis viro crura pedesque contriuit: qui paulo poſt exorata per interceſſionem beati Remacli pietate diuina ita priſtinę reſtitutus eſt ſoſpitati, vt ne cicatrix quidem in argumentum læſionis abolitæ relinqueretur. Atque ita deinceps per totam noctem ſequentemque diem tanta circum ſanctum corpus coruſcabat miraculorum multitudo, vt corporali quodammodo proclamatione videretur beatus Remaclus ius ſuum expoſtulare. Attonitis omnibus tantæ rei nouitate, rex timore vehementiſſimo correptus, ne forte, ſi cunctaretur, cœleſtis in eum protinus vltio procederet, non ſolum ablata reſtituit, ſed recentibus etiam donis pro munificentia regia magnifice cumulauit.

Hinc digreſſus Pentecoſten Halberſtat celebrauit: ibi Ottonem ducem cæterosq; ingenuos qui cum eo arma contra rempublicam ſumpſiſſe arguebantur, in deditionem ſuſcepit, principibusque regni in cuſtodia habendos, & ſtatuto die ſibi reſtituendos commendauit.

Meginwardus abbas Augienſis dignitate ſua vltro ſe abdicauit, offenſus tum infeſtatione quorundam militum ſuorum qui eum grauibus contumeliis affecerant, tum importunitate regis qui frequentibus eum edictis vrgebat, vt prædia monaſterij quæ tam eius quam priorum abbatum largitione dilapidata, vix iam in vſus fratrum ſufficere poterant, militibus ſuis in beneficium erogaret. In locum eius non per electionis oſtium, ſed per ſimoniacæ hæreſeos cuniculum protinus irrupit Rubertus abbas Babenbergenſis, cognomento Numularius, annumeratis in ærarium regis mille pondo argenti puriſſimi. Hic ſordidiſſimis quæſtibus & vſuris, quas etiam priuatus adhuc in monaſterio exercuerat, infinitam ſibi pecuniam conflauerat, & propterea mortes epiſcoporum & abbatum anxia expectatione iamdudum ſuſpirauerat. Cumque eos diutius viuendo, vota ſua & effrenatæ ambitionis impetum, quo præceps rapiebatur, morari grauiter & impatientiſſime ferret; eo veſaniæ euaſit, vt præter occulta munera quibus auricullariorum fauor redimendus erat, regi centum pondo auri promitteret, vt electo eximiæ ſanctitatis viro abbate Widerado ſibi abbatia Fuldenſis traderetur. Et profecto quod nefarie concupiuerat, flagitioſiſſime obtinuiſſet, niſi pauci quibus leges eccleſiaſticæ pecunia chariores erant, in faciem regi ne id faceret obſtitiſſent. Is pſeudomonachus (dicam expreſſius) vi doloris impulſus, is angelus Satanæ trãsfiguratus in angelum lucis, ita ſanctam & angelicam monachorum profeſſionem infamauit, corrupit, vitiauit, vt monachi noſtris temporibus atque in his regionibus non innocentia æſtimentur atque integritate vitæ, ſed quantitate pecuniæ; nec quæratur in abbatibus eligendis, quis dignus præeſſe, ſed quis carius abbatiam poſſet emere. Ita proprio huius inuento, nouo atque infauſto huius aucupio hæc in eccleſiam introducta eſt conſuetudo, vt abbatiæ publice venales proſtituantur in palatio; nec quiſquam tanti venales proponere queat, quin protinus emptorem inueniat, monachis inter ſe non

de

de obſeruantia regulæ zelo bono, ſed de quæſtibus & vſuris zelo auaro contendentibus. Sed hęc vt digne defleri poſſint pro magnitudine ſua, & proprio volumine, & prolixiore opus habent tragœdia. Ad cœptum potius reuertamur. Aduocatus Augienſis monaſterij, poſtquam pecuniarium hunc abbatem aduenire comperit, & quanta largitione aditum ſibi in ouile Chriſti lupus rapax parefeciſſet, audiuit; miſſa obuiam legatione denuntiauit ei ſub interminatione ſalutis propriæ, ne intra poſſeſſiones Augienſis monaſterij præſumeret accedere: alioquin occurſurum ſe, & armata manu vindicaturum in libertatem quos ipſe tam caro mercimonio emiſſet in ſeruitutem. His ille auditis nimium animo conſternatus eſt, tum propter grauem iacturam pecuniarum ſuarum, tum propter ereptum ſibi tanquam de faucibus, cui diu anxie inhiaſſet, honorem. Et primo quidem animum induxerat rem armis experiri, & (vt dici ſolet) ignem gladio ſcrutari, hoc eſt ſimoniacam hæreſim homicidiis cumulare: ſed aſſerentibus his qui cum eo erant, ſupra vires ſuas eſſe negotium, confuſo (vt dignum erat) & confecto animo abiit in poſſeſſiones fratris ſui, præſtolaturus ibi, quos exitus tam triſtibus initiis ſors eſſet allatura. Nam abbatiam Babenbergenſem interea ſuſceperat Ecebertus Gorzienſis diſciplinæ monachus. Ad cuius ingreſſum omnes protinus fratres, quos prior ille abbas ſuis, hoc eſt mercatoriæ atque vſurariæ artis diſciplinis inſtituerat, & quaſi filios pater in vitam moreſque ſuos pedibus (vt dicitur) ire docuerat, tanquam folia quę vento raptantur, diffugerunt.

Carolus, cui rex Conſtantienſem epiſcopatum dederat, aſſiduis proclamationibus pro ordinatione ſua ſedem Apoſtolicam appellabat. Econtra fratres Conſtantienſes obſtinata contentione obluctabantur, ne contra canonum inſtituta, is qui præter ſimoniacam hæreſim furti quoque inſimulatus fuerat, ſibi epiſcopus ordinaretur. Papa, cum ei moleſti eſſent, cognitionem cauſæ à ſe ad archiepiſcopum Moguntinum reiecit, iuſſitque vt vtriſque vocatis ad ſynodum rem diligentiſſime ventilaret, & ſi crimina quæ obiiciebantur, refellere non poſſet, nulla eum ratione conſecraret. Hac de cauſa ſynodum archiepiſcopus Moguntiæ indixit in menſem Auguſtum. Rex concertationem hanc iniquo valde animo ferebat propter amicitiam Caroli, & plurima ſeruitia quibus etiam in re familiari plerumque ſibi commodiſſime affuerat; & idcirco munera ſua rata ei manere cupidiſſime volebat: vnde Moguntino archiepiſcopo grauiter ſuccenſebat, quod non ſtatim eum contemptis obſtrepentium fratrum ſimultatibus ordinaſſet. Sed ille immobilis perſiſtebat in ſententia, illud præ ſe ferens, quam terribiliter anno ſuperiore à papa pro ſimili cauſa obiurgatus fuiſſet, & quam vix & ægre ſine damno gradus ſui euaſiſſet, & quod poſtea recentibus literis ſedis Apoſtolicæ, ne ſine diligentiſſima diſcuſſione manus illi imponeret, commonitus fuiſſet. Itaque inſtantibus iam calendis Auguſti, rex Moguntiam properabat, cupiens ipſe in diſcuſſione tanti negotij cum archiepiſcopo cognitor aſſidere. Inter eundum Herueldiam venit. Inde digreſſus die poſtera in villam quæ dicitur Vtenhuſen, prandendi gratia diuertit. Cumque refecti iam feruentiſſimo accelerandi itineris ſtudio certatim omnes caballos repeterent; accidit, vt Lupoldus quidam de Merſpurg, regi cariſſimus, cuius opera & conſiliis familiariſſime vti ſolitus erat, caballo forte laberetur, & proprio mucrone transfoſſus illico expiraret. Cuius calamitas intolerabili dolore & mœſtitia regem confecit, ſtatimque Herueldiam reportatum in medio eccleſiæ cum magnifica funebris officij pompa ſepeliuit. x x x quoque manſos pro anima eius monaſterio contradidit, in loco qui dicitur Mertenefelt. Notatum autem eſt hunc ipſum gladium fuiſſe, quo famoſiſſimus quondam rex Hunnorum Attila in necem Chriſtianorum atque in excidium Galliarum hoſtiliter debacchatus fuerat. Hunc ſiquidem regina Vngariorum, mater Salomonis regis, duci Baioariorum Ottoni dono dederat, cum eo ſuggerente atque annitente, rex filium eius in regnum paternum reſtituiſſet. Cumque eum dux Otto filio Dedi marchionis Dedi iuniori in argumentum pignuſque indiuiduę dilectionis ad tempus prędtitiſſet, illo (vt prædictum eſt) perempto, regi & per regem Lupoldo huic caſu obuenerat. Vnde plerique ducis Ottonis fautores diuino hunc iudicio per eum qui ducis Ottonis fuiſſet, gladium occiſum interpretabantur, eo quod ad illum perſequendum & de palatio ejiciendum is potiſſimum regem inſtigaſſe diceretur. Legitur autem de hoc gladio in geſtis Getarum (qui & Gothi dicun-

tur) quod Martis quondam fuerit, quem bellandi præſidem & militarium armorum primum repertorem gentiles mentiebantur, eumque poſt multa tempora paſtor quidam in terra leuiter abſçonſum deprehenderit ex ſanguine bouis, cuius pedem dum in gramine paſceretur vulnerauerat, iſque eum Attilæ regi detulerit, diuinatumq; illi fuerit omnium tunc temporis aruſpicum reſponſis, quod gladius idem ad interitum orbis terrarum atque ad perniciem multarum gentium fatalis eſſet. Quod verum fuiſſe oraculum, multarum nobiliſſimarum in Galliis ciuitatum hodieq; teſtantur excidia, in tantum, vt gladius ipſe vindex iræ Dei ſiue flagellum Dei à barbaris quoque diceretur. Hæc quoniam gladij huius mentio inciderat, per exceſſum ſint dicta.

Rex magnifice ac regaliter curato funere, Moguntiam ſicut inſtituerat properauit. Cumq; ſtatuta die in ſynodo cum epiſcopis aſſediſſet, aderat Carolus; aderant & fratres Conſtantienſes, magnã ei molem criminum obiectantes, contra quos rex, quantum ſalua verecundia poterat, dedita opera nitebatur, & modo obiecta purgare, modo pondus obiectorum quæ non poterat purgare, callidis ſermonibus conabatur attenuare: plerumque & iam inſtantium ac perurgentium procacitatem verbis durioribus corripiebat, ac frontis impudentiam oppoſita authoritatis ſuæ maieſtate refringere tentabat. Primum & ſecundum diem in hoc negotio inſumpſit. Cumque accuſatorum conſtantiam, nec veritate reſponſionis nec arte dictionis eludere poſſet; ad vltimum probatis quæ obiecta fuerant criminibus, baculum epiſcopalem ab eo recepit. Verbis tamen exquiſitiſſimis mœſtitiam eius conſolabatur, promittens, quod dum primum ſibi opportunum fieret, benigna vice hanc calamitatem ei compenſaret. Ipſis diebus regina quæ vna cum rege Moguntiæ aderat, filium peperit, ſed is baptizatus ſtatim obiit, delatusque in Hartesburg, ibi ſepultus eſt. Epiſcopatum Conſtantienſem rex Ottoni canonico Goſlarienſi dedit, recentisque calumniæ exemplo conterritus, confeſtim eum conſecrari fecit, ne quis ſcilicet aduerſus eum ſcrupulus denuo per dilationem conſecrationis oriretur.

Inter ducem Polonorum & ducem Beheimorum infeſtiſſima diſſenſio erat, propter quod eos rex in ciuitatem Miſene autumnali tempore euocatos durius corripuit, & vt deinceps ſuis ſinguli terminis contenti eſſent, nec ſe viciſſim temerariis incurſionibus laceſſerent, ſub obtentu regiæ maieſtatis præcepit, alioquin ſe hoſtem & vindicem experturus foret, qui prior alteri arma intuliſſet.

Hoc anno Colonienſis archiepiſcopus expulſis de Salefelt canonicis vitam illic inſtituit monaſticam, miſſis eo de Sigeberg & de Sancto Pantaleone monachis. Quo in tempore & ego illuc veni conferre cum eis de ordine & diſciplina monaſterialis vitæ, eo quod magna quædam & præclara de illis vulgi opinione iactarentur. Denique, ſicut vulgo aſſiduitate vileſcunt omnia, & popularium animi nouarum rerum auidi magis ſemper ſtupent ad incognita: nos quos viſu nouerant, nihili æſtimabant, & hos, quia nouum inuſitatumque aliquid præferre videbantur, non homines ſed Angelos, non carnem ſed ſpiritum arbitrabantur. Et hæc opinio principum quam priuatorum mentibus altius preſſiusque inſederat. A quibus ad populum deriuatus rumor tantum terroris pleriſq; in hac regione monaſteriis iniecit, vt ad ingreſſum illorum alias XXX, alias XL, alias L monachi auſterioris vitæ metu ſcandalizati de monaſteriis abſcederent, ſatiuſque ducerent de ſalute animæ in ſeculo periclitari, quam ſupra virium ſuarum menſuram vim facere regno cœlorum. Et reuera non immerito Dominus ſuper noſtrates monachos deſpectionem effundere videbatur. Nam quorundam pſeudomonachorum priuata ignominia nomen monachorum vehementer infamauerat, qui omiſſo ſtudio diuinarum rerum totam operam pecuniis & quæſtibus inſumebant. Hi pro abbatiis & epiſcopatibus aures principum importune obtundebant, & ad honores eccleſiaſticos non via virtutum (vt maiores noſtri conſueuerant) ſed per ambitionis præruptum, & male partarum pecuniarum profuſionem graſſabantur. Denique in coemptionem exigui honoris aureos montes quotidie promittebant, ſeculareſque emptores largitionis ſuæ immoderantia excludebant, nec venditor tantum audebat expoſcere, quantum emptor paratus erat exſoluere. Mirabatur mundus, vnde tantus pecuniarum ſcateret fluuius, vnde Crœſi & Tantali opes in priuatos homines congeſtæ fuiſſent, & eos potiſſimum homines, qui crucis ſcandalum & paupertatis titulum præfer-

præferrent, & præter ſimplicem victum & veſtitum nihil rei familiaris habere ſe mentirentur. Iſta dominici agri zizania, hæc vineæ Dei arida ſarmenta & ſtipula æternis ignibus præparata, totum ſacri gregis corpus quaſi tabe quadam infecerant, & ſecundum Apoſtolum modicum fermentum totam corruperat maſſam, ita vt omnes ſimiles æſtimaremur, nec eſſe in nobis putaretur, qui faceret bonum, non eſſe vſque ad vnum. Propter hoc principes regni ad inſtituendam in Gallijs diuini ſeruitij ſcholam Tranſalpinos monachos euocabant, noſtrates autem quicunque in illorum inſtituta vltro concedere noluiſſent, de monaſterijs cum ignominia eijciebant. Ego tamen (vt prædixi) ad eos veniens, & per XIV hebdomadas apud eos partim in Saleſeldt, partim in Sigiberg commoratus, animaduerti noſtras quam illorum conſuetudines regulæ ſancti Benedicti melius congruere, ſi tam tenaces propoſiti, tamq; rigidi paternarum noſtrarum traditionum æmulatores vellemus exiſtere.

Archiepiſcopus Moguntinus à feſtiuitate ſancti Michaelis vſq; in Pẽtecoſten mala valetudine laborabat, ita vt etiam deſperaretur à medicis, & de ſucceſſione eius plerique intentiſſimis ſtudiis ſatagerent.

Carolus quem ab epiſcopatu Conſtantienſi deiectum ſupra diximus, regreſſus ad Magdaburgenſem diœceſim VI Calendas Ianuarij obijt.

1072. Rex Natalem Domini Wormatiæ celebrauit, inde peragrata aliquanta regni parte Goslariam regreſſus, totam ibidem Quadrageſimam exegit.

Burchardus camerarius archiepiſcopi Mogũtini epiſcopus ordinatus eſt in Baſilea.

Primus tunc in palatio erat Adalbertus Bremenſis archiepiſcopus, qui triumphatis æmulis ſuis, qui eum ante aliquot annos de palatio eiecerant, ſolus nunc rege fruebatur, receptus non modo in gratiam & familiaritatem, ſed pene in regni conſortium, & omnium quæ publice vel priuatim agenda erant, ſocietatem. Ita regem callidis ſubreptionibus ſuum fecerat. Sed is morbo & ætate exhauſtus, cum diu per exquiſitiſſimas medicorum operas morti oblu&tatus fuiſſet, quaſi naturam arte eludere poſſet, mediante Quadrageſima XVI calendas Aprilis, debitum conditioni perſoluit, & pertinacibus odijs hominum, quod nunquam potuerat viuendo, tandem aliquando ſatisfecit moriendo. Erat plane vir admirandæ compunctionis, & potiſſimum dum ſalutarem Deo hoſtiam immolaret, totus in lacrymas effluebat. Virgo quoque (vt ferebatur) ab vtero matris permanebat. Sed has in eo virtutes nimium in oculis hominum morum inſolentia & iactantiæ leuitas obfuſcabant. Corpus eius ex Goslaria in ſedem Epiſcopatus ſui delatum atque ſepultum eſt.

Rex Palmas Coloniæ, Paſcha Traiecti celebrauit. Vbi dum ei populus vehementer obſtreperet pro iniuriis & calamitatibus, quibus paſſim per totum regnum innocentes opprimebãtur, pupilli & viduæ diripiebantur, monaſteria & eccleſiæ vaſtabantur, & ruptis iniquitas habenis in omne quod voluiſſet facinus impune bacchabatur: permotus tandem vel ipſa rei acerbitate, vel proclamãtium importunitate, annitentibus in hoc ipſum cunctis regni principibus, exorauit Colonienſem Archiepiſcopum, vt poſt ſe rerum publicarum adminiſtrationem ſuſciperet. Diu ille reſtitit petenti, partim memoria veterum iniuriarum, partim quia homo totus in Deum ſuſpenſus, diuinis quam ſecularib. negotijs implicari maluiſſet. Superatus tamen vnanimitate poſtulantium, priuatum commodum publico poſtpoſuit.

Tum primum reſpublica in priſtinum ſtatum dignitatemque reformari cœpit, frenaque iniecta ſunt vaganti vſque ad id tempus licentiæ. Nam cum rex omnem cauſarum cognitionem à ſe ad Archiepiſcopum tanquam ad patrem ac ſalutis ſuæ tutorem reiicere ſoleret: ille nec gratia cuiuſquam, nec odio à iure ad iniuriam vnquam abduci poterat, ſed iudicabat omnia (ſicut ſcriptum eſt) ſine perſonarum acceptione, nec conſyderans perſonam pauperis in iudicio, nec honorans vultum potentis. Diuites ſi qui per potẽtiam pauperes oppreſſiſſe delati fuiſſent, ſeueriſſima animaduerſione caſtigauit: caſtella eorum quæ male agentibus perfugium erãt, funditus euerti iuſſit: pleroſque ex ipſis & genere & opibus clariſſimos in vincula coniecit. Inter quos illum noſtra ætate nominatiſſimum Egenen, qui duci Baioariorum Ottoni calamitatis tantæ cauſa extiterat, cum plurimi aduerſus eum pro priuatis iniuriis & deprædationib. faciẽ regis interpellaſſent, teneri fecit, eumq; catenis oneratum, plerumq; ad ſpectaculum

vulgi deduci iussit,ad gratificandam s. popularium animos regiam seueritatem. Postremo eo moderamine, ea industria atq; autoritate rem tractabat, vt profecto ambigeres, pontificali eum an regio nomine digniorē iudicares, atq; in rege ipso qui in cultu atq; socordia pene præceps ierat,paternam virtutem & paternos mores breui exsuscitaret.

Rex Aquisgrani profectus,sanctum Speum confessorem, & brachium iusti Symeonis,cuius mentio est in Euangelio, & caput Anastasij monachi & martyris, aliorumq; sanctorum reliquias ibi accepit,atque in Hartespurg transtulit. Treueris quoque apud sanctum Paulinum XIII corpora sanctorum Thebæx (vt putatur) legionis reperta sunt,quorum hæc nomina in tabulis plumbeis conscripta ibidem reperta sunt: Palmatius, Thyrsus, Maxentius, Constantius, Crescentius, Iustinus, Leander, Alexander, Soter, Hormista, Papyrius, Constans, Iouianus. Dumque ex crypta vbi sancti pausabant, terra portaretur, os quoddam incaute proiectum, sanguinem fudit non modicum, & vsque hodie permanet sanguinolentum. De passione eorum hæc ad nos ab ipsis Treuerensibus scripta perlata sunt: *Rictiouarus Maximiani Imperatoris præfectus legionem Thebæam iussu ipsius circumquaque persecutus, Treuerim propter ipsos IV Nonas Octobris est ingressus, & eadem die occidit ibi ducem eiusdem legionis Thyrsum cum omnibus comitatibus suis. Sequenti autem die Palmatium Treuericæ ciuitatis consulem & patricium cum omnibus eiusdem ciuitatis principibus interfecit. Tertia vero die cædem exercuit in plebe sexus vtriusque. Horum autem martyrum corpora innumerabilia in sancti Paulini Archiepiscopi iacent ecclesia.*

Rex Ascensionem Domini Goslariæ, Pentecosten Magdaburg celebrauit. Vbi Adelberto Bremensi Archiepiscopo in Quadragesima (vt prædictum est) defuncto successorem constituit Liemarum optimæ spei iuuenem, & omnium liberalium artium peritia adprime insignem. Ibi quoque Otto dux Baioariorum post integrum annum deditionis suæ gratiam regis recepit, data vel regi vel his qui regi pro eo suggesserant, non modica portione prædiorum suorum.

Rex in Natalem sancti Iacobi Wormatiæ occurrit matri suæ Agneti Imperatrici, de Transalpinis partibus redeunti: vbi sex aut eo amplius annos iam demorata fuerat, sub nimia austeritate vitam instituens, adeo vt communem humanarum virium mensuram excederet, ieiuniorum ac vigiliarum patientia. Reuersionis autem eius in Galliam hæc causa erat. Rudolpus dux Sueuiæ ab his qui ei male consultum cupiebant, accusatus apud regem fuerat, quod iniquum aliquid contra regem contraque rempublicam moliretur: propter quod assiduis legationibas ad curtem regiam, vt causam diceret, accersebatur. Sed ille licet ab culpa remotissimum se sciret, conterritus tamen ducis Baioariæ Ottonis recenti exemplo, & aliorum quorundam quos rex præcipitata sententia absque discussione legitima damnauerat, temere in periculum se dare nolebat. Cumq; esset Imperatrici ob vetus meritum suum acceptissimus, propinquitate etiam deuinctus propter filiam eius, quæ ei (vt prædictum est) nupserat, sed intra paucos dies celebratæ coniunctionis decesserat: misit, eamque obnixis precibus in Galliam euocauit, ad sedandam quę oriebatur intestini belli tempestatem. Nam firmiter apud se statuerat, si pax non cōueniisset, armata potius manu quoad posset salutem tueri, quam probris & contumelijs deformandum regiæ se tradere potentiæ. Imperatrix, quamquam cuncta seculi negotia religionis obtentu in perpetuum abiurasset, nec à proposito tamen suo nimium abhorrere, nec ab ecclesiastica functione alienum fore iudicauit, si viro optime erga se merito in angustis rebus opem ferret, & filio iuueniliter tumultuanti modum imponeret. Venit itaque Wormatiam amplissimo stipata numero abbatum & monachorum, & prædictum ducem, cum interposita fide Colonienſis & Moguntini Archiepiscoporum coram venisset, omni criminis suspicione absoluit, statimque compositis propter quæ venerat, à filio abscessit, vt non tam carnali affectione, quam communis commodi ratione ad hanc secularis negotij administrationem se adductam liquido cunctis patefaceret. Dux quoque à rege dimissus in pace, protinus se in sua recepit, certum tenens, non ex integro abolitas ab animo regis inimicitias, sed ademptam interim nocendi facultatem esse. Ibi etiam Hugo Cloniacensis abbas qui cum Imperatrice eo aduenerat, Ruberto Augiensi abbati Romani Pontificis mandata & literas detulit, quod scilicet Apostolicæ sedis anathemate de corpore ecclesiæ

ecclesiæ præcisus esset, quod omne ei diuinum officium præter psalmodiam interdictum esset, quod omnis ei in perpetuum ad abbatiam Augiensem, vel ad aliquam dignitatem ecclesiasticam accessus occlusus esset: propterea quod de simoniaca hæresi insimulatus, & vt obiectum crimen purgaret, ad synodum secundo ac tertio vocatus venire distulisset. Ita ille compulsus à rege, baculum pastoralem, quem non vt pastor, sed vt mercenatius vsurpauerat, multa cum amaritudine reddidit. Clara & celebris valde his temporibus per Gallias erat memoria sancti Seboldi in Nurnberg, & sancti Hemerad in Hasengun, & magno populorum concursu quotidie frequentabantur propter opitulationes, quæ diuinitus illic languentibus sæpenumero conferebantur.

Archiepiscopus Moguntinus in Natiuitate sanctæ Mariæ Moguntia egressus, cum in Galliciam quasi orationis causa profectionem simulasset, in Cluniacense monasterium secessit. Dimissisq; his qui vna venerant, abdicatis etiam omnibus quæ habebat, statuit ibi deinceps priuatus ętatem agere, atque ab omni secularium negotiorum strepitu sub voluntariæ paupertatis titulo in perpetuum feriari. Sed breui perstitit in proposito, reuocante eum tam clero quam populo Moguntiacensi. Vix & ægre abstractus de monasterio, in Natalem sancti Andreæ Apostoli Moguntiam rediit, atque opus arduum quam præcipitanter arripuerat, tam præcipitanter, quoniam communi omnium sententiæ obluctari non poterat, deseruit.

Ruthardus abbas Herueldensis mense Ianuario ægrotare cœpit, & sic per annum continua ægritudine decoctus, cum euasurum se desperaret, abbatia & pastorali dignitate quam per infirmitatem administrare non poterat, 111 id. Decembris vltro se abdicauit, anno postquam abbati Meginhero successerat, tertio decimo iam exacto. Successitq; ei protinus secundum ipsius postulationem H. eiusdem cœnobij monachus.

Adalbero Metensis Episcopus obiit, cui Herimannus Leodiensis præpositus successit.

1073. Rex Natalē Domini Babenberg celebrauit. Ibi Bertoldo duci Carnotensium ducatum sine legitima discussione absenti abstulit, & Marcvvardo cuidam propinquo suo tradidit. Rudolphus quoq; dux Sueuorum tumultum aliquem reipublicæ machinari formidabatur. Sed discurrentes vtrinque frequentes legati, & illum ne præcipitāter in arma prorueret, & regem ne cunctantem obstinata importunitate lacesseret, salubri moderamine retinebant. Ibi quoq; Colonensis archiepiscopus offensus his quæ plurima præter æquum & bonum fiebant in palatio, petiit à rege vacationem deinceps dare sibi à rerumpublicarum administratione, causatus in senium iam vergentem ætatem, & laboriosis regni negotijs minus minusque indies sufficientem. Quod rex haud difficulter annuit, quia prauis libidinibus suis & iuuenilibus ineptiis iamdudum animaduerterat eum grauiter offendi, & plerunque quantum salua regia dignitate poterat, pro virili portione obniti. Is ergo vbi se in sua recepit, rex tanquam seueriſſimo pædagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnib. modestiæ & temperantiæ frenis, præcipitem se dedit, montes omnes colliculosque Saxoniæ & Thuringiæ castellis munitissimis extruxit, presidiumque imposuit. Quibus cum victui necessaria minus sufficerent, permisit, vt ex proximis villis & agris hostili more prædas agerent, & ad ipsa castella munienda circumquaque manentes cogerent, & impensas affatim conuectare, & per se ipsos seruili manu desudare. Verum ne manifestæ tyrannidis notaretur, si contra innocentes atque in regnum proprium tam barbara crudelitate grassaretur, vt impietatem suam quadam religionis specie palliaret, archiepiscopum Moguntinum modis omnibus instigauit, vt decimationes Thuringiæ, sicut ante plures annos instituerat, exigeret: pollicens, se ei in exigendo summa ope affuturum, & dicto obtemperare nolentes regia maiestate coacturum: ea tamen pactione, vt ipsarum decimationum partem sibi, quæ & regia magnificentia & tanto labore suo digna foret, tribueret. Ita episcopus vanissima spe animatus, synodū indixit in Erphesfurd v 1 Idus Martii. Statuto die aderat rex, aderat Archiepiscopus, stipatus vterque magno grege philosophorum, imo Sophistarum quos ex diuersis locis summo studio conscisuerant, vt canones sibi non pro rei veritate, sed pro Episcopi voluntate interpretarentur, & causam eius, quomodo veris non poterant, sophisticis allegationibus roborarent. Assidebant ergo cum rege & Archiepiscopo Moguntino Herimannus Babenbergensis

Episcopus,Hecel Hildenesheimensis Episcopus, Eppo Citicensis Episcopus, Benno Osenbruggensis episcopus: qui non ad discutiendam iuxta ecclesiasticas leges causam fuerant euocati, sed vt id quod rex volebat, arte dictionis & sententiarum pondere, postremo quaqua possent ratione & consilio obtinerent: quanquam plerique eorum id quod rex moliebatur, vehementissime improbarent, sed ne libere quod sentiebant, eloquerentur, & regis terrore & priuata Archiepiscopi amicitia inhibebantur. Habebat præterea rex circa se armatorum copias non modicas, quibus eos, si qui forte negotium interturbare conarentur, militari manu coerceret. Thuringorum spes & fiducia potissimum in abbate Fuldensi & abbate Heruelden si nitebatur, quod hi ecclesias decimales plurimas & prædia infinita haberent in Thuringia, & hi si causa cecidissent, sibi vna cadēdum esset. Qui publica discussione interpellati pro decimarum redditione, primo per Deum rogabant archiepiscopum, vt antiquitus tradita monasterijs suis legitima rata inconuulsaque manere sineret, quæ & sedes Apostolica & veteribus & recentibus scriptis crebro sibi firmasset, & præcessores eius Moguntini Pontifices summi ac sanctissimi viri vsque ad Luipoldum episcopum nunquam infringere tentassent. Id atroci respōso archiepiscopus repulit, scilic. præcessores suos sua ætate pro suo arbitratu Ecclesiæ Dei moderatos fuisse, eosque rudibus in fide auditoribus & pene adhuc neophytis lac potū dedisse, non escam, & sapienti dispensatione multa indulsisse, quæ processu temporis, dum in fide conualuissent, successorum suorum industria resecari vellent: se autem iam adulta, vel potius senescente ecclesia spiritualia comparare spiritualibus, nec iam paruulis lac sed perfectis solidum cibum ministrare, atque à filijs ecclesiæ leges ecclesiasticas exigere: proinde esse eis aut ab vnitate ecclesię secedendum, aut legibus Ecclesiæ æquanimiter acquiescendum. Tum illi rursus per Deum orare, vt si in Romani Pontificis authoritate, si in Caroli aliorumque Imperatorum priuilegijs, si in præcessorum eius Moguntinorum Pontificum indulgentia, nihil sibi præsidij aut spei reliquum esset, ipsarum saltem decimarum eam ipse partitionem fieri sineret, quam & canonum scita æquam iudicassent, & cæteræ per orbem terrarum ecclesiæ vsitatam haberent, scilicet vt quarta parte ipse pro suo suorumque missorum seruitio contētus, tres reliquas portiones ecclesijs quibus antiquitus attributæ fuissent, permitteret. E contra episcopus non ea mente se, ait, tantum laborem tri- 30 uisse & iam per decem ferme annos laboriosum hoc saxum voluere, vt tandem aliquando voti compos effectus, vltro iure suo cederet, & tanto molimine extortas eis decimas ipsis pro libito suo partiendas addiceret. Primus ac secūdus dies in hac concertatione iam fluxerat, ancipiti adhuc fortuna, vtra pars vtri cessura foret. Iamque in eo res vertebatur, vt Thuringi improbata synodo sedem Apostolicam appellarent. Sed rex sub attestatione nominis diuini affirmabat, se in eum, si quis id præsumpsisset, capitali sententia animaduersurum, & omnia quæ eius essent vsq; internecionem dissipaturum, clademq; eius dei multis postea seculis non abolendam. Ita abbas Heruelděsis suorum periculo conterritus, quoniā aliud in arctum cōclusis rebus non patebat effugium, rem consilio regis permisit, quatenus, prout ipse bonū & æquū iudicaret, causam inter se & archiep. terminaret. Diu igitur habita deliberatione in hanc tandem pactionem mediante rege abbas & archiepis. consenserunt, vt abbas in decem suis decimalibus ecclesijs duas partes decimarū, tertiam archiep. acciperet: in reliquis vero eius ecclesijs dimidia abbati, dimidia archiepis. contingeret: vbi vero ecclesia decimalis propria archiepiscopi esset, tota illic ei decima caderet: præterea vt omnes Dominicales archiepiscopi curtes, in quacunque essent parochia, ab omni penitus decimarum exactione immunes manerent. Sub iugum misso abbate Heruelden si, statim Thuringi omni spe adempta, eo quod in illius prudētia & eloquentia plurimū fiducię sibi posuissent, non vltra restiterunt, sed decimas in reliquum absque retractatione dare professi sunt. Fuldēsis abbas aliquātis postea diebus obstinatus in proposito perstitit. Sed cum nec regis gratiam recipere, nec ad sua redeundi licentiā impetrare posset, nisi in communem sententiam concederet, tandē rerum difficultate superatus, ad hanc conditionem non tam consilio quam imperio & metu regis coactus est, vt in cunctis decimalibus ecclesijs suis partē dimidiam decimarum ipse, dimidiā archiepiscopus acciperet, Dominicalis autem curtes suas sicut archiepiscopus omnes ab omni decimarū redditione

tione liberas haberet. Tum rex sciens haud bene placitura Romano Pontifici quæ gesta fuerãt, sub interminatione gratię suæ vtriq; abbati præcepit, vt neq; per seipsos, neq; per nuncium, neq; alio quouis modo pro insimulanda synodo Apostolicam sedem interpellarent. Atque ita omnibus quę intenderat, pro voluntate exactis, concitus Ratisponam contendit, sanctum Pascha ibi celebraturus. Cumq; in ciuitate Augusta diem palmarum ageret, Rudolphum ducem Sueuorum, & alios quosdam qui siniſtrum aliquid contra rempublicam moliri iam pridem delati fuerant, in gratiam recepit. Deinde sanctum Pascha sicut instituerat Ratisponæ, Pentecosten in Augusta celebrauit.

Alexander Papa, qui & Anshelmus, decessit: cui Romani protinus inconsulto rege successorem elegerunt Hildebrandum, virum sacris literis eruditissimum, & in tota ecclesia tempore quoque priorum pontificum omni virtutum genere celeberrimum. Is quomodo zelo Dei feruentissimus erat, Episcopi Galliarum protinus grandi scrupulo permoueri cœperunt, ne vir vehementis ingenij & acris erga Deum fidei districtius eos pro negligentijs suis quandoque discuteret: atque ideo communibus omnes consiliis regem adorti, orabant, vt electionem quæ eius iniussu facta fuerat, irritam fore decerneret: asserentes, quod nisi impetum hominis præuenire maturaret, malum hoc non in alium grauius quam in ipsum regem redundaturum esset. Statim rex à latere suo Eberhardum comitem misit, qui Romanos proceres conueniens causam ab eis scisciteretur, quare præter consuetudinem maiorum rege inconsulto Romanæ ecclesiæ Pontificem ordinassent, ipsumque si non idonee satisfaceret, illicite accepta dignitate abdicare se præciperet. Is veniens Romam benigne à prædicto viro susceptus est. Cumque illi mandata regis exposuisset, respondit, se, Deo teste, honoris huius apicem nunquam per ambitionem affectasse, sed electum se à Romanis & violenter sibi impositam fuisse ecclesiastici regiminis necessitatem, cogi tamen nullo modo potuisse, vt ordinari se permitteret, donec in electionem suam tam regem quam principes Teutonici regni consensisse certa legatione cognosceret: hac ratione distulisse adhuc ordinationem suam, & sine dubio dilaturum, donec sibi voluntatem regis certus inde veniens nuncius intimaret. Hoc vbi regi est renunciatum, libenter susceptit satisfactionem, & lætissimo suffragio, vt ordinaretur, mandauit, quod & factum est anno sequente in Purificatione sanctæ Mariæ.

Interea hi qui in castellis supra memoratis erant, grauiter nimis imminebant populo Saxoniæ & Thuringiæ. Omnia quæ in villis & agris erant, indies eruptione facta, diripiebant, tributa & vectigalia syluarum & camporum importabilia exigebãt, & plerunq; sub prætextu decimarum totos simul greges abigebãt: ipsos prouinciales, & plerosq; ex his honesto loco natos, & re familiari florentissimos, vilium mancipiorum ritu seruire sibi cogebant: filias eorum & vxores conscijs & pene aspicientibus maritis violabant: nonnullas etiam vi in castella sua raptas, & quanto tempore libido suggessisset, impudicissime habitas, ad vltimum maritis cum ignominiosa exprobratione remittebant. Quorum si quis inter tãta mala suspirare, & internum animi dolorem leui saltem querimonia solari atq; euaporare ausus fuisset: statim, velut qui grauem iniuriam regi fecisset, in vincula coniiciebatur, nec inde exire poterat nisi totius supellectilis suæ distractione vitam salutemque suam redemisset. Cumque ex omnibus locis cateruatim quotidie pro his regiam maiestatem interpellarent, quę vnicum antehac omnibus afflictis refugium esse consueuerat: cum graui contumelia reiiciebantur, dicente rege, ista eos pro iniusta decimarum retentione pati, seq; tanquam vindicem causæ Dei necessario armata manu eos coercere, qui legibus ecclesiasticis sponte nollent acquiescere. Itaq; videns rex omnes circumquaq; manentes metu attonitos, & ad suscipiendas quascunque imposuisset conditiones patientissimos, magnum quiddam & à nullo maiorum suorum antehac tentatum machinari cœpit, videlicet vt omnes Saxones & Thuringos in seruitutem redigeret, & prædia eorum fisco publico adijceret. Cauebat tamen ne consilium hoc immature vulgatum & effectu careret, & principibus regni iustę murmurationis occasionem præberet. Itaque secreto cum rege Danorum colloquium facit, & cum eo magna quadam parte Saxoniæ, quæ Vtoni marchioni pertinebat, pacisciturvt in conficiendis rebus quas animo agitabat, auxilio sibi foret, & se Saxonibus ex vno latere bellum inferente, ipse eos ex alio latere adoriretur. Idipsum alijs

qui Saxoniæ contigui erant, regibus & gentibus iniungit. Vbi satis adminiculorum visum est, cunctis regni principibus expeditionem indixit in Polonos, id causæ prætendens quod Bohemos contra vetitum suum bello impetissent, & fines eorum ferro & igne infestassent. Hanc (vt dixi) causam in promptu habebat. Cæterum vt fama vulgatior postmodum loquebatur, sub occasione Polonorum volebat in Saxoniam exercitum ducere, & deletis vsque ad internicionem Saxonibus loco eorum gentem Sueuorum constituere. Hæc enim illi gens erat acceptissima, & eorum plerosque obscuris & pene nullis maioribus ortos amplissimis honoribus extulerat, & primos in palatio fecerat: & ad eorum nutum cuncta regni negotia disponebantur. Quæ res eum valde exosum inuisumque principibus reddiderat, & eorum plerique indignitatem rei non ferentes, nisi pro responso necessario euocati in totum palatio abstinebãt. Igitur exercitum suum in expeditionem adunari constituit, septimo die post Assumptionem sanctæ Dei genitricis Mariæ. Qua expectatione suspensis & intentis omnibus, ipse iam ferocius solito atq; infestius agebat, posthabitis principibus solos circa se Sueuos assiduo habebat, ex his sibi auricularios à secretis, ex his tam familiarium quam publicorum negotiorum procuratores instituebat. Tum Saxones omnes seruilis conditionis esse crebro sermone vsurpabat, nonnullos etiam ex eis missis nuncijs obiurgabat, cur sibi iuxta conditionem natalium suorũ, vt ipso verbo vtar, seruiliter non seruirent, nec de reditibus suis fiscalia sibi obsequia impenderent. Contradicẽtes, quasi qui maiestatem regiam violassent, totis regni viribus persequi & de regno proturbare minabatur. His atque huiusmodi indiciis principes Saxoniæ malum quod ceruicibus suis impendebat, animaduerterunt, statimq; grauiter ancipiti periculo permoti, clandestina conuenticula crebro faciebant, & se vicissim quid facto opus esset, in medium consulere hortabantur. Vna omnium voluntas, eadem erat sententia, eamque dato & accepto vicissim sacramento confirmabant, malle se mori, atque extrema omnia prius experiri, quam acceptam à parentibus libertatem per dedecus amittere. Huius coniurationis authores ac signiferi quidam erant Bucco Halberstatensis Episcopus, Otto dux quondam Baioariæ, atque Herimannus frater Ottonis Saxonici ducis qui superiore anno decesserat. Sed Bucco licet frequentibus iniuriis à rege lacessitus fuisset, tamen quia vir eximiæ sanctitatis erat, & optimæ in Ecclesia Dei existimationis, credi nullo modo potest aliter in hanc audaciam prorupisse, nisi zelo Dei & sola communis commodi ratione. Cęteri duo, præter publicam gentis suæ causam etiam priuato odio iampridem à rege desciuerant propter Magnum Ottonis ducis Saxonici filium, quem rex in deditionem acceptum iam per biennium in custodia tenebat. Huic veniam admissi non alias impetrare poterant, nisi ducatu & aliis quæ sibi ex defunctis parentibus hæreditario iure competebant, in perpetuum se abdicaret. Quod ille nulla ratione se facturum protestabatur, etiamsi sibi quidquid ætatis reliquum esset in custodia & in vinculis exigendum, etiamsi per omnes cruciatus & per omnia suppliciorum genera animam ponenda esset. Cumque nihil supplicando, nihil pecuniam atque infinita prædia offerendo, nihil sua vterque erga ipsum regem atque erga Rempublicam multa sæpe benemerita commemorando proficerent: ad vltimum Otto dux quondam Baioariæ seipsum regi obtulit, quamdiu vellet, in vinculis habendum, & omnia sua tanquam priori conuentione nihil actum esset, pro arbitratu suo distribuenda, dummodo propinquum suum, qui solo suarum partium studio in eam calamitatem deuenerat, deditione absolueret. Ad hæc fertur rex atrox nimis dedisse responsum, ipsum & omnia quæ ipsius essent, iam pridem deditionis iure in potestatem regiam cessisse, nec eum obiecto quondam crimine adhuc ita purgatum, vt sui vel suarum rerum iure gentium traditionem vllam liberam haberet. Ea vox acerbe prolata, acerbius est accepta, magnumque odij seminarium irarumque fomitem ministrauit. His authoribus orta seditio ita breui totum Saxoniæ populum quasi rabie quadam infecit, vt omnis dignitas, omnis conditio, omnis ætas, quæ modo faciendis stipendijs idonea foret, vno animo, pari voluntate, ad arma conclamaret, & se sub sacramento promitteret, aut obstinate morituros, aut gentem suam in libertatem vindicaturos. Erant in ea coniuratione principes isti: Wezel Magdaburgensis archiepiscopus, Bucco Halberstatensis Episcopus, Hezel Hildenesheimensis Episcopus, Werenher Mersporgensis Episcopus, Eilberthus

berthus Mindenſis epiſcopus, Immet Poderbrunnẽſis epiſcopus, Friderich Mimegardefurdenſis epiſcopus, Benno Miſinenſis epiſcopus, Otto dux quondam Baioariæ, Vto marchio, Dedi marchio, & omni marchione animoſior atque implacatior vxor eius Adela, Egbert⁹ marchio Thuringorũ, puer adhuc infra militares annos, Friderich Palatin⁹ comes, Diedericus comes, Adelbertus comes, Otto comes, Conradus comes, Heinricus comes; tum vulgus promiſcuum ſupra LX millia erat, qui ad aſſerendã libertatem patriæ legeſque tuendas promptiſſimo animo manus operamque ſuam promittebant. Et vere diuinitus oblatam ſibi eſſe occaſionem dicebant, qua iugum iniquiſſimæ dominationis à ceruicibus ſuis excuterent. Dux Saxoniæ necdum aliquis conſtitutus fuerat, quia (ſicut ſupra memoratum eſt) dux Otto paulo ante humanis rebus exceſſerat, & filius eius Magnus cui ducatus legitima ſucceſſione debebatur, adhuc in caſtello Hartesburg deditus ſeruabatur: & quia rex in bona eius inhiauerat, id præſtolari putabatur, vt malorum pondere ac longæ deditionis tædio fatigatus vltro iure ſuo cederet, & ducatum cui rex voluiſſet, dandum permitteret. Liemarus Bremenſis archiepiſcopus, Eppo Citicenſis epiſcopus, & Benno Oſenbruggenſis epiſcopus, quia in communem ſententiam gentis ſuæ concedere nolebant, de finibus Saxoniæ effugati, ad regem ſe contulerunt, eique toto belli huius tempore indiuidui comites adhæſerunt. Igitur circiter calendas Auguſti adulta iam fatiſque roborata coniuratione legatos mittunt ad regem tum temporis Goſlariæ conſtitutum, poſtulantes, vt expeditio quam in Polonos inſtituerat, ſibi remitteretur; ſe aduerſum acerrimos hoſtes Luticios die ac nocte in procinctu atque in acie ſtare, & ſi paululum manus remittant, illico finibus ſuis inſultantes aduerſarios & omnia cæde atque incendio depopulantes aſpicere; ad horum vim arcendam vix ſibi ſatis copiarum eſſe; proinde ſtultum fore vt exteris ac longe poſitis gentibus arma inferant, qui domeſticis ac pene inteſtinis ſine intermiſſione bellis quatiantur. Præterea poſtulant, vt caſtella quæ ad euerſionem Saxoniæ per ſingulos montes colliculoſque extruxerat, dirui iuberet; vt principibus Saxoniæ quibus ſine legitima diſcuſſione bona ſua ademerat, ſecundum principum ſuorum iuriſdictionem ſatisfaceret; vt relicta interdum Saxonia, in qua iam à puero reſidens otio atque ignauia pene emarcuiſſet, etiam alias regni ſui partes inuiſeret; vt viliſſimos homines, quorum conſilio ſeque remque publicam præcipitem dediſſet, de palatio eiiceret, & regni negotia regni principibus quibus ea competerent, curanda atque adminiſtranda permitteret; vt abdicato grege concubinarum quibus contra ſcita canonum attrito frontis rubore incubabat, reginam quam ſibi ſecũdum eccleſiaſticas traditiones thori ſociam regnique conſortem delegiſſet, coniugali loco haberet & diligeret; vt cætera flagitiorum probra quibus dignitatem regiam adoleſcens infamauerat, nunc ſaltem maturato ſenſu & ætate abdicaret. Poſtremo per Deum rogant, vt iuſta poſtulantibus ſponte annueret, nec ſibi magni cuiuſquam atque inuſitati facinoris neceſſitatem imponeret: ſi ita faceret, ſe promptiſſimo animo ei ſicut hactenus ſeruituros, eo tamen modo quo ingenuos homines atque in libero imperio natos regi ſeruire oporteret: ſin autem, Chriſtianos ſe eſſe, nec velle hominis qui fidem Chriſtianam capitalibus flagitiis prodidiſſet, communione maculari. Quod ſi armis cogere inſtituiſſet, ſibi quoque nec arma deeſſe, nec militaris rei peritiam; ſacramento ſe ei fidem dixiſſe, ſed ſi ad ædificationem non ad deſtructionem eccleſiæ Dei rex eſſe vellet, ſi iuſte, ſi legitime, ſi more maiorum rebus moderaretur, ſi ſuum cuique ordinem, ſuam dignitatem, ſuas leges tutas inuiolataſque manere pateretur: ſin iſta prior ipſe temeraſſet, ſe iam ſacramenti huius religione non teneri, ſed quaſi cum barbaro hoſte & Chriſtiani nominis oppreſſore iuſtum deinceps bellum geſturos, & quoad vltima vitalis caloris ſcintilla ſupereſſet, pro eccleſia Dei, pro fide Chriſtiana, pro libertate etiam ſua dimicaturos. Vehementer regem permouit hęc legatio. Verum conſiliariis eius dicentibus, quod ad primum belli terrorem tanti motus irarum deflagraturi eſſent, paululum reſumpto ſpiritu, leuiter & contemptim legatis reſpondit, nihilque certi reportantes dimiſit. Quod vbi ſuis nunciarunt, atrox omnium mentibus ira incanduit, ſeque mutuo ſermone, vt contemptum ſui manu vindicarent, hortabantur. Obſtinatum, inquiunt, in malis ingenium, niſi actior vis adhibeatur, emolliri non poterit, & niſi ad viuum propiuſque medullas mucro adigatur, ſenſum doloris non admittet. Igitur armati in-

ſtructique Goſlariam contendunt,ibique mediocri à villa interuallo caſtra locant:ſta-
timque efferato animo in eum irruiſſent, & ius ſuum non iam rhetoricis allegationi-
bus,ſed bellicis terroribus expoſtulaſſent,niſi Bucco Halberſtatenſis epiſcopus,&pau-
ci admodum qui ſanum aliquid ſapiebant, impetum tumultuantis turbæ ſalubri mo-
deratione inhibuiſſent. Rex accepto nuncio vicini iamque inſtantis periculi, grauiter
mente conſternatus,propere in Hartesburg ſe contulit, eoque ſecum regni inſignia &
theſaurorum ſuorum quantam in ea trepidatione potuit partem conuexit. Eranttum
temporis cum eo Eppo Citicenſis epiſcopus,& Benno Oſenbruggenſis epiſcopus,eo-
rumque conſilio & prius tranquilla & nunc turbata republica omnia faciebat. Caſu
quoque nuper aduenerat,neſcio quid priuatæ cauſæ acturus in palatio, Bertoldus dux
quondam Carētinorum. Huic rex quam ſanctis obteſtationibus ſe purgabat,quod du-
catum eius nulli alij tradidiſſet, ſed Marcwardus priuata præſumptione fines alienos
inuaſiſſet; nec ei quicquam de iure ſuo propterea imminutum eſſe, ſi ſuo iniuſſu ſine
cōſulto principum honores publicos homo ineptiſſimus temeraſſet. Ille licet hęc ficta
eſſe ſciret,&regis malitiam non tam voluntate quam fortunæ violentia correctam eſſe;
tamen ſuſcepit ſatisfactionem,promiſitq; operam ſuam reipublicæ vtilitatibus nuſquā
defuturam. Hunc itaque,quia vir erat ſummæ prudentiæ & popularis eloquētiæ,cum
duobus ſupra memoratis epiſcopis rex legatum miſit ad Saxones. Ad quos cum veniſ-
ſent,rogabāt eos per Deum,vt ab armis quæ honeſto licet nomine, peſſimo tamen ex-
emplo ſumpſiſſent,mature diſcederent,nec rem ſupra modum ſupraq; vires ſuas ten-
tarent,quæ à cæteris regni principibus nimium improbanda foret, vtpote quam nec
ſua nec maiorum ſuorum memoria vnquam gens vlla tentaſſet;iuſtam eorum eſſe cau-
ſam,quos ſummis ſæpe iniuriis regis inclementia ad hæc extrema experienda coegiſ-
ſet; honori tamen ſuo magis conſulendum quam iracundiæ, & deferendum regiæ ma-
ieſtati,quæ apud barbaras etiam nationes ſemper tuta inuiolataque fuiſſet;proinde re-
miſſo armorum ſtrepitu,pacatis animis, ſopitis ſimultatibus, tempus locumque con-
ſtituerent,quo rex totius regni principes euocaret, vt iuxta communem ſententiam &
obiecta purgaret,& quæ correctionis egere viderentur,corrigeret. Ad hęc illi,Non ea-
dem, inquiunt,cæteris regni principibus & nobis incumbit neceſſitas rebellionis. Cæ-
teris enim gentibus vacatione data,&pene feriatis omnibus,nos ſolos ſibi peculiariter
elegerat, quos ſecundum prophetæ elogium in plauſtris ferreis trituraret; quorum re-
gionibus poſt initum ſemel principatum nunquam excederet; quibus poſt erepta pa-
trimonia libertatem quoque eriperet, & natalibus omnium infamatis duriſſimæ ſer-
uitutis iugum iniiceret;ad quorum oppreſſionem ſingulis montibus colliculiſque præ-
ſidium imponeret,vt aquas noſtras pecunia bibere, & ligna noſtra precio comparare
cogeremur;quorum vxores & filias militibus ſuis publicæ libidinis victimas proſtitue-
ret; quorum terram (quod omnium quæ paſſi ſumus grauiſſimum ducimus) inauditis
adinuentionibus,nec Chriſtiano ore nominandis criminibus inceſtaret. Si cum cæte-
ris regni principibus hæc nobis communis eſſet iniuria, merito ad illorum cognitio-
nem communemq; audientiam nos reiiceret, nunc autem cum nobis aut priuata ca-
lamitate cadendum,aut priuata virtute iniuriis ſit obuiam eundum, nihil noſtra inter-
eſt ſuper noſtris miſeriis aliorum expectare ſentētiam. Quapropter ſi eum malefacto-
rum tandem aliquando piget pœnitetq;,in argumentum non fictæ pœnitentiæ caſtel-
la quæ in perniciem noſtram extruxit,abſque procraſtinatione diruat; patrimonia no-
bis per vim ſeu per calumniam erepta reſtituat;poſtremo iuſiurandum nobis det,quod
legitima genti noſtræ à primis temporibus conſtituta nunquam deinceps infringere
moliatur. Si hoc facit,licet ſæpe eluſi, ſæpe verbis pacificis in dolo irriſi, tamen vtcun-
que adhuc credimus bona pollicenti: ſin autem, omni dilatione relegata, nec expecta-
tis aliarum gentium aut aliorum principum decretis, iugum quod ceruicibus noſtris
impendet excutere conabimur,liberoſque noſtros noſtra vel morte vel victoria in li-
bertatem aſſeremus. In hæc verba legatos dimiſerunt. Qui iterum miſſi,iterumque re-
miſſi in eadem eos ſententia obſtinatos inuenerunt. Itaque omnes vias per quas de-
ſcēſus eſſe poterat de caſtello adhibitis cuſtodibus obſeruari ſtatuerunt,ſumma ope id
prǽcauendum æſtimantes,ne qua ei copia fieret effugiendi,& in alias regni partes bel-
lum transferendi. Et profecto ſi id rite curaſſent, facili diſpendio & paucis admodum

diebus

diebus res conficeretur, quæ postmodum tanto tempore tracta, in extremum pene discrimen cunctas regni prouincias attraxerat. Neque hoc ipsum regem latebat. Idcirco modis omnibus intentus agebat, qualiter hostium custodias falleret, & de angustiis Saxoniæ in latissimam regni aream bellum traiiceret, maximeque ad Episcopos Rheni, quos sibi ob crebra sua merita fidos firmosque in aduersis fore sperabat. Castellum in altissimo colle situm erat, & vno tantum itinere, ipsoque difficillimo adiri poterat. Cætera montis latera vastissima sylua inumbrabat, quæ exinde per multa millia passuum continua vastitate in latum extenditur, vsque ad confinium Thuringiæ. Et ideo nulla obsidentium diligentia conclusis egressum vel ingressum eripere poterat. Rex collato cum suis consilio frequētes ad eos legatos mittebat, pacem postulans, & omnium quæ illos offenderant, emendationem pollicens. In quam actionē intentis suspensisq; omnibus, & iam propter res bene gestas immatura securitate torpentibus, nocte quadam cum nihil minus suspicarentur, ipse Bertoldum ducem & duos supra memoratos episcopos & alios plerosque familiares suos secum assumpsit, & præmissis ante se in sarcinis regni insignibus, & quanta tempus & res patiebantur parte thesaurorum, clam egressus est de castello, dato negotio his qui intus remanebāt, vt postera die quāta possent arte præsentiam sui simularent, & hostium animos à suspicionibus fugæ suæ auocarent. Triduo per vastissimam sylua ieiuni, vt ferunt, gradiebantur, angustissimo & paucis antehac comperto tramite, quem venator quidam dux itineris, dum venandi studio solertius sylvarum abdita rimaretur, deprehenderat, vndique circumspectantes gladium, & ad quemlibet perstrepentis auræ sonitum incursus hostium, iamq; iugulo incumbentem interitum formidantes. Quarto die inedia, vigiliis ac longo itineris labore vsque ad extremam lassitudinem confecti, Eschenewege peruenerunt, vbi cibo somnoq; paululum recreati, postero die idibus Aug. cum iam miles frequentior ad regem confluere cœpisset, Herueldiam contenderunt. Quatuor deinceps diebus ibidem commoratus est, operiens exercitum quem in expeditionem contra Polonos de toto regno suo euocauerat. Iam enim dies instabat, quem coadunando militi constituerat. Adelbero Wirceberg. episcopus, Herimannus Babenberg. episcopus, & alij pleriq; principes qui ad militiam proficiscentes in vicina loca iam deuenerant, audito quod acciderat, propere ad regem adhuc Herueldiæ constitutum concurrerunt. Rudolphus dux Sueuorū cum episcopis Rheni, Sueuiæ, atq; Baioariæ circa Moguntiā castris positis nunciū regis prestolabatur, per quem certius edoceretur, quonam in loco ei occurrere deberet. Audierat enim eum ab hac expeditione ad alia regni negotia animum reuocasse, sed quænam mutandæ sententiæ necessitas repente incidisset, certo non compererat. Plerique tamen iactitabant, eum coniurationis huius conscium participemq; extitisse, ideoque tam lento gradu ad militiam procedere, ne aut regi in tanto discrimine contra propositum suum pudore victus auxilium præberet, aut si negaret, defectionem suam consiliumque immature prodere cogeretur. Rex itaque missis nunciis mandauit, vt tam ipse quam cæteri qui cum eo erant principes, citato quantum possent itinere, sibi occurrerent in villa quæ dicitur Capella, haud procul ab Herueldia. Quo cum venissent, pedibus eorum prouolutus orabat per respectum Dei, sub cuius testificatione sibi fidem dixissent, vt super infelicibus euentis suis miserererentur, pariter & indignarentur; cōmunia ipsorum beneficia prærepta sibi esse paucorum malignitate, qui immemores iurisiurandi, immemores beneficiorum quibus eos sæpenumero & priuatim & publice sibi obligasset, cum regno etiam vitam sibi eripuissent, nisi fugæ præsidio periculum declinasset; violatæ regiæ maiestatis iniuriam non ad se solum pertinere; publicam esse contumeliam omnium eorum qui se regem creassent, & quorum auxilio ab improbis hominibus tutus esse debuisset: proinde omnes pro virili portione satagerent, ne regia dignitas quam à maioribus suis honestissimam atque præclarissimam acceperant, sua ignauia fuscaretur, neve tam pessimum exemplum suorum temporum ad posteros suos inultum transmitterent. Hæc memorando, tam deformitate casuum suorum quam miserabilis querimoniæ prosecutione omnibus qui aderant lacrimas excussit. Erant qui censerent, quomodo in expeditionem contra Polonos armati instructique veniissent, vt protinus in Saxoniam exercitus duceretur, & recentis contumeliæ vulnus recentis vindictæ antidoto curaretur. Alij

decernebant,non esse rem præcipitanter aggrediendam, gentem Saxonum esse robustissimam, & bellorum vsu propter ingenitam feritatem exercitatissimam, quæ insuper frequentibus iniuriis efferata, ruptis iam omnibus iuris & legum retinaculis, aut mori aut vincere sit obstinata: propterea danda sibi esse, quibus domum redeant, copias instruãt,impensas augeant, vt multiplicatis sumptibus ad protrahendum in quaslibet moras bellum durare valeant. Horum sententia ab omnibus comprobata, decreuit rex,vt septimo die post festum sancti Michaelis miles in expeditionem adunaretur in villa Heruelden sis monasterij quæ dicitur Bredingen. Ita assumptis secum qui aduenerant principibus, abiit Triburiam & cætera circa Rhenum loca inuisere. Missis etiam circumquaque nunciis obnixe non solum principibus, sed & popularibus, ne à se deficerent supplicabat,multa largiendo, plura pollicendo,nonnullis etiam sua restituendo,quæ superioribus annis, dum prosperis successibus immoderatius indulgeret, per calumniam abstulerat. Saxones comperto,quod elusis custodibus suis rex in alias regni partes euasisset,vehementer sunt cõtristati, arbitrantes, id quod res exigebat,nihil sibi deinceps otii aut remissi habendum,nec pestem hanc, vt hactenus,intra domesticos parietes cohibendam, sed reuelata facie bellum publicum cum hoste publico gerendum;ideoque sibi expedire, vt quantascunque possent gentes & regna aduersus regem concitarent. Protinus legatos miserunt ad Thuringos auxilium petere & rogare,vt ipsi pro sua quoq; libertate,& frequentibus contumeliis, quibus lacessiti fuerant, arma sumere non pigritarentur. Thuringi celeberrimo conuentu habito in loco qui dicitur Triteburc,vbi legationem Saxonum audierunt,promptissime assensi sunt,nec vlla vnquam legatio lætioribus acclamationibus excepta est. Nec mora, iusiurandum dant, nusquam se defuturos negotio, communem sibi esse cum eis rebellandi necessitatem, & ideo commune periculum, communem etiam si Deus annueret victoriam futuram,seque vsque ad extremum spiritum pro communi vtilitate dimicaturos. Denunciant præterea abbati Fuldensi,&abbati Heruelden si,& cæteris principibus qui in Thuringia prædiorum aliquid haberent, vt ad ferendum genti suæ auxilium die statuto coniuraturi venirent: ni id facerent,se bona eorum protinus omnia direpturos. Legati etiam regis superuenerunt, ingentia eis beneficia pollicentes, si fœdus Saxonum bellique societatem respuerent:sed cum graui contumelia sunt repulsi, in tantum, vt nec manibus in eos furor populi temperasset, nisi paucorum sapientium moderatio propter ius gentium,quo legatis est deferendum,interces sisset. Archiepiscopus Moguntinus Erpesfurd eo tempore morabatur. Hunc adorti in communem sententiam concedere vrgebant, nec prius regionibus illis excedere passi sunt, donec datis obsidibus fidem suam firmaret, nihil se aduersum eos armis aut consilio moliturum; quanquam nonnulli existimarent, tam eum quam archiepiscopum Colonien sem, & alios plerosque Rheni principes iam à principio coniurationis huius conscios participesque extitisse;id tamen dum incertus adhuc rerum euentus pendebat, summa ope dissimulabant. Igitur quoniam in exteras gentes regem persequi consilium non erat, omnem operam suam ad expugnanda castella eius verterunt. Hæc autem sunt castella quæ ipse,postquam pater eius decesserat, extruxit,quæ tamen ad præsens memoriæ occurrant, Hartespurg, Wigantenstein, Mosburg,Sassestein, Spatenberg,Heimenburg, Asenberg. Vokenroth Friderici Palatini comitis fuerat; idque ei rex quadam legum violentia eripuerat, præsidiumque suum imposuerat: Luineburg quoque,oppidum maximum Ottonis ducis Saxonici,situm in confinio Saxonum & Luticiorum, occupauerat,militesque lectissimos cum Eberhardo filio Eberhardi comitis de Ellenburg imposuerat, non aliam ob rationem, nisi quod omnia quæ prædicti ducis fuerant, in potestatem regiam iure deditionis per Magnum filium eius venisse argumentabatur. Alia præter hæc quam plurima extruere aggressus fuerat, sed eum ab incepto repente oborta bellorum tempestas reuocauit. Herimannus frater ducis Saxonici iam pridem, antequam rex Saxonia effugaretur, Luineburg obsederat, militesque regis, quoniam temere ingressi alimenta non habebant, paucis diebus ad deditionem coegit: nec tamen dimittere victos aut punire volebat, sed intra oppidum diligenti custodia ne effugerent obseruatos, secundum prophetam pane arcto & aqua breui sustentabat,mittensque ad regem,mandauit,vt si suos qui obsidebantur, viuos incolumesq; recipe-

recipere vellet, Magnum fratris sui filium deditione absolueret, sibique remitteret; ni id faceret, se de his tanquam de hostibus, qui fines alienos contra leges inuasissent, iuxta leges gentis suæ capitale supplicium sumpturum. Diu rex quid ageret ambigebat, inhumanum scilicet fore sciebat, si suis extrema necessitate circumuentis non consuleret, sed reputabat econtra quantum rationibus suis deperiret, si eum, de cuius interitu sibi totius Saxoniæ dominatum pollicitus fuerat, dimitteret, suique compotem faceret, præsertim cum propter recentes iniurias, quibus eum iam triennio in custodia habitum afflixerat, grauius cæteris omnibus rempublicam vexaturus timeretur. Non paucis diebus hęc deliberatio eum incertum suspensumque tenebat, & profecto vicisset auaritia, priuatisque vtilitatibus salutem militum posthabuisset, nisi principes regni crebris legationibus fatigati ab his qui obsidebantur, vnanimi consilio eum adorirentur, & non tam supplicando quam comminando & terrendo ab sententia deducerent. Itaque in Assumptione sanctæ Mariæ, cum adhuc Heruelidiæ esset, misit qui Magnum custodiæ exemptum suis restituerent, & eos qui in prædicto castello iam puniendi seruabantur, obsidione & periculo liberarent. Thuringi quoque conglobata ex vicinis locis multitudine Heimenburg castellum obsederunt, paucisque diebus vi & armis oppugnatum ceperunt, atq; succenderunt. Eos qui intus erant, castello euerso, dimiserunt impunitos, vt scilicet se probarent, non hostili odio aduersus regem arma sumpsisse, sed tantum vt iniurias quibus regio eorum per calumniam opprimebatur, propulsarent. Protinus alij castello quod Asenberg dicebatur, exercitum admouerunt, & quia propter difficultatem locorum militari manu capi posse desperabatur, castris circumquaque positis satagebant, ne cui ingrediendi vel egrediendi copia fieret, vt quos humana vis non poterat, alimentorum inopia expugnaret; haud dubie scientes quod cibaria quantumuis copiose congesta, multitudini quæ intus erat, in longum tempus sufficere non possent. Interea rex videns coiurationem magis magisque indies conualescere, copiasque hostium augeri, conterritus etiam damno castellorum suorum, quorum alia iam capta, alia summo molimine oppugnari audiebat, rogauit Moguntinum & Colonienſem archiepiscopos, vt Saxones conuenirent, & turbatis rebus aliquod remedium inuenire conarentur: qui dicto obtemperantes, mandauerunt principibus Saxoniæ, vt sibi in monasterio Corbeiensi IX calendas Septembris occurrerent, de communi commodo tractaturis. Episcopus Colonienſis, casu nescio an per industriam remoratus, die statuto non venit, nuncios tamen misit, qui pro se causam dicerent, promittens omnibus quæ ipsi de suis reipublicæ vtilitatibus rationabiliter statuissent, se promptissime assensurum, & pro communi salute, quantum posset, operam daturum. Moguntinus archiepiscopus residens cum Saxonibus qui occurrerant, sedulo nitebatur pacare eos, regique reconciliare; sed illi econtra, præter vulgatas vbique iniurias suas, quibus ab eo vehementer attriti fuerant, graues causas afferebant quibus probarent, cum sine magna Christianæ religionis iactura non posse vlterius regnare, ea scilicet in familiarissimos amicos, ea in vxorem, ea in sororē propriam abbatissam de Quidelenburg, ea in alias personas naturæ necessitate sibi coniunctissimas facinora patrasse, quæ si secundum ecclesiasticas leges iudicarentur, & cōiugium, & militiæ cingulum, & omnem prorsus seculi vsum, quanto magis regnum abdicare censeretur. Longis itaque contentionibus ad hunc finem postremo res deducta est, vt decernerent XII ex sua gente, XII ex parte regis obsides dari, quorum fide interposita, ipsi tuto ad colloquium venire possent cum cæteris principibus regni, vt causæ, quas aduersus regem afferrent, eorum iudicio discuterentur & terminarentur, ipso rege, si ita expedire videretur, præsente, & crimina quæ obiicerentur, si posset, refellente. Datis accipiendisq; obsidibus dies statutus est idus Septembris infra Thuringiam, in loco qui dicitur Hoenburg. Habendo autem cum principibus colloquio dies statutus est 13 calend. Nouembris, in confinio Thuringiæ & Hassiæ, in villa quæ dicitur Gerstengen. In hanc conditionem discessum est. Saxones tamen de apparatu belli & oppugnandis regis castellis, nihil propterea remittebant. Cumque regi quæ gesta fuerant, nunciata fuissent, visum est his qui partes eius adiuuabant, multum abhorrere à maiestate regia, vt ipse Saxonibus pro se obsides daret, nimiumque grauari nomen regium fœdissimæ cōditionis iniuria; quapropter Moguntinus & Colonienſis episcopi statuta die Hoen-

burg profecti,obtinuerunt,vt omiſſis ex vtraque parte obſidibus, ipſi tantum pro pace firmanda fidem ſuam interponerent, & hoc pignore venturis ad colloquium principibus omnem periculi metum adimerent. Interea rex legatos miſit ad Luticios, gentem Saxonibus infeſtiſſimam,eiſq; infinitam pecuniam promiſit, vt Saxonibus bellum inferrent,aſſerens eos nunc inteſtinis ſimultatibus occupatos facili externorum bellorum impulſu poſſe vſque ad internicionem deleri. Quod vbi Saxonibus compertũ eſt, ipſi quoq; nuncios ad eos miſerunt, & multo copioſiorem eis pecuniam promiſerunt, vt ab infeſtatione ſua tam iniquo tempore quieſcerent: quod ſi non facerent, ne inani opinione fallerentur,ſe vtriq; hoſti,ſi ea neceſſitas incumbat,& multitudine & virtute militum poſſe ſufficere. Barbarorum alij regis, & alij Saxonum fœdus pecuniamq; ſuſcipiendam clamitabant,vnde orta per imperitæ multitudinis intemperantiam ſeditione, tanta ſe cæde dilaniauerunt, vt mĩulta millia hominum in ea congreſſione interfecta referantur,atque ita deinceps multis diebus in ſeipſos & in ſua viſcera hoſtili gladio debacchantes, externis bellis neceſſario ſuperſedere cogebãtur. Rex quoq; Danorum memor firmatæ iam pridem cum rege pactionis, cum exercitu nauali applicuit ad Saxoniam, & tractis per longa terrarum ſpacia nauibus in fluuium, qui adminiſtrando negotio opportunus videbatur,igne & ferro regionem infeſtare parabat: ſed miles eius vehementer detrectabat militiam,obiiciens quod ſibi, quoties externorum hoſtium incurſionibus quaterentur, Saxones pro muro fuerint, nec vllis vnquam,cum facultas ſuppeteret,laceſſierint iniuriis: poſtremo ſi calamitatem quę ad pręſens vrgeret, quandoq; propulſarent, graues pœnas iniuſtæ huius infeſtationis à populo Danorum exacturos. Cum hæc priuatim & publice iactitarent, rex veritus, ne in eo diſcrimine à milite deſertus,ludibrio fieret hoſtibus,naues retrahi iuſſit,&nulla regioni clade illata, Saxonia exceſſit. Ita tantus ille bellici apparatus feruor impune deflagrauit. Principes Saxoniæ 13 calendas Nouembris iuxta condictum venerunt in Gerſtengun cum 14 millibus armatis,cætera multitudine ad cuſtodiam regionis atque in obſidione caſtellorum derelicta. Aderant etiam ex parte regis Moguntinus archiepiſcopus,Colonienſis archiepiſcopus, Mettenſis epiſcopus, Babenbergẽſis epiſcopus, Gozelo Lotheringorum dux,Rudolphus Sueuorum dux, Bertholdus Carentinorum dux, miſſi à rege, vt cauſam quam aduerſum ſe afferrent,diſcuterent. Ipſe eo venire noluit, ſed in ciuitate Wirceburg exitum rei pręſtolabatur, præcauens ſcilicet,ne tumultuantis populi furor,ſua magis pręſentia efferatus,aliquid forſitan in ſe,quod ſecus eſſet,admitteret. Igitur principes Saxoniæ principum qui à rege venerant, pedibus prouoluti rogabant per Deum,vt ad ventilãdam cauſam ſuam intenti cognitores, & iuſti iudices adeſſent, nec perpenderent, quantum quaque iñ republica inuſitatum opus aggreſſi eſſent, ſed quæ calamitas eos ad hæc extrema coegiſſet. accepta deinde dicendi copia ſuas ſinguli iniurias expoſuerunt,quæ in ipſos ſingulos,quæ etiam in gentem ſuam rex nefanda facinora commiſiſſet, quibus præterea inauditis criminibus ipſam regij nominis maieſtatem polluiſſet. Obſtupuerunt principes qui à rege venerant,& præ immanitate ſceleRum ſecundum prophetam tinniebant aures omnium,nec eos,quod pro libertate ſua, pro coniugibus,pro liberis,arma ſumpſiſſent,ſed quod intolerabiles contumelias muliebri patientia tamdiu ſupportaſſent,culpandos cenſebant: cumq; toto triduo conſilia contuliſſent,& quid facto opus eſſet,communi ſollicitudine perquirerent, hæc poſtremo cunctis ſententia conuenit, vt reprobato rege, alium qui gubernãndo regno idoneus eſſet,eligerent. Id tamen haud temere publicari placuit, donec rege per occaſionem pacis in remotiores partes regni abducto, cum cæteris regni principibus conſilium hoc communicarent: propter hoc vulgari iubent in plebem,in hanc ſententiam vtriuſque partes principes conſenſiſſe,vt Saxones regi pro admiſſa in eum atq; in rempublicam temeritate ſatisfactionem congruam proponerent, rex autem eis & facti impunitatem, & iniuriarum, quibus ad defectionem eos coegiſſe inſimulabatur, de cætero ſecuritatem ſub iureiurando promitteret. His rebus conficiendis tempus ſtatutum eſt in Natale Domini, rege eam feſtiuitatem Coloniæ celebraturo. Et profecto Rudolphum ducem ibidem abſque dilatione regem conſtituiſſent, niſi ille pertinaciter reſiſtendo iuraret,nunquam ſe in hoc conſenſurum, niſi à cunctis principibus conuẽtu habito ſine nota periurij, integra exiſtimatione ſua id facere poſſe decerneretur.

Saxones

Saxones in ſua cum pace redierunt. Cæteri principes Wirceburg profecti ſunt, regi quæ geſta fuerant nunciaturi: qui protinus nihil hęſitans, pedibus (vt dici ſolet) in ſententiam abiit, & dummodo pax conueniret, quaſcunque conditiones impoſuiſſent, ſe promptiſſime laturum ſpopondit. Celebrata ibidem omnium ſanctorum feſtiuitate, Ratiſponam ire inſtituit, animaduertens quod principes Rheni aliquantula Saxonici furoris labe iam infecti, minus minuſque indies ad exhibenda ſibi obſequia deuoti ac beneuoli eſſent. Cumque inter eundum aliquot diebus Nurnberg moraretur, quidam qui lateri eius iam diu familiariſſime obuerſatus fuerat, Regenger nomine, incertum, aliorum inſtinctu, an priuato in eum odio ſuſcitatus, repente prorupit in medium, & ducibus Rudolpho ac Bertholdo graue aduerſus eum crimen detulit. Ego, inquit, & alij plerique quos peſſimæ machinationis ſuæ rex idoneos fore adminiſtros ſperauerat, nuper multis precibus magniſq; pollicitationibus ab eo ſollicitati ſumus, vt vobis ac cæteris regni principibus Wirceburg cõuenientibus, & ſecretioris colloquij gratia paululum à multitudine remotis, armati in vos irrueremus, & trucidatis ſeditionis authoribus, ipſum periculo, rempublicam perturbatione liberaremus. Et cæteri quidem ſatis impigre ſuſceperunt negotium: ſolus ego tã iuſtitiæ reſpectu quam futuri iudicij metu detrectabam opus nefarium, & quãtum obluctari obſtinatæ ſententiæ audebam, dehortari eum conabar à propoſito. Quapropter tanta in me incanduit indignatione, vt à contubernio ſuo, quo me hactenus cæteris familiarius perfruitum optime noſtis, protinus me amoueret, & iugulandum apparitoribus ſuis obieciſſet, niſi periculum imminens penetralibus propere excedẽdo declinaſſem. His dictis in argumentum fidei locum expreſſit, conſcios nominauit, & ſi rex inficiaretur, paratum ſe ait, cum ipſo, ſi id leges paterentur, vel cum quouis homine cõſerta manu, rem diuino iudicio committere. Vehementer hæc verba permouerunt prædictos duces, cum eſſet is qui deferebat, homo haud obſcuri nominis in palatio, & apud ſuos inuiolatæ exiſtimationis. præterea ea res potiſſimum dictis fidem conciliabat, quod rex & aliis quibuſdam principibus ſuis ſimili modo necem parauiſſe, & pleroſque ex familiaribus ſuis etiam occidiſſe iam pridẽ infamatus fuerat. Itaq; legatos ad eum mittunt, mandantq; ſe iam nulla religione teneri ſacramenti, quo ei fidem ſubiectionemq; firmaſſent, cum ipſe prior fidẽ prodidiſſet, & de ſalute ſua tractãtibus inſidias machinatus fuiſſet: proinde niſi obiecta diluiſſet, nullam deinceps à ſe vel in tranquillis rebus fidem, vel in perturbatis auxilium ſperare deberet. Ægre nimis id paſſus rex, ſtatim ad populum retulit de importunitate Rudolphi ducis, qui vt inuadẽdi regni occaſionem inueniret, cum verum ſibi crimen impingere non poſſet, falſis ſuſpicionibus & arte compoſitis rumoribus impeteret, & obruere conaretur innocentiã ſuam: ſed procul, ait, faceſſant verborũ pugnæ, ceſſent callida argumentorum phantaſmata, ego non verbis, ſed manu mea refellam mendacium, & neglecta interim regij nominis maieſtate, cum ipſo duce R. congreſſus deregam cuniculos fictæ huius criminationis, qua malitiam ſuam palliare conatur, vt ſi regnum amiſero, non mea culpa, ſed per illius ſupplantationem periuriumq; intelligar amiſiſſe. Tunc Vdalricus de Cosheim, vnus ex his qui conſilij participes, & ſceleris adminiſtri deſtinati fuiſſe accuſabantur, lenibus verbis dolorem regis mitigare ſtudebat, rogabatq; eum, ne aliquid quod infra regiam magnificentiam eſſet, vi doloris impulſus profiteretur, ſe melius multoq; rectius cum Regingero, vel cum quolibet homine collata manu & ſuam & ipſius innocentiã aſſerturum: ſtatimq; ad ducem R. abiit, ſeq; paratum dixit, quocunq; modo ipſe æquum iudicaſſet, mendacium Regingeri refellere. Ille ſatisfactionem nec ſuſcepit, nec aperta fronte abnuit, ſed ait ſe ſuper hac re deliberatione cæterorũ principum ſententiam expectaturum. Rex ſicut inſtituerat, Ratiſponam contendit, omnibus inuiſus, omnibus ſuſpectus, nec ipſe iam cuiquam hominum ſatis fidei habẽs, cum hi quoque, quos intima familiaritate ſibi deuinxerat, ad primam ingruentis tempeſtatis nubeculam à ſe defeciſſent. Intera Saxones crebris legationibus vrgebant principes Rheni, vt vel ſibi conſtituendi regis poteſtatem facerent, vel ipſi quomodo & dignitate & multitudine ſuperiores eſſent, quemcunque vellent, Saxonibus ſuffragium ferentibus, eligerent & conſtituerent, nec ſinerent rempublicam vnius hominis ignauia ad extremam vſq; vaſtitatem deperire. His accenſus archiepiſcopus Moguntinus, cui potiſſimum propter primatum Moguntinæ ſedis eligendi &

consecrandi regis autoritas deferebatur, principes de toto regno Moguntiam euocauit, vt communi consilio Rudolphum ducem regem constitueret: quod vbi regi compertum est, assumptis secum quoscunq; donis vel promissis ad studium suarũ partium allicere potuit, concitus de Baioaria remeauit, ratus ante omnia impediendæ tantæ rei curam agendam. Cumq; prope Wormatiam in locum qui dicitur Louendeburg, venisset grauissima ægritudine correptus multis diebus lecto decubabat, spemque maximam hostibus suis fecerat, tantos irarum motus sine sanguinis effusione posse confici: sed ab infirmitate vix dum plene recreatus Wormatiam festinauit, vbi cum magna pompa à ciuibus in vrbẽ susceptus est, qui & paulo ante, vt sua erga eum studia clariora facerent, milites episcopi ingressum eius prohibere tentãtes, vrbe expulerant, & ipsum episcopum, nisi mature fuga lapsus ciuitate excessisset, comprehendissent & vinctum ei misissent. Venienti ergo & armati instructiq; obuiam procedunt, non ad vim faciendam, sed vt conspecta eorum multitudine, armorum apparatu, expeditorum iuuenum frequentia, animaduerteret in arduis rebus suis, quantum spei in eis ponere debuisset: operam suam benigne spondent: iusiurandum dant: sumptus ad bellum administrandum ex sua re familiari singuli pro virili portione offerunt: & quoad viuant, pro honore eius deuote se militaturos confirmant. Ita rex ciuitate munitissima potitus, hanc deinceps belli sedem, hanc regni arcem, hanc, vtcunque res cecidissent, tutissimum asylum habere cœpit, eo quod esset & ciuibus frequens, & murorũ firmitate inexpugnabilis, & vbertate circumiacentium regionum opulentissima, & omnibus quæ in bello vsui esse solent, copiis instructissima. Porro hi qui ab archiepiscopo Mogũtino ad colloquium Moguntiam euocati fuerant, audito quod rex concitus aduentaret, plures metu perculsi eo venire dissimulauerunt, pauci qui venerunt, cum de tantis rebus sine aliorum principum discussione sententiam ferre non auderent, irriti frustratiq; discesserunt: ad quos rex legatos mittens, multis precibus eis vix & ægre extorsit, vt sibi familiaris colloquij gratia in Oppenheim occurrerent. Quo dum datis vtrinque obsidibus propter periculi suspicionem venissent, pedib⁹ eorum prouolutus, suppliciter orabat, vt memores iusti iudicis Dei, memores sacramenti quo se Deo mediante obligassent, fidem sibi seruarent in aduersis: si quid antehac excessisset, iuuenilibus annis, & ætati in vitium pronæ veniam darent: deinceps & malo correctum, & annorum sensusq; maturitate roboratum, quæ paruuli sint euacuaturum, & quæ virtutis, quæ honoris, quæ regiæ dignitatis, quæ postremo virum deceant, cogitaturum & amplexurum. Ad hæc illi responderunt, frustra eum à se fidem expetere, quam ipse nec Deo vnquam, nec homini præstitisset, de quo ambigerent, in pace an in bello, amicis an inimicis infestior suspectiorque esset, quique ante paucos dies, positis sibi in Wirtzeburg, & de salute eius tractantibus, clãculo carnifices mortemque præparasset: sin aliquid haberet obtendere, aut per quorundam factionem falsis criminibus se impetitum putaret, sineret Vdalricum de Cosheim, sicut professus fuisset, manum conferre cum Regingero, vt si vicisset, eos deinceps fidos sibi obnoxiosque sine omni in perpetuum contradictione haberet. Libenter rex suscepit conditionem, statuitque vt certo die post octauum Epiphaniæ congressi prope Moguntiam, in insula Rheni, quæ dicitur Marovva, vtriusque partis allegationem iusto iudici Deo decernendam permitterent. Ea tempestate hi qui in Hartesburg erant, multa & præclara militaris audacię facinora fecerunt. Nam sæpenumero erumpentes, prædas in vicinis regionibus & strages hominum non modicas agebant, & priusquam Saxones ad vim arcendam frequentes confluere possent, se in castellum receperant. Maxime autem Gøslarienſibus propter viciniam exitiales erant. Plurimos enim eorum peremerunt, & bona eorum quæ extra villam reperta fuissent, crebra incursione populabantur, & mercatores exterarum gentium, ne consuetas merces eo conferrent, metu vitæ amittendæ inhibebant. Cumque tempore quodam ad modicum inter eos pax conuenisset: quidam ex castello Goslariam priuatæ rei aliquid ibi acturi venerunt, vbi cibo potuq; distenti, dum nimia potione incaluissent, sicut ebrietas mater esse solet iurgiorum, cœperunt aduersum eos cum quibus accumbebant, ineptos inconditosq; sermones iactitare, & Saxonibus ignauiã exprobrare, quod non militari sed ouina mente aduersus regem arma sumpsissent. Indignati qui aderãt Saxones, seditione cõcitata, eos trucidauerunt, foraſq; proiecerũt. quod vbi his

qui

qui in Hartesburg erãt, compertum est, dedita opera se in vltionem sociorum suorum accinxerunt: & quia villam viris fortibus, vallis & seris vndiq; munitã incursare haud satis tutum putabatur, dolo eos circumuenire parabant. Erat quidam Goslariæ præfectus Rodo nomine, regi tempore pacis acceptissimus, nunc quoque turbata republica fidem inuiolatam ei seruans, occulte tamen metu Saxonum, ne deprehensus factione vulgi omnia sua amitteret. Is edoctus ab his qui in castello erant, pastores qui Goslariensium pecora seruabant, precio corrupit, vt gregem paulo longius à villa in pastum eiicerent. Missi de castello equites ea protinus abegerunt, cæteri in montibus & syluis armati se abdiderunt. Perlato Goslariam rumore abactorum pecorum, vnanimiter ad arma conclamant, summis omnes viribus in certamen ruunt, nec quisquam alterum operiebatur, sed citato quisque, quantum poterat, equo prior hostem insequi prædamque excutere contendebat. Illi paululum fuga simulata, cedebant insequentibus, donec eos vltra locum insidiarum incautos protraherent. Tunc sublato vndique clamore tam hi qui in castello remanserant, quam hi qui in vicinis montibus se occultauerant, impetum in eos fecerunt, & tam diu palantes fugientesque prosternebant, donec non ratio, sed fusi sanguinis horror ac satietas occisioni finem faceret. Propter hæc & alia huiusmodi placuit Saxonibus proximum castello collem occupare, militesque imponere, qui contra excursiones hostium sine intermissione intenti sollicitique excubarent. Nec sic tamen audaciæ eorum modũ imposuerunt, sed vbicunque opportunitas se præbuit, multa & in eos à quibus asseruabantur, & in alios prouinciales hostilia fecerunt. Interea instante iam Natali die Domini, milites regis qui Asenberg obsidebant, assiduo legatos ad regem mittebant, rogantes per Deum, vt ad ereptionem eorum aliquod consilium exquireret, quomodo deficientibus alimentis extrema iam inedia tabescerent, & nisi mature periclitantibus consuleretur, aut moriendum sibi esse, aut in hostium potestatem concedendum. Rex Moguntinum & Colonienſem archiepiscopos ad colloquium euocans, obnixe rogauit, vt Saxones conuenirent, agerentque cum eis, vt ab oppugnatione castellorum, datis saltem ad modicum tempus induciis recederent. Illi quãquam laborem hunc in irritum cessurum haud dubie scirent, tamen quia molestus eis erat, facturos se quod rogabantur promiserunt, statimque missis legatis, mandauerunt principibus Saxoniæ, vt sibi proxima hebdomada post epiphaniam Corbeiæ ad colloquium occurrerent. Hoc anno post exortum belIum Saxonicum, nulla deinceps exactio facta est decimarum in Thuringia, gaudentibus Thuringis, quod occasionem inuenissent, vt traditas sibi à patribus leges manu mĩlitari tuerentur, & dolente rege, quod dum decimis immoderatius inhiaret, pene regnum cum vita amisisset. Hoc etiam anno famosissimus ille Egen, qui duci Baioariæ Ottoni capitale illud crimen intenderat, comprehẽsus in quodam latrocinio à populatibus cæcatus est, & ad tantam egestatem redactus, vt deinceps ostiatim circumeundo stipem publicam peteret. Giso quoq; comes & Adelbertus cum IV filiis suis, quibus incentoribus idem perditus tragicam hanc fabulam confinxerat, ab hostibus suis ob priuatas quasdam inimicitias occisi sunt in castello ipsius Gisonis Hollẽden, Deo vindicante innocentiam ducis Ottonis.

1074. Rex Natalem Domini Wormatiæ celebrauit, longe aliter ibi victitans quam regiam magnificentiam deceret. Nam neq; ex fiscis regalibus quicquam seruitij ei exhibebatur, neq; Episcopi aut abbates vel aliæ publicæ dignitates consueta ei obsequia præbebant, sed in sumptus quotidianos necessaria ei vili precio coemebantur. Erant tamen cum eo nõnulli ex principibus, sed hi neque cum eo seruitiorum apparatu, neque cum ea militum aut apparitorum frequentia, qua soliti fuerant, sed cum paucis & pene priuato habitu ad salutandum eum venerant, ne scilicet manifestæ defectionis notarentur, si euocati ad curtem venire detrectarent: quos tamen ille nullo modo à se abscedere permittebat, reputans quod si minus auxilij sibi, hostibus tamen multũ terroris allaturi essent, dum tam illustres in regno personas aduersum se cõgregatas audirent. Moguntinus & Colonienſis archiepiscopi die statuta Corbeiam iuxta cõdictum venientes, sicut in mandatis à rege habebant, rogabant Saxones qui ibidẽ occurrerant, vt ab oppugnatione castellorum exercitum abducerent. At illi nulla ratione hoc se facturos responderunt: præterea vehemẽter eos obiurgarunt, quod dum deliberando, &

modo colloquia, modo inducias expetendo tempus triuerant, & regi audaciam auxiſſent, & ſibi maximas commoditates vindicandę libertatis corrupiſſent: proinde recederent, nec ſibi vltra verbis pacificis in dolo illuderent: ſe in eum locum progreſſos eſſe, vbi iam non muliebribus colloquiis, ſed militaribus armis res expedienda ſit. Vix tandem ſedata multitudine ab his qui ſapientiores erant, vnanimi cõſenſu ſtatuerunt, vt proxima hebdomada poſt Purificationem ſanctæ Mariæ Friteslar conuenirent, ibique cõmunicato cum cæteris regni principibus conſilio, periclitanti Reipublicæ rectorem qui omnibus placuiſſet, conſtituerent: regi quoque mandauerunt, vt ſi ita ſibi expedire iudicaret, die ſtatuta præſto adeſſet, & ius ſuum non per epiſtolas aut per internuncios, ſed præſens ipſe viua voce expoſtularet. Poſtquam in hanc ſententiam digreſſi ſunt, Thuringi tertia dehinc die eos quiin Aſenberg erant, inedia expugnatos in deditionem acceperunt, impunitoſque dimiſerunt, caſtellum ſuccenderunt, ſtatimq; alij caſtello quod Spatenberg dicebatur, exercitum admouerunt. Caſtellum Vokenrot paucis ante diebus cœptum fuerat obſideri, & quia regina in eo toto tempore belli huius ſeruabatur, iuſſu regis profectus eo abbas Heruеldenſis, conſentientibus Thuringis eandem inde accepit, atque Heruеldiam adduxit prægnantem, & iam de partus vicinitate indies anxiantem. Cumque ibi diebus multis moraretur, neſciente ſcilicet rege propter perturbationem reipublicæ, quo eam mittere poſſet ſeruandam, 2. Idus Februarij feria 4 peperit filium. Is quomodo infirmari, & iamiam expiraturus putabatur, tertio die baptizatus eſt ab Ezzone Altenburgenſi epiſcopo, qui tunc forte apud abbatem hoſpitabatur, & nomine ataui ſui Conradus eſt vocatus: & quoniam alij non aderant, qui digne eo munere fungerentur, abbas & alij plerique fratres Heruеldenſis cœnobij eum de ſacro fonte ſuſceperunt.

Reginger qui ad ſuggillandum contra regem Vdalricum de Cosheim propoſuerat, ante paucos dies iucundæ congreſſionis diriſſimo dæmone arreptus, horrenda morte interiit.

Interea rex cum videret, quod paulatim à ſe principes deficerent, & hoſtium ferocitas ſua magis patiẽtia increſceret, pudore compulſus pariter & neceſſitate, ſtatuit extremam fortunæ aleam tentare, & cum Saxonibus vbi primum copia fieret, collatis ſignis dimicare, magis eligens vitam honeſte, quam regnum per dedecus amittere. Multum enim animos militum ab eo auocauerat, q; ſuis qui quotidie oppugnabantur, expugnabãtur, expellebãtur, non ſubueniebat, & aliis pro ſalute eius anxie deſudantib⁹, ipſe intra muros Wormatię inerti otio torpeſcebat. Vt hoc crimẽ elueret, vel morte paciſci cupiebat. Igitur miſit ad omnes principes regni, eoſq; per Deum obſecrabat, vt ſibi auxilio venirent, multa ſua erga eos in præteritum benemerita commemorans; plura in futurum pollicens: & multi quidem epiſcoporum protinus ad eum conuenerunt: ſed hi conſilijs præbendis paratiores quam ſtipendiis faciendis. Nã militibus ſuis domi relictis, ipſi cum paucis & pene priuati aderant, ea ſcilicet mente, vt & de inobedientia apud eum excuſarentur, & cauſam eius quam vehementiſſime omnes improbabant, non multum adiuuarent. Sed archiepiſcopus Moguntinus, Archiepiſcopus Colonienſis, epiſcopus Argentorati, epiſcopus Wormatienſis quem ciuitate ſua ſupra expulerat, præterea duces omnes Baioariæ, Sueuiæ, Lotharingiæ, Moſellæ regionis, Carentinorum, milites etiam Fuldenſis & Heruеldenſis abbatum conſtanter ei contradixerunt, nolle ſe ad oppreſſionem innocentum arma ferre: qui ſi etiam aliquid quod gladio vindice plecti debeat, admiſiſſent, ad hoc eos grauis & facile excuſabilis neceſſitas impuliſſet. Rex Wormatia egreſſus 6 calendas Februarij Heruеldiam cum exercitu venit. Eo die viſum eſt in cœlo ſignum mirabile. Oriente ſole duæ ſimul columnæ aurei coloris, ſplendidiſſimi fulgoris, dextra læuaq; oriebantur, quæ vſquequo Sol aliquantis lineis in altum excreſceret, eodem iubare rutilantes permanebant. Præcedenti quoque nocte cœleſtem arcum circa gallorum cantum ſereniſſimo cœlo plerique viderunt. Frigus erat validiſſimum, & hyberna ſiccitate arebant omnia, in tantum vt flumina non ſuperficietenus glacie conſtricta, ſed tota præter ſolitum in glaciem conuerſa viderentur: vnde panis inopia vehementer laborabat exercitus, eo quod propter rigorem fluminum vbique ceſſante molarum vſu, ipſum quod forte inueniſſent, frumentum comminuere non poterant. Rex pridie quam Heruеldiam veni-

veniret, misit abbatem Heruelden sem ad Saxones, qui in vlteriore ripa Wirræ flumi-
nis ad 40 millia congregati residere ferebantur, inuestigare ab eis, an nuncij sui tuto ad
eos ire ac redire possent. Ipse transgressus Herueldiã, in proximis villulis reditum ab-
batis præstolabatur, duobus ferme millibus à prædicto fluuio: nec vlterius castra mo-
uere voluit, donec miles frequentior conueniret, & ipse diligentius perquireret, an ali-
qua spes recuperandæ pacis reliqua esset, siquidem audierat Saxonibus placuisse, vt ei
ingressum Thuringiæ non concederent, sed statim in ipsa ripa fluminis prædicti quod
Hassiam Thuringiamq; dirimebat, instructa acie exciperent venientem. Fluuium gla-
cies pedestri itinere commeabilem fecerat. Ea res maiorem ei metum incutiebat, ne
forte dum adhuc imparatus imparq; tãtæ multitudini esset, hostes super eum nulla iti-
neris difficultate præpediti repente irruerẽt: ideoq; consiliarijs suis grauiter succẽse-
re dicebatur, quod eum Wormatia egredi, & in tantum discrimen vltro se præcipitare
permisissent. Saxones enim in tantum abundare multitudine ferebantur, vt vndecim
millia plebis, quomodo subito clamore in expeditionem euocati cibos secum nõ sum-
psissent, in domos suas tanquam minus sibi necessaria remitterent. Inter has moras ex-
ercitus regis prædæ quam pugnæ auidior, per contiguas Herueldiæ villas longe late-
que discurrebat, easque hostiliter depopulabatur, & sub prætextu necessarij victus quo
in militiam aleretur, præter miseram vitam nihil reliquum faciebat innocentibus: ne-
que rex prohibebat iniuriam, vt militem hoc precio redemptum deuotiorem sibi fa-
ceret. Qua clade ita attritæ atq; exhaustæ sunt possessiones Fuldensis monasterij atq;
Herueldensis, vt ingraescente alimentorum inopia, magna cum difficultate fratres
retinerentur in monasteriis. Abbas Herueldensis reuersus à Saxonibus retulit, eos prę-
ter omnium opinionem mitia atq; pacifica respondere, quod scilicet non ita exper-
tes rationis, ita sint immemores vulgati etiam apud barbaras nationes iuris gẽtium, vt
nesciant ab iniuria legatorum etiam inter atrocissimas inimicitias temperandum:
se extrema necessitate compulsos in aciem processisse, nec ad persequendum quen-
quam, sed ad se protegendos iniuriasque propulsandas arma sumpsisse: si ea necessitas
adimatur, etiam nunc pacem quam bellum malle, & districtos iam gladios libenter in
vaginam remittere. Grata admodum erat his qui cum rege erant responsio. Tunc mis-
si sunt quatuor ex episcopis, agere cum eis de pace, & promittere ex nomine regis,
quod omnibus quæ rationabiliter postulassent, & quæ electi ex vtraque parte iudices
æqua censuissent, prõptissime annueret, dum ipsi quoque vicissim iustis conditioni-
bus acquiescerẽt, & mansuetudinem eius, quam manum militarem experiri mallent.
Ad hæc illi responderunt: nihil aliud se postulare, quam quod multis iam sæpe legatio-
nibus postulassent: scilicet vt castella quæ ad oppressionem eorum per Saxoniam &
Thuringiam exstruxerit, sine dilatione dirui iubeat: vt sua singulis patrimonia per vim
seu per calumniam erepta restituat: vt duci Ottoni, ad quem extinguendum falsa cri-
minatione & pessimo nefarij hominis artificio impudenter abusus sit, ducatum Baio-
ariæ reddat: vt episcopo Moguntino, episcopo Colonien si, duci Rudolpho, postremo
omnibus qui in hac dissensione ab eo defecissent, aut aliquid quod eum læderet, alia-
rum partium studio admisissent, impunitatem tribuat, nullasque in perpetuum offen-
sæ huius pœnas exigat: vt libertatem gẽti suæ & legitima à primis temporibus statuta,
rata, atque inuiolata manere sinat: vt totam in sola Saxonia ætatem, inerti otio deditus
non transigat sed interdum Goslaria decedens, regnum suum, quod maiorum eius
industria latissimum sit, circumeat: ecclesijs & monasterijs, viduis & orphanis, &
cæteris qui calumniam patiantur, iusta faciat: & regiam dignitatem quam nomine
præferat, regalium morum & operum claritate exornet: si hæc se facturum fidelissi-
me polliceatur, & ad firmamentum indubitatæ fidei fideiussores sibi det eosdem,
quos nunc habeat recuperandæ pacis intercessores principes regni, paratos se arma
deponere, pacem suscipere, & deinceps dicto obtemperantes viuere: sin autem, sa-
cramento se obstrictos esse, vt quandiu sibi vitalis caloris vltima scintilla superuiuat,
pro libertate, pro legibus, pro patria sua indefessi dimicent. Dura nimis regi visa est
exactio, cœpitque huc & illuc anxius tergiuersari, fidemque principum suorum
appellare, ne se sub iugum tam fœdæ conditionis, ad sui nominis ignominiam mit-
ti paterentur, illud præ cæteris intolerabile iudicans, quod castella sua destruere,

& hostibus suis præmia pro suppliciis reddere cogebatur. Cumque spreta pace quæ offerebatur, sequenti die exercitum recenseri, aciemque ad pugnam instrui placuisset, misit circumquaque ad habitacula principum, iubens vt suos singuli ad aciem instruendam producerent. Omnes promptissime se dicto parere spoponderunt, sed redeuntibus nunciis nullus castris est egressus: detrectantibus cunctis opus nefarium, vt eis quorum causam iustissimam æstimarent, certamen inferrent. Ex alia quoque parte castra Saxonum non minima seditione quatiebantur. Plebs vniuersa tumultuabatur contra principes, quod se frustra in tantas bellorum procellas impulissent. Cum enim nunc victoriam omnia spondeant, & opportunitas ad votum arrideat, ad quam ab exordio belli anhelantibus semper animis suspirauissent: ipsi repentina pœnitudine correcti manus supplices tendant, pacem petant, & ei à quo toties elusi sint, iterum se eludendos muliebri, sordida, & puerili leuitate tradant: duci quoque Ottoni vehementer insistebant, vt accepto super se regno, ducatum sibi præbere ineundi certaminis, & prospera omnia promittenti Deo manus suas operamque non negaret. Tunc circumstantes regem hi quorum consilio familiarius vti consueuerat, cum subterfugiendæ conditionis studio diuina atque humana omnia sollicitantem viderent: Nullum, inquiunt, o rex, habemus diuerticulum: aut æquanimiter suscipienda est conditio quam imposuerint, aut regnum cum magno etiam vitæ periculo amittendum: acie vis confligere, periculumq; armis propulsare, sed qua virtute, putas, is miles hostem congressus proteret, qui modo ad recensendum exercitum nomen dare iussus, ne castris quidem exire voluit. Paruulo interuallo abest hostium infinitus exercitus: sed cunctis hostibus plus tibi formidandi sunt hi qui lateri tuo familiariter obuersantur, qui interim tibi simulata fide blanda loquuntur, quandiu eos quibus se sacramento obligauerunt, prælio lacessere non coguntur: quod si classica insonuerint, & pressius posito pede aut feriri aut ferire angustia loci coartabuntur, nimirum aut dicto citius diffugient, aut te deserto ad partes hostiũ transibunt: vnde satius fuerat Wormatia non excedere, quam in extremum discrimẽ progressum, fidei principum tam iniquo tempore experimentum quærere. Vnum tamen patet incisę spei & vndiq; impeditis rebus effugium, si facturum te quæ postularis incunctanter promittas. Ita & iuueniliter exultantium hostium ferocitatem eludere, & periculum quod faucibus vrget, euadere, & regnum deinceps sopitis in perpetuum cunctis simultatibus poteris obtinere. Tum ille non tam ratione victus quam necessitate, cum omnia prius incassum pertentasset diuerticula, tãdem accitis ad cõcilium principibus, permisit, vt pro suo arbitratu tantos motus componerent: promittens se indubitata fide omnibus annuere, quę ipsi conficiendis tantis rebus competere iudicassent. At illi respõderunt, non aliam prorsus patere viam subterfugiendi, quod stricto iam mucrone comminus intentaretur, prælij, quam vt faceret quæ Saxones postulassent. Quod cum sub testificatione nominis Christi ipposuisset, profecti sunt ad eos 15 episcopi, & quicquid principum in castris erat, referre illis regis voluntatem. Multæ ibi dictæ sententiæ, multa sunt conquisita argumenta, cum propter suspectam regis ferocitatem & sæpenumero spectatam fidem, nulla Saxonib⁹ viderentur satis tuta cõsilia. In longum protracta deliberatione, ad vltimum hoc pacto recuperandæ paci consenserunt, vt si quando rex acceptæ læsionis memor sententiam reuocare aut aliquid eorum quæ modo suprema necessitate compulsus statuisset, in irritum ducere conaretur, omnes eodem quo nunc sacramento obstricti, arma reperent, iniuriæ obuiam irent, & tanquam euidentis periurij reum, cunctis regni principibus suffragium ferentibus, de regno proturbarent. In hęc verba omnes, vt erant conglobato agmine, ad videndam faciem regis processerunt ipso die purificationis sanctæ Mariæ, præeuntibus his qui reparandæ pacis mediatores fuerãt, episcopis & aliis principibus, quos ille venientes honorifice suscepit, osculum præbuit, & pacis conditiones quas per internuncios significauerat, viuæ vocis authoritate roborauit. Ita compositis omnibus ex sententia, his qui partes suas impensius curauerant, dona iuxta magnificentiam regiam largitus est, dimissisque singulis in locum suum ipse iunctus Saxonibus Goslariam perrexit. Destinatis etiam circumquaque nunciis mandauit, vt ab oppugnatione castellorum exercitus abduceretur, & hi qui in castellis erant, nihil deinceps hostile in prouinciales facerent, sed vbi primum cibaria quę in diutinam belli administra-

miniſtrationem affatim congeſta fuerant, conſumpſiſſent, ipſa caſtella prouincialibus traderent funditus diruenda Nec Saxones magnopere curabant has inducias, quamuis non nimium haberent ſuſpectas, cum in poteſtatem ſuam redactum ſcirent, communi ſententiæ non poſſe refragari. Igitur cum veniſſet Goſlariam, iuuenes qui in Hartesburg fuerant, quique propter res bene geſtas in magna apud eum admiratione habebantur, vehementer improbant conuentionem pacis, & quia ſecundum prophetam dolus directus fuerat in manibus eorum, multa & ſupra menſuram ſuam magnifica ei promittebant de viribus ſuis, ſi in procinctu perſtitiſſet. Oſtentabant etiam ad experimentum virtutis ſuæ titulos interfectorum Goſlarienſium, diſpoſitos per omne illud ſpacium, quod à Goſlaria vſque in Hartesburg duobus ferme milliaribus interiacet. Hæc audiendo malis aſſuetus animus. & per ætatem gloriæ militaris auidus paulatim reformabatur ad ingenium ſuum, atque ad rigorem priſtinum, factique iam non mediocriter pœnitebat, cumque à Saxonibus promiſſa ſua repoſcerentur, cœpit rurſum callidis reſponſionibus tergiuerſari, & petere, vt ad conuentum principum regni communemque audientiam res integra differretur, quatenus eorum iudicio de ſingulis, quod honori, quod vtilitati reipublicæ conduceret, ſtatueretur. Illis annuentibus præcepit, vt 6 idus Martij principes de toto regno Goſlariam conuenirent. Statuto die cæterorum principum nullus eo venit. Saxones & Thuringi cum infinita multitudine de tota Saxonia & Thuringia ſacramento euocati aderant, & haud procul à Goſlaria caſtrametati, legatos ad regem miſerunt, agere cum eo de conditionibus, quibus inter ſe & eum pax conueniſſet. Triduo integro & hi modo ſupplicando, modo terrorem bellicum intentando acriter inſtabant, & ille ſedulitatem inſtantium lubricis reſponſionibus eludere conabatur, & modo de abſentia principum cauſabatur, ad quorum iudiciorum ea res potiſſimum ſpectaret, modo obnixe flagitabat, vt cæteris omnibus iuxta condictum manentibus, ſola caſtella quæ ſummis impenſis ad munimentum regni exſtruxiſſet, ſibi condonarentur, his ſcilicet ſaluis facilem ducebat cæterarum rerum iacturam, eo quod ſperaret, ſe in his vtcunque res cecidiſſent, ſemper refugium habiturum, & perpetuas à Saxonibus omnibus, quam nunc intuliſſent, contumeliæ pœnas exacturum. Iamque ſpretis legatorum ſupplicationibus, reprobatis familiarium ſuorum conſiliis, fixus obſtinatusque perſiſtebat in propoſito, cum ſubito nunciatur, quod Saxones omiſſis internunciis, per quos antehac res agebatur, armati inſtructique ad palatium tenderent, nec iam promiſſa repoſcere, ſed ei valefacto, regem quem deinceps belli ducem habeant, conſtituere vellent. Præterea archiepiſcopus Bremenſis, epiſcopus Citicenſis, epiſcopus Oſenbruggenſis, & cæteri qui propter impenſius ſtudium partium eius Saxonia effugati, poſſeſſionibus nudati, pluribus ignominiis deformati fuerant, vnanimiter circumſteterunt, eum per Deum obſecrantes, vt ſi minus propriæ, ſaltem eorum calamitatis miſereretur, qui propriis ſedibus odio nominis eius expulſi, anno iam ferme integro per omnes miſerias vitam traxiſſent; fidem ſe ei in aduerſis intemeratam ſeruaſſe, & quæcunque præter voluntatem acciſſent, communicato labore toleraſſe; nunc, quoniam Deus tantas rerum procellas benigna vice in ſedem reduxiſſet, gauderet ſorte ſua, & ne deinceps talè naufragium incideret, tuta nunc ſtatione locatus prouideret. Quod ſi res tranquillas & propitia diuinitate iam ad honorem eius ex ſententia compoſitas rurſus interturbare atque implicare vellet; quos exitus habiturus eſſet, ipſe proſpiceret; ſe ſuperioribus malis iam vſque ad extremam laſſitudinem defatigatos, neceſſario deinceps loco & tempori conceſſuros, & genti ſuæ ne denuo patria expellantur, obnoxios futuros. Inter hæc verba cum Saxones iam armata multitudine atrium palatij repleſſe, & ad vim faciendam paratos, inconditis motibus perſtrepere cerneret, tandem ancipiti periculo permotus conſenſit, vt duci Ottoni ducatum Baioariæ repoſcenti, intra anni ſpacium iuxta principum iuriſdictionem ſatisfaceret, caſtella vero ſua omnia ſine dilatione deſtrueret, ſed ea conditione, vt Saxones & Thuringi ſua quoque caſtella, quæ tempore regni eius exſtructa fuiſſent, pari modo diruerent, cætera etiam omnia quæ in Gerſtungun pollicitus fuerat, fide integra exſoluerentur. Nec perficiendis quæ promiſerat, improbitas Saxonum vllas indulſit inducias; vnde continuo miſſis circumquaque nunciis Vokenrot & Spatenberg & cætera caſtella de quibus quæſtio promulgata fuerat, ſuccendi ac

penitus dirui fecit. In Hartesburg muri tantum sunt diruti, quantum ad infirmandam munitionem difficultatemque loci adimendam sufficeret; cęteris ędificiis status manfit incolumis, eo quod ecclesia illic constructa & canonicorum congregationi instituendæ locus attitulatus fuisset. Ita pacatis Saxonibus rex Goslaria decedens Wormatiã abiit, ibique totam Quadragesimam ab omni deinceps belli apparatu feriatus exegit. Porro vulgus Saxoniæ, id potissimum quod contiguas castello Hartesburg villulas incolebat, vehementer offenderat, quod in Hartesburg vllæ seruatæ essent reliquiæ; nec quicquam tantis laboribus actum putabant, stante atque incolumi castello, quod omnium cladium quas acceperant, caput principiumque extitisset, & quod circumiacentis regionis opulentissimas quondam villas nunc in horrorem vastamque solitudinem redegisset; nõ detulisse regem cultui diuino, sed sub prætextu religionis crudelitatis suæ patrocinium quæsisse, vt scilicet instaurato post modicum bello cum hæc ira Saxonibus deferbuisset, locum habeat, vbi milites suos rursus ad euersionem Saxoniæ tuto emittat, tuto recipiat, & tunc tanto victis incumbat infestior, quanto nunc discedat Saxonum lætis successibus efferatior. Hæc vicissim intemperatis clamoribus ferendo in magnam se ferocitatem inflammarunt. Igitur tertio die postquam rex abscesserat, insciis inconsultisque principibus, facto grege in Hartesburg irruunt, quod residuum erat murorum à fundamento deiiciunt, lapides longe lateque dispergunt, cæteris ædificiis quæ indulgentia principum integra seruauerat, idem faciunt, ecclesiam quæ accelerandi operis studio interim lignis elegantissime constructa fuerat, incendunt, thesauros diruunt, altaria confringunt: postremo ne qua regi instaurandi castelli occasio reliqua esset, filium eius & fratrem, quos ille ad gratificandum popularibus locum ibi tumulauerat, effodiunt, aguntque omnia quantum possunt, ne administrando bello deinceps mons complanatus vllam præstare possit opportunitatem. Reliquias sanctorum, quæ effractis altaribus erutæ fuerant, & effossa defunctorum corpora, abbas ex vicino cœnobio opportune superueniens, furenti vulgo eripuit, atque in suum monasterium cum honore transuexit. Perlatus ad principes Saxoniæ rumor admissi facinoris grandi eos formidine perculit, ne rex tanta iniuria exacerbatus causaretur, ab ipsis fœdus esse violatum, & iustam exinde occasionem instaurandi belli nactus, cunctas aduersus eos regni vires concitaret: id consulto præuenire cupientes, grauiter in eos qui tale flagitium admiserant, animaduertunt, deinde legatos ad regem mittunt, obsecrantes per Deum, vt se habeat excusatos, nec conscios se tanti sceleris, nec incentores extitisse, patratumque non secus quam ipsum grauiter & iniquo animo ferre: quod si minus fidei habeat negantibus, paratos se quouis genere satisfactionis dictis fidem & facere, & violatæ pacis à se suspicionem amouere. Ille vehementer efferatus, quod dolorem pristinum, qui nec dum in cicatricem cutem obduxisset, recentibus iniuriis exulcerassent; Quandoquidem, inquit, nec forenses leges contra violentiam Saxonum quicquam proficiunt, nec iniurias meas desertus à milite armis persequi valeo; ad leges ecclesiasticas iam necessitate coactus confugiam; & vbi humana cessant auxilia, diuinam opem implorabo. Protinus legatos Romam misit, sedem apostolicam contra eos interpellare, qui ecclesiam incendissent, altaria confregissent, sepulchra violassent, & odio viuentis in sepultos cineres barbara crudelitate dabacchati fuissent. Pascha Babenberg celebrauit, erantque cum eo archiepiscopus Moguntinus, dux Carentinorum Bertoldus, & alij quamplures ex his qui bello Saxonico ab eo defecerant. Cum enim crimen rebellionis Saxonibus donasset, alijs regni principibus qui coniurationis socij fuerant, quod iuste succenseret, non habebat. Ipso tempore Coloniæ res accidit, digna omnium bonorum miseratione & lacrymis, incertum leuitate vulgi, an factione eorum qui vicem regis in archiepiscopum vlcisci cupiebant. id magis venit in suspicionem, quod cum celebre apud omnes esset nomen Wormatiensium, pro eo quod regi fidem in aduersis seruassent, & episcopum rebellare tentantem ciuitate expulissent, Colonienses pessimum exemplum æmulati, suam quoque deuotionem insigni aliquo facinore regi ratificari vellent. Ad patrandum quod nefarie machinabantur, casus idoneam attulit occasionem. Archiepiscopus Pascha Coloniæ celebrauit, eratque cum eo episcopus Mimigardeuurdensis, ad communicanda tantæ solennnitatis gaudia familiaris amicitiæ obtentu euocatus. Cumq; exactis ex parte feriis

riis paſchalibus abſcedere pararet, hi qui archiepiſcopi domeſtica negotia curabant, iubentur ad euectionem eius nauem idoneam prouidere. Luſtratis perſpectiſque omnibus, vnam mercatoris cuiuſdam prædiuitis nauim, quia in ea vſus competens videbatur, occupant, eamque in miniſterium archiepiſcopi, eiectis mercibus quas habebat, ocyus expedire iubent. Negantibus famulis qui nauim ſeruandam ſuſceperant, vim, niſi mature iuſſa capeſſant, minitantur. Illi quantum poterant, citato curſu ad dominum nauis rem deferunt, & quid facto opus ſit, conſulunt. Habebat ille filium adulta ætate, non minus audacia quam viribus excellentem, & tum propter generis affinitatem, tum ob merita ſua primoribus ciuitatis maxime charum & acceptum. Is aſſumptis famulis ſuis & iuuenibus ex ciuitate, quantos in ea trepidatione in auxilium iuum conſciſcere potuit, concitus ad nauem euolat, & miniſtros archiepiſcopi acriter, vt nauis exoccuparetur, inſiſtentes cum iniuria proturbat; dehinc aduocatum vrbis in idem opus ſuccedentem tumultusque inſtaurantem, ſimili conſtantia repellit, fundit & fugat; iamque & his & illis, ſui ſingulis amici armati ſubſidio adcurrunt, & ad magnum diſcrimen pugnamque ancipitem res ſpectare videbatur. Perlato nuncio ad archiepiſcopum, quod atrociſſima ſeditione confunderetur ciuitas, miſit feſtinanter ad ſedandos motus populi, irarumque plenus minabatur, ſe proxima ſeſſione ſeditioſos iuuenes merita pœna coerciturum. Erat quippe vir omni genere virtutum florentiſſimus, & in cauſis tam reipublicæ quam eccleſiæ Dei ſpectatæ ſæpius probitatis; ſed vnum in tantis virtutibus vitium, tanquam tenuis in pulcherrimo corpore nævus, apparebat, quod dum ira incanduiſſet, linguæ non ſatis moderari poterat, ſed in omnes ſine perſonarum acceptione, rixas & conuicia amariſſima rotabat; hoc in ſe, cum iram paululum digeſſiſſet, vehementer & ipſe reprehendebat. Vix ad modicum dirempta eſt concertatio, ſed ferox animis & elatus primo ſucceſſu iuuenis non ceſſabat interturbare omnia, percurrensque ciuitatem varios ſermones per populum ferebat de inſolentia & auſteritate archiepiſcopi, qui toties iniuſta præciperet, toties innocentibus ſua adimeret, toties honeſtiſſimos ciues procaciſſimis verbis inceſſeret. Nec difficile fuit, id hominum genus in omne quod velles, tanquam folium quod vento rapitur, transformare; quippe qui ab ineunte ætate inter vrbanas delicias educati nullam in bellicis rebus experientiam habebant, quique poſt venditas merces inter vina & epulas de re militari diſputare ſoliti, omnia quæ animo occurriſſent, tam facilia factu quam dictu putabant, exitus rerum metiri neſciebant. Præterea in mentem veniebat Wormatienſium inſigne præclarumque facinus, quod epiſcopum ſuum inſolentius agere incipientem vrbe expuliſſent, & cum ipſi multitudine, opibus armisque inſtructiores ſint, dedignantur, quod inferiores æſtimentur audacia, & archiepiſcopum tyrannico ſibi faſtu imperitantem tamdiu muliebriter patiantur. Conferunt primores inepta conſilia; ſæuit vulgus intemperans nouarum rerum ſtudio, & per totam ciuitatem ſpiritu diabolico raptarum ad arma conclamat; nec iam archiepiſcopum vrbe expellere, ſicut Wormatienſes, ſed per omnes cruciatus trucidare, ſi copia detur, conſpirat. Natalis erat beati Georgij martyris, qui eo anno, 4 feria hebdomadæ paſchalis obuenerat: & archiepiſcopus celebrata miſſarum ſolennitate apud beatum Georgium, cum ſermonem faceret ad populum, præſagio quodam futurorum, neſcius ipſe mali quod imminebat, conteſtatus fuerat audientibus, quod ciuitas diabolo in poteſtatem tradita eſſet & propediem peritura, niſi iamiam impendentem iram Dei per pœnitentiam inflectere maturarent. Igitur poſt meridiem, inclinata iam die in veſperum, cum igni oleum, iracundiæ acceſſiſſet ebrietas, ex omnibus partibus vrbis ruunt ad curtim archiepiſcopi, & eum celebri quodam loco cum epiſcopo Mimigardeuurdenſi cœnantem adorti, tela contorquent, ſaxa iaciunt, nonnullos ex aſſiſtentibus interficiunt, cæteros plagis & vulneribus confectos in fugam vertunt. Inter hæc conſpicantur quamplurimi, ipſum talium furiarum incentorem dæmonem præcurrere inſanienti populo, galeatum, loricatum, igneo mucrone terribiliter fulgurantem, nec vlli quam ſibi ſimiliorem. Cumque militari quodam claſſico cunctantes, vt ſe in pugnam ſequerentur, concitaret, in ipſo impetu quo portarum feras effracturus vociferando irruebat, repente ex oculis ſequentium diſparuit. Archiepiſcopum ſui inter cuneos hoſtium nubemque iaculorum vix & ægre expeditum in

templum ſancti Petri abripiunt,foresq; non modo ſeris & vectibus, ſed admotis etiam magnis molib. obfirmant. Sæuiunt foris, & inſtar inundantis aquæ rugiunt vaſa diaboli, plena vino furoris Dei, & per omnia epiſcopi penetralia diſcurrentes, fores infringunt, theſauros diripiunt, vaſa vinaria concidunt, & dum vina in diutinos vſus ſumma ope congeſta præcipitantius effundunt, repletum ſubito cellarium ipſos (quod dictu quoque ridiculum ſit) inopinis fluctibus periclitatos pene ſuffocauerat. Alij capellam archiepiſcopi irrumpentes, altare ſpoliant, ſacra vaſa pollutis manibus contrectant, veſtimenta pontificalia diripiunt, dumque omnem ſupellectilem ſacri miniſterij curioſa, imo furioſa diligẽtia euertunt, reperientes illic quendam præ timore ſe in angulo occultantẽ, & putantes quod archiepiſcopus eſſet, interficiunt, non ſine gratulabunda exprobratione, quod petulantiſſimæ linguæ tandem aliquando modum impoſuerint. Sed cognito, quod decepti ſimilitudine eſſent, & archiepiſcopus intra templum ſancti Petri, & loci religione, & murorum firmitate ſe tutaretur, vndique conglobati ipſum templum obſident, muros perfringere dedita opera moliuntur, poſtremo, niſi ocyus ſibi tradatur archiepiſcopus, ignem quoque ſe adhibituros minitantur. Tum hi qui intus erant, videntes obſtinatos eſſe ad necem eius animos populi, nec ebrietate ſola quæ tempore digeri ſolet, ſed pertinacibus etiam odiis & phrenetico quodam furore homines agitari, ſuadent ei, vt mutato habitu effugere conetur de eccleſia, & fallere obſidentes, hoc facto & ſacras ædes incendij, & ſe mortis periculo liberaturus. Opportunum fugæ patrocinium tempus pollicebatur. Seditione in mediam noctem protracta, horrebant omnia tenebris & caligine, vt haud facile cuiquam eſſet vultus occurſantium diſcernere. Anguſtus aditus patebat de templo in dormitorium, item de dormitorio in atrium domumque canonici cuiuſdam adhærentem muro ciuitatis. Iſque ante paucos dies ortæ ſeditionis impetrauerat ab archiepiſcopo, Deo ad ſalutem archiepiſcopi hoc ipſum miſericorditer prouidente, vt rupto muro ciuitatis paruulum ſibi poſticum facere fineretur. Ibi eductus archiepiſcopus, applicitis propere in euectionem eius & comitum eius quatuor equis, abiit, opacæ noctis tenebris, ne ab obuiantibus agnoſceretur, commodiſſime vſus; repertoque poſt modicum epiſcopo Mimigardeuurdenſi, ſociis iam pulchre pro ea tum calamitate conſtipatus, in locum cui Nuſſen nomen eſt, peruenit. Interim hi qui circa templum erant, crebris arietum ictibus muros quatiebant, eratque confuſa vox tumultuantium, & fidem Dei omnipotentis teſtantium, quod non euaſurus eſſet manus ſuas, non decepturus obſidentium diligentiam, etiam ſi in minima terræ reptilia ſe transfiguraret. Econtra hi qui obſidebantur, nunc ſupplicando, nunc pollicendo, quod diligentiſſime quęſitum, ſi inueniretur, ipſis traditurі eſſent, callide ludebant operam perurgentium, vſque quo archiepiſcopum longius euectum, atque in tuta iam loca progreſſum eſſe arbitrarentur. Tum demum recluſis foribus ipſos ingredi, & pro libitu ſuo quærere ſinunt, adiiciuntque fruſtra eum quæri intra ſepta templi, quem certo comperiſſent primo incurſu concitatæ multitudinis clara adhuc die vrbe egreſſum iam in longinquas partes tranſire potuiſſe: idque magis ſuſpicandum, quod contractis vndique per moram nocturni temporis copiis, primo mane ad occupandam armis ciuitatem ſit aduenturus. Igitur ingreſſi, cum omnia templi penetralia diligentius inueſtigando euertiſſent, vix tandem admiſſa fide, quod falli potuiſſent, deinceps ab inquiſitionis ſtudio ad tuendam vrbem animos vertunt, armatamque multitudinem circumquaque per propugnacula diſpertiunt. Interhæc arreptum quendam de turba ſuper portam vrbis ad ignominiam archiepiſcopi ſuſpendunt; magis in hoc furori ſuo quo præcipites raptabantur, ſatisfacientes, quam quod crimen vllum ſuſpendio dignum miſero obtendere poſſent. mulierem etiam quandam de ſummitate murorum præcipitant, fractisque ceruicibus interficiunt; hoc ei crimini dantes, quod homines plerumque magicis artibus dementare infamata fuiſſet. Sed hoc ſcelus commodiori tempore & pacatiore animo vindicare debuerãt. Induxerant etiam in animum, niſi Deus conſulens ſeruis ſuis breuiaſſet dies amentiæ eorum, vt monachos de ſancto Pantaleone omnes trucidarent, pro eo, quod expulſis ab archiepiſcopo prioribus monachis nouum illic inuſitatumque religionis genus inſtituiſſent. Præterea iuuenes impigros citato, quantum poſſent, gradu ad regem ire iubent, nunciare ei quæ geſta fuerant, & ſuggerere, vt quantocyus veniat vacantem

cantem expulso archiepiscopo ciuitatem occupare, in eo verti salutem ciuitatis, & ipsius vtilitatem maximam, vt grandia molientem de vindicanda iniuria sua archiepiscopum anticipare conetur. Talibus furiis toto triduo agitabantur. Postquam auditum est per prouinciam, & celebri rumore vulgatum, quod Colonienses archiepiscopum probris & contumeliis affectum vrbe fugassent; exhorruit omnis populus nouitatem rei, atrocitatem sceleris, spectaculum humanarum rerum, quod vir tantarum in Christo virtutum tam indigna perpeti, Deo aspiciente, potuisset. Magna eius in pauperes liberalitas, multa in diuinis rebus deuotio, multa in humanis moderatio, vehemens in corrigendis legibus studium, libera in corripiendis qui male agerent seueritas, omnium ore celebrabantur, earumque rerum commemoratio non minimum ei gratiæ apud populares conciliabat. Exclamant omnes ad suam magis iniuriam pertinere violatam pontificalis nominis maiestatem, & mori sibi satius esse, quam vt tantum flagitium suorum temporum inultum patiantur. Igitur per quatuor vel quinque milliaria circumquaque ad arma conclamant: multa hominum millia dicto citius concurrunt, nullo qui per ætatem arma ferre posset, tam religiosam militiam detrectante: conglobatique in vnum, rogant archiepiscopum, & cunctantem vi impellunt, vt ad recuperandam ciuitatem quantocyus festinet; se pro eo dimicaturos, & si ea necessitas incumbat, oues pro pastore, filios pro patre libenter mortem excepturos: quod nisi Colonienses maturent venientem suscipere, & pro ipsius arbitratu satisfacero offenso; se aut ingesto igne populum cum ciuitate consumpturos, aut dissipato muro eum super congeriem occisorum in cathedram pontificalem reducturos. Ita archiepiscopus quarto die postquam exierat, magno vallatus agmine ad vrbem accessit. Quod vbi Colonensibus compertum est, & se tantæ tamque efferatæ multitudinis impetum nec muro nec acie sustinere posse animaduertunt; tum primum furor deflagrare, ebrietas vanescere cœpit, magnoque terrore concussi obuiam legatos de pace miserunt, se reos confitentes, & omnem, quam vita incolumi iuberentur, pœnam pendere paratos. Archiepiscopus digne pœnitentibus se veniam non negaturum respondit. Tum celebrata missarum solemnitate apud sanctum Georgium, eos qui pontificem sede propria expulissent, qui ecclesiam homicidio polluissent, qui templum sancti Petri hostiliter impetissent, qui cętera religionis iura ausu barbaro temerassent, episcopali banno ad satisfactionem vocauit. Protinus omnes nudis pedibus, laneis ad carnem induti processerunt, vix & ægre impetrata pace multitudinis quæ circa episcopum erat, vt hoc tuto facere sinerentur. Nam & vehementer ei succensebant, quod dum immoderatius clementiam ostentando popularis fieri vellet, nefarios homines ad audenda nequiora huius sceleris impunitate animaret. Archiepiscopus eos postero die ad suscipiẽdam secundum canonum scita pœnitentiam tam immanis flagitij ad sanctum Petrum præsto esse iubet. Ipse progressus ad sanctum Gereonem, ibi extra vrbem pernoctare statuit; veritusque quod tradita ciuitate vis concitatæ multitudinis inhiberi non posset, sed partim iniuria partim prædæ cupidine accensi acerbius sæuirent in populum, obnixe rogat prouinciales qui secum erant, vt singuli in sua cum pace recederent, satis se opera eorum vsum, & euidens tulisse documentum, quid animi oues erga pastorem, filij erga patrem gererent; asperrimam partem negotij multa eorum virtute exactam esse, cætera quæ restent, facile iam priuata ac domestica manu posse confici: proinde quod bonum, felix faustumque esset, abirent in domos suas, hanc reportantes spem, quod huius beneficij gratia apud eum, seu viuum, seu defunctum, perpetuo mansura foret. Hoc vix impetrato, milites suos, quantos ad comprimẽdos vrbanos motus, si qui forte leuitate vulgi instaurarentur, sufficere putabat, præcedere in ciuitatem iubet; secuturus ipse proxima luce, cum eorum qui præcessissent diligentia, ne quid forte insidiarum lateret in ciuitate, præcauisset. Ea nocte sexcenti aut eo amplius mercatores opulentissimi ex vrbe profugi ad regem se contulerunt, intercessionis eius opem aduersus archiepiscopi sæuitiam imploraturi. Cæteri ingresso archiepiscopo ciuitatem & toto triduo iuxta cõdictum expectanti, minime se præsentauerunt ad proponendum aliquod satisfactionis genus. Vnde indignitatem rei non ferentes episcopi milites inscio (vt plurimi asserunt) atque inconsulto archiepiscopo arma rapiunt, domos incursant, possessiones diripiunt, occursantes partim sternũt, partim captos in vincula cõiiciunt,

& prorſus, vt veritati vel coacti aſſentiamur, multo ferocius, quam tanti pontificis existimationi competeret, iuſtæ vltionis negotium exequuntur. Sed grauior morbus acriori indigebat antidoto. Filius ſupra memorati mercatoris, qui primus ſeditione inflammauerat populum, & pauci alij luminibus ſunt orbati, nonnulli virgis cæſi ac detonſi, omnes grauiſſimo rei familiaris damno multati, atque iuſiurandum dare compulſi, quod deinceps archiepiſcopo ciuitatem, contra omnium hominum violentiam quantum conſilio & armis poſſent, vindicaturi eſſent, & eos qui ex vrbe profugerant, quoad digne archiepiſcopo ſatisfeciſſent, ſemper pro infeſtiſſimis hoſtib. habituri. Ita ciuitas paulo ante ciuibus frequentiſſima, & poſt Moguntiam caput & princeps Gallicarum vrbium, ſubito pene redacta eſt in ſolitudinem, & cuius plateę vix capiebant ſtipata viantium examina, nunc rarum oſtendunt hominem, ſilentio & horrore omnia deſiderij quondam ac deliciarum loca poſſidentibus. Nec futurum hoc dubia ſignificauerant præſagia. Peregrinus quidam ad celebrandam palmarum feſtiuitatem illuc ipſo anno oduenerat. Is vidit per ſomnium coruum quendam horrendæ magnitudinis per totam volitare Coloniam, & terribiliter crocitando populum tali ſpectaculo attonitum, huc & illuc agitare; ſuperuenire poſt hæc virum tam veſte q̃ forma præcellentem, qui & coruum horrifico ſonitu perſtrepentem vrbe expelleret, & populũ mente cõſternatum, iamq; extrema omnia formidantem caſſa formidine abſolueret: cumque à circumſtantibus interpretationem ſomnij horrore concuſſus quęreret, audiuit, quod ciuitas proter peccata populi diabolo in poteſtatẽ tradita fuiſſet, ſed interuentu Georgij martyris liberata inſtantis iam atq; à Deo prędeſtinati interitus neceſſitatẽ euaſiſſet.

Rex celebrata in Babenberga Paſchali ſolemnitate, Nurenberg perrexit obuiam legatis Apoſtolicæ ſedis. Erant autem hi: mater eius imperatrix, epiſcopus Oſtienſis, epiſcopus Prænestinus, epiſcopus Curienſis, epiſcopus Cumẽſis, miſſi à Romano pontifice componere, ſi poſſent, multo iam tempore vacillantem ſtatum Galliarum. Nec tamen cum rege ſermonem communicare ſæpius rogati conſenſerunt, donec ſecundum eccleſiaſticas leges pœnitentiam profeſſus per iudicium eorum anathemate abſolueretur, pro eo, quod propter vẽditas eccleſiaſticas dignitates ſimoniacæ hæreſeos inſimulatus fuiſſet apud ſedem Apoſtolicam. Itaque petierunt verbis Romani pontificis, vt ſynodum tenere intra Gallias pace epiſcoporum ſinerentur. Vehementer hoc abnuerunt omnes epiſcopi, tanquam inuſitatum longeque à ſuis rationibus alienum, nec ſe huius authoritatis priuilegium vlli alij præterquam ipſi Romano pontifici vnquam delaturos affirmabant: ſiquidem intenderat Romanus pontifex vt omnes epiſcopos & abbates, qui ſacros gradus precio redemiſſent, diſcuſſione habita deponeret: iamque hac de cauſa Babenbergenſem epiſcopum, & alios nonnullos ab omni diuino officio ſuſpenderat, donec coram venientes inuſtum ſibi crimen hæreſeos digna ſatisfactione purgarent. Et rex quidem cupide hoc volebat, odio Wormatienſis epiſcopi & quorundam aliorum, qui eum bello Saxonico offenderant; quos hac calumnia inuoluendos, & dignitatis ſuæ detrimenta paſſuros, ſpe certiſſima præſumpſerat. Sed quia per legatos res tanta confici poſſe deſperabatur, conſulto in audientiam ipſius Romani pontificis delata eſt. Rex dimiſſis legatis nõ ſolemni more indictam expeditionem, ſed repẽtino ac tumultuario milite collectum exercitum ducere parabat in Vngariam, comperto quod Salomon rex Vngariorum à Ioiade Beli filio bello impetitus, & tribus iam prœliis victus, amiſſo exercitu vix de regno effugiſſet. Vt eius miſeriæ ſubueniret, & affinitati præſtabat, quam tradita illi in coniugium ſorore ſua contraxerat, & vtilitatibus propriis, quia magnam ei partem regni ſui pollicitus fuerat, ſi eius beneficio expugnatis hoſtibus in regnum reſtitueretur. Cumque Ratiſponam veniſſet, inſecuta eſt eum legatio familiarium eius nunciantium, quod Wilhelmus cognomento Boſtar, rex Anglorum, ab archiepiſcopo Colonienſi vana pollicitatione illectus cum magno exercitu aduentaret, regni ſedem Aquiſgrani occcupare paratus. Territus tex tam atroci nuncio, ac priuatæ rei curam externis negotiis antehabendam ratus, omiſſa in Vngariam expeditione ad Rhenum concitus remeauit. Pentecoſten Moguntiæ celebrauit, ſplendide ac populariter ab archiepiſcopo Moguntiacenſi acceptus atque habitus. Inde cum Coloniam ire inſtituiſſet, multum ſpirans irarum & comminationis in archiepiſcopum Colonienſem: ille miſſis in occurſum eius nunciis, mandauit fal-

ſam

sam omnino ac scenicis figmentis similem esse fabulam, quam in eum æmuli sui composuissent, hi nimirum, qui eum paulo ante vrbe expulissent, & nunc ad opprimẽdum eum, quoniam armis non possent, mendacijs grassarẽtur: se non ita rationis expertem vel communis commodi negligentem esse, vt in vltionem priuatæ iniuriæ patriam suam barbaris prodere velit, nec ea leuitate à puero vitam instituisse, vt quisquam sanum aliquid sapiens tam inepta de se suspicari possit. Impetrata per legatos coram veniendi copia, in Andernachen regi occurrit. Cumque rex de his quæ compererat, seueriſſime quæstionem promulgaret: proditæ quidem reipublicæ crimen quod obijciebatur, sacramẽto purgauit: cætera quæ delata fuerant, ait rex, se veteri amicitiæ † põtificali nomini condonare, nec pro iure suo expostulare velle. Ita non extincto, sed interim cohibito furore, Coloniam processit. Ibi postero die ad iudicandum populo assedit, speculans per accusationem eorum quos archiepiscopus propter iniurias suas pœna affecerat, occasionem sibi futuram, vt eum seditione concitata rursus ciuitate exturbaret, vel propter oppressos per calumniam innocentes saltem reum maiestatis faceret: sed ille omnes accusationum strophas responsi veritate ac sententiarum grauitate, tanquam aranearum telas, dirupit. Postquam rex innocentia eius ac vitæ integritate, consilijs quoque omnia septa vidit, nec vllum patere locum calumniæ, ad aliud se vertit genus iniuriarum. Exegit ab eo non precibus quidem, vt oportuit, sed imperiosa quadam authoritate, vt Colonienſibus admissæ in se temeritatis veniam daret, excommunicatosque ecclesiæ reconciliaret: præterea, vt ad firmamentum conseruandæ erga se in perpetuum fidei sex sibi ex militibus suis obsides daret. Vtrunque ille cum magna constantia negauit: obsides quidem, quod nullus regum priorum tale quid ab aliquo præcessore suo postulasset: excommunicatorum autem reconciliationem, quod sine digna pœnitentiæ satisfactione excommunicatos in ecclesiam recipi leges ecclesiasticæ vetarent. Imminebat ille vehementer, comminans omnia se incommoda illaturum, & cuncta quæ illius sunt ferro & igne demoliturum. Perstabat hic fixus in proposito, dicens se mori quidem paratum, si ipse cum Colonienſibus conspirasset ad eum interficiendum, sed nunquam retinendæ vitæ studio ab iure ad iniuriam declinaturum. Diuanceps erat pugna, & vtrorumque milites magna concusserat sollicitudo, expectatione tam tristis spectaculi. Tandem euictus rex ab his quorum consilijs plurimum tribuebat, flexit sententiam, & ait, malle se cum eo beneficijs certare quam maleficijs, & si eum fidum sibi deuotumque in causis reipublicæ experiretur, primum deinceps inter amicos habiturum. Hoc modo reconciliatus archiepiscopo, Aquisgrani perrexit, & aduersus ea quæ de irruptione barbarorum fama vulgauerat, eam regni partem, quantum poterat, communiuit.

Ruthardus abbas Heruelden sis monasterij v Idus Iunij decessit, vir in sacris scripturis apprime eruditus, & sic ad loquendum expeditus, vt nemo illa ætate verbum Dei copiosius, nemo subtilius, nemo elegãtius tractaret: alias in obseruatione sanctæ regulæ paululum, quam mores & tempora expeterent, remissior erat. Is miro iudicio Dei, qui quos diligit corripit, & flagellat omnem filium quem recipit, ante diem mortis suæ sensu defecit, & per continuos duos annos & sex menses phreneſi pariter & epilepsia grauissime vexabatur. Defunctus est autem, anno integro & sex mẽsibus exactis, postea quam abbatia se abdicauerat. Quod tamen factum adeo pœnitens deflebat, quoties à stupore atque hebetudine mentis paululum respirauerat, vt ambiguum esset, morboan mœrore grauius acerbiusq; tabesceret.

Mediante Iulio regressum regem de Lotharingia Wormatiam, iterum adierunt legati regis Vngariorum, orantes obnixe, vt memor affinitatis, memor actæ simul à puero ætatis, maturius subueniret expulso. Et quia preces tardius mouebant priuatis occupationibus intentum, datis XII obsidibus fidem ei firmabant, quod si eius beneficio in regnum restitueretur, deinceps ei tributarius, dictoq; obtemperans foret, & sex ei munitissimas Vngariæ ciuitates in argumentum nunquam irrumpendæ fidei traderet. Hac mercede redemptus, ilico missis circumquaq; nuncijs principes in expeditionem solemni indictione euocauit: sed alij temporis angustias, alij rei familiaris inopiam, pleriq; quod opes suæ bello Saxonico nimiũ attritæ fuissent, item alij aliud excusationis genus obtendentes, omnes pariter militiam detrectabant. Ipse tamẽ, ne tantum

reipublicæ commodum casu oblatum sua ignauia corrumperetur, gregario tantum ac priuato milite contentus, infesto exercitu ingressus est Vngariam, & nonnullas eius regiones hostiliter peragrauit. Porro Ioas qui Vngariam occupauerat, comperto eius aduentu, summa industria id operam dedit, vt in locis, in quibus irruptio hostium timebatur, nihil homines alimẽtorum, nihil animalia pabulorum reperirent, & sic ipse cum omnibus suis in quãdam insulam propter locorum difficultatem omnino hostibus inaccessibilem se contulit. Exercitus regis, qui ad tanti belli administrationem nihil sumptuum præparauerat, grauissima statim laborabat inedia, adeo vt homines plerosque, animalia pene omnia, breui pestilentia & fames consumerent. Qua necessitate compulsus rex, nullo insigni facinore perpetrato Vngaria excessit, & post festum sancti Michaelis Wormatiam reuersus, ordinatis ibi pro tempore & copia regni negotijs Ratisponam redijt: dispositum habens id quod reliquum erat temporis vsque ad Natalem Domini in peragrandis Baioariæ atque Alemanniæ ciuitatibus insumere.

Hildebrandus Papa cum episcopis Italiæ conueniens iam frequentibus synodis decreuerat, vt secundum instituta antiquorum canonum presbyteri vxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur: nec quisquam omnino ad sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamque cœlibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras literas ad episcopos Galliarum transmittebat, præcipiens, vt ipsi quoque in suis ecclesijs similiter facerent, atque à contubernio sacerdotum omnes omnino fœminas perpetuo anathemate resecarent. Aduersus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum: hominem plane hæreticum, & vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis domini quo ait, Non omnes capiunt hoc verbum, qui potest capere, capiat: & apostolus, Qui se non continet, nubat: melius est enim nubere quam viri: violenta exactione homines viuere cogeret ritu angelorum, & dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi & immunditiei frena laxaret, quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium quam coniugium deserere, & tunc visurum eum cui homines forderent, vnde gubernandis per ecclesiam Dei plebibus angelos comparaturus esset. Nihilominus ille instabat, & assiduis legationibus episcopos omnes socordiæ ac desidiæ arguebat, & nisi ocyus iniunctum sibi negotium exequerentur, Apostolicæ censura in eos animaduersurum comminabatur. Archiepiscopus Moguntinus sciens non paruo constare operam hanc, vt tanto tempore inolitam consuetudinem reuelleret, atque ad rudimenta nascentis ecclesiæ senescentem iam mundum reformaret, moderatius agebat cum eis, & primo eis in dimidium annum inducias & deliberandi copiam dedit, hortans eos, vt quod necessario faciendum sit, sponte faciant, & tam sibi quam Romano pontifici necessitatem adimant aliquid in eos, quòd secus sit, decernendi. Ad vltimum congregata synodo in Erfordia mense Octobri pressius iam imminebat, vt relegata omni tergiuersatione in præsentiarum aut coniugium abiurarent, aut sacri altaris ministerio se abdicarent. Multas econtra illi rationes afferebant, quibus instantis perurgentisque improbitatem eludere, sententiamque cassare niterentur. Cumque aduersus Apostolicæ sedis authoritatem, qua se ille ad hanc exactionem præter voluntatem propriam compulsum obtendebat, nihil argumenta, nihil supplicationes precesque proficerent: egressi tanquam ad consultandum, consilium ineunt, vt in synodum non redeant, sed iniussi omnes in domos suas discedant. Nonnulli etiam confusis vocibus clamitabant, melius sibi videri, vt in synodum regressi ipsum episcopum, priusquam execrabilem aduersum eos sententiam promulgaret, cathedra episcopali deturbarent, & merita morte multato insigne monumentum ad posteros transmitterẽt, ne quis deinceps successorum eius talem sacerdotali nomini calumniam struere tentaret. Cum ad episcopum relatum esset, hoc eos machinari, commonitus à suis, vt tumultum qui oriebatur, matura moderatione præuerteret, misit ad eos foras, rogauitq; vt sedato pectore in synodum regrederẽtur, se, cum primum opportunitas arrisisset, Romam missurum, & dominum Apostolicum, si qua posset ratione, ab hac sententiæ austeritate deducturum. Postero die admissis in auditorium communiter laicis & clericis, veterem illam de reddendis decimis querelam replicat, & quasi nihil bello Saxonico, nihil actum sit conditionibus, quibus paulo superius

in

in Gerſtingun pax conuenerat, de integro Thuringos omnes de iniuſta decimarum retentione reos addicere molitur, nec recogitat hanc cauſam originem ſeminariumq; extitiſſe omnium calamitatum, quibus per plures iam annos Reſpublica incommodiſſime vexabatur. Indigne nimis tulerunt hoc Thuringi, vtpote qui propter recentem belli ſucceſſum tumidos adhuc ſpiritus gerebant, ſibique vaniſſime perſuaſerāt, quod poſt triumphatum regem & acceptum guſtum audaciæ eorum, nullus deinceps futurus eſſet Epiſcopus, qui eis aliquam ſuper hac re mouere moleſtiam auderet. Primo tamen temperatis reſponſionibus ei ſuggerunt, non alia ſe ratione in Gerſtingun recuperandæ paci conſenſiſſe, quam vt legitima ſua à primis diebus ſtatuta, rata ſibi in perpetuum atque inconuulſa manerent. Cum hæc replicando ſurdis auribus fabulam narrare viderentur, ſubito efferata mente ſe foras proripiunt, ad arma conclamant, & ad momentum contracta ingenti multitudine in ſynodum prorumpunt, & niſi matu-rius milites Epiſcopi interceſſiſſent, & blandiendo rationemq; reddendo potius quam repugnando, quoniam viribus impares erant, ferociētis turbæ impetum inhibuiſſent, in ipſa cathedra epiſcopali epiſcopum oppreſſiſſent. Ita ſoluta eſt ſynodus tam epiſcopo quam cunctis qui aſſederant clericis vltima formidine conſternatis, & paſſim per omnes eccleſiæ angulos latebras ſibi quærentibus. Statim epiſcopus Erfordia diſcedens, reliquam partem anni vſq; ad Epiphaniam in Helegenſtat exegit, & per omnes feſtos dies inter ſacra miſſarum ſolemnia eos qui ſanctam ſynodum turbauerant, ad pœnitentiam ſub epiſcopali banno euocauit.

1075. Rex Natalem Domini Argentorati celebrauit. Cumque adeſſent quamplurimi ex principibus, quos ille dedita opera de toto regno ad diem feſtum euocauerat: habuit cum eis myſterium conſilij ſui, & eos modis omnibus ad inſtaurandum bellum Saxonicum ſollicitabat: multa in præſens largiebatur, plura in futurum pollicebatur, nullum in poſtremo vel infimæ conditionis, qui modo conficiendis tantis rebus commodus putaretur, relinquebat, quem non dato viciſſim & accepto iureiurando fidum ſibi & obnoxium faceret: cum ea potiſſimum pollicitatio omnes ad conſentiendum inflecteret, quod ſub teſtificatione iuriſiurandi ſingulis promittebat, ſi eorum auxilio Saxoniam Thuringiamque recuperaſſet, quod ipſis vtranque prouinciam pro arbitratu ſuo inter ſe partiendam & perpetuo iure poſſidendam traditurus eſſet. Ita ira æſtuans, nihil quam ſanguinem eorum qui ſe offenderant, malebat. Quod tamen anno iam integro quam maxime diſſimulauerat, adeo vt principes Saxoniæ quoties ad eum veniſſent, magnifice ſuſciperet, & ad abſentes pacifica ſæpenumero atque honorifica mandata deſtinaret.

Paucis poſt diebus Moguntiam venit, ibique occurrit ei Ruzenorum rex Demetrius nomine, deferens ei inæſtimabiles diuitias in vaſis aureis & argenteis & veſtibus valde pretioſis, petijtque vt auxilio ſibi foret contra fratrem ſuum, qui ſe per vim regno expuliſſet, & regnum tyrannica immanitate occupaſſet. Miſſus eſt protinus à rege Burchardus Treuerenſis eccleſiæ præpoſitus, agere cum illo de iniurijs quas fratri intulerat, & commonere, vt regno quod iniuſte inuaſiſſet, vltro decederet, alioquin authoritatem & arma Teutonici regni propediem experturum fore. Is legationi huic propterea opportunus videbatur, quod ille ad quem mittebatur, ſororem eius in coniugio habebat, & ipſe hac de cauſa apud regem, ne quid in illum interim grauius decerneretur, ſummis precibus obtinuerat. Ruzenorum rex Dedi marchioni Saxonico, cuius ductu eo aduenerat, à rege commiſſus eſt ſeruandus, donec legati reuerterentur.

His diebus contigit graui ſcandalo Babenbergenſis eccleſiæ ſtatum labefactari. Herimannus Epiſcopus eccleſiam in honorem beati Iacobi Babenberg foris murum proprijs impenſis extruxerat, ibique clericos xxv ſcientia, moribus, & canonicæ conuerſationis diſciplinis haud obſcuros congregauerat, & eis quæ ad victum veſtitumq; ſufficerent, affatim prouiderat. Cumq; is qué congregationi præfecerat, morbo præuentus diem clauſiſſet extremũ, nactus opportunitatem temporis, clericos expulit, & locum ipſum cum omnib. appendicijs ſuis Egbertho abbati de ſancto Michaele tradidit, ad inſtituendum illic ordinem monaſticum: non offenſus crimine aliquo clericorum, cum (vt dixi) honeſtiſſime iuxta eccleſiaſticas leges vitam inſtituerent: ſed monaſticæ conuerſationis munditia delectatus, in toto epiſcopatu ſuo, ſi fieri poſſet, hanc ſolã eſſe

vitam cupiebat, zelo quidem Dei, ſed non ſecundum ſcientiam: ſic æmulatus Rachelis pulchritudinem, vt Liæ fœcunditatem in thalamum cœleſtis ſponſi non crederet admittendam. Clerici qui expulſi fuerant, grauiter ferebãt ſine cauſa deſtitutos ſe eſſe ſtipe eccleſiaſtica, qua alebantur. Clerici quoque maioris eccleſiæ Babenbergenſis tam illorum quam ſuam vicem dolebant, quod ſcilicet non ſine magna ſui ordinis iniuria tantum Epiſcopus deferret ordini monaſtico. Igitur iunctis precibus adorti ſunt eum, obſecrantes per Deum, ne his quibus nullum crimen impingeret, ſine legitima diſcuſſione & audientia eriperet canonice ſuſcepta eccleſiaſticæ ſuſtentationis beneficia, nec ſineret eos deſtitutos ſpiritualis militiæ ſtipendiis, quibus præterea nihil amplius eſſet rei familiaris, probro & oſtentui fieri ſecularibus: Epiſcopatum Babenbergenſem paucas habere congregationes clericorum, & ideo non tam monachis ſibi opus eſſe quam clericis, quorum ipſi ſolatio diebus ſolemnibus in proceſſionibus in ſuſceptione hoſpitum vterentur: præterea eccleſiam quam nouiter ipſe extruxiſſet, loco celebri in mediis huc & illuc diuerſantium turbarum fluctibus ſitam, nec à maiore eccleſia Babenbergenſi plus xxx paſſibus diſparatam, multo clericis opportuniorem eſſe quam monachis, qui ſcilicet monachi cum abominationes Ægyptiorum immolare iubeantur Domino Deo ſuo, ſecerni à multitudine, & (ſicut ſcriptum eſt) viam trium dierum ire debeant in ſolitudinem, ne ſi ea quæ colunt & prima ducunt, ſeculares immolent coram oculis eorum, ſcandalizati lapidibus irriſionum ſuarum obruant, & infament ſanctam & Apoſtolicam vitam: ſi Deo familiarius adhæreant monachi, tanquam honeſtior & ſublimior portio corporis Chriſti, non idcirco clericos tanquam membra putrida penitus abſcindendos eſſe ab eccleſia: quia licet ſtellæ ab ſtellis differant in claritate, vnam tamen cœli faciem decentiſſime diſtinguant ſua varietate: & licet membra diſparia ſint, & ſuis ſingula functa officijs, concordi tamen, licet diſpari, famulatu neceſſitatem expleant vnius eiuſdemque corporis. Epiſcopus rec ratione mouebatur, nec ſupplicatione, aſſerens honorem quem deferret monachis, in nullo præiudicare clericis, bona autem quæ in vſus pauperum proprio labore congeſſiſſet, ſui iuris, ſui arbitratus eſſe, vtrum clericis attitularet an monachis. Clerici & inopia familiari & indignitate rei vehementer exacerbati, regis & omnium principum regni aures quotidiana proclamatione obtundebant pro iniuria ſua. Cumque nihil vſquam opis, nihil ſpei eſſet, verſi ad validiſſimum illud, quod in ſancta eccleſia vltimæ ſemper neceſſitatis vnicum eſſe præſidium conſueuit, Romam pergunt, & recitata Romano Pontifici per ordinem ſuæ calamitatis hiſtoria, Apoſtolicæ ſedis patrocinium contra tanti calumniatoris violentiam ſuppliciter implorant. Adeſt ſimul totius cleri Babenbergenſis legatio, querelam ingeminant, & Romani pontificis patientiam vehementer incuſant, cur eccleſiam Dei tam diu ſinat hominis hæretici communione maculari: qui non vt paſtor per oſtium, ſed vt fur & latro per ſimoniacam hæreſim & ingentium pecuniarum profuſionem irrepſerit in ouile ouium: qui apud prædeceſſorem eius Nicolaum Papam tanti criminis inſimulatus (vt dici ſolet) ignem gladio, hoc eſt hæreſim periurio purgauerit: qui cathedram epiſcopalem & ſanctæ prædicationis miniſterium, expers ipſe omnino literarum, contra ſacros canones impudenter occupaſſet: qui ante epiſcopatum cunctis capitalibus criminibus atque omni probrorum genere Moguntinæ ciuitati, in qua nutritus ſit, celebrem ſe ſpectabilemq; fecerit: qui pecuniariam atq; vſurariam artem, qua à puero ſit inſtitutus, poſtquam cœleſtium talentorum negotiator conſtitutus ſit, multo ſollicitius exerceat, ita vt abbatias & eccleſias intra diœceſim ſuam ſitas, quas fœde comparauerit, fœdiſſime vendat, & familiam Babenbergenſis eccleſiæ paulo ante opulentiſſimam ac bonis omnibus florentiſſimam ad ſummam redegerit pauperratem: qui nunc ſuper omnia mala ſua, vt in veſtimentis ouium liberius lupinam exerceat feritatem, & facilius illudat ſimplicium innocentiæ, transfiguratus in angelum lucis angelus Satanæ, clericos abſque vlla diſcuſſione de eccleſijs ſuis eijciat, atque omnibus in quibus poſſit locis vitam monaſticam, non tam amator religionis quam ſubdolus ſimulator inſtituat. Poſtremo per Deum omnipotentem exorant, vt tandem aliquando expergefactus Simon Petrus baculum paſtoralis zeli exerat contra lupum, improbe rapientem & diſpergentem oues Dei, & Simonem magum iterum in eccleſia Dei nummulariorum menſas & æra proponen-

ponentem, cum pecunia ſua mittat in perditionem. Romanus Pontifex iam pridem eum à ſacri altaris miniſterio ſuſpenderat. Præſenti autem relatione efferatus, abſque dilatione excommunicauit eum, ea ſcilicet ex cauſa, quod de grauiſſimis criminibus iam olim accuſatus, vt cauſam diceret, crebro per biennium Romam euocatus, venire contempſiſſet. Clericis quoque, qui ſe per calumniam expulſos querebãtur, eccleſiam ſuam reſtitui præcepit, & deſtinatis ad clerum Babenbergenſem literis, mandauit, vt ſe à communione illius abſtinerent, conteſtatus quam ſancte, quod ſi communionem aliquando ac pontificatum, quem contra eccleſiaſticas leges inuaſiſſet, nunquam deinceps ſe viuo recepturus foret. Quod vbi clericis Babenbergenſibus legati ſui retulerunt, & iram veterẽ armauit tantæ pollicitationis fiducia. Occultata interim Apoſtolicæ ſedis legatione, mittunt ad Epiſcopum, qui tunc temporis Babenberg conſiſtebat, eiq; denunciant, vt quantocyus de vrbe diſcedat, non poſſe eum vltra ſibi epiſcopum eſſe, quoniam & epiſcopatum per ſimoniacam hæreſim contra eccleſiaſticas ſanctiones coemiſſet, & eum adminiſtrare ignarus omnino literarum nõ poſſet. Atrociſſimæ per ſe legationi adiecta eſt grauis contumelia. Adoleſcens quidam ex numero clericorum & animis ferox & ætate, verſiculum breuem ex pſalterio propoſuit: Huius, inquit, capituli, non myſticum ſenſum, non allegoricam ſignificationem, ſed verbum ex verbo fidus interpres ſi mihi recte explicaueris, ego te omni quæſtione liberatum, cunctis criminibus quibus te impetimus, abſolutum, digniſſimum plane epiſcopatu pronunciabo. Ille inſolita re attonitus, cum quid hoc eſſet, vnde noua hæc & inuſitata mitium antehac clericorum aſperitas procederet, turbulentus ſciſcitaretur, & dictis atrocibus reſponſa atrociora redderet, repente in medium procedunt legati ſedis Apoſtolicæ, & præter literas quas manibus præferunt, viua voce ei ex nomine Romani Pontificis denunciant, vt nullum deinceps pontificalis officij ius poteſtatemque habeat, ſciatq; ſe Apoſtolicæ excommunicationis gladio de corpore vniuerſalis eccleſiæ præciſum eſſe, propterea quod obiectum ſibi crimen ſimoniacæ hæreſeos, toties Apoſtolicis epiſtolis Romam euocatus purgare diſtuliſſet. Præcipiunt etiam clericis Babenbergenſibus, vt nullum vltra ei tanquam Epiſcopo honorem reuerentiamque deferant, ſed ab eius communione omni modo ſe abſtineant, ne deprehenſi tanquam eccleſiaſticæ ſanctionis transgreſſores ſimilem cum eo ſortiantur excommunicationis vindictam. Ibi primum epiſcopus circumuentum ſe fraude clericorum ſuorum aduertit. Quibus acriter inſiſtentibus, vt quantocyus epiſcopatu abdicatus abſcederet, cum nulla ratione ſatisfacere poſſet, aſſererentque ſub teſtificatione nominis diuini nullum ſe in eccleſia opus Dei acturos, forte ipſo in ea perſiſtente: incertus confuſuſque animi miſit ad epiſcopum Moguntinum, fidiſſimum ſibi amicum, quem multis ſæpe beneficijs priuatim & publice ſibi deuinxiſſet, quique omnium quæ in adquirendo vel adminiſtrando epiſcopatu geſſiſſet, cõſcius ſibi particepſq; extitiſſet, rogauitq; vt quam citiſſime veniret & tumultuantem inteſtinis ſimultatibus clerum, quoque poſſet modo, compeſceret. Ille nihil moratus affuit, egitq; (vt rogabatur) cũ clericis, ne obliti pudoris ac modeſtiæ ſuæ in epiſcopũ ſuum, quem propter Deum patris loco venerari debuiſſent, ſine cauſa exardeſcerent, cum eos nec dicto, nec facto, quod iuſte in querelam vocare poſſent, ſciẽs prouocaſſet: vel ſi quid quod eos lęderet, forte inſcius admiſiſſet, ſe cognitore atque arbitro paratus eſſet quouis modo ſatisfacere offenſis: parcerent, ſi minus eius innocentiæ, at honori atque exiſtimationi propriæ, ne ad contemnendos epiſcopos ſuos cęteri per orbem terrarum clerici hoc animarentur exemplo, & rebellionis atque cõtumaciæ peſtilens hic morbus ſumpto à Babenbergenſibus initio, totum inficeret corpus gregis Dominici. Nihil illi placationis, nihil laxamẽti admittẽtes, grauiſſimis eum conuicijs conſutarunt, iuſtiſſime dicentes in eum quoq; Apoſtolicæ excommunicationis anathema procedere debuiſſe, qui hominẽ omnibus probris infamatum, & nihil in moribus, nihil in ſcientia dignum ſacerdotio afferentem, per ſimoniacam hæreſim epiſcopum ordinaſſet: nec ad excuſandas excuſationes in peccatis obtẽdere poſſe ignorantiam, cum actus eius omnemque vitæ inſtitutionem, tanquam qui in laribus ſuis diu familiariſſime obuerſatus ſit, optime cognouiſſet, & omnibus quæ in coemendo epiſcopatu acta ſint, medius ipſe atque intimus interfuiſſet. Videns archiepiſcopus obſtinatos in contentione clericos nulla ratione mitigari poſſe, ne quid pro amico ſuo

intactum intentatumque relinqueret, assumpto eo Romam ire statuit, sperans Romanum pontificem vel pecunia vel supplicatione expugnari posse, vt eum crimine atque anathemate absolueret. Sed inter eundum reputans haud satis tutum esse, vt eum non prius explorato Romani pontificis animo Romam perduceret: suasit ei in extrinsecis ecclesiæ Babenbergensis possessionibus reditum suum præstolari: & ipse cum paucis (vt instituerat) concitus Romam contendit. Quo dum venisset, vix & ægre, vt à Romano pontifice in communionem susciperetur, obtinuit, & qui in alienis criminibus patronum se parauerat, ipse de propriis insimulatus, quod Babenbergensem Episcopum per simoniacam hæresim sciens ordinasset, pene gradus sui periculum incurrerat. Ad vltimum discedenti iussum est, vt ab eius communione omni modo abstineret, & promulgatam aduersus eum Apostolicæ excommunicationis sententiam omnib. Teutonici regni principibus notam faceret, & cum primum conficiẽdę rei temporis opportunitas arrisisset, alium pro eo Babenbergensibus Episcopum ordinaret. Quod vbi Babenbergensi episcopo compertum est, nullam deinceps spem sibi reliquam, nisi in clementia Romani pontificis fore ratus, conductis qui causam suam apud sedem Apostolicam dicendi arte tuerentur, Romam perrexit. Sed Pomani põtificis constantia, & inuictus aduersus auaritiam animus omnia excludebat argumẽta humanæ fallaciæ Multis lacrymis, multis supplicationibus, multis Rhetorica arte compositis disceptationibus vix hoc solum obtinuit, vt ea conditione anathemate absolueretur, quatenus vbi primum in patriam redijsset, monasterium ingrederetur, atque ibi deinceps à cunctis in perpetuum seculi actibus feriatus, scandalizatam sua ambitione ecclesiam digna satisfactione defleret. Ita regressus in patriam, cum iussa Romani pontificis retulisset ad milites suos, quibus se multa largitione admodum popularem acceptumq; fecerat, vehementer restiterunt: indignissimum fore dicentes, & nulla retro maiorum memoria in ecclesijs Galliarum hoc accidisse, vt sine publica audientia & canonica discussione, quod nec infimis quidem gradibus competeret, Episcopus deponeretur: non hanc priuatam illius esse iniuriam: ad communem potius spectare contumeliam omnium qui tuendę Babenbergensis ecclesiæ dignitati operam suam deberent, & eius episcopo sub iureiurando fidem dixissent: & ideo extrema omnia prius se experturos esse, quam seruatum ad sua tempora illius ecclesiæ honorem sinerent fœdissimo hoc exemplo contaminari. His ille promissis animatus, neglecto Romani pontificis decreto, Babenberg redijt, ibiq; IV vel V hebdomadas commoratus, præter altaris officium, in cæteris omnibus, quæ scilicet ad exteriorem Episcopij administrationem pertinebant, nullo modo iure suo cedebat, irritam reputans excommunicationem, quam non canonice in se promulgatam cauillabatur. Quibus diebus in ciuitate Babenbergensi nullum publice actum est opus Dei, clericis refugientibus atq; omnino execrantibus communionem eius. Cæteram eius anni partem in extrinsecis Babenbergensis ecclesiæ possessionibus militum suorum præsidio fultus exegit. Verum neq; rex, neq; Episcopus, neque alius quisquam qui sanum saperet, ei communicare volebat.

Rex Pascha Wormatiæ celebrauit, quo dum ad salutandum eum quidam ex principibus Saxoniæ pergere instituissent: missi obuiam eius legati denunciauerũt, vt ocyus in sua redirent, alioquin haud tuto visuros esse faciem regis, quem post tam graues contumelias digna adhuc satisfactione non placassent. Ibi primo malum quod cerutcibus impendebat, animuduerterunt. Rex omnibus quæ bello administrando necessaria erant, affatim prouisis iam & instructis, solẽni edicto, cunctis qui in regno suo erant, expeditionem indixit in Saxoniam: diemque & locum statuit coadunandi exercitus, videlicet VI. Id. Iunij in possessione Heruelden sis monasterij, in loco qui dicitur Bredingen. Misit etiam legatos ad Saxones, qui tunc ineundi consilij gratia frequentes Goslariam conuenerant, dicere eis: memorem se grauium iniuriarum, violatæ regiæ maiestatis, & turpis fugæ, qua extremo in periculo vitæ consulere coactus fuisset: nec se cunctis generaliter Saxonibus crimẽ hoc intendere: paucos fuisse principes, qui imperitam multitudinem & naturali leuitate semper nouarum rerum auidam hac rabie inflãmassent: ab his concitatę seditionis & turbatæ reipublicæ pœnam se quoniã legibus nõ potuerit, armata manu exacturum: proinde rogare se cæteros, & sub intermination gratiæ suæ præcipere, ne hostes publicos armis aut opibus tueãtur: si obediant, veniam

veniam se eis dare veteris culpæ, quod tam inusitati facinoris socij participesque antehac extitissent: sin autem, excusationem deinceps non habituros esse peccati quod scientes prænonitique admisissent. Ad hæc Saxones, grauissimam, aiebant, habemus legationem: & nisi principes nostri de omnibus quæ obiiciuntur, iuxta magnificẽtiam regiam ei satisfacere spondeant, eos sine mora vel captos, & in vincula coniectos eius examini reseruabimus, vel in fauillam redactis omnibus quæ ad eos pertinent, Saxonia procul effugabimus. Quod si iustis & regio nomine dignis conditionibus parati sunt, vel obiecta purgare, vel quæ peccauerunt expiare; oramus & per Deum obtestamur, vt honori potius suo quam iracundiæ consulat; nec ante publicam principum cæterorum audientiam & legitimam discussionem aliquid in eos quod se non deceat, decernat; diem potius statuat; locum designet; copiam det tuto coram veniendi & tuto causam dicendi, vt secũdum palatinas leges iusta examinatione habita, vel puniat cõuictos, vel absoluat innocentes: quod si ira immoderatior nullam admittit satisfactionem, nec alio pacto quam sanguine principum nostrorum restingui poterit, quid prodest ambiguis responsionibus sententias inuoluere? Extremæ impietatis fore iudicamus, vt principes nostros deseramus, & eos pro nobis iugulandos obiiciamus, quos haud dubie scimus nullo priuato odio vel gratia, sed sola tuendæ salutis nostræ, & vindicandæ libertatis nostræ causa contra regem arma sumpsisse. quapropter id supplices petimus, vt eadem nobis & illis venia concedatur admissæ præsumptionis: aut si nulla supplicationum victima expiari potest quod fecimus, eodem in nos & in illos supplicio animaduertatur. Tunc Bucco Halberstatensis episcopus, Wecel archiepiscopus Magdeburgensis, Magnus dux Saxoniæ, Otto dux quondam Baioariæ, & cæteri principes quos rex specialiter tam truculenta comminatione impetebat, dixerunt, nequaquam se sibi conscios esse, quod pacem quæ anno priore in Gerstingun conuenerat, facto aliquo vel dicto violassent. Nam si rex instinctu eorum vel consilio factum suspicaretur, vt ecclesia in Hartesburg incenderetur, thesauri diriperentur, corpora sepulchris eiicerentur, aut aliud aliquid contra statutum illius conuentionis perpetraretur; paratos se esse, vt quauis conditione quam modo cæteri principes regni æquam iudicassent, crimen refellerent, & innocentiam suam assererent; insuper ipsam ecclesiam propriis impensis ambitiosius quam fuerat instaurarent; amplioribus ornamentis excolerent; omnia etiam, quæ ineptum vulgus maligno spiritu suscitatum ausu nefario infregisset, diripuisset, temerasset, multiplicius restituerent, super hæc omnia auri & argenti & prædiorum suorum, quantum saluo pudore suo & regni maiestate accipere vellet, prompta mente darent, dum modo in gratiam rediret, & gladium quem in ceruices eorum, & in euersionem totius Saxoniæ iratus extenderat, placatus remitteret in vaginam. Quod si obstinatum aduersus omnes preces & supplicationes animum gereret, se deinceps contra eum nec arma laturos nec aciem instructuros, sed nudis pedibus venienti obuiam processuros, & sententiam quamcunque vel iratus dictasset, porrecto iugulo excepturos. In hæc verba nuncios regis dimiserunt, & ipsi protinus suos eadem ad eum responsa deferentes destinarunt. Quos vbi rex aduenire comperit, præcepit vt nulla ratione in conspectum suum admitterentur, mandauitque eis per occultos indices, vt quantocyus recederent, nec se oculis eius cui contumeliam feciissent, sic temere ingererent; alioquin regia censura coerciturum se hostes publicos & insidiatores regni, qui sub prætextu legationis mendacia sua per populum sererẽt ad sollicitandos animos principum, & expeditionem suam impediendam. Ita legati sine effectu reuersi sunt. Iterum alios atque alios miserunt: sed eodem omnes rigore obfirmatas contra se tam fores quam aures regias inuenerunt. Semel cum vnus legatorum captata loci & temporis opportunitate se improuisus in conspectum regis proripuisset, & quæ in mandatis habebat proloqui cœpisset; vix ad primum sermonis exordium, dato silentio, statim cum graui indignatione reiectus est, & cum ab Vdalrico quodam regio satellite in crastinum serandus, abductus vel potius abreptus fuisset, proximo mane elusis custodibus vix vita comite effugit. Dehinc crebris legationibus adorti ducem Rudolphum, ducem Bertholdum, ducem Gozelonem, & cæteros principes quos superiore bello coniurationis socios habuerant, fidem implorant, fœderis quod pepigissent admonent, obtestanturque per Deum, per cuius nomen in vnius eiusdemque militiæ

sacramenta iurassent, vt adsint periclitantibus, & sicut prius gerendo bello fauorem suum, ita tunc reparandæ paci, quoniam eos belli pœniteat, auxilium consiliumque suum non subtrahant. Sed regis prudentia, qua supra ætatem suam mirum in modum callebat, omnia sepserat, omnes vias, omnes aditus obstruxerat: siquidem à cunctis principibus suis iusiurandum acceperat, quod nullas eorum legationes se inconsulto susciperent; quod eos nec armis publice nec consiliis secreto tutarentur; nec sibi pro eis preces aliquando supplicationesque deferrent, donec se acceptæ ab eis ignominię maculam digna animaduersione eluisse, ipse iudex testisque fateretur. Ita quocunque intendissent, quamcunque viam pertentassent, omnia offirmata, implicata, impedita repererunt. Exin crebra per Saxoniam Thuringiamque cõuenticula faciunt, quid facto opus sit consulunt, discussis & euentilatis omnibus, quæ tanto malo remedium aliquod polliceri videbantur. Cum nulla vsquam humani auxilij spes eluceret; statuunt vnanimiter, à Deo sibi deinceps quærendum esse subsidium, qui solus tam obstinatam regis ferocitatem emollire, & rem implicitam expedire queat. Iubent ergo, vt per totam Saxoniam & Thuringiam depositis cultioribns indumẽtis, facco & laneis vestiantur; cibo & potu statutis diebus abstineant; sumptus in pauperes pro sua quisque re familiari conferant; & per ecclesias nudis pedibus discurrentes, Deum communi lamentatione deprecentur, vt manum suam quæ humano vbique cessante adiutorio sola iam possit opitulari, vndique conclusis ad ereptionem eorum extendat. Præterea placet, vt die quo regis exercitus iuxta publicam indictionem in Bredingen coadunandus conueniret, ipsi in loco qui dicitur Lupezen, sex millibus ab eis disparati castra locarent, & iterum atque iterum repetitis supplicationibus aures eius & principum eius obtundentes, si euincerent, gratias Deo; sin autem, in eodem loco venientem præstolati, collatis signis æquissimo iudici Deo rem committerent. Superueniunt etiam hinc Luticiorum, hinc Polonornm nuncij, suam vtrique operam, socias manus & pares ad cuncta quæ belli artibus transigenda sint, animos pollicentes; & quod parati sint die quem Saxones designauerint, armatorum copias quam maximas in Saxoniam mittere: vel si hoc malint, contra Danos, & alias gentes quas vulgatum erat ad irruptionem Saxoniæ à rege sollicitatas esse, stationes iugesque excubias agant, vt hac parte sollicitudinis exonerent alias occupatos. Hoc nuncio paululum recreatis animis digressi, quantum temporis supererat, vsque ad diem coadunandi exercitus, in ieiuniis & vigiliis exigunt, ecclesias indefessi obsident, in cinere volutantur & cilicio, noctes perinde ac dies precibus insumunt, nullum postremo religionis genus quod ad placandum Deum ecclesiastica traditione comparatum sit, prætermittunt: sed ira Dei quæ in eos exarserat, maior erat, quam vt lachrymis restingui, hostiis & muneribus mitigari posset. Rex Pentecosten Wormatiæ cum paucis celebrauit: principibus in præparationem militiæ singulis priuata sollicitudine occupatis. Statuta die venit in Bredingen cum infinita multitudine, planeque omnium vnanimi consensu constitit nulla vnquam retro maiorum memoria tantum exercitum, tam fortem, tam militariter instructum in regno Teutonico, à quoquam rege contractum fuisse. Quicquid in regno episcoporum erat, quicquid ducum, quicquid comitum, quicquid ecclesiasticarum aut secularium dignitatum; omnes summa vi, summa ope, in hoc bellum enisi conuenerant: nemo prorsus, nisi quem forte grauis admodum & omnino inexplicabilis necessitas excusasset, aberat. Episcopus Colonienſis causatus impium fore, si calamitatis quæ oppressura esset fratrem suum Magdaburgensem episcopum, & consobrinum suum Halberstatensem episcopum, spectator adesset, vacationem impetrauerat, haud grauate hoc concedente rege, eo quod post primam defectionem inuisum semper eum suspectumq; habuisset. Leodiensis episcopus vir præter decrepitam ætatem longa etiam ægritudine exhaustus, reginam interim seruandam susceperat, & hac occasione ipse quoque militia defungebatur. Vterque tamen milites suos amplissimo numero transmisit. Dux quoque Boemorum aderat tanto stipatus agmine, vt se solum bello Saxonico sufficere posse, vana spe elusus, arbitraretur. Wideradus abbas Fuldensis, præter quod ab ineunte ætate vno pede grauiter claudicauerat, iam per biennium ita paralysi dissolutus erat, vt nisi baculo aut ministrorum humeris innixus nusquam progredi posset. Eum tamen nec iam molesta valetudo excusare poterat à militia, id

potissi-

potiſſimum curante rege, vt omniũ principum ſuorũ titulis ac faſcib. quã maxime inſignẽ faceret expeditionem. Cumq; ad locũ coadunandi exercitus, feruentiſſima æſtate, vehiculo ſedens pergeret, ſtrepitu circumfuſæ multitudinis, & vi concitati pulueris ſuffocatus, pene ſpiritum exhalauerat. Relatus in monaſterium à ſtupore quidem mẽtis poſt paululum reſpirauit; nullum tamen vltra verbum proloqui potuit; atque ita deinceps per vi hebdomadas grauiſſima corporis moleſtia decoctus, XVII calendas Auguſti humanis rebus exemptus eſt. Vir plane feruentis in Deum fidei, ſuis tamen omnibus admodum inuiſus, propterea quod in diebus eius Fuldenſe nomen multis calamitatibus vehementer attritum, & pene omnino obliteratum fuiſſet. Sed ad cœptum, vnde digreſſi ſumus, redeamus. Miſſi à rege exploratores ſpeculari exercitum Saxonum, retulerunt eos multitudine & armis haud impares, cætero belli apparatu etiam ſuperiores eſſe; opes multas & ſufficientes in longum quoque tempus ſumptus conuexiſſe; nihil permotos tantorum hoſtium aduentu, in proximo caſtra locaſſe; poſt laborem itineris ocioſo iam animo fixis tentoriis recreando corpori indulgere; hoc ſtatuiſſe, vt legatos ſupplices de pace mittant, ſi non impetrent, æquo certamine adoriantur venientes. Facile & contemptim hoc auditum eſt ab his qui cum rege erant, paſſim iactantibus, nec ferreas vel adamantinas acies multitudini & virtuti ſuæ inexpugnabiles fore; ſecum eſſe militem lectiſſimum, qui in faciendis ſtipendiis ætatem exegiſſet, & quem ſinguli principes diligenti delectu habito de toto orbe exquiſiſſent: illic vulgus eſſe ineptum, agriculturæ potius quam militiæ aſſuetum, quod non animo militari, ſed principum terrore coactum cõtra mores & inſtituta ſua in aciem proceſſiſſet, & ideo non expectaturum, vt commiſſo certamine comminus ſtricto enſe feriret & feriretur, ſed ante commiſſum prælium ſolo concurrentis exercitus ſtrepitu & clamore terrendum, fugandum, & fundendum eſſe. Rex non tam metuebat, ne prælio quam ne ſupplicatione vinceretur, neue principes ſui eis bellum inferre religioſum ducerent, qui ſe ad quaſcunque conditiones pacatiſſimos præberent, & ignominiæ ſuæ vindicta, qua nihil ardentius cupiebat, è manibus ſibi raperetur. Hoc præcauens quam maxime ſatagebat, vt ante exercitus committerent, quam legati Saxonum pacem poſtulaturi venirent; plurimum in hoc ipſum annitente duce Sueuorum Rudolpho, propterea quod anno priore regnum affectaſſe infamatus, ſuſpicionem hanc nouis erga regem ſtudiis abſtergere cupidiſſime volebat. Profectus rex de Bredingen, die prima venit in Elenen, ſequenti die præcipitato nimium gradu duorum pene dierum iter confecit, atque in Beringe caſtra poſuit, haud multo à Saxonibus interuallo. Iam fixis tentoriis ſinguli, quæ exhauſtis laſſitudine corporibus neceſſaria forent, circumquaque diſperſi prouidebant. Rex etiam refrigerandi gratia ſe in lectum reclinauerat cum ſubito dux [Sueuorũ] Rudolphus ingrediens, nunciat Saxones breuiſſimo ſpacio abeſſe, & incertum, negligentes an ignaros aduenientium hoſtium, inter epulas & pocula ineptis laſciuire luſibus: qui ſi vel ad punctũ temporis inultum habeãt, quod ſumpta contra rempub. & leges maiorum, arma ſic improbe cõſpectibus regis inuexiſſent; ignominiam hanc Teutonici regni nullis deinceps ſeculis abolendam eſſe: placere ſibi cum adhuc maior pars ſuperſit diei, vt acies inſtruatur, prælium committatur; vel ſi prælium detrectantes intra caſtra ſe tutentur, ipſa caſtra admoto exercitu expugnentur. Rex ei pronus in terram gratias agit, & huius beneficij quoad viuat nunquam ſe immemorem futurum, Deo in teſtimonium aſcito pollicetur. Ita ambo ſe tentorio proripiunt; dato ad pugnam ſigno ocyus omnes aſſunt; longe lateque patentes cãpos occupant; ſinguli duces ſuas ſeorſum legiones inſtruunt, & quia nec ſitus loci nec multitudo patiebatur, vt vno eodemque tempore omnibus vna fieret manus conſerendi copia: datum negotium eſt duci Rudolpho, vt ipſe cum ſuis prima acie confligeret, peculiari ſcilicet Sueuorum priuilegio, quibus ab antiquis iam diebus lege latum eſt, vt in omni expeditione regis Teutonici ipſi exercitum præcedere, & primi cõmittere debeant: cæteris iuſſum, vt propter aſſiſtentes pugnantibus, prout res poſceret, auxilio concurrerent. Rex in quinta erat legione, quam ex lectiſſimis & erga ſe admodum ſpectatæ fidei iuuenibus ſtipatam ornatiſſimamque inſtituerat. Ita paulatim ſeruatis ordinibus ad caſtra Saxonum procedunt. Saxones qui ſibi ſtultiſſime perſuaſerant, ſpacium illud quo à rege aberant, vix ab equite expedito, nedum ab exercitu, ſar-

cinis aliisque impedimentis implicato, vno die transmitti posse, nihil minus quam regem eo die ad se peruenturum, suspicabantur: ideoque vana securitate resoluti omne studium ab armis ad curam corporum vetterant. Cum repente conspicantur cœlum puluere obtenebratum, exercitum super arenam maris innumerabilem, totam adiacentis campi latitudinem instar locustarum occupasse, & fere iam emenso quod in medio erat spatio, ad ipsa castra opprimenda, nisi maturent egredi, citato paululum gradu properare: inopinata re trepidi, & se inuicem inertiæ, quod hostem non præuidissent, incusantes, protinus sublatis in cœlum vocibus cõclamant, arma rapiunt, portis prorumpunt. Pauci loricis corpora muniunt: cæteri dum morarum impatientes ruunt, nec vestes, quibus se paulo ante (largiori otio indulgentes) exuerant, resumere meminerunt. Nullus alterum cunctantem operitur, sed singuli passim, prout ocyus seriusue arma expedierant, accurrunt; quam plurimi etiam trans fluuium Vnstrut longius metati, prius infœliciter gestæ rei quam committendi certaminis nuncium acceperunt: nec legiones ordinare angustia temporis sinebat, nec militem adhortari, nec castra consuetis stationibus munire, nec aliud quicquam facere, quod militatis disciplinæ solennitas exigebat. Repentinus regis aduentus omnia præuerterat. Vix tandem ex illa trepidatione resumpto spiritu, cum in globum densissimum tumultuaria se statione stipassent, non expectato signo (vt consuetudo est pugnaturis) equis subdunt calcaria, & summo nisu præcipites feruntur in aduersarios, haud procul ab Hohenburg: nec impetum sustinere vel ad horam Sueui potuissent, nisi loco motis iamque pedem retro ferentibus dux Welf cum exercitu Baioarico concurrisset. Prima certaminis procella hastas & lanceas consumpsit: reliquam partem gladiis, qua pugnandi arte plurimum excellit miles Saxonicus, peragunt, præcincti singuli duobus vel tribus gladiis: tantaque vi, tanta ferocitate, tanta feriendi calliditate grassantur, vt hostibus etiam non minus admirationi quam terrori essent. Ibi Ernost marchio Baioariorum, vir in regno clarissimus, & multis sæpe aduersum Vngarios victoriis insignis, grauiter vulneratus est & cum in castra semiuiuus relatus fuisset, postero die expirauit. Ibi Engilberthus comes; ibi duo filij Eberhardi comitis de Ellenburg; ibi quam plurimi nobiles ex Sueuis; quam plurimi ex Baioariis corruerunt; paucique admodum sine vulneribus prælio excesserunt. Rudolphus dux multis sæpe gladiis impetitus, quanquam tenacissimæ loricæ præsidio ictus omnes frustraretur, multis tamen ex assidua contusione membrorum affectus, est incommodis. In exercitu Saxonico præclarissime enituit virtus Ottonis ducis quondam Baioariæ: is fortissimis iuuenibus septus modo in prima acie pugnam lacessere, vbicunque acrior vis hostium incubuisset, comminus adesse, insistentium vultus gladio ferire, per hostiles cuneos quaqua versum viam sibi ferro parare, modo in postremis cessantes adhortari, causæ qua arma sumpserant, admonere, & vt nunc, quod sæpe quam sancte iurassent, libertatem suam manu vindicarent, omnes in commune per Deum obsecrare. Strenue profecto & egregij militis, & optimi ducis officio fungebatur. Protractum à media die vsque in horam nonam certamen iam in eo erat, vt duo duorum regnorum exercitus Sueuiæ & Baioariæ terga verterent. Et regi frequentes nuncij salutem suorum in extremo sitam nunciabant, cum repente ex vno latere Herimannus comes de Glizberg, ex alio latere Babenbergenses milites signa inferunt. Tum dux Boemorum, tum Gozelo dux Lotharingorum multis prius periclitantium in prælio legationibus & supplicationibus fatigatus, suas vterque copias incitatis ad cursum equis immittit. Non vitra Saxones vim multitudinis sustinere poterant; paulatimque cedentes, cum inclinatas iam ad fugam acies dux Otto restituere obsecrando, increpando, inertiam desidiamque exprobrando diu multumque conatus fuisset, tandem versis frenis omnes diuersas in partes aufugerunt. Tum vero (vt semper in fuga hostium ignauissimis & fortissimis par solet esse audacia, par gloria) omnes in exercitu regis legiones confusis ordinibus, omnes etiam plebeii ac rustici, qui castrorum vsibus seruilem operam dependebant, ocyus se ad persequendos fugientes expediunt, equos calcaribus enecant, latissimos campos dicto citius transuolant, obstantia quæque conculcant. Fugientes cum in castra, tanquam illic latibulum habituri, se recepissent: captis castris & direptis exagitant, loca omnia per quæ fuga est per milliaria duo vel tria circumquaque cædibus cruentant, ca-

dauerum

dauerum aceruis exaggerant. Et quia concitatus vngulis equorum puluis oculis prospectum, rebus discrimen eripuerat, vt haud facile socios ab hostibus visu caligante secernere possent, quam plurimos ex sociis suis, dū hostes arbitrantur, interficiunt. Principes Saxoniæ & nobiles, præter duos mediocri loco natos, omnes viui integrique euadunt; tum peritia locorum, tum obtenebrati aeris densitate, tum equorum velocitate commodissime vsi. Porro in vulgus pedestre, quod congressis equitibus adhuc in castris resederat, ita vltra modum omnem modestiamque debacchata est hostilis feritas, vt Christianæ verecundiæ obliti, pecudes sibi non homines iugulare viderentur. Plurimam etiam partem fluuius Vnstrut, dum metu gladij imminentis præcipitantius irruunt, absorbuit. Cædi nox finem fecit. Et quod vltra fluuiū persequi fugientes, haud satis tutum putaretur, conuersi milites ad spolia diripienda, tantam in castris hostiū inuenerunt ciborum affluentiam, tantam auri & argenti vestiumque preciosarum multitudinē, vt non ad bellum inferendū, sed ad epulum præbendū regis exercitui, & ostentandam opum suarum magnificentiam occurrisse viderentur. Rex paulo post occasum solis inter faustas (vt solemne est) militum acclamationes in castra reuertitur, lætus & æstuans gaudio, quod hostes infestissimos insigni victoria subegisset, maximē iactantibus passim militibus, quod illos & illos de primis principib. Saxoniæ manu ppria peremisset. Cumq; ad locum congressionis reuersi, alius dominum suum, alius patrem, alius fratrem, alius cognatum, aut alia quauis necessitudine sibi deuinctum in acie corruisse reperissent; lętitia omnis in mœrorem, cantus versus est in vocem flentium: planctu & vlulatu castra vniuersa perstrepebant. Sequentem diem in eisdem castris agētes, occisos terra obruunt. Qui clariores inter eos ditioresq; extiterāt, in patriā vnde quisque oriundus erat, sepeliendos remittunt; vulneratis curā adhibent; quos militiæ in reliquum inutiles vulnera reddiderant, suis in patriā curandos destinant. Nec facile æstimari poterat, quot hac, quot illa in acie cæsa essent millia: hoc tamen palam constante, plus hic nobilium, plus illic cecidisse plebeiæ multitudinis, & propter amissionem clarissimorum virorum maius victores quam victos tulisse dispendium. Mœrore & luctu affectis omnibus grauior accessit dolor & facti pœnitentia, comperto quod principes Saxoniæ, quos ad vnum interfectos pridie vano rumore vulgauerant, omnes integro numero viuerent, atq; ad iterandum prælium nouas denuo copias pleni animorū contraherent. Grauiter nimis ferebant, & inter se haud obscuris mussitationib. fremebāt, quod maximo sui piaculo, minimo reipublicæ emolumento, manus suas innoxiæ plebis sanguine polluissent. Rex ipse quam plurimum verebatur, ne miles in irritum fusi tanti sanguinis pœnitens, religionis obtentu deinceps militiam detrectaret, quam sine peccato & graui offensa Dei administrare non posset. Pessimæ rei pessimum Moguntinus archiepiscopus remedium adhibuit. Collato cum paucis familiaribus regis consilio repente processit in publicum, & principes Thuringiæ nec canonice ad synodum euocatos, nec synodali audientia secundum ecclesiasticas leges discussos, præcipiti sententia excōmunicauit; ea scilicet causa, quod eum anno priore Erfordiæ, cum ad exigendas decimas assedisset, districtis gladiis intra ecclesiam impetissent. Et ne quis ei forte hoc crimini daret, quod contra canonum scita miseros homines tam inexplicabilibus negociis ad præsens implicitos, tam iniquo tempore adortus fuisset, quando tantis vndique bellorum procellis iactati, non causis dicendis vacare, sed vitam suam fuga vel armis seruare necesse haberent: ait à Romano pontifice sibi hoc permissum esse vt absque legitimis induciis, absque legitima discussione, die quo sibi occurreret, eos iusto anathemate ab ecclesia recideret. Nullum tamē sapientem latere potuit, quo potissimum spectaret hoc factum, eo scilicet, vt exercitus regis promptior deinceps fidentiorque aduersum eos bellum gereret: de quorum occisione, si post excommunicationem occisi fuissent, putaret, se nec peccatis obnoxium fore, nec pœnis quas leges ecclesiasticæ statuunt homicidis. Igitur mouit exercitus de loco certaminis, & transita Thuringia ingressus est Saxoniam, omnia circumquaque ferro & igne depopulans, tantasque in villis singulis reperit opes, fœcūdissima scilicet regione, & nullis antehac bellis attacta, vt auidissimæ plebi castrorum, quæ sola spe rapinarum exercitum sequebatur, copia pareret fastidium. Rex tamen assiduas ad principes Saxoniæ legationes, tum suo, tum principum suorum nomine destinabat, hortans eos, vt se dederent, atque

in clementia eius potius quam in armis suis, quæ semel infeliciter tentassent, spem sibi deinceps ponerent. Sed illi haud dubiis indiciis compertum habentes, quanto in eos odio æstuaret, extremæ dementiæ esse iudicabant, vt ei præcipitanter sanguinis sui ius potestatemq; facerent, cuius iram tantis ante expeditionem supplicationibus mitigare nequiuissent: tamen mandauerunt ei verbis supplicibus, se pacem quam bellum, clementiam eius quam indignitatem semper maluisse, & eam si alio precio quam proprio sanguine redimere potuissent, nunquam ad hęc extrema audenda experiendaque processuros fuisse. quod si vel nunc saltem post illatam cladem cor eius tetigisset Deus, vt calamitatibus eorum condoleret, quos pene vsque ad internicionem prostrauisset se hoc gratanter amplecti, & obliteratis à corde suo omnibus malis, quibus in eos iram odiumque suum expleisset, deinceps ei fidos deuotosque futuros: si autem hoc aliter quam per deditionem fieri non posset, cõsultius sibi esse, vt salua existimatione sua, incolumi libertate sua, in congressione publica morerentur, quam dediti ritu pecudum iugularentur, vel diu in custodia habiti, insuper fame & siti aliisque cruciatibus macerati omni morte tristiorem vitam exigerent. Ad vltimum iussu regis profectus est episcopus Moguntinus, & alij quidam ex principibus, & hæc eadem viua voce cum eis egerunt, obsecrantes eos per Deum, vt postquam male auspicato rem certamini commisissent, & cladẽ multis posthac sæculis non abolendam accepissent; nunc saltem malo suo coacti, resipiscerent à stultitia, nec se gentem suam obstinata desperatione omnino perditum irent, se in conspectu omnia cernẽtis Dei fidem suam interponere, quod si se vltro dedissent, aut eadem die, aut breuissimo post tempore deditione absoluendi essent, saluis sibi dignitatibus, beneficiis, prędiis, & aliis facultatibus suis. E contra illi satis sibi aiebant re ipsa cognitam & spectatam esse, & principum fidem, & regis atrox atq; implacabile ingenium, cum post illas conditiones pacis, quas priore anno in Gerstigun rex principibus suffragium ferẽtibus, quam sancte firmasset, tam crudeliter in eos culpæ quam tunc condonauerat, vindictam exercuisset, nec principum fides periclitantibus quicquam opis prędidiiq; cõtulisset: proinde frustra eos rogare, vt fidem suam nunc experiantur quasi incognitam, quam in campis Thuringiæ luce clarius multo suo incommodo experti fuissent. Ita defixi in sententia persistentes, haud procul à Magdeburg locis munitissimis se continebant: quia licet multitudine abundarent, cõgressionibus tamen deinceps abstinendum, nisi ineuitabilis necessitas incidisset, decreuerant. Tamen Vdo marchio [pro se] & episcopus Merseburgensis, & pauci alij nobiles Saxoniæ deditioni consenserunt: ex quibus Vdo marchio dato pro se obside filio suo, statim deditione absolutus est: episcopus in monasterium Loressan missus; alij diuersis principibus, vt ad tempus seruarentur, commendati sunt. Rex vsque Halberstat cum exercitu venit, omnia, vt cœperat, circumquaque ferro & igne depopulans. Goslariam quoque cum paucis perrexit, parcens loco ditissimo, & sibi semper gratissimo, ne quam admissa multitudine sentiret deprædationis iniuriam. Cumq; exercitus indies fame & siti deperiret, veteri frumento partim igne partim tantę multitudinis vsibus absumpto, nouo autẽ necdum maturo; cumq; spes nulla esset sine largioribus indueiis & maioribus impensis bellum hoc confici posse: exoratus rex à principibus Saxonia excessit, & transitis finibus Thuringiæ, vbi Eschenewege peruenit, exercitum dimisit, accepta à principibus firmissima sponsione, quod ad iterandam expeditionem 11 calendas Nouembris, maiores & ambitiosius instructas sibi in Gerstigun copias adducturi essent. Quo in tempore nunciatum est regi Dietwinum Leodiensem episcopum, virtutum multis ornatum virtutibus, & per plures iam annos sacerdotio perfunctum ab hac luce migrasse: cui protinus rex per interuentum Gozelonis ducis, propter eius excellens in militia meritum, successorem constituit Heinricum quendam Verdunensem canonicum, ipsi duci consanguinitate proximum. Quo ille beneficio regi deuinctus, operam suam futuræ expeditioni quam maximam pollicebatur. Rex dimisso exercitu concitus Wormatiam venit. Nec multo post Burchardus præpositus Treuerensis ecclesiæ, qui ad regem Ruzenorum legatione regia functus erat; [tantum regi deferens auri & argẽti] & vestium preciosarum, vt nulla retro memoria tantum regno Teutonico vno tempore illatum referatur. Qua regem mercede ad hoc tantum redimere volebat rex Ruzenorum, vt fratri suo quem regno expulerat, aduersum se non præberet auxilium:

quod

quod certe gratis etiam impetrare potuisset, quia intestinis ac domesticis bellis occupatus, ad externa tamque remotis gentibus inferenda bella, nullo modo vacabat. Per se magno muneri magnum addidit precium temporis opportunitas. Nam ingentibus recentis belli expensis ærarium regis exhaustum fuerat, & miles vehementer instabat, nuper exactæ militiæ præmium efflagitans: cui nisi ad votũ regia largitione satisfecisset, haud dubie constabat, quod eum ad reliquam negotij partem, quæ profecto maior restare timebatur, minus deuotum habiturus esset.

Moguntinus archiepiscopus efferatus in Halberstatẽsem episcopum, pro eo quod per eum potissimum stetisse videretur, ne Saxones deditioni consentirẽt, spirituali arma tura debellare parat, quem militari manu non potuerat. Legatum ei mittit, eumq; ad synodum euocat, intentãs ei crimen periurij, ea de causa, quod contra rempub. cui sub iureiurando fidem spopondisset, instructam aciem dux ipse belli duxisset: & hac occasione episcopatu eum deturbare, si vota sequatur effectus, machinatur, parum recolens, seipsum eadem noxa teneri, quia & ipse & cuncti principes regni, qui nunc partium regis erant, in hæc eadem contra regem bella à principio coniurauerant. Sed nuncius metu hostium, per quorum terras transeundum erat, retardatus est, ne ad legitimas inducias, sicut solemne est, ei diem diceret. Atque ita ineptum consilium eadem leuitate euanuit, qua cœptum fuerat. Synodum tamẽ eodem anno mense Octobri Moguntiæ congregauit, vbi inter alios Episcopos qui conuenerant, aderat Curiensis Episcopus, Apostolicæ sedis literas & mandata deferens, quibus ei sub interminatione gradus & ordinis sui præcipiebat, sicut antea quoque multis legationibus præceperat, vt presbyteros omnes qui intra suam diœcesim essent, cogeret aut in præsentiarum coniugibus renunciare, aut se in perpetuum sacri altaris ministerio abdicare. Quod dum facere vellet, exurgentes qui vndiq; astidebant clerici, ita eum verbis confutabant, ita manibus & totius corporis gestu in eum debacchabãtur, vt se vita comite synodo excessurum desperaret. Sic tandem rei difficultate superatus, statuit sibi deinceps tali quæstione omnino supersedendum, & Romano pontifici relinquendum, vt causam quam ipse toties inutiliter proposuisset, ille per semetipsum quãdo & quomodo vellet peroraret.

Heinricus Spirensis Episcopus, cum iam thesauros ecclesiæ Spirensis pene omnes puerili leuitate dilapidasset, & prędia militibus suis in beneficium erogasset [tempore Heinrici tertij imperatoris] & tantum, vt vix in dimidium annum sumptus ei ex reditibus ecclesiæ ministrari possent, inopinata morte subtractus est. de cuius obitu dignam memoria visionem vidit clericus quidã, qui ei defuncto protinus in episcopatum successit, nomine Huzmannus. Putabat se in choro Spirensi cum episcopo & cæteris clericis stare: & ecce ingrediebantur chorum tres viri: vnus exacta ætate, canicie venerãda: duo iuuenes tanquam in obsequium senioris destinati. Cumq; in medio chori aliquandiu taciti constitissent, ait senior his qui circa se erant iuuenibus: Quid tardatis, quod vobis iussum est explere? At illi, Tuum, inquiunt, pater est primo aduersus eum dictare sententiam, & nos sine dilatione quicquid iudicaueris exequemur. Et ille, Propter multa, inquit, mala, quæ in locum hunc & in sanctam Dei genitricem operatus est, egressa est à Deo sententia, vt interficiatur. Ad hanc vocem corripientes episcopũ decollauerunt, & truncum in ligno crucis, quod in eadem ecclesia in sublime elatum stabat, suspenderunt. Cumque mane facto, clericus nimio horrore concussus, episcopo somnium retulisset, visus est ei quasi deliramenta loqui, & propter sospitatem corporis sui optimeque constantem omnibus membris vigorem suum, nullum tam è vicino imminẽtis exitij sensum admisit. Et ecce septimo dehinc die, cum ad vespertinalem synaxim cum fratribus in choro staret, sensit repente paruulam sibi instar puncti pustulam in collo excrescere, qua paulatim in immensum intumescente, ante mediam noctem defunctus est.

Post abductum de Saxonia regis exercitum, iterum Saxones & Thuringi crebra conuenticula faciebant, in quibus plebs contra principes, & principes contra plebem grauissima simultate tumultuabantur. Succensebat plebs principibus, quod cam ad sumenda contra regem arma importunis suasionibus impulissent, & nunc cum ad certamen ventum esset, ipsi fuga elapsi, plebem prosternendam, conculcandam,

& ritu inertium pecudum iugulandam hostibus exposuissent. Irascebantur principes plebi, quod ipsis in aciem progressis, & pro numero suo satis impigre fem gerentibus plebs intra castra inerti ocio desedisset,& periclitantibus plurimũ irritę spei,nihil opis præsidijque diu expectata contulisset. Tum vero omnes in commune Saxones, omnes Thuringos infestissime auersabantur,& cum his iustius quam cum rege bellum sibi fore dicebant,quod in fugam verso Saxonico exercitu, Thuringi per omnes vias & compita oppositi,fugientes inuaderent,raperent, lacerarent, & ignominiosa nuditate fœdatos de suis finibus effugarent: Iam in eo erant, vt ad vim magnumq; aliquod malum iurgia spectare viderentur: sed episcopus Halberstadensis & Otto dux quondam Baioariæ, quorum potissimum consilio bellum Saxonicum administrabatur, efferatæ multitudinis animos salubri moderatione mitigabant: orantes eos per Deum, ne arma quę pro vindicanda libertate sua cõcorditer sumpsissent, nunc diabolico furore raptati, in propria viscera retorquerent, neu hostibus suis qui luctuosam à se victoriam reportassent, per intestinam hanc seditionem animos audaciamq; repararent: præterea cernẽtes, quod infractam prima aduersitate plebem vehementer iam belli pœniteret pariter & tæderet: veriti etiam (vt semper variũ & instabile est plebis ingenium) ne ipsos principes captos regi traderent, & suam salutem eorum sanguine redimerent, retulerunt ad eos de pace instauranda, suaseruntq;, vt quomodo semel accepta clades belli, cuiuis tædium horroremq; incussisset, omnem nunc operam verterent ad placandam regis aduersum se indignationem. Gratanter nimis hoc auditum acceptumque est ab omni plebe: statimq; Episcopum Bremensem, & Vdonem marchionem collato consilio ad regem miserunt, orare per Deum, vt saltem nunc sanguine eorum exsaturatus, iracundiæ suæ modũ poneret, nec exiguum gẽtis Saxonicæ, quod atrocissimæ cædi superfuerat, vsq; ad internicionem deleret: diem potius locumq; constitueret, quo tuto venire, tuto causam dicere liceret: se iuxta iurisdictionem omnium regni principum, de omni iniuria qua se læsum diceret, paratos ei ad votum satisfacere: omnem prostremo satisfactionem proponere, omnia salua modo vita & libertate libenter passuros fore, si tantum expeditionem, quam aduersum se omnibus regni principibus indictam comperissent, ad tempus inhiberet. Ad hæc rex ait, se nec eis, nec cuiquam iustam satisfactionem de culpa proponenti veniam negaturum: de tanto autem tamque atroci negotio præcipitanter sententiam ferre, nec velle nec debere, donec principes regni in vnum conuenirent, in quorum communem ignominiam læsæ regiæ maiestatis iniuria redũdaret: & quorum tam virtute bellum transigendum, quam consilio pax reparãda esset: præsertim cũ iam sæpenumero bona & pacifica promittentes fefellissent, se principibus suis in expeditionem coadunandi exercitus diem 11 Calendas Nouembris constituisse in Gerstingun: si eos patrati facinoris reuera pœniteret, eo venirent, accepturi illic quamcunque regni principes æquam iudicassent pro admissa temeritate sententiam. Hoc vbi Saxonibus nunciatum est, ingens eos metus inuasit: omnesque certatim animi conatus intenduntad placandam, quoquo modo possint, regis iracundiam: ea præ omnibus cura habita, vt expeditionem, quæ tam atrociter indicta fuerat, præuerterent: recolentes quantum calamitatis superiore expeditione accepissent: & haud dubie scientes, quod infestiorem nunc hostem instaurata post fugam bella sibi redditura essent. Itaque supra memoratos nuncios, & cum his Hildenesheimensem episcopum mittunt: nec regi solum, sed cunctis etiam principibus pro recuperatione pacis obnixius supplicare iubent: omnem admissi facinoris satisfactionem etiam supra leges & natales suos promittunt. Et ne verbis minus fidei sit, obsides ipsis legatis, quantos accipere velint, tradunt, quibus se obligent, nulla vnquam leuitate, nulla necessitate, nulla ingruentium casuum mutabilitate promissionibus suis defuturos fore. Sed rex comperto per occultos indices, quod id molirentur, omnibus modis satagebat, ne qua deinceps ante instructam expeditionem legatis Saxonum copia fieret colloquendi secum: præcauens scilicet, ne forte principes regni supplicationibus eorum & satisfactionis humilitate euicti, clementiorem in eos animum acciperent: quin timo tam honori quam iracundiæ suæ hoc consultius fore iudicabat, vt si fieri posset, nouis occasionibus veteres inimicitiæ instaurarentur, & vulnus quod præ-

pro-

propere in cicatricem obduci metuebat, recentibus plagis exulceraretur. Ad hoc efficiendum nouo & exquisito vtitur artificio: simulat se à Salomone, viro sororis suæ, rege Vngariorum, in Vngariam euocatum, vt lites quæ inter ipsum erant, & Ioiadam qui eum regno expulerat, habito cum vtriusque familiari colloquio componeret. Huius itineris prætextu, elusis omnibus regni principibus, in Boemiam proficiscitur: nullum secum habens ex principibus, præter Herimannum comitem de Glizberg, equites autem expeditos, & tanto negotio allectissimos pene quingentos, qui reiectis sarcinis & cæteris bellorum impedimentis, itineri tantum & certamini se expedierant. Assumpto in Bohemia duce, & exercitu Boemico, per occultos ac difficilimos tramites in Saxoniam contendit, sperans se eos (vt dici solet) inter oscitantes, cum inopinatus irrueret, facile oppressurum, aut si rebellare tentarent, iustam deinceps aduersum eos belli & satisfactionis non suscipiendæ causam habiturum. Igitur vsque Misenen peruenit vrbem, sitam in confinio Bohemiæ & Saxoniæ: ibi à ciuibus pacifice in ciuitatem susceptus, Episcopum ciuitatis ipsius comprehendit, omnia quæ eius erant diripuit: hoc solo reum maiestatis eum adiudicans, quod toto tempore belli Saxonici nullos ad eum seruatæ erga Rempub. fidei indices nuncios vel literas destinasset. Cæterum homo ecclesiasticæ paupertatis, & nihil aut parum habēs pompæ militaris, vota forsitan contra rempub. facere, arma ferre non poterat, nec magnum vel his vel illis partibus momentum, amicus siue inimicus extitisset. Paulo vlterius progressus villas nonnullas incendit: homines plerosque ingenuos in deditionem accepit, cum repente præmissi exploratores retulerunt, iamdudum consilij huius famam ad Saxones præueniisse: eos contractis plusquam 15 millibus armatorum haud procul castra posuisse, paratos cum eo proxima die, nisi satisfactionem eorum pacisque conditiones vltro susciperet, collatis signis confligere: postremo de eius suorumq; omnium salute actum esse, si vel vltra progredi, vel in eisdem castris posteram diem operiri vellet, præsertim cum nullum vndique conclusis effugium pateret, nec periculum manu propulsare multitudine impares possent. Ingens omnes qui cum rege erant, metus perculit, vehementerque eius ineptiam incusabant, quod cum successus suos nimium ipse vrgeret, & morarum impatiens multorum annorum bella vno impetu conficere immoderata præsumptione festinaret, se suosque hostibus puerili leuitate prodidisset. Eorum monitis obtemperans, citato quantum poterat reditu in Bohemiam vnde eruperat, se recepit: quem abeuntem quidam ex Saxonibus expediti equites inscijs principibus insecuti, priusquam Saxonia excederet, oppressissent: nisi Boto comes qui ad Saxones à rege orator erat, prouocare eos ad deditionem, vel (quod verius est) vana pollicitatione veniæ implicare eos, ne persequerentur abeuntem, hac arte eos fefellisset. Digrediens à castris Saxonum, cum eos paulatim vestigia sua insequi cerneret, iter vnius diei, quo ad regem redire poterat, longos anfractus, & longa viarum dispendia legendo, vix triduo cōfecit, vt per hanc scilicet moram rex elusis hostibus in tutum euadere potuisset. Ita periculo liberatus rex militem suum labore ac vigilijs, tum potissimum fame ac siti pene vsque ad defectionem spiritus confectum, post paucos dies Ratisponam reduxit, è vicino iam imminente die, quo in expeditionem exercitus adunandus erat, inuenitque ibi legatos Saxonum multo iam tempore reditum eius præstolantes: quos responsum differendo diu suspensus tenuit, vt redire ad suos, nisi sub ipso imminentis iam expeditionis articulo, & pene incumbente iam ceruicibus eorum hostili gladio non possent. Cumq; sub idem fere tempus Dedi marchio longa ægritudine absumptus decessisset, marchiam eius Bohemico duci in præmium exactę militiæ dedit, tametsi vxor marchionis Adala filiū suum, cui hæreditaria successione marchia debebatur, ei paulo ante pro se obsidē misisset, & ipse marchio post recuperatam pacem in Gerstingun intemeratam semper erga regem remq; publicam fidem seruasset. Interea Saxones & Thuringi inter spem & metum, inter pacem & bellum, inter comminationes & supplicationes, vario curarum æstu fluctuabant: nec quid agerent, quo se verterent, quibus modis impeditam rem explicarent, crebra conuenticula facientes, deliberare poterant. Censebant alij, quomodo rex ad internicionem totius Saxonicę gētis animum obstinasset, vt quicquid Saxoniæ vel Thuringiæ hostilis exercitus reliquū fecisset, id ipsi iniecto igne absumerent, & sic cū omnibus suis vltra fluuium Albim cō-

mearent: alij, vt Luiticios infestissimam nomini Christiano gentem finibus suis exci-
rent & barbaro milite aduersus barbaram atque implacabilem hostem vterentur:
alij, vt castella quæ rex per Thuringiam & Saxoniam dirui iusserat, instaurarent, &
locorum difficultate, quoniam armis non possent, salutem suam, quoad indignatio
domini deflagraret, tutarentur. Sed plebs omnem spem suam ab armis ad preces ver-
terat: quæ si non proficerent, incunctanter animo fixerat, omnia fœda etiam atque
crudelia potius tolerare quam se certamini committere, & ancipitem forrunæ aleam,
quam semel infausta congressione experta fuisset, denuo tentare. Econtra principes,
quibus primum authoribus ea rabies inarserat, sedulo instabant, obsecrantes, vt pristi-
næ virtutis memores crimen non inferrent gloriæ suæ, nec optime cœpta fœdissime
nunc desererent. quod prima congressione res secus cessisset, id causæ extitisse, quod
nec regem nec principem habuissent, cuius ductu & auspicio bellum gerere, ad cuius
imperium castra locare, in aciem procedere, manum cum hostibus conferre, & cæ-
tera militaris disciplinæ munia obseruare, sacramenti militaris religione cogerentur,
si is scrupulus ademptus esset, nullum regem, nullum deinceps exercitum virtuti Sa-
xonicæ insuperabilem fore: proinde malæ rei, pessimæ spei, vnicum hoc remedium,
& aduersus insolentiam hostium vehemens telum esse, si regem sibi crearent, & in
eius verba iurarēt, se pro patria, pro cōiugibus, pro liberis, pro legibus, pro libertate sua
vsq; ad mortem militaturos esse. In his & huiuscemodi deliberationibus, cum sæpe se-
ptem, sæpe 14 dies continua consultatione triuissent, incertiores semper quam vene-
rant domum reuertebantur. Ita cum omnia deliberando pertentassent, omnia discus-
sissent, propter acceptæ cladis recentem memoriam, nihil rationibus suis satis tutum,
satis firmum putabant. Rex xi calend. Nouemb. iuxta condictum venit in Gerstingun:
venerunt omnes Teutonici regni episcopi & comites: aderat Diodericus dux Mosellæ
regionis: aderat Gozzelo dux Lotharingiæ, tantas habens copias, ita militaribus armis
instructas, ita de tota cui præetat regione, seuerissimo delectu habito, exquisitas, vt solæ
cæterum regis exercitum & numero & bellici apparatus gloria præcellere ac supergre-
di viderētur. Alij duces, Rudolphus scilicet dux Sueuorū, Welf dux Baioariorum, Ber-
tholdus dux Carentinorū, regi auxilium sum petēti denegauerant: pœnitentes (vt aie-
bant) superiori expeditione in irritum fusi tāti sanguinis: offensi etiam regis immiti atq;
implacabili ingenio, cuius iracundiæ incendium, nec lacrymæ Saxonum, nec inundā-
tes campis Thuringiæ riui sanguinis restinguere potuissent. Cæteri tamen principes
qui frequentissimi cōuenerant, magnum satis ac validum exercitum fecerant, ei tamē
longe ac multo imparem, quē prior illa expeditio contraxerat. Saxones & Thuringi
vltima iam necessitate exciti, amplissimo numero cōuenere, & positis castris haud pro-
cul à curte regia Northusun, archiepiscopum Bremensem, episcopum Hildenshei-
mensem, Vdonem marchionem regi obuiam in Gerstingun miserunt obnixe postulā-
tes, vt à latere suo principes quos vellet, ad eos transmitteret: paratos se, collato cum
eis consilio, omnibus quæ iusta sint, promptissime assensum præbere. Abnuit rex: nec
principes suos de tam remotis regni partibus ad sententias dicendas confluxisse, sed vt
manu militari ab hostibus communes Reipublicæ iniurias expostularent. Sed cum ei
hoc vix & ægre supplicatio legatorū extorsisset: nullus erat ex principibus, qui eo mu-
nere fungi consentiret: singulis videlicet timentibus, ne vel apud regem perfidię nota-
rentur, si quid in Saxones clementius agerent, vel apud Saxones mendacij crimine in-
famarentur, si veniam eis admissi pollicerentur, quam incunctanter scirent, nullam
eos à rege consecuturos. Triduo in hac cunctatione cessatum est, legatis assiduo e-
untibus ac redeuntibus, atque in eadem verba regis & omnium principum aures ob-
tundentibus. Nec propterea rex profectionem distulit, sed instructo exercitu, prælatis
militaribus signis, lento quotidie gradu in vlteriora populabundus contendebat. Tan-
dem placuit mitti ad eos Moguntinum Archiepiscopum, Saltzburgensem Archiepi-
scopum, Augustensem Episcopum, Wirtzburgensem Episcopum, & cum his ducem
Gozzelonem, cuius potissimum in ea expeditione authoritas valebat, & in eo omni-
um quæ agenda erant, summa & cardo vertebatur, pro eo, quod licet statura pusillus,
& gibbo deformis esset, tamen opum gloria, & militum lectissimorum copia, tum
sapien-

sapientiæ & eloquij maturitate cæteris principibus quamplurimum eminebat. Hos quinque nominatim ad colloquium suum Saxones expetierant, quod hos constantissimæ fidei & veritatis esse compererant, & quidquid hi spopondissent, ratum fore haud dubio credebant. Cumque in castra Saxonum venissent: prouoluti pedibus eorum principes Saxoniæ, obtestabantur per Deum, vt calamitatis eorum misererentur quos regis inclementia, & primo ad audédum hoc immane facinus coegisset, & nunc victos, & pene vsque ad internicionem deletos, ad exitiales cruciatus insatiabili odio deposceret. Quod si legibus, si iudicijs, si more maiorum innocentiam suam asserere permittantur, facile crimen refellant, & se acceptas in Gerstigun pacis conditiones nullo deinceps ausu temerario violasse probent: vel si probare nequeant pœnas, quas leges & scita maiorum in similium criminum reos sanxerint, persoluere non abnuant: nunc vero nouo crudelitatis genere innocentibus refellendi criminis copiam non dari, placationem non recipi, satisfactionem non admitti, sed semel conceptæ indignationis virus ita penitus imis insedisse visceribus, vt non alio medicamine, quam totius Saxonicæ gentis exterminio sedari valeat. Proinde videant ipsi memores humanarum rerum, ne forte pestilentis huius exempli contagium, sumpto ab Saxonibus exordio, cæteros etiam quandoque regni principes inficiat: & ita nunc infelicibus euentis Saxonum moderentur, ita calicem hunc fellis & absynthij misceant & propinet Saxonibus, vt sibi quoque paulo post eundem meminerint esse bibendum: se iam incisa spe, omissa deinceps salutis propriæ cura, hoc firmiter animo statuisse, vt quicquid illi agendum censeant, suadeant, iubeant, incunctanter agant, nec suarum partium studio patiantur vlterius totius reipublicæ statum periclitari. Ad hæc illi respondérunt: se causam qua primum aduersus regem arma sumpserint, non admodum improbare, nec placere sibi obstinatum ad perniciem eorum regis animum & pertinax odium: consensisse tamen in hoc omnes regni principes, de vsurpato in republica nouo hoc, & multis retro seculis inaudito facinore, non aliter regi vel Reipublicæ posse satisfieri, quam vt se absque vlla exceptione dedant: sibi autem quorum hoc consilio agant curæ futurum, vt nihil ex hac deditione, quod saluti eorum, quod honori, quod rei familiari officiat, experiantur. Aduersus hanc vocem vehementer infremuit vulgus Saxonicum: durumque omnibus visum est, & intolerabile, ei sanguinis sui ius potestatemque facere, cuius crudelitatis tam clara cepissent experimēta: quia post depopulationes Thuringiæ & Saxoniæ, post multa hominum millia cæsa, adhuc spirans minarum & cædis, omnia aduersum eos mundi regna concitasset: cuius iracundiæ in secundis rebus non pietas, non miseratio, non Dei, non hominum respectus vnquam modum fecissent: satius sibi fore, vt æquo certamine congressi, more virorum fortium moriantur in bello, quam vt in exiliis & carceribus ritu pecudum iugulati, ridiculum hostibus suis spectaculum præbeant. Econtra illi sedulo instabant deprecantes, vt salutaribus monitis adquiescerent, neque exiguum Saxonici nominis, quod cædi ac depopulationi superfuisset, vna desperatione perditum irent: se si minus salutis eorum, at propriæ existimationis curam permaximam habere, qui profecto maculam sibi & crimen nulla deinceps ætate, nulla virtute abolendum contraherent, si fidei suæ creditos aduersitatis cuiusquam vel leuis perstringeret: proinde ituros se ad regem, & si tuto fidem dicere, tuto veniam polliceri possent comperturos, & quæ comperta fuissent, die postera renunciaturos. Rex grauissime amplexus pacis conuentionem promisit, & (sicut vulgata in plurimos fama loquebatur) etiam iusiurandum dedit, nihil se in eos si dediti fuissent, præter voluntatem & sententiam actum eorum, quorum opera & beneficio incruenta sibi hæc victoria obtigisset. Sæpe itum ac reditum est: sæpe Saxones refutato deditionis consilio arma expediri, atque in aciem signa efferri conclamauerant, dum omnia fide regis tutiora sibi arbitrarentur. Sed Gozzilo dux, & qui cum eo erant Episcopi, satis impigros se exhibuerunt negotio, & ferocientis multitudinis tumultum nunc minis, nunc blandimentis comprimebant: pollicentes, & quia verbis parum fidei erat, etiam sub iureiurando confirmantes, non salutis, non libertatis, non prædiorum, non beneficiorum, non cæteræ supellectilis suæ vllam eos iacturam sensuros, sed postquam faciem regis & regni maiestatem momentanea satisfactione magnificassent, statim de-

ditione abſoluendos,& patriæ libertatiq;, in nullis imminuto ſibi conditionis ſuæ ſtatu,reſtituendos eſſe. Non verba,non iuramenta, non promiſſiones vllæ principibus Saxoniæ metum ademerant, ſed quia nec vtiliter hoſtibus congredi numero ac virtute impares valebant,nec bellum diutius trahi,plebe iam olim tædio affecta,& pacis recuperandæ cupidiſſima,poterat:poſt longas deliberationes,poſt multas tergiuerſationes lachrymantes, atque alta ſuſpiria ab imis trahentes viſceribus, tandem deditioni conſenſerunt, & fidem principum regiſque clementiam propriæ ſalutis periculo experiri ſtatuerũt. Quod vbi protinus per exercitum regis celebris rumor vulgauerat:ingens gaudium, vehemens erat gratulatio: omnique triumpho illuſtriorem, omnibus ſpolijs opimiorem æſtimabant victoriam,quod adempta ſibi fuiſſet neceſſitas,cum his manum denuo conſerendi, qui prima congreſſione, extinctis pene omnibus Sueuiæ ac Baioariæ luminibus, luctuoſam victoribus victi cladem intuliſſent. Poſtera die rex ad ſuſcipiendos eos in media late patentis campi planitie, in loco qui dicitur Spiraha, aſſedit,toto exercitu ad hoc ſpectaculum ſolemniter euocato,latiſſimo inter conſtipatam multitudinem vacante ſpacio: vbi dum procederent, totius exercitus oculis conſpicui forent. Igitur introducũtur per ordinem Saxoniæ ac Thuringiæ primo principes, Wezil Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Bucco Epiſcopus Halberſtatenſis, Otto dux quondam Baioariæ, Magnus dux Saxoniæ, Herimannus comes patruus eius, Fridericus Palatinus comes, Diedericus comes de Cadalenburg, Adelbertus comes de Thuringia, Rudeger, Sizzo, Berenger, Bern, comites: deinde ingenui omnes qui generis vel opum claritate aliquantulum eminebant in populo: & ſicut conuenerat,abſque vlla exceptione regi ſe dediderunt. Rex eos principibus ſuis ſingulis ſingulos,donec de eis communi conſilio deliberaretur, ſeruandos commiſit, & paulo poſt rupto fœdere,contemptis omnibus quibus ſe obligauerat iuriſiurandi vinculis, eos per Galliam, Sueuiam,& Baioariam,per Italiam & Burgũdiam deportari fecit: beneficia quoque eorum militibus ſuis quorum præcipue opera in bello Saxonico vſus fuerat, diſtribuit:commoratus etiam paucis diebus in Thuringia, caſtellum in Aſenberg inſtaurauit, præſidiumq; impoſuit, præcauens, ne quid poſt digreſſum ſuum inſtabilis vulgi leuitate nouaretur:præterea ingenuis omnibus,qui vel caſu abfuerãt, vel metu ſe ſubtraxerant,diem ſtatuit:ante quem ſi in deditionem non veniſſent,tanquam hoſtes publici ab omnibus,quibus reſp.curæ eſſet, ferro & igne infeſtarentur. Atque ita dimiſſo exercitu,victor rediens, Natalem ſancti Martini Wormaciæ celebrauit.

Interea Romanus pontifex crebris legationibus, & Babenbergenſes clerici aſſiduis ſupplicationibus vehementer regi imminebãt,vt iam diu vacanti eccleſiæ Babenbergenſi rectorem prouideret:ſiquidem prior Epiſcopus, licet extrinſecis eccleſiæ poſſeſſionibus,militum ſuorum(vt ſupra dictum eſt) præſidio fultus,contra vetitum incubaret:nullam tamen pontificalis officij adminiſtrationem vſurpabat, apoſtolici anathematis religione abſterritus. Cumque regi in pace & in bello, tranquilla ſeu turbata republica, ſemper commodiſſime affuiſſet, & ſcandalizatis in eo cæteris regni principibus, ſolus ille nunquam ſcandalizatus fuiſſet, ſed in cunctis quæ ei accidiſſent calamitatibus pondus diei & æſtus cum eo inconcuſſa fide portaſſet: nunquam tamen rex vel leui verbo calumniatoribus eius obſtitit: quin imo haud grauate aduerſus eum accuſationem recipere videbatur, eo videlicet(vt plerique interpretabantur)intendens, vt per huius deiectionem via ſibi pateſieret ad Wormatienſem Epiſcopum, & alios nonnullos, quibus in vltionem priſtinæ defectionis iam pridem ſumma ope calumniam ſtruere ſentiebatur. Igitur profectus Babenberg,Rupertum Goslarienſem præpoſitum in Natali ſancti Andreæ Apoſtoli pro eo ordinari fecit epiſcopum,virum peſſimæ exiſtimationis in populo, eo quod regi familiariſſimus & omnibus eius ſecretis ſemper intimus fuiſſet, & omnium quæ rex perperam & præter regiam magnificentiam in repub.geſſiſſet,potiſſimus incentor extitiſſe putaretur:& milites quidem acerrime factum improbabant, quod ſcilicet viuẽte priore epiſcopo,nec canonice ad ſynodum euocato, nec canonice adiudicato alius ad adulterandam Eccleſiæ Babenbergenſis caſtitatem ſuperordinatus fuiſſet epiſcopus. Clerici autem,etſi eos quam maxime offenderet perſona ordinati, haud ſane bonum teſtimonium habens ab his qui foris erant: malebant tamen qualemcunque habere, quam eum aduerſus quem ſedem

Apoſtoli-

Apostolicam appellauerant,& cuius vitæ institutionisque lugubrem tragœdiam, toto mundi huius theatro decantandam vulgauerant,recipere.

Postera die cum ad eligendum Fuldensem abbatem rex cum principibus assedisset,grandis erat inter abbates & monachos, qui ex diuersis locis frequentes confluxerant, concertatio: tanquam solemniter indicto agone singuli pro virili portione currentes, alius aureos montes, alius ingentia beneficia ex agro Fuldensi,alius solito impensiora in rempublicam seruitia promittebant, nec prorsus in promittendo modum aut modestiam vllam seruabant. Et o mores, o tempora, o abominationem desolationis stantem in loco vbi non debet, & mammonam nostris temporibus publice sedentem in templo Dei & extollentem se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Abbates & monachi ita ambitionis spiritu præcipites rapiebantur,vt eos à cupiditate sua non pudor nominis Christiani,non habitus arctioris propositi,non ipsum denique deterreret recens exemplum Babenbergensis episcopi: quem pridie viderant non aliam ob causam & episcopatu priuatum & communione, quam quod ad sacrum ordinem illicita largitione aditum sibi affectasset. Horum impudentiam rex vehementissime (vt dignum erat) detestatus, cum hinc inde importune obtundentium precibus vrgeretur: repente diuino(vt creditur)spiritu actus monachum quendam Heruelden sem Ruzelinum nomine, qui pro causa monasterij iussu abbatis sui ad curtem venerat,in medium euocat,& nihil minus suspicanti, etiam inopinatæ rei miraculo pene exanimi, baculum pastoralem offerens, primus ipse abbatem eligit,dein cæteros tam monachos quam milites,vt in electionem eius consentiant,obnixe efflagitat. Ita, cunctis qui aderant lætissima acclamatione suffragium ferentibus, abbatiam suscipere iubetur.Et cum diu, nunc imperitiam suam,nunc malam valetudinem, nunc abbatis sui absentiam causatus restitisset, vix tandem aliquando præsentium episcoporum obtestatione adiuratus, suscipere consensit. Similiter defuncto nuper Vdalrico abbate de Loressan, cum monachi & milites in electionem præpositi concorditer adunati ad curtem venissent, neque rex aliter sensurus putaretur,propter multa seruitia quibus ille,dum præpositus monasterij esset, gratiam dilectionemque eius officiosa admodum sedulitate redemerat: rex alium quendam eiusdem cœnobij monachum Adelbertum nomine, qui cum cæteris fratribus nihil tale opinatus aduenerat,repente iniecta manu in medium protrahit, & rei nouitate attonito baculum pastoralem cunctis stupentibus tradit.

Herimannus Babenbergensis episcopus, comperto quod alius in locum eius subrogatus esset episcopus, cum omnis iam ei spes adempta esset recuperandæ deinceps dignitatis suæ, nec ad eludendam Romani Pontificis sententiam vllum vltra pateret diuerticulum,in monasterium cui nomen est Suarza, secessit, ibiq; sub Eggeberto abbate sanctæ conuersationis habitum suscepit,statimque assumpto secum eodem abbate suo Romam profectus est. Cum de inobedientia sua humiliter apud sedem Apostolicam pœnitentiam egisset, & anathemate liberatus, & sacerdotalis ministerij præter pontificalem dignitatem denuo licentiam est consecutus.

Annum hunc multis cladibus insignem, potissimum lugubrem fecit obitus Annonis Colonien sis archiepiscopi,qui post longam ægrotationem qua dominus vas electionis suæ in camino tribulationis transitorie purius auro,purgatius mundo obryzo decoxerat, 2 nonas Decembris beato fine perfunctus, ad Angelos ex hominibus,ad immortalia ex mortalibus transmigrauit. Testantur hoc signa & prodigia quæ quotidie circa sepulchrum eius dominus ostendere dignatur, ad confutandam impudentiam eorum qui paulo ante vitam eius sanctissimam, atque ab omni huius mundi labe quantum ad hominem integerrimam, liuido dente carpebant, & preciosam margaritam iam olim cœlestis regis diademati destinatam, falsis rumoribus obfuscare conabantur. Is in Babenbergensi ecclesia, in ludo tam diuinarum quam secularium literarum enutritus,postquam adoleuit, nulla commendatione maiorum (erat quippe loco mediocri natus) sed sola sapientiæ ac virtutis suæ prærogatiua imperatori Heinrico innotuit:à quo in palatium assumptus,breui apud eum præ omnibus clericis, qui in foribus palatij excubabant, primum gratiæ & familiaritatis gradum obtinuit, hoc præcipue diligentibus in eo omnibus bonis, quod iusti ac recti admodum tenax erat

atque in omnibus cauſis pro ſuo tum ſtatu, non adulando vt cæteri, ſed cum magna libertate obloquendo, iuſtitiæ patrocinabatur. Erat autem præter virtutes animi & morum gloriam, corporis quoque bonis ornatiſſimus, ſtatura procerus, vultu decorus, lingua promptus, vigiliarum & inediæ patientiſſimus, poſtremo ad omne boni operis exercitium naturæ muneribus affatim inſtructus. Exactis in palatio haud multis annis, magna imperatoris, magna omnium qui eum nouerant, expectatione adeptus eſt Colonienſem epiſcopatum, atque ita deinceps in omnibus tam eccleſiaſticis, quam reipublicæ negotiis haud imparem ſe acceptæ dignitati gerebat, & ſicut editioris loci inſignibus, ita cunctis virtutum generibus inter cæteros regni principes conſpicuus incedebat. Reddebat ſollicitus quæ ſunt Cæſaris Cęſari, & quę ſunt Dei Deo, quia Colonienſis nominis maieſtatem & ſecularem pompam ambitioſius pene quam aliquis ex præceſſoribus eius oſtentabat ad populum, nec propterea tamen inuictum inter tantas occupationum procellas ſpiritum vnquam relaxabat à ſtudio diuinarum rerum. Crebris ieiuniis corpus ſuum macerabat, & in ſeruitutem redigebat. Pernoctabat plerunque in orationibus, & per eccleſias, vno tantum puero contentus comite, nudis pedibus diſcurrebat, & diem quidem in diſponendis priuatis ſeu publicis negotiis, noctem vero totam in opere Dei expendebat. Multa illius in pauperes, in peregrinos, in clericos, in monachos benignitas, mira liberalitas erat. Nullam intra diœceſim ſuam congregationem prætermiſit, quam non prædiis, ædificiis, ſtipendiis, ſua ſpecialiter donatione auctam vita decedens relinqueret: & plane apud omnes indubia fide conſtitit, ex quo Colonia fundata eſt, vnius nunquam epiſcopi ſtudio tantum opes & gloriam creuiſſe Colonienſis eccleſiæ. In iudicandis cauſis ſubditorum nec odio, nec gratia cuiuſquam à vero abducebatur, ſed ſemper in omnibus propoſitam indeclinabiliter ſequens æquitatis lineam, ad euertendum iudicium nec accipiebat perſonam pauperis, nec honorabat vultum potentis. Tum vero verbum Dei ita luculenter, ita magnifice differebat, vt ſaxeis etiam cordibus ſermo eius lachrymas excutere poſſe videretur, & ſemper ad exhortationem eius planctu & vlulatu compunctæ multitudinis eccleſia tota reſonaret. Duas Coloniæ congregationes clericorum ex integro propriis impenſis inſtituit, vnam in loco qui dicitur ad gradus titulo ſanctæ Mariæ, alteram foras murum titulo ſancti Georgij martyris. Tres etiam congregationes monachorum diuerſis in locis ex ſuo conſtruxit, vnam in monte qui à præterfluente fluuio cognominatur Sigeberg, aliam in regione Sclauorum, in loco qui dicitur Salefelt, tertiam in regione Weſtphaal, in loco qui dicitur Graſcaf: quas omnes & auguſtiſſimis ædificiis excoluit, & exquiſitiſſimis eccleſiæ ornamentis illuſtrauit, & ampliſſimis atq; in multorum fratrum vſus ſufficientibus prædiis locupletauit. Cumque in omnibus Teutonici regni monaſteriis cerneret, antiquum illum regularis diſciplinæ feruorem admodum refrixiſſe, & monachos à vita communi ad rem familiarem curam omnem ſtudiumque conuertiſſe; graui tædio angebatur animus eius, quod ingentibus expenſis nihil Deo dignum confecturus putaretur. Interea contigit, vt pro cauſa reipublicæ Romam pergeret. Cumque alias Italiæ regiones peragraret, principes eius regni, ne à rege deficerent, ſuis exhortationibus confortaturus, ad monaſterium quoddam cui Fructuaria nomen eſt, cauſa orationis diuertit. Ibi admiratus monachorum arctiſſimam, & ſecundum regulæ inſtituta conuerſationem, nonnullos eorum in opere Dei probatiſſimos ſecum rediens abduxit, & eos ad tradendam Galliis eiuſdem diſciplinæ formulam in Sigeberg conſtituit: prioribus monachis quos ex ſancto Maximino aſciuerat, quoniam in horum inſtituta concedere noluerant, honorifice in locũ ſuum remiſſis. Quod eius factum imitati cæteri Galliarum epiſcopi, alij ex Gorzia, alij ex Cloniaca, alij ex Sigeberg, alij ex aliis monaſteriis monachos euocantes, nouam diuini ſeruitij ſcholam in ſuis ſinguli monaſteriis inſtituerunt: adeoq; breui cõualuit felicis huius facti æmulatio, vt pauca intra Galliam monaſteria videamus, quæ non iam nouæ huius inſtitutionis iugum ſubacta receperunt. Ipſe vero monachos ſuos iuxta quod in Fructuaria compererat, cernens arctiſſimis viuere diſciplinis, & conuerſationis eorum opinione longe lateq; vulgata, multos ad mundi contemptum inflammari, & eorum magiſterio ſe in via Dei erudiendos tradere; magnas Deo gratias referebat, quod non confudiſſet eum ab expectatione ſua: omnem quoq; diligentiam adhibebat, ne quam

ne quam earum rerum quibus corporis imbecillitati consulendum sit, penuriam sustinerent: honorabat ac venerabatur eos vt dominos suos: nec solum abbati, sed decanis etiam monasterij ita subditus dictoque obtemperans erat, vt ad primum eorum imperium, quantumlibet grauibus publicæ seu priuatæ rei negotiis implicitus teneretur, ilico ex occupatis manibus surgeret, & omne quod iussissent, instar vilis mancipij exequeretur; cibos summa industria confectos quotidie, dum adesse potuisset, ipse eis inferebat, ipse apponebat, ipse potum miscebat, ipse reficientibus ad omne obsequium quolibet famulo promptior paratiorque assistebat: silentium quoque ac cæteras monasterij consuetudines, dum inter eos diuersaretur, ita attentus sollicitusque seruabat, ac si prò excessibus suis ipse quoque quotidie in capitulo eorum causam dicturus, & sententiam accepturus foret. Hoc eius in Sigeberg, hoc in Salefelt, hoc in Grascaf studium, hæc institutio erat. Porro à rege grauissimis sæpenumero inimicitiis dissidebat, & cum acerrimis increpationibus obiurgabat, propter multa quæ præter æquum & bonum eius iussu vel permissu quotidie admittebantur in republica: vnde rex plerunque efferatus, omnia quæ illius erant ferro & igne demoliturum se comminabatur, plerumque autem supplex ei factus ampliſſimis promissionibus iratum demulcebat; & tam sui quam totius regni ius potestatemque ei se facturum pollicebatur, si modo fidum eum sibi, nec adeo cunctis voluntatibus suis aduersum experiretur. Ad hæc ille in cunctis aiebat, quæ rectè & iuxta regiam magnificentiam conaretur, nusquam ei defuturam esse operam suam: si quid vero perperam, & contra leges ac scita maiorum, nequam hominum suggestionibus deprauatus, agere vellet, vt his consensum authoritatemque suam accommodaret, nullo se vel pretio redimi vel terrore compelli posse. Et nunc quidem in summam familiaritatem, & pene in regni consortium à rege assumebatur, nunc vero quomodo ea quæ in regno perperam gerebantur, vehementer detestaretur & acerrime impugnaret, cum contumelia de palatio eiiciebatur, & ad extinguendum omnino nomen eius totum regni robur concitabatur. His vicissitudinibus per plures annos eius concertatio cum rege trahebatur. Neque enim lasciuiæ regis vel ratio modum faciebat, vel ætatis accessus, vel amici cuiusquam obiurgatio, sed quotidie seipso deterior efficiebatur, & ruptis omnibus humani, ne dicam Christiani, pudoris frenis in omne quod animus suggessisset, flagitium præcipitantior ruebat: & oppressis iam terrore principibus, nullus erat, qui peccantem, & diuina atque humana omnia absque discrimine permiscentem, vel leui verbo auderet redarguere. Ad vltimum consyderans archiepiscopus completam esse malitiam eius, & obstinatum in malis ingenium, nec tempore iam corrigi posse, nec ratione, anno pene ante exortum bellum Saxonicum petiit vacationem deinceps sibi dari ab exterioribus reipublicæ negotiis: & sic impetrato commeatu, in Sigebergense monasterium secedens, illic in vigiliis & ieiuniis, in orationibus & eleemosynis, quod supererat ætatis, exigebat, nec inde vspiam, nisi summa forte ac ineuitabili necessitate extractus abscedebat. Cætera quæ circa reipublicæ administrationem vel egit vel passus est, si quis plenius scire voluerit, superiora libelli huius reuoluat, & singula eo quo gesta sunt, ordine & tempore, copiosè descripta inueniet. Sed pius Dominus, qui quos amat arguit & castigat, hanc quoque dilectam sibi animam ante diem vocationis suæ multis tentari permisit incommodis, vt scilicet ab eo omnem scoriam terrenæ conuersationis excoqueret caminus transitoriæ tribulationis. Primum, moto bello Saxonico, fratrem eius Wecel Magdaburgensem archiepiscopum & consobrinum eius Bucconem Halberstadensem episcopum tempestas inuoluit grauissimæ persecutionis. Contra hos, cum non satis impigre regi totius Saxonicæ gentis exterminium anhelanti opem ferret, naturæ profecto legibus & carnali affectione inhibitus, inuisus ei suspectusque efficitur; periurij ac perfidiæ insimulatur: ciues Colonienses, quibus paulo ante vnice carus acceptusque fuerat, ad interficiendum eum donis ac promissionibus sollicitatur. Sopito vtcunque hoc malo, duo ministri eius, qui in laribus eius familiarissime obuersabantur, insidias ei tendunt, & nisi Dei misericordia malum hoc præuertisset, nihil tale suspicantem trucidassent. Alij cuidam, quem beneficiis suis maxime fidum sibi obnoxiumque fecerat, familiares literas à se ipso in tabulis propter maiorem secreti * suum tantis vndique aduersitatum procellis iactatum, & pene naufragantem consolaretur & in-

ſtrueret. At ille ex ipſa tam operoſa ſecreti commonitione coniiciens aliquid regi reique publicæ aduerſum his literis contineri, regi eas detulit. Quas ille deinceps in argumentum læſæ fidei archiepiſcopo improperans, necem ei & omnibus quæ eius eſſent, vltimum, ſi copia fieret, exterminium machinabatur. Item alius quidam ex miniſtris eius, quem Colonenſi eccleſiæ propria induſtria ipſe acquiſierat, quemque ob hoc indulgentiſſimo ſemper affectu coluerat, & bonis omnibus etiam ſupra natales ſuos locupletauerat, repente inſolentia ſeruili elatus, iugum eccleſiaſticę ſeruitutis cœpit detrectare, ſeque in libertatem violento quodam iure fori cum magna archiepiſcopi cõtumelia aſſeruit. Tum vero crebris mortibus carorum ſuorum ita amaricatus eſt, & vulnere conciſus ſuper vulnus, vt ſaxeum quoque pectus, & ſupra petram fundatum ædificium, concutere poſſet tam vehemens ille turbo tentationis. Ad vltimum data Satanæ in carnem quoque eius poteſtate, vlcere peſſimo percuſſus eſt in vtroque pede, ita vt putreſcentes paulatim carnes defluerent, & hinc inde abducta cute, conſumptis carnibus, fœdo aſpectu oſſa nudarentur. Qui morbus primo pedes, deinde crura & femora miſerabili modo depaſtus eſt, ac ſic poſt diuturnam macerationem penetrans ad vitalia, animam ſuper argentum igne examinatum probatam, & purgatam ſeptuplum, de hac domo lutea tranſmiſit ad domum nõ manu factam æternam in cœlis. De qua re dimidio fere anno, priuſquam vita excederet, certum eum fecerat manifeſta reuelatio. Viſus eſt enim ſibi domum, quanquam omni decore intus & foris reſplendentem, intrare. Et ecce in ſubſelliis iudicialibus, tanquam ad concilium ſolemniter euocati reſidebant: Heriberthus Colonienſis archiepiſcopus, Bardo Moguntinus archiepiſcopus, Boppo & Eberhardus Treuerẽſes archiepiſcopi, Arnolphus Wormatienſis epiſcopus, & alij quam plures Galliarum epiſcopi, quorum alios ipſe in carne nouerat, alios fama tantum vel lectione compererat, amicti omnes ſtolis pontificalibus, & habentes veſtem inſtar niuis candidam. Ipſe quoque candidis admodum ac precioſis indutus ſibi videbatur, ſed partem candentis veſtimenti, eam ſcilicet qua pectus tegebatur, ſordida quædam ac fœda caligo obduxerat, ac cæterum cultus eius ſplendorem ſua fœditate plurimum obfuſcabat: quam tamen ipſe nimio rubore perfuſus, obiecta manu tegere ac celare, ne inſpicientium offenderet obtutum, conabatur. Videt præterea inter eos ſibi quoque ſedem miri decoris paratam, quam cum occupare gaudio & exultatione æſtuans properaret, ſurgens Arnolphus Wormatienſis epiſcopus, modeſta voce eum prohibuit; dicens, reuerendos patres qui aſſiderẽt, nolle eum in ſuum admittere conſeſſum, propterea quod veſtem eius turpis hæc macula fœdaret: cumque iuſſus loco cedere, flens confectoque nimium animo egrederetur, inſecutus eum idem epiſcopus, Æquo animo, ait, eſto pater, maculam tantum hanc, quæ veſtem tuam infecit, maturius ablui præcipe, quia non poſt multos dies beatæ huius manſionis conſortium & ſanctorum patrum quos aſpexiſti cõſeſſum voti compos percipies. Mane facto, cum familiari cuidam ſuo viſionem retuliſſet, ille ſapienter rem coniiciens, Macula, inquit, hæc veſti tuę illita nihil aliud eſt pater, vt ęſtimo, quam memoria iniuriæ ciuium tuorum, qui te anno ſuperiore Colonia expulerunt, quibus te diuinæ pietatis reſpectu iam olim oportuerat admiſſi huius veniam dediſſe. Hæc, quod bona venia dixerim, pectori tuo tenacius quam æquum ſit inſidens, & amariſſimo mœrore contra fas mentem tuam decoquens, cæteram ſanctiſſimæ conuerſationis tuæ claritatem moleſta quadam caligine obducit & obſcurat. Archiepiſcopus conſcientiæ ſuæ teſtimonio conuictus, ne inficiaretur quod audiebat, reatum ſuum humiliter agnouit, ſtatimque deſtinatis circumquaque nunciis ciues omnes Coloniæ, quos in vltionem iniuriæ ſuæ excommunicatos vrbe fugauerat, ad ſe euocauit, eisque proxima feſtiuitate paſchali (nam in Quadrageſima viſionem viderat) non ſolum communionem eccleſiaſticam, ſed etiam bona ſua omnia quæ direpta fuerant, benigniſſime reſtituit. Sic grauis illa tempeſtas, quę ſpiritu diabolico ſuſcitata totam cõcuſſerat Coloniam, cõquieuit: pater filios, filij patrem recognouerunt: archiepiſcopus amaritudine, populus metu & ſolicitudine, ciuitas liberata eſt ſolitudine. Archiepiſcopus iam à principio ſepulturam ſibi prouiderat Coloniæ, in eccleſia beatæ Mariæ, quæ dicitur ad gradus. Poſtmodum offenſus temeritate Colonienſium, qua in eum inaudita rabie debacchati fuerant, non modo animum, ſed corpus quoque ſuum de Colonia in Sige-

berg

berg transferendum censuit,ibiq; sepeliri se omni modo definiuit.Cumque appropinquante die vocationis suæ, Coloniæ ægrotaret,iamque in extremo spiritu constitutus, animaduerteret populum Colonienſem grauiter nimis ferre, quod tam desiderabili thesauro defraudandus esset; paululum resumpto spiritu in lecto consedit, acceptaq; stola pontificali,vt videlicet verbis plus inesset authoritatis, familiares suos sub testificatione nominis diuini adiurauit,ne alibi eum quam in Sigeberg poni sinerēt.Factum est ergo quod iusserat: defunctus enim post modicum, gloria ingenti, magno cleri & plebis studio, summo matronarum Colonienſium luctu in Sigeberg delatus, atque in medio ecclesiæ sepultus est; vbi quotidie per eius interuentum fideliter postulantibus multa præstantur diuinæ opitulationis beneficia.

1076. Rex Natalem Domini Goslariæ celebrauit. Cumque eo omnes regni principes euocasset,vt de principibus Saxoniæ qui in deditionem venerant, communi consilio deliberaretur; præter ducem Boemicum pauci admodum venerunt. Ab ipsis tamen qui venerant, iusiurandum exegit & accepit,vt non alium post eum, quam filium eius tenerum adhuc infantulum,regem sibi eligerent. Ibi Otto dux quōdam Baioariæ, datis pro se duobus filiis suis obsidibus, deditione absolutus est: nec solum in gratiam, sed in tantam quoque familiaritatem receptus est à rege, vt omnia deinceps consilia, tam de priuata,quam de re publica, cæteris auricularijs familiarius cum eo communicaret: cæterorum qui se dediderant,nec mentio habita est. Colonienſis etiam clerus & populus ad eligendum sibi antistitem frequens cōfluxerat: quibus rex Hildolphum quendam Goslarienſem canonicum offerebat,atque vt eligerent,dedita opera insistebat.Illi contra summa ope nitebantur,obiicientes, quod homo statura pusillus, vultu despicabilis,genere obscurus,nec animi nec corporis virtutib.quicquā tanto sacerdotio dignum prætenderet:vnde indignitate rei, tāta in eum concitata sunt omnium qui in curte regia erant,odia,vt sicubi in publico apparuisset, omnes eum tāquam aliquod antiquitatis monstrum inconditis clamoribus & cantieis perurgerent, lapidesque in eum & puluerem vel quodcunque aliud furentibus casus obtulisset iactarent. Sed rex recolens Annonis archiepiscopi constantiam, & inuictum aduersum omnes nefarios suos conatus spiritum, consulto talem ei successorem ordinari satagebat, cuius facilitate ad omnia quæ vellet, pro libito suo abuti posset. Cumque diu multumque conatus nulla ratione,vt eligeretur, obtinere potuisset; Colonienses infecto negotio in sua remisit, iterumque media Quadragesima rectius, si fieri posset, consultos præsto esse præcepit:contestatus quam sancte,se viuo aut nullum eos aut hunc habituros esse pontificem. Aderant præterea Hildebrandi papæ legati, denunciantes regi,vt secunda feria secundæ hebdomadæ in Quadragesima ad synodum Romæ occurreret, de criminibus quæ obiicerentur,causam dicturus:alioquin sciret, se absque omni procrastinatione eodem die de corpore sanctæ ecclesiæ Apostolico anathemate abscidendum esse. Quæ legatio regem vehementer permouit: statimque abiectis cum graui contumelia legatis omnes,qui in regno suo essent, episcopos & abbates, Wormatiæ dominica Septuagesimæ conuenire præcepit,tractare cum eis volens ad deponendum Romanum pontificem, si qua sibi via, si qua ratio pateret: in hoc cardine totam verti ratus salutem suam,& regni stabilitatem,si is non esset episcopus.Ipso tempore contigit papam per immissionem Satanæ grauissima pulsari aduersitate. Quidam vrbis præfectus Romanæ Quintius nomine, & generis claritate & opum gloria eminens valde in tota Italia, multa in possessionibus Romanæ ecclesiæ præter leges faciebat. Perlata ad papā querimonia, cum eum sæpius modeste corriperet, nec quicquam proficeret secreta correptio, tādem excommunicauit eum, arbitratus hoc saltem modo improbitatem eius coercendam fore. Hinc ille maiori dementia efferatus, ipsa nocte Natalis Domini cum armatis inopinato irruit in ecclesiam, in qua papa vestimentis pontificalibus indutus, sacro altari astabat, missarum solemnia celebrans, iniectaque (quod dictu quoque nefas est) in capillos eius manu multis contumeliis affectum de ecclesia protraxit, & priusquam vulgato per ciuitatem rumore populus frequens auxilio concurreret,in domum quandam munitissimam abripuit.Fama tam atrocis facti totam illico repleuit vrbem. Vndique ad arma conclamatur. Diuites & pauperes,nobiles & ignobiles,vno omnes animo aeurrere, atq; in ipso statim orientis diei crepusculo domū

Quintij oppugnare ſumma vi aggrediuntur: & niſi ille mali quod imminebat haud improuidus papam dimittere maturaſſet, domum ipſam, peremptis omnibus qui in ea erant, à fundamento euertiſſent. Papa interueniente, concitatæ multitudinis furor vix & ægre compreſſus eſt. Romani, quod factum fuerat, grauiter nimis & indigne ferentes, omnia quæ Quintij erant, tam intra muros quam extra, ferro & igne demoliti ſunt. Nec minus ille multa militaris audaciæ facinora contra faciebat, ſuccendens & euertens omnia quæ poterat de poſſeſſionibus Romanæ eccleſiæ. Ita per multos dies non ſine magno & harum & illarum partium diſpendio ſimultas hæc trahebatur. Rex ſtatuta die venit Wormatiam: venerunt etiam epiſcopi & abbates ampliſſimo numero. Commode quoque conficiendis tantis rebus interuenit quidam ex cardinalibus Romanis, Hugo cognomento Blancus, quem ante paucos dies propter ineptiam eius & mores inconditos papa de ſtatione ſua amouerat, deferens ſecum de vita & inſtitutione papæ ſcenicis figmentis conſimilem tragœdiam: ſcilicet vnde oriundus, qualiter ab ineunte ætate conuerſatus, quam peruerſo ordine ſedem Apoſtolicam occupauerit, quæ ante epiſcopatum, quæ poſt acceptum epiſcopatum, memoratu quoque incredibilia flagitia commiſerit. Huius authoritatem tanquam diuinitus ſibi deſtinatam gratiſſime amplexati, & promptiſſime ſecuti, ſententiam promulgarunt, quod papa eſſe non poſſit, nec vllam, iuxta priuilegium Romanæ ſedis, ligandi aut ſoluendi poteſtatem habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probris ac criminibus commaculauerit. Cumque cæteri omnes damnationi eius nihil hæſitantes ſubſcriberent, Adelbero Wirtzburgenſis epiſcopus, & Herimannus Mettenſis epiſcopus aliquandiu reſtiterunt, dicentes, incongruum valde & contra canonum ſcita eſſe, vt epiſcopus aliquis abſens, abſque generali conſilio, ſine legitimis & idoneis accuſatoribus & teſtibus, nec dum probatis criminibus quæ obiicerentur, condemnaretur; nedum Romanus pontifex, aduerſus quem nec epiſcopi, nec archiepiſcopi cuiuſquam recipienda ſit accuſatio. Sed Wilhelmus Traiectẽſis epiſcopus, qui cauſam regis pertinacius tuebatur, vehementer imminebat, vt aut cum cæteris in damnationem papæ ſubſcriberent, aut regi, cui ſub iureiurando fidem ſpopondiſſent, protinus renunciarent. Is eo tempore regi admodum carus acceptusque erat, eique rex omnium quæ priuatim vel publice agenda erant, poſt ſe ordinationem delegauerat, vir ſecularibus literis apprime eruditus, ſed faſtu nimio inflatus vix ſeipſe ferebat. Igitur ex nomine omnium qui conuenerant epiſcoporum & abbatum, plenæ contumeliarum literæ Romam deſtinantur, quibus denuncietur Romano pontifici, vt pontificatu, quem contra Eccleſiaſticas leges vſurpaſſet, ſeſe abdicet, ſciatque poſt eam diem quicquid agat, iubeat, decernat, irritum haberi. Legati, vt iuſſum fuerat, ſummo conatu iter accelerantes, pridie quam ſynodus indicta celebraretur, Romam ingreſſi literas tradunt: tunc cæteram legationem ſicut in mandatis habebant, verbo non minus contumelioſo quam ſcripto exequuntur. Papa nihil permotus atrocitate nuncij, poſtera die, cum clerus & populus ad ſynodum frequens confluxiſſet, in auribus omnium literas recitari fecit, & ſic cunctis qui conuenerant epiſcopis id fieri decernentibus, regem excommunicat, & cum eo archiepiſcopum Moguntinum Sigifridum, epiſcopum Traiectenſem Wilhelmum, epiſcopum Babenbergenſem Rubertum: cæteris qui conſpirationis huius participes extiterant, diẽ ſtatuit, qua niſi Romæ præſentati cauſam dicerent, nouæ huius & inuſitatæ contra ſedem Apoſtolicam rebellionis, ſimilem cæteris excommunicationis ſententiam ſortirentur: porro Ottonem Ratiſponenſem epiſcopum, & Ottonem Cõſtantienſem epiſcopum, & Burchardum Loſannenſem epiſcopum, Eberhardum cõmitem, Vdalricum, & alios nonnullos quibus rex potiſſimum cõſiliarijs vtebatur, iam pridem excommunicauerat.

Gozilo dux Lotharingorum, cum eſſet in confinio Lotharingiæ & Flandriæ, in ciuitate quæ dicitur Antwerpha, occiſus eſt per inſidias (vt putabatur) Ruberti Flandrẽſis comitis. Cum enim quadam nocte, quieſcentibus omnibus, ad neceſſitatem naturæ ſeceſſiſſet, appoſitus extra domum ſpiculator confodit eum per ſecreta natium, relictoque in vulnere ferro concitus aufugit. Vix deinceps VII diebus accepto vulneri ſuperſtes, IIII calendas Martij vita deceſſit, atque Werdunis iuxta patrem ſepultus eſt. Magnum regni Teutonici robur ac momentum, quomodo (vt ſæpe iam dictum eſt) licet

licet ſtaturæ puſillitate, atq; gibbo deſpicabilis videretur, opum tamen gloria, & fortiſſimorum militum copia, prudentiæ quoq; maturitate, poſtremo totius vitæ temperantia longe cæteris principibus ſupereminebat.

Rex finito in Wormatia colloquio concitus Goslariam redijt, ibique iram ſuam, qua multo iam tempore in Saxones anxie æſtuauerat, omni crudelitate explebat. Principes Saxoniæ, qui in deditionem venerant, in vltimas regni partes relegabat: bona eorum ſuis fautoribus pro libito ſuo diripienda permittebat: eos qui nec dum dediti fuerant, acerrimis indies edictis ad deditionem vrgebat: & niſi quantocyus dederentur, ferro & igne infeſtari, & longius natali ſolo effugari cõminabatur: tum omnia caſtella, quæ ſuperiori anno dirui iuſſerat, ſummo niſu, ſummo prouincialium labore & ærumna inſtaurabat: noua quoque in omnibus per Saxoniã montibus & collibus, qui modo ad arcendam vim paululum quid commoditatis habere videbantur, exſtruebat: illis etiam, quæ deditis Saxonibus in ius eius venerant, præſidium imponebat: & multiplicata ſunt mala, calamitas & vaſtitas, per vniuerſam Saxoniam & Thuringiam ſupra omnem retro maiorum memoriam. Diſceſſurus Goslaria pridie nonas Martij epiſcopatum Colonienſem, ſicut à primis obſtinato intenderat, Hildolpho dedit. Cleri Colonienſes tres tantum, militum etiam pauciſſimi aderant: cæteros, ne ad ſuffragia ferẽda occurrerent, indignitas detinuerat: ipſos qui occurrerant, vix contemptim, & ſummis, vt dici ſolet, labijs ſuper electione eius cõſuluit, riſui prorſus ac ludibrio habẽdos, ſi non protinus acclamaſſent. Et ne quis forte aduerſus eum tumultus ſeditione vulgi per dilationem conſecrationis concitaretur, ſtatim Coloniam profectus, conſecrari eum fecit ab Wilhelmo Traiectenſi Epiſcopo, cuius conſobrino Epiſcopatum Paderbrunnenſem, ne qua per eum mora ordinationi eius fieret, promittebat.

Paſcha Traiecti celebrauit, ibique ducatum Lotharingiæ filio ſuo Cunrado, marckiam vero quæ dicitur Antvverpha, Godefrido conſobrino Gozelonis ducis, filio Euſtachij comitis, impigro & ad rem militarem acerrimo adoleſcenti tradidit. Ipſo tempore Rudolphus dux Sueuorum, Welf dux Baioariorum, Bertoldus dux Carentinorum, Adalbero epiſcopus Wirtzeburgenſis, Herimannus epiſcopus Mettenſis, & alij plerique principes conuenientes in vnum, conſilia conferebant in tantis calamitatibus, quibus reſpublica vexabatur, quid facto opus eſſet: regem poſt bellum Saxonicũ eundem permanere, qui fuerat: nihil eum de leuitate, de crudelitate, de peſſimorum hominum conuictu ac familiaritate mutaſſe: ad hoc tantum tam inſignem ſuam aduerſum Saxones victoriam profeciſſe, vt ille ſui omnium ſanguinis ius poteſtatemque acciperet, & ad perniciem bonorum omnium, & ad omne quod animo concepiſſet flagitium, impunita libertate graſſaretur: nihil ſibi deinceps ſpei, nihil præſidij reliquum fore, ſi forte (vt ſunt humana) eum offendiſſent, cum in dedititios contra iuſiurandum, contra fidem principum, tam fœda tam crudelia exercuiſſet. Hæc cauſa non ſolum ipſos, ſed & cunctos regni principes vehementer permouerat, & eos potiſſimum, quorum conſilio principes Saxoniæ ſe in periculum dederant. Facta eſt igitur conſpiratio non modica, & magis ac magis indies roborabatur: ea re maxime omnibus auſum & fiduciam præbẽte, quod excommunicatum eſſe regem à Romano pontifice, frequentes ab Italia nuncij quotidie deferebant. His animatus Mettenſis epiſcopus & alij plerique nonnullos ex principibus Saxoniæ, quos à rege in cuſtodia habendos ſuſceperant, inſcio rege in ſua liberos redire permiſerunt. Wilhelmus Traiectenſis epiſcopus cauſam regis (vt ſupra dictum eſt) contra bonum & æquum obſtinate tuebatur, & ſtudio partium regis, multa in iniuriam Romani Pontificis, omnibus pene diebus ſolemnibus, inter miſſarum ſolemnia, rabido ore declamabat: periurum eum, adulterum, & pſeudoapoſtolum appellans: & tam à ſe quam à cæteris Epiſcopis ſæpenumero excommunicatum pronũcians. Is breui poſteaquam rex exactis Paſchalibus ferijs Traiecto diſceſſerat, repente grauiſſima ægritudine correptus eſt. Cumque per acerrimos cruciatus animæ ac corporis vrgeretur, miſerabili eiulatu coram omnibus qui aderant, vociferabatur, iuſto Dei iudicio ſe & præſentem vitam amiſiſſe & æternam, quod regi ad omnia quæ perperam intendiſſet, operam ſuam ſummo anniſu præbuiſſet, atque in ſpem gratiæ eius Romano pontifici ſanctiſſimo, & Apoſtolicarum virtutum viro, graues contumelias ſciens & prudens innocenti irrogaſſet.

In hanc vocem (vt asserunt) sine cõmunione, sine vlla satisfactione expirauit. Successit ei in episcopatum Cũradus Moguntini archiepiscopi camerarius. Poderbrunnensem vero episcopatum Poppo Babenbergensis præpositus obtinuit, cuius potissimum factione & studio Herimannus Babenbergensis episcopus episcopatu deiectus fuerat.

Rupertus abbas quondam Augiensis, monasterium quoddam in Alsatiæ partibus, cui Gengebach nomen est, à Babenbergensi episcopo susceperat gubernandum. Vbi dum pro consuetudine sua lucris temporalibus immoderatius insudaret, paupertatem loci industria sua euincere satagens: occisus est cum alio haud desperatæ indolis monacho adolescente, qui eum de Babenbergensi monasterio secutus fuerat, à seruitoribus supra dicti monasterij, contra quos possessiones monasterij & ius suum progressus ipse ad vim arcendam defendere volebat.

Saxones deportatis in exiliũ principibus suis tædio & mœrore tabescebant, nec calamitatis vllum vsquam patebat effugium. Amici regis per mõtes & colles dispersi ceruicibus imminebant: nec eos, vt antea, conuentus facere, consilia conferre, aut vllam recuperandæ salutis viam tentare sinebant: insuper quotidie ex agris & villis prædas agebant, tributa regioni difficillima imponebant, castella sua summo prouincialium labore & impẽsis communiebant, & graues prorsus atq; inexplicabiles pristinę rebellionis pœnas exigebant. Erant duo cuiusdam Geronis comitis filij, satis quidem edito loco nati, sed propter inopiam rei familiaris inter principes Saxoniæ nullius nominis vel momenti. Hi tempore deditionis vltra Albim fluuium refugerant, ibique rei euentum præstolabantur, facile à rege propter obscuritatem nominis vel ignorati vel cõtempti. Cumque viderent mala quæ fiebant, non aliud scil. actum deditione principum quam proditam plane esse libertatem patriæ, totamq; gentem Saxonum, quo rex semper intenderat, in seruitutem atque sub iugum redactam: quamuis patrijs finibus extorres, quamuis munitionibus amissis, perdito patrimonio, rerum omnium inopes remansissent: gaudebant tamen admodum, quod cum cæteris Saxoniæ principibus in tempestuosum illud deditionis naufragium non incidissent. Et cum vrgeret penuria, contractis ex sui similium numero aliquantis copijs, rapto sibi victum quærere cœperunt: plerumque etiam vbi opportunitas accidisset, regis exactoribus resistere, & iniurias manu propulsare tentabant. Cumq; eis semel & secundo res prospere cessissent, milites principum qui relegati fuerant, ingenui quoque omnes, qui nec dum dediti fuerant, quiq; extrema omnia quam fidem regis vltra experiri malebant, cateruatim ad eos confluebant. Et facta est intra dies paucos permaxima multitudo, ita vt iam nõ ad insidias modo & clandestinas latrocinantium more excursiones, sed ad apertam vim & publicas congressiones pares se hostibus arbitrarentur. Præterea prouinciales, quibus inter vltimas desperationis tenebras lux aliqua salutis & cõsolationis cęlitus emicuerat, omnes promptissimo animo socias manus communemq; operam publicis negocijs pollicentur: satius iudicantes pro patria, pro liberis, pro coniugibus, honesta morte perfungi, q̃ inter tantas tribulationes omni morte tristiorem vitam agere. Inter hæc rediens Herimannus patruus Magni ducis, & alij pleriq; ex principibus dedititijs, quos (vt prædictũ est) inconsulto rege indulgentia eorum à quibus tenebantur, deditione absoluerat, inopinatum cunctis gaudium præstiterunt, atq; omnem, si quis adhuc mentibus residerat, scrupulum ademerunt: tanta siquidem tamq; inopinata rerum prosperitas euidens cunctis erat documentum respicientis eos misericordiæ Dei. Igitur armata iuuentute Saxoniam peragrantes, castella quibus rex præsidium imposuerat, alia deditione, alia militari manu breui omnia receperunt: eos qui intus erant direptis spolijs incolumes dimiserunt, accepto ab eis sacramento, quod vlterius in Saxoniam hostiliter non venirent: amicos regis omnes præterea quicunque communibus negocijs operam suam spondere noluissent, dissipatis omnibus quæ habebant, procul Saxonia effugarunt: & directa est salus in manibus eorum ad recuperationem libertatis pristinæ. Solus adhuc Otto dux quondam Baioariæ, in castello Hartesburg residebat. Huic rex per totam Saxoniam vices suas & publicarum rerum procurationem delegauerat: dato insuper negocio, vt castellum in Hartesburg, & aliud in mõte qui dicitur Lapideus, qui proximus Goslariæ imminet, summa ope extrueret. Ad hunc legatos dirigunt mandantes, vt omisso opere quod ad euersionem gentis suæ, immemor patriæ, immemor libertatis ex-

tis extruere aggressus sit: consilium potius perquirat ad ereptionem principum, quib. ipse vt se dederent vehementissimus auctor fuerit: iamdudum opinionem indubiam multorum mentibus insedisse, quod idcirco deditionem cæteris tantopere suaserit, vt eorum sanguine regis sibi animum deplacaret, & cõmuni exitio suã ipse salutem mercaretur: hoc nunc euidentibus indicijs elucere, cum illis in vltimas partes terrarum deportatis ipse proditionis suæ mercedem à rege totius Saxoniæ principatum acceperit, & regiæ crudelitatis carnifex, atq; omnium quæ ferociter rex meditetur, ferocior administer existat: bene igitur famæ & honori suo consulat, si tantæ infamiæ maculam claro aliquo erga patriam suam beneficio purgare conetur, & genti suæ patriam libertatemq; armis recuperare cupienti auxilio concurrat. postremo si monitis vltro non assentiatur, se procul dubio vim adhibituros, & patriæ proditorem, communium castrorum desertorem, vt dignus sit, euersis omnibus quæ eius sint, procul Saxonia expulsuros. Ad hæc ille obnixe eos per Deum obtestabatur, vt mitius pacatiusq; agerent, quæ pro communi commodo moliantur, ratione quam temeritate melius procedere, se protinus missurum & regi modis omnibus suasurum, vt principes deditione absoluat: castella quæ metu rebellionis pristinæ extruxerit, diruat: genti Saxonum libertatem, leges ac iura maiorum quæ per vim erepta toties armis repetiuerint, restituat: si consilio acquiescat, grauis atq; ancipitis belli necessitate sine sanguine liberatam esse Saxoniam: sin autem, se nec indulti honoris amore, nec mortis metu, nec iurisiurandi religione inhiberi posse, ne communem patriæ parentumque suorum causam vsq; ad extremum spiritum, quanta possit virtute defendat, iuuet, tueatur. In hæc verba legatos Saxonum dimisit, statimq; suos ad regem, sicut pollicitus fuerat, destinauit, præsidio quoque ab vtroque monte quem occupauerat, abducto, communem deinceps cum Saxonibus ac socialem vitam agebat. Rex de his quæ acciderant in Saxonia, graui nuncio accepto, comperto etiam quod cæteri principes collatis per crebra conuenticula consilijs defectionem meditarentur, hinc ira, hinc sollicitudine in diuersa raptatus, cui primum morbo mederetur, anxius ambigebat. Sed quo ira impellebat, inclinatior ad oppugnandam Mettensem vrbem exercitum admouere cogitabat, & ab episcopoloci, quod creditos custodiæ suæ principes se inconsulto dimisisset, vindictam expetere: sed contra reputans, turbata Republica, dubia fide principum, exhausto superioribus bellis milite, extremæ dementiæ esse, arduum aliquid præcipitanter attentare, impetum animi ab temeritate ad pacatiora consilia reuocauit. Missis igitur circũquaq; nuncijs, omnes regni principes in Pentecosten Wormatiæ sibi occurrere iussit: quid facto opus esset, communi consilio (vt prætendebat) deliberaturus. Statuta die, cæteris amplo satis numero occurrentibus, nullus aderat supra dictorum ducum, à quibus reipublicæ periculum timebatur, & quorum potissimum authoritate, si res trãquillæ essent, summam publicorum negotiorũ disponi oportuerat. Ita conuentus ille principum cassata voluntate regis nullum habuit effectum. Iterũ in Natale sancti Petri Apostoli Moguntiæ eos adesse, addita iã edicto obnixa supplicatione præcepit: sed ne tunc quidẽ quisquam eorũ, vel supplicantẽ attendit, vel præcipientẽ, omnibus plane ad rebellionis studium immobiliter obstinatis. Ipsi qui conuenerant, fœda simultate à se inuicem dissidebant. Iam enim solutus carcere suo Satanas non solum corporali sed & spirituali armatura oppugnabat pacẽ ecclesiasticam, & quorum corpora iugulabat, animas quoq; ne in æternũ viuerẽt extinguere satagebat. Vto episcopus Treuerẽsis Roma nuper reuersus communicare nolebat episcopo Moguntino, episcopo Coloniẽsi, & alijs quam pluribus qui apud regem præ cæteris assidui erant, & quorũ rex omnia faciebat consilio: obtendens & eos & ipsum regem excommunicatos esse à Romano põtifice: sibi tamen, quod ipsum vix summis precib. extorserit, indultam esse colloquendi tantum regis licentiã: nulla prẽter hæc in cibo, in potu in oratione, vel in cæteris omnibus communione eius permissa. Huius authoritate animati complures alij, quorũ & in Deum fides purior, & ad dignitatẽ reipublicę sententia potior, paulatim se palatio subtrahebant, ne videlicet supra dictorum communione macularentur: & ad regem, licet crebris iussionibus euocati, redire nolebant, satius iudicãtes regem quam Deum offendere, corporis quam animæ dispendium incidere. Illi econtra irasci, fremere, insanire,

minas & conuitia in omnes passim iaculari: iniustam & idcirco nihili æstimandam esse Romani pontificis sententiam, qui se nec canonice ad synodum euocatos, discussos, nec obiecti criminis iuxta scita canonum conuictos vel confessos præcipiti furore potius quam ratione excommunicasset: episcopum Treuerensem & cæteros qui cum eo ad euertendum statum Reipublicæ iam pridem conspirassent, aliorsum intendere quam loquerentur: nec tam Apostolicæ sedi authoritatem deferre, quam vt dignitatem regiam subruant, occasionem quærere, & inueterata aduersus regem odia nouo religionis vocabulo palliare: eum recte honori suo prospicere, si in hostes suos gladium, quem iuxta Apostoli vocem ad vindictam malorum acceperit, maturius distringat, & contemptis inanium occasionum latibulis, manifestos regni insidiatores pœna quam mereantur afficiat. Nec difficile fuit ingenium regis per se atrox & implacabile in iram excitare. Sed cum videret sub obtentu religionis principes à se paulatim deficere, & destituto iam auxilijs imperio vanam esse comminationem, quæ vim facere nõ posset quibus comminaretur, ratus id quod tempus exigebat, vtilitati magis quam iracundiæ consulendum, iterum atque iterum auersos principum animos blandis legationibus mitigare tentabat: nec tamen (quod dictu mirum sit) tanta hac rerum asperitate, tanta ingruentium periculorum mole euinci poterat, vt, vnde potissimum hæc flamma inuidiæ & odij aduersum eum exarserat, principes Saxoniæ deditione absolueret: quin imo conterritus recenti exemplo eorum qui plerosque ex ipsis se inconsulto dimiserant, residuis qui adhuc in custodia tenebantur, omnem adhiberi diligentiam iubebat ne elaberentur: ideoque sæpius his quibus eos seruandos crediderat, mandabat, vt memores beneficiorum suorum, memores iurisiurandi quo sibi fidem suam firmassent, traditos custodiæ suæ intemerata fide, donec reposcerentur, seruarent, nec aliorum principum fœdissimo corrumperentur exemplo, qui dimissis suo iniussu dedititijs, dum priuatas suas iniurias in regem vlcisci vellent, cladem maximam & maculam multis seculis non abolendam Reipublicæ intulissent. Et omnibus quidem infensus, omnium (vt videbatur) sanguinis auidus erat: præcipue tamen episcopi Halberstadensis, quem tanquam totius Saxonicæ rebellionis principem, & omnium quæ secus acciderant, fomitem atque incentiuum inexorabili odio insectabatur. Et nisi pontificalis nominis reuerentia, & fides principum quæ in deditione intercesserat, obstarent, vitam eius per omnes cruciatus extorsisset. Hunc Ruperto Babenbergensi episcopo seruandum crediderat, velut præter cæteros familiares suos immitis ac ferocis ingenij viro, & erga se in aduersis rebus spectatæ sæpe fidei. Sed postquam inclinatis ad defectionem principibus, iterum nouis rempublicam tempestatibus quati aspexit: quamuis custodis diligentiæ non diffideret, veritus tamen ne forte subrepente per hanc moram negligentia aliquid in eo vis vel fraus hostilis operaretur: ad palatium eum euocauit, & ibi nunc inter camerarios suos, nunc inter cocos & coquinarum spurcitias indignissimo loco habitum sub omni diligentia custodiri fecit, donec tam feralibus odijs competens exilium excogitaret. Erat ipso tempore apud regem soror eius, vxor Salomonis regis Vngariorum, quam maritus regno expulsus, cum in armis & procinctu esset, nusquam tutius quam apud fratrem manere iudicauerat, donec recuperato, si fieri posset, regno in iucunditate perfrui coniugio liceret. Cumque post multum iam tempus ad maritum in finibus Vngariæ commorantem redire pararet: rex opportunam eam arbitratus, quæ crudelitatis huius munere fungeretur, rogauit eam, vt episcopum Halberstadensem secum abduceret, atque in locum ex quo nulla ei deinceps in regnum Teutonicum redeundi copia fieret, deportari faceret. Annuit illa petenti, & naui impositum cum hominibus suis præmisit: ipsa paucis post diebus, cum profectioni suæ necessaria ordinasset, insecutura præcedentem. Habebat idem episcopus militem quendam Vdalricum nomine, multis in Baioaria possessionibus prædiuitem, regi quoque apprime charum & acceptum: is vbi aduertit mala quæ episcopo parabantur, motus miseratione atq; ipsa humanarum rerum consideratione, quod tantus ac talis vir, ingens columna & firmamentum reipublicæ, nisi regis temeritas diuina atque humana omnia confudisset, tam pessimo nunc exemplo periturus foret: accessit ad eum paulo ante quam nauigare inciperet, & quæ in eum rex decreuisset, per ordinem exposuit: actum esse de salute eius, nisi propitia diuinitas, quæ

quæ sola iam posset, periclitanti succurreret: edocet præterea, possessiones suas & castellum munitissimum haud procul ab littoribus Danubij fluminis abesse, monetq; vt dum ad ea loca nauigans peruenisset, rogaret sæpius eos cum quibus nauigaret, quatenus applicarent, & sibi paululum in terram progrediendi facultatem facerent: obtenta vel refrigerandi, vel alius cuiusuis necessitatis occasione, quæ modo tali artificio idonee patrocinaretur: se memorem fidei qua ei obnoxius sit, omnia quæ possit, pro virili portione facturum, & si quam ereptionis eius viam Deus ostendat, tentaturum. Fecit ille, vt edoctus fuerat: atq; vbi ad prædicta loca propinquare cœpit, simulata mala valetudine, quæ sibi ex assidua nauigatione corpus effecisset insolitum, & nisi mature consuleretur, extremam perniciem allatura foret languenti: facile obtinuit apud nautas, qui pontificalis nominis intuitu magnam humanitatem ei præstabant, vt quoties vellet applicarent, & ei egrediendi atq; in terra (prout libitum erat) recreandi corporis copiam facerent. Longinqua regio, custodum multitudo, debilitas languentis omnem metum, omnem fugæ vel insidiarum suspicionem ademerant. Egrediebatur sæpius & regrediebatur, circumspiciens vndiq;, & omnia diligenti obtutu perlustrans: nullum vsquam promissæ salutis indicium, nulla spes elucebat. Forte beati Ioannis Baptistæ natiuitas occurrerat, & mane dum præterlaberentur, conspicatus contiguam littori ecclesiam, rogauit vt appulsa naui ad celebranda tam sacratissimo die missarum solemnia ad ecclesiam procederent. Assentientibus illis ingressus ecclesiam, salutarem Deo hostiam offerre sacerdotalibus, vt solemne est, infulis indutus cœpit. Cui rei intentis omnibus, supra dictus Vdalricus recte per explorat orum diligentiam, captata loci opportunitate, repente armata multitudine ecclesiam circumdedit, ingressusque modeste, interim dissimulato propter quod venerat negotio, consummationem sacri ministerij tacitus tranquillusq; præstolabatur. Quo expleto, suos quantocyus ad nauium conuolare, & omnia quæ episcopi sunt efferre iubet. Ipse fortissimorum iuuenum agmine stipatus, procedẽtem ab ecclesia episcopum salutat, osculum porrigit, equum quem euectioni eius optimum aptauerat, ocyus conscendere iubet. Stupentibus qui episcopum adduxerant quid hoc rei esset, & post irritas ratiocinationes ad arma concurrentibus: iubet, vt si vitæ ac saluti suæ consultum velint, quieti maneãt, arma ponãt, naues pacatis animis repetant: gratum habentes, quod commissi in tãtum pontificem piaculi pœnæ non exigantur. Si verbis inanibus, si motibus incompositis lacessere pergant: facile gladios procacitati modum facturos, episcopum episcopalis ministerij munia ecclesiæ Halberstadensi cui ordinatus sit episcopus, rectius præstare quam ipsis. Illi cum numero & virtute impares essent, temerarium arbitrati rem certamini committere, tristi confectoq; animo ad naues redierunt: episcopus in castellum quod haud lõge aberat, concessit, ibiq; paucis diebus commoratus, donec absumpta nouitate studia conquiescerent omnium, si qui forte redituro insidiabuntur: tandem assumpto laico habitu, quo falleret occurrantes, in Saxoniam contendit, & desperãtibus iam reditum eius Saxonibus repente, tanquam ab inferis viuus emergens, restitutus est. Rex vbi gestæ rei nuncium accepit, grauiter & iniquo nimis animo ferebat, tantos conatus suos in irritum cessisse, præreptam sibi tantarum contumeliarum vindictam, redditum cum impunitate hostibus virum, in quo totius Saxonici belli summa & cardo verteretur: nec dubitare poterat paululum iam sopitos ignes Saxonici furoris hoc incentore ilico suscitandos, & propediem in immensum conflagraturos: atq; eo infestius id acturum, quo se meminisset post deditionem nullam in rege clementiam, nullam expertum fuisse humanitatem. verebatur præterea, ne simili modo cæteri quoq; elaberentur dedititij, & sibi tam insignis victoriæ, tam operosę deditionis fructus deperiret: assecutis eis se inuito libertatem. Omnia consideranti placuit tandem alia deinceps grassari via, & Saxones quos extranei toties tentatos non vicerant, suis iam armis, suis parat expugnare viribus: sapienti certe vsus consilio, quoniam constet omne regnum nulla vi, nulla clade citius quam domestica atq; intestina simultate labefactatum corruere. Episcopum Magdaburgensem, episcopum Merseburgensem, episcopum Misenensem, Magnum ducem, Fridericum Palatinũ comitem, præterea omnes Saxoniæ & Thuringiæ principes qui adhuc in deditione tenebãtur, ab exilio reuocari iubet, & clementer accersitis

ait,ſe,cum iuxta palatinas leges extremo in eos ſupplicio animaduertere poſſit, & hoc iure faciat, grauibus ſæpe ab eis contumelijs laceſſitus: tamen memorem generis eorum,memorem virtutis quæ Reipublicæ & honori eſſe poſſit & munimento,tam atrocis facti veniam dare, & quod amplius ſit, non aliud ab eis quærere redemptionis ſuæ precium, quam vt ſibi deinceps in dubiis rebus fideles ac deuoti maneant, auxiliumq; præſtent ad componendum regni ſtatum, & compeſcendos homines factioſos, eos potiſſimum qui gentem Saxonicam ſimplicem & malarum artium neſciam inteſtinis quotidie diſſenſionibus inquietent:ſi id faciant,nec vlla vt prius leuitate fidem permutent,ſe primos in amicis habiturum,& cum ſe opportunitas præbuerit,beneficijs,protiam munificentiam deceat, honoraturum. Illi etſi eum hæc ficta loqui ſcirent,& neceſſitate magis quam pietate genuinum animi rigorem laxaſſe, tamen impunitatis amore libenter amplexantur oblata,promittunt quicquid iubet,promiſſa repetito ſæpius ſacramento roborant, & accepto commeatu in ſua ſinguli cum gaudio reuertuntur.Rex(vt ſupra dictum eſt)commonitus ab Ottone duce quondam Baioariæ,vt turbatis rebus in Saxonia mature conſuleret, mandauerat ei, vt ſibi certa die in Salefelt occurreret, quatenus communiter habita diſcuſſione quid facto opus eſſet, deliberarẽt.Poſtmodum vero fretus his quos deditione abſoluerat, quod eorum auxilio in Saxones qui ſe læſerant,iram ſuam idonee vlciſci poſſet,conſilium mutauit,& ſtatuta die nuncios pro ſe in Salefelt duci Ottoni miſit qui ei dicerent, vt contractis quantaſcunque poſſet copijs ſibi in marchia Miſinenſi cõcurreret: ſe per Boemiam ducto exercitu aduenturum, & filijs Geronis comitis qui imperitam multitudinem male auſpicato ad arma concitaſſent, ſi Deus vota proſperaret, redditurum quod mererentur. Principibus quoque Saxoniæ & Thuringiæ quos patriæ nuper remiſerat, eadem mandat:obſecrans, vt præſtitæ ſibi indulgentiæ gratiam referentes, cunctos quos valeant, ab hominum perditorum ſocietate dehortentur, & ipſi ad ferenda publicis negotijs auxilia,deſignato die & loco,armati inſtructique præſto adſint.Ipſe vt inſtituerat,pauciſſimos ſecum aſſumens Teutonici exercitus milites, cæteris omnino quid moliretur ignorantibus, in Bohemiam contendit:ibique iuncto ſibi duce ac milite Boemico, repente plus quam tanto operi expediret,fidens neſcio an negligens,in Marchiam Miſinenſem ſe infudit: videlicet vana ſpe eluſus, quod ducis Ottonis induſtria, & cæterorum quos beneficio ſuo deuinctos ſibi gloriabatur, omnem rebus moram, omnem conficiendo negotio difficultatem ademptura foret. Sed dux Otto ſciens genti Saxonum iuſtas eſſe cauſas rebellionis, id multo iam tempore apud regem crebris legationibus egerat, vt belli ſeminarium irarumque cauſas amoueret: leges ac iura ſua Saxonibus rata manere ſineret: æquitate potius quam armis tumultuantes compeſceret: & tantos labores,tãtum qui prælio fundendus eſſet ſanguinem lucratus, ſine difficultate in perpetuum opulentiſſimæ gentis ſeruitio frueretur: hanc regis ac tyranni eſſe diſtãtiam,quod hic vi atque crudelitate obedientiam extorqueat ab inuitis, ille legibus ac more maiorum moderetur ſubiectis,præcipiatque facienda. Verum ille homo in imperio natus & nutritus, vt tantos natales, tantos proſapiæ faſces ac titulos decebat, in omnibus regium ſemper aduerſis animum gerebat, mori quam vinci malebat. Inexpiabilis ignominiæ maculam putabat,impune iniuriam accepiſſe: & ceõtra ſummum decus & vitæ præſenti comparandum æſtimabat, nihil quod ſecus accidiſſet inultum præteriſſe. Ad hoc homines ſibi aſciuerat talium rerum artifices,mediocri quidem loco natos,ſed conſilio ac manu promptiſſimos, qui ſecundum quod Propheta dicit, loquebantur ei placentia, & diuinabant ei errores, & ægrotum animum, & per ſe affinem iracundiæ ac temeritati, adulationibus ſuis, tanquam ſuppoſita face, in omne quod libuerat,inflammabant:ideoque vt opera ſua magis illi foret neceſſaria,perpetuis rempublicam tempeſtatibus vexari quam maxime ſatagebant. His peſſimis vſuſcõſultoribus, principes regni recta ſuadentes plurimum auerſabatur, nec eos ad conſilium ſuum,niſi forte inexplicabilis neceſſitas incidiſſet, admittebat: quin imo authoritatem eorum ſi copia fieret opprimi, ac penitus obliterari cupiebat, vt in omne quod animus ſuggeſſiſſet,effrenata libertate graſſanti nullus obſiſteret,nemo obloqueretur. Igitur dux Otto vehementer efferatus, quod contra conſilium ſuum rex Saxoniam bello rurſus impeteret,ait ad Epponem Citicẽſem Epiſcopum,qui ei (vt dictum eſt)in

Salefelt

Salefelt functus legatione regis occurrerat; se regi, quod honori eius, quod commodo reipublicæ competeret, suggessisse: sed quoniam plus apud eum fidei sit ineptis assentatorib. quam sibi, plus apud eum fiduciæ ponatur in milite Boemico quam in Teutonici exercitus robore; ad eum pertinere, quem cœpta exitū sortiantur; se nec rebus bene gestis gloriam, nec si aliter cesserint, ignominiam habiturum: præterea nulla iam sacramenti quo ei fidē dixerit, religione teneri, cum recta & vtilia suadens non audiatur; insuper contra leges Dei, contra decus imperij, contra salutem animæ suæ ad effundēdum sanguinem innocētem gentili ritu arma sumere iubeatur: proinde omni periurio absolutum, libere deinceps causam gētis suæ, quæ iusta sit, quantum valeat, armis & opibus asserturum. Eadē protestabantur cæteri quoq; principes, tam Saxoniæ quam Thuringiæ, qui etiamsi cupidissime vellent, nullum petenti præstare possent auxilium: vnanimiter scilicet detrectantibus militibus eorum infaustam contra patriam parentesq; suos militiam. Iam enim non dubia fide, vacillantibus animis, vt prius cum inter spem & metum fluctuarent, sed vnanimi sententia, obstinata contentione ad rebellandum conspirauerant: neque callidis principum exhortationibus, vt antea, concitatum vulgus ad arma prosiluerant, sed omnes simul prouinciales non ductu auspicioq; principum, sed priuatis studiis, priuatis impensis, bellum gerere proposuerant; sibi dimicare, sibi, si Deus annueret, vincere parati; nec aliud à quoquam militiæ suæ stipendium prę-
stolantes, quam coniugum liberorumq; suorum salutem, atque vt à ceruicibus suis durissimę seruitutis iugū excuterent: ipsos deniq; principes, si obniti, si contra hiscere tentarent, dissipatis vel incensis omnibus quæ eorum essent, procul patriis finibus expellere minabantur: ad vltimum ea mente rem gerendam susceperant, vt vel vincerent obstinate, vel morerentur. Vltima desperatio sic studia inflammauerat, quoniam certa superioribus annis documenta ceperant, nullam apud regem victis esse spem venię, cum ferocitatem pectoris eius, & inexorabile Saxonici nominis odium, nec voluntaria deditio principum, nec tantus in Thuringia fusus sanguis restinxisset. Igitur vbi per Saxoniam rumor percrebuit, quod rex conterminam regni Saxonici marchiam Misenensem ferro & igne depopularetur, ad arma cōclamant: multa millia hominum breui concurrunt, conferendi certaminis intolerabili feruent desyderio, obuiam ire hostibus vnanimi alacritate contendunt. Sed quoniam accelerando itineri turba frequentior armis atq; aliis impedimētis implicita, parum pro voto satagere valebat: filij Geronis comitis assumptis secum VII millibus expeditorum equitum, summo nisu, ardentissima citius conficiendi negotij auiditate in occursum properant. Quod si regem cōsequi, & sic efferato milite, sic feruētibus studiis signa conferre contigisset: (vt multorū ferebat opinio) tractum tot annis bellum Saxonicum facili compendio confectum fuisset, & regem cunctumq; eius comitatum, vel mors certissima, vel ignominia difficile abolēda occupasset. Nam præter exercitum Boemicum, qui nec ipse vel armis, vel numero vel virtute tanto negotio se parem præstiterat, paucissimos secū habebat, quoniam superuacaneum arbitratus fuerat Teutonicis militibus tam longinquæ expeditionis laborem indicere, cum speraret (vt dictum est) industria Ottonis ducis & aliorum quos deditione gratis absoluerat, omnes Saxonum vires facile eneruādas, & copias sibi maioribus etiam bellis sufficientes statuto die ac loco affuturas. Forte tum temporis Deo misericorditer saluti regis prospiciente, fluuius Milda, qui vtrunque exercitum medius dirimebat, effusis nuper imbribus vehementer intumuerat, atq; omnem transmeandi facultatem ademerat: cuius rex inundatione commodissime pro se vsus, non expectata decrescentium aquarum vicissitudine, in Boemiam se recepit, maturatoque per Baioariam reditu, mœstus ac pœnitens, quod tantos labores in vacuum expendisset, Wormatiam repedauit. Et quoniam digrediens duci Boemico marchiam Misenensem tam spectatæ in arduis rebus fidei præmium dederat, Ecbertus marchio, cuius eadem marchia erat, filius patruelis regis, puer longe adhuc infra militares annos, vbi primum decrescentibus aquis fluuius factus est transmeabilis, adiunctis sibi Saxonibus Missenen perrexit, omniaque castella, quibus dux Boemicus præsidium imposuerat, admota militari manu recepit, suosque milites, qui deinceps contra omnem hostium irruptionem indefessi excubarent, imposuit: mirantibus cunctis quod regem nec ætatis nec propinquitatis respectus ab hac iniuria reuocasset.

Interea Rudolphus dux Sueuorum, Welf dux Baioariorum, Bertholdus dux Carentinorum, Adelbero episcopus Wirtzburgensis, Adelbertus episcopus Wormatiensis, & alij quos reipublicæ calamitas mouebat, in loco qui dicitur Vlma conuentu habito, statuerunt, vt omnes quicunque reipublicæ consultum vellent, XVII calendas Nouembris Triburiam conuenirent, & variis cladibus, quibus permultos iam annos pax ecclesiastica turbabatur, tandem aliquando malorum pertæsi finem facerent. hoc Sueuiæ, hoc Baioariæ, hoc Saxoniæ, hoc Lotharingiæ, hoc Franciæ Teutonicæ principibus denunciarunt, vniuersosq; in commune per Deum obtestabantur, vt omni excusatione relegata, cuncta priuatę rei sollicitudine posthabita, hanc singuli communibus commodis vel extremam operam dependerent. Qua expectatione suspensis atque attonitis omnibus, episcopus Moguntinus & alij quam plures qui eatenus partes regis vehementius tuebantur, ab eo defecerunt, & adiuncti supra dictis principibus ad meliorandum regni statum ardentissimo zelo exarserunt. Miro etiam atque inopinato rerum successu, vt quod moliebantur nullis iam retardaretur impedimentis, obsides quibus nonnulli ex principibus superiore anno fidem suam apud regem obligauerant, repente his qui eos dederant sunt restituti. Duos ducis Ottonis filios, alterum rex ipse, alterum is qui à rege curandum susceperat, insciо rege, patri nec opinanti remisit. Filius Vtonis marchionis, & filius Adelæ derelictę Dedi marchionis, ambo teneræ ętatis, & longe adhuc infra pubertatis annos pueruli, cum in munitione cuiusdam Eberhardi ministri regis custodirenrur, magnum quoddam & posteriorum memoria dignum nobilissimæ indolis documentum ediderunt. Iusserat rex eidem Eberhardo, vel propter tanti generis claritatem, vel propter ætatis infirmæ compassionem, vt eos indulgentissime nutriret, & ne aut inerti ocio aut iugis custodiæ tædio tabescerent, sineret eos interdum cum æqualibus suis ludicris puerilibus exerceri. Hoc ipsum parentes crebra custodibus munuscula destinantes flagitabant. Fecit ille vt petebatur, & modo intra munitionem, modo extra adhibitis custodibus, prout libitum erat ludere patiebatur, nihil siniſtrum in ætate simplici & fraudis nescia suspicatus: interdum etiam in nemus, quod munitioni contiguum erat, venatum pergens, impositos equis, cuius rei vix dum ætas patiens erat, secum ire permittebat, vt oppressas mœrore ac tædio mentes hoc aduocamẽto recrearent. Cum hoc sæpius faceret, consuetudo fiduciam, fiducia custodibus securitatem pariebat, vt eis indulgentius indies diligentis custodiæ frena laxarent, & absumpta iam omni suspicione, quicquid voluissent, etiam absque arbitris eos agere paterentur. Cœperunt igitur, vbicunq; tempus & locum secretiorẽ nacti fuerant, sermones conferere, patriæ parentumq; recordari, peregrinationis molestias deplorare, & vt pro salute sua aliquid Deo auspice conarentur, mutuis se suasionibus incitare. Quadam ergo die cum iuxta solitum prædictus Eberhardus secum assumptis eis venatum exisset, & ad insectandam quæ casu occurrerat, feram, omnes (vt fieri assolet) inconditis clamoribus, feruẽtissimis studiis discurrissent: pueruli vbi se solos aduerterunt, custodem nullum, eos qui simul venatum processerant, aliarum rerum immemores, soli quæ agebatur venationi intentissimos, quantis possunt viribus equis subdũt calcaria, per condensa syluarum, per abrupta montium, per concaua vallium periculi sui vel negligentes, vel contemptores, dicto citius euolant: nec in certum aliquem locum regionis ignari cursum dirigunt, sed laxatis temere habenis, quocunque impetus equos ferebat, præcipites ruunt. Celeri cursu transmisso nemore ad Mœnum fluuium perueniunt, piscatorem illic offendunt in scapha piscatoria capturis piscium incumbentem, euehi se Moguntiam petunt, chlamydes suas quibus vestiebantur, quoniam aliud in promptu non erat, euectionis precium offerunt. Ille vel precio allectus, vel miseratione periclitantium permotus (hoc enim ex trepidatione & cætero corporis gestu facile coniiciebat) benigne in nauiculam suscepit, & vtensilibus quæ in nauicula erant adopertos, ne scilicet ab insequentibus agnoscerentur, Moguntiam, vt rogauerãt, euexit. Equi eorum transito amne in vlteriore ripa iuxta nauiculam mirum in modum moderato gradu decurrebant, ita vt cum eunte nauicula pariter irent, cum subsistente pariter subsisterent. Brutis pecoribus humanas inesse animas crederes. Vbi Moguntiam ventum est, receptis equis suis in domum quandam ripæ contiguam clanculo se immergunt, dominumq; domus per Deum obtestantur, ne eos cuiquam prodat, se ar-

se archiepiscopo Moguntino genere coniunctissimos esse, cui si incolumes intemerata fide restituat, tam ab ipso quam à cæteris parentibus suis, qui inter regni principes & opum & dignitatis speciali prærogatiua emineant, digna meritis præmia relaturus sit. Nec multo post aderat Eberhardus, fremens & stridens dentibus præ doloris impatientia, compertoque per veridicos indices, quo pueri diuertissent, summa vi, summo conamine domum expugnare, foresque infringere parabat, & nisi obsides regis mature redderentur, ignem tectis iniecturum se minabatur. Concurrit ciuitas ad spectaculum, & facta est pro studiis partium confusa ac dissona aliud atque aliud clamantium turbarum vociferatio. Perlato ad episcopum Moguntinum tumultuantis ciuitatis nuncio, misit confestim cum armatis Conradum comitem de castello quod dicitur Luizelenburg, qui tum forte apud episcopum præsens erat: qui veniens Eberhardum improbe sæuientem atq; in omnes qui obsisterent, nunc vi, nunc comminatione grassantem, ab oppugnatione ędium cum contumelia repulit, susceptosq; pueros episcopo præsentauit. Ille admodum gratulatus, quod causam principũ, qui pro communi commodo arma sumere meditabantur, hac etiam parte impedimentorũ liberasset, suis singulos parentibus cum omni diligentia, ne quis scilicet insidiaretur abeuntibus, remisit.

Statuta die iuxta condictum principes Sueuiæ & Saxoniæ Triburiam conuenerunt amplissimo numero obstinatis mẽtibus ad submouendum à negotiis regni regem Heinricum, & alium in quem communis electio cõsensisset, creandum. Aderant vna legati Apostolicæ sedis Sigehardus patriarcha Aquileiensis, & Altmannus Patauiensis episcopus, vir Apostolicæ conuersationis, & magnarum in Christo virtutum, cui papa vices suas in dispositione ecclesiasticarum causarum delegauerat, & laici nonnulli (qui magnis opibus relictis vltro se ad priuatam tenuemq; vitam propter Deum contulerant) missi à Romano pontifice, vt palam omnibus per Gallias contestarentur iustis de causis excommunicatum esse regem Heinricum, & ad eligendum alium regem Apostolici consensus & authoritatis suffragium pollicerẽtur. Hi nec principi, nec priuato cuiquam, qui regi Heinrico dicto vel facto aliquatenus post excommunicationem communicasset, communicare volebant, donec publice professus pœnitentiam per Altmannum vicarium Romani pontificis anathemate absolueretur. Pari cautela eorum quoque communionem vitabant, qui presbyteris coniugatis, vel eis qui ecclesiasticas ordinationes precio comparauerant, in oratione communicassent. Per septem itaque continuos dies consilia conferentes, quid facto opus esset, qua ratione periclitanti, & iam iam naufragium minitanti reipublicæ consulendum foret, perquirebant. Replicabant ab tenero (vt aiunt) vngue omnem vitæ regis institutionem, quibus probris, quibus flagitiis existimationem suam decusque imperij vix dum adulta ætate maculasset; quas iniurias singulis, quas in commune omnibus, vbi primum pubertatis annos attigit, irrogasset; quod remotis à familiaritate sua principibus, infimos hominum, & nullis maioribus ortos summis honoribus extulisset, & cum eis noctes perinde ac dies in deliberationibus insumens, vltimum, si possit, nobilitati exterminium machinaretur; quod barbaris gentibus vacatione data, in subditos sibi populos dedita opera ferrum distrinxisset, & in eorum nece hostili crudelitate grassaretur; regnum quod à parentibus suis pacatissimum, & bonis omnibus florentissimum accepit, quam fœdum, quam despicabile, quam intestinis cladibus infestum cruentumque reddidisset, ecclesias & monasteria destructa, victualia seruorum Dei versa esse in stipendia militum, studium religionis & rerum ecclesiasticarum transisse ad arma militaria, & ad munitiones extruendas, nõ quibus vis & impetus barbarorum arceatur, sed quibus patriæ tranquillitas eripiatur, & liberæ gentis ceruicibus durissimæ seruitutis iugum imponatur; nullum vsquam esse viduis & orphanis solatium, nullum oppressis & calumniam sustinentibus refugium, non legibus reuerentiam, non moribus disciplinam, non ecclesiæ authoritatem suam, non reipublicæ manere dignitatẽ suam; ita vnius hominis temeritate sacra & prophana, diuina & humana, fasque nefasque confusa esse & implicita: proinde tantarum calamitatum vnicũ ac singulare superesse remedium, vt quanto ocyus, amoto eo, alius rex crearetur, qui tandiu terminos suos euaganti licentiæ frena iniiceret, & mundi vacillantis ruinam subiectis humeris sustentaret. Rex Heinricus, contractis in vnum suę partis assertoribus, in villa quæ dicitur Oppenheim,

se continebat, Rheno fluuio vtraq; castra dirimente, frequentesq; ad eos indies legatos mittebat; pollicens omnium quæ eos offenderant, in reliquum emẽdationem; se veterum iniuriarum memoriam sequẽtibus beneficiis, si vita comes foret, aboliturũ, nihilq; deinceps circa rerũ publicarum administrationem absq; communi cõsulto acturum, postremo vltro se iure suo cedere, eisq; gubernandi disponendiq; pro suo arbitratu totius regni ius potestatemq; facere, dummodo æquo animo paterentur, sola regij nominis, regiique cultus rata sibi manere insignia, quæ semel legitime accepta, fine summa omnium eorum ignominia amittere non posset, nec finerent regni Teutonici splendorem omnibus retro sæculis intactum incontaminatumq; sua ætate tam turpis exempli macula sordescere: quod si verba sua difficilius admitterent magnificis promissionibus toties elusi, paratum se quibus sacramentis, quibus vellent obsidibus fidem facere, quod nulla vnquam dies, nulla rerum vel casuum mutabilitas hanc suam in eos beneuolentiam corruptura foret. Ad hæc illi, Nulla, inquiunt, iam superfunt argumẽta, quibus toties recognita atq; spectata fides eius probari vltra vel obligari valeat, cum toties morum suorum emẽdationem coram oculis omnia cernentis Dei q̃ sancte pollicitus, omnia quibus se obstrinxerat vincula, vbi primum calamitas quæ ad præsens vrgebat, præteriit, tãquam aranearum telas ruperit, & semper seipso deterior, cursum mali operis, sicut equus impetu vadens in prœlium, effrenata libertate repetiuerit. Neq; nos præcipiti temeritate ad hæc extrema experienda prorupimus; omnes vias, omnia prius cõsilia pertentauimus, si qua ratione rigidum obstinatumq; in malis desperati hominis ingenium emolliri posset. Sed inueteratus morbus atq; imis penitus iam insidens visceribus, nihil spei, nihil admittit remedij, omnem artem, omnem euincens industriam medicantium: quin imo, dum leuitati eius impensius morem gerere studemus, & cunctis quæ perperam molitur, religionis obtentu muliebrem præbemus patientiam: status reipublicæ euersus est: tranquillitas ecclesiarum turbata: maiestas imperij ablata: authoritas principum euacuata: mores inuersi: leges abolitæ: & secundum prophetæ elogium, maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt: & sanguis sanguinem tetigit: postremo omnis iustitiæ & pietatis, religionis & honestatis disciplina situ atq; incultu obsoleuit. Hæc quidem dum sola vitę temporalis detrimenta, dum solam famæ & existimationis labem minitarentur, tametsi viris ferenda non essent; tulimus tamen, ne contra iusiurandum quo tenebamur, præcipitanter impudenterque venire videremur, & dum gloriæ nostræ consulere conaremur, animæ naufragium pateremur. Nunc vero cum ab ecclesiæ corpore propter flagitia sua Apostolici anathematis mucrone præcisus sit, cum ei communicare sine communionis ecclesiasticæ damno & fidei iactura non possimus, cum fidem nostram multis apud eum sacramentis implicitam Romanus pontifex Apostolica authoritate explicuerit: extremæ profecto dementiæ esset, diuinitus oblatam salutis occasionem non obuiis (vt dici solet) manibus excipere, & quod iamdiu præmeditatum sit, vt agatur, tam opportuno tempore non agere: cum leges humanæ & ecclesiasticæ sinant: cum locus & tempus arrideant: cum deniq; omnia, quæ paci vel bello vsui esse solent, conficiendæ tanquam rei fauorem suum polliceantur. Quapropter contemptis inanium argumentorum cuniculis, quibus denuo in ceruices iugulosq; nostros viam gladio suo affectat, immobiliter animo fixum tenemus, vt absq; vlla dilatione virum nobis prouideamus, qui præcedat nos & prælietur bellum domini ad expugnandam & destruendam omnẽ cuiuscunque hominis altitudinem, eleuãtem & extollentem se aduersus iustitiam & veritatem Dei, & sanctæ Romanæ ecclesiæ authoritatem. In hæc verba legatos regis diserunt. Iterum alios atq; alios misit, nullum supplicationis genus, quod impediendę tantæ rei proficuum putaretur, prætermittens. Sed illi in eadẽ sententia fixi obstinatiq; manebant. Iamq; vtraq; ex parte ad magnum discrimen res spectare videbatur. Denique & hi regem alium sibi protinus constituere, & transmisso Rheno fluuio (nauigium enim omne episcopus Mogũtinus in eam ripam coegerat) proxima luce regi Heinrico arma inferre parabant: & ille incisa spe dilationis impetrãdę, suos qui per proximas villas dispersi erant, in vnum coire, atq; arma expedire iubebat, vt in vlteriorẽ ripam progressos, confestim prælio adoriretur. In hac tantarum expectatione rerum intentis solicitisq; omnibus ecce primo diluculo sequentis diei, quæ vltimam cladẽ reipublicæ allatura

allatura timebatur, Sueui & Saxones legatos ad regem miserunt, qui ei dicerent: tametsi nec in bello, nec in pace vlla vnquam ei iustitiæ vel legum cura fuerit, se tamen legibus cum eo agere velle, & cum crimina quæ ei obiiciantur, omnibus constent luce clariora, se tamen rem integram Romani pontificis cognitioni reseruare, acturos se cum eo, vt in purificatione sanctæ Mariæ Augustam occurrat, ibique celeberrimo conuentu habito principum totius regni, discussis vtrarumque partium allegationibus ipse suo iudicio vel addicat vel absoluat accusatum. Quod si ante diem anniuersarium excommunicationis suæ, suo præsertim vitio, excommunicatione non absoluatur, absque retractatione in perpetuum causa ceciderit, nec legibus deinceps regnum repetere possit, quod legibus vltra administrare annuam passus excommunicationem non possit: si oblatam conditionem gratanter amplexetur, & Romano pontifici per omnia subditum se dictoque obtemperantem fore polliceatur, hinc se experimentum capturos: omnes quos ille excommunicauit, extemplo à conuictu contubernioq; suo amoueat, ipse in vrbem Spirensium dimisso exercitu secedat, ibique solo Verdonensi episcopo, paucisque ministris, quos tamen sententia principum ab hac excommunicatione integros incorruptosque probauerit, contentus priuatam interim vitam agat, ecclesiam non ingrediens, nihil circa publica negotia suo iure disponēs, nullam regij apparatus pompam, nulla regiæ dignitatis insignia sibi iuxta solitum adhibēs, vsque ad tynodicam causæ suæ examinationem: præterea ciuitatem Wormatiensem, quam expulso episcopo, dissipato cœlestis militiæ sanctuario, arcem belli speluncamque latronum fecerat, abducto præsidio episcopo Wormatiensi restituat, datis insuper sacramentis & obsidibus, ne quid deinceps rebellionis vel insidiarum ab ciuib. timere debeat: porro si quid horum præuaricetur, tum se omni culpa, omni iurisiurandi religione, omni perfidiæ infamia liberatos, non expectato vlterius Romani pontificis iudicio, quid reipublicæ expediat, communi consilio visuros. Rex cuius omnis spes, omnesq; copiæ in arctum coactæ fuerant, gratulatus admodum, quod aliqua quantumuis fœda conditione vrgentem ad præsens calamitatem declinasset, promptissime per omnia obediētiam pollicetur: statimque Colonien sem episcopum, Babenbergensem episcopum, Strasburgēsem episcopum, Basilien sem episcopum, Spiren sem episcopum, Losannēsem episcopum, Citicen sem episcopum, Osenbruggen sem episcopum, Vdalricum de Cosheim, Eberhardum, Hartmānum, cæterosque excommunicatos quorum antehac opera consiliisq; gratissime vtebatur, omnes castris egredi iubet: missis quoque Wormatiam nunciis, milites quos illic præsidij causa constituerat, abscedere, vrbemq; episcopo patere præcipit: dehinc cæteris, qui ad auxilia sibi ferenda frequentes conuenerant, singulis in sua dimissis, ipse iuxta conditum cum paucis Spiram contendit, ibiq; intra terminos & leges quas principes præscripserant, aliquanto tempore mediocriter vitam moresque cohibebat. Sueui & Saxones postquam deditis Wormatien sibus statum ciuitatis episcopo pacatissimum reddiderunt, læti ouantesq; patriam repetebant, confestimq; legatos Romā destinarunt, qui papam rei gestæ ordinem edocerēt, enixeque flagitarent, vt sedandis per Gallias tātis bellorum ciuilium tempestatibus, ipse statuta die suam non dedignaretur præstare præsentiam. Rex etiam certo sciens omnem suam in eo verti salutem, si ante anniuersarium diem excommunicatione absolueretur, nec satis tutum suis rationibus existimans, vt expectato intra Gallias Romani pontificis aduentu, sic infesto iudici, sic obstinatis accusatoribus causam suam addiceret ventilandam, optimum facto sibi iudicauit, pro eo tum statu rerum suarum, vt in Gallias proficiscenti Romano pontifici intra Italiam occurreret, & anathematis absolutionē, quoquo posset modo, impetrare conaretur: hac impetrata, cæteram rebus difficultatē facile adimendam, cum colloqui principibus, & conferre consilia, & fidem amicorum in aduersis implorare, nulla deinceps vetaret religio. Paucis igitur ante Natalē domini diebus Spirensi vrbe discedens, cum vxore & filio paruulo iter aggressus est, nec quisquam ex omnibus Teutonicis vir ingenuus comitatus est regno excedentem, præter vnum, & ipsum nec genere nec opibus conspicuum. Cumq; impensis tam longi itineris egeret, multisq; supplicaret, quib. incolumi republica sæpenumero profuerat; pauci admodum erant, qui vel veterum beneficiorum memoria, vel præsenti humanarum rerum spectaculo permoti, necessitatem eius aliquatenus releuarent. Eo miseriarum &

calamitatis ex summa gloria summisque opibus repente peruenerat. Similiter quoq; cæteri excommunicati obtinendæ citius absolutionis studio ardentissime iter accelerabant in Italiam, nec tamen in societatem itineris regem admittere, principum vel potius Romani pontificis metu absterriti patiebantur.

Vis atque inclementia hyemis hoc anno adeo iugis solitoque asperior inhorruerat, vt à festiuitate sancti Martini Rhenus fluuius glaciali frigore cõstrictus, pene vsque ad calendas Aprilis pedestri itinere transmeabilis maneret, & plerisq; in locis vineta exiccatis frigore radicibus omnino arescerent.

1077. Dux Polonorum, qui per multos iam annos regibus Teutonicis tributarius fuerat, cuiusque regnum iam olim Teutonicorum virtute subactum, atque in prouinciam redactum fuerat, repente in superbiam elatus, propterea quod principes Teutonicos cerneret domesticis seditionibus occupatos, nequaquam ad inferenda exteris gentibus arma vacare, regiam dignitatem, regiumque nomen sibi vsurpauit, diadema imposuit, atque ipso die Natalis domini à 15 episcopis in regem est consecratus. Quæ breui post comperta, principes Teutonicos, quibus reipub. dignitas curæ fuit, grauiter affecere, sibique inuicem succensebant, quod dum intestinis in se atque in sua viscera odiis sæuirent & digladiarentur, potentiam opesque barbarorum in tantum aluissent, vt iam tertio dux Boemicus regnum Teutonicum ferro & igne populabundus peragrasset, & nunc dux Polonorum in ignominiam regni Teutonici contra leges ac iura maiorum, regium nomen, regiumq; diadema impudens affectasset.

Rex Heinricus in Italiam proficiscens, intra Burgundiam, in loco qui dicitur Bisanzun, Natalem domini celebrauit, satis magnifice pro sua tum calamitate susceptus & habitus ab auunculo matris suæ Wilhelmo comite, cuius in illis locis ampliss imæ & florentissimæ opes erant. Ea porro causa erat, vt relicto recto itinere in Burgundiam diuerteret, quod certo compererat, duces Rudolphum, Welf, & Bertholdum, omnes vias, omnesque aditus, qui ad Italiam mittunt, quos vulgato nomine Clusas vocant, appositis custodibus anticipasse, vt nulla illic ei copia transeundi fieret. Exacta solemnitate Natalis domini profectus inde cum in locum qui Ciuis dicitur venisset, obuiã habuit socrum suam, filiumque eius Amedeum nomine, quorum in illis regionibus & authoritas clarissima, & possessiones ampliss imæ & nomen celeberrimum erat. Hi venientem honorifice susceperunt. Transitum tamen per terminos suos alias ei concedere nolebant, nisi quinque Italiæ episcopatus possessionibus suis contiguos eis redimendi itineris pretium traderet. Durum hoc nimis atque intolerabile omnibus regis consiliariis visum est. Sed cum ei ineuitabilis incumberet necessitas quoquo posset pacto redimendi itineris, & illi nec iure propinquitatis, nec tantæ calamitatis miseratione quicquam mouerentur, multo labore & tempore in hac deliberatione insumpto, vix & ægre tandem impetratum est, vt prouinciam quandam Burgundiæ bonis omnibus locupletissimam, concedendi transitus mercedem dignarẽtur accipere. Ita indignatio domini nõ solum sacramentis & frequentibus beneficiis sibi obnoxios, sed etiã amicos & genere propinquos ab eo auerterat. Difficulter assecuto transeundi licentiam, protinus alia successit difficultas. Hyems erat asperrima, & montes per quos transitus erat, in immensum porrecti, & pene nubibus cacumen ingerentes, ita mole niuium & glaciali frigore obriguerant, vt per lubricum præcipitemque decessum, nec equitis nec peditis gressum sine periculo admitterent. Sed dies anniuersarius, quo rex in excommunicationem deuenerat, è vicino imminens, nullas accelerandi itineris moras patiebatur: quia nisi ante eam diem anathemate absolueretur, decretum nouerat communi principum sententia, vt & causa in perpetuum cecidisset, & regnum sine vllo deinceps restitutionis remedio amisisset. Igitur quosdam ex indigenis locorum peritos & præruptis Alpium iugis assuetos mercede conduxit, qui comitatum eius per abruptum montem & moles niuium præcederent, & subsequentibus quaqua possent arte itineris asperitatem leuigarent. His ductoribus cum in verticem montis magna cum difficultate euasissent, nulla vlterius progrediendi copia erat, eo quod præceps montis latus, & (vt dictum est) glaciali frigore lubricum omnem penitus descensum negare videretur. Ibi viri periculum omne viribus euincere conantes, nunc manibus & pedibus reptando, nunc ductorum suorum humeris innitendo, interdum quoque titubante

pes

per lubricum greſſu cadendo, & longius volutando vix tandem aliquando cum graui ſalutis ſuæ periculo ad campeſtria peruenerũt. Reginam,& alias quæ in obſequio eius erãt mulieres, boum corijs impoſitas,duces itineris cõductu præeuntes deorſum trahebant.Equorum alios per machinas quaſdam ſubmittebant, alios colligatis pedibus trahebant,ex quibus multi dum traherentur mortui,plures debilitati,pauci admodum integri incolumeſque periculum euadere potuerunt. Poſtquam per Italiam fama percrebuit veniſſe regem,& ſuperatis aſperrimis rupibus iam intra Italiæ fines conſiſtere, certatim ad eum omnes Italiæ epiſcopi & comites confluebant, eumque (vt regia magnificentia dignum erat)ſummo cum honore ſuſcipiebant,atque intra paucos dies infinitæ multitudinis ad eum congregatus eſt exercitus. Erant enim iam ab exordio regni eius ſemper deſiderãtes aduentum eius in Italiam, eo quod regnum illud bellis,ſeditionibus & latrocinijs,ac varijs priuatorum infeſtationibus aſſidue infeſtaretur,& omnia quæ præter leges & iura maiorum ab improbis hominibus præſumebãtur, regiæ authoritatis cenſura corrigi ſperarent.Præterea quia fama vulgauerat,ad deponẽdum papam ferocibus eum animis properare, admodum gratulabantur, oblatam ſibi occaſionem eſſe,qua in eum, qui ſe iam pridem ab eccleſiaſtica communione ſuſpenderat, iniuriam ſuam idonee vindicarent. Interea papa rogatus per literas à principibus Teutonicis,qui in Oppenheim conuenerant, vt in Purificatione ſanctæ Mariæ ad diſcutiendam cauſam regis Auguſtæ occurreret,inuitis Romanis principibus, & propter incertum rei euentum iter illud diſſuadentibus, Roma egreſſus eſt, & quantum poterat, profectionem accelerans, ſtatuto die præſto eſſe ſatagebat, ducatum ei præbente Mathilda, derelicta ducis Lotharingorum Gozelonis, filia Bonifacij marchionis & Beatricis comitiſſę. Hæc viuente adhuc viro ſuo,quandam viduitatis ſpeciẽ longiſſimis ab eo ſpacijs excluſa prætẽdebat, cum nec ipſa maritum in Lotharingiam extra natale ſolum ſequi vellet,& ille ducatus quẽ in Lotharingia adminiſtrabat, negotijs implicitus, vix poſt tertium vel quartũ annum ſemel marcham Italicam inuiſeret: poſt cuius mortem Romani pontificis lateri pene comes indiuidua adhærebat,eumque miro colebat affectu. Cumque magna pars Italiæ eius pareret imperio, & omnibus quæ prima mortales ducunt ſupra cæteros terræ illius principes abundaret, vbicunque opera eius paindiguiſſet,ocyus aderat, & tanquam patri vel domino ſedulum exhibebat officiũ. Vnde nec euadere potuit inceſti amoris ſuſpicionem, paſſim iactantibus regis fautoribus, & præcipue clericis, quibus illicita & contra ſcita canonum contracta coniugia prohibebat,quod die ac nocte impudenter papa in eius volutaretur amplexibus,& illa furtiuis papæ amoribus præccupata, poſt amiſſum coniugẽ vltra ſecundas contrahere nuptias detrectaret. Sed apud omnes ſanum aliquid ſapiẽtes luce clarius cõſtabat,falſa eſſe quæ dicebantur. Nam & papa tam eximie tamq; apoſtolice vitam inſtituebat,vt nec minimã ſiniſtri rumoris maculam conuerſationis eius ſublimitas admitteret,& illa in vrbe celeberrima atque in tanta obſequentium frequentia obſcœnum aliquid perpetrans,latere nequaquam potuiſſet.Signa etiam & prodigia,quæ per orationes papæ frequentius fiebant, & zelus eius feruentiſſimus pro Deo & pro eccleſiaſticis legibus, ſatis eum contra venenatas detractorum linguas communiebat. Igitur papa dum in Gallias properaret, ex inſperato audiens regem iam eſſe intra Italiam, hortante Mathilda in caſtellum quoddam munitiſſimum, quod Canuſium dicitur, diuertit, expectare volens, donec conſilium aduentus eius diligentius exploraret, vtrum ſcilicet veniam admiſſi poſtulare, an iniuriam excommunicationis ſuæ militari manu perſequi,plenus animorum adueniret. Diedericus epiſcopus Verdunenſis, vir conſtantiſſimæ erga regem fidei, dum regem in Italiam proficiſcentem paulo poſt inſequi vellet, captus eſt ab Adelberto comite de caſtello quod dicitur Calevvo, & ſpoliatus omnibus quas ſtudioſiſſime conuexerat tam longi itineris impenſis. A quo diu habitus in cuſtodia, tandem dato quodcunque exigebatur, redemptionis ſuæ pretio,addito etiam iureiurando,quod iniuriæ huius nec ſpiritualem, nec corporalem vindictam aliquando expeteret, liber abire dimiſſus eſt. Rubertus quoque Babenbergenſis epiſcopus,dum in Italiam pergens per Baioariam iter ageret, captus eſt ab Welf duce Baioariorum: qui ſublatis omnibus quæ illius fuerant peculiaria, veſtes pontificales, & cæterum eccleſiaſticum ornatum quem in theſauris eius reperit, eccleſiæ Baben-

bergenſi cum omni integritate reconſignauit, ipſum vero in caſtello munitiſſimo,à Natali domini vſque ad feſtiuitatem ſancti Bartholomæi Apoſtoli ſub diligenti cuſtodia tenuit, nec vllis amicorum eius precibus aut muneribus, vt dimitteret, euinci potuit. Cæteri epiſcopi & laici quos Papa excommunicauerat, quoſque rex huius rei gratia à latere ſuo extrema neceſſitate compulſus amouerat, eluſis cuſtodibus qui Cluſas obſidebant, in Italiam illæſi peruenerunt, repertoque papa in Canuſio, veniam præſumptæ rebellionis, atque vt excommunicatione abſoluerentur, nudis pedibus, & laneis ad carnem induti ſuppliciter poſtulabant. Ille his qui veraciter peccatum ſuum agnoſcerent, & deflerent, non eſſe aiebat miſericordiam denegandam, ſed longam inobedientiam, & diu increta peccati rubiginem diuturnioris pœnitentię igne exuri & excoqui oportere: quapropter, ſi eos reuera facti pœniteret, æquo animo paterentur, quodcunque ſanandis vulneribus eorum adhiberet eccleſiaſticæ correptionis cauterium, ne ex facilitate indulgentiæ culpa, quæ aduerſus ſedem Apoſtolicam atrox & vehemens præſumpta fuiſſet, vel parua vel nulla videretur. Illis paratos ſe profitentibus ad omnia quæ impoſuiſſet ſufferenda, Epiſcopos omnes à ſe inuicem ſeparatos præcepit ſingulis cellis ſolitarios includi, nec vllum cum aliquo habere colloquium, ad veſperam autem cibi & potus mediocri menſura refici. Laicis quoque pro ætatis vel virium conſideratione congruentem ſingulis pœnitentiam indixit. Ita per aliquot dies examinatos tandem ad ſe vocauit, & leniter pro admiſſis obiurgatos, & ne deinceps ſimile quid admitterent commonitos, excommunicatione abſoluit, abeuntibuſque id ante omnia repetens iterum iterumque præcepit, ne rege Heinrico, donec ſedi Apoſtolicæ poſt factam iniuriam ſatisfeciſſet, aliquatenus communicarent, aut ei ad euertendum ſtatum reipublicæ turbandamque pacem eccleſiaſticam in aliquo operam ſuam accommodarent: ad hoc tamen omnibus indifferenter eius permiſſo colloquio, vt ad pœnitentiam prouocaretur, & à curſu mali operis quo præceps rapi videbatur, retraheretur. Interea rex Heinricus Mathildam comitiſſam ad colloquium euocauit, eamque precibus ac promiſſionibus oneratam ad papam tranſmiſit, & cum ea ſocrum ſuam filiumque eius, Azzonem etiam marchionem, & abbatem Cluniacenſem, & alios nonnullos ex primis Italiæ principibus, quorum authoritatem magni apud eum momenti eſſe non ambigebat, obſecrans, vt excommunicatione abſolueretur, ne principibus Teutonicis, qui ad accuſandum eum ſtimulo inuidiæ magis quam zelo iuſtitiæ exarſiſſent, temere fides haberetur. Quorum papa legatione audita, ait, incongruum valde eſſe, & ab eccleſiaſticis legibus omnino alienum, vt abſentibus accuſatoribus cauſa accuſati ventilaretur: quin imo ſi innocentiæ ſuæ confideret, omni timoris ſcrupulo liberatus, ſtatuto die in Auguſtam, quo cæteri principes conuenire ſtatuiſſent, fiducialiter occurreret: ſe illic diſcuſſis vtrarumque partium allegationibus, nec odio nec gratia ab iure ad iniuriam deuoluendum, ſed iuxta leges eccleſiaſticas, quam rectiſſimam poſſit de ſingulis ſententiam laturum eſſe. Ad hæc illi reſponderunt, regem illius nuſquam terrarum ſubterfugere iudicium, quem ſciat æquitatis & innocentiæ incorruptiſſimum vindicem & aduocatum fore, ſed è vicino iam vrgere diem anniuerſarium quo excommunicatus fuiſſet, & principes regni hac expectatione ſuſpenſos attentoſque anxie rei euentum præſtolari, vt ſi ante hanc diem excommunicatione non abſoluatur, deinceps iuxta Palatinas leges indignus regio honore habeatur, nec vltra pro aſſerenda innocentia ſua audientiam mereatur: proinde obnixius petere, & hoc omni quo papa iubeat ſatisfactionis genere paratum emereri, vt ſolo interim anathemate abſoluatur, & communionis eccleſiaſticæ gratiam recipiat, reſponſurus ex integro, quacunque die, quocunque loco papa præcipiat, tanquam nihil hac conuentione actum ſit, omnibus, quæ accuſatores eius obiecciſſent, criminibus, & iuxta ſententiam eius regnum vel retenturus ſi obiecta purgaſſet, vel æquo animo ſi cauſa cecidiſſet amiſſurus. Diu papa reſtitit, veritus in rege iuuenilis animi inconſtantiam, & procliue quocunque aſſentatores impuliſſent ingenium: ſed ſuperatus tandem importunitate perurgentium, & grauitate ſententiarum, Si veraciter, inquit, eum facti pœnitet, coronam & cætera regni inſignia in argumentum veræ & ex animo actæ pœnitudinis noſtræ poteſtati dedat, & ſe poſt tam contumax admiſſum, regio nomine & honore deinceps indignum profiteatur. Durum nimis hoc viſum

sum est legatis. Cumq; vehementer insisterent, vt sentẽtiam temperaret, nec calamum conquassatum iudicij austeritate penitus contereret: vix & ægre tandem exoratus annuit, vt cominus veniret, & si veram pro admissis pœnitudinem gereret, culpã quam sedi apostolicæ contumeliam irrogando contraxerat, sedis apostolicæ decretis nunc obediendo expiaret. Venit ille, vt iussum fuerat, & cum castellum illud triplici muro septum esset, intra secũdum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu suo, deposito cultu regio, nihil præferens regium, nihil ostentans pompaticum, nudis pedibus, ieiunus mane vsque ad vesperam perstabat, Romani pontificis sententiam præstolando. Hoc secundo, hoc tertio die fecit. Quarto demum die in conspectũ eius admissus, post multas hinc inde dictas sententias, his postremo conditionibus excommunicatione absolutus est: vt die & loco quemcunq; papa designasset, euocatis ad generale Cõcilium Teutonicis principibus præsto esset, & accusationibus quæ intẽderentur, responderet, ipso Papa, si ita expedire videretur, cognitore causarum assidente: & ad eius sentẽtiam vel retineret regnum, si obiecta purgasset: vel æquo animo amitteret, si probatis criminibus regio deinceps honore indignus iuxta ecclesiasticas leges decerneretur, nullam siue retento siue amisso regno huius iniuriæ vindictã à quo piam hominum in perpetuum exacturus: vsque ad eam autem diem, qua causa eius legitime discussa terminaretur, nulla regij cultus ornamenta, nulla regiæ dignitatis insignia sibi adhiberet, nihil circa rerum publicarum administrationem iuxta consuetudinẽ suo iure ageret, nihil quod ratum fore oporteat decerneret: postremo præter regalium seruitiorum exactionem, quibus necessario ipse & sui sustentandi essent, nihil regium, nihil publicum vsurparet. omnes etiam qui ei sub iureiurãdo fidem dixissent, ab huius sacramenti vinculo & conseruandæ erga eum fidei debito, apud Deũ & apud homines interim liberi expeditique manerent: Rutbertum Babenbergensem episcopum, & Vdalricum de Cosheim, & cæteros quorum consilijs se remq; publicam prodidisset, à sua in perpetuum familiaritate amoueret. quod si purgatis quę obijcerentur, potens confortatusq; in regno perstitisset, subditus Romano pontifici semper dictoq; obtemperans foret, & ad corrigenda quæcunq; in regno eius contra ecclesiasticas leges praua consuetudine inoleuissent, consentiens ei & pro virili portione cooperator existeret. ad vltimum si quid horum præuaricaretur, irritam fore hanc quæ nunc tãto pere expetita sit, anathematis absolutionem: quin imo iam pro conuicto confessoque habendum esse, nec vltra pro asserenda innocentia sua audiẽtiam impetraturum, principesq; regni omni deinceps quæstione cuncta iurisiurandi religione liberatos, regem alium in quem communis electio consensisset creaturos esse. Gratanter rex accepit cõditiones, & seruaturum se omnia quam sanctissimis poterat assertionibus promittebat. nec tamen promittenti temere fides habita est: sed abbas Cluniacensis, quoniam iure monasticæ religionis obtentu detrectabat, fidem suam coram oculis omnia cernentis Dei interposuit: Episcopus quoque Citicensis, & episcopus Vercellensis, & Azzo marchio, & alij conuentionis eius principes allatis Sanctorum reliquiis sub iureiurando confirmauerunt, facturum eum esse quæ pollicebatur, nec aliqua rerum asperitate vel casuum varie succedentium mutabilitate ab sententia deducendum. Ita absoluto eo excommunicatione, Papa missarum solemnia celebrauit, confectaque sacra oblatione regem cum cætera quæ frequẽs aderat, multitudine ad altare euocauit, præferensque manu corpus Dominicum, Ego, inquit, iampridem à te tuisque fautoribus literas accepi, quibus me insimulabas sedẽ Apostolicam per simoniacam hæresim occupasse, & aliis quibusdam tam ante episcopatum quam post acceptum episcopatum criminibus vitam maculasse, quæ mihi secundum scita canonum omnem ad sacros ordines accessum obstruxerint. Et licet multorum idoneorum certe testium astipulatione crimen refellere queam, eorum scilicet qui omnem vitæ meæ ab ineunte ætatẽ institutionem integerrime nouerunt, & eorum qui meæ ad episcopatum promotionis authores fuerunt: ego tamen, ne humano potius quam diuino niti videar testimonio, vt satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam, ecce corpus Dominicum quod sumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, vt omnipotens Deus suo me hodie iudicio vel absoluat obiecti criminis suspicione si innocens sum, vel subitanea interimat morte, si reus. Hæc & alia (vt

olemne est) præfatus verba terribilia, quibus Deum causæ suæ æquissimum iudicem, & innocentiæ assertorem adesse precabatur, partem Dominici corporis accepit, & comedit. Qua liberrime absumpta, cum populus in laudes Dei innocentiæ eius congratulatus, aliquandiu acclamasset, tãdem impetrato silentio conuersus ad regem, Fac ergo, inquit, fili, si placet, quod me facere vidisti. Principes Teutonici regni suis indies accusationibus aures nostras obtundunt, magnam tibi molem capitalium criminum impingentes, pro quibus non modo ab omni rerum publicarum administratione, sed ab ecclesiastica etiam communione, & ab omnimoda vitę secularis cõuersatione vsq; ad extremum spiritum te suspẽdi oportere existimant. Petunt etiam magnopere diem & locum statui, audientiamque præstari canonice discutiendis quas aduersum te afferant accusationibus: & nosti optime, humana plerunque vacillare iudicia, & in publicis disceptationibus nonnunquam falsa pro veris persuaderi, dum prõ disertorum hominum ingenijs & dicendi copia & suauitate, falsitas verborum phaleris adornata libenter auditur, & veritas nullis eloquentiæ nixa adminiculis contemnitur. Cum ergo tibi bene consultum cupiam, pro eo quod in calamitatibus tuis supplex Apostolicæ sedis patrocinium expetisti, fac quod moneo. Si te innocentem nosti, & existimationem tuam ab æmulis tuis per calũniam falsis criminationibus impeti, libera compendiose & ecclesiam Dei scandalo, & teipsum longæ concertationis ambiguo, & sume hanc residuam partem Dominici corporis, vt comprobata Deo teste innocentia tua, obstruatur omne os aduersum te iniqua garrientium, & me deinceps causæ tuæ aduocato, & innocentiæ tuæ vehementissimo assertore principes tibi reconcilientur, regnum restituatur, omnes quibus iam diu respublica vexatur, bellorum ciuilium tempestates in perpetuum sopiantur. Ad hæc ille inopinata re attonitus æstuare, tergiuersari, consilia cum suis familiaribus segregatus à multitudine conferre, & quid facto opus esset, qualiter tam horrendi examinis necessitatem euaderet, trepidus consulere. Resumpto demum spiritu, causari apud papam cœpit de absentia principum, qui sibi in aduersis fidem adhuc integram seruassent, quibus inconsultis & potissimum absentibus accusatoribus irritam fore, nec quicquam virium apud incredulos habituram esse, quamcunque pro experienda innocentia sua satisfactionem paucis qui aderãt proposuisset: proinde sedulo papam orare, vt rem integram generali concilio communiq; audientiæ differret, vt ibi congregatis accusatoribus, & secundum leges ecclesiasticas discussis, tam accusationibus quam accusatorum personis, conditionibus quascunque principes regni æquas iudicassent, obiecta refelleret. Haud grauate papa petenti acquieuit, expletoque sacro ministerio regem ad prandium vocauit, benignissimeq; refectum, & de omnibus quæ eum obseruare oporteret, diligenter instructum, cum pace ad suos qui longius extra castellum remanserant, dimisit: Epponem quoq; Citicensem episcopum præmisit ante eum, vt eos qui ei excommunicato, priusquam anathemate absolueretur, indifferenter communicauerant, vice sua excommunicatione absolueret, benigne præcauens, ne quam denuo receptæ communionis maculam contraheret. Qui dum venisset, & causam pro qua missus fuerat, Italis exposuisset, vehemens in eũ ira & indignatio coorta est. Fremere omnes & sæuire verbis ac manibus cœperunt, Apostolicæ legationi irrisorijs exclamationibus obstrepere, cõuicia & maledicta, quæcunq; turpissima furor suggessisset, irrogare: se excommunicationem illius nihili æstimare, quem ipsum omnes Italiæ episcopi iustis ex causis iam pridem excommunicassent, qui sedem Apostolicam per simoniacam hæresim occupasset, homicidiis cruentasset, adulterijs alijsque capitalibus criminibus polluisset, regem secus ac deceat egisse, crimenque gloriæ suæ intulisse nunquam abolendum, quod homini hæretico & probris omnibus infamato maiestatem regiam summiserit, & quem iusticiæ patronum legumque ecclesiasticarum vindicem sibi parassent, is fœdissima subiectione sua fidem plane catholicam, authoritatem ecclesiæ, dignitatem reipublicæ prodiderit, se in vltionem eius omnes quas potuerint papæ iniurias irrogasse, & nunc (quod dictu quoque turpe sit) se in medijs perturbationum fluctibus relictis, ipsum sibi consuluisse, & cum hoste publico priuata necessitudine in gratiam redisse. Hæc potissimũ principes Italiæ iactando & passim per populum serendo ingens regi odium breui conflauerant. Adulta postremo seditione, vna omniũ voluntas, vna sententia erat, vt abdicato patre, qui

qui vltro regni fascibus indignum se effecisset, filium eius licet impubẽ adhuc, & regni negotijs immaturum, regem sibi facerent, & cum eo Romam profecti papam alium eligerent, per quẽ & ipse protinus imperator consecraretur, & omnia papæ huius apostatici gesta cassarentur. Perlato ad regẽ tam molestæ conspirationis nuncio, misit propere quicquid apud se principum erat, vt quaqua ratione, quaqua possent industria, eferatæ multitudinis animos mitigarẽt, ne moleste acciperent, aut in contumeliam sua factum reputarent, quod extrema necessitate compulsus communis commodi ratione fecisset: nec Teutonicis principibus, qui sibi per calumniam regnum eripere dedita opera machinarentur: nec Romano pontifici, qui ad euertendum statum sanctæ ecclesiæ spirituali gladio circũquaq; fulguraret, aliter satisfieri potuisse, quam vt ante statutam diem excommunicatione absolueretur: nunc se omnibus angustijs, quibus vias eius cõclusissent inimici, liberatum, omnem deinceps curã industriamq; ad vindicandas suas & illorum iniurias translaturũ. Vix tandem compresso potius q̃ extincto concitati tumultus incendio, pleriq; ex principibus castris se per iram subtrahẽtes, iussi in sua rediere. Cæteri dissimulata interim iracundia, redeũtem regem pacifice exceperunt, sed neq; consuetã ei reuerentiam deferebant, neq; tam sumptuosa, vt prius, vtq; regiam magnificentiam decuerat, seruitia ei exhibebant, sed auersis oculis, infestis mentibꝰ, passim per omnes angulos de leuitate & ineptia eius mussitabãt, socordiamq; accusabant, quod tam diu expectatus, tam anxie desideratus, periclitantis Italiæ calamitatibus, nihil postremo spei, nihil præsidij attulisset. Cumq; Italiã peragraret, vt his qui oppressi fuerant, calumniave patiebãtur, regio more iusta faceret: nec in ciuitates cum recipiebant, nec cum faculis & faustis acclamationibus (vt prioribus regibus consueuerant) obuiam ei procedebant: sed foris in suburbanis locis castris positis commorari iubebatur, & illuc ei alimenta quibus exercitus sustentaretur, & ipsa modica & vix necessitatem potius quam regalium epularum solitum splendorem copiamve explentia, ne manifestæ defectionis immature argui possent, ministrabant, appositio singulis in locis præsidio, vt prædas forte de agris vel villis agere volentes, armata manu coercerentur. Territus rex insolita rerum facie, seroq; pœnitens, quod incognitę gentis inexpertæ prius fidei temere se credidisset, & Teutonicis finibus excedẽdo hostem mutasset, non euasisset, graui sollicitudine & metu perurgebatur, nec vllum vsquam effugium inueniebat, nisi in reconciliandis forte, si qua ratione posset, quos offenderat, Italorum animis. Ratus itaque huius rei vnicum hoc esse præsidium, vt initum cum Romano pontifice fœdus abrumperet, & inde reparandæ concordiæ initium faceret, vnde fuerat orta discordia: Vdalricum de Cosheim, & cæteros quos ille seueriſſimo anathemate à cõtubernio eius amouerat, in pristinum gratiæ & familiaritatis suæ gradum reuocauit, & cum eis denuo de priuatis, de publicis negocijs eadem qua consueuerat singularitate, ac priuilegio consilia conferebat. Tum assidue in conuentu principum criminabatur, & detrahebat Romano pontifici, quod ipse omnem hunc qui rempublicam concussisset ventum turbinis, & commotionis sæuissimæ procellam suis machinationibus concitasset, ipse omnium quæ in ecclesia omni recenti memoria secus accidissent, author incentorq; extitisset: hortabaturq; omnes in commune, vt suo ductu suisque auspicijs tantarum ab eo iniuriarum vindictam expeterent. Dein conditionesomnes & vniuersa ecclesiasticarum legum vincula, quibus ille eum Apostolica authoritate in salutem obstrinxerat, contemptim tãquam aranearum telas dirupit, abiectisq; omnibus timoris Dei habenis, in omne quod animus suggessisset, effrenata libertate ferebatur. His paulatim rebus Italorum indignatio mitigari, furor deflagrare, studia denuo in eum incalescere cœperunt, ita vt frequentior indies ad eum multitudo cõflueret, sumptus exercitui copiosiores ministrarẽt, & ad omne quod iussisset, promptissime iam manus operamq; suam pollicerentur. Erant tunc temporis apud eum ex Teutonicis principibus Liemarus Bremẽsis archiepiscopus, Eppo Citicien sis episcopus, Benno Osenbruggensis episcopus, Burchardus Lausannien sis episcopus, Burchardus Basiliẽsis episcopus: Laici, Vdalricus, Eberhardus, Bertholdus, & alij pene omnes, quos in Oppenheim legati Apostolicæ sedis à contubernio eius propter excommunicationem segregauerant: qui nunc post receptam communionem eum cum quoque ecclesiæ reconciliatum comperissent, vnanimiter ad eum confluxerunt, & ei dein-

ceps peregrinationis eius indiuidui comites adhærebant. Interea Moguntinus, Wirzeburgenſis & Mettenſis epiſcopi, Rudolphus, Welf, Berdolfus duces, & alij plerique ex principibus Teutonicis, conuenientes tractare de vtilitatibus reipublicę, ſtatuerũt, vt principes Saxoniæ, & omnes quibuſcunque reſpublica curæ foret, 3 Idus Martij in Forcheim occurrerent, & communi conſilio quid facto opus eſſet, decernerent, præſertim cum per abſentiam regis tranquillis rebus tempus opportunum deliberationibus ac conſultationibus nacti fuiſſent. Romano quoque pontifici ſcripſerunt, vt quoniam in purificatione ſanctæ Mariæ Auguſtam iuxta dictum dolo regis præuentus occurrere non potuerat: ſaltem in Forcheim ſtatuta die præſto eſſe ſatageret, & ſedandis bellorum ciuilium tempeſtatibus, quibus iamdiu periclitaretur Reſpublica, Apoſtolici moderaminis gubernaculum adhiberet. Adhuc ille in Canuſio & alijs circa firmiſſimis munitionibus ſe continebat, diſpoſitum habens, non prius Romam regredi, quam confecto itinere quod inſtituerat, ſi Deo propitio conatum ſequeretur effectus, pacem eccleſiæ Dei reddidiſſet. Igitur acceptis literis tametſi iampridem frequẽs ad eum fama detuliſſet, regem mutata mente hoſtiles aduerſus ſe ſpiritus gerere, & contemptis conditionibus quibus excommunicatione abſolutus fuerat, animo fixum tenere, vt leges eccleſiaſticas manu militari debellaret: miſit tamen vnum ex cardinalibus epiſcopis Romanæ eccleſiæ Gregorium nomine, & alios quos ei negotio idoneos arbitrabatur, qui ei dicerent tempus eſſe, vt promiſſa compleret, conuenturos in Forcheim 3 Idus Martij principes Teutonici regni ad componendum, ſi Deus votis annuat, ſtatũ reipublicæ: veniret ergo vt pollicitus ſit, & ad crimina quib⁹ innocẽs, vt ipſe aſſerat, à calumniatoribus ſuis impetitus ſit, ſe cognitore & iudice præſidente reſpõderet: multum rebus ſuis ſalutiq;, & apud Deum, & apud homines collaturus, ſi eccleſiam ſcandalis, rempublicam bellis ciuilibus, ſeipſum fœdiſſimę exiſtimationis macula liberaret: præſertim cum ea die diſcuſſis ſynodice quæ aduerſum eum afferantur cauſis vel recepturus eſſet regnum, vel ſine omni deinceps retractatione amiſſurus. Legatis mandata perferentibus, ille diſſimulatis mediocriter his quæ animo agitabat, reſpondit ſe poſt acceptum regnum hac primum vice Italiam intraſſe, & ideo multis nunc & magnis reipublicæ negotijs implicitum non poſſe tam cito infectis rebus prouincia excedere: quia ſi id faciat, Italos quos longo tempore anxia aduentus ſui expectatione ſuſpendiſſet, grauiſſime offendat: præterea diem conuentui habendo ſtatutũ è vicino imminere, ſeque iam breuibus induciis tanta terrarum ſpacia nulla equorum celeritate poſſe trãſcurrere, etiamſi nullis extrinſecus retardetur impedimẽtis. In hæc verba legatos dimiſit. Papa certior iam factus de immutatione animi eius, & cæteris rebus quas ad eum iam pridem fama detulerat, miſit protinus Bernardum abbatem de Maſſilia, virum eximiæ conuerſationis, & multarum in Chriſto virtutum, item alium Bernardum cardinalem, diaconum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, vt principibus Teutonici regni, qui, vt ſupra dictum eſt, 3 Idus Martij Forcheim conuenturi erant, occurrerent, eoſque per ordinem quæ geſta erant, docerent: ſe iuxta placitũ dedita opera enixum fuiſſe, vt die & loco ſtatuto communibus ſanctæ eccleſiæ vtilitatibus tractandis præſto eſſet, ſed domini Heinrici diligentia ita circumuentũ, ita omnes per quas transitus eſſe potuiſſet, itinerum anguſtias præoccupatas, vt nec tuto in Germaniam progredi, nec tuto Romam regredi valeat: proinde monere eos, vt ſuis interim rebus & regno Francorum, quod diu iam vnius hominis puerili leuitate vexetur, quaqua poſſint ratione moderentur: donec (ſi Deus velit) adempta itineris difficultate ipſe venire, & collatis in medium cõſilijs, quid vtilitati, quid honeſtati omnium, quid paci eccleſiaſticæ expediat, ſecundum eccleſiaſticas leges decernere poſſit.

Nos more inertis poetæ, extremo iam in opere langueſcentes, ingentiſque materiæ mole ſuperati, in longum ſatis, vt videtur, protracto volumini hic tandem finem imponimus, vt ſicui forte poſt nos ad deſcribendam reliquam partem huius hiſtoriæ manum mittere libuerit, ab electione Rudolphi regis congruum ſcribendi exordium faciat.

FINIS.

ADDITIO-

ADDITIONES AD LAMBERTVM SCHAFNABVRGENSEM APPOSITÆ ABERPHESFORDENSI MONACHO IGNOTI NOMINIS, SED NON INDILIGENTI SCRIPTORE: IN QUIBUS RES CCC ANNIS POST LAMBERTUM GESTÆ BREVITER EXPLICANTUR.

1068. Erphesfurt ciuitas incensa est ab exercitu regis Heinrici. Monasterium quoque S. Petri in monte, & sancti Seueri cum multitudine quæ ibi confugerat.

1072. Coniurant principes Saxonum contra Heinricum regem.

1073. Saxones Hartesburg castrum fortissimum destruunt. Vbi sepulchrum filij Heinrici regis violant, ossa dispergunt, ecclesiamque in eodem destruunt.

1075. Bellum iuxta Vnstrout fluuium committitur à Saxonibus contra regem Heinricum: vbi multi potentes ex vtraque parte ceciderunt, & Saxones fugam inierunt. de quo bello ponitur supra.

1077. Dominus Anno Colonienſis archiepiscopus obiit, qui à fundamento quinque congregationes longe vel prope positas in suo episcopio feliciter construxit.

Rudolphus rex constitutus est in loco qui dicitur Forchem, & in media Quadragesima apud Moguntiam vnctus in Regem à Sigefrido archiepiscopo.

1078. Secundum bellum iuxta Medelrichstat commissum est à Rudolpho qui regnum inuaserat contra Heinricum regem, vbi idem rex Heinricus fugam iniit.

1078. Sancti Seueri monasterium cum multitudine populi quæ illic intus fuit, incensum fuit ab exercitu regis Heinrici, & ecclesia in monte sancti Petri, & Erphesfurt.

1079. Tertium bellum iuxta Fladecheim commissum est 5 calend. Februarij.

1080. Quartum bellum iuxta Olstram fluuium committitur, in quo Rudolphus rex, qui & dux, occiditur.

1081. Heinricus rex Romam obsedit.

Monasterium in Babenberg in vigilia Paschæ combustum est. Monasterium quoque sancti Martini Moguntiæ cum tribus adiacentibus monasteriis exustum est, & pene omnis ciuitas exusta est. Heinricus rex natus est, ille qui patrem suum de regno expulit.

1082. Hermannus regnum inuadit.

1083. Roma capta est ab Heinrico rege, & pestilentia grauis facta est.

1084. Heinricus rex de Italia reuertitur, & Augusta ab eo obsidetur & capitur.

Sigefridus archiepiscopus Moguntinensis obiit in Thuringia, & Hasungun sepelitur, pro quo Wetel constituitur.

1085. Meginhardus quidam doctissimus, sed non secundum scientiam, Wirceburgensis ecclesiæ viuente Adelbero (alias Adelberone) adhuc episcopo substituitur.

Eodem anno ædificatum est monasterium Reynhardsbrun à Ludouico Saltatore.

1086. Quintum bellum iuxta Gleichfel committitur. In quo pauci potentes, vulgus tantum innumerabile periit.

Hermannus nomen regium deponit, & ipse mox periit.

1089. Sextum bellum cõmittitur iuxta Glichin castellum in Thuringia inter Heinricum imperatorem & Eckibertum marchionem, in quo Burchardus episcopus Lofannensis occisus est. Eckibertus marchio iuxta aquam quæ dicitur Selicha, in molendino quodam miserabiliter interfectus occubuit.

Adelbero Wurtzburgensis episcopus obiit. Vixit autem in episcopatu annos XLV, menses III.

Monasterium Oildisleuden ædificatur.

1096. Populus innumerabilis virorum & mulierum ex diuersarum gentium partibus armatus, Hierosolymam tendẽs Iudæos baptizari compulit: renitentes vbiuis locorum immensa cæde profligauit. Apud Moguntiam vero vtriusque sexus Iudæi numero

mille & quatuordecim interfecti sunt, & maxima pars ciuitatis exusta est. Iudæi qui per diuersas prouincias metu compellente Christiani facti sunt, iterum à Christianitate paulatim recesserunt.

1098. Ruthardus archiepiscopus Mogunt. pro pecunia quam Iudæi interfecti reliquerant, gratiam regis perdidit, & in Thuringiam secessit, ibiq; vsq; ad obitum prædicti regis rebellis mãsit, occasionẽ habẽs q; cõmunicare excõmunicato Imperatori nollet.

1099. Imperator Pascha Ratisponæ celebrat, vbi ijsdem diebus magna mortalitas facta est, in qua Rabbado Palatinus comes cum alijs innumerabilibus moritur.

1100. Hyems dura fuit & fames magna.

1103. Heinricus filius Heinrici Imperatoris regnum obtinuit.

Otto marchio alijq; plures Saxonum barbaros qui Luticij vocantur, inuasit, & honorifice triumphauit.

1106. Heinricus Imperator senior apud Leodium obijt.

1111. Heinricus rex dominum Apostolicum captiuauit.

1112. Hermannus Ludouici comitis filius, & Fridericus frater illius vterinus in castello Thuthiræ obsidentur, & deditione se cuidam Hogeri tradentes, captiui abducti sub potestate regis Heinrici in vincula detruduntur. sed Fridericus post annos duos resoluitur: Hermannus, duobus annis & plus in carcere transactis, in castello Hamerstein in vinculis moritur.

1116. Burchardus Erphesfordensis abbas priuatus est abbatia ab Adelberto Moguntinensi Episcopo: cui Rupertus subrogatur.

1117. In Sueuia terribile quiddam contigit. Terra enim ad instar domorum ebulliens subito in abyssum dilabitur. Aer visus est igne pariter & sanguine mixtus.

Conuentus regis & totius regni principum fit apud villam Erstein, super ripam fluminis Mogoni.

1118. Monasterium in Oppenheim incensum est.

1120. Colloquium ab vniuersis regni Teutonici principibus super dissensione regni habendum Fuldæ condicitur.

1122. Heinricus comes de Thuringia congregauit exercitum ad bellandum contra Adelbertum Archiepiscopum, propter exactionem decimarum in Thuringia.

1123. Ludouicus comes monachus factus beato fine quieuit. Per idem fere tempus cum Episcopus Moguntinus Adelbertus à prouincialibus qui Tuerstetim marcham incolunt, decimas frugum exigeret, illiq; fortiter resisterent, contigit quosdam ex eis à militib. episcopi occidi, alios obtruncari, nonnullos vero captiuos abduci. vnde populi Thuringorum permoti, ac simile sibi metuentes in colle Treteburg de cunctis finibus suis conueniunt: iamq; ciuitatem Erphesfurt qua tũc Episcopus forte manebat, Heinrico comite duce cum 20 millibus irrumpere parant, cœptumq; perpetrassent opere, si non idem Episcopus prudenti eos auertisset consilio.

1124. Wigbertus marchio qui & monachus obijt.

1125. Heinricus quartus Imperator huius nominis & rex quintus obijt. Quo tempore per tres continuas noctes ante mortem eius tanta frigoris immanitas fuit, vt in plerisque locis maxima pars frugum deperiret.

Lotharius dux Saxonum apud Moguntiam rex eligitur, & Aquisgrani benedictione regali sublimatur.

1126. Grauiter cæsus est exercitus Lotharij in Boemia. Eodem anno Lotharius obsedit Nurenberg.

1128. Lotharius rex obsedit Spiram. Embrica Erphesfurdensis præpositus Episcopus factus est in Wirtzburg.

1132. Sanctus Gothehardus anno dormitionis suæ cẽtesimo primo, minus vno die, dicti anni die vltimo, 4 nonas Maij, in Hildenesheim è terra leuatur, cuius signorum admirabili magnitudine omnis Germania illustrata lætatur.

Augusta ciuitas ab exercitu regis Lotharij igne crematur, plurimi de ciuibus captiui abducuntur, & quidem digna satis vltione pro commisso multati scelere, quippe qui regem ad se pacifice ingressum, nihilque suspicantem tale, bello præsumpserunt lacessere.

1135.

1135. Ventus vehementissimus & hactenus incognitus naues multas subuertit, ædificia plurima destruxit, arbores fructuosas atque syluestres innumeras deiecit: ita vt vix decima pars quarundam remansisset syluarum. Eodem anno nuncij venerunt Græcorum ad imperatorem Lotharium cum magnis muneribus.

1137. Lotharius imperator in redeundo de Italia moritur, & apud Lutrensem abbatiam ab ipso constructam, præsentibus Saxoniæ & Thuringiæ principibus regio more sepelitur.

1138. Conradus frater Friderici ducis Sueuorũ apud Confluentiã in regem eligitur. Adelbertus Erphesfordensis præpositus constitutus est episcopus Moguntiæ.

1139. Heinricus dux Saxonum, qui fuit gener Lotharij imperatoris, perrexit cum exercitu cõtra Chunradum regem. Post paucos autem dies idem Heinricus dux obiit. Suscepit autem pro eo ducatum Heinricus filius eius. Item Otho Babenbergensis episcopus obiit, cui Engelbertus successit.

1141. Adelbertus archiepiscopus Moguntinus obiit in Erphesfurd, cui Marcolfus succedit. Magna concertatio fuit in Erphesford inter ciues & archiepiscopi milites. Quidam enim occisi, multi vero vtrinque vulnerati sunt.

1142. Monasterium sancti Petri in Erphesfurt exustum est 7 idus Maij, & maxima pars eiusdem loci, & vna monasterium sancti Seueri.

1144. Magna inundatio aquæ fuit in Erphesfort.

1146. Conradus rex ad Polonos cum exercitu abiit.

1147. Conradus rex Hierosolymam proficiscitur.

1149. Conradus rex ab Hierosolymis reuertitur.

1151. Fames valida & mortalitas hominum. Conradus rex venit in Erphesfurt.

1152. Cunradus rex 16 cal. Martij rebus humanis excessit, eiq; Babenberg regum more funebria explentur, ac sepelitur: cuius loco fratruelis eius Fridericus Sueuorum dux Franckenford rerum summam suscipiens in regem eligitur, & Aquisgrani regali benedictione sublimatur.

1154. Magna aquarum inundatio fuit. Translatio sancti Adelharij in Erphesfurt 12 calend. Maij.

1155. Fridericus Romæ imperator factus est.

Bellum fuit inter Arnoldum archiepiscopum Moguntinum & Hermannum Palatinum comitem.

1156. Heinricus dux Saxonicus perrexit ad bellandum in Frisiam, sed dux cum periculo quorundam suorum terga vertit. Mortalitas hominum fuit.

1157. Imperator in Poloniam cum exercitu venit, ducem illius prouinciæ in deditionem suscepit, & sic rediit.

1158. Fridericus imperator Mediolanenses in deditionem accepit: sed post paucos dies iterum rebellauerunt.

1159. Heinricus dux Saxonicus auxilium imperatori contra Mediolanenses præbiturus perrexit.

1160. Arnoldus archiepiscopus bellum in Moguntinos mouens, cum in monte speciosо exercitum prestolaretur, à Moguntinis in monasterio sancti Iacobi subito circundatus, & plebe furente monasterio cõcremato occisus est. Postea episcopi & principes super regni negotiis conuentũ Erphordiæ celebrant: Treuirẽsis archiepiscopus & Renoldus Colonienſis electus, Withmannus Magdeburg. archiepiscopus, Gerhardus Babenbergensis episcopus, Merseburgensis, Citicensis, Misnensis episcopi: Heinricus dux Saxonum, Fridericus dux Sueuorum, Ludouicus Prouinciæ comes, Cunradus Palatinus comes, Adelbertus comes, Otho marchio, aliiq; plures, vbi expeditionem in auxiliũ imperatoris contra Mediolanenses coniurauerunt. Hic etiam Moguntinẽses immanis facinoris rei super interfectione episcopi sui, extinctione luminũ execrantur & cõmunione priuantur: qui tam grauẽ sui casus damnationem paruipendentes, Rudolphũ Bertholdi ducis germanũ sibi præsulem elegerunt. Quos contra Conradus Palatinus ac Ludouicus Lantgrauius apud Francfort suffraganeorũ episcoporum ac Treuerẽsis legati apostolici præsentia, imo legatione freti, Christianum Mersburgensem prępositũ paucis arbitris episcopũ cõstituerũt. Hinc partium seditio exoritur,

rerum facies contra bonũ & æquum variatur, dum laicorum pro arbitrio eccleſiaſtica diſponuntur, potentũ quorundã violẽtia epiſcopiũ incurſatur, euiſceratur, deuaſtatur.

1162. Mediolanum deſtruitur à Friderico imperatore. Fames valida fuit.

1163. Imperator Fridericus primus Moguntiam cum magno terrore ingreſſus, curiã ſuam ibidem habuit, ciuibusq; timore in diuerſa fugatis, murum in circuitu, omnesque munitiones ciuitatis funditus deſtrui præcepit ob necem Arnoldi archiepiſcopi.

1165. Maxima clades oppreſſit epiſcopatum Moguntinẽſem, deſtructis caſtellis Ruſteberg, Horburck, Amanaburg, Bingen: ſubuerſo etiam funditus muro in Erphesfurt à Ludouico ſecundo Lantgrauio, quod poſtremum factum eſt anno 1164.

1167. Mediolanum reædificatur.

1168, vel 1169. Murus Erphordiæ denuo reparatur à Chriſtano archiepiſcopo Moguntino permiſſu imperatoris.

1170. Chriſtanus archiepiſcopus Moguntinus, legatus imperatoris in Græciam proficiſcitur, pluresque reliquias ſanctorum reportauit.

1172. Imperator Polonos cum exercitu petiit.

Eodem anno Ludouicus prouincialis comes Thuringiæ obiit: principatum Ludouicus filius eius obtinuit.

1175. Ciuitas Erphordiæ cum ponte & quibuſdam ſanctorum eccleſiis magna ex parte conflagrauit 5 nonas Iulij. Eodem anno Erfordienſes conſilio & auxilio comitis Erwini & comitis Heinrici quodã temerario auſu domino ſuo Ludouico inclyto prouinciali ſe opponunt, & quæque ad eum ſpectantia ciuitati adiacentia, quantum licuit, deuaſtant & incendunt. Ob quam præſumptionem idem princeps in ira permotus, tria caſtella prędicti Henrici comitis in breui oppugnãs deſtruxit. Eodem anno 11 cal. Aug. tempeſtas valida & grando inſolita, ita vt non tantum fruges in plerisq; locis perirent, ſed ẽt arbores in quibuſdã locis, foliis & ramis magnitudine grandinis lapidum penitus vaſtarentur. Item dux Saxoniæ & Bauariæ Heinricus Halberſtatenſem ciuitatem, ciuibus in diuerſa fugatis, oppugnando capit, cunctaq; eius loci ædificia cum ipſa matrice eccleſia Chriſti honori ædificata, reliquiſq; eccleſiis, voraci flamma cõſumpſit. In quibus homines qui pro locorum tuitione intus confugerant, plus quam (vt dicitur) octingenti, promiſcui ſexus & ætatis, nec non & ordinis, flebiliter incendio periere, captoq; eius loci epiſcopo, vtpote totius iniuriæ ſuæ incenſore, diſceſſit.

1178. Recidiuum denuo incendium Erphordiæ cladem magnam 12 cal. Maij intulit.

1184. Imperator Fridericus conuentum maximo ſumptu cum totius regni primatib. ſecus Moguntiam celebrauit. Vbi & duo filij eius, Conradus quem ducem Sueuię conſtituerat, & Heinricus cui regni gubernacula diſpoſuerat, ſacramentis militaribus implicantur. Peracta ſolennitate imperator filium ſuum Heinricum regem in Poloniam cum exercitu deſtinauit, Conradum vero ducem Sueuiæ cum Philippo Colonienſi & aliis multis contra regem Franciæ direxit: ſed Colonienſis non expectata ſuorum frequentia partes Franciæ intrauit, vbi non ſine clade ſuorum terga vertit. Heinricus rex Poloniam iturus, Erphordiam diuertit, vbi Conradum Moguntinum & Ludouicum prouincialem, ob illatas epiſcopatui clades grauiter inter ſe diſſidentes, inuenit, inter quos pacem reformare cõtendens, dum in cœnaculo vallatus multis reſideret, repente pauimento diſrupto, plures in cloacã ſubtus latitantem ceciderunt: quorum alij vix educti, alij in cœno ſunt ſuffocati. Ibi Fridericus comes de Abinberg, Heinricus comes Thuringiæ, Gormarus comes Haſſiæ, Fridericus comes de Kirchberg, Burcardus de Warcberck, & alij minoris nominis, morte lamentabili interierunt. Rex ſicut inſtituerat, profecturus in Poloniam venit Halle: vbi dum cum proceſſione ſuſciperetur, ruptis funibus campanę ceſſauerunt. Inde vltra profectus legatos Poloniæ dexteras petentes ſuſcepit, dexteras dedit: ſicque cum pace ad patrem reuertitur.

1186. Grauis diſcordia inter Conradum archiepiſcopum Mogunt. & Ludouicũ Lantgrauiũ denuo exorta eſt. Villæ quædã à militib. eorum in Thuringia & Haſſonia deuaſtãtur. Ab epiſcopo caſtellum Heiligẽberg, à Lãtgrauio caſtrum Gruneberg ędificãtur.

1188. Fridericus primus imperator habita Moguntiæ curia, in media Quadrageſimę, crucẽ accepit ab Heinrico Albanẽſi epiſcopo, ſedis apoſtolicæ legato. Signati ſunt dominica cruce, Gotefridus Wurtzburgenſis epiſcopus, Hermannus Monaſterienſis, Martinus

Martinus Miſnenſis, Rodolphus Leodienſis, Heinricus Argentinẽſis & alij plures epiſcopi: Ludouicus comes prouincialis Thuringiæ, Poppo comes de Hennenberg, Adelbertus de Grumbach, Albertus de Hildẽburg, aliiq; multi principes, comites & nobiles. Sed & innumerabilis multitudo diuerſorum regnorum ac regionum tam clericorum quam laicorum cruce ſignati ſunt. Ab hoc anno expeditio dominica protelata eſt vſq; in futurum annum & diem ſancti Georgij martyris apud ciuitatem Ratiſponam.

1204. Rex Philippus collecto exercitu magno Bauarorũ, Sueuorum, Saxonũ, Sorabiorum, & eorũ qui erant in partib. Rheni, & Oſtrofrancorũ & Auſtraſiorum, in multitudine graui Thuringiã ingreſſus, auxiliũ ipſi ferentib. comitib. Gunthero & Heinrico de Schwartzburg, & comite Lamperto de Glichen, & Erphordenſib. omnem regionẽ tẽpore meſſis ferro & igne crudeliter vaſtauit. His dieb. rex Boemicus, collecta & ipſe magna copia ſuorũ, venit per fines regiæ villæ Saluelt & Orlan, cupiens confligere cum rege Philippo. Miſſis exploratoribus diffiſus de viribus ſuorum, licet multa eſſent millia, vaſtatis omnibus in pago Langenwice & Ilmin, intempeſta nocte cum ſuis fugam iniit. Hæc audiens Lantgrauius, neceſſitate coactus, dato filio ſuo & aliis obſidibus, ſe ſuaque omnia dedidit, obligans ſe regi Philippo tam iuramento quam obſidibus.

1216. Erphordiæ incendium magnum fuit vſque ad temes.

1223. Erphordiæ incendium magnum pontem & latam plateam conſumpſit.

1226. Inundatio maxima fuit in Thuringia.

1232. In Alemania perfida hæreſis, quę ibidem occulte pullulauerat, eſt manifeſtata. Quapropter circa Rhenum, necnõ & alibi, innumerabiles hæretici per magiſtrũ Conradum de Marburg autoritate Apoſtolica examinati, ac per ſentẽtiam ſeculare damnati, igne cõbuſti ſunt. Fuerunt aũt præſente eodẽ Cõrado Erphordiæ quatuor combuſti.

1233. Rex & Moguntinus, & magiſter Conradus de Marburg, Moguntiæ conuentum epiſcoporum & comitum atq; clericorum fecerunt, pro quibuſdam infamatis de hæreſi: inter quos comes de Seine accuſatus, inducias purgationis vlteriores obtinuit: ſuper reliquos vero qui non comparuerant, prædictus Conradus de Marburg ibidem populum cruce ſignauit. Quapropter illi felle amaritudinis commoti, iam dicto Conrado in reditu inſidias iuxta Marburg ponentes, ipſum vna cum Gerhardo minoris ordinis fratre, probatæ vitæ viro, 3 calen. Aug. crudeliter occiderunt.

Hoc anno hæreticorum innumera multitudo per totam Alemaniam igne cremata eſt, multoque plures hæreſim abiurauerunt.

1234. Hyems aſperrima fuit, adeo vt in mediterraneo mari inſtitores Venetiani cum oneratis ſummariis pedeſtri itinere per glaciem tranſirent: quæ videlicet hyems non paruam per totam Italiam in vineis, iumentis & oliuetis intulit cladem.

1236. Calend. Maij Marburg tranſlatio facta eſt ſanctę Eliſabeth, præſente Friderico imperatore, ac tribus archiepiſcopis Moguntino, Colonienſi, Bremenſi, vbi ex illius oſſibus oleum euidentiſſime deſudauit.

1238. 3 nonas Maij orta tempeſtate apud ſyluam Loibin in villa Sule dicta, ſuper cuiuſdam ruſtici ſolius horreum & curiam pluebat dominus, non vt filiis Iſrael in deſerto ſicut puluerem carnem, ſed groſſa carnium fruſta in modum interioris pinguedinis. Quarum partem dum volucres & canes deportaſſent, reliquæ circa veſperam ſolis ardore veluti glacies liquefactæ ſunt. Cuius autem hoc rei ſignum fuerit, melius timore quam diſputatione diſcutiendum eſt.

1240. In villa regia Franckenfurt cuiuſdam Iudæi filius Chriſtianæ fidei baptiſmum ſuſcipere deſiderans, à parentib. & amicis prohibitꝰ eſt. Quapropter altercatione inter Chriſtianos & Iudæos exorta, valide inter ipſos dimicatũ eſt. Tandẽ paucis Chriſtianis occiſis, Iudæorũ circiter 180 gladio & igne quem propriis manib. impoſuerãt, cõſumpti ſunt: ipſoq; igne poſt hæc inualeſcente, media fere pars eiuſdem ciuitatis eſt concremata. Videtes itaq; reliqui quidam Iudæorum ſibi mortis imminere periculum, baptizati ſunt numero 24, inter quos etiam ipſorum quidam epiſcopus traditur extitiſſe.

Eodem anno obiit Lantgrauius Haſſiæ filius ſanctæ Eliſabeth in Cruceburg, ſepultuſque eſt Reinhersbrun.

1244. Moguntinus epiſcopus præcepit, vt oẽs religioſi tam conuentuales quam ẽt capellani, relictis propriis manſionib. ad opprobrium ciuium Erphordenſiũ ciuitatem

Erphordenſem exirent. Inter quos conuentus montis S. Petri relicto clauſtro in Allo-
dia eiuſdē eccleſiæ poſt 2 menſes & dimidium ſe recepit. Poſtea appropinquante feſti-
uitate paſchali, vt diuinis non carerent, in cœnobia circumiacentia ciuitatem diuiſus
eſt: alij ad S. Martinū prope flumen Werta: alij ad cellam Paulinæ: alij in Reinhersburn:
alij vero ad S. Vitū in Holdeſleben: quos p 4 menſes & amplius honeſtiſſime tenuerunt.
1246. Ortum eſt incendium 9 cal. Iunij media nocte, & ita pene vſque ad mediam di-
em perdurauit. Et tam ſæuum ſeniores ciuitatis ſe nunquam vidiſſe †. Ipſa etiam nocte
ſimile fuit incendium in Magdeburg, & aliis pluribus ciuitatibus.
1247. Heinricus Lantgrauius Thuringiæ rex eligitur: qui electus in regem, iuxta Rhe-
num cum magno exercitu, cum Conrado filio Friderici quondam imperatoris confli- 1*
xit, & eum cum ſuo exercitu apud Franckfurt vicit & fudit.

Eodem anno præfatus Lantgrauius poſt ſecūdam profectionem in Sueuiam ad pro-
pria reuerſus, immatura morte obiit profluuio ventris: ſepultus iuxta Yſenachum.
1248. Marchio Miſnenſis veniens prope ciuitatem Erphordiam reſedit, ita vt ex ci-
uitate ad ſuos, & à ſuis iacula in ciuitatem iacerentur.
1250. Facta viſitatione ab epiſc. Mogunt. Chriſtanno, Erphordię in mōte S. Petri abbas
Heinric⁹ ab abbatia deſtitutus eſt, & Volmar⁹ abbas Burſfeldēſis loco ſuo ſubſtitutus.
1255. Ortum fuit incendiū Erphordiæ, quod ſimile vel maius fuit ſuperiorib. incendiis.
1256. Rex Wilhelmus qui fuerat comes Holandię, in Friſiam veniēs, à Friſiis occiditur. 2*
Hoc ēt anno captus eſt Gerhardus Mogunt. epiſcopus, & plures cum eo comites, & alij
nobiles, in villa dicta Bollesteten, in prædio monachorū de Wolkolderode, quos hōes
ducis de Brunſuic, eidē in Brunſuic præſentauerunt. Paucis vero dieb. deinde trāſactis,
idem dux comitē de Eberſtein dictū, patruum videlicet eiuſdē epiſcopi, ob multas eidē
duci exhibitas contumelias ſuſpendio fecit interire. Epiſc. vero q̄dam comes frater re-
gis Angliæ, Richard⁹ nomine, cupiditate regni ductus, cum eſſet multū locuples, prin-
cipes Teutoniæ ad quos electio pertinebat imperij, magnis munerib. datis flectere ten-
tabat, vt eum ad regni gubernacula eligerent, à captiuitate qua per annū detentus erat,
datis octo millibus marcarum à vinculis liberauit. Eodem anno papa Alexander Eze-
linum de Teruis, tortorem Chriſtianorum, interfectorē 60 fratrum minorum, & aliorū
fidelium plurimorum, p̄ſecutorē ſacrę fidei catholicę, pro hęretico, & oēs fautores ſuos 3*
ſententialiter damnauit & excommun cauit. iſte Ezelinus hæretic⁹ publicus Chriſtiani
nominis hoſtis captiuat⁹ eſt, cum crux contra ipſum p̄dicaretur cum plena indulgentia
omniū peccatorum, & ſe ipſum fame & inedia nequaquā volens ſumere cibū interfecit.
1257. Capitulum abbatum ordinis S. Benedicti per Thuringiam & Saxoniam celebra-
tum eſt Erphordiæ, in monte ſancti Petri, pro reformatione ordinis.
1263. Cum inter nobiles viros, Albertū Thuringię Lantgrauium, & Heinricum comitē
Haſſiæ filium D. Sophiæ quondā ducisſæ Brabantiæ, quæ fuerat filia S. Elizabeth, ſuper
terra Thuringorum grauis diſcordia eſſet orta, illuſtris princeps dux de Brūſuic p̄dicto
comiti ſororio ſuo, eo q; ad reſiſtendum p̄fato aduerſario ſuo viribus impar eſſet, ſedulo 4*
aſſiſtebat auxilio. Nā per aduocatos ſuos adeo terrā oppreſſit Thuringiæ, vt ipſa q̄ pro-
uinciarum domina fuerat, & mater villarum optimarum, ipſis Saxonib. tanq̄ tributaria
ſubiaceret. Nā p̄fatus dux, cum iā quaſi potēs in gloria & fortitudine gloriaretur; ex cō-
tinuis p̄liorum ſucceſſib. animat⁹, ad tantā erectus ſuperbiā, vt Orientales & Thuringię
milites inclytos tanquā inermes & ſine omni ſolennitate viros æſtimaret: vñ contigit q;
cum paucis, videlicet 600 armatis, partes oriētales inuaſit, atq; eas grauiter vaſtare cœ-
pit incendiis & rapinis. Cum igitur iā tātę deuaſtationis malum in partib. p̄miſſis digraſ-
caretur: illuſtriſſimi principes, Theodericus marchio Miſnenſis iunior, & Lantgrauius
Adelbertus, ſubito exercitum colligendo, cum dicto duce iuxta Witin conflixerunt, de
ipſo glorioſe triumphātes: in quo cōflictu hoſtili odio ferociſſime dimicatū eſt, à mane 5*
videlicet poſt ortū Solis vſq; circa 9 horam diei. In hoc bello Albertus dux de Brunſuic,
vir bellator, vulneratus & captus eſt. Inſuper comites de Zwirn & Eberſtein, & de Ha-
nalt comitem, & omnem exercitum ceperunt, & in Mersburg ſecū captiuos adduxe-
runt: ipſum vero ducem in vincula cōiecerunt, & alios nobiles comites & quoſdā aduo-
catos ducis, reliquos vero captiuos data non modica pecunia pro redemptione ſua li-
beros abire permiſerunt. Dux Albertus cum per annum captiuus detentus fuiſſet, re-
demit ſe à captiuitate cum 8000 marcarum & octo munitionibus. 1264.

1264. Pluuiæ repentinæ & inundationes aquarum circa festum beati Nicolai multas villas in Saxonia miserabiliter submerserunt.

1265. Multæ naues magnæ & onustæ, tam trieres quam cocones, in mari mediterraneo ac in Dacia submersæ, perierunt. Eodem anno Albertus Thuringiæ, & Otto marchio de Brandenburg cum filio suo, Albertus etiam dux de Brunsuic, atque multi alij in Prussiam peregrinando contra paganos cum signo crucis profecti sunt, & quod hyems lenis erat, eodem tempore nihil proficientes ad propria reuersi sunt.

1267. Sãcta Hedevvigis venerabilis vitæ, olim ducissa Poloniæ, felici transitu ex hac luce migrauit, & plurimis resplenduit miraculorum prodigijs: cuius translatio per cardinalem Widonem legatum sedis Apostolicę, cum magna fidelium multitudine vtriusq; sexus tam religiosorum quam secularium, in episcopatu Breslauiensi celebrata est 7 cal. Sep. illaq; à papa Clemente canonizata fuit. Hęc sancta Hedvvigis fuit matertera sanctę Elizabeth de Marburg, ac Belę illustris regis Vngariæ, fuitq; mater famosi Heinrici ducis Poloniæ, quem strenue pugnantem pro patria populoq; Christiano in conflictu Tartari occiderunt. Hæc sancta Hedvvigis fuerat filia ducis de Meran.

1268. Ioannes marchio de Brandenburg in torneamento apud Mersburg cum lãcea est occisus. Ipso etiam anno marchionissa Agnes de Misnia vidit in somnis angelum Dei propinare sibi in scypho aureo, & cum bibisset ipsa, dixit, Heu quam amarus potus: cui respondit angelus, Amara erit potio tua, sed dominus te non derelinquet: & sic breui post defuncta est.

1270. Ludouicus rex Franciæ cruce signatus cum filijs suis Philippo & Ioanne apud Marsiliam, ascendit mare circiter cum 60 millibus armatorum: qui mare non transiuit, sed febre mortuus est. (alias, cum centum millibus cruce signatorum & vltra de diuersis regnis.) Eodem anno rex Arragoniæ & rex Nauarræ, nec non rex Angliæ Edevvardus cruce signati cum suis exercitibus in subsidium terræ sanctæ, sed minime peruenerunt. Eodem anno Frisones cruce signati circiter quadraginta millia, & amplius. Ipso anno Egra ciuitas exusta est. Quatuor fratres de ordine minorũ in ecclesia fratrũ ibidem, & cum ipsis centum homines & vltra cremati sunt. Eodem anno Germanus sanctæ Elizabeth de Marburg, videlicet potens rex Bela in Vngaria, feliciter obijt. Hic enim fuit Dei ac diuini officij solennis amator. Paululum post mortem præfati regis regina vxor eius, & consors regni, natione Græca, feliciter obijt.

1271. Fuldẽsis abbas Britous nomine, strenuus & vtilis rector populi sui, cultor & amator pacis, occisus est in Fulda in proprio Oratorio infra missam in quadragesima. Eodẽ anno inimici crucis Christi pagani cum quatuor turmis irruerũt in Prussiã, ecclesias & altaria deuastãtes, tredecim fratres dom⁹ Teutonicæ, & de populo promiscui sexus alios 150, nec nõ & 2000, & innumerabilẽ populũ Christianorũ vtriusq; sexus captiuãtes, cũ pecorib. & spolijs secũ deduxerũt, villas succẽderũt, & plurimos homines cremauerunt. Ipso anno in Frãckonia tam in villis quam in campis, lupi homines crudeliter inuadentes, plures quam 30 homines deuorauerunt, relinquentes oues in campis, & inuaserunt pastores. 1273. Facta est fames valida in regionibus Teutoniæ, & alibi, ita vt plures fame morerentur & maldrum Erphordiæ valebat plus quam 6 marcas.

1275. Ciues Erphordienses prouocari à comitib. vicinis rebellãtes, tribulauerunt comites & alios quosdã latrones vsq; ad cineres per militiã & armatos circiter ccc aliunde cõductos: & de cõmuni cõsilio auxiliũ archiepiscopi Moguntini implorare statuerunt, & eundẽ aduocare personaliter studuerunt, qui in mõte Petri & Pauli mansionẽ pẽe per 4 hebdomadas habuit, sacrosque ordines ibidem celebrauit. Eodem anno in marchia Misnensi factæ sunt inundationes aquarum, videlicet in Albia & alijs fluminib. de nimietate pluuiarũ circa festũ S. Bartholomæi. Itaq; multę villę ac multi homines submersi sunt, montes magni destructi sunt, & pecora, frumẽta quoq; plurima perierunt, domino permittente. Ipso anno Grisei monachi in suo generali concilio vel capitulo Cistercienſi prohibuerunt pœna taxata districtius, q, in toto ipsorum ordine per mundum neq; in domib. neq; in granarijs vlli de ordine † frumentorum ad comedendum vel hospitandum nullatenus recipiantur, nec eis in aliqua eleemosyna succurratur.

Hoc anno intemperies aeris præualuit in tantum, quod vites & multæ fruges exabundantia pluuiarum, & ex defectu æstiui caloris, immaturæ permanserint.

1279. Ciues Erphordienſes incurrerunt ingratitudinem archiepiſcopi Moguntini Wernheri, qui directo mandato clero ciuitatis præcepit, ibidem ſuſpẽdi diuina: quod per duos annos & dimidium à ſibi obedientibus inuiolabiliter obſeruatum eſt.

1280. Epiſcopus Magdeburgenſis cepit marchionem Miſnenſem cum pluribus Thuringiæ nobilibus.

1281. Grauis guerra eſt orta inter ſenioré Lãtgrauiũ Albertũ & filiũ eius Theodericũ, ciuib. Erphordienſib. aſtantib. Lãtgrauio ſeniori, quibuſdã vero miniſterialib. adiuuãtib. partẽ iunioris Lantgrauij: in qua etiam guerra dominus Criſtãnus epiſcop. domus Teutonicę captus eſt à iuniore Lantgrauio, & aliquãdiu detentus in caſtro Sclacheim: q tandẽ coactus redemit ſe cũ 300 marcis. Quo ſoluto & ipſe iunior Lãtgrauius captus eſt à comite de Keuernburck, & traditus eſt patri ſuo, qui per integrũ annum detinuit eum in caſtro Wartberck iuxta Yſenacum, donec à quibuſdam commilitonibus ſuis & ſeruis noctu furtiue caſtrum intrantibus, eundem captiuitate viriliter eripuerunt.

1282. Cõpoſitione facta inter dominũ archiepiſcopũ Mogunt. & ciues Erphordien. D. abbas montis S. Petri cũ clero ciuitatis Erphordien. honorifice reuocatus eſt à conſulib. & potiorib. eiuſdẽ ciuitatis, qui etiã pro emẽda archiepiſcopo circa mille marcas, & clero ciuitatis pro eorũ damno q̃ pene per bienniũ pertulerãt, 300 marcas dederũt.

1283. Magna mortalitas deſæuit in nobiles Thuringiæ. Nam vix infra dimidij anni ſpacium nobilis vir marchio Theodericus de Landisberck, & comes Albertus de Orlamunde, & frater eius comes Otto, comes Heinricus de Schvvartzburg, & comes Albertus de Glichenſtein, & multi alij miniſteriales & nobiles mortui ſunt.

1287. In Friſia ſubmerſi per inundationem aquæ pene 80000 hominum.

1288. Lantgrauius Albertus ſenior captus eſt à filio ſuo Friderico, & aliquãto tempore ab eo detentus. Eodem anno circa feſtum S. Michaelis per nimiam vim ventorum, multa millia hominum in aqua quæ vocatur Lacus, prope ciuitatem Lubecẽſem, cum omnibus quæ habebant, ſimul cum nauibus miſerabiliter ſubmerſi ſunt.

1290. Rudolphus rex Romanorũ curiam ſuam Erphordiæ celebrauit. Ad quã vocati venerunt de vicinis & longinquis regionib. multi principes ſpirituales & ſeculares, & plurimi nobiles ac barones, & qui venire non poterant, per ſolennes legatos ſuã abſentiam coram rege excuſabant. Principes ſpirituales hi erãt: dominus archiepiſcop⁹ Moguntinenſis, archiepiſcopus Saltzburgenſis, archiepiſcopus Magdeburgenſis: epiſcopi ſimplices: Herbipolẽſis, Babenbergẽſis, Hildenesheimẽſis, Padebornẽſis, Neuburgen. Mersburgenſis, Miſnenſis, Tolnenſis, Lauentinenſis, Halberſtatẽſis, Eiſterenſis, Werdunen. Cõſtantienſis, abbas Fuldenſis, abbas Hersfeldẽſis. Principes ſæculares hi erãt: marchio de Brandenburg, & frater eius, marchio Fridericus Miſnenſis, Lantgrauius Albertus cũ filijs ſuis Friderico & Ticemãno, dux Heinricus de Brunſuic, & fratres eius Albertus & Wilhelmus, Heinricus Lantgrauius Haſſiæ, rex Boemiæ, dux Auſtriç, Rudolphus filius Rudolphi regis, dux Bauariæ, dux Carinthiæ, dux de Lunẽburg, dux Saxoniæ gener regis Rudolphi, comes Guntzelin⁹ de Zvvirn, comes de Catzenelnbogẽ, & filius eius, qui ibidẽ obiit: item filius eius comes de Bren iuuenis, qui ibidẽ obijt ſine hærede: dux de Meckilburg, comes de Anhalt, duo fratres de Hohenloch, quorũ vnus ibidem obijt: item alius de Hollo, item Burgrauius de Nurnberg, & multi alij.

Eodem anno rex Rudolphus vt pacem ſtabiliret, miſſis militibus ſuis cum ciuibus Erphordienſibus & cum populo Thuringiorum, imperauit deſtrui fere ſexaginta & ſex munitiones in diuerſis locis Thuringiæ ſitas: in quibus ſe recipere ſoliti erãt iniqui homines, rapinas & latrocinia exercentes.

1291. Idibus Aprilis circa mediam diem incépit incendiũ in Erphordia in curia clauſtri, quod conſumpſit fere 3 partem ciuitatis. in quo incendio monaſterium minorum fratrum eſt exuſtum, & monaſterium S. Auguſtini & albarum dominarum, nec non & eccleſia mercatorum cum officinis & curiis ipſorum pariter ſunt exuſta. Eccleſia etiam ſancti Bartholomæi periit incendio.

Eodem anno in die S. Lamberti ortum eſt grande incendium Erphordiæ, in quo concremata fuit valua S. Ioannis Baptiſtæ, & fere 100 curiæ ibi adiacentes.

1293. Incendium Erphordiæ exortum pontem apothecarium penitus abſumſit, capellamq; S. Egidij cum nonnullis adiacentibus ædificijs concremauit.

Eodem

Eodē anno cōsules Erphordēses antiquū illud nobilitatis ius siue libertatem ecclesiæ montis S. Petri, qua per multos retroactos annos in domunculis sitis in pede eiusdē montis, quę ab omni exactione aliorū libere penitus ac secure S. Petro dinoscuntur totaliter deseruire, ecclesia eadē est gauisa, violare, imo violēter prępripere sūt aggressi, deq; singulis domunculis siue laribus (quod vulgo *ein Herd* nuncupatur) exactiones alibi solitas extorquere: quasi hoc, vt aiebāt, in subsidiū proficeret ciuitatis, abbate & conuentu reclamantibus: insuper dicentes futurum esse, q; nō solum domunculę prędictę, verumetiam omnes officinę & ipsum monasteriū cogerentur exactionibus subiacere.

Eodem anno, excepto conuentu S. Petri sanctiq; Iacobi Scotorum, & capituli S. Seueri, Erphordensis totus clerus ciuitatis & aliarū præpositurarum Thuringię, ad curiam Romanam contra Maguntinum appellauit, & pro eadem causa legatos miserunt. 1295, vel 1299. Rex Adolphus ad terras Thuringiæ receptandas, quas à seniore Thuringiæ Lantgrauio promissis 12 millibus marcarum puri argenti coemerat, reclamantib. tñ ciusdem Lantgrauij filijs, rex, inquam, coacto vndecunq; exercitu, graui histrionum peditum (vt assolet) multitudine comitante, in Thuringiam iter mouens, cum secus villam Eisleben fixis tentorijs consedisset, regali clementia quam non habebat, in tyrannicam rabiem cōmutata, quid quātumq; miseriarum, rapinarū, videlicet, incendiorum, cædiumq;, per 13 prope dies ab ipsius sequacibus quotidie fuit actitatum, incredibile videbitur inexpertis. Equidem cruentis satellitibus pro victualibus conquirendis circumquaq; turmatim diffusis, segetes succiduntur, greges abiguntur, villæ incenduntur, omnia diripiūtur, pauperrimis quibusq; (quod pudet dicere) etiam braccæ peruiles & caligæ auferuntur, nil præter infelicem vitam miseris & infelicibus hominibus relinquunt: reclamantes quiq; more pecorum passim prosternuntur: nusquam pax, vbiq; Mars: nusquam Christiana pietas, vbiq; paganica iniquitas & crudelitas debacchatur: insuper claustra sanctimonialium inuaduntur, Deoq; sacratæ virgines protrahuntur & ab immundis hominibus prostituuntur. Sed nec vel sic cessatur. Cum famelici canes in villis iam exhaustis nil rerum victualium inuenirēt, ad ecclesias conuertuntur, fores effringuntur, vix à sacerdote celebrante manus cohibētur, altaria nudantur, vestes sacræ, missales libri cum calicibus distrahuntur, & (quod Christianæ aures exhorrescūt) pyxides hostiarum viuifici corporis Christi, in quo totius humanę salutis summa cōsistit, abiecto nonnunquā sacramēto abripiuntur. Plane incredibile est dictu, in quem miseriarum gurgitē nunc hęc infelicia Thuringorum tempora fuerunt deuoluta. Verum ne tamen & hi cruenti satellites impune euasisse penitus viderentur, cum ipsi funesti nullas ponerent insolentię suæ metas, nulli honori seu religioni deferrent: quibusdam ex desperatione rerum vel vitæ fiduciam sumentibus, à nonnullis etiam castellanis Lantgrauio fauentibus, & quorum res & homines diripiebantur, impudici homines vagabundi passim inuadebantur, cædebantur, abducebantur, & crebris incursibus licet furtiuis regius exercitus imminuebatur. Rex igitur exercitus sui fieri sentiens detrimenta, seque pro rebus male gestis, pro tot videlicet ac tantis suorum insolentijs perpetratis, de Thuringia egredi statuit. Sublatis itaq; tentoriis à villa Mittelhusen venit. Ventum est ad villam Vitpeche, vbi quidam non ignobilium de exercitu Ecclesiam sancti Andreæ ibidem sitam, effractis foribus irrupissent, cunctaque inibi posita cum ornamentis altaris libriſque & calicibus diripere tentassent: clamore autem cum querimonia ad regem perlato, rex ad ecclesiæ prædictæ fores se applicuit, ac prædictis inuasoribus singulis de ecclesia protractis, vni post vnum manum dexteram amputari fecit. Sic itaque rex Thuringiæ fines transgressus, ad terram Orientalem se conuertit, pari modo omnia deuastando, vbi etiam nonnullas obtinuit munitiones seu castella. Inde ciuitatem Eriberg obsessam aliquandiu proditione quorundam ciuium cepit. Quam crudeli autem immanitate in reliquos & ibi & alias rex humanitatis oblitus desæuierit, qualiterve Misnensem marchionem Fridericum honore & patria priuauerit, quantisq; & quot amarissimis cladibus, incendijs & rapinis illam prouinciam cōpleuerit; pro sui horrore & immanitate singula dicere supersedi. 1295. Rex reparato denuo exercitu in Thuringiam iterum properauit. Castrum igitur Franckenstein obsessum aliquandiu non sine magno exercitus sui dispendio in deditionem recepit. Deinde Cruceburg cōtendit. At cum magna multitudo vtriusq;

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſexus ſuper caſtrum confugiſſet, cœperunt hi qui ſuper caſtrum erãt, tanta aquę carentia vrgeri, vt & equis cereuiſia potus eſſet, & panes cum cereuiſia coquerẽtur. Tandem rex è Thuringia egreſſus tot in ea egregijs facinoroſę crudelitatis inſigniis derelictis, & ipſum nomen eius omnium ſputis & maledictis obnoxium amariſſimis imprecationibus oneratur.

1296. Incendium grande exortum Erphordiæ, ſequenti nocte poſt diuiſionem Apoſtolorum, plateas fori, rapularum, & pergamenorum abſumens, numeroſa admodum ædificia concremauit.

1304. Ciues Erphordenſes manu valida tria caſtra firmiſſima obſederunt, & ceperunt Kirchberg, Wintberg, Grifenberg: quorum duo Kirchberg & Wintberg funditus euerterunt, & Leinſtein quod antea ceperunt: quæ omnia erant Lantgrauij de Kirchberg, qui illorum offenſam incurrerat, cui tamen poſtea gratiam & amicitiam eorum impetranti Grifenberg reddiderunt.

Eodem anno Heinricus comes iunior de Honſtein, congregata electa manu Thuringorũ, partes Buchouiæ ingreditur, in prędiudiciũ abbatis Fuldenſis incõmoda illaturus. Aduocati vero prędicti abbatis hoc cognito, parua manu ſuorũ vtpote in breui adunata, ſed tamen cõmunitate rurenſium cõclamata ei occurrunt, quoslibet occidunt, plurimos abducunt captiuos: vbi ipſe comes & comes de Bichelingẽ iunior cum multis alijs captiuãtur, multis ſuorũ prius occiſis, qui poſtea multa pecunia ſe redemerunt.

1307. Ciues Iſnacenſes, videntes ſe opprimi, à rege Alberto auxilium contra filios Lantgrauij frequenter poſtulabant, qui quendam nobilem dictum de Wilnovve cum manu valida eis miſit. Qui fultus adiutorio abbatis Fuldenſis totam Thuringiam incendijs & rapinis deuaſtabat, nulluſq; ei ſaltẽ in modico reſiſtebat. Hic caſtrum Winterſtein quod marchio tenebat, obſedit, cum adiutorio Iſnacenſium, nihilq; dignum memoria ibi agentes octo diebus tranſitis receſſerunt.

Eodẽ anno filij Lantgrauij cum aduocatis regis Romanorũ, qui terram orientalem incẽdijs & rapinis deuaſtabãt, bellũ prope ciuitatẽ Luckovve habuerũt: multiſq; hinc inde occiſis, filij Lãtgrauij victoriã obtinuerunt, ex alia parte multis nobilib. captiuatis.

1308. Orta eſt diſſenſio inter Fridericum marchionem Miſnenſem & ciues Erphordenſes, quæ toti Thuringiæ cauſa maximæ cladis fuit: cuius cauſa hæc fuit. Ciues Erphordenſes ac eorũ progenitores ab Alberto ſeniore Lantgrauio huiꝰ Friderici patre, & à pluribus nobilib. Thuringię quaſdã aduocatias ſiue iuriſdictiones ſibi cõparauerãt in circumiacentib. villis Erphordiã circũquaq;. Quas pace facta Fridericus prædictus & ſui aduocati ſibi vſurpabãt, dicẽtes burgen. debere iuriſdictiones & aduocatias minime poſſidere. Ecõtra Erphorden. ſua patrimonia ſiue q̃ cõparauerant, defenſare conabãtur. Multis itaq; placitis cõmunib. habitis, ſed in caſſũ, cũ ſtratæ publicę ſpoliarẽtur frequẽter, Erphorden. munitionẽ in Audisleiben, in quã ſe marchio recipere ſolitꝰ erat, deſtruxerũt: deinde coniuratione habita cũ Hermanno comite de Wymar & ciuibus de Mulhauſen & Northauſen, datis vtrobiq; ſalariis, multis ſe armigeris tutauerũt. Sicq; tota Thuringia rapinis & incẽdiis deſolatur. Poſtea Erphordẽſes cõgregata valida manu cũ ſuis adiutorib. proceſſionaliter ab omni clero ciuitatis & religioſis ante ciuitatẽ deducti munitionẽ in Vtſtete quinq; dieb. obſeſſam & deditã funditus deſtruxerũt. Quod ſi proceſſiſſent, multa vtiq; caſtra marchionis occupaſſent, & quaſi omnino prævaluiſſent, ſed amiſſis omnib. ad ꝓpria ſunt reuerſi. Poſtea rurſum dũ rapinis intenderẽt, à cõplicibus marchionis cõgreſſi pugna victi, ex eis plurimi captiuãtur. Hinc ergo Erphordẽſes tãta calamitate attacti, nec reſiſtere aliqualiter amodo attẽtabãt. vnde marchio expeditione valida Wimar ciuitatẽ obſedit, ipſum comitẽ ad deditionẽ compulit: inde ciuitatẽ aggreſſus Erphordiẽſem, caſtra ponẽs in villa Hochheim, nõ longe ab ipſius mœnibus ciuitatis: deinde hortos & domos extra ciuitatem ſitas in parte, & ex alijs partib. foſſatis & ſepibus valde munitas, vento exurgẽte ignibus cõflagrauit. Tanta etiam amentia & hebetudo omnes ciuitatẽſes inuaſerat, quod niſi diuina clementia ſubueniſſet, ipſam ciuitatem periculoſius afflixiſſet. Tantũ ergo periculũ Erphordienſes experti, poſtea muros ſuos tutius munierunt, tam Chriſtianos q̃ Iudæos in turrib & propugnaculis collocantes. Poſtea marchio omnia vineta circumpoſita ſuccidi fecit, damna qualiacunque à longe intulit. Et per 14 dies ante ciuitatem reſedit: poſtea ſunt diſper-

disperſi. Erphordienſes ſuper his omnibus Romanorum regis auxilium implorabant. Inſuper item Lantgrauium Haſſiæ vocauerunt, multis armigeris aliis expenſis propriis conquiſitis. qui Lantgrauius cum ſuis veniens Erphordiã, contra ſpem poſt aliquot dies ad propria eſt reuerſus. Poſt hæc Erphordienſes communitate quaſi cogente, pacem à marchione expetunt, quam tandem data magna pecunia meruerunt. Molhuſenſes Northuſenſesq; idem facere ſunt coacti. Marchio etiam Erphordienſibus petentibus quædam iura conceſſerat, & ſcriptis firmauerat, quæ pecunia ſoluta penitus infracta.

1312. Facta eſt diſcordia inter marchionem Brandeburgenſem, Woldemarum & Fridericum marchionem Miſnenſem, in qua multa damna, cędes hominũ, rapinas, incendia faciebãt. Tandem peruenitur ad pugnam, vbi Fridericus marchio captiuus abducitur apud ciuitatem quæ vocatur Hagen, quam idem Marchio ceperat; indeq; eductus marchioni Volmaro præſentatur, qui ipſum diræ cuſtodiæ tradidit vinculatum.

1313. Ciues Erphordienſes audientes captum marchionem Fridericum, in vnum coadunati, caſtrum marchionis Remkeleiben funditus euerterunt. Similiter abbas Fuldenſis & abbas Herſueldenſis pariter coadunati caſtra marchionis Rotenberg & Bretenbach pariter deſtruxerunt. Marchio Fridericus audiens per Erphordienſes abbatesq; prædictos dicta caſtra ſubuerſa, vt eiſdem, ſi lætior arrideret fortuna, meritum condigna talione refunderet, pro ſui liberatione modis omnibus quibus poterat, feruentius laborabat.

1315. Factum eſt diluuium in Grimmiis, vbi multi homines perierunt: ſed & eccleſia Auguſtinenſis inibi per inundationem aquarum eſt abducta.

1316. Fames valida quæ iam per tres annos inualuerat, tam magna facta eſt, vt multi fame perirẽt. Nã in ſtrata publica, in ciuitatib. in oppidis, in villis, innumerabiles exanimes iacere videbãtur. vnde ciues Erphordiẽſes miſericordia moti magnas foueas qnq; ante ciuitatẽ fecerũt, vbi proiecta quotidie ſunt innumerabilia cadauera mortuorum.

1319. Ciues caſtri Palladis, id eſt Meideburgenſes, Burchardum archiepiſcopum ſuum ſecuri, vt dicitur, percuſſerunt, qui tamen eccleſiam ſuam multum ditauit, multas munitiones, caſtra, & oppida eidem procurando.

1323. Facta eſt magna diſcordia inter ciues Erphordienſes & clericos, quod ciues quendam clericum de furto diffamatum fecerunt ſuſpendio interire. qua de re ſtatim à diuinis clerici ceſſauere. Vnde commoti curias deiicere, domos deſtruere, bona diripere cericorum per nefandos homines procurarunt. Quapropter Matthias Maguntinenſis archiepiſcopus veniens Erphordiam, inter clericos & ciues pacem faciens, eos concorditer reformauit.

1325. Lupoldus dux Auſtriæ multa damna Ludouico Bauaro regi Romanorum inferens propter fratrem ſuum, quem dictus Ludouicus in bello ceperat, tandem idem Lupoldus obiit tali modo, vt dicitur. Cum quidam necromanticus ſibi præſentatus fuiſſet, interrogauit eum, ſi poſſet ſibi diabolum demonſtrare propria perſona. At ille, Poſſum, inquit: ſed nullus homo ſine periculo corporis poteſt eum videre. Quo contumaciter reſpondente, volo eum vtique videre, & fideiuſſores ſtatuit necromantico, ne in aliquo lęderetur. introductus eſt igitur in cœnaculum, & ibi pariter reſidentes, vident hominem aſpectu nigrum & deformem introeuntem: quo viſo dux dixit, Satis eſt, & ſtatim ad lectum deductus, mortuus eſt.

1326. Facta eſt magna diſcordia inter archiepiſcopum Matthiam & Heinricum Lantgrauium, quod bona feudalia ab epiſcopo, vt moris eſt, non ſuſceperat, vnde multa homicidia, rapinæ, incendia ab vtriſque partibus facta ſunt. ſed archiepiſcopus oppidum quoddam Gieſſen obſedit, & cepit, & fautores ſuos in eo locauit, qui multa crudelitate bacchantes in cædibus hominum & rapinis & violationibus virginum & puellarum, oppidanos multis calamitatibus oppreſſerunt: quod videntes iidem ciues expulſis illis priori domino ſuo Lantgrauio dictum oppidum reddiderunt.

1328. Marchio Fridericus iunior celebrauit nuptias ſolennes in Norenberg cum filia regis Romanorum Mechtilda.

1335. Archiepiſcopus Treuerenſis cum magno exercitu ex conſilio decani ſanctæ Mariæ Erphordiæ, fauentibus ſibi eiuſdem conſulibus, Thuringiam petiit, ibique iuncta manu Erphordienſium terram comitis de Honſtein incendiis & rapinis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

infestauit. Tandem munitionem in Tullestete obsidens, sed minime ibidem subtracta manu Erphordiensium perficiens, Erphordiensibus sibi suisq; in victualibus subuenire nolentibus, ad propria remeauit. Sequenti anno iterum Episcopus Treuerensis nomine Moguntini capituli cum principe ac fere omnibus terræ Thuringiæ nobilibus adueniens Erphordiam obsident. Tandem non modica ab Erphordiensibus principi & Treuerensi prædictis ex marchionissæ consilio pacta pecunia, relicta Erphordia, pace præstita, omnes ibidem collecti amice ad propria remeabant.

1338. Iusticiarius Imperatoris Ludouici Bauari dictus de Eppenstein, Imperatoris iussu capitulum primum prouinciale monachorum ordinis sancti Benedicti celebrandum in Fulda sub periculo rerum & corporum fieri vetuit, ad quod quamplures abbates conuenerant, secundum formam constitutionum de ordine sancti Benedicti per papam Benedictum XII nuper editarum tractaturi.

Hoc etiam anno Ludouicus Imperator curiam suam in Franckenfurt habuit, vbi non coactus sed sponte in præsentia archiepiscoporum, episcoporum, aliorumq; prælatorum, principum, comitum, nobilium, ac vulgi, se esse verũ Christicolam, per verę fidei confessionem dicens orationem dominicam, salutationem angelicam, & symbolum, vœce publica declarauit: nam papa ei hæresim imputauit. Eodem tempore circa festum B. Laurentij apud Noletam & ciuitatem Herbipolim & in partibus adiacentibus multitudo locustarum inaudita, miramq; habentium magnitudinem visa est, quæ fructum terræ in locis plerisque depascentes, sed vineas non lædentes, quasdam ciuitates per dies aliquos operuerunt, vt in eas Sol suos radios proijcere non valeret.

1342. Fuit tanta inundatio aquarum in Ephordia in die Braxedis, vt nemo in vicino equitare posset, & destruxit longas temetes Erphordiæ, pontem ante valuam sancti Augustini, & sancti Ioannis pontem in Herbipoli cum magna turri, pontem in Ratispona, in Dresden, in Franckenfordia, in Weitzendorff, in Babenberg.

1344. Quidam puer in partibus Hassiæ est deprehensus. Hic, sicut postea cognitum est, & sicut ipse retulit, cum trium esset annorum, à lupis est captus & mirabiliter educatus. Nam quamcunque prædam lupi pro cibo rapuerant, semper meliorem partem sumentes & arbori circumiacientes ipsi ad vorandum tribuebant, tempore vero hyemis & frigoris foueam facientes, folia arborum & alias herbas imponentes puerum superponebant, & se circumponentes sic eum à frigore defendebant, ipsum etiam manibus & pedibus repere cogebãt, & secum currere, tamdiu quoad ex vsu eorum velocitatem imitabatur, & saltus maximos faciebat. Hic deprehensus lignis circumligatus erectus ire ad humanam similitudinem cogebatur. Idem vero puer sæpius dicebat se multo carius cum lupis, si in se esset, quam cum hominibus diligere cõuersari. Hic puer in curiam Henrici principis Hassiæ pro spectaculo est allatus. Hoc etiam contigit in Wederauia, in vna villa quæ dicitur Echtzel, quod puer XII annos cum lupis erat in magna sylua quæ dicitur vulgariter die Hart, qui puer postea in venatione captus fuerat à nobilibus ibidem morantibus, & vixit forte ad LXXX annos. contigit hoc MCCCXLIV, in hyeme, in niue quando eripuerant eum.

1352. Intoxicata est domina de Henneberg, per Burgrauiũ de Norenberg, vt dicitur.

Sequentia in eodem libro separatim erant aſcripta.

Anno 326 antequam Erphordia ciuitas esset, quidam rex Mereuigus castrum in monte vbi nunc monasterium sancti Petri ordinis sancti Benedicti situm est, ædificauit, eique nomen Wervvigsburg indidit. Erat tunc villa Schildenrode nuncupata, eo loco quo nunc ecclesia sancti Andreæ cernitur: habitabatque in Bruleto prope flumen Gera molitor quidam nomine Erpff, apud cuius molendinum trãsitus siue passagium extitit. Dehinc circa annum Domini 438 Clodij regis Francorum tempore Erfordia initium: & à præfato molitore atque transitu Erphesfordt nomen accepit.

Anno 707 Dagobertus rex Christianissimus construxit monasterium in Erffort, in monte quem antiquitus vocãt Mervvigsburg à Merbigo pagano rege Francorum, qui filius fuit Mervvigi principis de Thuringia, & tritauus eiusdem Dagoberti regis: de letoque paganico nomine eiusdem vrbis vel montis, sancti Petri montem nuncupauit, ibique monachicam vitam, sicut iam pari modo in Felsenburc fecerat, instituit, & destructo castro, monasterium sancti Petri ædificauit, rogatu Adeodati vel Trutmanni in-

ni inclusi: qui quidem tempore eiusdem regis secus Ecclesiam sancti Blasii quæ sita fuit iuxta prædictam vrbem, à Kygiberto Maguntino Episcopo fuerat inclusus, & omnia quæ habuit in Thuringia à materna hæreditate, sancto Petro fratribusq; ibidem Deo seruientibus tradidit: quæ postea sanctus Bonifacius martyr & Episcopus abstulit, & Episcopium ibidem faciens, monachis ibidem degentibus tantum dimisit, quantum sufficeret ad annonam cotidianam.

Anno 752 monasterium beatæ Mariæ in Erphesfurt, per Bonifacium archiepiscopum Maguntinum constructum legitur.

Anno 1066 Erffordia muro est circumdata.

Anno 1392 incepit vniuersitas seu studium generale Erphordiæ. Gregorius papa x in concilio Lugdunensi destituit Bertholdum de Henneberg, de Episcopatu Herbipolensi, prouisione temporalium honorifice sibi facta, & decanum præfatæ Ecclesiæ ibidem instituit Episcopum nomine Bertholdum.

Anno 1472 Erphordia miserabiliter concremata est, vt sequentes versus indicant.

DE INCENDIO ERPHORDIÆ.

Ab annis Christi millenis C quater isti,
Septuaginta duo iungito more suo.
Festo Protasii valido succenditur igni
Vrbs Erffordensis, subdita valde malis.
Tertia pars vrbis eminentibus insita turbis,
Sors cleri grata, tota fit igni data.
Ecclesiæ die Seueri, sicq; Mariæ,
Quamplures aliæ sint, & in hac acie
Heu sunt prostratæ. ô Iupiter, almeq; gnate
Custos sis: nostri complue vota boni.

Cyemberg.

Anno milleno C quatuor duo septageno,
Geruasi festo damni passi memor esto.
Erfordi præclara tunc fax tibi luxit amara,
Deperit Ecclesia tua, virgo sancta Maria.
Præsul sincerus damnum tulit ipse Seuerus,
Pons mercatorum, domus ô mens canonicorum,
Raparum forum, multorum post Laicorum
Ante gradus æque pereunt habitacula quæq;
Chartas radentes & campanas facientes,
Pisces vendentes, in viminibusq; suentes.
Post in brulentum ruit ignis edax, vbi centum
Inuenit carum deuotarum monacharum.
Et dum flamma furit, proh Martinus locus vrit.

Walagk.

FINIS.

MARIANI SCOTI, HISTORIOGRAPHI SVI TEMPORIS CLARISSIMI, AC MONACHI FVLDENSIS, Chronicorum Libri III.

LIBER PRIMVS

ΑΚΕΦΑΛΟΣ.

De septem diebus primis secundum Solem & Lunam ac feriam, & de formatione creaturarum in septem diebus, & de informi materia.

CAPVT VIII.

EX autem diebus supra creata formauit Deus, sancta Scriptura teste cum viris sanctis.

¶ Primo die etiam Dominico, decimaquinta calendis Aprilis, lucem de nihilo, atque cœlum cœleste, cum Angelis suis omnibus, tunc valde bonis. Sed superbiendo, qui fuerat Lucifer apostata, quod Angeli conditionis eadem hora lapsu lugubri ceciderunt.

Massam quoque de nihilo materialem informatam: de qua postea quinque diebus totis formatus est mundus.

In materia enim informi, pariter elementa mundi facta sunt: Cœlum, Terra, Angeli, Aer, Ignis & Aqua.

De nihilo vero, qui viuit in æternum, creauit omnia simul.

¶ Secundo autem die, id est feria secunda, decimo quarto Calendis Aprilis, firmamentum in medio cœli inter aquas superiores & inferiores, septemque cœlos condidit: Aer, Æther, Olympus, Spacium igneum, Firmamentum, Olympus Angelorum, & Cœlum Trinitatis.

Tertio item die, id est feria tertia, decimo tertio Calendis Aprilis, congregatis in suum locũ aquis quæ cuncta cõtexerant, terram aridam iussit apparere. Mare, & herbas, & fructus totius terræ, pulcherrimo opere formauit.

¶ Quarto enim die, id est feria quarta, duodecimo Calendis Aprilis, luminaria cœli, de lumine primo die facto. Solem quidem, die incipiente, hoc est in æquinoctio vernali creauit, in quarta parte Arietis constituens, Lunam quoque eodem die vespere, plenam, Orientis à medio apparentem formauit: quæ quartam partem Libræ, hoc est æquinoctium autumnale, tenuit initiumque Paschalis Lunæ, hoc est decimoquinto suo exitu consecrauit. Luna enim illuminata à Sole cum stellis, ad vesperam noctis eiusdem diei illuxerunt.

¶ Quinto die, hoc est feria quinta, vndecimo Calendis Aprilis, beluas marinas, & omnia genera piscium, & volatilium, in animam motabilem de aquis machinans creauit.

¶ Sexto autem die, id est feria sexta, decimo Calendis Aprilis, omnia genera diuersarum bestiarum & pecorum, quadrupedumque & repentium, in naturas diuersas formauit.

¶ Quumque ergo omnia erant perfecta, quæ homini fierent subjecta; Adam primum hominem, de terra quidem carne, anima vero de nihilo, nouissime ad similitudinem atque imaginem suam, eadem feria sexta plasmauit.

Ipso etiam die, sexta videlicet feria, decimo Calendis Aprilis, in quo Adam creauit Dominus, de latere Adæ dormientis, patris humani generis, costam tollens, construxit in mulierem, matrem omnis humani generis, quæ Eua vocabatur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De casu primi hominis. CAP. X.

Tu concedis mulieri quod Deus tibi dedit: sed & ego non recuso. Tunc cum victoria belli Sisara occisus est, alioque bello rex Iabin, qui duo principatum per annos 40 tenuerunt. Quibus eodē tempore abeuntibus, seruierunt Madianitis annis septem. Sed tunc conuersi à malis orabant Deum, vt eos liberaret. Tunc Gedeoni filio Ioas paucos manipulos non in area propter hostes, sed in torculari tenēti apparuit Deus in forma iuuēculi, ei prę cipiens, vt liberaret Israel. Quo vero recusante, propter paucitatem tribus suæ, suamq; pueritiam, Dominus, quod decerat, impleturum se dicebat, & victoriam per eum daturum Israeli. Israel autem audiens visitationem Domini, cito ad certamen adeptus est 100000 virorum, & duos reges Oreb & Zeb cum 18000 occiderunt. Gedeon vero principatum nolens, coactus tenuit per quadraginta annos. Abimelech iudicauit populum 3 annis: Thola 23, & Iair 22. Post Iair delinquentibus filijs Israel, prouocauerunt iram Dei, transgredientes legem. Concluſit autem illos Deus in manibus inimicorum suorū, & seruierunt Amalecitis & Palæstinis per annos 18. Sed tunc conuertentes & sacrificia celebrantes, Ammonitisque castrametantibus super eos, non habentes ducem, rogauerunt Iepthem, qui fuit potens ad exercitum dispēsandum, promittentes ei ducatum. Tūc Iephthe per legatos regem Ammonitarum de occupata regione accusabat. Ille vero rex egressum Israel de Ægypto ad possidendā hęreditatem Amorræorum patrum suorū accusabat. Respondit Iepthe, eos ob Amorræam regionem maiores suos nullo iusto prætextu accusare: sed potius ipsos gratias illis Ammoniticæ regionis nomine debere, quæ relicta illis sit, cum & ipsa à Mose posset adimi. Excedere ipsos sua regione iubet, quam post annos ccc Dei auxilio Israelitæ reparauerint: & ideo seipsos oppugnaturum dixit. Qui quum voueret, vt quicquid sibi obuiam foret post victoriam belli, immolaret Deo: filiam sam, sic contingebat, vt immolaret. Iephthe annis septem, Abesan annis septem, Achialon decem, & Labdon octo. Quo mortuo seruiuit Israel Philistinis per 40 annos: à qua seruitute sic liberati. Angelus domini similis iuueni apparuit Manuæ de tribu Dan, promittēs ei optimum fortemque filium, & Philistinos prementem: præcipitq; angelus, ne coma eius abscinderetur, & non nisi aquam biberet: qui nascens, Samson, idest robustus, nominatus. Samson ergo 20 ann. iudicabat populum. *Hæc Iosephus.* Si igitur per interualla regni inter Iudices filij Israel alienigenis seruierunt sicut Iosephus perhibet damnum annorum 167 inter Mosen & Samson habetur. Causa exempli, Si post Iair oppressi sunt filij Israelitæ per annos 18, sicut legitur, quāuis in fine vitæ Iephthe Israelitas liberaret cum ipso, nisi sex non regnauit annis: tamen 12 annorum damnum inter mortem Iair & mortem Iephthæ poterit inueniri. Damnum autem annorum 18 post mortem Iair vsq; ad Iephthe pronunciauit 299.

SAMSON.

SAmson de tribu Dan, annis 20 iudicauit populum, Samson fortissim⁹ omnium fuit, ita vt à quibusdam facta eius gestis Herculis comparentur.

Anni mundi	*Anni Samſ.*	
3018	1	Latinorum 2, post Æne-
3019	2	am, Ascanius annis trigin-
		taseptem. Argiuorum, Mycenis regnauit
		Ægisthus. Lydij mare obtinuerunt.
3020	3	Mycenarum, post necem
3021	4	Ægisthi, Orestes regnauit
		annis 15. Assyriorum 27, Teuteus annis
		40. Ægyptiorū, ea quæ de Vlysse fabulę
		ferunt, quomodo docuerit Tyrrhenorum Scyllam fugere, spoliare hospites soliram: scribit Palęphatus in libro primo incredibilium: Sirenas quoque fuisse meretrices, quæ deciperent nauigantes.
3022	5	Latinorum, Ascanius
3023	6	Æneæ Albam vrbem
3024	7	condidit.
3025	8	Latinorum, Ascanius
3026	9	derelicto nouercæ suæ
3027	10	regno Lauinij, Albam
3028	11	longam cōdidit: & Syl-
3029	12	uium Posthumum fra-
3030	13	trem suum, Æneæ ex
3031	14	Lauinia filium, summa
3032	15	pietate educauit.
3033	6	
3034	17	
3035	18	Sicyoniorum 24, Zeu-

xippus, ann. 31. Quidā ad huius memoriam conseruandam balneas Byzantinorū multo post tempore appellatas putant.

3036

Anni mundi,	Anni Samſon,	
3036	19	Ægyptiorum, Pyrrhus Delphis in templo Apollinis ab Oreſte occiditur, proditione ſacerdotis Machærei. Quo tempore quidam Homerum fuiſſe dicunt.
3037	20	Samſon filius Manuæ obiit, & requieſcit in ſepulchro patris ſui, Eſthaol, in tribu Iuda.

¶ Hucuſque liber Iudicum annos 299 numerat; Iudices 12. Othoniel primo apud Hebræos: poſt Samſon præfuit Iſraeli Emegar.

Heli.

Heli ſacerdos, ſecundum Hebræos, annis 40: ſecundum Septuagintainterpretes, anis 20 regnauit.

Anni mundi,	Anni Heli,	
3038	1	Latinorũ, Mycenis regnauit Tiſamenus filius Oreſtis.
3039	2	
3040	3	
3041	4	
3042	5	Ægyptiorum, Hectoris
3043	6	filii Ilium receperunt, expulſis Antenoris poſteris, Heleno ſibi ſubſidium ferente.
3044	7	Latinorum, ſecundum quoſdam, Heraclidarum deſcenſus.
3045	8	Athenienſium 15, Oxintes, annis 12 regnauit.
3046	9	Ægyptiorum, Amazones Epheſi templum in-
3047	10	cenderunt.
3048	11	
3049	12	Latinorum, Aſcanius Iulium filiũ procreauit, à quo familia Iuliorum orta eſt: & propter ætatẽ paruuli, quia nec dum regendis ciuibus idoneus erat, Syluium Poſthumum fratrem ſuum regni reliquit hæredem.
3050	13	Athenienſium, Caſtoris chronographiam de regno Athenienſium exponemus, Athenienſes reges cognomento Erechthidas, à Cecrope Diphye vſq; ad Thymœten, quorum omne tempus inueniuntur anni 424.
3051	14	Latinorum, Agon, Lyciorum primus.
3052	15	Caſtoris chronographi-
3053	16	am de Sicyoniorum re-
3054	17	gno exponemus, Sicyoniorum reges ab Ægialeo vſque ad Zeuxippum, qui omnes regnauerũt annis 942: & ſacerdotes Carni, ex quibus præfuerunt annis triginta tribus. Poſt quos ſacerdos conſtitutus eſt Charidemus, qui bellãtes Perſas nõ ſuſtinẽs fugit.

Anni mundi,	Anni Heli.	
3055	18	Latinorum 3, Syluius
3056	19	Æneæ filius, annis 28.
3057	20	
3058	21	Athenienſium 14, Thymœtes, anno 1 regnauit.
3059	22	Athenienſium 15, Aphidas, annis 9. Latinorum, Syluius Poſthumus, quia poſt mortem patris ſui ruri fuerit educatus, & Sylui & Poſthumi nomen accepit: à quo omnes Albanorũ reges, Syluii vocati ſunt.

Ægyptiorum, poſt quos ſuſcepit regnũ Melanthus Pylienſis, Andropompi filius, & huius filius Codrus, qui imperauerant ſimul annis 59.

3060	23	Aſſyriorum 28, Timæus
3061	24	annis 30.
3062	25	
3063	26	
3064	27	
3065	28	Sicyoniorum reges de-
3066	29	fecerunt, qui regnauerant annis 962. Poſt quos ſacerdotes Carni conſtituti ſunt.
3067	30	Athenienſium 16. & Erechthidarum primus, Melanthus, annis 37 regnauit.
3068	31	Agyptiorum, Erechthidarũ imperio deſtructo, Atticorum prin-
3069	32	cipum regnũ ad aliud
3070	33	genus translatum eſt,
3071	34	cum Thymœtem pro-
3072	35	uocaſſet Xãthus Bœo-
3073	36	tus, & Thymœte re-
3074	37	cuſante Melãthus Py-
3075	38	lienſis Andropompi
3076	39	filius ſuſcepiſſet ſingulare certamen, ac
3077	40	deinde regnaſſet. Hinc & ἀπατούριον, id eſt fallaciarum ſolennitas celebratur, quia victoria fraude proceſſerat.
3078	0	

¶ Mortuo Heli ſacerdote, arca Teſtamẽti ab alienigenis poſſidetur, ac deinde in domo Abinadab fuit annis viginti.

Samvel.

Samuel regnauit annis duodecim, Ioſepho teſte. Nã de annis eius Scriptura

ſancta tacet. A Samuele tempora Prophetarum incipiunt.

Anni mundi,	*Anni Sam.*	
3079	1	
3080	2	Dauid filius Ieſſę, naſcitur. Latinorum, in alia
3081	3	hiſtoria reperimus,
3082	4	quarto Latinum Syl-
3083	5	uium regnaſſe, Lauiniæ & Melampodis filium, vterinum fratrum Poſthumi: & quinto, qui nunc hic quartus ponitur, Syluium Æneam Poſthumi filium.
3084	6	Latinorum 4, Æneas
3085	7	Syluius, annis 31.
3086	8	
3087	9	
3088	10	
3089	11	
3090	12	Aſſyriorum 29, Derci-

lus, annis 40 regnauit.

SAVL.

SAul, de tribu Beniamin, primus Hebræorum rex, regnauit annis 20 ſecundum Ioſephum. Anni vero ipſius in Scriptura diuina non habentur.

Homerus ſecundum quorũdam opinionem his fuiſſe temporibus dicitur.

Quanta apud veteres de eo diſſonantia fuerit, manifeſtum eſſe poterit ex ſequentibus. Quidam eum, ex quibus Crates, ante deſcenſum Heraclidarum ponũt: Eratoſthenes, poſt 100 annum Troianæ captiuitatis: Ariſtarchus, Ionica migratione, ſiue poſt annos centum: Philochorus, emigrationis Ionicæ tempore, ſub Archippo Athenienſium magiſtratu, & poſt captam Troiam anno 108: Apollodorus Athenienſis poſt 240 annum euerſionis Ilii. Extiterunt alii qui modico tẽpore, antequam Olympiades cœperint, 400 retro annis Troianæ captiuitatis eum fuiſſe putent, licet Archilochus 23 Olympiadem, & quintum Troianæ euerſionis annum ſupputet.

Anni mundi,	*Anni Saul,*	
3091	1	
3092	2	
3093	3	Lacedæmoniorum re-
3094	4	gni principium: & Co-
3095	5	rinthiorum regni prin-
3096	6	cipiũ. In Lacedæmone
3097	7	regnauit primus Eury-

ſtheus, annis 42: Corinthiorum, regnauit primus Aletes, annis 35.

3098	8	Lacedæmoniorũ, Heraclidarum deſcenſus in Peloponneſum.
3099	9	Lacedæmoniorũ, Eury-
3100	10	ſtheus & Procles Spar-
3101	11	tam obtinuerunt.
3102	12	Athenienſium 17, Codrus Melanthi filius, annis 21.
3103	13	Lacedæmoniorum, Io-
3104	14	nes profugi Athenas ſe
3105	15	contulerunt.
3106	16	
3107	17	
3108	18	
3109	19	Peloponnẽſes cõtra Athenas dimicant. Lacedæmoniorum incurſus in Aſiam, Amazonum pariter & Cymmeriorum.
3110	20	Saul cum filio ſuo Ionatha occiſi ſunt à Philiſthæis in mõte Gelboe bellantes.

¶ Ab Abraham vſque ad Dauid, tertia ætas ſeculi ſecundum vtranq; editionem annos habet 942. Hæc velut quædam adoleſcentia populi Dei, qua ætate incipit homo generare. Propterea Matthęus Euãgeliſta generationum ſumpſit exordium, qui etiam pater Gentium conſtitutus eſt, quãdo mutatum nomen accepit.

Ab Adam vſque ad Dauid ſecundum Hebræos, ſunt anni 2890. Sed additione euangelica Euangeliſtæ Lucæ, ſunt anni 3120.

ÆTATIS III FINIS.

Hic notabis lector amice, prototypum non numeraſſe neq; decem annos iudicis Achiſalon qui hic deſiderantur, neque mundi annos vnquam expreſſe: quæ fuit cauſa, vt extremus huius ætatis annus ſit 3110, quum ex vera ſerie deberet eſſe 3120, ſequenti anno cohærens.

ÆTAS

AETAS IV.

De quarta ætate vsque ad captiuitatem & combustionem templi Salomonis.

CAPVT XVII.

DAVID rex Hebræorum secundus, ex tribu Iuda primus, annis quadraginta regnauit.

Anni mundi,	Anni Dau.	
3121	1	Latinorũ 5, Latinus Syl-
3122	2	luius, annis 50 regnauit.
3123	3	Hebræorum, pontifex
3124	4	Abiathar, clarus habe-
3125	5	tur.
3126	6	
3127	7	Dauid hucusque regna-

uit super tribum Iuda 7 annis.

3128	8	Hinc autem 33 annis re-

gnauit super duodecim tribus Israel.

Post Codrum principes quos mors finiebat, quorum primus Medon Codri filius annis 20.

3129	9	Prophetabant Gad, Na-
3130	10	than, & Asaph.
3131	11	Corinthiorum 2, Ixion
3132	12	annis 37. Lacedæmo-

niorum, Codrus iuxta respõsum seipsum morti tradens, interemptus bello Peloponesiaco, in quo Erechthidarũ regnum destructum est, quod 487 annis perseuerauerat.

3133	13	Assyriorum 30, Eupa
3134	14	les, annis 38.
3135	15	
3136	16	
3137	17	
3138	18	Lacedæmoniorũ 2, A-
3139	19	gis, anno 1 regnauit.
3140	20	Post quẽ 3, Echestra-
3141	21	tus, annis 35.
3142	22	Lacedęmoniorũ, Pelas-
3143	23	gi obtinuerunt mare.
3144	24	Lacedæmoniorũ, Ma-
3145	25	gnesia in Asia condita.
3146	26	
3147	27	Lacedæmoniorũ, My-

cena in Italia condita, vel Cumæ.

3148	28	Athenienſium 2, Aca-

stus, annis 36 regnauit.

3149	29	Lacedæmoniorũ, Myr-

Anni mundi,	Anni Dau.	
3150	30	rhena condita: & E-
3151	31	phesus ab Andronico.
3152	32	Salomon nascitur.
3153	33	Lacedæmoniorũ, Car-
3154	34	thago condita est, vt
3155	35	quidam volunt, à Car-
3156	36	chedine Tyrio, vt alii,
3157	37	à Didone filia Beli, an-
3158	38	nis 143 post Troianum
3159	39	excidium.
3160	40	Dauid filius Iessæ obiit

quarto die Calendis Ianuariis; & in arce Hierusalem quæ dicta est ciuitas Dauid, sepultus est. Post tempus annorum 528, Hyrcanus pontifex, qui & Ioannes, in 2 anno sui pontificatus, Antiocho Pio filio Demetrii, vt ab obsidione Hierusalem liberaret, de sepulchro Dauid 3000 talentorum tulit. Et iterum Herodes rex mul. tam pecuniam inde tulit.

SALOMON.

SAlomon, 12 anno ætatis suæ, per Israel incepit regnare in solio patris, & postea, quod Scriptura tacet, vixit Dauid, regnante iam filio aliquot annis, qui sibi & non filio imputantur. Mortuo autem patre, postea filius regnauit annis 40. quibus sine patre regnauit. Et sic initium regni Salomonis, est tempus quo solus regnauit. Historia ostendit, non tamen omnes annos vice illius 52, quum ante continet, quod non regnauit, filiis, sed patribus quamdiu simul vixerunt, imputantur. Confirmat liber Regum dicens, quod Ozias postquã lepra percussus est, habitauit in domo separata, & filius eius Ioatham regnauit pro eo vsque ad mortem patris: & tamen postea quum esset 25 annorum, 16 annis regnauit solus. Quod de Salomone intelleximus, & de Achaz similiter intelligendum est. Ioathæ filius, Ezechiæ pater fuit. Hoc dicit Hieronymus ad Vitalem presbyterum, de Salomone & Achatz, qui 10 annorum dicuntur filios genuisse.

¶ Salomon, tertius filius Dauid, annis regnauit quadraginta.

Anni mundi,	*Anni Sal.*	
3161	1	Lacedæmoniorum, Ionica emigratio, in qua
3162	2	quidam Homerum fu-
3163	3	isse scribunt.
3164	4	Hic Salomon mense se-
3165	5	cundo quarti anni re-
3166	6	gni sui templum Do-
3167	7	mino ædificare cœpit
3168	8	in Hierusalem, post

exitum Israel ex Ægypto 480 annis, vt liber Regum tertius testatur: quod in figuram totius temporis, quo in hoc seculo CHRISTI ædificatur Ecclesia, quæ in futuro perficietur, septé annis perfecit, & in octauo mense anni septimi dedicauit.

3169	9	Corinthiorum 3, Agelaus, annis regnauit 37.
3170	10	Latinorum 6, annis 38.
3171	11	Assyriorum 31, Laosthe
3172	12	nes, annis 45.
3173	13	Lacedæmoniorum 4,
3174	14	Leobotes, annis 37.
3175	15	
3176	16	Hebræorum, sacerdos
3177	17	Sadoc, 8 ab Aaron, ha-
3178	18	betur illustris.
3179	19	Lacedęmoniorum, qui-
3180	20	dam Homerum & He-
3181	21	siodum his tęporibus
3182	22	fuisse aiunt.
3183	23	Regina Saba venit au-
3184	24	dire sapientiam Salo-
3185	25	monis.
3186	26	Lacedæmoniorũ, Car-

thago (secundum nonnullos) conditur à Didone. Alii supra scriptum tempus vendicant.

3187	27	Athenienſium 3, Archippus, annis regnauit nouendecim.
3188	28	Lacedæmoniorum,
3189	29	tertio mare obtinue-
3190	30	runt Thraces annis
3191	31	19.
3192	32	
3193	33	In Ægypto Dynastia 21,
3194	34	regnauit Senẽnis, an-
3195	35	nis 26.
3196	36	
3197	37	
3198	38	
3199	39	
3200	40	Salomon filius Dauid,

in Bethlehem, anno 40 regni sui, 50 ætatis suæ, sepultus in Hierusalẽ est.

¶ Post mortem vero Salomonis, Ieroboam de tribu Efraim, separauit à domo Dauid & à Domino decem tribus, in figuram hæreticorum, qui suos sequaces à CHRISTI Ecclesia segregant.

ROBOAM.

HEbręorum Iuda 4, Roboam filius Salomonis, regnauit annis 17 duas tribus subiectas sibi, idest Iuda & Beniamin, ob reges Iudæorum, quod ii ex Iuda stirpe descenderant: vnde & vniuersa gens nomen Iudææ sortita est, quæ appellatur Israel.

¶ Apud Hebræos qui in Samaria erãt, & vocabantur Israel, primus regnauit Ieroboam, annis viginti tribus in Samaria.

Anni mundi,	*Anni Rob.*	
3201	1	
3202	2	
3203	3	Athenienſium 4, Thersippus, regnauit annis 42.
3204	4	Susachim rex Ægypti contra Iudæos dimicans, templum Domini spoliat.
3205	5	Corinthiorum 4, Pry-
3206	6	minas, annis 35.
3207	7	
3208	8	Latinorum 7, Capetus
3209	9	Syluius, annis 24. Al-
3210	10	bæ Syluii superioris

regis sexti filius fuit.

3211	11	Lacedæmoniorum 5,
3212	12	Doryachus, an. 29. Sa-
3213	13	mos cõdita, & Smyrna
3214	14	in vrbis modum am-
3215	15	pliata.
3216	16	Assyriorum 32, Pyn-
3217	17	thydias, annis 30.

ABIA.

HEbræorum Iuda 5, Abia filius Roboam, Ieroboam pugnantem contra se superauit, occisis de exercitu eius millib. quinq;, & regnauit saltem annis tribus.

Anni mundi,	*Anni Abia,*	
3218	1	
3219	2	Ægyptiorum, Pseusennes, annis regnauit 41.
3220	3	Hebræorum pontifex maximus

maximus Abimelech, illustris habetur.

Asa.

HEbræorum Iuda 6, Asa Iustus, filius Abiæ, annis 41 regnauit.

Anni mundi,	Anni Asæ,	
3221	1	
3222	2	Asa idola destruit, templum mundat, egredientem contra se Zarā Æthiopē sternit cum suo exercitu.
3223	3	Hebræorum Israel 2, Nadab, regnauit annis duobus.
3224	4	Hebræorum Israel 3, Baasa, regnauit annis 24.
3225	5	Lacedæmoniorū, Thraces Bebryciam quæ nunc Bithynia vocatur, transeūtes à Strymone occupauerūt.
3226	6	Prophetabant in Iudæa Achias, Semeias; & qui erant apud altare in Samaria, Iehu, Ioed, Azarias, qui & Anania.
3227	7	
3228	8	Ab Asa conductus Benadad rex Syriæ Damasci contra Israel, percussit omnem terram Nephthalim.
3229	9	Iehu propheta à Baasa rege Israel occiditur.
3230	10	
3231	11	Thraces mare obtinuerunt.
3232	12	
3233	13	Latinorū 8, Capys Syluius, annis regnauit 28.
3234	14	Lacedæmoniorum 6, Agesilaus, annis 44 regnauit.
3235	15	
3236	16	
3237	17	
3238	18	Corinthiorum 5, Bacchis annis 34 regnauit.
3239	19	
3240	20	
3241	21	
3242	22	
3243	23	
3244	24	Athenienſium 5, Phorbas, annis 31.
3245	25	
3246	26	Assyriorum 33, Ophrateus, annis 20.
3247	27	
3248	28	
3249	29	Hebræorum Israel 4, Ela, annis 2.
3250	30	
3251	13	Hebræorū Israel 5. Amri, annis 12. Amri emit montes Samariæ à Semer duobus talentis argenti, & ædificauit illic. Hiel de Bethel Iericho instaurat.
3252	32	
3253	33	
3254	34	
3255	35	
3256	36	
3257	37	
3258	38	
3259	39	
3260	40	Ægyptiorum, Nephercherres, annis 4 regnauit.
3261	41	Latinorum 9, Capetus Syluius, annis 13.

Iosaphat.

HEbræorum Iuda 7, Iosaphat iustus, filius Asæ, annis 25.

Anni mundi,	Anni Iosaph.	
3262	1	
3263	2	Hebræorum Israel 6, Achab filius Amri, annis 22. Cuius vxor erat Iezabel idololatra, filia Ethbaal regis Tyri & Sidonis. Elias Thesbites per tres semis annos, à mense Octobri vsque in alium annum, pluuiam propter peccata populi & Achab continet. Prophetabant Elias, Abdias, Azarias & Micheas.
3264	3	
3265	4	Ægyptiorum 5, Amenophis, regnauit annis octo.
3266	5	Assyriorum 34, Ophraganeus, annis 50.
3267	6	
3268	7	
3269	8	
3270	9	
3271	10	
3272	11	
3273	12	Ægyptiorum 6, Osochor, annis 6 regnauit.
3274	13	Latinorum 10, Tiberinus Syluius, Capeti filius, annis 8. A quo & fluuius appellatus est Tiberis, qui prius Albula dicebatur. Corinthiorum 6, Agelas, annis trigintauno regnauit.
3275	14	Athenienſium 6, Mecades, annis 30 regnauit.
3276	15	
3277	16	
3278	17	
3279	18	Ægyptiorum, Spinaces annis 9 regnauit.
3280	19	
3281	20	
3282	21	Latinorum 11, Agrippa Syluius, annis 9.
3283	22	
3284	23	Lacedæmoniorū 7, Archelaus, annis 40. In Latina historia hęc ad verbū scripta reperimus: Agrippa apud Latinos regnante, Homerus claruit in

Græcia, vt teſtantur Apollodorus grammaticus, & Euphorbus hiſtoricus, ante Vrbem conditam, annis 134; & (vt Cornelius Nepos) ante ipſam Olympiadem primam, annis centum.

¶ Hebræorum Iſrael 8, Ioram, filius Achab, annis 12.

IORAM.

HEbræorum Iuda 8, Ioram, filius Ioſaphat, annis 8: nominatus nomine filii Achab, fratris ſuæ matris Godoliæ: & ambulauit Ioram in viis ſacrilegis domus Achab. Prophetabant Elias & Eliſeus.

Anni mundi,	Anni Ioræ,	
3287	1	
3288	2	Ægyptiorum, Senſcones, annis 35.
3289	3	
3290	4	
3291	5	
3292	6	
3293	7	
3294	8	Elias Thesbites, ſacerdos magnus & propheta, 40 dierum exercitatus ieiunio, curru igneo rapitur quaſi vſque in cœlum, mortem in fine mundi ab Antichriſto paſſurus; & Eliſeũ filium Ioſaphat pro ſe vnxit prophetam. Eliſeus vero primo miraculo aquas Iericho ſanat. Micha de tribu Ephraim ſub Ioram, filio Achab obiit, & ſepultus eſt in terra ſua iuxta Polyãdrum. In diebus Ioram receſſit Edom, ne eſſet ſub Iuda, & conſtituit ſibi regem.

AZARIAS.

HEbræorum Iuda 9, Azarias, qui & Zacharias, vel Matthias, filius Ioram, anno vno regnauit.

3295	9	Azariam cum filio ſuo Ioas, & nepote Amaſia propter ſcelera ſua Matthæus Euangeliſta à Saluatoris genealogia recluſit.

¶ Hebræorum Iſrael 9, Iehu, annis vigintiocto regnauit.

GODOLIA.

HEbræorum Iuda 10, Godolia vel Athalia de familia Achab, regnauit annis ſex: ſed ſecundũ ſeptuaginta ſeniores interpretes, annis ſeptem. Quæ vidēs interfectum ab Iehu rege Iſrael filium ſuum Azariam, occidit omnẽ ſtirpem regiam domus Ioram, niſi ſolum Ioas filium Azariæ, quem Ioſabeth, ſoror Azariæ, vxor Ioiadæ pontificis, furata eſt de medio filiorum regis, quum interficerentur.

Anni mundi,	Anni God.	
3296	1	Ioiadas inſignissimus pontifex, qui ſolus poſt Moſen annis 133 vixit.
3297	2	
3298	3	
3299	4	
3300	5	Propheta Zacharias clarus habetur.
3301	6	

IOAS.

HEbræorum Iuda 11, Ioas, filius Azariæ, annis 40. Iſte principio regni templum innouauit.

Anni mundi,	Anni Ioas,	
3302	1	Athenienſium 7, Diogenetus, annis 28.
3303	2	
3304	3	Corinthiorum 7, Eudemus, annis 25.
3305	4	
3306	5	Lacedæmoniorum, mare obtinuerũt & Phryges annis viginti quinque.
3307	6	
3308	7	Azarias propheta clarus apud Hebræos tunc temporis habebatur.
3309	8	
3310	9	Azarias propheta ortus eſt in terra Reblatha, & ſepultus, nono huius Ioas anno occiſus.
3311	10	Zacharias propheta occiditur.
3312	11	
3313	12	Lacedæmoniorum, Lycurgus inſignis habetur.
3314	13	
3315	14	Aſſyriorum 35, (tur.
3316	15	Aſcrazapes, annis 40.
3317	16	
3318	17	
3319	18	
3320	19	
3321	20	Latinorum 12, Aremulus Syluius, annis 19.
3322	21	

Syluius Aremulus, ſiue Remulus, Agrippæ ſuperioris regis filius, præſidium Albanorum inter montes vbi nunc Roma eſt, poſuit; qui ob impietatem poſtea fulmine tactus interiit. Huius filius fuit Iulius, proauus Iulii Proculi, qui cum Romulo commigrans fundauit Iuliam gentem. Ægyptiorum 22 dynaſtiæ, Sencoris annis regnauit vigintiuno.

3323

Anni mundi,	Anni Ioas,	
3323	22	¶ Hebręorum Israel 10, Ioachaz, filius Iehu, in anno 22 regni Ioas incipiens, regnauit annis 16, teste Iosepho.
3324	23	
3325	24	
3326	25	
3327	26	
3328	27	Corinthiorum 8, Aristomedes, annis 36.
3329	28	
3330	29	
3331	30	
3332	31	Eliseus propheta, Eliæ discipulus, ex tribu Ruben, obijt; & requiescit in ciuitate Sebaste, quæ quondam Samaria dicebatur. Athenięsium 8, Pheredus, annis 19.
3333	32	Lacedęmoniorũ, Sexto mare obtinuerunt Cyprij etiam annis 23.
3334	33	
3335	34	
3336	35	
3337	36	Apud Hebręos Zacharias propheta, filius Ioiadæ tutoris quondam ac regni viuificatoris sui, inter templum & altare à rege Ioas lapidatus est, quem ob merita sua Dominus in Euangelio filium Barachię, id est benedicti Domini, cognominat.
3338	37	
3339	38	
3340	39	Latinorũ 13, Auentinus Syluius, annis 37. Auentinus Aremuli superioris filius, in eo monte quo nunc est pars vrbis, est mortuus ac sepultus, & æternum loco vocabulum dedit.
3341	40	¶ Hebræorum Israel 11, Ioas qui & Amasias, filius Ioachaz, annis 16. In cuius secundo anno, Amasias super tribũ Iuda cœpit regnare teste Iosepho.

Amasias.

HEbræorum Iuda 22, Amasias, annis 29 regnauit.

Anni mundi,	Anni Ama.	
3342	1	
3343	2	
3344	3	Lacedæmoniorũ 8, Teleclus annis 40. Ægyptiorum 23, Osorchon, annis 15.
3345	4	
3346	5	Carthaginem hac ætate quidam cõditam putant, alij vero, vt supra memorauimus.
3347	6	
3348	7	
3349	8	Hazael rex Syriæ afflixit Israel.
3350	9	
3351	10	Athenienſium 9, Ariphron, annis 20.
3352	11	
3353	12	Lacedæmoniorum, ab Ariphrone Assyriorum regnum destructum est; & Sardanapalus, vt nonnulli scriptitant, etiam obijt.
3354	13	
3355	14	
3356	15	Assyriorum 36, Tonosconcoleros, qui vocatur Græce Sardanapalus, annis 20 regnauit.
3357	16	
3358	17	
3359	18	Ægyptiorum 24, Tachelotis, annis regnauit 13.
3360	19	¶ Hebræorum Israel 12, Ieroboam, filius Ioas, annis 46. In secũdo anno huius, Ozias, filius Amasiæ, cœpit regnare super tribum Iuda, teste Iosepho.
3361	20	
3362	21	Lacedæmoniorũ 9, Locho. Septimo Phœnices mare obtinuerunt.
3363	22	Sardanapalus eodẽ tempore Tarsum atq; Anchialem condidit: & in prælio victꝰ ab Arbace Medo, semet incendio concremauit.
3364	23	Corinthiorum 9. Echemon, annis 16.
3365	24	
3366	25	
3367	26	
3368	27	
3369	28	
3370	29	Lacedæmoniorũ, Thespieo Ariphronis filio Athenis regnante, Assyriorum imperium deletum est.

Asarias.

HEbræorum Iuda 13, Azarias, qui & Ozias, Amasię filius, annis quinquaginta duobus regnauit.

Anni mundi,	Anni Asar.	
3371	1	
3372	2	Athenienſium 10, Thespieus, annis 27. Ægyptiorum 23, dynastia, Petubastis, annis 25.
3373	3	
3374	4	
3375	5	
3376	6	Vsque ad id tempus fuisse reges Assyriorum, historia refert: & fiunt simul anni 1198. Omnes autem anni regni Assyriorum à primo anno Nini supputantur, 1240.
3377	7	Medorum primus Arbaces, annis 29. Latinorum 14, Procas Syluius, Auentini superioris regis filius, annis 22. Medorum, Arbaces Medus As-

syriorum imperio destructo regnum Medis transtulit, & interim sine principibus res agebatur, vsque ad Deiocem regem Medorum. In medio autem tempore Chaldæi proprie prævalebant, quorum separatæ quędam regni successiones feruntur. Reliquæ quoque gentes proprijs regibus vtebantur.

Anni mundi,	*Anni Assar.*	
3378	8	Anno ante vrbem con-
3379	9	ditam 64, nouissimus

apud Assyrios regnauit Sardanapalus, vir quauis muliere corruptior.

3380	10	Corinthiorum 10, A-
3381	11	lexander, annis 25.
3382	12	Lycurgus Lacedæmo-

nijs iura componit. Principium regni Macedonum.

3383	13	Macedonum primus,
3384	14	Caranus, annis 28. La-
3385	15	cedæmoniorum 10, Po-

lydorus, annis 37 regnauit.

3386	16	Lacedæmoniorum, tẽ-
3387	17	plũ Iunonis incensum.
3388	18	Hesiod⁹ insignis habe-
3389	19	tur, vt vult Porphyrius.
3390	20	
3391	21	
3392	22	Ægyptij regem suum
3393	23	Osorthon, Herculem
3394	24	cognominauerunt.
3395	25	Prophetabãt apud He-
3396	26	bræos Osee, Amos, Esa-

ias, & Ionas.

3397	27	Phædon Argiuus men-
3398	28	suras & pondera primus
3399	29	inuenit. Ægyptiorum,

Osorthon, annis 21.

3400	30	Lacedæmoniorum, Ly-

curgi leges Lacedæmon, iuxta sentẽtiam Apollodori, hac ætate suscepit.

3401	31	Latinorum 15, Amulius
3402	32	Syluius, annis 44. Nu-
3403	33	mitor Procæ superioris
3404	34	regis maior filius, à fra-
3405	35	tre Amulio regno pul-

sus, in agro suo vixit. Filia eius adimendi partus gratia, virgo Vestalis electa est, quę quũ 27 patrui sui anno geminos edidisset infantes, iuxta legem in terram viua defossa est. Verum paruulos prope ripam Tiberis expositos, Faustulus regij pastor armenti ad Acciam Laurentiam vxorem suam detulit, quæ propter pulchritudinem & rapacitatem corporis quęstuosi Lupa à vicinis appellabatur, vnde ad nostram vsq; memoriam, meretricum cellulæ Lupanaria dicũtur. Pueri vero quum adoleuissent, collecta pastorũ & latronũ manu, interfectoq; apud Albam Amulio, auum Numitorem in regnum restituunt.

Anni mundi,	*Anni Assar.*	
3406	36	Medorum 2, Sosarmus,
3407	37	annis 30. Athenien sium

11, Agamemnestor, annis 20. Corinthiorum 11, Telestes, annis 12. Ægyptiorum, Psammus, annis 10.

3408	38	Trieres prima nauiga-
3409	39	tio in Corintho. Eume-

lus Corinthius versificator agnoscitur, & Sibylla Erythræa.

3410	40	Ægyptij post Phœnices
3411	41	mare obtinuerunt.
3412	42	Hebræorum Israel 14,

Zacharias, mens. 6. Post quem Sellum, diebus 3. Post quem Manahem, annis 10. Macedonũ 2, Cœnus, annis 12 regnauit.

3413	43	Anno ante vrbem con-

ditam 30, Pelopõnensiũ Athenien siumque maximum bellum totis viribus animisque commissum est.

3414	44	Bocchorus Ægyptijsu-
3415	45	ra constituit: sub quo

gnus loquutus est.

3416	46	Lacedæmonij contra

Messenios vicennale bellum habebant.

Ægyptiorum dynastia 24, Bocchorus annis 46 regnauit.

3417	47	Corinthiorũ 12, Auto-

menes, anno 1. Post hunc Philolaus, annis 6. regnauit.

3418	48	Athenien siũ 12, Æschy
3419	49	lus, annis 21, Agame-
3420	50	mnestoris filiº. Lydorũ
3421	51	primus rex Ardisus fi-

lius Alyattis, annis 36 regnauit. Lacedæmoniorum reges defecerunt.

3422	52	Anno 52. Zacharias cœ-

pit regnare super Israel. Phacee filius Manahen, an. 10, vt in libro Regum legitur.

IOATHAM.

HEbræorũ Iuda 14, Ioathã filius Oziæ, annis 16. Olympias prima ab Elien sibus constituitur post annos 405 Troianæ captiuitatis; anno primo Ioatham, secundum Hebræos; anno 6 Æschyli Athenien sis iudicis, prima Olympias facta est, in qua Corœbus Elien sis extitit victor. Olympus

lympus autem, est nomen campi in Græcia apud Actæum littus, q̃ propter amœnitatem planiciei suæ sic dicitur, quasi amœnitas olympi, id est cœli. Elei agunt quinquennale certamen aut agonem, 4 annis in medio expletis, in quibus principes annui cõstituuntur 4: qui anni olympias nominati, id est Olympiadis primo vel secundo siue tertio aut quarto anno, aliquid gestum esse narratur. Quã Olympiadem Iphitus filius Praxonidis siue Hęmonis primus constituit. Ab hoc tempore Græcia de temporibus historiarum vera creditur: nam antea, vt cuiq; visum est, diuersas sententias protulerunt.

Scribit autem Aphrican° (vt verba eius ponam) ad hũc modum: Æschylus, Agamemnestoris filius, apud Athenienses obtinuit principatũ annis vigintitribus, qua ætate Ioatham regnabat in Hierusalem. Porro & nos in prima olympiade Ioathã posuimus. Annus ergo Ioatham primus, secundum Aphricanum, Bedam, atq; Iosephum, olympiadis primæ primus erat annus.

Anni mundi,	*Anni Ioath.*	
3423	1	Olympias 1. Archimus
3424	2	Milesius, poeta clarus
3425	3	habetur. Macedonum 3, Tyrimas, annis 38 regnauit.
3426	4	Remus & Romulus nascuntur, matre Ilia. Amulius rex Numitoris fratris sui filiam Rheã nomine, quæ & Ilia dicta, Vestalem virginem fecit: quę grauida inuẽta, dum scelus suũ nititur excusare, à Marte se cõpressam mẽtita est: q̃ patrui sui regni 16 an. geminos edidisset.
3427	5	Olympias secunda. Athenienses primo triores nauigarunt, Amenedeo cursum diri-
3428	6	
3429	7	
3430	8	
3431	9	Olympias tertia (gẽte. Abacuc, Osee, Iohel, Esaias, Obed.
3432	10	Hebræorum Israel 17,
3433	11	Phaceia filius Romeliæ, annis 20. Sub quo Theglathphalasar, rex Assyriorum, magnam partem populi Iudæorum in Assyrios transtulit. Hesiodus secundum quosdam clarus habetur. Cyrene cõdita. Milesij obtinuerunt mare annis 18.
3434	12	Cynethon Lacedæmonius qui Telegoniam scripsit, agnoscitur.
3435	13	Olympias 4. Medorum 3, Medidus, annis 50. Eumelus poeta, qui Pagoniam & Europiam scripsit, & Archimus qui Æthiopiam & Iliacam cõposuit, Persis agnoscuntur.
3436	14	Aradus insula condita.
3437	15	
3438	16	Lacedæmonijs primus ephoros, quod magistratus nomẽ est, cõstitutus. Fuerũt autem sub regibus annis 350. Construxerunt vrbem in Ægypto Raueratin.

Achaz.

HEbræorum Iuda 15. Achaz filius Ioathan, an. 16. Anno autem 8. Phaceæ regnare cœpit Achaz, teste Hieronymo.

Anni mundi,	*Anni Ach.*	
3439	1	Olympias quinta.
3440	2	Athenienſium 13, Alcmæon, annis 2.
3441	3	
3442	4	
3443	5	Olymp. 6. Vrbs cõdita.

Vrbs Roma.

Nonnulli Romanorum scriptores Romã conditam ferunt, olympiadis 6 an. 1. in monte Palatino, à geminis, 11 calendis Maijs. Romulus scilicet & Remus, collecta multitudine pastorum, Romanę vrbis ædificia inchoant, suoque de nomine iunior qui germanum peremerat, vrbem vocari Romam præcepit. Millesimus Vrbis annus, sub Philippo principe completur. Athenienſium 14, Charops, annis 10. Athenis principes, qui vsque ad mortem Reipublicæ præerant, desierunt: & in 10 annos magistratuũ consuetudo versa est, regnauitq; primo Charops, filiꝰ Æschyli.

3444	6	Romanorum primus, Romulus, à quo Romani ex Latinis dicti, anno secundo ab Vrbe condita, regit annis octo.
3445	7	Anno 3 ab Vrbe cõdita, Remus rure rastro pastorali à Fabio Romuli duce occisus. Roma Parilibus, qui nunc dies festus est, condita, eodemq; die Consualibus ludis Sabinę raptæ, anno ab vrbe condita 3. Et vna virginum pulcherrima, acclamatione rapientium Thalasso duci Romuli decernitur: vnde in nuptiarum solennitatibus Thalasso vulgo clamitant, quod scilicet talis nupta sit, quæ Thalassum mereatur habere.

Anni mundi,	*Anni Achas*	
3446	8	Obasyli impunitatem; magna Romulo multitudo coniungitur.
3447	9	Olympias septima.
3448	10	
3449	11	Anno 7 Vrbis conditæ.
3450	12	
3451	13	Olympias octaua.
3452	14	Hebræorũ Israel, Osee filius Elæ, regnauit annis 9. In cuius anno 4. Ezechias cœpit regnare super tribum Iuda, teste Iosepho. Annus Vrbis conditæ 10 hic est.
3453	15	Athenienſium 15, Æsimedes, annis 10. Ceninenses, Antemnates, Crustumini, Fidenates, Veiẽtes, qui propter Sabinarum raptum, bellum mouerant, vincuntur à Romulo. Tarpeia obruta, vnde mons Tarpeius, in quo nunc Capitolium.
3454	16	Lydorum 2, Alyattes, annis 14. Naxus condita in Sicilia. Midas regnauit in Phrygia.

Ezechias.

HEbræorum Iuda 16, Ezechias ann. 29 regnauit.

Anni mundi,	*Anni Ezec.*	
3455	1	Olympias nona.
3456	2	Syracusa & Catina, in Sicilia condita.
3457	3	
3458	4	Esaias & Osee, pphetãt.
3459	5	Olympias decima.
3460	6	Prima captiuitas Israel, quæ à rege Sennacherib facta est. Decem tribus gentis Iudææ quæ vocabantur Israel, erant in parte Samariæ, quæ victæ à Sennacherib rege Chaldæorum, & translatæ sunt in montes Medorum: regnatũque est in Samaria annis 250. Sennacherib ille ad custodiendam regionem Iudæam accolas misit Assyrios, qui æmulatores Iudææ legis facti, Samaritæ nuncupati sunt: quod interpretatur Latine Custodes. Ezechiel propheta ait: *Et tu dormies super latus tuum sinistrum & pones iniquitatem Israel super eo: numero dierum, quibus dormies super illud, & assumes iniquitates eorum, Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum numero dierum 390 dies, & portabis iniquitatem domus Israel. Et quum cõpleueris hæc, dormies super latus tuum dextrum secundo: & assumes iniquitatem domus Iuda 40 diebus diem pro anno, diem inquam pro anno dedi tibi.* Hieronymus super Ezechielem, Quæramus annos 390, pro quibus diebus totidem sinistro latere dormit Propheta Ezechiel, vinctus & constrictus, ita vt in latus se alterum non verteret, captiuitatem decem tribuum Israel, ostendens. Et quæramus qui sunt alij anni quadraginta tres Iudæ, in dextro latere. Hic dicendum est, quod sub Phacea filio Romeliæ, rege, qui 20 rex regnauit in Israel annis 20, Teglathphalasar, rex Assyriorum, & cepit Aion & multas vrbes & vniuersam terrã Nephthalin, & transtulit eos in Assyrios. Postquam regnauit in Israel Osee filius Elæ, annis nouem, captus est cum omni Samaria, à Salmanasare rege Assyriorum, & transtulit eos in Hela & Abor fluuios, Gazan, in ciuitatibus Medorum. Anno autem sexto Ezechiæ regis Iudæ (vt historia regũ narrat) captus est Osee, à quo & cum anno 6, eodem annumerato vsq; in annum 29 regni sui, sunt anni 24. Tot enim annis Ezechias post captiuitatem Osee regnauit.

79. post quem Manasses regnauit annis 55.

87. post quem Amon, annis 2.

112. post quem Iosias, annis 31. Post quem regnauit Ionarhas, filius Iosiæ, mensibus 4. quem Nechao vinctum ducẽs in Ægyptum, seniorem eius fratrem, Ioachim, qui & Eliachim, regnauit annis 11. Post quem regnauit Ioachim, qui & Iechonias, mensibus 3, diebus decem, qui statim ductus est in captiuitatem, regnauitque pro eo Sedechias vndecim annis, sub quo capta est Hierusalem, & templum destructum.

133. Itaque à prima captiuitate Israel sub Phacea, vsque in annum 11 Sedechiæ anni sunt 163, menses 6. Adde annos 70 desolationis Templi primæ captiuitatis, fiunt anni 234. A secunda captiuitate sub Osee, 134. In secundo anno Darij regis Persarum, templũ cõstructum à Zorobabel filio Salathiel & Iehu filio Iosedech, prophetantibus Aggæo & Zacharia.

35. Darius regnauit annis 36. quorum primo sublato, in quo completus est annus desolationis Templi, fiunt 35 annis viginti.

95. & menses 7.

96. &

96. & menſes 4. Artabanus menſibus 7. Xerxes annis 40, menſibus 2.

95. Sogdianus, menſ. 7. Adde menſes 7. Artabani cum 2 menſib. Xerxis, fit annus & menſes 4.

115. & menſes 4.

155. & menſes 4. Darius Nothus, annis 19. Artaxerxes, annis 40. qui & Memordari & Parſatidis filius, qui ab Hebræis Aſſuerus dicitur: ſub quo Heſter hiſtoria ſcribitur, & populus priſtinã libertatem periculo mortis liberatus accepit. Fiunt ergo à 2 anno Darii vſque ad extremum annum Aſſueri, anni 150 & menſes 4. qui additi prioribus 233 annis, & menſibus 6, fiunt anni 389, & menſes 9.

Dextri vero lateris dormitio, ideſt annorum 40 facile computantur. Poſt Eliachim enim, qui & Ioachin, regnauit filius eius Ioachim, qui & Iechonias, menſibus 3. qui cum matre & Eunuchis & ſeruis & principibus ſuis exiit ad Nabuchodonoſor, & ſuſcepit eum ipſe rex Babylonis, anno 8 regni ſui, cum omni theſauro Templi Domini & domus regiæ, & omni populo decem millibus, tantum relictis pauperibus, & tranſtulit eos in Babyloniam. Poſt quem regnauit Sedechias annis 11. ſub quo templum deſtructum eſt: cuius ſolitudo vſq; ad 2 annum Darij permanſit 70 annis. Anno vero deſolationis templi Cyrus regnauit in Perſis, ſubuerſo rege Medorum Aſtyage, qui ſecundum prophetiam Eſaiæ, 50000 hominum de tribu Iuda, & vaſa templi aurea & argentea 5400, quæ Nabuchodonoſor aſportauit, remiſit in Hieruſalem, & reliqua.

Sic igitur à Phacea rege Iſrael, ſub quo Salmanaſſar multa populi millia vaſtauit, vſque in annum 40 Aſſueri, ſupputamus 390 annos, quando vniuerſi populi Iudaici perſequutio mitigata eſt: ſicut à primo anno Iechoniæ, quando magna pars Hieruſalem translata eſt in Babylonem, vſq; ad primum annum Cyri regis Perſarum, qui deſolationis templi erat annus 30, computantur anni 40. ſub quo, Iudæorũ laxata eſt captiuitas, populo reddita eſt libertas.

Qui autem voluerit computare à prima captiuitate, quę facta eſt ſub Manue filio Gaddi regis Iſreel, qui in Samaria regnauit annis 10. quando venit Phul rex Aſſyriorũ in terram Iſrael, & accepit mille talenta argenti, & poſt eum annos 2 alios Phaceę quib. regnauit in Iſrael: inueniet anno 28 Aſſueri, cõpleri annos 390, ſicut Heſter refert hiſtoria: quod & credibilius eſt. Neq; enim ab imperio Aſſueri, ſed adhuc regnãte eo, Iſrael iugum ſeruitutis abiecit. Hæc Hieronymus.

Anni mundi,	*Anni Ezec.*	
3461	7	Romanorũ, Tatius Sabinorum regnans cum Romulo, à Curibus Quirites appellati.

Macedonum 4, Perdiccas, annis 51.

Ægyptiorum 25 Dynaſtia, Sabacon Æthiops, annis 12.

3462	8	Romulus primus milites ſumpſit ex populo: & nobiliſſimos cẽtum ſenes; ob ætatem Senatores; ob ſimilitudinem curæ, Patres appellauit: templa & muros Romæ conſtruxit.
3463	9	Olympias vndecima. Anno vrbis 20.
3464	10	Athenienſium 16, Clidicus, annis 10.
3465	11	
3466	12	Sabacon, Bocchorum regem captum viuum exuſſit.
3467	13	Olympias 12.
3468	14	
3469	15	In Sicilia Cherſoneſus condita.
3470	16	
3471	17	Olympias 13.
3472	18	Bellum inter Lacedæmones & Argiuos geſtum.
3473	19	Anno vrbis 30. Ægyptiorum, Sepithus annis regnauit 12.
3474	20	Athenienſium 17, Hippomanes, annis 10.
3475	21	Olympias 14.
3476	22	Medorũ 4, Cardiceas,
3477	23	annis 14.
3478	24	Olympias 15.
3479	25	
3480	26	Romulus repẽte quum concionem ante vrbem haberet, apud Capreæ paludes, è conſpectu ablatus eſt. Diſcerptum aliqui à Senatu putant, ob aſperius ingenium. Sed oborta tempeſtas, & ex turbido die ſerena & tranquilla lux Solis conſecrationis ſpeciem præbuerunt. Cui mox Iulius Proculus fidem fecit, viſum à ſe Romulum affirmans, auguſtiore forma quam fuiſſet: mandare præterea, vt ſe pro numine acciperent: Quirinum in cœlo vocari: placitũ diis, vt Roma gentium potiretur. Ipſe vero Romulus forte fuit percuſſus,

cuius anima in inferno, & corpus palude sepultum.

Mortuo autem Romulo, per quinos dies Senatores Rempublicam rexerunt, atq; vnus annus ita expletus est. Hoc tamen tẽpus interregnum appellatum est.

Nvma Pompilivs.

Romanorũ 2, Numa Pompilius, nullum cum finitimis bellũ gessit. Duos mẽses addidit, Ianuarium & Februarium: cum antea decem tantum menses apud Romanos fuissent. Capitolium quoque à fundamentis ædificauit. Congiarium dedit, & asses ligneos, & scorteos. Lydorum 4, Candaules, annis 17.

Anni mundi,	*Anni Ezec.*	
1481	27	Sibylla, quę & Herophile dicitur, in Samo insignis habetur.
3482	28	
3483	29	Olympias 16. Anno Vrbis conditæ 40.

Manasses.

HEbræorum Iuda 17, Manasses, filius Ezechiæ, annis 55.

Anni mundi,	*Anni Man.*	
3484	1	Athenienſium 18, Leocrates, annis 10.
3485	2	
3486	3	Ægyptiorum, Tarrachus Æthiops, annis 20. Nicomedia cõdita, quæ prius Astacos vocabatur. Croton, Parion & Sybaris conditæ.
3487	4	Olympias 17.
3488	5	Deioces Ecbatanã condidit. Medorũ 5, Deioces, annis 54. Partheni Tarentum condiderunt.
3489	6	
3490	7	
3491	8	Olympias 18.
3492	9	
3493	10	Anno Vrbis 50.
3494	11	Athenienſium 19, Absander annis 10 regnauit.
3495	12	Olympias 19.
3496	13	
3497	14	
3498	15	
3499	16	Olympias 20.
3500	17	
3501	18	Lydorum, Gyges, annis
3502	19	35. Midas rex quum apud Phrygas regnaret, sanguine tauri potus, extinctus est.
3503	20	Olympias 21. Anno vrbis 60. Athenienſium 20, Eryx, annis 10.
3504	21	Glacus vel Glaucus Chius, primus ferri inter se glutinum excogitauit.
3505	22	Ægyptiorum 27 dynastia, Merrhes Æthiops, annis 12.
3506	23	In Sicilia Gela, in Pamphylia Phaselis condita.
3507	24	Olympias 22.
3508	25	Chalcedon condita.
3509	26	Manasses ob scelera sua
3510	27	catenatus & compeditus, in Babyloniam ducitur: sed ob pœnitentiam & preces restituitur in regnum.
3511	28	Olympias 23. Hipponax notissimus redditur.
3512	29	Macedoniorum 5, Argæus, annis 38 regnauit.
3513	30	Anno vrbis 70. Athenis
3514	31	annis 6, principes constituti sunt cessantibus regibus, nouam principes ex nobilibus vrbis electi Athenienſibus præfuerunt,
3515	32	Olympias 24.
3516	33	
3517	34	Cyzicus condita est, &
3518	35	Locri in Italia. Ægyptiorum, Stephinaces, annis 7. regnauit.
3519	36	Olympias 25.
3520	37	
3521	38	

Tvllvs Hostilivs.

Romanorum 3, Tullus Hostilius, annis 32.

3522	39	
3523	40	Olympias 26. Anno vrbis 80. Tullus primo regum Romanorum purpura & serico vsus est: ac deinceps cum tota domo sua fulmine conflagratus interijt.
3524	41	Post Caras mare obti-
3525	42	nuerunt Lesbij annis
3526	43	58. Ægyptiorum, Necypses annis 5 regnauit.
3527	44	Olympias 27.
3528	45	Nudipedalia primum acta in Lacedæmone.
3529	46	Tullus Hostilius post
3530	47	longam pacem bella repara-

reparauit, Albanos, Veiētes, Fidenatesq; vicit. Archilochus, Simonides, & Aristoxenes musicus, illustres habentur. Ægyptiorum, Nechao annis 8.

Anni mundi,	Anni Man.	
3531	48	Olympias 28.
3532	49	Sibylla, quæ & Herophile, in Samo nobilis habetur.
3533	50	Anno Vrbis 90.
3534	51	Tullus Vrbem ampliauit, monte Cælio adiecto.
3535	52	Olympias 29. Zaleucus
3536	53	legislator apud Locros crebro sermone celebratur. Lydorum, Ardys, annis 38.
3537	54	Byzantium condita. Alcmæon clarus habetur, & Lesches Lesbius qui paruam fecit Iliadem. Cypselus in Corintho tyrannidem exercuit, annis viginti octo.
3538	55	Ægyptiorum, Psammitichus, annis 44.

Amon.

HEbræorum Iuda 18, Amon filius Manassis, secundum Hebræos regnauit annis 2 tantum, secundum Septuaginta interpretes regnauit annis 12.

Anni mundi,	Anni Amon,	
3539	1	Olympias 30.
3540	2	Chantus & Stagira conditæ. Istrus in Ponto condita.
3541	3	
3542	4	
3543	5	Olympias 31. Anno Vr-
3544	6	bis 100. Medorū, Phra-
3545	7	ortes, annis 24.
3546	8	Lampsacus condita est, & Abdera.
3547	9	Olympias 32.
3548	10	Phalaris apud Agrigentinos tyrānidē exercet.
3549	11	
3550	12	In Sicilia Selinus condita, & in Ponto Borysthenes. Macedonum 6, Philippus, annis 18. Amon à suis seruis occiditur.

Iosias.

HEbræorum Iuda 19, Iosias Iustus, filius Amon, annis 31 secundum Hebræos: at secundum Septuaginta interpretes, 32.

Anni mundi,	Anni Iosiæ,	
3551	1	Olympias 33.
3552	2	
3553	3	Anno vrbis 110. Hebræorum pōtifex maximus Helcias insignis habetur.
3554	4	
3555	5	Olympias 34.
3556	6	Thales Milesius, Examii filius, primus physicus philosophus agnoscitur: quē vixisse aiunt vsq; ad 58 olympiadem.
3557	7	
3558	8	Messena à Lacedęmoniorum societate discedit. Oraculo Dodonæo primo Græcia vsa est. Scythæ vsq; ad Palæstinam penetrauerunt.
3559	9	Olympias 35.
3560	10	

Ancvs Marcivs.

3561	11	Romanorū, Ancus Marcius, nepos Numæ è filia, annis vigintitribus.
3562	12	
3563	13	Olympias 36. Anno Vrbis 120. Hieremias propheta, se ab anno 13 Iosiæ, vsque in annum 4 Ioachim 33 prophetasse perhibet, & Nabuchodonosor 4 anno Ioachim regnare cœpisse, anno 19 eiusdem fuisse destructam Hierusalem.
3564	14	Tyrtæus Athenienſis poe-
3565	15	ta cognoscitur. Battus cōdidit Cyrenen.
3566	16	Medorum 7, Cyaxares, annis 32. Apud Corinthios tyrannidem exercuit Periander. Sinope, Lipara, Prusias conditæ, & Epidamnus postea Dyrrhachium vocata. Phalaris tyrannis destructa.
3567	17	Olympias trigesima septima. Holda mulier apud Hebræos prophetauit. Prophetabant Sophonias & Hieremias.
3568	18	Iosias, mundata Iudæa &
3569	19	Hierusalem, templo etiam innouato, post abiectas idololatriæ sordes, pascha Domino celeberrimum facit, 18 anno regni sui.
3570	20	Draco legumlator, vt quibusdam videtur, agnoscitur.
3571	21	Olympias 38. Lydorum 7, Sadyattes, annis 15.
3572	22	Ancus Marcius, Numæ ex filia nepos, Auentinum montem & Ianiculum Vrbi addidit: & supra mare 16 ab Vrbe miliario Ostiam cōdidit. Ad ex-

tremum morbo periit. Cyaxares aduersum Assyrios dimicãs, Ninum ciuitatem capit.

Anni mundi,	Anni Iosiæ,	
3573	23	Anno Vrbis 130.
3574	24	
3575	25	Olympias 39.
3576	26	
3577	27	
3578	28	Ariõ Methymnæus clarus habetur, qui à delphino in Tænarum dicitur asportatus.
3579	29	Olympias 40.
3580	30	
3581	31	
3582	32	Iosias rex Iudæorũ cum Nechaone rege Ægyptiorum congressus occiditur. Ac mihi miraculum subiit, quomodo in præsens tempus sibi vterq; conuenerũt, maxime quum diuina Scriptura hunc eundem Pharaonẽ, Nechaonem appellet. Ægyptiorum Nechao, qui & Nechepsi, annis sex regnauit.

Ioachaz.

HEbræorum Iuda 20, Ioachaz filius Iosiæ, regnauit mensibus tribus, quasi vsq; ad Calendas Apriles. Quum enim ab apice mundi, id est 15 Calendis Aprilis, annos numerauimus ab Adã vsq; ad mortem Dauid, 4 Calendis Aprilis, annos integros inuenimus Ioachaz. Itaq; à Calendis Ianuariis incipiens, quo Dauid obiit, regnauit mensibus 3 vsque ad Calendas Aprilis: quem annum Eusebius in Chronicis suis scribit, vt dicit Beda: sed ipse Beda non scribit eum. quẽ Nechao vinctum ducens in Ægyptum, seniorem fratrem eius Eliacim prò eo constituit regem.

Tarqvinivs.

Romanorum 5, Tarquinius Priscus, annis 37. Circum ædificauit Romæ: numerum Senatorum auxit: Romanis ludos instituit: muros & cloacas ædificauit: ad extremũ ab Anci filio occisus est. Panætius primus in Sicilia arripuit tyrannidem.

Ioacim.

HEbræorum Iuda 21, Eliacim, qui & Ioacim, filius Iosiæ, regnauit annis 6.

Anni mundi,	Anni Ioac.	
3583	1	Olympias 41. Anno Vrbis conditæ 140. Stesichorus poeta clarus habetur.
3584	2	Lydorum 7, Alyattes, annis regnauit 49.
3585	3	Anno 3 Ioacim, Nabuchodonosor rex Babyloniæ Iudæam cepit, & in ditionem suam rediit: & plurimos captiuos affert, in quibus erant Daniel, Ananias, Azarias, Misael, Ezechiel: partemque vasorum templi Babyloniam transfert & Ioacim tributarium facit.
3586	4	Anno 4 Ioacim, sacra scriptura regnum Nabuchodonosor computat: quia ex eo non solum Chaldæis & Iudæis, sed etiam Assyriis, Ægyptiis, Moabitis, aliisque innumeris gentibus incipit regnare.
3587	5	Olympias 42. Macedonum 7, Europus, annis 26. Ægyptiorum Spammus, annis 12.
3588	6	Cyaxares Medus subuertit ciuitatem Ninum. Pittacus Mitylenæus, qui de septem Sapiẽtibus fuit, cum Phrynone Athenienſi olympiace congressus, eum interfecit.

Iechonias.

HEbræorum Iuda 22, Ioacim qui & Iechonias, filius Eliacim, mensibus quatuor regnauit, hoc est vsque ad mensem Iulii. Iste circundata à Chaldæis ciuitate, exiit ad regem Babylonis cum matre: & ductus est cum populo in Babyloniam, anno 7 regni Nabuchodonosoris secundo venientis ad Iudæam. Timuit enim Nabuchodonosor, ne non obediret ei: quia occidit patrem eius Ioacim, & cõstituit prò eo patrum suum Sedeciam, qui annis octo obediuit, deinde ad Ægyptum vertit.

3589	0	

Sedecias.

HEbræorum Iuda 23, Sedecias qui & Mathan, filius Iosiæ, annis vndecim regnauit.

Anni mundi,	Anni Sedec.	
3590	1	Prophetabant Hieremias & Baruch.

Anni mundi,	*Anni Sedec.*	
3591	2	Olympias 43. Camerina & Perinthus conditæ.
3592	3	Massilia condita Sappho & Alcæus poetæ, clari habentur.
3593	4	Anno Vrbis 150. Medorum 8, Astyages, annis 38. His temporibus, certantibus in agone τράγος id est hircus, in præmio dabatur: vnde aiunt Tragœdos nuncupatos.
3594	5	Epimenides Athenas mundari iussit.
3595	6	Olympias 44, Ægyptiorum, Vaphres, annis 30. Solon, Draconis legibus antiquatis, extra eas quæ ad sanguinem pertinebāt sua iura constituit.
3596	7	
3597	8	Daniel Propheta soluit visionem Nabuchodonosoris, anno regni sui decimosexto, teste Iosepho.
3598	9	
3599	10	Olympias 45.
3600	11	Anno Vrbis 157. Templum incensum est, ex quo ædificari cœpit anno 430. Qui autem reliqui fuerunt, transfugerunt in Ægyptum: qua post annos 5. percussa à Chaldæis, in Babyloniam & ipsi transmigrarunt.

Capta igitur est Hierusalem anno 11 Sedechiæ. Nabuchodonosor, rex Chaldæorum, anno 19 regni sui captis Hierosolymis, 9 die mensis 4, id est Iulii, obsidens ciuitatem mensibus 8, templum mense 5 (id est Augusto) incendit: sicut Iosephus perhibet.

¶ Isidorus Episcopus sic: Festi autem dies in veteri Lege, isti sunt:

Dies azymorum Paschæ, 14 die mensis primi est, quando Luna plenissima abiecto fermento agnus immolatur.

Dies Pentecostes, quando in vertice montis Sinai lex data est Mosi: in quo de frugibus primum panes propositionis offerebantur.

Dies sabbathorum, in quo otia celebrabantur in lege: & manna non licebat colligere. Dies neomeniarum, id est celebratio nouæ Lunæ. Semper autem Iudæi in mensium principio, hoc est prima luna, diem festum agebant: ideo quia deficiente Luna tempus finitur, & nascente incipitur.

Dies autem tubarum, 7 mensis principium est, quando Iudæi solennitatem agentes amplius tuba canebant, & plurima offerebant sacrificia, quam per singulos menses.

Dies scenopegiæ est 15 dies mensis 7, in quo tabernaculorum solēnitates veteres celebrabant. Scenopegia enim tabernacula interpretantur.

Dies Ieiunii quarti est 17 dies mensis Iulii, quando descendens Moses de monte tabulas Legis cōfregit. In eo etiam die Nabuchodonosor vrbis Hierusalem muros primo destruxit.

Dies ieiunij quinti in mense Augusto est, quando pro speculatoribus ad terram missis, seditio in castris exorta est: & factum est, vt per desertum quadraginta annis decurrerēt laboriose, & in annis quadraginta in hyeme omnes perirēt: siquidem & in eo mense à Nabuchodonosore, & multo post tēpore à Cæsare Tito templum euersum atque succensum est, & in opprobrium Iudæorum exaratum.

Dies ieiunij septimi in mense 7 est, id est in Octobri, in quo occisus est Godolias, & reliqui qui erant in Hierusalem, interfecti sunt, sicut dicit Hieremias.

Dies ieiunij decimi est decimo mense qui apud nos Ianuarius vocatur, quando agnouerunt cuncti in Babylonia captiui, quinto mense templum fuisse destructum.

¶ Hæc autem beatus Hieronymus in Commentariis Zachariæ:

A Dauid vsq; ad captiuitatem quartæ ætatis, anni numerantur 473, menses 6, dies 10: secundum Septuaginta interpretes, 12 amplius.

Ab Adam vsque ad captiuitatem quatuor ætatum, simul sunt 3363 anni, menses 6, dies 10.

¶ Generationes autem ætatis huius, iuxta vtrosque codices, sunt 17, quas tamen Matthęus Euangelista certi mysterii gratia 14 componit.

¶ Hac ætate, velut iuuenili ætate, in populo Dei Regum tempora cœperunt. Hæc enim in hominibus ætas apta gubernando regno solet existere.

ÆTATIS IV.
FINIS.

¶ *Iterum clamdicat prototypi nostri calculatio in annis mundi, amice Lector: quoniam si primum annum sequentis ætatis probe numerat 3604, hic vltimus annus 3600 ætatis quartæ, deberet esse 3603.*

Eadem negligentia desunt quoq; tres anni in supputatione annorum Vrbis.

In Olympiacis tempestiue desit, nempe in 28, intricaturam forte aut laborem vitauit. Eos tamen perduximus vsque ad finem huius ætatis.

At hoc prorsus nihil est, si ad nomenclaturam vbique corruptam conferendum est, & vix emendandam, vt cætera sileam. Hoc enim debemus idiotis pigrisque amanuensibus.

AETAS V.

CAPVT XX.

QVINTA mundi ætas à captiuitate cœpit populi Israel: quæ secundum Hieremiam 70 annis permansit, dicens: Quum cœperint impleri in Babylone 70 anni, reducam vos ad locum istum, dicit Dominus.

Primus annus captiuitatis, in quo templum Domini Nabuchodonosor mense Augusti incendit, quod ab initio ædificationis suæ mãserat annis 442. Capta Hierosolyma ab Assyriis, ad Vaphrem regem Ægypti reliqui trãsfugerunt. Huius Vaphris Hieremias quoque propheta meminit. Sententiæ etiam nostræ Clemens congruit in primo Stromate, quadragesima octaua olympiade captiuitatem Iudæorum factam esse cõtestans, regnante apud Ægyptios Vaphre, apud Athenas Phœnippo; & supputari septuaginta annos desolationis templi vsq; in secundum annum Darii, & Hebræorum captiuitatis & templi exterminii quod fuit in Hierusalem, annis 70.

CAPTIVITAS.

Anni mundi,	*Anni capt.*	
3604	1	Anno Vrbis *161.*
3605	2	
3606	3	Corinthiorum monarchia destructa est.
3607	4	
3608	5	In Babylonia prophetabant Daniel & Ezechiel. Solis facta defectio, quum futuram eam Thales prædixisset.
3609	6	Alyattes & Astyages dimicauerunt.
3610	7	
3611	8	
3612	9	
3613	10	Anno Vrbis *170.* Macedonum 8, Alcetas, annis vigintinouem.
3614	11	
3615	12	Astyages contra Lydos pugnauit. Anaximander Milesius physicus agnoscitur.
3616	13	
3617	14	Tarquinius occisus à filiis Anci, cui successit in regnum Seruius Tullius.

SERVIVS TVLLIVS.

Romanorum 6, Seruius Tullius annis viginti quatuor. Seruius, ancillæ sed nobilis captiuæ filius, tres montes Vrbi addidit, Quirinalem, Esquilinum, Viminalem; & fossas circum mũros duxit. Cẽsus Romanorum ciuium primus instituit: & ad extremum Tarquinii Superbi, generi sui superioris regis filii, scelere occisus est. Anno decimoquarto postquam percussa est ciuitas, vigesimo anno transmigrationis regis Ioacim & Ezechielis, ipse Ezechiel vidit in visionibus renouationẽ ciuitatis ac templi & ceremoniarum.

3618	15	
3619	16	
3620	17	
3621	18	
3622	19	
3623	20	Anno Vrbis *180.* Phalaris tyrannidem exercuit annis *13.*
3624	21	
3625	22	
3626	23	Eugamnon Cyrenæus qui Theogoniam fecit, agnoscitur.
3627	24	Agon gymnicus quem Panathenæon vocant, actus.
3628	25	Mortuo Nabuchodonosore Babyloniorum rege, suscepit imperium Euilmerodach, cui successit frater eius Balthasar. Ægyptiorum Amasis, annis 42 regnauit.
3629	26	Anno 26 post euersam Hierusalem, qui est 37 annus transmigratiõis regis Ioacim, subleuauit Euilmerodach, filius Nabuchodonosoris, rex Babyloniæ, anno quo regnare cœpit, Ioacim regis

regis Iudæ caput de carcere, & posuit thronum eius supet thronum regum qui cum eo erant in Babylone.

Anni mundi,	Anni capt.	
3630	27	Pisistratus Athenienſis
3631	28	tyrannus in Italiã transgreditur. Æsopus interimitur apud Delphos.
3632	29	Lydorum Crœsus, annis 15. Anaximenes physicus agnoscitur.
3633	30	Anno Vrbis 190. Balthasar occisus est, sub quo Daniel eam scripturam quæ in pariete apparuerat, interpretatus est, significantem imperium Chaldæorum in Medos & Persas trãsferendum. Hæc est visio: Mane, id est nostrum: thecel, id est pondus: phares, id est fragmentum. Septuaginta anni captiuitatis huc vsque, iuxta Aphricanum & Iosephum, id est vsque ad Cyrum.

CYRVS.

¶ Cyrus Persarum primus, subuerso rege Assyriorum, & regno Medorũ, regnauit per annos 30.

3634	31	Cyrus (vt impleretur verbum Domini ex ore Hieremiæ) primo anno sui regni laxata Hebræorum captiuitate, ferme 50000 hominum regredi fecit in Iudæam, restituens eis vasa templi Domini aurea & argentea quinq; millia & quadringenta. Qui congregati in Hierusalem, mense 7 ædificauerunt altare: & à primo die eiusdem mensis cœpertũt offerre holocausta Domino. Anno autem 2 aduentus sui, mense 2, templi fundamenta iecerunt, anno vero incensionis eius 72, iuxta Aphricanum & Iosephum. Sed impedientib. Samaritis intermissum est opus vsque ad annum Darii 2. Qui etiam in regno Assueri, in regni sui principio Artaxerxi scripserunt accusationem aduersus Iudæos: & rescripsit Artaxerxes, ne ædificaretur Hierusalem.
3635	32	Medorum, Stesichorus eodem tempore moritur.
3636	33	(tur.
3637	34	Simonides clarus habe-
3638	35	Prophetabant Aggæus & Zacharias. Chilo, qui de septem sapientibus fuit. Ephoros in Lacedæmone.
3639	36	Eo tempore Iesus filius Iosedec, & Zorobabel regii generis filius, & Salathiel habebantur: qui & principes fuerunt eorum qui regressi sunt in Iudæam.
3640	37	Ænophenes Colophonius clarus habetur.
3641	38	Macedonum 9, Amyntas, annis regnauit 50.
3642	39	Templũ Apollinis Delphis secunda vice incensum.
3643	40	Anno Vrbis 200. Ea quę
3644	41	de Crœso memoran-
3645	42	tur, quomodo tentarit
3646	43	oraculum. Thales mo-
3647	44	ritur. Crœsus aduersus Cyrum bellum iniit.

TARQVINIVS.

Romanorum 7, Tarquinius, annis 35. Crœsus à Cyro captus est, & Lydorum regnum destructum, quod stetit annis 231. Tarquinius Superbus, socero Seruio occiso, arripuit imperium: Volscos, Veios, Suessam & Pometiam subegit: & quum oppugnaret Ardeam causa Tarquinii, iunioris filii sui qui Lucretiam corruperat, à regno expulsus est. Pisistratus secunda vice Athenis regnat. Pherecydes historicus clarus habetur.

3648	45	Hippicus poeta tunc tẽporis agnoscitur.
3649	46	Cyrus Sardes capit. Colligitur omne tempus captiuitatis Iudæorum, anni 70, qui secundum quosdam à tertio anno Ioacim vsq; ad vigesimum annum Cyri regis Persarum computantur. Porro secundum alios, à Iosię Iudæorum regis anno 13, sub quo Hieremias prophetare cœpit, vsque ad primum annum supra dicti Cyri regis, desolationis vero templi sub Dario rege. complentur anni 70.
3650	47	Harpagus, qui apud Cyrum primo loco habebatur, aduersus Ioniam dimicat.
3651	48	Simonides lyricus, &
3652	49	Phocylides, & Hippius poeta, clari habentur.
3653	50	Anno Vrbis 210.
3654	51	
3655	52	
3656	53	
3657	54	Theognis poeta clarus eodem tempore habetur.

Anni mundi,	*Anni capt.*	
3658	55	Anacreon lyricus poeta agnoscitur.
3659	56	Apud Samum tyranni-
3660	57	dem exercent tres fra-
3661	58	tres, Polycrates, Phi-
3662	59	lus, & Pentagnosius.
3663	60	Anno Vrbis 220. Tomyris regina Massagetarum Cyrum interfecit.

CAMBYSES.

¶ Persarum 2, Cambyses Cyri filius, regnauit annis 8. Hic deuicta Ægypto cunctam eius religionem abominatus, ceremonias eius & templa deposuit: Babylonem in Ægypto ædificauit.

3664	61	Hunc aiunt, ab Hebræis secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Iudith historia conscribitur.
3665	62	Apud Hebræos pontifex maximus Iesus filius Iosedec, & princeps gentis Zorobabel, clari habentur.
3666	63	Pythagoras physicus & philosophus clarus habetur.
3667	64	Hippias Athenis tyrannidem exercet.
3668	65	Samii Dicæarchiam con-
3669	66	diderunt, quam nunc Puteolos vocant.
3670	67	Ægyptiorum 26 dynastia
3671	68	Persarũ: obtinuit quippe Ægyptum Cambyses in anno 8 regni sui vsque ad Darium filium Xerxis, annis 111.

MAGI.

¶ Persarum 3 fratres Magi, mensibus septem, hoc est vsque ad Calẽdas mensis Aprilis.

3672	69	Mensibus autem 3 Ioachaz, & mensibus 3 Ioacim, cum diebus 10, & cum mense Augusto, in quo combustum est templum, iunctis simul diebus cum mensibus 7 Magorum, fiunt menses 14, à 4 Calendis Ianuariis, quo Dauid obiit vsq; ad Calendas Apriles.

Ante Darium templum combustum est, & Hierosolyma fuit capta in Augusto.

Ante quem Sedecias regnauit annis 11. vsque ad Iulium mensem.

Ante quem regnauit Ioacim, mensibus 3, & diebus 10, vsq; ad mensem Martium.

Ante Ioacim regnauit Eliacim, annis 11, vsque ad Mensem Martium.

Ante Eliacim regnauit Ioachaz, mensibus tribus, vsque ad mensem Decembrem.

Anni igitur captiuitatis ab Augusto ad Augustum numerantur, non à Martio: ab Aprili ergo, ante combustionem templi Salomonis, in medio anni 11 Sedeciæ vsque ad Aprilem, in fine anni primi Darii, sunt anni 70. Et à mense Augusto, in fine anni 11 Sedeciæ, vsque ad mensem Augustũ, in medio anni 2 Darii, sunt anni 70 captiuitatis. Sed anni historiæ à mense Aprili, alias à mense Martio ad alterum mensem Martium, vsq; ad CHRISTVM numerantur.

A Dauid igitur vsque ad captiuitatem, sunt 473 anni, & menses 6 vel 7, & dies 10, teste Hieronymo super annum 6 Ezechiæ, vt supra est: ibi à captiuitate & combustione templi vsq; ad Darium, anni 69, & menses 7. A Dario vsque ad Calendas Apriles, in anno 42 Octauiani Augusti, in cuius fine natus est Dominus, teste Euangelio, sunt 519 anni: hoc est, à Dauid vsque ad captiuitatem, 473 anni: & à captiuitate ad CHRISTVM, 589 anni. A Dauid etiam vsq; ad Emmanuelem sunt anni 1062, iuxta ipsam Hebraicam veritatem.

3673	70	Anno Vrbis 230. Aggæus, Zacharias & Malachias prophetæ clari habentur.

DARIVS.

PErsarum 4, Darius filius Hystaspis, annis 36 regnauit.

Anni mundi,	*Anni Dar.*	
3674	1	In anno primo Darii, filii Assueri de semine Medorum, qui imperauit super regnum Chaldæorũ, ego Daniel intellexi in libris numerũ annorum, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam prophetam, vt complerentur desolationis Hierusalem septuaginta annis, vsq; ad initium Cyri regis Persarum. Beda autem dicit, annos 70 vsq; ad perfectam restaurandi licentiam, id est vsq; ad primum annum Darii, esse cõputandos. Primo anno captiuitatis ignis ab altari sub-

latus,

latus,& abſconditus in puteo: poſt 70 reuerſionis annum aſſumitur, inuentus viuus. Inter Darium & Cambyſen regnaſſe duos fratres Magos, in libris Chronicorũ Euſebij reperimus. Verum Hieronymus in expoſitione Danielis ſcribit, poſt Cambyſem, Smerdem Magum regnaſſe qui Pantapten (inquit) filiam Cambyſis duxit vxorem. Qui cum à ſeptem Magis fuiſſet occiſus, & in locum eius Darius ſuſcepiſſet imperium, eadem Pantapte nupſit Dario, & ex eo Xerxem filium genuit.

Anni mundi,	Anni Dar.	
3675	2	

Euſebius ſic: Secundo anno Darij, 70 annus captiuitatis impletur, Zacharia propheta teſte, apud quem, ſecundo anno Darij angelus ſic loquitur: Domine exercituũ, vſquequo tu non miſereberis Hieruſalem & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iſte 70 annus eſt. Idco 2 annus bis ſcribitur: quia 4 annus in Magorum fratrum 7 menſibus computatur. Secũdo anno Darij regis templum Hieroſolymis extruitur à Zorobabel: cõſummaturq; opus annis 4. Remiſſio quidem captiuitatis Iudęorum, & venia templi ædificandi, ſub Cyro exordium habuit. Conſummatur vero templum ſub Dario: quia vicinæ gentes aſſiduis incurſionibus ædificationem impędierant. Clemens quoq; his congruit in primo Stromate, ita ſcribens: Et perſeuerauit captiuitas annis 70, vſq; ad 2 annum Darij filij Hyſtaſpis, qui Perſis, Aſſyrijs & Ægypto imperauit: ſub quo Aggæus & Zacharias, & vnus ex duodecim qui vocatur Angelus, prophetauerunt: ſacerdotioq; fũctus eſt Ieſus filius Ioſedec.

3676	3	Armodius & Ariſtogiton Hipparchum tyrannum interfecerunt: & Lemna meretrix amica eorum quum tormẽtis cogeretur, vt ſocios proderet, linguam ſuam morſu ſibi amputauit.
3677	4	Anno 4 Darij ait Zacharias propheta: Cum ieiunaretis & plangeretis per ſeptuaginta hos annos, nunquam ieiunium ieiunaſtis mihi?
3678	5	
3679	6	Anno 6 Darij, templi ædificatio completur, die 3 menſis Adar, qui eſt 46 annus, ex quo eius ſub Cyro fundamẽta iacta ſunt. Vnde in Euangelio dicunt Iudæi: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum; & tu in triduo reædificabis illud. Cœperunt autem ædificare anno 2 Darij, menſe 6, die 19. Et anno 6 (vt dictum eſt) menſe 12, die 3, compleuerũt. Ex quo apparet, opus templi; & antea non parua ex parte peractum, annos autem 70 à deſtructione illius vſque ad perfectam reſtaurãdi licentiam eſſe computandos. Vnus annus de 46 annis à Cyro vſque in annum 6 Darij, deeſt in Chronicis. Anni enim 40 à Cyro ad Darium, & 6 anni Darij debent eſſe, ſicut in Euangelio dicitur, Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum.
3680	7	
3681	8	
3682	9	

Reges Latinorum.

Latinus rex regnauit annis 32, à quo Latini ſunt appellati. Huius imperij anno 25 Troia capta eſt: ad quem Æneas profugus veniens, factus eſt gener eius: cui ſucceſſit in regnum Æneas poſt octauum annum Troiæ captæ, & regnauit in Italia annis 3.

41. Aſcanius filius Æneæ, regnauit annis 37, qui Albam condidit.

70. Syluius Æneæ filius ex Lauinia, reguauit annis 9. Homerus poeta his temporibus fuit.

101. Æneas Syluius regnauit annis triginta vno.

151. Latinus Syluius regnauit annis qninquaginta. Huius temporibus Amazones Aſiam vaſtauerũt. Carthago condita eſt à Carcedone Tyrio, vt quidam dicunt. Salomon quoque filius Dauid, regnans Hieroſolymis templum famoſiſſimum condidit.

190. Alba Syluius regnauit annis triginta nouem.

214. Ægyptus Syluius regnauit annis viginti quatuor.

242. Capys Syluius regnauit annis viginti octo.

255. Carpentus Syluius regnauit annis tredecim.

264. Tyberinus Syluius regnauit annis octo.

303. Agrippa Syluius regnauit annis quadraginta.

332. Aremulus Syluius regnauit annis 19. Huius temporibus Lycurgus apud Lacedæmonios iura compoſuit.

359. Auentinus Syluius regnauit an-

nis triginta septem, à quo mons Romæ, quia ibi sepultus est, nomen accepit.

380. Procas Syluius, regnauit annis viginti tribus.

426. Amulius Syluius regnauit annis 43, qui fratrem suum Numitorem regno expulit: cui° tempora isti sunt applicata.

Reges Romanorum.

465. Romulus regnauit annis triginta octo, à quo Roma condita est, & ex Latinis Romani sunt deducti. Hic primum constituit centum Senatores. Huius temporibus Syracusa & Catina in Sicilia conditæ sunt.

505. Numa Pompilius regnauit annis quadraginta vno, qui duos menses anno addidit, Ianuarium & Februarium, quum antea annus decem mẽsium saltem apud Romanos erat. Capitolium quoq; à fundamentis construxit. Quibus temporib. Sibylla in Samo insignis habebatur.

537. Tullus Hostilius regnauit annis triginta duobus, qui primus apud Romanos purpura vsus est. Cuius temporibus Chalcedon conditur, & Byzantium, quæ nunc Constantinopolis appellatur.

540. Ancus Marcius regnauit annis 23, qui 16 milliario ab Vrbe Ostiam condidit.

597. Tarquinius Priscus regnauit annis triginta septem. Huius temporibus Massilia in Gallijs condita est.

631. Seruius Tullius regnauit annis triginta quatuor, qui primus censum instituit ciuium Romanorum. His temporibus apud Persas Cyrus primum regnare cœpit.

666. Tarquinius Superbus regnauit annis triginta quinque. Huius temporibus Pythagoras clarus habetur. Expulso autem vrbe Tarquinio, bini consules cœperunt pro vno rege annis singulis administrare rempublicam.

Ab anno itaque quarto Samsonis, qui est octauus annus post captam Troiam, vsque in annum nonum Darij regis Persarum, hoc est vsque in annum septuagesimum octauum quintæ ætatis, sunt sexcenti sexaginta sex anni, iuxta Cassiodorum: secundum Hebræos, sunt sexcẽti quadraginta anni. Desunt igitur (teste Cassiodoro) viginti sex anni in tanto spatio, secundum supputationem Hebræorum.

CONSVLES.

Anni mundi,	*Anni Dar.*	
3083	10	Anno Vrbis 240. L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus. Hi annũ minime tenuerunt, ad peragendum tempus alijs subrogatis. id est Sp. Lucretio, & Horatio Puluillo, & P. Valerio Publicola.
3084	11	P. Valerius Publicola 2, T. Lucretius Tricipitinus. Pulsis ab Vrbe regibus, vix ad 15 lapidem Roma tenebat impetium. Romanorum reges septem, à Romulo ad Tarquinium Superbum, imperauerunt annis ducentis quadraginta, siue (vt quibusdam placet) ducentis quadraginta tribus.
3085	12	P. Valerius 3, M. Horatius Pulullus 2. Romæ post exactos reges primum Consules fuerunt, deinde Tribuni, ac Dictatores, & rursum Consules, qui Rempublicam obtinuerunt per annos fere quadringentos sexaginta quatuor, vsque ad Iulium Cæsarem, qui primus singulare arripuit imperium.
3086	13	Sp. Largius Rufus, T. Herminius Aquilinus.
3087	14	M. Valerius, Posthumius Tubertus.
3088	15	P. Valerius 4, T. Lucretius 2. Valerius adeo pauper moritur, vt sumptu publico sepeliretur.
3089	16	P. Posthumius 2, Agrippa Menenius.
3090	17	Sp. Cassius, Opiter Virginius. Censu Romæ agitato, inuenta sunt hominum 120000.
3091	18	Posthumius Cominius, T. Largius. Hic autem Largius fuit primus Dictator creatus. Anno 9 post exactos reges noua dignitas est creata, scilic. magister equitum qui dictatori obsequeretur.
3092	19	Ser. Sulpicius Camerinus, M. Manlius.
3093	20	Anno vrbis 250. Cn. Vetusius, T. Ebutius.
3094	21	T. Largius 2, Q. Cloelius. Helanicus historiographus.
3095	22	A. Sempronius, M. Minutius. Heraclius & Anaxagoras philosophi clari habentur.

3096

Anni mundi,	*Anni Dar.*	
3696	23	A. Posthumius, T. Virginius Tricostus.
3697	24	Ap. Claudius, P. Seruilius. Pythagoras philosophus summus moritur.
3698	25	A. Virginius, T. Vetusius. Volsci victi. Cumis bellatur.
3699	26	Sp. Cassius 2, A. Posthumius 2.
3700	27	T. Geganius, P. Minutius Augurinus. Latini contra Romanos rebellauerunt.
3701	28	A. Sempronius 2. P. Minutius 2. Romę populus à patribus facta seditione discedit.
3702	29	Q. Sulpicius, Sp. Largius 2. Marcius qui Coriolos ceperat, interuentu matris suæ, & vxoris precibus, ab oppugnatione vrbis remouit exercitum.
3703	30	Anno vrbis 260. C. Iulius Tullus, P. Pinarius. Bellum Marathone gestũ. Miltiades & Aristides cognominatus iustus, viuunt.
3704	31	Sp. Nautiº, Sex. Furius,
3705	32	C Aquilius, T. Sicinius.
3706	33	Sp. Cassius, Proculº Virginius. Quum in Algido monte Romani milites obsiderentur, à Dictatore Quintio Cincinnato liberati sunt.
3707	34	Q. Fabius Vibulanus, Ser. Cornelius. Ægyptus recessit à Dario. Gelo obtinuit Syracusas.
3708	35	L. Æmylius, Cæso Fabius. Pindarus & Simonides lyrici poetæ insignes habentur.
3709	36	M. Fabius, L. Valerius. Romæ Oppia virgo Vestalis deprehensa in stupro, viua defossa est.

XERXES.

PErsarum 5, Xerxes, filius Darij, annis 20 regnauit.

Anni mundi,	*Anni Xerx.*	
3710	1	Q. Fabius, C. Iuliº. Xerxes Ægyptum capit. Aristides cum ignominia ejcitur.
3711	2	Cæso Fabius 2, Sp. Furius Medullinus.
3712	3	M. Fabius, Cn. Manlius,
3713	4	Anno Vrbis 270. Cæso Fabius 3, T. Virginius. Diagoras agnoscitur, & sectatores eius physici philosophi.

Anni mundi,	*Anni Xerx.*	
3714	5	L. Æmylius, C. Seruilius. Xerxes cum Athenas venisset, incendit vrbem sub principe Callia.
3715	6	C. Horatius, T. Menenius. Bellum in Thermopylis gestum est, & apud Salaminem nauale certamen.
3716	7	P. Seruilius, A Virginius. Athenienses Piræum muro vallant.
3717	8	P. Valerius C. Nautius. Hieron postea Syracusis regnat.
3718	9	L. Furius, C. Manlius. Æschylus tragœdiarum scriptor agnoscitur.
3719	10	L. Æmylius, Opiter Virginius. Seditio agraria.
3720	11	P. Furius L. Pinarius. Hieron post Gelonem Syracusis tyrannidem exercet.
3721	12	T. Quintius, Appius Claudius. Pindarus clarus habetur.
3722	13	L. Valerius, T. Æmylius
3723	14	Anno vrbis 280. A. Virginius, L. Numitius. Themistocles ad Persas fugit.
3724	15	T. Quintius 2, Q. Seruilius. Sophocles tragœdiarum scriptor, primum sui ingenij opera publicauit.
3725	16	Æmylius 2, Q. Fabius. Romæ Virbinia deprehensa in stupro, viua defossa est.
3726	17	Q. Seruilius 2, Sp. Posthumius. Sophocles & Euripides clari habentur.
3727	18	T. Quintius, Q. Fabius. Herodotus historiographus agnoscitur.
3728	19	A. Posthumius, Sp. Furius. Heraclides & Diagoras celebres.
3729	20	P. Seruilius, L. Ebutius. Zeuxis pictor agnoscitur: inter alias imagines lauacrum Bizantinorum fecit. Socrates nascitur. Lapis ingens de cœlo ruit in Thracię partibus, olympiade 78, anno 2, colore adusto: qui lapis etiam nunc ostenditur.

ARTABANVS.

PErsarum 6, Artabanus, regit saltem mensibus 7.

ARTAXERXES.

PErsarum 7, Artaxerxes, qui Longimanus appellabatur à longa manu, regnauit annis 40.

Anni mundi,	*Anni Art.*	
3730	1	L. Lucretius, T. Veturius. Ea quæ de Esther & Mardochæo scripta sunt, quidam affirmant sub hoc rege gesta: quod non puto. nũquam enim Esdras de Esther siluisset, qui scribit, hoc tempore Esdram & Neemiam reuersos ex Babylone, & ea deinceps consequuta, quæ ab ijs gesta referuntur.
3731	2	P. Volumnius, Ser. Sulpitius. Sicilia à populo regebatur.
3732	3	P. Valerius, C. Claudius. Cimon iuxta Eurymedontem Persas nauali pedestriq; certamine superat: & modicum bellum conquiescit.
3733	4	Anno Vrbis 290. Q. Fabius, L. Cornelius. Medorum 10, Perdicca, annis 28.
3734	5	L. Minutius, C. Nautius 2. Anaxagoras moritur. Heraclitus clarus habetur.
3735	6	Q. Minutius, C. Horatius 2. Esdras sacerdos apud Hebræos insignis habetur: cuius ætate pontifex maximus habitus est Eliasib, filius Ioacim, filij Iesu, filij Iosedec.
3736	7	M. Valerius, Sp. Virginius. Anno 7 Artaxerxis, prima die mensis primi, Esdras sacerdos, & scriba Legis Dei descendit de Babylone cum epistolis regis, in prima die mẽsis quinti, venit in Hierusalem cum viris 700. Qui inter alia strenue gesta castigauit filios transmigrationis ob vxores alienigenas. Fuit autem eruditissimus Legis diuinæ, & clarus omnium Iudæorum magister, qui de captiuitate regressi venerant in Iudæam.
3737	8	T. Romulius, C. Veturius. Pherecydes historicus agnoscitur.
3738	9	Sp. Tarpeius, A. Aternius. His consulibus, teste Cassiodoro, legati Athenas missi ad leges describendas Cratinus & Plato, comœdiarum scriptores clari habẽtur. Aristarchus tragœdiographus agnoscitur. Romæ ludi sęculares primum acti.
3739	10	P. Horatius, Sex. Quintilius. Fames pestem adduxit.
3740	11	L. Menenius, P. Sestius. Hoc tempore à Consulibus ad Decemuiros translatum est imperium, per quos quadraginta annis administrata Respublica fuit: sed iterum consules creati sunt.
3741	12	Anno 302 ab Vrbe condita, Decemuiri creati, post annum electi sunt propter Appium Claudium, qui Virginij cuiusdam filiã contra Latinos in Algido militantis, voluit abducere.
3742	13	Romani p legatos ab Athenienſibus iura petierunt, ex quibus duodecim tabulæ conscriptæ.
3743	14	Anno vrbis 300, Cretes comicus, & Telesilla, ac Bacchylides lyricus, clari habentur. Praxilla quoque & Cleobulina sunt celebres.
3744	15	Templum Iunonis quod in Argis fuerat incensum, restituitur. Abaris hyperboreanus ariolus agnoscitur.
3745	16	Tribuni plebis, & ædiles Romę facti, Consulibus electis.
3746	17	Neemias Hebræus, minister vinarius Artaxerxis, filius regis, concedente sibi domino suo, vigesimo eius anno, venit de Babylone in Iudæam, & trigesimo secundo muros vrbemq; restituit. Scribit Esdras sub pontifice Ioiada, filio Eliasib (cui successit Iohanathas filius suus, qui temporib. Alexandri Macedonis fuit) op⁹ fuisse cõpletum. Igitur Neemias veniens de Susis castro de Babylone Ierusalem, muros ciuitatis 12 annis restituit, & ducatui duodecim annos præfuit. Hucusq; Hebræorum diuinæ Scripturæ annales temporum continẽt. Ea vero quę posteà hic apud eos gesta sunt, exhibebim⁹ de libro Machabęorum, & Iosephi & Aphricani scriptis: qui deinceps vniuersam historiam vsque ad Romana tempora p̃sequuti sunt. Aphricanus quidem in lib. quinto Temporum ita dicit: Mansit itaq; imperfectum opus vsque ad Neemiam, & vigesimum annum regis Artaxerxis. Quo tẽpore, regni Persarum 115 anni euoluti sunt: captiuitatis primo Hierusalem 185 annus erat: & nũc primũ iussit Artaxerxes muros Hierusalem extrui. Cui operi præfuit Neemias, & ædificata est platea, & muri circũdati. Et ex illo tempore, si enumerare velis 70 annorum hebdomades vsque ad CHRISTVM, poteris inuenire. Beda sic. Septem ſpecies hebdomadis, qua Daniel ꝓphetat vtitur,
3747	18	
3748	9	
3749	20	

vtitur, more quidem legis septem annis singulis computans hebdomadam, sunt solito more breuiores solarib. ann. Duodenis enim mensibus Lunæ annos singulos determinant. Emboliſmares autem menses, qui de annis vndecim epactarum crescunt, nos lege solita tertio vel altero anno addidimus. Vbi menses duodecim emboliſmorũ impleti fuerint, ibi eos pro anno integro interserit. Et ita Angel⁹ adest, dicẽs, Septuaginta (inquit) hebdomades abbreuiatæ sunt super populũ tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consumatur præuaricatio, & finẽ accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur Sãctus sanctorum. Nulli dubium est, quin hæc verba CHRISTI incarnationem arguãt, qui tulit peccata mundi, legem & prophetiam impleuit, & vnctus est oleo lætitiæ p̃ participibus suis. Et nulli dubiũ, quod hebdomades 70 annorum lunarium, mensiumque 12, in vnoquoque anno post septenos annos distinctæ, 420 annos lunares absque emboliſmarib mensibus insinuarint. Sed notandum est, quod non simpliciter, sed breuiter dixit, cõputatas, id est breuiores solitis ann. Scito ergo (inquit) & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem, vsque ad CHRISTVM ducem, hebdomades septem, & hebdomades 62 erunt: & rursum dicit, Ædificabitur platea & muri in angustia temporis. Esdra narrante didicimus, quod Neemias, cum esset pincerna regis Artaxerxis, anno 20 eius regni, mens. April. impetrauit ab eo restaurari muros Hierusalem: ipsumque opus (vt dictum est) tanta temporis angustia est actum, vt structores singuli, armis induti, vna manu pugnasse, altera muros reparare, narretur. Ab hoc tẽpore, id est ab anno vigesimo Artaxerxis vsque ad CHRISTVM, hebdomades 70 computatas, id est annos duodenorum mensium lunarium 390, qui sunt solares anni 475: siquidem Persæ a præfato anno vigesimo Artaxerxis vsque ad mortem Darij Arsamis filij, regnarunt annis 116. Exhinc Macedones vsque ad mortem Cleopatræ, id est in annum 15 Octauiani Cæsaris, annis 300. Inde Romani ad 17 annum Tiberij, summam rerum potestatem quam Græci monarchiam vocant, tenuerunt annis 59: qui sunt simul 475, & continentur cyclis decennoualibus 25. Decies nonies enim viceni & quini, fiunt 475 anni. Et quod singulis circulis emboliſmi 7 accrescunt: multiplica 25 per 7, fiunt 175 mẽses lunares, qui sunt emboliſmi mẽses annorum 475. Si autem vis scire, quot ann. menses lunares faciunt, partire 175 mẽses per 12, duodeni menses decies, & duodeni quater, id est 148 anni, sunt 14, & remanent menses 7. His adde annos 475, fiunt 489. Adde menses 7 supra, partemque anni 18 Tiberij, quo passus est Domin⁹: & fiunt ab anno 20 Artaxerxis vsq; ad passionem Domini hebdomades 70 abbreuiatæ, id est anni lunares 490. Ad eius vero baptiſma, quãdo vnctus est Sanctus sanctorum à Spiritu sancto in specie columbæ, non solum hebdomadæ 7 & 62 cõpletæ sunt, sed & pars 70 hebdomadis iã inchoatæ p̃terijt. Et post hebdomades (inquit) septẽ & sexaginta duas occidetur CHRISTVS, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Nõ statim post 7 & post 62, sed in fine 70 hebdomadis occisus est. Quam hebdomadam ideo separauit à cæteris, qa de ea plura erat relaturus. Nam in ea CHRISTVS crucifixus est, & negatus à Iudæis, non solum tempore passionis, sed etiam à prædicatione Ioannis. Quod autem sequitur, Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio, hoc non ad 70 hebdomades pertinet. Prædictum est enim, quod hebdomadæ 70 ad CHRISTI vsq; ducatum pertingerent: sed Scriptura prædicto aduẽtu & passione CHRISTI, quid etiam post hoc populo neganti eueniret, ostendit. Ducem enim venturum dicit, qui anno 40 passionis cum populo Romano ciuitatem & sanctuarium dissipauit, vt lapis supra lapidem non remaneret. Deinde ad exponendam hebdomadam quam omiserat, redit. Cõfirmabit autẽ pactum multis hebdomas vna, id est ipsa nouissima, in qua vel Ioannes baptizat, vel domin⁹ & Apostoli prædicando multos ad fidem conuerterunt, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Dimidium hebdomadis huius, annus 15 Tiberij erat: quando inchoato CHRISTI baptiſmate, hostiarum purificatio fidelib. paulatim vilescere cœpit. Item quod sequitur, Et in templo erit abominatio desolationis, & vsque ad con-

ſummationem & finem perſeuerabit deſolatio ad ſequentia tempora reſpicit, cuius prophetiæ veritatem, & hiſtoria veterum & noſtrorum, hodieque temporum teſtatur euentus. Sciendum eſt, quod Aphricanus curſum hebdomadarũ, quem nos in annum 17, vel in 18 Tiberij Cæſaris quo Dominum paſſum credimus, iuxta Chronicum Euſebij perduximus, ab eodem 20 anno Artaxerxis, quo & nos incipimus, anno 15 Tiberij, quo eum paſſum credit; putat eſſe completum, ponẽs annos regni Perſarum 115, Macedonum 30, Romanorum 40. Hæc Beda.

De hac igitur ſumma 475, ab anno 20 Artaxerxis vſque ad paſſionem Domini, deme annos 80, quos à præfato vſque ad Aſſuerum Hieronymus numerauit: & tunc cum anno 7 menſium Sogdiani, & 3 menſium Iulij Cæſaris, qui hic non numerantur, & cum 18 Tiberij, 395: iunges iſtis 395 annis, à prima olympiade vſque in poſtremum Aſſueri (vt Hieronymus tractat) fiunt anni 714, vſq; in paſſionem, id eſt olympiades 190. Dimiſſis item 33 annis de hac ſumma, fiunt vſque ad natiuitatem Domini ab olympiade prima, anni 760, id eſt olympiades 190. A Dauid vſq; ad olympiadem primam, ſunt anni 302. Ab olympiade prima vſque ad captiuitatem & combuſtionem templi, anni ſunt 171, & menſes 6. Hoc modo Ioatham annos 16.

22. Achaz, annos 16.

61. Ezechias, 29.

116. Manaſſes, 55.

118. Amon, 2.

149. Ioſias, 31. & Ioatham, à 4 Calendis Ianuar. quo Dauid obijt, regnauit menſibus 3, vſque ad Calend. Apriles.

140. Eliachim, 11. Iechonias menſibus 3, & diebus 10, vſque ad menſem Iulij. Sedechias, annis 11. In anno igitur primo Cyri, annus 30 deſolationis templi impletus eſt, & in medio 8 anni Cambyſis impletus eſt annus 66. Adde menſes 7 ſupra, ad dimidium annum Cambyſis, vel ad Magos, fit annus vſq; ad Calen. April. hoc eſt vſq; ad annum primum Darij. In anno ergo ſecundo Darij (ſicut dixit Hieronymus) id eſt in Auguſto, annus ſeptuageſimus captiuitatis impletus eſt.

35. Darius, 36.

55. Xerxes, annos viginti. Artabanus, menſes 7, vſque ad Calendas Nouembr.

95. Artaxerxes, filius Lagi, 40. Xerxes, menſes 2, vſq; ad Calend. Ianuar.

96. Poſt quem Segdianus, menſes 7, vſque ad Calendas Auguſti. Adde menſes 7 Artabani, & 2 menſes Xerxis, fit annus, & menſes 4.

115. Darius nothus, 19.

155. Aſſuerus, 40.

181. Ochus, 26.

185. Artaxerxes, 4.

191. Darius, 6.

197. Alexander, 6.

237. Ptolemæus filius Lagi, 40.

275. Ptolemæus Philippus, 38.

301. Poſt eum Philopator, 26.

318. Poſt Philopatorem, 17.

342. Poſt Epiphanem, 24.

377. Poſt Philometorem, 35.

406. Poſt Euergetem, 29.

423. Poſt Phyſcon, 17.

433. Poſt Alexandrum, 10.

441. Ptolemæus, qui Amrem fuerat electus, annos 8.

471. Poſt Dionyſium, 30.

473. Cleopatra, 2.

478. C. Iulius, annos 4, menſes 6, vſque ad Calendas Martias, adde menſes 5, ante fiunt menſes 10.

519. Octauianus Auguſtus 41, vſque in annum in quo natus eſt Dominus, & menſe Martio incipit annus 42. His annis 519, adde annos 70 captiuitatis, fiunt anni 589 vſq; ad annum natiuitatis. Hi ſunt anni quintæ ætatis, id eſt olympiadis 147, atque vnus annus. Adde etiam his 171 annũ à prima olympiade vſq; ad captiuitatem, qui ſunt olympiades 43, minus menſibus 7, fiunt anni 761, olympiades 190, vſque ad ſolſtitium brumale, in parte 12 Capricorni: in qua Græci incipiunt annum etiam cum olympiade, vt putatur: & Dominus natus eſt in fine anni 44 Octauiani Cæſaris in principio olympiadis 191, iuxta veritatem Hebraicam: ad Aprilem autem ante natiuitatem Domini, ſecũdum ſupputationem annorum, de eadem ipſa ſumma, à prima olympiade, deme 20 annos, id eſt 17 Ioatham, & 4 Achaz, id eſt olympiades 5, fiunt à condita vrbe vſque ad annum natiuitatis Domini, anni 740, vſque ad paſſionis annum, ab olympiade prima ſunt 794, id eſt olympiades 198, & anni 2.

3750

Anni mũdi,	Anni Art.
3750	21	Athenienſes & Lacedæmonii fœdus 30 annorum ineunt. Herodotus, quum Athenis libros ſuos corã Senatu legiſſet, honoratus eſt.
3751	22	Meliſſus phyſicus circa hoc tempus agnoſcitur.
3752	23	Euripides tragœdiarum ſcriptor clarus cognoſcitur, & Pythagoras ſophiſta, cuius libros decreto publico Athenienſes combuſſerunt.
3753	24	Anno Vrbis 310. Fidenates contra Romanos rebellant.
3754	25	Phidias eburneam Mineruam fecit.
3755	26	Theætetus mathematicus agnoſcitur.
3756	27
3757	28	Ariſtophanes clarus habetur, & Sophocles poeta tragicus. Gens Campanorum in Italia conſtituta.
3758	29	Demetrius Abderites, Empedocles, & Hippocrates medicus.
3759	30	Gorgias, Hippias, Prodicus, Zeno, & Parmenides, philoſophi inſignes habentur.
3760	31	Socrates plurimo ſermone celebratur. Macedonũ 11, Archelaus, regnauit annis 24.
3761	32	Neemiam qui muros Hieruſalem conſtruxit, conſummaſſe opus 32 anno Artaxerxis Perſarum, Eſdras memorat. Si quis autem ab hoc tempore 70 hebdomades à Daniele ſcriptas numeret, quæ faciunt 490, reperiet eas in regno Neronis expletas: ſub quo obſeſſa eſt Hieruſalem, capta autem 2 poſtea Veſpaſiani anno.
3762	33	Initium belli Peloponneſiaci circa hoc tempus.
3763	34	Anno Vrbis 320. Bacchylides carminum ſcriptor agnoſcitur.
3764	35	Athenienſes peſtilentia graui laborant.
3765	36	Thucydides agnoſcitur. Pericles moritur.
3766	37	Eupolis & Ariſtophanes, ſcriptores Comœdiarũ, tunc agnoſcuntur.
3767	38	Ex Ætna monte ignis vehemens erupit.
3768	39	Apud Locros Atalante terræmotu ſciſſa, inſula facta eſt.
3769	40	Plato naſcitur.

XERXES, II.

PErſarum 8, Xerxes, menſibus duobus regnauit, hoc eſt vſque ad Calendas Ianuarias.

| 3770 | 50 |

SOGDIANVS.

PErſarum 9, Sogdianus, regnauit menſibus 7, hoc eſt vſque ad Calendas Auguſti. His adde menſes 7 Artabani, fit annus, & menſes 5.

DARIVS, II.

PErſarum 10, Darius Nothus, regnauit annis 19.

Anni mũdi,	Anni Darij,
3771	1	Lacedæmones & Athenienſes fœdus percutiunt.
3772	2	Eudoxus Cnidius clarus hoc tempore habetur.
3773	3	Anno Vrbis 330.
3774	4	Lacedæmonii Heracliam vrbem condiderunt.
3775	5	Clades, quæ Athenienſibus accidit in Sicilia.
3776	6
3777	7
3778	8	Ægyptus à Perſarũ imperio defecit.
3779	9	Amaxius Stactis regnauit annis ſex.
3780	10	Alcibiades profugus abiit ad Tiſſaphernem.
3781	11	Romæ rurſum Conſules creati fuerunt.
3782	12	L. Horatius, M. Horatius. Macedonum 12, Crœſus, annis tribus. Eubœa ab Athenienſium ſocietate diſceſſit.
3783	13	Anno vrbis 340. Sp. Herminius, T. Virginius.
3784	14	M. Geganius, C. Iulius.
3785	15	T. Quintius 4, Agrippa Furius. Dynaſtia Ægyptiorũ 28, Nephetites, annis 6. Euripides apud Archelaũ, & Sophocles Athenis moritur. Dionyſius in Sicilia tyrannidem exercet.
3786	16	M. Genutius Auguri-nus, P. Curiatius Philo.
3787	17	L. Papyrius Mugillanus, L. Sempronius Atratinus.
3788	18	M. Geganius Macerinus 2, T. Quintius Capitolinus.
3789	19	M. Fabius, Poſthumius Ebutius Helua.

MNEMON.

PErſarum 11, Artaxerxes, qui cogno-

minatus est Mnemon, Darii Hystaspis filius, annis 40. Sub hoc rege videtur mihi historia quæ in libro Esther continetur, expleta. Ipse quippe est, qui ab Hebræis Assuerus, & à Septuaginta seniorib. Græce Artaxerxes vocatur.

Anni mũdi	*Anni Mne.*	
3790	1	C. Furius, M. Papyrius. Macedonum 13, Archelaus, annis 4.
3791	2	Proculus Geganius, L. Menenius Lanatus.
3792	3	T. Quintius 6, Agrippa Menenius Lanatus.
3793	4	Anno vrbis 350. M. Geganius, L. Sergius. Dionysius tyrānidem exercet. Athenienses sustinent tyrannidem. Isocrates rhetor agnoscitur. Macedonum 14, Amyntas, anno 1, Ægyptiorũ, Achoris, annis 12.
3794	5	L. Papyrius, M. Cornelius. Macedonum 15, Pausanias, anno 1.
3795	6	C. Iulius, L. Virginius. Alcibiadem Pharnabasus interfecit. Tyranni Athenis oppressi. Cyri regis ascensus, de quo scribit Xenophon. Macedonum 16, Amyntas 2, annis 6.
3796	7	C. Iulius 2, L. Virginius 2. Athenienses 24. literis vti cœperunt, quum antea 16 tantum literas haberent.
3797	8	T. Quintius, Cn. Iulius. Socrates venenum bibit.
3798	9	L. Papyrius 2, L. Iulius. Templum Ephesinum denuo incensum. Socratici clari habentur.
3799	10	L. Sergius 2. Hostius Lucretius. Diogenes Cynicus agnoscitur.
3800	11	A. Cornelius, T. Quintius 2. Speusippus insignis habetur.
3801	12	C. Seruilius, L. Papyrius. Dionysius in tyrannide perseuerat.
3802	13	C. Sempronius, Q. Fabius. Macedonum 17, Argæus, anno 1.
3803	14	Anno Vrbis 360. A. Cornelius, L. Furius. Eudoxus astrologus agnoscitur.
3804	15	Q. Fabius, C. Furius. Macedonum 18, Amyntas 3, annis 18.
3805	16	M. Papyrius, C. Nautius. Galli Senones Romam inuaserunt, excepto Capitolio. Plato philosophus agnoscitur.
3806	17	M. Æmylius, C. Valerius. Ægyptiorum, Psammutes. anno 1.
3807	18	C. Cornelius, L. Furius. Ægyptiorum, Nepherites mensibus quatuor.
3808	19	L. Lucretius, Ser. Sulpicius. Ægyptiorum, Nectanabus annis regnauit 18.
3809	20	L. Valerius, M. Manlius.
3810	21	His cõsulibus, post Vrbem captam redeũtes
3811	22	Gallos dux Romanus
3812	23	nomine Camillus extinxit: de quibus triumphãs in Vrbe, quasi & ipse patriæ conditor, Romulus meruit nuncupari. Tunc dignitates mutatæ sunt, & in loco Cõsulum per annos 17, tribuni militares fuerunt. Quibus ob insolentiam regiminis per annos 4 potestas Consulum Tribunorũq; cessauit. Deinde rursus tribunis militantes est administrata respublica. Post annos 24 reuersa est dignitas consularis.
3813	24	Anno Vrbis 370.
3814	25	Magno terræmotu Elice & Bura Peloponesi
3815	26	vrbes absorptæ sunt.
3816	27	Prænestini à Romanis
3817	28	victi apud flumen Allia, per Quintium Cincinnatum. Esther historia scribitur, teste Hieronymo.
3818	29	Athenienses, principes Græciæ facti.
3819	30	Socrates rhetor.
3820	31	Plato & Xenophon, nec
3821	32	non & alii Socratici clari habentur.
3822	33	Macedonum 19, Alexander, anno vno.
3823	34	Anno Vrbis 380. Ma-
3824	35	cedonum 20, Ptolemæus Alorites, Alexãdri interfector, annis quatuor regnauit.
3825	36	Ægyptiorum, Theo regnauit annis duobus.
3826	37	Hic cessauit potestas Tribunorum simul & Consulum per annos 4, testante Cassiodoro Dionysius rex Siciliæ 18 anno moritur. Post Dionysium regem Siciliæ iunior Dionysius regnum inuadit.
3827	38	Theo rex Ægypti fugit in Arabiam. Post quem Perdiccas annis regnauit sex.
3828	39	Aristoteles 18 annum ætatis gerẽs, Platonis auditor fuit. Dynastia 30

stia 30 Ægyptiorum, Nectanebus, annis octodecim.

Anni mundi,	*Anni Mne.*
3829	40

Hucusque à Phacea rege Israel, sub quo Salmanassar multa millia populi vastauit, tractat Hieronymus captiuitatem decem tribuum Israel annis 390 super prophetam Ezechielem.

OCHVS.

PErsarum 12, Artaxerxes, qui & Ochus, annis 26 regnauit.

Anni mundi,	*Anni Ochi,*
3830	1

Hic iterum administrata est à Tribunis respublica per 3 annos. Tempore Ochi immensa per cõtinuum bienniũ Romanos pestis afflixit: sequentiq; anno sequutũ est satis triste prodigium, siquidem in medio vrbis Romæ terra dissiliit, vastoq; prærupto hiãtia subito patuerunt inferna. Quod quum diutius ita maneret, terrorẽq; cunctis incuteret; tãdem interpretãtibus auspicibus, quod noui hominis sepulturam expectaret, M. Curtius eques Romanus sese in id barathrũ armatus proiecit: sicq; cõclusum est.

3831	2	Alexander Pheræus.
3832	3	Camillus Gallos qui bellum Romanis intulerant, superat.
3833	4	Anno Vrbis 390. Hic reuersa est dignitas iterum consularis.

Macedonum 21, Philippus, annis 26.

3834	5	Æmilius Mamercus, & L. Sextius, primus ex plebe consul.
3835	6	Q. Seruilius, L. Genutius. Demosthenes orator agnoscitur.
3836	7	C. Sulpicius Peticus, C. Licinius Stolo Caluus.
3837	8	C. Genutius, L. Æmylius. Ochus, apodasmo Iudæorum capta; in Hyrcaniam accolas translatos iuxta mare Caspium collocauit.
3838	9	Q. Seruilius Hala 2, L. Genutius Auentinensis.
3839	10	C. Sulpicius 2, C. Licinius 2. Dionysius Sicilia pellitur.
3840	11	M. Fabius 5, C. Petilius. Alexander Philippi & Olympiadis filius nascitur.
3841	12	M. Popilius 2, & Cn. Mãlius. Dionysius Syracusis interficitur.
3842	13	C. Fabius, C. Plautius. Hipparinus Dionysii filius Syracusis tyrannidem exercet.
3843	14	Anno Vrbis 400. Caius Marcius, Cn. Manlius. Herinna poetrix agnoscitur. Ochus rex Ægyptum tenuit.
3844	15	M. Fabius 2, M. Popilius Lenas 2. Nectanabo in Æthiopiam pulso, in quo Ægyptiorum regnum destructum est.
3845	16	C. Sulpicius 3, M. Valerius Publicola.
3846	17	M. Fabius 3, T. Quintius. Ochus Sidonem subuertit, & Ægyptum suo iunxit imperio.
3847	18	C. Sulpicius, M. Valerius. Demosthenes orator omnium rumore celebratur.
3848	19	P. Valerius, C. Marcius. Romani Gallos superant. Dionysius Corinthum sub fœdere nauigauit.
3849	20	C. Sulpicius, T. Quintius. Plato moritur, post quem academiam Speusippus tenuit.
3850	21	M. Popilius 3, L. Cornelius. Romani quum Samnitas duobus præliis cæcidissent, vniuersos cõfines suos qui à societate discesserãt, in ditionem primam redigunt.
3851	22	L. Furius Camillus, Appius Claudius Crassus.
3852	23	M. Valerius Publicola, M. Popilius Lenas 4.
3853	24	Anno Vrbis 410. T. Manlius, C. Plautius. Dionysius è Corintho expulsus.
3854	25	M. Valerius, C. Petilius. Descriptione Romæ facta, inuenta sunt ciuium 160000.
3855	26	M. Fabius, Ser. Sulpicius.

ARSAMES.

PErsarum 13, Arses vel Arsames, Ochi filius, regnauit annis 4.

Anni mundi,	*Anni Ars.*
3856	1

Marcius 3, T. Manlius 2. Iudæorum pontifex maximus Iaddus clarus habetur.

3857	2	M. Valerius 3, A. Cornelius. Speusippus moritur, cui successit Xenocrates.
3858	3	Q. Seruilius 3, C. Marcius Rutilius 4.
3859	4	L. Æmylius, C. Plautius 2. Macedonum 22, Alexander, Philippi filius, annis 12, mensibus 6.

DARIVS III.

PErsarum 14, Darius Arsamis filius, regnauit annis 6.

Anni mũdi,	*Anni Dar.*
3860	1

T. Manlius 3, P. Decius Manasses frater Iaddi pontificis Iudæorum templum in monte Garizim constituit.

3861	2

T. Æmylius, Q. Publilius. Alexander aduersus Illyricos & Thraces feliciter dimicans, subuersis Thebis, in Persas arma corripuit, & apud Cranicum flumen, regis ducibus oppressis, vrbem Sardis capit.

3862	3

L. Furius 2, C. Menius. His consulibus, rostra nauium de Antiatibus in foro fixa sunt. Romanorum consul Manlius Torquatus filium suum, quia contra imperium in hostes pugnauerat, virgis cæsum securi percussit, teste Cassiodoro.

3863	4

Anno Vrbis 420. C. Sulpicius, P. Ælius. Alexander capta Tyro Iudæam inuadit, à qua fauorabiliter exceptus Deo victimas immolat, & pontificem templi honoribus plurimis prosequitur, Andromacho locorum custode dimisso, quem postea Samaritani interfecerunt: ob quæ ab Ægypto reuersus, Alexander Magnus eos suppliciis affecit: & vrbem eorum captam, Macedonibus inhabitandam tradidit.

3864	5

L. Papyrius Crassus, Cæso Duillius Helua.

3865	6

M. Valerius 4, M. Attilius. Alexandria in Ægypto cõdita. Latini à Romanis perdomiti sunt. Alexander Babylonem obtinuit, interfecto Dario, in quo regnum Persarum destructum est, quod stetit annis 231 à vigesimo anno Artaxerxis, id est post 25 annum. Persæ regnauerunt hucusque annis 116.

ALEXANDER.

PErsarum 15, Alexander regnauit in anno 7 regni sui super Asiam, 6 annis post mortem Darii, nam antea 6, & tenet omnia 12 annis.

Anni mũdi,	*Anni. Alex.*
3866	1

T. Veturius. Sp. Posthumius, Anaximenes & Epicurus clari habentur.

Anni mundi.	*Anni Alex*
3867	2

L. Cornelius, Cn. Domitius. His consulibus, pax cum Alexandro rege Epiri facta est. Alexander Hyrcanos & Mardos capit, reuertensq; in Ammone condidit Parætonium.

3868	3

T. Valerius, M. Claudius. Alexander Ornim petram capit.

3869	4

L. Papyrius 2, L. Plautius. Bellum Alexandri in India aduersum Porum & Taxilem. Harpalus fugit in Asiam, vt multi putant.

3870	5

L. Æmylius, C. Plautius. Romani Samnitas subigunt, & colonias deducunt. Alexãdri tempore luna defecit in Arabia, hora noctis 2.

3871	6

P. Cornelius P. Plautius. Alexander vsq; Oceanum victoriis potius quam bellis peruenit: ad Babylonem reuersus, 32 vitæ anno, regni autẽ 12, veneni hausto obiit. Post quem translato in multos imperio, Ægyptum Ptolemæus Lagi filius tenuit; Macedonas Philippus, qui & Aridæus, frater Alexãdri, annis 7; Syriam & Babyloniam, & omnia regna Orientis, Seleucus Nicanor; Asiæ regnauit Antigonus: qui apud Danielem per quatuor hirci cornua quæ Arietem contrahebant, designantur.

PTOLEMÆVS.

AEgyptiorum primus regnauit Ptolemæus, Lagi filius, annis 40. Macedonibus regnauit Philippus, qui & Aridæus frater Alexandri, annis septem.

Anni mundi,	*Anni Ptol.*
3872	1

L. Cornelius, Q. Publilius 2. Appius Claudius Romæ clarus habetur, qui Aquam Claudiam induxit, & viam Appiam strauit. Lydiam, Thraciam & Hellespõtum Lysimachus tenuit. Macedonum duces in seditionem versi. Agathocles Syracusis tyrannidem exercet.

3873	2

Anno Vrbis 430. L. Papyrius, C. Petilius 3. His consulibus, Alexandria in Ægypto condita. Lamiacum bellum motum. Perdicca contra Ægyptum dimicat.

3874	3

L. Furius 3, D. Iunius. Ptolemæus Lagi filius, Hierosolymis & Iudæa in ditionem suam redactis, plurimos captiuorum in Ægyptum trãstulit.

3875

| *Anni mundi,* | *Anni Ptol.* |

| 3875 | 4 | C. Sulpicius, Q. Ælius Iudæorum pōtifex maximus, Onias Iaddi filius, clarus habetur. Menander primam fabulam docens superat. Theophrastus philosophus agnoscitur, qui ob diuinitatem loquendi (vt ait Cicero) nomen accepit.

¶ Primus Asiæ regnauit Antigonus 10 annis octodecim.

| 3876 | 5 | Q. Fabius, L. Fuluius. Demetrius Phalereus habetur illustris hoc tempore.

| 3877 | 6 | T. Veturius 2, Sp. Posthumius 2. Romanos Samnitæ diutissime contra se pugnātes, captis ambobus consulibus, ad extremam seruitutem per annum subigunt.

| 3878 | 7 | L. Papyrius 2, Q. Publilius 3. His consulibus, (teste Orosio) Romani duce Papyrio cōsule Samnitas bello vicerunt, captoq; eorum duce seruitutis iugum abiecerunt. Macedonum 24, Cassander, annis nouemdecim.

| 3879 | 8 | L. Papyrius cursor 3, Q. Ælius Cæritanus 2.

| 3880 | 9 | M. Follius, L. Plautius 2. Romani Marsos, Vmbros, & Pelignos superant. Romani colonias deducunt. Lysimachia in Thracia condita.

| 3881 | 10 | Q. Æmylius, C. Iunius. Cyprum Ptolemæus inuasit. Theodorus atheo philosophus Athenis cognoscitur.

| 3882 | 11 | Sp. Naucius Rutilius, M. Popilius Lenas.

| 3883 | 12 | Anno Vrbis 440. L. Papyrius 4, Q. Publilius 4. Demetrius Phalereus ad Ptolemæum veniens impetrauit, vt cum Atheniēsibus demum in gratiam rediret.

| 3884 | 13 | C. Sulpicius, M. Petilius. Syriæ, & Babylonis, & superiorum locorum populos regnauit Seleucus Nicanor, annis 32.

| 3885 | 14 | L. Papyrius 5, C. Iunius. Machabæorum Hebræa historia. Hinc Græcorum supputant regnum: verum hi libri inter diuinas Scripturas non recipiuntur.

| 3886 | 15 | M. Valerius, P. Decius. His cōsulibus, per Appium Claudium cēsorem via facta, & aqua inde ducta est, quæ ipsius nomine nuncupatur, teste Cassiodoro.

| *Anni mundi,* | *Anni Ptol.* |

| 3887 | 16 | Q. Æmylius Barbula 2, C. Iunius Brutus 3.

| 3888 | 17 | Q. Fabius Rutilianus 2, C. Marcius Rutilius.

| 3889 | 18 | Q. Fabius Rutilianus 3, P. Decius Mus 2.

| 3890 | 19 | Appius Claudius Crassus, L. Volumnius Flamma.

| 3891 | 20 | P. Cornelius, Q. Marcius. His consulibus, viæ per agros publicæ factæ. Seleucus Antiochiam, Laodiceam, Seleuciam, Apameam, Edessenam, Berrhœam, & Pellam, vrbes hoc tempore condidit.

| 3892 | 21 | L. Posthumius Megellus, T. Minutius Augurinus.

| 3893 | 22 | Anno Vrbis 450. P. Sulpicius, P. Sempronius.

| 3894 | 23 | Ser. Cornelius, L. Genutius. His consulibus, Seleucus Antiochiam 12 anno regni sui extruxit.

| 3895 | 24 | C. Æmylius, M. Liuius. Seleucus Babyloniam obtinuit.

| 3896 | 25 | M. Valerius, Q. Apuleius.

¶ Asiæ, 2 Demetrius, qui & Poliorcetes, annis 17. Iudæorum pontifex maximus, Simon Oniæ filius, clarus habetur: cui cognomētum Iusto fuit propter sollicitam in Deum religionem, & in ciues pronam clementiam,

| 3897 | 26 | T. Manlius Torquatus, & M. Fuluius.

| 3898 | 27 | L. Cornelius, Cn. Fuluius. Macedonum, filius Cassander annis quatuor regnauit.

| 3899 | 28 | Q. Fabius 4. P. Decius. Demetrius rex Asiæ cognomento Poliorcetes Samaritanorum vrbem vastat, quam Perdiccas antea construxerat.

| 3900 | 29 | Appius Claudius 2, L. Volumnius Flamma 2.

| 3901 | 30 | Q. Fabius 5, P. Decius. Censu Romæ agitato inuenta sunt ciuium Romanorum 240000.

| 3902 | 31 | L. Posthumius 2, M. Attilius. Legati Alexandrini à Ptolemæo primū Romam missi amicitiam impetrauerunt. Macedonum, Demetrius annis sex regnauit.

| 3903 | 32 | Anno Vrbis 460. L. Papyrius, Sp. Caruilius. Menander comicus moritur.

| 3904 | 33 | Q. Fabius. D. Iunius. Ro-

mani Gallos Tyrrhenosque ſuperant, & Sabinorum terra diuiditur.

| *Anni mundi,* | *Anni Ptol.* |

|3095| 34 | Dolabella & Domitius. Lucani, Brutii, Samnites quoq; cum Hetruſcis & Senonibus Gallis ſocietatē ineunt contra Romanos bellantes. Tunc etiā à Gallis in bello Cæcilius prætor cum exercitu oppreſſus interiit: ſeptem præterea tribuni, multiq; nobiles trucidati, & 18000 militum Romanorū occiſa ſunt: totis pene opibus ſuis Roma detrita eſt.

|3906| 35 | L. Poſthumius, C. Iunius. Seleucus in eas vrbes quas extruxerat, Iudæos transfert, ius eis ciuiū & municipalem ordinem cum Græcis æquali honore concedens.

|3907| 36 | P. Cornelius Rufinus, M. Curius Dentatus.

|3908| 37 | M. Valerius, Q. Cæditius. Iudæorum pontifex Eleazarus frater Simonis ſuſcepit templi miniſterium, filio Simonis Onia paruo derelicto. Macedonum, Pyrrhus annis 7, menſibus ſex.

|3809| 38 | Q. Marcius 2, P. Cornelius 2. Seleucus, in Sicilia capto Demetrio, Syriæ & Aſiæ pariter imperauit. Macedonum, Lyſimachus annis quinque regnauit.

|3910| 39 |M. Marcellus, C. Naucius. Serapis ingreſſus eſt Alexādriam vrbem.

|3911| 40 | M. Valerius, C. Ælius. Condita à Romanis Ariminum & Beneuentum.

PHILADELPHVS.

AEgyptiorum 2, Ptolemæus Philadelphus, regnauit annis 38.

| *Anni mundi.* | *Anni Phil.* |

|3912| 1 | C. Claudius, M. Æmylius. Soſtratus Cnidius Pharum in Alexandria conſtruxit. Antigonus cognomento Gonatas Lacedæmonem obtinuit. Romani Crotonem capiunt. Demetrius ſeipſum Seleuco tradidit.

|3913| 2 | Anno Vrb. 470. C. Seruilius, L. Cæcilius. Is Ptolemæus Philadelphus Iudæos qui in Ægypto erāt, liberos eſſe permiſit: vaſa Eleazaro pōtifici Hieroſolymorum votiua tranſmittens, diuinas Scripturas in Græcam vocem ex Hebræa lingua per Septuaginta interpretes transferri curauit, quas in Alexandrina bibliotheca habuit, quam ex omni genere literarum cōparauerat. Macedonum, Ptolemæus cognomento Ceraunus, anno 1. Meleagrus, menſib. 2. Antipater, dies quadraginta quinq;. Poſt quem Soſthenes, annis 2.

| *Anni mundi,* | *Anni Phil.* |

|3914| 3 | P. Cornelius Dolabella, Cn. Domitius Caluus.

|3915| 4 | C. Fabricius, Q. Æmylius. Tantæ autem potentiæ fuiſſe narratur Ptolemæus Philadelphus, vt Ptolemæum patrem vinceret. Narrant enim hiſtorię, eum habuiſſe peditum 200000, equitum 20000, curruū 2000, elephantes quos primum adduxit ex Æthiopia, 400, & his ſimilia.

Syriæ & Aſiæ poſt Seleucum regnauit Antiochus Soter, annis nouemdecim.

|3916| 5 | L. Æmylius Barbula, Q. Marcius Philippus.

|3917| 6 | P. Valerius, T. Coruncanus. Antigonus Gonatas annis triginta ſex regit Macedonas.

|3918| 7 | P. Sulpicius Auerrio, P. Decius Pyrrhicus.

|3919| 8 | C. Fabricius, Q. Æmylius 2. Vna virginum Romanarum in corruptione deprehenſa percutitur.

|3920| 9 | P. Cornelius Rufinus 2. C. Iunius Brutus 2.

|3921| 10 | Q. Fabius 2, C. Genutius. Milo Tarentum Romanis tradidit.

|3922| 11 | M. Curius Dentatus 2, L. Cornelius Lentulus.

|3923| 12 | Anno Vrbis 480. Ser. Cornelius, M. Curius 3. Romani Calabriam Meſſenamq; tenuerunt.

|3924| 13 | C. Fabricius 3, C. Claudius. Aratus agnoſcitur.

|3925| 14 | L. Papyrius 2, Sp. Carnilius. Argenteus nummus primum in vrbe figuratur.

|3926| 15 | C. Quintius, L. Genutius. Polemo philoſophus moritur: poſt quem Arceſilaus & Crates clari habentur.

|3927| 16 | L. Genutius Clepſina 2, Cn. Cornelius Aſina.

|3928| 17 | P. Sēpronius, Ap. Claudius. Romani colonias deduxerunt.

|3929| 18 |M. Attilius, L. Iulius. Romanis multæ vrbes in Sicilia iunctæ.

3930

Anni mundi,	*Anni Phil.*	
3910	19	M. Fabius, Decius Iunius. Sanguis è terra, & lac de cœlo visum est manare.
3931	20	Appius Claudius, Q. Fuluius. Romani Syracusas capiunt.
3932	21	M. Valerius, M. Octacilius. Romæ virgo Vestalis in stupro detecta laqueo vitam explet.
3933	22	Anno Vrb. 490. L. Posthumius, Q. Mālius 2. Zeno Stoicus moritur: post quem Cleanthes.
3934	23	L. Valerius, L. Octacilius. Nicomedes rex Bithyniæ vrbem amplians, Nicomediam nuncupauit.
3935	24	Cn. Cornelius, C. Duillius. ¶ Syrię Antiochus qui vocatur Theos, annis 15.
3936	25	C. Aquilius, L. Cornelius Romani Carthaginenses nauali certamine superant, & centum Libyæ vrbes capiunt.
3937	26	C. Sulpicius Paterculus, A. Atilius Calatinus.
3938	27	C. Cornelius Blæsus, M. Attilius Serranus 2.
3939	28	Q. Cæditius, L. Manlius. Erasistratus medicus agnoscitur.
3940	29	M. Æmylius, Ser. Fuluius. Antigonus Athenienſibus reddit libertatem.
3941	30	C. Cornelius, A. Attilius. Iudæorum pontificatum post Eleazarum auūculus eius Manasses accepit.
3942	31	Cn. Seruilius Cæpio, C. Sempronius Blæsus.
3943	32	Anno Vrbis 500. C. Aurelius, P. Seruilius.
3944	33	L. Cæcilius, M. Furius. Carthaginenses nonaginta Romanorum naues in Sicilia capiunt. Asdrubal Pœnus à Furio Metello consule in fugam versus est.
3945	34	S. Attilius regulus, L. Manlius Volso.
3946	35	Appius Claudius Pulcher, L. Iunius Pullus.
3947	36	P. Seruilius 2, C. Aurelius 2. Parthia Macedonum imperio recedunt.
3948	37	L. Lucilius, C. Fabius. Primus regnauit Arsaces, vnde & Arsacidæ dicti.
3949	38	M. Fabius Licinius, M. Octacilius Crassus 2.

EVERGETES I.

A Egyptiorum 3, Ptolemæus Euergetes, regnauit annis 26.

Anni mundi,	*Anni Euer.*	
3950	1	M. Fabius, C. Attilius. Iudæorum pontifex Onias, Simonis iusti filius, clarus habetur, qui consueta tributa non reddens Ptolemæo, iram eius impulit. Verum Iosephus vir nobilis inter suos, legatus à Iudæis ad Ptolemæum missus, quum familiaritatem regis ob plurima in eum meruisset obsequia, dux Iudææ & regionum finitimarum constituitur. ¶ Syriæ, Seleucus Gallinicus annis 20.
3951	2	A. Manlius Atticus, C. Sempronius Blæsus 2.
3952	3	C. Fundanus, C. Sulpicius. Censu Romæ agitato inuenta sunt hominum 260000.
3953	4	Anno Vrbis 510. C. Luctatius, A. Posthumius. Romæ templum Vestæ incensum.
3954	5	Q. Luctatius, A. Manlius 2. Macedonum, Demetrius annis 10.
3955	6	C. Claudius Cento, M. Sempronius. Tarenti nascitur Q. Ennius poeta, qui à Catone quæstore Romæ translatus habitauit.
3956	7	C. Manlius, Q. Valerius. His autem cōsulibus, ludis Romanis primum tragœdia & comœdia data, teste Cassiodoro.
3957	8	T. Sempronius Gracchus, P. Cornelius Falco.
3958	9	L. Cornelius, Q. Fuluius. Bellū Ligusticum.
3959	10	C. Licinius, P. Cornelius. Portenta magna fuerunt.
3960	11	T. Manlius, C. Attilius 2. Templum Iani Romæ clausum fuit.
3961	12	L. Posthumius, Sp. Caruilius. Virgo Vestalis à seruuo corrupta se manu interemit.
3962	13	Q. Fabius Max. Verrucosus, & M. Pomponius Matho.
3963	14	Anno Vrbis 520. M. Lepidus, M. Oblitus. Iudæorum pontifex Simon Oniæ filius clarus habetur: sub quo Iesus filius Syrach Sapientiæ librum composuit, quem vocant Paræneton: ibi Simonis in eo fecit mentionem.
3964	15	C. Papyrius, M. Pomponius. Macedonum, Antigonus annis quindecim regnauit.

Anni mundi,	*Anni Euer.*	
3965	16	M. Pomponius 2, C. Papyrius. In anno 15 Ptolemæi Euergetis, Dominica natiuitas secundum Hebræos proueniti sed anni 3952 à capite mundi, hoc est in 15 Cal. April. vsque ad natiuitatem Domini iuxta Hebræos supputantur. Hæc Beda.
3966	17	M. Æmylius, M. Iunius. His cõsulibus, Amilcar Hannibalis pater, in Hispania bellum Romanis parans, occisus est: qui solebat dicere, se quatuor filios contra prælium velut catulos leoninos educare, teste Cassiodoro senatore.
3967	18	L. Posthumius Albinus 2. Cn. Fuluius Centumalus.
3968	19	Q. Fabius Max. Verrucosus 2. Sp. Caruilius.
3969	20	P. Valerius, M. Attilius. Ferme 40000 Gallorum à Romanis cæsa sunt.
3970	21	L. Apustius, M. Valerius. Pontifices Gallum, Gallam, & Græcam, viuos defoderunt.
3971	22	C. Attilius, L. Æmylius.
		¶ Syriæ Seleucus Ceraunus, annis 3.
3972	23	T. Manlius Torquatus 2, Q. Fuluius Flaccus 2.
3973	24	Anno Vrbis 530. C. Flaminius, P. Furius. His consulibus, via Flaminia munita, & circus factus qui Flaminius appellatur teste Cassiodoro. Caria & Rhodus ita sunt concussæ terræmotu, vt colossus magnus rueret.
3974	25	M. Marcellus, Cn. Cornelius Scipio Caluus.
3975	26	P. Cornelius Asina, M. Minutius Rufus.
		¶ Syriæ & Asiæ, Antiochus Magnus regnauit annis 36.

PHILOPATOR.

AEgyptiorum 4, Ptolemæus Philopator, regnauit annis 17.

Anni mundi,	*Anni Phil.*	
3976	1	M. Liuius, L. Æmylius. Hannibal Amilcaris filius in Hispania bellum molitur.
3977	2	P. Cornelius, T. Sempronius. Ea quæ in tertio Machabæorũ libro scripta sunt, sub hoc principe gesta referuntur. Macedonum, Philippus annis 42 regnauit.

Anni Chr.	*Anni Phil.*	
3978	3	Cn. Seruilius Gemini⁹, C. Quintius Flaminius 2.
3979	4	L. Æmylius Paulus 2. C. Terentius Varro. Cannensis pugna.
3980	5	T. Sempronius, Q. Maximus 3. Victi Iudæi, & 40000 armatorum ex eorum numero cæsa.
3981	6	Q. Maximus 4, M. Marcellus 2. Pœni à Maximo cæsi. Romæ virgines Vestæ ob stupri reatum terra obrutæ sunt. Marcellus Syracusas capit.
3982	7	Q. Maximus, 5. T. Gracchus 2. Eratosthenes agnoscitur.
3983	8	Anno vrbis 540. Q. Fuluius Flaccus 3, Appius Claudius.
3984	9	P. Sulpicius, Cn. Fuluius. Romani subiugant Capuam & Siciliam.
3985	10	M. Marcellus 4. M. Valerius Leuinus 2. Antiochus rex Syriæ victo Philopatore Iudæam sibi sociat. Leuinus cum rege Asiæ Attalo amicitiam facit.
3986	11	Q. Fabius 5, Q. Fuluius 4. Tarẽtum receptum.
3987	12	M. Marcellus 5, T. Quintius Marcellus cadit.
3988	13	C. Claudius Nero, M. Liuius Salinator, ad quem Lacedæmoniorum rex Arius legatos mittit.
3989	14	L. Veturius Philo, Q. Cæcilius Metellus.
3990	15	P. Scipio, P. Crassus. Scipio multas Iberiæ vrbes recepit.
3991	16	M. Cornelius, T. Sempronius Catonis quæstura.
3992	17	Cn. Seruilius Cæpio, Cn. Seruilius Geminius.

EPIPHANES.

AEgyptiorum 5, Ptolemæus Epiphanes, annis 24 regnauit.

Anni mundi,	*Anni Epip.*	
3993	1	Anno Vrb. 550. M. Seruilius, T. Claudius Nero. Epiphanes Scopa principe militiæ destinato Iudęam capit. Næuius comicus Vticæ moritur.
3994	2	Cn. Cornelius, P. Ælius Pætus. Scipio de Carthaginensibus triumphat. Terent. pileatus post currum sequutus.
3995	3	Ser. Sulpicius, C. Aurelius pulsus Roma factione nobilium ac præcipue Metelli.

3996

Anni mundi,	*Anni Epip.*	
3996	4	L. Cornelius, P. Iulius Plautus ex Sarsina Vmbriæ Romæ moritur, qui propter annonæ difficultatem ad molas manuarias pistori se locauerat: ibi quoties ab opere vacaret, scribere fabulas & vendere solitus erat.
3997	5	Sext. Ælius Pętus, T. Quintius. Iuxta Theram apparuit insula quæ vocatur Hieras.
3998	6	Cn. Cornelius, Q. Minutius. Antiochus Scopa superato Syriæ vrbes recepit, & Iudęæ voluntate coniungitur.
3999	7	L. Furius, M. Marcellus. Seditio seruorum compressa.
4000	8	Quarto millenario mundi. L. Valerius, M. Porcius Cato. Lex Oppia abrogata. Romani Græcos liberos esse iusserunt, & vniuersa Iberia imperata fecit.
4001	9	P. Scipio 2, T. Sempronius. Antiochus, Iudæorum erga se cognita voluntate, magnis eos muneribus affecit, & per epistolas crebris laudibus prosequitur.
4002	10	L. Quintius Flaminius, Cn. Domitius Ænobarbus.
4003	11	Anno vrbis 560. P. Scipio Nasica, M. Attilius. Post pręliũ quo in Thermophylis est victus Antiochus, hoc inter Romanos & eum tunc conuenit, vt mille talenta per annos singulos vectigalis nomine eis solueret.
4004	12	L. Cornelius Scipio Asiaticus, C. Lælius Aphricanus.
4005	13	M. Fuluius, Cn. Manlius. Romani multas colonias deduxerunt.
4006	14	M. Messala, C. Liuius Salinator. Antiochus in amicitiam Ptolemæi regressus, pacem cum eo facit, & Cleopatram filiam suam vxorem ei tradidit, ac dotis nomine Syriam, Phœnicem, Samariam, Iudæamq; concedit.
4007	15	M. Lepidus, C. Flaminius. Eumenes frater regis Attali, qui Eumeniam in Phrygia condidit, clarus habetur.
4008	16	Sp. Posthumius, Q. Marcius. His consulibus, athletarũ certamina primum à Fuluio condita, teste Cassiodoro. Secundus liber Machabæorum apud Iudæos huius temporis gesta continet.
4009	17	Appius Claudius. M. Sempronius. T. Liuius Tragœdiarũ scriptor, Liuij Salinatoris libertus, clarus habetur.

¶ Syriæ & Asiæ Seleucus, qui & Philopator, annis 12.

Anni mundi,	*Anni Epip.*	
4010	18	P. Claudius, L. Porcius. Quum ab Antiocho per legatos Hannibal reposceretur, cui se à Scipione victus sociauerat, ad Prusiam regem Bithyniæ transfugit.
4011	19	M. Claudius, Q. Fabius. His consulibus, Hannibal quum eum rursus per Flaminium etiam ab illo senatus repetereť, & tradendus esset, venenum bibit apud Libyssam Bithyniæ sepultus est.
4012	20	L. Paulus, Cn. Bebius. Simon præpositus templi Hierosolymorum, ad Apollonium dum confugisset, multis ei muneribus repromissis, sacerdotium sibi vẽdicare cœpit. Quo Seleucus audito, Heliodorum mittit ad negotium peruidendum: qui quum in Iudæam peruenisset, inique iudicans, & multa perperam gerens, diuinis aduersum se signis deterretur, & ad Seleucum reuertitur.
4013	21	Anno vrbis 570. P. Cornelius Lentulus, M. Bebius.
4014	22	A. Posthumius Albinus, Calphurnius Piso.
4015	23	L. Manlius, Q. Fuluius. Onias sacerdos curauit vt Simon profugus fieret.
4016	24	M. Manlius, M. Iunius. Hyrcanus Iosephi ducis Iudææ filius, quum ad Ptolemęum perrexisset, honorifice ab eo receptus est: verum fratres ei⁹ seditione contra eum mota, magnarum calamitatum Iudęæ genti causa extiterunt.

PHILOMETOR.

AEgyptiorum 6, Ptolemæus Philometor, annis regnauit 35.

Anni mundi,	*Anni Phil.*	
4017	1	T. Sempronius, C. Claudius. Statius Cæcilius comœdiarum scriptor clarus habetur, qui Gallus fuit, & Ennio familiaris: & anno post Ennij mortẽ ipse quoq; interijt.
4018	2	Cn. Cornelius Scipio, Q. Petilius Spado.
4019	3	M. Æmilius Lepidus, Q. Mutius Scæuola.
4020	4	Sp. Posthumius, Q. Mutius. Aristobulus natione Iudæus, Peripateticus philosophus agnoscitur: qui ad Phi-

lometorem Ptolemæum explanationum commentarios in Moſem ſcripſit.

¶ Syriæ & Aſiæ, Antiochus Epiphanes, annis 11.

Anni mundi,	*Anni Phil.*	
4021	5	P. Poſthumius, M. Popilius. Antiochus Epiphanes, quum de regione Ptolemæorum quam ſubito inualerat, Senatus præcepto receſſiſſet, in Iudęam venit, ibiq; Ieſu, qui & Iaſon, fratri Oniæ tradidit pontificatum.
4022	6	C. Popilius, P. Ælius. Bellum cum Perſeo.
4023	7	Anno vrbis 580. P. Licinius, C. Caſſius. Iaſone expulſo Oniam cognomento Menelaum ſucceſſorem ei dedit. Itaq; ob ſacerdotij dignitatem orta ſeditione inter principes, ingentium miſeriarum ſemina pullulauerunt.
4024	8	C. Hoſtilius Mancinus, C. Attilius Serranus.
4025	9	Q. Marcius Philippus 2, Q. Seruilius Cæpio.
4026	10	L. Æmylius Paulus 2, C. Licinius Craſſus.
4027	11	Q. Ælius, M. Iunius. Antiochus Epiphanes, anno 145 poſt regnum Seleuci, id eſt regni Græcorum (vt Ioſephus perhibet) die 25 mēſis Casleu, id eſt Decembr. ſecundum Macedones Apellen, cepit Hieruſalem, tulit 10000 captiuorum, deſtruxit muros: ac primum quidem omnium eorum prouinciam ad idolatriā compellens, qui parere noluerāt necat in ſacrario. Tūc ſeptem Machabæi cū matre ſub Antiocho iſto coronati ſunt martyrio, teſte Hieronymo & Euſebio. Poſtea vero Hieroſolymā aſcēdens, templum & vaſa Dei quæ myſterio fuerant cōſecrata, vaſtat; in templo Iouis Olympij ſimulacrū ponit; in Samaria ſuper verticē montis Garizim Iouis peregrini delubrū ædificat, ipſis Samaritanis vt id faceret precantibus. Verum in hoc tempore Matathias quidā, filius Ioannis Aſſamonæi, & de vico Modin, aduerſum Antiochi duces arma corripuit.
4028	12	M. Marcellus, C. Sulpicius, fultus auxilio filiorum, leges patrias vindicauit.
4029	13	Cn. Octauius, T. Manlius. Ennius poeta ſeptuagenario maior, articulari morbo perijt: ſepultuſque in Scipionis monumento, via Appia, intra primum ab Vrbe milliarium. Quidā oſſa eius ex Ianiculo translata affirmant.
4030	14	A. Manlius Torquatus, Q. Caſſius Longinus.
4031	15	T. Sempronius Gracchus, 2. M. Iuuentius Helua.
4032	16	P. Scipio Naſica, C. Marcius. Romani interfecto Macedone, Illyrios & Galatas liberos eſſe iuſſerunt.

¶ Syriæ & Aſiæ Antiochus Eupator, annis duobus.

4033	17	Anno Vrbis 590. M. Meſſala, C. Fannius. Iudæorum dux Iudas, qui & Machabæus filius Mathathiæ, Antiochi duces de Iudæa expellens, & templum abdolorum imaginibus emundans, patrias leges poſt triennium ſuis ciuibus reddidit olympiade 155.

¶ Syriæ & Aſiæ Demetrius Soter, annis regnauit 12.

4034	18	M. Cornelius, L. Anitius. Menelao pontifice Iudæorum à iuniore Antiocho occiſo, qui prius Iudęam Epiphani Antiocho prodiderat.

IVDAS.

Iudæorum dux Iudas annis regnauit tribus.

4035	19	Cn. Cornelius Dolabella, M. Fuluius Nobilior.
4036	20	M. Æmylius C. Popilius 2. His conſulibus metalla in Macedonia inſtituta.
4037	21	Sext. Iulius, L. Aurelius. Alcimus alienus à genere ſacerdotali, ambitione pontificatum inuadit. Ob quod Onias filius pontificis Oniæ in Ægyptum tranſmigrans, in Heliopolitano pago ciuitatem nominis ſui condidit, templo ad ſimilitudinem templi patrij conſtructo. Alcimus vero aduerſus Iudam inimicitias gerens, poſt non multum temporis Dei ira percuſſus interijt: ac ſic cum omnium Iudæorum fauore, Iudæ Machabæo ſacerdotium decernitur, qui dignitate ſuſcepta, legatos Romam dirigit. Decreuit Senatus, Iudæos amicos & auxiliatores Romanorum habendos.
4038	22	L. Lentulus, C. Marcius 2. Iudas aduerſum Demetrij duces inito prælio occiditur, tribus annis pontificatu geſto.
4039	23	P. Scipio 2, M. Claudius 2. Comœdiarum ſcriptor P. Terentius ob

ob ingenium & formam libertate donatus, in Arcadia moritur; qui primum Andriam antequam ædilibus venderet, Cælio multum se miranti legit.

Anni mundi,	*Anni Phil.*	
4040	24	L. Posthumius, Q. Opimius. Aristarchus grammaticus tunc temporis agnoscitur.
4041	25	Q. Fuluius, T. Annius. Hi cõsules primo magistratum inierunt Cal. Ian. propter subitum Celtiberiæ bellum, teste Cassiodoro.

IONATHAS.

Iudæorum dux Ionathas, frater Iudæ, Bacchide duce Demetrij Iudæa expulso, pontificatum suscepit.

4042	26	M. Marcellus 3, L. Valerius. Pacuuius Brũdusinus tragœdiarum scriptor clarus habetur, vixitq; Romæ, qui se ad picturam exercuit, ac fabulas venditauit, deinde Tarentum transgressus, prope nonagenarius diem obijt.
4043	27	Anno vrbis 600. L. Lucullus, A. Posthumius.
4044	28	L. Quintius, M. Acilius. Pseudophilippus regnauit in Macedonia anno vno.
4045	29	L. Marcius, M. Manlius Alexander Antiochi (qui Epiphanes cognominatus est) filius, Syriæ & Asiæ imperãs, Ionathan corona & multis magnisq; donis prosequitur.

¶ Syriæ & Asiæ, Alexander annis 9, mensibus sex.

4046	30	Sp. Posthumius, L. Piso. Romani interfecto Pseudophilippo Macedonas tributarios faciunt.
4047	31	P. Aphricanus, C. Liuius. Samaritani & Iudæi, Alexandriæ Ptolemęo iudicante, contendunt de honoribus ex vtraque parte templo suo deferendis, & superant Iudæi.
4048	32	L. Cornelius, L. Mummius. Lucilius poeta nascitur.
4049	33	Q. Fabius Maximus, L. Hostilius. Descriptione Romæ facta, inuenta sunt hominum 222000.
4050	34	Ser. Galba, L. Aurelius. Oppius Gallos capit.
4051	35	Appius Claudius, Q. Metellus. Carthago in ditionem Romanam per Scipionem redigitur, habens à condítione sui annos 668, vt vero alij affirmant, annos 768.

EVERGETES II.

A Egyptiorum 7, Ptolemęus Euergetes, annis 29 regnauit.

Anni mundi,	*Anni Euer.*	
4052	1	L. Metellus, Q. Maximus. Ionathas dux Iudæorum pariter & pontifex, cum Romanis & Spartiatis amicitias facit.
4053	2	Anno vrbis 610. Cn. Cæpio, Q. Pompeius Alexandro filio Balæ regis Syriæ Ptolemæus filiam suam tradit vxorem.
4054	3	Q. Cæpio, C. Lælius. Numantini subuersi.
4055	4	C. Piso, M. Popilius. Brutus Iberiam vsq; ad Oceanum subegit.

¶ Syriæ & Asiæ Demetrius, annis 3.

4056	5	P. Scipio, D. Brutus. Tryphon Antiochum occidit Alexandri filium. Ptolemæus Demetrio filiam suam tradit vxorem cum regno quod abstulerat Alexandro.
4057	6	M. Æmilius, C. Hostilius. Tryphon Ionatham pontificem Iudæorum interfecit, & in sacerdotium fratris Ionathæ Simon assumitur.
4058	7	P. Furius, Sex. Attilius. Tragœdiarum scriptor L. Accius clar⁹ habetur, natus Mancino & Serrano consulibus, parentibus Tyburtinis, & seni iam Pacuuio Tarenti sua scripta recitauit: à quo fundus Accianus iuxta Pisaurum dicitur, quia illuc inter colonos fuerat ex vrbe deductus.

SIMON.

Iudæorum dux, Simon, annis 8.

4059	8	Ser. Fuluius, Q. Calphurnius. His cõsulibus, Æmilianus Scipio ad Numantinum bellum, quum cãdidatus non esset, consul creatur. Tryphon, Syriæ regnum conatus inuadere, Antiocho filio Alexandri interfecto, ad extremum insuper & ipse moritur.

¶ Syriæ Antiochus Sedetes regnauit annis nouem.

4060	9	P. Aphricanus, C. Fuluius. Post Demetrium imperauit vniuersæ Syriæ frater eius Antiochus, qui cognominatus est Sedetes.
4061	10	C. Mutius, L. Calphurnius. Simoni Iudæorum Pontifici pariter & principi, Romani & Spartiatæ, legatio-

ne eius libenter excepta, amicabilia miserunt scripta.

Anni mundi,	*Anni Euer.*	
4062	11	P. Popilius, P. Sulpicius. Bellum ciuile ortum in Sicilia.
4063	12	Anno vrbis 620. P. Crassus, L. Valerius. Primus liber Machabæorum huius temporis historiam continet.
4064	13	Appius Claudius, M. Perpenna. Antiochus Sedetes, rex Syriæ, aduersus Iudæam arma corripiens, & Hierosolymam vallo circũdans, cum ad conditiones pontificem Simonem compulisset, recedit, olympiade 162.
4065	14	C. Sempronius, M. Aquilius. Simon Iudæorum pontifex interficitur, cui succedit filius suus Ioannes.
4066	15	Cn. Octauius, T. Annius. Attalus moritur: regni sui populum Romanum instituit hæredem.
4067	16	L. Cassius, L. Cinna. Ptolemęus expulsus Ægypto. Arsaces Parthus Antiochum interfecit.

HYRCANVS.

Iudæorum rex Hyrcanus, qui & Ioannes, annis 26 regnauit.

4068	17	M. Æmilius, L. Aurelius. Serui qui in Sicilia rebellabant, obsidionis necessitate compulsi, ad sua inuicem cadauera voranda conuersi sunt.

¶ Syriæ & Asiæ, Demetrius, annis 4.

4069	18	M. Plautius, M. Fuluius. Aruerni nobilissima Galliarum vrbs capta fuit.
4070	19	C. Cassius Longinus, Sex. Domitius Caluinus.
4071	20	Q. Cæcilius, T. Quintius. Ioannes dux Iudæorum & pontifex, aduersum Hyrcanum bellum gerens, Hyrcani nomen accipit, & à Romanis ius amicitiæ postulans, decreto Senatus inter amicos relatus est.

¶ Syriæ & Asiæ Antiochus Gryphus regnauit annis 12.

4072	21	Cn. Domitius, C. Fannius. Sextius oppidum ædificauit, in quo Aquæ Sextiæ in Gallijs.
4073	22	Anno vrbis 630. L. Opimius, Q. Fabius Maximus.
4074	23	P. Manlius, C. Papyrius Balbus. Gracchi interitus.
4075	24	L. Cæcilius, L. Aurelius. Narbona colonia facta est.
4076	25	M. Porcius Cato, Q. Marcius. Hyrcanus pontifex Iudæorũ Samariam (quæ nostro tempore Sebaste vocatur) obsidione captam solo æquauit: quã postea Herodes instaurans, Sebasten in honorem Augusti appellari voluit.

Anni mundi	*Anni Euer.*	
4077	26	L. Cæcilius Metellus. Q. Mutius Scæuola.
4078	27	C. Licinius Geta, Q. Maximus Eburnus.
4079	28	M. Æmilius Scaurus, M. Cæcilius Metellus.
4080	29	M. Metellus, Cn. Domitius. Censores artem ludicram ex Vrbe remouerunt, præter Lacinium tibicinem cum cantore & ludum talarium. M. Terentius Varro philosophus & poeta nascitur.

SOTER.

AEgyptiorum 8, Ptolemæus Physcon, filius Cleopatræ, qui & Soter vocatus, regnauit annis septemdecim.

Anni mundi,	*Anni Soter.*	
4081	1	M. Acilius Balbus, & C. Porcius Cato. Census actus. Censa sunt ciuium capita quadringẽta quatuor millia & quadringenta triginta sex.
4082	2	C. Cæcilius, C. Papyrius Carbo. Thraces Romanis subiiciuntur. Cymbri Illyricum inuaserunt, & Carbonem vicerunt.
4083	3	Anno Vrbis 640. M. Liuius Drusus, L. Piso.

¶ Syriæ & Asiæ Antiochus Cizicenus annis regnauit 19.

4084	4	P. Scipio Nasica, L. Calpurnius Bestia. Antiochus Cyzicenus Grypho eiecto Syriam obtinuit: ac rursum Gryphus superato Cyziceno eandem recepit: ita ex successione regnabãt aduersum sese dimicantes inuicem. Bellum Iugurthinum hic cœptum.
4085	5	Sp. Posthumius Albinus, M. Minutius Rufus.
4086	6	Q. Cæcilius Metellus, M. Iunius Syllanus. Iugurtha contra Romanos dimicãs capitur, & Numidia Romanis addita.
4087	7	Ser. Sulpicius, M. Æmilius. Rhodo terræmotu cõcussa, Colosso ruit.
4088	8	L. Cassius, C. Marius, Ionathas

Ionathas glorioſe apud Iudęos principatum gerit. Is Marius Sicambros vicit.

| *Anni mundi,* | *Anni Soter.* |

|4089| 9 | Q. Seruilius Cæpio, C. Attilius Serranus. His cōſulibus per Seruilium Cæpionem conſules iudicia equitibus & ſenatoribus communicāt. Cicero Arpini naſcitur, matre Heluia, patre vero equeſtris ordinis.

|4090| 10 | P. Rutilius Rufus, C. Manlius Maximus.

|4091| 11 | C. Marius nepos ſecundo, & C. Fimbrius. Cneus Pompeius oritur.

|4092| 12 | C. Marius Nepos 3, & L. Aurelius Oreſtes.

ARISTOBVLVS.

Iudæorum primus rex Ariſtobulus, filius Ionathę, regnauit anno vno. Qui rex pariter & pontifex, primo apud Iudæos diadematis ſumpſit inſigne, poſt quadringentos octogintaquatuor annos Babylonicæ captiuitatis.

|4093| 13 | Anno Vrbis 660. C. Marius nepos quarto, & Quintus Luctatius. Euſebius ſcribit, ſub his cōſulibus natum fuiſſe Pompeium Magnum.

IANNEVS.

Poſt Ariſtobulum regnauit Ianneus, cognomento Alexander: qui pontificatum quoq; adminiſtrans, crudeliſſime ciuibus præfuit. Turpilius comicus, ſenex admodum, moritur. C. Lucilius ſatyrarum ſcriptor Neapoli moritur, ac publico funere effertur, anno ætatis eius quadrageſimoquinto.

|4094| 14 | C. Marius Nepos 5. M. Aquilius. Furius poeta, cognomento Bibaculus, Cremonę naſcitur. Cimbrorum ducenta millia cæſa & octoginta millia capta, per Marium. Is fuit quinquies cōſul, & iuxta Eridanum Cimbros ſuperat, & de his cum Catulo triumphat.

|4095| 15 | C. Marius nepos 6, & L. Valerius Flaccus.

|4096| 16 | M. Antonius, A. Poſthumius Albinus.

|4097| 17 | Q. Cæcilius Metellus, T. Didius Viuius. Thraces à Romanis victi. Turſumin Sicilia bellum ſeruile cōſurgit.

ALEXANDER.

AEgyptiorum nonus Ptolemæus, qui & Alexander, regnauit annis decem.

| *Anni mundi,* | *Anni Alex.* |

|4098| 1 | Cn. Cornelius Lentulus, P. Licinius Craſſus. Expulſo de regno Ptolemęo Phyſcone, matrē timens Cleopatram, in Cyprum ſe recepit.

|4099| 2 | Cn. Domitius Ænobarbus, C. Caſſius Longinus. His cōſulibus, Ptolemæus rex Ægypti populū Romanum hæredem reliquit.

|4100| 3 | L. Licinius Craſſus, Q. Mutius Scæuola. Aquilius in Sicilia bellum ſeruile compeſcuit.

|4101| 4 | C. Cælius Caldus, L. Domitius Ænobarbus. Seleucus ab Antiocho filio Cyziceni, viuus exuritur.

|4102| 5 | C. Valerius Flaccus, M. Herēnius. T. Lucretius naſcitur, qui poſtea amatorio poculo in furorem verſus, quum aliquot libros per interualla inſaniæ ſcripſiſſet, quos poſtea Cicero emendauit, propria ſe manu interfecit, anno ætatis quadrageſimo quarto.

¶ Syriæ Philippus annis duobus regnauit.

|4103| 6 | P. Claudius Pulcher, M. Pulcher Perpenna. Antiochus in Parthos fugiens, Pompeio ſe deinceps tradidit. Poſt quem Philippus captus eſt à Gabinio.

¶ Syriæ & Aſiæ regnum defecit. Hucuſque Syria poſſeſſa à regibus, poſtea in Romanam ditionem ceſſit.

|4104| 7 | L. Marcius Philippus, Sex. Iulius Cæſar. Bellum aduerſus Romanos Picentes, Marſi, Pelignique mouerunt.

|4105| 8 | L. Iulius Cæſar, P. Rutilius Lupus.

|4106| 9 | Cn. Pompeius Strabo, L. Porcius Cato. L. Pomponius Bononienſis Atellanarum ſcriptor clarus habetur. Iſte conſul Pompeius Strabo, fuit pater Pompeii cognomine Magni.

|4107| 10 | L. Cornelius Sylla, & Q. Pompeius Rufus. Contentio orta inter Marium & Syllam, propter Mithridaticum bellum.

PHYSCON.

AEgyptiorum 10, Ptolemæus Phyſcon, qui à matre fuerat eiectus, regnauit annis octo.

| *Anni mundi,* | *Anni Phyſc.* |

| 4108 | 1 | L. Cornelius Cinna, Cn. Octauius. Ptolemæus regreſſus de fuga, regnum obtinuit, quia Alexandrum qui ante eum fuerat, ob interfectionem matris ciues pepulerant. Plotius Gallus primo Romæ Latinam rhetoricam docuit. de quo Cicero ſic refert: Memoria teneo prius nobis primum Latine docere cœpiſſe Plotium quendam. Cinna & Marius in ciuitatem recepti, Octauium & optimates interfecerunt.

| 4109 | 2 | L. Cornelius Cinna 2, C. Marius Nepos ſeptimo. C. Valerius Catullus, ſcriptor lyricus, Veronæ naſcitur. Die decima ſeptima huius cõſulatus Marius diem obiit.

| 4110 | 3 | L. Cornelius Cinna 3, Cn. Papyrius Carbo. P. Saluſtius ſcriptor hiſtoricus in Sabinis Amiterni naſcitur. Sylla Athenienſes vaſtat.

| 4111 | 4 | L. Cornelius Cinna 4, Cn. Papyrius Carbo 2. Deſcriptione Romæ facta, inuenta ſunt 463000 hominum. His conſulibus Aſiam in quadragintaquatuor regiones Sylla diſtribuit.

| 4112 | 5 | L. Scipio Aſiaticus, C. Norbanus Bulbus. His conſulibus Capitolium cuſtodum negligentia cõcrematur. Templum apud Delphos à Thracibus incenſum. Pompeius primo ducis partes egit.

| 4113 | 6 | Anno Vrbis 670. Cn. Papyrius Carbo tertio, C. Marius Gratidianus. L. Annius plurimas ciuitates capit. Cicero vigeſimoſeptimo anno ætatis ſuæ Quintium defendit. Pompeius ob victoriam Aphricanam, Magnus appellatus eſt.

| 4114 | 7 | M. Tullius, Cn. Dolabella. P. Terentius Varro vico Actiate, in prouincia Narbonenſi naſcitur: poſtea trigintaquinque annos agens, Græcas literas cum ſummo ſtudio didicit. Cicero Quintium defendit.

| 4115 | 8 | L. Cornelius Sylla 2, Q. Metellus Pius. Volcatius Plotius Latinus rhetor, Cn. Pompeii libertus & doctor, ſcholam Romæ aperuit. Syllæ tyrannis. Sextus Roſcius à Cicerone defenditur.

DIONYSIVS.

AEgyptiorum 11 Ptolemæus Dionyſius regnauit annis triginta.

| *Anni mundi,* | *Anni Dion.* |

| 4116 | 1 | P. Seruilius Vatia Iſauricus, Appius Claudius Pulcher. Sylla Romam obtinuit, & poſt biennium moritur. Roſcius contra Tryphonem agit.

| 4117 | 2 | M. Æmylius Lepidus, Q. Luctatius Catulus. Cicero Athenas ſecedit, & inde poſt triennium Romam regreditur.

| 4118 | 3 | M. Æmylius Mamercus, & D. Brutus Iulianus. Pompeius gloriosiſſime triumphauit. Lepidus, publicus hoſtis iudicatus eſt.

| 4119 | 4 | Cn Octauius, C. Scribonius Curio. T. Quintius ſcriptor tragœdiarũ Romæ moritur: ſepultusque eſt via Prænestina ad miliariũ ſecũdũ. Pompeius in Hiſpaniam miſſus Metello iungitur.

| 4120 | 5 | L. Octauius, L. Aurelius Cotta. Alexandra, quæ & Saloma, vxor Alexandri, Hieroſolymis regnauit: ex cuius ætate, Iudæos rerum confuſio & variæ clades oppreſſerunt.

ALEXANDRA.

¶ Iudæorum, regnauit Alexandra annis nouem.

| 4121 | 6 | L. Licinius Lucullus, M. Aurelius Cotta. Bellum cum gladiatoribus geſtum in Campania.

| 4122 | 7 | M. Lucullus, C. Caſſius Varus. M. Lucullus primus pater patriæ appellatus eſt.

| 4123 | 8 | Anno Vrbis 680. L. Gellius Publicola, & Cn Cornelius Lentulus. Victa Armenia, Meſopotamia & Niſibis cum fratre regis ſimul capiuntur.

| 4124 | 9 | Cn. Aufidius, P. Cornelius Lentulus. Cneus Pompeius vniuerſam Iberiam ſubiugauit, & de ea triumphauit.

| 4125 | 10 | M. Craſſus, Cn. Pompeius. M. Licinius de Beſſis triumphauit, capta Cabile, & Tomis, & cæteris vrbibus. Craſſus triumphauit de ſupra dictis gladiatoribus. Publius Virgilius Maro in pago qui Andes dicitur, haud procul à ciuitate Mantua naſcitur.

4126

| *Anni mundi,* | *Anni Dion.* |

|4126| 11 | Q. Cæcilius Metellus, Q.Hortenſius Nepos. His conſulibus reparatum dedicatumque eſt Romæ Capitolium.

|4127| 12 | L. Cæcilius Metellus Creticus, & Quintus Marcius Vatia. Marcus Porcius Cato philoſophus agnoſcitur.

|4128| 13 | C.Calphurnius Piſo, M. Acilius Glabrio. Antiochia Syriæ capta à Romanis. Pompeius contra Mithridatem. Creticum bellum motum, vnde Metellus dictus eſt Creticus. Lucus Daphnenſium iuxta Antiochiam à Pompeio Apollini conſecratur. Bellum piratarum à Pompeio confectum.

|4129| 14 | M. Æmylius Lepidus, L. Manlius. Torquatus.

Hyrcanvs.

¶ Ariſtobulus & Hyrcanus filii Alexandræ, contra ſe pro imperio dimicantes, occaſionem præbuerunt Romanis, vt Iudæam inuaderent. Itaq; Pompeius Hieroſolymam veniens, capta vrbe, & templo reſerato, vſque ad ſancta ſanctorum accedit. Iudæi Romanorum vectigales facti: & pontificatum apud eos ſuſcepit Hyrcanus, & regnauit annis triginta-quatuor.

|4130| 15 | L.Iulius Cæſar, Q.Marcius Figulus. Pompeius Ariſtobulum vinctum ſecum adducit, pontificatumque confirmat Hyrcano: deinde Antipatrum Herodis Aſcalonitæ filium, procuratorem in terra Palæſtina fecit.

|4131| 16 | M. Tullius Cicero, M. Antonius. Libya per teſtamentum Appionis regis Romanis relicta. Horatius Flaccus, ſatyricus & lyricus poeta, Liberti no patre Venuſiis naſcitur. Catilinæ coniuratio hic cœpit. Cicero Murenam defendit.

|4132| 17 | D. Iunius Syllanus, L. Murena. Apollodorus Pergamen⁹, Græcus orator, præceptor Callidii & Augufti, clarus habetur, Catonis Vticenſis tribunatus.

|4133| 18 | M. Pupius Piſo Calphurnius, M. Valerius Meſſala. His conſulibus Catilina in agro Piſtoriēſi, ac Antonii bello peremptus eſt. Pompeius captis Hieroſolymis tributarios Iudæos facit: vnde tertium triumphum excellentiſſimum habuit Pompeius.

| *Anni mundi,* | *Anni Dion.* |

|4134| 19 | Q. Cæcilius Metellus Celer, L. Afranius. Ea quæ de Catilina & Cethego. Lentulo & conſule Cicerone Saluſtius & Liuius ſcribunt, hoc tempore geſta ſunt.

|4135| 20 | C.Iulius Cæſar, M.Calphurnius Bibulus. Clodii rogatione Cicero in exilium eſt profectus anno vno, teſte Caſſiodoro.

|4136| 21 | L. Pilo Cæſonianus, & A.Gabinius. His conſulibus, teſte Caſſiodoro, Pompeius imperator appellatur. Cæſar Luſitaniam & quaſdam inſulas in Oceano capit.

|4137| 22 | P.Cornelius Lentulus, Q.Metell⁹ Nepos. Hic ꝓpter ciuiles diſſenſiones per Scaurum de exilio reuocatur Cicero. Meſſala Coruinus orator naſcitur, & T. Liuius ſcriptor hiſtoricus Patauinus, iuxta Euſebium Cæſarienſem.

|4138| 23 | Cn.Lentulus Marcellinus, L. Marcius Philippus. Virgilius Cremonæ ſtudiis eruditur. Catulus 30 ætatis ſuæ anno Romæ clarus habetur. C.Iulius Cæſar contra Gallos miſſus eſt.

|4139| 24 | Cneus Pompeius Magnus ſecundo, & Marcus Licinius Craſſus etiam ſecūdo. Clodius orator clarus habetur: qui poſtea ciuili bello Cæſarianas partes ſequutus eſt. Quum Togatam Galliam regeret, Placentiæ obiit.

|4140| 25 | Appius Claudius Pulcher, L. Domitius Ænobarbus. Cæſar Rhenum tranſiens Germanos vaſtat. Craſſus conſul apud Carras cum filio captus.

|4141| 26 | Cn.Domitius, M. Valerius Meſſala. Ventidius primus Romanorum Parthos ſuperat. Clodius interemptus. Seditio à Milone Clodii interfectore ſuſcitata.

|4142| 27 | Cn.Pompeius Magnus tertio, Q.Metell⁹ Scipio. Curio prōptus popularis orator, Romę habetur inſignis: qui deinceps in Phrygia pudore amiſſi exercitus mori maluit quam euadere.

|4143| 28 | Anno Vrbis 700. M, Claudius Marcellus, Ser. Sulpicius Rufus. Virgilius ſumpta toga Mediolanum tranſgreditur, & poſt breue tempus Romam pergit.

Anni mundi,	*Anni Dion.*
4144	29

Lucius Æmylius Paulus, Caius Claudius Marcellus. Simulachrum Iouis Olympiaci, fulmine tactum.

4145	30

C. Lentulus Cruscellus, C. Claudius Marcellus secundo. Messala Coruinus. Cæsar Germanos capit.

Cleopatra.

AEgyptiorum 12, regina Cleopatra, soror Ptolemæi, regnauit annis viginti duobus in Ægypto: ex quibus duo tantum numerantur: regnauit enim vsque in annum decimumquintum Octauiani Cæsaris, in quo obiit.

Anni mundi,	*Anni Cleo.*
4146	1

Principium belli ciuilis Cæsaris & Pompeii. Victus Pompeius Alexandriam petiit: ibique ab ipso à quo sperabat auxilium Ptolemæo occiditur. Mox Cæsar Alexandriam venit, cui Ptolemæus parare voluit insidias: vnde bello ei illato, victus in Nilo periit. Cæsar vero Alexandria potitus, regnum Cleopatræ dat ob gratiam stupri, vt dicitur.

4147	2

Computant ab hoc loco Antiocheni sua tempora. Respublica Romana oppressa.

ROMANVM IMPERIVM.

CAPVT XXI.

Ivlivs Cæsar.

ROmanorvm primus, Caius Iulius Cæsar, regnauit annis quatuor, mensibus sex, hoc est vsque ad Calendas Martias. Sed Iulius Cæsar de Galliis veniens, Pompeium fugauit ex Italia, aurum atq; argentum Romæ de ærario sustulit, ac primus Romanorum singulare obtinuit imperium: à quo postea Cæsares, Romani principes appellati sunt.

Anni mundi,	*Anni Iulii,*
4148	1

C Iulius Cæsar secundo, P. Seruilius. Pompeius Pharsalico prælio victus, & fugiens in Ægyptum, à spadonibus Ptolemæi regis occiditur.

4149	2

Q. Fuluius, P. Vaticanus. Ptolemæi cadauer cum lorica aurea in Nilo flumine repertum est. Cæsar in Ægypto regnum Cleopatræ confirmat.

4150	3

C. Iulius Cæsar tertio, M. Lepidus. Romæ basilica Iulio dedicata. Decretum Senatus Athenienſium ad Iudæos mittitur, qui per legationem amicitiam postularant. Cleopatra regio comitatu Vrbem ingressa prohibuit mulieres lecticis margaritisq; vti, quæ nec viros nec liberos haberent, & minores essent annis quadragintaquinq;. Nigidius Figulus Pythagoricus & magus in exilio moritur. Antonius decreuit, Quintilem mensem Iulium debere dici, quia in eo fuisset natus Iulius Cæsar.

Anni mũdi,	*Anni Iulii,*
4154	4

C. Iulius Cæsar quarto, Fabius Maximus. Iudæa capta Cassius templum spoliat. Idibus Martiis C. Iulius Cæsar ob insolentiam morum, cõiurantibus in eum sexaginta vel amplius senatoribus, equitibus Romanis, in curia occiditur, & fasces statim susceptit Dolabella. Cæsaris corpus in rostris ob honorem cõcrematum. Ser. Sulpicius iurisconsultus, & P. Seruilius Isauricus publico funere elati. Romæ tres simul exorti soles paulatim in eundem orbem coierunt. Inter cætera portenta quæ toto orbe facta sunt, bos in suburbano Romæ ad arantem loquutus est, frustra se vrgeri, non enim frumenta, sed homines breui defuturos. Hæc autem iuxta Cassiodorum.

4152	5

C. Iulius Cæsar quinto, M. Antonius. Sella aurea sedenti Cæsari in Lupercalibus M. Antonius diadema imposuit renitenti: atq; idibus Martiis Cæsar in Pompeia curia occisus est. Cui successit Octauianus Cæsar, qui regnauit annis quinquaginta sex, mẽsibus sex.

Per

Per quæ tempora hi sequentes consules extiterunt.

OCTAVIANVS.

ROmanorum secundus, C. Octauianus Cæsar Augustus, regnauit annis quinquaginta sex, mensib. sex, aliquantisq; diebus, teste Iosepho, hoc est vsq; ad calendas Octobres, in an. decimosexto incarnationis, secundum rationem supputationis. Ab isto reges Romanorum Augusti appellantur. Viuente Cleopatra regnauit annis quindecim, & postea quadraginta vno & mensibus sex. Antonius aduersum Cæsarem Augustum bellum mouet. Liberius mimorum scriptor decimo mense post C. Cæsaris interitum Puteolis moritur. Publius mimographus, natione Syrus, Romæ scenam tenet. Cicero in Firmiano suo ab Herennio & Pompilio occiditur, sexagesimoseptimo anno ætatis suæ.

Anni mundi,	*Anni Oct.*
4153	1

Anno vrbis 710. C. Cæsar Octauianus Augustus, & Quintus Pædius.

4154	2

C. Pansa, A. Hirtius, Octauianus, Antonius, & Lepidus amicitiæ fœdus inierunt. Octauianus forum Augustum ædificauit. Ciceronis caput cum manu dextra pro rostris positum: iuxtaque nouies coronata imago Pompilii qui eum occiderat. Ouidius Naso nascitur in Pelignis. C. Falcidius tribunus plebis legem tulit, ne quis testamento legaret plus, quam vt quarta pars hæredibus superesset Curtius Salustius in insula Arado cum quatuor cohortibus viuus combustus est, propterea quod tributa solitus erat grauius exigere.

4155	3

M. Lepidus, L. Plancus. Oleum è terra erupit trans Tiberim, fluxitq; toto die sine intermissione, significans CHRISTI gratiam ex Gentibus. Antonium superat Augustus, & interueniente Senatu, in amicitiam cum eo regreditur. Cornificius poeta à militibus desertus interiit, quos sæpe fugientes galeatos lepores appellarat. Huius soror fuit Cornificia, cuius insignia exstant Epigrammata. Templa Rhodiorum depopulatus est Cassius. Secunda secessio Augusti & Antonii. Stella crinita apparuit.

Anni mundi,	*Anni Oct.*
4156	4

P. Seruilius 2, L. Antonius. Cornelius Nepos historicus clarus habetur. Antiochus strenue contra Iudæos dimicans, tandem occiditur: à quo in præsens tempus ipsum Hierosolymorum regnum destructum est.

4157	5

Cn. Domitius, C. Asinius. Quidam Herodes post eum à Romanis constitutus est princeps alienigena, & omnino nihil pertinens ad totam Iudæam.

4158	6

L. Censorinus, C. Caluisius. Phormii pater & filius clari habentur oratores.

4159	7

Appius Claudius, C. Norbanus. quorum filius consularis ante patrem moritur.

4160	8

M. Agrippa, L. Canidius. Lacus Lucrinus in portum conuersus est. Salustius obiit ante Actiacum bellum.

4161	9

L. Gellius, M. Cocceius. M. Varius poeta, quem Virgilius in Bucolicis notat, in Cappadocia moritur.

4162	10

L. Cornificius, Sex. Pompeius. Herodes, Antipatri Ascalonitæ & matris Cypridis Arabicæ filius, à Romanis Iudæorum suscepit principatum annis triginta septem. Cuius tempore, CHRISTI natiuitate vicina, regnum & sacerdotium Iudææ quod prius per successiones minorum tenebatur, destructum est, completa prophetia quæ ita per Mosen loquitur: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat cui repositum est: & ipse erit expectatio Gentium. Nam vsque ad Herodem, Christi, id est sacerdotes, erant reges Iudæorum, qui imperare cœperant à quadragesimaquinta olympiade, & ab instauratione templi sub Dario vsque ad Hyrcanum centesima octuagesima quinta olympiade, annis quadringẽtis octoginta quatuor in medio transactis, quos Daniel quoque significat, dicens: Et scies & intelliges: ab initio sermonis respondendi, & ædificandi Hierusalem vsq; ad principatum, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ.

Quæ ſexaginta nouem hebdomadę faciunt annos quadringẽtos octoginta tres, in quibus ſacerdotes per vnctionem cõſecrati regnauerunt vſq; ad Hyrcanum: quo extremo omnium à Parthis capto, Herodes Antipatri filius nihil ad ſe pertinentem Iudæam ab Auguſto & Senatu accepit; filiique eius poſt eum regnauerunt vſq; ad nouiſſimam Hieroſolymorum captiuitatẽ: nequaquam ex ſucceſſione ſacerdotalis generis pontificibus conſtitutis, neq; perpetuitatem vitæ ſecundum legem Moſis ſeruientibus Deo. Ignobiles vero quidam, & alio tempore alii, & nonnulli vnius anni, ſiue modico amplius, à Romanis imperatoribus ſacerdotium emebant. Quæ omnia etiã Daniel propheta vaticinatur, ita dicens: Et poſt hebdomades ſeptẽm & ſexaginta duas interibit chriſma, & iudicium non erit in eo, & templum & ſanctum corrumpet populus, duce veniente: & cædentur in cataclyſmo belli. Et in conſequentibus: Et ſuper templũ (inquit) abominatio deſolationum. Quidam tamen numerant à morte Alexandri Magni, vſque ad imperium Auguſti Cæſaris annos ducentos & nonagintaquatuor.

Anni mundi,	*Anni Oct.*	
4163	11	Anno Vrbis 720. L. Scribonius Libo, L. Atratinus. Iapidæ, Dalmatæ, & Pannonii in poteſtatem Romanorum à Cæſare redacti. Et anno vndecimo Auguſti iſte Herodes, ne ignobilis forte, & à Iudæorum ſemine argueretur extraneus, combuſſit omnes libros, quibus nobilitas Iudæorum in templo ſeruabatur adſcripta, vt deficientibus probamentis & ipſe ad hanc pertinere putaretur. Inſuper etiam & ſuam ſobolem regio illorum generi commiſcuit: proiecta Doſide fœmina Hieroſolymitana propria vxore, & nato ex ea filio Antipatro, ſociat ſibi Mariamnẽ filiam Alexandri, neptem Ariſtobuli, fratris Hyrcani qui ante eum rex erat in Hieruſalem. Hæc quinque filios ei genuit, quorum duos Alexandrum & Ariſtobulum ipſe necauit in Samaria. Huius Ariſtobuli ex Beronice filia Salomæ, ſororis magni Herodis, ſunt filii, Agrippa Maior, & Ariſtobulus, atque Herodes qui in actibus Apoſtolorum ab angelo legitur percuſſus; & duæ filiæ, Mariamne & Herodias. Quæ Herodias nupſit (ſicut Ioſephus perhibet) Herodi, filio Magni Herodis, & Mariamne filio Alexandri pontificis, viro ſuo viuente. Forte ipſa eſt, quæ & Philippo nupſit Herodi, filio Antipatri Hieroſolymitani, & Herodi cognomento Magno.

Anni mundi,	*Anni Oct.*	
4164	12	C. Cæſar Octauianus ſecundo, L. Volcatius. Lunæ ſecundũ Romanos curſus inuentus. Colonias deduxere Romani. Auguſtus triumphauit pedeſtris certaminis triumpho. Antonius Cleopatræ Arabiam tradidit.
4165	13	Cn. Domitius Ænobarbus, C. Soſſius, Arcotius Auguſti medicus clarus habetur.
4166	14	C. Cæſar Octauianus tertio, M. Valerius Meſſala. Hoc anno verum Auguſti imperium inchoatur, quo bellis ciuilibus finis impoſitus eſt.
4167	15	C. Cæſar Octauianus quarto, M. Licinius Craſſus. Tertio inter Auguſtum & Antonium orto bello, quod Antonius qui Aſiam & Orientem tenebat, repudiata ſorore Auguſti, Cleopatram duxiſſet vxorem, Antonius Nicopoli iuxta Actiacum littus à Cæſare bello ſuperatur, & perimitur: Alexãdriæ poſtea in Mauſoleo reconditur. Quum autem Auguſtus Antonium & Cleopatram vicisſet Calendis Auguſti, & imperium Romani populi firmaſſet; Sextilis menſis ex Senatuſconſulto ob memoriam Auguſti Auguſtus eſt appellatus. Cum ingenti triumphorum pompa Auguſtus Cæſar Romam eſt ingreſſus, & Cleopatræ liberi, Sol & Luna ante currum eius ducti ſunt. Antonio occiſo, regina Cleopatra ad pedes Auguſti prouoluta, tentauit in ſe inclinare oculos ducis, at ſtra quidem: nam pulchritudinem eius recuſauit Auguſtus, & præcepit eam cuſtodiri. Nec autem illa de vita quæ auferebatur, ſed de parte regni laborabat. Quod vbi deſperauit, & à principe ſeruari ſe triumpho cognouit, incautiorem factam cuſtodiam fugit, & in Mauſoleo regum ſe recepit: ibique maximo vt ſolebat cultu in referto horroribus ſolio, iuxta ſe ſuum collocauit Antonium, admotisque ad venas ſerpentibus, ſic

sic morte quasi somno resoluta est. Ægyptus deinde fit Romana prouincia, quã primus tenuit C. Corneli⁹ Gallus, de quo scribit Virgilius in Bucolicis. Vsque ad Cleopatram, qui vocabantur Lagidæ in Ægypto regnauerũt annis ducentis nonaginta quinque. Arcorius ille Augusti medicus post Actiacam victoriam naufragio periit. Quidam ab hoc loco primum annum Augusti monarchię supputant: quod Beda confirmat, dicens super Danielem, Romanos hinc annos quinquaginta nouem, cũ anno 17 Tiberij regnasse. Oẽs historici & Beda etiam dicũt, Cleopatram regnasse annis viginti duobus, hoc est annis tribus ante Iulium Cæsarẽ, & quinq; Iulij Cæsaris, & quindecim Octauiani Augusti, in quo ipsa se interfecit.

Anni mundi	*Anni Oct.*	
4168	16	C. Cæsar Octauian⁹ quinto, & Sex. Apuleius. Censu Romæ agitato, inuenta sunt ciuium Romanorum quadraginta & vnum centum, & sexaginta quatuor millia. Coloniæ deductæ.
4169	17	C. Cæsar Octauianus 6, & M. Agrippa secundo. Parthorum seditiones per Cæsarem sedatæ. M. Terentius Varro philosophus prope 90 moritur. Thebæ Ægypti vsq; ad solum erutæ. Cornelius Gallus Foroiuliẽsis poeta, à quo primum Ægyptus tenebatur, 43 ætatis suæ anno propria se manu interfecit. Tralles terræmotu conciderunt. Templum Iani à Cæsare clausum.
4170	18	C. Cæsar Octauianus 7, & M. Vipsanius Agrippa tertio. Cæsar leges protulit, iudices ordinauit, prouincias disposuit, & ideo cognominatus est Augustus. Cuius temporibus floruerunt Virgilius, Horatius, & Ouidius, teste Cassiodoro. Indi per legatos ab Augusto amicitiam postulatunt. Messala Coruinus primus præfectus Vrbis factus, sexto die magistratu se abdicauit, inciuilem potestatem esse contestans.
4171	19	C. Cæsar Octauianus octauo, T. Statilius. Augustus Calabriam & Gallos vectigales facit. Munatius Plancus, Ciceronis discipulus, orator habetur insignis, qui quum Galliam commotam regeret, Lugdunum condidit.
4172	20	C. Cæsar Octauianus nono, & M. Iunius Syllanus. Cantabros, Germanos, & Astures Cæsar per L. Lanium perdomuit. M. Lollius Galatiam Romanam prouinciam facit. Augustus quum ei monarchia deferretur, retinuit: teste Cassiodoro.
4173	21	Anno Vrbis 730. C. Cæsar Octauianus 10, C. Norbanus. Quintilius Cremonensis Virgilij & Horatij familiaris. Tota Hispania à Cæsare subacta.
4174	22	C. Cæsar Octauianus 11, Cn. Piso. Augustus Cyzicenos libertate priuauit. Pylades Cilix pantomimus, quum veteres ipsi canerent atq; saltarẽt, primus Romæ chorum & fistulam pręcinere fecit.
4175	23	M. Claudius Marcellus, L. Aruntius. Tiberius ab Augusto missus occupauit Armeniam. Atramius qui septẽdecim annos natus Cælium accusauerat, clarus inter oratores habetur: ad extremum morborum tædio in balneo volũtate exanimatus, hæredem reliquit Cæsarem Augustum.
4176	24	M. Lollius, Q. Lepidus. Cantabri res nouas molientes opprimũtur.
4177	25	M. Apuleius, P. Syllius Nerua. Herodes apud Hierosolymas multas & magnas ædes constituit. Aquilas & signa Crassiana de Parthis Cęsar recepit.
4178	26	C. Sentius Saturninus, Sp. Lucretius Cinna. Cæsari ex prouincia redeunti currus cum corona aurea decretus est, quo ascendere noluit. Virgilius Brundusij moritur: ossa eius Neapolim translata in secundo ab Vrbe miliario tepeliuntur: titulo huiusmodi supra scripto, quem moriens ipse dictauerat:

Mantua me genuit, Calabri tenuere: tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Herodes Samariam iam olim in cineribus sedentem, à fundamentis suscitans, in honorem Augusti Augustam, id est Sebasten, appellauit: & in Paneade tẽplum quod Panion vocatur, extruxit.

4179	27	Cn. Cornelius Lentulus, P. Cornelius Lentulus. Augustus Samijs dedit libertatem. In Cypro plurimæ ciuitatum partes terræmotu cõciderunt. Germanos in arma versos M. Lollius superat. Varus & Tucca, Virgilij & Horatij con-

tubernales, poetæ habentur illustres: qui Æneidum libros postea emendarunt, sub hac lege vt nihil adderent.

Anni mundi,	*Anni Oct.*	
4180	28	T. Furnius, C. Iunius Syllanus. Augustus C. Agrippam adoptauit in filium.
4181	29	L. Domitius Ænobarbus, P. Scipio. Æmylius Macer Veronensis poeta in Asia moritur. Tiberius Vindelicos & eos qui in Thraciarum confinibus erant, Romanas prouincias facit.
4182	30	M. Drusus Liuius, L. Calphurnius Piso. Tiberij Neronis quæstura.

S. Maria.

Sancta Maria nascitur ex patre Ioacim, de tribu Iuda, & ex matre Anna filia Issachar, de genere Dauid. Beata Maria, mater Domini nostri Iesv Christi, erat 14 annorum, quando salutata est à Gabriele archangelo. Mortua est autem 63 anno ætatis suæ, teste sancto Hieronymo in libro de infantia Mariæ. Colonię Berytum & Pātras deductæ. Bosporum Agrippa capit.

4183	31	Anno Vrbis 740. Cn. Lentulus Augur Licipinus, M. Crassus. Cercius Smyrnæus rhetor Latine Romæ docuit. Augustus à Senatu pōtifex maximus appellatur.
4184	32	Cl. Tiberius Nero, Q. Quintilius Varus. Cæsaream Herodes in nomine Cæsaris condidit, quæ prius Turris Stratonis vocabatur.
4185	33	M. Valerius Messala 2. P. Sulpitius Quirinus. Herodes destructo templo ab Iesu filio Iosedec & Zorobabel cōstructo, ædificat templum in Hierusalē, quod à Tito combustum est anno 40 post passionem Domini. Herodes Antidonam cōdidit, & Antipatridam atq; Herodionem in honorem patris Antipatri & suum cōstruxit.
4186	34	P. Fabius Maximus, & Q. Ælius Tubero. innumerabilia quoque opera in singulis Syriarum vrbibus quas regebat, solertissime ædificauit. Imperator Augustus, primus omnium, tigrin feram mansuefactam Romæ ostendit.
4187	35	Iulius Antoninus, Fabius Aphricanus. Tiberius Cæsar de captiuis Pannonijs triumphauit. Horatius quinquagesimo octauo ætatis suæ anno Romę moritur. Passienus declamator insignis obijt. C. Iulius Hircinius, cognomento Polyhistor, Grammaticus habetur illustris. Tiberius, vastata Germania, imperator appellatur. Claudius Tiberius, qui postea imperator factus est, hoc anno nascitur.
4188	36	Drusus Nero, L. Quintius Crispinus. Apud Lingonum gentem tēplum Cæsari Drusus sacrauit, teste Cassiodoro. Herodes Hyrcanum regem & sacerdotem Iudæorum occidit. Tunc Christi natiuitate vicina, principatus Iudaicus, iudicium & sacerdotium de femore Iuda secundum prophetias defecit, transiens ad Herodem extraneo genere; & completa est prophetia Mosis, ita dicēs: Non deficiet princeps ex Iuda, neq; iudex de femore eius, donec veniet qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium: & reliqua. Herodes Hyrcanum qui olim sacerdos Iudæorum fuerat, de captiuitate Parthica regressum, & filium eius qui sacerdotio patris successerat, interfecit. Herodes enim Ananelum quendam de Babylone accitum, pontificem Iudæorū constituit: & post exiguum tempus Aristobulum, fratrem vxoris suæ, nepotem Hyrcani, successorem dedit: quo postea num interfecto rursum Ananelo reddidit sacerdotium.
4189	37	C. Asinius Gallus, C. Marcius Cēsorinus. Inter Albim & Rhenum Germani omnes Tiberio Neroni dediti: per Sex. Aquileium, Pannonij subacti Herodes sororē Aristobuli, vxorem suam, quam nullo modo charius nouerat, cum duobus proprijs filijs iam adolescentibus, & matrē vxoris occisæ socrum suam crudelissime necat. Hyrcanū enim Babylone à vinculis solutum, vt Iosephus perhibet, tanquam principē sacerdotum & regem Iudæorum, multitudo Iudæorum, & omnes vsque ad Euphratem Iudæi habitantes honorabant; ipsumque rogabant, vt apud eos maneret, dicentes, quod officiosum aliquid, simul & honoris in sacerdotali vel principali dignitate

gnitate nullo modo minus apud eos haberet, quam in Hierusalem. Postquam enim multo Herodis rogatu de Babylonia in Hierusalem venit, cum omni honore eum Herodes suscepit: & quum vocaret ipsum patrem suum, primum ei locum concedebat, disponebatq; cum eo vtilitates cæteras sui principatus. Amicissimus enim Herodis antea erat, atq; de periculo mortis eum liberauit, quam diu vixit. Hyrcanus quamuis principatum primarium non possidebat, tamen princeps fuit.

Anni mundi.	*Anni Oct.*	
4190	38	Cl. Tiberius Nero 2, Cn. Calphurnius Piso. Tiberius de Vindelicis, Armenicis, & Pānonijs triumphauit. Albutius Valiensis clarus rhetor agnoscitur. Tribunitia potestas in quinquēnium Tiberio confirmata.
4191	39	D. Lælius Balbus, C. Antistius Vetus. In insula Coo terræmotu plurima conciderunt. Augustus Iuliam filiam suam deprehensam in adulterio, damnat exilio. Tyro, Ciceronis libertus, qui primus notas commentatus est, in Puteolano prædio vsque ad centesimum annum consenescit.
4192	40	C. Cæsar Octauianus 12, L. Sylla Augustus gladiatorum ludum, & nauale certamen exhibuit. Melissus Spoletinus Grammaticus agnoscitur. M. Porcius Latro declamator, tędio duplicis quartanæ febris semet interfecit.
4193	41	Anno Vrbis 740. C. Caluisius Sabinus secundo, & L. Passienus Rufus. Herodes crudelis etiam virum sororis suæ Salomæ interfecit: & quum eam alij tradidisset vxorem, etiam hunc necat. Scribas quoq; & interpretes diuinæ Legis simili scelere occidit. Ioannes Baptista nascitur, beata Maria præsente, feria quinta, luna vndecima mensis septimi, id est Octobris (sicut legitur) & CHRISTVS concipitur, quum beata Maria esset annorum quatuordecim. Cyclus magnus paschalis incipit hinc: in cuius anno secūdo (iuxta Dionysium) indictione tertia, natus est Dominus.

QVINTÆ ÆTATIS FINIS.

¶ *Et hic quoque abbreuiator noster omisit tres numeros, si natiuitas Domini fuit anno Vrbis 752.*

Hic autem primus liber, quinque ætates complens, cessat cum numeris annorum Mundi & Vrbis, nascente CHRISTO: *sub quo sexta ætas, & Liber secundus simul auspicantur.*

MARIANI SCOTI HISTORIOGRAPHI SVI TEMPORIS CLARISSIMI, AC MONACHI Fuldensis, Chronicorum liber secundus.

ÆTAS SEXTA. CHRISTVS.

CAPVT XXII.

Anni Chr.	*Anni Oct.*
1	41

CAIVS Lentulus Getulicus, & M. Messanus.

Quirinus, ex consilio Senatus, in Iudæam missus, census hominum possessionumque describit.

DOMINVS noster IESVS CHRISTVS, filius Dei, his consulib. (teste Cassiodoro) in Bethleem Iudææ, octauo die Calend. Ianuar. Dominica nocte nascitur, anno ab vrbe condita 752, anno imperij Augusti 41, olympiadis 194 anno tertio, anno etiam ab origine mundi 4193, indictione quarta.

Octaua etiam die Dominica circumciditur.

Decimatertia die, stella duce, à Magis adoratur.

Quadragesima die, à Simeone & Anna cognoscitur.

Deinde præcepto Dominico, in Ægyptum, proter metum Herodis, deducitur.

¶ Methodius Episcopus sic ait: Igitur tempore quo Romani imperij regnum nobilius latiusque consurgeret, ipse imperator hoc præstitit. Anno aũt 42 imperij Cæsaris; ab Ægypto subiugata, & Antonij vel Cleopatræ interitu, in quam nouissima Ptolemęorum regna ceciderunt, 28 anno, Dominus & Saluator noster IESVS CHRISTVS, prima adscriptione census Quirino Syrię præsidente (secundum ordinem totius prophetiæ, quæ de ipso prædicta est) in Bethleem Iudææ nascitur. Per idem tempus Herodes primus ex alienigenis ortus, regnum Iudaicæ gentis obtinuit, cuius testimonio adiudicate etiam Cæsare Augusto successor extiterat Archelaꝰ. Qui cum post cum decimo anno imperij deuolutus esset, Philippus, Antipater, & Herodes iunior frater cum Lysania in tetrarchias diuisum Iudææ regnum regebant.

Anni Chr.	*Anni Oct.*	
2	42	C. Cæsar. Octauianus 13. M. Plautius. Cæsar amicitiam cum Parthis facit. Sextius Pythagoricus philosophus claruit.
3	43	Cossus Lentulus. L. Piso. Herodes pueros necat. Augustus Tiberium & Agrippam in filios adoptauit. Iudas Galilæus ad rebellandum Iudæos cohortatur.
4	44	C. Cæsar Octauianus 14, & L. Paulus.
5	45	C. Vinitius, P. Alphenus. Ioannes Apostolus nascitur. Asinius Pollio orator & consularis, qui de Dalmatijs triumpharat, 70 ætatis suæ anno, in villa Tusculana moritur.
6	46	M. Seruilius, L. Lamia, Herodes morbo intercutis aquæ, & scatentibus toto corpore vermibus, miserabiliter & digne moritur. CHRISTVS de Ægypto redit.
7	47	Sex. Ælius, C. Sentius. In Herodis locum Archelaus ab Augusto substituitur, & terrarchæ fiũt fratres, Herodes, Antipater, Lysias, Philippus. IESVS CHRI-

CHRISTVS dominus noster, ex Ægypto tertia Idus Ianuarij angelico præcepto reducitur.

Anni Chr.	Anni Oct.	
1 8	48	Cn Cinna, L. Valeri⁹. His consulibus, teste Cassiodoro, per dies octo Tiberis impetu miseranda clades hominum domorumq; fuit. Fames Romæ ita ingens facta fuit, vt quinq; modij venderentur denarijs viginti septē semis. Asianus Romæ clarus habetur.
9	49	M. Lepidus, L. Aruncius. Tiberius Cæsar Dalmatas & Sarmatas in Romanam redegit potestatem.
10	50	Q. Cæcilius, A. Licinius. Athenodorus Tarsensis Stoicus philosophus insignis habetur.
11	51	M. Furius, Sex. Nonius. M. Verrius Flaccus Grammaticus insignis habetur.
12	52	Q. Sulpicius, Cn. Pompeius. Athenienses res nouas contra Romanos molientes opprimuntur, autoribus seditionis occisis.
13	53	P. Dolabella, C. Syllanus. Quum esset IESVS annorum duodecim, hoc est (sicut Hieronymus dicit) quum complesset annos duodecim, inuentus est in templo, sedens inter doctores Legis, interrogans & audiens illos. Messala Coruinus orator ante biennium quam moreretur, ita memoriā ac sensum amisit, vt vix pauca verba coniungeret; & ad extremum, vlcere sibi circa sacram spinam nato, inedia se confecit, anno ætatis suæ septuagesimo secundo.
14	54	M. Lepidus, T. Statilius. Augustus cum Tiberio filio suo censum Romæ agitans, inuenit hominum nonagintā ter centena & septuaginta millia, vt dicitur.
15	55	Germanicus Cæsar, C. Fonteius. Sotion philosophus Alexandrinus, præceptor Senecæ, clarus habetur.
16	56	L. Plancus, C. Silius. Archelaus nono anno regni sui, in Viennam vrbem Galliæ relegatur, non ferentibus Iudæis, sed accusantibus apud Augustum ferocitatem eius. Et ad minuendam Iudaici regni potentiam insolentiamque domandam, quatuor fratres eius pro eo sunt tetrarchæ creati: Herodes qui & Antipas, Antipater, Lysias, & Philippus. His consulibus, teste Cassiodoro, Octauianus Augustus 76 ætatis suæ anno, Atellæ in Cāpania, imperij anno quinquagesimo sexto, senex obijt, mense Septembri: sepeliturque in campo Martio: cui successit Tiberius.

TIBERIVS.

ROmanorum 3, Claudius Tiberius priuignus Augusti, hoc est vxoris eius filius, ex superiore genitus coniuge, annis vigintitribus & aliquibus diebus regnauit, teste Iosepho: hoc est, vsq; ad Cal. Octob. in anno quinto post passionem Domini sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	Anni Tiber.	
17	1	Sex. Pompeius, Sex. Apuleius. Hi primi in verba Tiberij iurauerunt.
18	2	Drusus Cæsar, C. Norbanus. C. Asinius Gallus orator, Asinij Pollionis filius, cuius etiam Virgilius meminit, diris à Tiberio supplicijs enecatur.
19	3	Sisenna Statilius, L. Scribonius. His consulibus mathematici Vrbe pelluntur, teste Cassiodoro. Liuius historiographus Patauinus obijt. Incarnatio Dominica, iuxta Chronicas Eusebij, vel Bedæ: cyclus secundus decennoualis.
20	4	L. Pomponius, C. Cælius. Ouidius poeta in exilio obijt, & iuxta oppidū Tomos sepelitur.
21	5	Tiberius Cæsar, Germanicus Cęsar, de Parthis triumphant. Tredecim vrbes terræmotu corruerunt, Ephesus, Magnesia, Sardis, Mosthene, Æges, Hiero, Cæsarea, Philadelphia, Tmolus, Temis, Cymemyrrhina, Apollonia, Diahyrcania. Hucusq;, id est ad magnum cyclum paschalem, sunt anni ab initio mundi 4203.
22	6	M. Syllanus, L. Norbanus. His consularib. Germanicus Cæsar in Syria mortuus est, teste Cassiodoro. Feneſtella historiarum scriptor & carminum, septuagenarius obijt, sepeliturq; Cumis. Incipit magnus cyclus paschalis, in cuius anno secundo, iuxta Dionysium, natus est Dominus, concurrentibus quinq;.
23	7	M. Valerius, M. Aurelius. Tiberius multos reges ad se per blanditias euocatos nunquam remisit: in quibus & Archelaū Cappadocem: cuius regno in prouinciam verso, Mazacham no-

bilissimam ciuitatem, Cæsaream appellare iussit.

| *Anni Chr.* | *Anni Tiber.* |

| 24 | 8 | Tiberius Cæsar, Drusus Cæsar. Pompeij theatrum incensum.

| 25 | 9 | D. Heterius, C. Sulpicius. Tiberius Drusum consortem regni facit.

| 26 | 10 | C. Asinius, C. Antistius. Drusus Cæsar apud Moguntiam veneno obijt, & foris murum sepelitur. Q. Atherius promptus & popularis orator, vsq; ad 90 annum prope, in summo honore cõsenescit.

| 27 | 11 | Sex Cornelius, L. Visellius. Seruius Plautus, corrupti filij reus, semet in iudicio interfecit. Methodius hęc: Vndecimo anno imperij Tiberij Cæsaris, qui Augusto 57 annis principatu potito successerat, Iudęæ procurationem Pontius Pilatus suscepit, atq; inibi per decem annos continuos vsq; ad ipsum pene finem Tiberij perdurauit. Consonantia autem Euangelij his concordat.

| 28 | 12 | M. Asinius Agrippa, Cossus Cornelius. Philippus tetrarcha Paneaden, in qua plurimas ędes construxerat, Cæsareã Philippi vocauit, & Iuliadem, aliam ciuitatem. Beda sic. Anno 12 Tiberij, Pilatus Iudææ procurator ab eodem dirigitur.

| 29 | 13 | C. Caluisius, Sabinus, Cn. Lentulus Getulicus.

| 30 | 14 | L. Piso, M. Crassus. Votienus Montanus Narbonensis orator in Balearibus insulis moritur, illuc à Tiberio 15 anno relegatus. Herodes tetrarcha Tiberiadem condidit, & Libiadem princeps Iudæorum, regnans annis viginti-quatuor.

| 31 | 15 | Appius Syllanus, P. Syluius. Anno 15 imperij Tiberij Cæsaris, sub principib. sacerdotum Anna & Caipha, factũ est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans CHRISTVM filiũ Dei in medio eorum adesse. Ipse quoque Dominus IESVS CHRISTVS hinc in populos salutarem viam annunciat, signis atque virtutibus vera comprobans esse quæ diceret. Matthæus sic: Tunc venit IESVS, vt baptizaretur ab eo in Iordane, & reliqua. Augustinus sic: Quod aũt Matthæus ait, Tunc venit IESVS à Galilæa in Iordanem, vt baptizaretur à Ioãne, hoc est secundũ Ioannem Euangelistam, Altera autem die, & reliqua: Marc⁹ sic, Et baptizatus est à Ioãne. Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum 30. Hæc Lucas: hoc est, non plenus 30 annorum, mensium 12, sed secundum Hieronymum & Lucam annum incipiebat 30, quando baptizatus est in die Dominico Epiphaniæ, die 13 anni sui 30. Secundum autem solares annos tunc incipiebat annum 31. Annus enim solis, in cuius fine natus est, natiuitatis eius annus est. Annus huius ætatis suæ 12 mensium, sicut in fine anni primi natiuitatis incepit: ita in fine anni suę natiuitatis, siue solaris, compleuit. Methodius sic: Quintodecimo dicens anno Tiberij Cæsaris in quo quartus erat Pilati procuratoris annus, quum Dominus & Saluator noster annorum 30 fuit, quãdo ad Ioannem baptizandus venit: qui mox post initium prædicationis suæ 12 ex omnibus discipulos assumpsit: quos & cæteris sectatoribus suis præferens, speciali quodam electionis priuilegio Apostolos nominauit. Marcus: Et statim post baptismum suum expulsus est in desertum. Lucas sic: IESVS plenus Spiritu sancto, regressus à Iordane agebatur in spiritu in desertum diebus 40. & reliqua. Dominus ergo feria secunda incepit ieiunium, & quadragesimo die, feria sexta, 15 Calendis Martij, in gula ac vana gloria atque auaritia diabolũ supauit: in quib. in eadem feria, diabolus primum Adam contriuit. Ipse Dominus IESVS CHRISTVS hinc populis prædicauit salutarem viam, teste sancto Petro, sicut in electione Matthiæ Apostoli ait: Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus IESVS, incipiens à baptismate Ioannis vsque in diem quo assumptus est à nobis in cælum, vel signis & virtutibus vera comprobat ea quæ dicit, ex quibus pauca in Euangelijs leguntur, Apostolos vocat, & ad prædicandum admittit.

| *Anni Chr.* | *Anni Tiber.* |

| 32 | 16 | C. Rubellius, C. Fusius. Principium octuagesimi primi iubilei, secundum Hebræos, hoc est ab Adam vsque ad præsentem annum 4000 anno. rum. Iobel autem apud Hebræos quin- quage-

quiagenarius annus vocatur, teste Eusebio.

Anni Chr.	*Anni Tib.*	
33	17	M. Vinitius, C. Cassius. Ioannes Baptista decollatur. Scriptū est in passione sancti Valentini, quod decollatio pręcursoris Domini sit in octaua die Calendarum Aprilium, sicut etiam sanctus Hieronymus in Martyrologio testatur. Et in Euangelio dicitur, quod prope ante Pascha passus sit Ioannes pridie nonas Aprilis, in 14 luna primi mensis. Nostrum vero Pascha nonis Aprilis erit, si hoc esset. Methodius ait: Post electiōem Apostolorum, Ioannes Baptista ab Herode filio Herodis capite punitur.
34	18	Tiberius Cæsar, & Ælius Seianus. His consulibus, Dominus noster IESVS CHRISTVS passus est, octaua die Calēdarum Aprilis: & facta est defectio Solis, qualis ante vel postmodum nunquam fuit, teste Cassiodoro. IESVS CHRISTVS filius Dei, iuxta prophetias quæ de eo fuerant præloquutæ, passus est octaua die Calendarum Aprilis, luna 15, iuxta quatuor Euangelia, in anno 18 imperii Tiberii Cæsaris, secundum Euangelium beati Ioannis: atque die tertia, ideſt sexta die Calendarum Aprilis, luna 17, secundum historiam sancti Euangelii à mortuis resurrexit. Flaccus historicus sic: Quarto an. 202 olympiadis, ideſt secūdū Græcos, magna & excellēs inter omnes quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta: dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ in cœlo visæ sint. Terræmotus in Bithynia Nicenæ vrbis multas ædes subuertit, Hucusq; Flaccus. Iosephus etiā vernaculus Iudæorum scriptor historicus circa hæc tempora, dicit Pharisæos sacerdotes primum commotionem locorum & quosdam sonitus sensisse restatur, deinde ex abdito templi, repentinam subito erupisse vocē dicētium, Transmigremus ex his sedibus. Scripsit quoq; Iosephus, quod eodem anno Pilatus præses secreto noctis imaginem Cæsaris in templo statuerit, & hæc prima seditionis & turbarū Iudæis causa extiterit.

¶ Iacobus frater Domini (id est filius Mariæ, sororis matris Domini) post passionem Domini statim ab Apostolis ordinatus, 30 ann. Hierosolymæ rexit Ecclesiā, hoc est vsque ad sextum Neronis annum, sicut Beda dicit in Actibus Apostolorum. Methodius ait: Petrus & Iacobus & Ioannes post assumptionē Saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus prælati, tamē non sibi vendicabant primatus gloriam, sed Iacobum qui dicitur Iustus, Apostolorum Episcopum statuunt.

Anni Chr.	*Anni Tib.*	
35	19	Furius Camillus, Cn. Domitius. Sanctus Stephanus passus, Paulo cohortante & præsente. Quod Paulus in hoc anno cōuersus sit, ita ad Galatas confirmatur. Quum vocauit me Deus per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me: & reliqua. Hieronymus sic: id est sine mora post reuelationem CHRISTI ad Apostolos, & reuelationem Domini conferēdo cum hominibus, sed abierit in Arabiam, & rursus de Arabia reuersus sit Damascum, post tres annos Euangelium prædicarit, & tūc demum in Hierusalem venit, ipso ita teste: Neq; veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum. Quæ vt vera credantur ab absentibus, cōfirmat, dicens: Quæ autem dico vobis, ecce coram Deo sunt digna, quia sunt verissima. Isti tres anni sunt quos Lucas dies multos dicit in Actib. Apostolorum, quibus Paulus in Damasco Euāgelium audacter loquebatur. Certū est enim, statim vt baptizatus sit, & accepto pane cōfortatus fuisset, cū cum discipulis qui erāt Damasci, esse per dies aliquot, & stupentib. cunctis in synagogis Iudęorum prędicasse, quod IESVS esset filius Dei: & tunc isse in Arabiam, & de Arabia in Damascum reuertisse: & ibi fecit triennū, quos dies multos dicit Scriptura sic: Et quum implerentur dies multi, voluerūt Iudæi occidere eum: & reliqua. Accipiētes ergo discipuli eius, nocte per murū dimiserunt eum, submittētes eum in sporta, ipso etiā teste. Deinde post annos tres (hoc est conuersionis meæ) veni Hierusalē (inquit) videre Petrū, & mansi apud eum diebus 15, alium aūt Apostolorum vidi neminem, præter Iacobum fratrem Domini. Quę autem dico vobis (inquit) ecce coram Deo, quia non mētior. Anno igitur 38 incarnationis hospitatus est Paulus apud Petrum & Hierusalē: deinde, ideſt post prædictos annos & gesta prædicta, dicit sic: Veni in partes Syriæ &

Ciliciæ: eram n. ignotus facie Ecclesiis Iud. quæ erant in CHRISTO: tantum aût auditum habebant, quomodo qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem quam aliquando expugnabat, & in me glorificabāt Deum. Deinde post annos 14 rursum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito: & reliqua. Hieronymus sic ait: In principio suæ conuersionis & fidei, & transitu Apostolos vidit in Hierusalem, hoc est post tres annos postquam conuersus fuit. Hæc dicit Hieronymus. Deinde Petrus venit Romam, vbi prædicans Euangelium 25 an. mensib. 5, dieb. 13, Episcopus eiusdem captiuitatis præfuit: hoc est, vsque in vltimum annum Neronis, in quo cum sancto Paulo passus est, sub consulibus Syllano & Otthone: teste Cassiodoro senatore.

Beata Maria obiit annorum quadragintaseptem, feria tertia, vbi omnes Apostoli adfuerunt.

Anni Chr.	*Anni Tib.*	
36	20	Sulpicius & Sylla. Pilatus sacrum thesaurum, qui & Corbona vocatur, in aqueductum Hierosolymarum expendens, secundæ seditionis præbuit semina. Quidam etiam scribūt, Tiberium hoc anno à lepra sanatum fuisse.
37	21	L. Vitellius, Paulus Fabius Priscus.
38	22	P. Gallus, Q. Nonianus. Cycli 319, indictio vndecima. Paulus sic ad Galatas ait: Quum autē complacuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meę, & vocauit per gratiam Spiritus, vt reuelaret filium suum in me, vt euāgelizarem illum in Gentibus, continuo non acquieui carni & sanguini, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum: deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus 15; alium autem Apostolorum vidi neminē, nisi Iacobum fratrem Domini: & reliqua. Beda sic: Cōstat ergo, Paulum post annos tres cōuersionis suæ venisse Hierosolymā, & Apostolorum numero sociatum, hoc est quod Lucas sic dicit in Actibus Apostolorum, Barnabam apprehensum illum duxisse ad Apostolos. Agrippa filius Herodis regis magni, accusator Herodis tetrarchæ,

Romam profectus à Tiberio in vincula cōiicitur. Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referēte, Tiberius tetulit ad Senatum, vt inter cætera sacra reciperentur: verum quum ex consilio patrum Christianos eliminari ab Vrbe placuisset:

Anni Chr.	*Anni Tib.*	
39	23	Sex. Gallienus, L. Plautianus. Tiberius per edictum accusatoribus Christianorū comminatus est mortem vt scribit Tertullianus in apologetico. Tiberius in Campania moritur veneno, his consulibus, (teste Cassiodoro) anno 23 imperii sui, ætatis vero 78. Methodius sic: Interim Tiberius, circiter 22 annis sui principatus exactis, viuendi finem fecit: qui de Domino IESV CHRISTO, hoc apud Senatum vsus est consultu: Si Deus est, (inquit) poterit rebus nobis inutilib. prodesse: si homo est, reipublicę subuenire. Hic lepra vexatus nō modica desiderabat, auditis diuinis virtutibus, gratiam eius per nuncios comprobare, sed non potuit ad hoc pertingere: quia CHRISTO iam post resurrectionem cœlo præsidente, fama compererat, Pontio Pilato adiudicante Iudæis traditum, & à suis militibus crucifixum, sepultumq; tertia die resurrexisse, sed furatum à discipulis cultoribus appretiatis diffamatum esse, à quadam matrona nomine Veronica, quæ ipsius Saluatoris nostri aspectum, ipso exprimente atque contradente, ad euidentiam testificandæ veritatis & obseruandæ fidelitatis nicemate suo reconsignatum habuit. Quæ dum nuntios conuenisset, & ita esse atque se habere per omnia euidentissime asseruit, Romam ab ipsis delata est, atque in præsentiam principis adducta, speciem diuinæ testificationis ostendit, & virtutem perfecti medicaminis gratia CHRISTI mirabiliter effecit. Qui dum comperisset, Pilatum Dominici cruoris reum extitisse: Senatu decernente, vtpote qui sine audientia Romam non consultus talia præsumeret, iussus est exilii supremam damnationem subire: non multo post ipse (vt dictum est) vitam di finem fecit. Hucusq; Methodius.

C. CALIGVLA.

ROmanorum 4, C. Caligula, in eodem anno quo obiit Tiberius incipiens, regnā-

regnauit annis 4, mensibus 10, diebus 8. teste Eusebio & Beda: hoc est vsque ad Calendas Augusti, in anno 10 post passionem, sub quo hi consules fuerũt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	*Anni Cal.*
40	1

C. Proculus, C. Nigrinus. Sanctus Petrus, in anno sexto post passionẽ, primo anno Caii, cathedrá Antiochiæ Ecclesiæ, octaua Calẽdis Martii, tenet per annos 7. Caius Herodẽ Agrippam vinculis liberatum regem Iudææ facit, annis 4. Caius semetipsum in Deos refert. Methodius sic: post Tiberium Caius imperium suscepit, & continuo Iudæorum principatum tradidit Agrippæ, simul & Philippo. Hieronymus sic: Quũ Petrus venisset Antiochiã affirmãte Paulo, tunc credendum, sic in faciem illi Paulum restitisse. Beda in acta Apostolorum sic: Matthias apostolus ante Pentecosten ordinatur: septem vero diaconi post Pentecosten, Apostolorum oratione & manus impositione ordinantur. Stephanus Græce, Latine corona interpretatur. Eusebius sic: Statim (inquit) post ordinationẽ suam, Stephanus lapidatus est ab his qui & Dominum occiderunt.

| 41 | 2 | M. Iulianus, L. Aspremas. Herodes tetrarcha & ipse amicitiam Caii petiit. Agente Herodiade vxore sua Romam venit, sed accusatus ab Agrippa tetrarchiam perdidit: fugiensq; in Hispaniam cum Herodiade mœrore periit, pro lætitia quam habuit in decollatione sancti Ioannis Baptistæ.

| 42 | 3 | Publicola, & Nerua. Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interfecit, vt scribunt Romanorum historici.

| 43 | 4 | Cæsar. Plurimi nobilium à Caio interfecti: sororesq; suas, quibus stuprum intulerat, insularum exilio condemnat. Caius iussit omnes exules interfici. Matthæus in Iudæa prædicans Euangelium scripsit.

| 44 | 5 | Cæsar & Iulianus. His cõsulibus, Cassiodoro teste, Caius à protectoribus suis occiditur in palatio, anno ætatis suæ 39, mẽse Iulio, cui Claudius successit. Methodius sic: Sedecim Caio annis, nec integris sub principatu administrato, Claudius imp. succedit: sub quo fames satis dira vniuersum orbẽ terræ obtinuit.

CLAVDIVS.

ROmanorum 5, Claudius Cæsar regnauit annis 13, mensibus 7, diebus 28, hoc est vsque ad Calendas Apriles, in anno vigesimoquinto post passionem. Sub quo hi consules fuerunt.

Anni Chr.	*Anni Clau.*
45	1

Claudius Cæsar 2, Saturninus. Iste est Claudius, patruus Drusi, qui apud Moguntiacum habet monumentum.

| 46 | 2 | Saturninus 2, Venustus. Eusebius sic: Petrus apostolus quum primus Antiochiam fundasset Ecclesiam, Romam mittitur: vbi Euangelium prædicans 25 annis Episcopus eiusdem Vrbis perseuerat.

| 47 | 3 | Tiberius & Gallus. Marcus Euangelista, interpres Petri, Ægypto & Alexandriæ CHRISTVM prædicat. Primus post Petrum Antiochiæ Episcopus ordinatur Euodius.

| 48 | 4 | Crispinus & Taurus Agrippa qui & Herodes, rex Iudæorũ, annis septem imperãs, obiit: postea filius suus Agrippa à Claudio in regnum constituitur. Prophetia Agabi, qua in Actibus Apostolorum famem in toto orbe dixerat futuram, sub Claudio expletur. Eusebius & Beda sic: Quarto anno Claudii fames grauissima, cuius Lucas meminit, facta est. Methodius sic: Sub quo Claudio satis dira fames vniuersum orbẽ terrę obtinuit. Quo tempore 54 ætatis annum agẽs, regni vero 7, Herodis vitam violenter abripuit. Hucusq; Methodius. Eodẽ enim tempore misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit enim Iacobũ fratrem Ioannis gladio. Videns autem quod placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum. Erãt autem dies azymorum: quem quum apprehendisset, misit in carcerẽ: & reliqua. Sequitur Lucas: Segregate mihi Barnabam & Paulum in opus ad quod assumpsi eos. Beda sic: Paulus iuxta ordinem historiæ creditur, 13 anno post passionem Domini apostolatum cum Barnaba, Pauliq; accepisse vocabulum, 14 aũt anno post passionem iuxta cõdictum Iacobi, Cephę & Ioannis, ad Gentium magisterium fuisse

profectũ. Hæc Beda. De hac ergo ascensione sua in Hierusalem **post**quam dixit se (vt supra diximus) post **tres** annos conuersionis suę in Hierusalẽ vidisse Petrum, subiũxit: Deinde post **annos** quatuordecim ascendi Hierosolymam **cum** Barnaba, assumpto & Tito: & **con**tuli cum illis Euangelium quod prædico in Gentibus: & reliqua. Hoc est secũdum Lucam: Statuerunt vt Paulus & Barnabas ascenderẽt, & quidã alii ex illis ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem: & reliqua. Sequitur ergo, vt beatum Petrum nõ ante eundem 14 annum post passionem Domini, quo eum Hierosolymis alloquitur Paulus hoc est quarto Claudii Cæsaris anno Romã venisse credamus. Vbi numerus ipse quem posuit sanctus Paulus, recensendus est annorum. Scimus enim Petrũ & Paulum Apostolos anno 38 hoc est, post annum passionis, ideſt vltimo anno Neronis passos fuisse, & beatum Petrum Romæ 25 annis, mensibus 2, diebus 8, à 15 Calendarum Februarii quo cathedram tenuit, vsque ad Calendas Iulii quibus passus est, prædicasse, Petri autem 25 anni, & 14 sancti Pauli, cũ anno passionis Domini, fiunt 39 anni. Incarnationis ergo 45, Claudii vero primo anno, Iacobus frater Ioannis gladio decollatur ab Herode, 8 Calendis Augusti. Petrus aũt anno secundo Claudii, in diebus azymorum in carcerẽ mittitur, ideſt quando Herodes qui & Agrippa ab angelo percutitur. Sanctus vero Petrus anno 14 passionis hoc est 4 Claudii, iuxta Chronicas, 15 Cal. Februariis Romæ cathedram tenuit.

Anni Chr.	*Anni Claud.*	
49	5	Vinitius & Cornelius. Domitius orator clarus, qui sub Nerone abundantia cibi in cœna obiit.
50	6	Asiaticus & Cornelius. Descriptione Romæ facta sub Claudio, inuenta sunt ciuium Romanorum sexagies octies centum & 44 millia.
51	7	Tiberius 2, & Vitellius. Sub procuratore Iudææ Cumano, in diebus azymorum, tanta est Hierosolymis orta seditio, vt in portarum exitu, populo corruente, 3000 Iudæorum corruerint. Annus, passionis Domini, secundum Chronicum Eusebii, & etiam Bedæ.
52	8	Vitellius 2, & Publicola. Palæmon Vincentinus insignis grammaticus Romæ habetur, qui quõdam interrogatus, quid inter stillam & guttã interesset, respõdit, Gutta stat (inquit) stilla cadit. Annus 15 Tiberii iuxta Dionysium.
Anni Chr.	*Anni Claud.*	
53	9	Veranius & Gallus. Antonius, liberalis rhetor grauissimas inimicitias cũ Palæmone habuit. Claudius omnes Iudæos discedere à Roma præcepit, vt Iosephus dicit.
54	10	Vetus & Seruilianus. Fame facta in Græcia, modius sex drachmis venundatus est.
55	11	Claudius, & Ophritus.
56	12	Syllan⁹ & Syluius. Claudius Felicẽ procuratorem in Iudęam mittit, apud quem Paulus apostolus accusatus in defensionem sui perorat. Resurrectio CHRISTI quinto calẽdis Aprilis, luna vigesima prima, secũdum Dionysium.
57	13	Tiberius 3, & Antonius, Lazarus obiit secunda morte, dũ 24 annis inter duas vixit mortes, Ammulario teste. Sub Felice procuratore in Iudęa extiterunt multi, qui populũ suis persuasionibus deciperent iniquis. Ex Ægyptus quidam pseudopropheta fuit, qui plurimos sibi associãs, in ipso magnarũ rerum conatu per exercitũ Felicis opprimitur: vt scribit Iosephus, cõsentaneus apostolorum Actibus, in quibus Paulo dicitur à tribuno: Nonnne tu es Ægyptius, qui ante hos dies concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorũ? Cyclus quartus decennoualis incipit indictione 15.
58	14	Syllanus & Otho. Agrippina eius vxor postquã Claudium veneno occidit, vt filium suum Neronem faceret regem, misit repente Pyrrhum militię principem cum tribunis potentibus ad castra: & ductus, adoratus est more principis, his consulibus, teste Cassiodoro. Sic Claudius in palatio anno 44 ætatis obiit mẽse Martio. Et sic Nero imperiũ cepit. Methodius sic: Claudio tredecim annis & tredecim mẽsibus Romanorum pfuncto imperio, Nero suscepit principatum.

NERO.

ROmanorum 6, Cl. Nero regnauit annis 13, mensibus 7, diebus 28, hoc est vsque ad Calendas Decembres, anno 59 post passionem Domini. | 59 | 1 |

| *Anni Chr.* | *Anni Ner.* |

| 59 | 1 | Syllanus 2, & Antoninus. Huius auunculus fuit C. Caligula. Felice regnante in Iudæa, seditio orta est in Cæsarea Palæstinæ, & magnam Iudæorum multitudinem perdidit.

¶ Linus coepiscopus sub Petro apostolo exteriora curauit, per annos vndecim, menses tres.

| 60 | 2 | Marcellinus & Auiola. Festus succedit Felici, apud quem præsente Agrippa rege, Paulus apostolus religionis suæ rationem exponens, vinctus Romã mittitur: his consulibus, teste Cassiodoro. Anno 2 Neronis, id est 26 anno post passionẽ Domini, & post biennium liberæ suæ custodiæ ad prædicãdum liber dimittitur. Anno 4 Neronis, Romani dicunt, Petrum annis 15 in Roma fuisse, antequam Paulus ad Romam veniret. Methodius sic: A quo Festus mittitur in Iudęam succedens Felici, apud quem causa dicta Paulus vinctus mittitur Romam; Aristarcho se comitante, quem cõsequenter in Epistolis suis concaptiuum appellat.

| 61 | 3 | Nero & Verus. Probus Romæ eruditissimus grãmaticus clarus habetur.

| 62 | 4 | Nero 2, & Piso. Statius Vrsulus Tholosensis celeberrime in Gallia Rhetoricam docet.

| 63 | 5 | Nero 3, & Messala. Nero matrem suam Agrippinam, & sororem patris interfecit. Terræmotus Romæ, & defectio Solis.

| 64 | 6 | Nero 4, & Cornelius. Nero tantæ luxuriæ fuit, vt frigidis & calidis vngeretur vel lauaretur vnguentis. Festo procuratori Iudęę succedit Albinus. Methodius sic: Quo tempore Iudæi in Iacobum fratrem Domini immanitate nequitiæ suæ vertuntur. Iacobus filius Alphæi, frater Domini, quum 30 annis post passionem Hierosolymorum rexisset Ecclesiam, octauo Calendis Aprilis, sancto die Paschæ, à Iudæis lapidatur, vindicantes in eo, quod Paulum interficere non potuerunt. Quoniam itaque octauo Calendarum Aprilium in Pascha passus sit Iacobus, & hoc in anno 30 post passionem factum est: iuxta totam Ecclesiam atq; omnes historicos satis apparet, quia sexto Calẽdarũ Aprilis surrexit Dominus. Hic itaq; annus 5 Neronis ratione temporis, secundum falsam supputationem olympiadum eius, est septimus, in quo antea iuxta Bedam Theophilum in octauo Calendarum Aprilium Dominum resurrexisse narrauimus. Resurrectionẽ Domini in hoc anno octauo Calẽd. Aprilis Beda sic putat propter supputationẽ, in qua Chronica Eusebii, & post eã suam Chronicam composuit, ab incarnatione Domini, sicut ipse dicit. Iacobo vero passo, in thronũ eius successit suus frater: Symeon qui & Simon assumitur. Hi fratres Domini dicũtur, quia mater eorum Maria, vxor Alphæi, soror erat Marię matris Domini. Quam Mariã Cleophæ dicit Ioannes: vel quod Alphæus Cleophas, vel post natum Iacobum defuncto Alphęo, Maria nupsit Cleophæ, cui Symeon filium genuit: qui Cleophas fuit frater Ioseph. Hieronymus sic: Ipsa etiam Maria est, quæ Iacobi Minoris scribitur mater, fuit vxor Alphæi, & soror matris Domini: quã Mariã Cleophæ Ioannes dicit, à patre vel à gentilitate familiæ, vel alia causa, vel binomina fuit. Fratres Domini appellantur, filii materteræ ei⁹ Mariæ, qui antea nõ credẽres, postea crediderunt: vel vnus eorũ statim nõ credidit: alii diu. Et hanc esse matrem Iacobi Minoris, quæ est mater Iacobi & Ioseph, secundum Matthæum.

| *Anni Chr.* | *Anni Ner.* |

| 65 | 7 | Pætus & Turpilianus. Nero Romæ cithara cõtendens cunctos superat: & tantæ superbiæ fuit, vt retibus aureis piscaretur, quæ funibus purpureis extrahebantur. Igitur Neronis 7 imperii anno, post Marcum Euãgelistam, Ecclesiæ apud Alexandriam Amanus sacerdotium suscepit.

| 66 | 8 | Marinus & Gallus.

| 67 | 9 | Crassus & Bassus. Ante mensam Neronis fulmen cecidit. Marcus Euangelista carne exuitur sancto die Paschæ, 7 die Calẽdarum Maii, vt legitur in Martyrologio. Natiuitas sancti Marci Euangelistæ 7. Calen. Maii. Hic discipulus & interpres sancti Petri apostoli, rogatus Romæ à fratribus, scripsit Euãgelium quod quãto cęteris tardius inchoauit, tãto in lõgiora scribẽdo tempora porrexit. Ab initio enim Euangelicæ p̃dicatiõis q, per Ioannem factum est, cœpit: & vsq; ad tẽpus quo Apostoli p̃dicauere peruenit.

Quod quum Petrus audisset, probauit, & Ecclesiis legēdum sua authoritate tradidit Quo Euangelio assumpto, idem Marcus mittēte Petro perrexit in Ægyptū, & primum Alexandriæ CHRISTVM nuncians constituit Ecclesiam. Erat aūt tanta eius doctrina vitæq; continentia, vt omnes sectatores CHRISTI ad exemplum suum cogeret. Cuius Petrus prima epistola meminit Romā nomine Babylonis nominās. Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus. Quiq; cōstitutis & confirmatis Ecclesiis per Libyam, Maricam, Hāmoniam, Pentapolin, Alexandriam, atque Ægyptum vniuersam, ad vltimum tentus est à paganis, qui remanserunt in Alexandria. Qui videntes, eum missas facientem, die sancto Paschæ, 7 Calend. Maii, miserūt funem in collem eius, & trahebant eum ad loca bucolica quę erant iuxta mare sub rupibus, vbi erat Ecclesia constructa, defluebātque carnes eius in terram, ac saxa inficiebantur sanguine. Vespere aūt facto, miserunt eum in carcerem, vbi circa mediam noctem primo angelica visitatione confortatus est. At mane dum traheretur ad loca bucolica, gratias agens & dicens, Domine in manus tuas commendo spiritum meū, obiit, & sepultus est in loco lapidis excisi cum gloria à viris sanctis, octauo anno Neronis. Hæc in Martyrologio. Quod autē nostrum, non Hebræorū Pascha celebrauit, Marcus testis est, & etiam Beda super Acta Apostolorū ita: Constat iam, apostolum Petrum Romæ die Dominico resurrectionis Domini nostri IESV CHRISTI Pascha celebrasse. Cōstat etiam hoc, euangelistam Marcum ab eo missum docuisse in Ægypto. Hæc Beda. Quomodo igitur indictione decima incepit primus annus Neronis in 22 anno post passionem; & indictione tertia octauus eiusdem annus finitur, in anno 33 post passionem, in quo 7 caled. Maij dominico die Paschę passus est Marcus & pagani carnes eius in terram radebant, tamen adhuc spiritum retinens vsq; mane emicat, quod CHRISTVS 6 Calend. Aprilis resurrexit à mortuis. Pascha enim 7 Calend. Maij, non antea vel post prædictum annū, quam 92 annis habetur. Post Marcum Euangelistam primus Alexandriæ Ecclesiæ ordinatur Episcopus Amanus, qui præfuit annis vigintiduobus.

| *Anni Chr.* | *Anni Ner.* |

| 68 | 10 | Syllanus & Paulinus. Perseus obiit anno ætatis 28. M. Anneus Lucanus Cordubensis, poeta, in Pisoniana coniuratione deprehensus, brachium ad secandas venas præbuit medico. Nero, vt similitudinem Troię ardentis inspiceret, plurimam partem Romanæ vrbis accendit. In Asia tres vrbes terræmotu conciderunt, Laodicea, Hierapolis, Colosse. Albino succedit Flor⁹, sub quo cōtra Romanos Iudæi rebellauerunt. Iuni⁹ Gallio, frater Senecę, propria se manu interfecit.

| 69 | 11 | Thelesinus, & Paulinus. Duæ tamen sub Nerone prouinciæ factę, Pontus Ptolemaicus, & Alpes Coctiæ. Coctio rege defuncto, multi nobilium Romæ à Nerone interfecti. Nero in olympiade coronatur.

| 70 | 12 | Capito & Rufus. Linus his consulibus passus 9 Cal. Octobris. Clerus coepiscopus successit annis 12. L. Annius Seneca Cordubensis præceptor Neronis & patruus Lucani poetæ, incisione venarū & veneni haustu periit. Nero cerycas, citharistas, tragœdos, aurigas vario certamine superans, & rursum Isthmia Pythia, Actia celebrans inter cerycas, tragœdos & citharistas coronatur.

| 71 | 13 | Italicus & Turpilianus. Neroni in expensas centies centena millia decreto Senatus annuo subministrantur. Nero cum cæteris viris insignib. & Octauiam vxorem suam interfecit, Cornutūq; philosophum & præceptorem Persii in exilium fugat. Musonius & Plutarchus philosophi clari habentur.

¶ Petrus (sicut in gestis pontificum habetur) Clementem episcopum consecrauit, eiq; cathedram & omnem Ecclesiam disponendam commisit dicēs, Sicut mihi gubernandi tradita est à Domino IESV meo CHRISTO potestas ligandi soluēdique, ita & ego tibi committo, vt ordinans quos actus Ecclesiasticos* profligatus, eu minime in curis seculi deditus reperiatis sed solummodo ad orationem & prædicationem vacare stude. Petrus ordinauit duos Episcopos, Linum & Cletum, qui præsentialiter omne ministerium sacerdotale in vrbe Roma populo vel superuenientibus exhiberent. Beatus autem Petrus

trus ad orationem & prædicationem populum erudiens vacabat. Linus fuit tempore Neronis, à consulatu Saturnini & Scipionis vsq; ad Capitonem & Rufum cõsules: martyrio coronatur, & sepelitur iuxta corpus beati Petri in Vaticano, 9 Cal. Octob. Cletus fuit temporibus Vespasiani & Titi: à consulatu Vespasiani anno 1, & Titi primo, vsq; ad Domitiani 4, & à Rufo consule passus & sepultus 6 10 Calend. Maij iuxta corpus beati Petri in Vaticano. Clemens fuit temporibus Galbæ & Vespasiani à consulatu Turpiliani & Italici, vsq; ad 3 annum Traiani Imperatoris.

Anni Chr.	*Anni Ner.*	
72	14	Syllanus & Otho. His

cõsulibus teste Cassiodoro, Nero Petrum & Paulum & se interfecit. Methodius sic: Tunc passi sunt sanctissimi Apostoli Petrus & Paulus, vt Corinth. episcopus Dionysius Romæ de Scripturis disputans, dicit: Sed & vos habentes communionem à Petro, & Paulo plantationem Romanæ & Corinthiorum Ecclesiæ coniuncti estis. Ambo etenim simul & aduentantes, & in nostra Corinthiorum ecclesia docuerunt, & per omnem fere Italiam, atq; in hac vrbe simul docentes simul martyrio pariter vno eodemq; coronati sunt. Igitur Iudæi debitis cladibus perurgebantur. Sanctus vero Apostolus Domini & Saluatoris nostri Thomas sortitus est Parthos, Matthæus Æthiopiam, Bartholomæus Indiam citeriorem, Andreas Scythiam, Ioannes Asiam: vnde apud Ephesum & commoratus & defunctus est: cæteriq; Apostoli atq; discipuli, ad prædicãdum verbum Dei per singulas quasq; orbis terræ prouincias, tanquam proprijs sedibus pulsi & positi in dispersionem, dirimuntur: quorum æmulatores per singulos Paulus nunc auditores, nunc commilitones, nunc etiam cõcaptiuos & collaboratores in Euangelio, & comites nominat: de quibus Crescens quidẽ ad Gallias profectus esse, Linus vero & Clemens in vrbe Roma ecclesiæ præfuisse phibentur: sed & Dionysium Areopagitam apud Athenas quem Lucas describit, primum Paulo prædicante credidisse, & intercios eius fuisse, & ecclesiæ Athenienſium sacerdotium suscepisse. Igitur postquam beatissim⁹ Petrus Apostolus Antiochenã ecclesiam primam cõfessione Christiani nominis super solidissimam Petram fundauerat, & Pontum, Galatiam Cappadociã ac Babyloniam verbo prædicationis illustrauerat, an. Dominicæ incarnatiõis 47, regni autem Claudij Cæsaris anno 4, superna visione ordinãte Romam ingressus, salutarem cunctis credentibus fidem constantissima assertione prædicauit, eãdemq; potentissimis signis atque virtutibus comprobauit, & eiusdem vrbis pontificatum 25 annis strenuissime rexit, i. vsque in vltimum annum Neronis. Fundata itaq; & ædificata Romanæ Vrbis ecclesia supra firmissimam petram quæ CHRISTVS, est fidelis nomine Petri: & quum iam per totam Italiam pullularent germina vitæ, tandem Spiritus sancti prçmonitus inspiratione Germaniæ atq; Galliæ vrbibus verbum salutis ordinauit inferre. Ad hoc deniq; opus eligitur ex suis discipulis vir magnarum existens virtutum, Eucharius, qui in ordine 72 discipulorũ Domini legitur fuisse tertius. Anno igitur Dominicæ incarnationis 54, regni autem Claudij Cæsaris 11, episcopatus vero beati Petri Apostoli in Roma 8, sanctus Eucharius cum socijs suis Valerio atque Materno ad prædicandum Gallicis gentibus à beato Petro Apostolo directus, demum Treuerim peruenit: cuius infidelitatis aciem deuincens, veræ religionis arcem obtinuit, & eiusdem vrbis põtificatum 23 annis tenuit. Anno autem post passionem Domini secundo, Stephanus à Iudæis lapidatus est. & à CHRISTO coronatus. Anno vero post passionem Domini tertio, Paulus ad fidem CHRISTI conuertitur: quique etiam pro eadem fide Domini nostri IESV CHRISTI, anno post passionem Domini 25, regni autem Neronis anno secũdo, postquam ab Hierusalem vsque ad Illyricum repleuit Euangelio CHRISTI, Romam vinctus missus est, Aristarcho se concomitante. Anno itaque post passionem Domini 38, regni autem Neronis anni 14, qui & vltimus eodem tempore, eodemque die quo Petrus Romæ crucifigitur, iubente Nerone, simul & beatus Paulus, pro CHRISTO, iussu eiusdem Neronis condemnatur capite, & in via Ostiensi, ab vrbe Roma miliario secundo traditur sepulturæ. Quod & passio ipsorum Apostolorum, nec non &

historia tripartita veriſſime teſtatur, ſcilicet quod ambo pariter vno die martyrio ſunt coronati. Hucuſq; Methodius Epiſcopus.

L. Annius Melas, frater Senecæ & Gallionis, bona Lucani poetæ filij ſui à Nerone promeretur.

Primus Nero ſuper omnia ſcelera ſua etiam primam perſequutionem in Chriſtianos facit, in qua vna die beatus Petrus crucifigitur, & Paulus gladio cæditur, anno 38 poſt paſſionem.

Contra Iudæos qui certe Flori auaritiã non ferentes rebellabant, Veſpaſianus magiſter militiæ à Nerone tranſmittitur, & multas vrbes in Iudæa capit.

Flauius Ioſephus ſcriptor hiſtoricus, dux belli Iudæorum, quum à Romanis interficiẽdus eſſet, Veſpaſiano prædixit de morte Neronis, & eius imperio.

Leo ſecundus ſucceſſor Agathonis papæ, in ſua Decretali epiſtola ſic: Si autem Petrus Apoſtolorum princeps adiutores ſibi aſciuit Linum & Cletum, non tamen poteſtatem pontificis, animas ligandi vel ſoluendi normã, eis tradidit: ſed Clemẽti ſucceſſori ſuo, qui ſedem apoſtolicã poſt eum & poteſtatem pontificalem, tradẽte ſibi beato Petro, tenere promeruit. Linum namq; & Cletum nihil legimus vnquam feciſſe ex põtificali miniſterio poteſtatiue, ſed quantum eis à beato Petro præcipiebatur, hoc ſolummodo agebãt. Hæc Leo papa. Clemens ergo papa primus poſt petitionem Romanam eccleſiam tenuit, vel cum Lino & Cleto, ſicut cum Petro fuerat. Poſt Petrum, imo etiam cum Petro primus papa ſanctus Clemens Romanam regit eccleſiam, ipſo teſte. Decretalis epiſtola Clementis Romani pontificis ſic ait: Clemens Romanæ eccleſiæ præſul Iacobo chariſſimo Hieroſolymorum Epiſcopo. Quomodo ſicut à beato Petro Apoſtolo accepimus, omnium Apoſtolorum principe & patre qui claues regni cœleſtis accepit, æqualiter tenere debemus de ſacramentis quæ gerũtur in ſanctis, te ex ordine nos decet inſtituere. Tribus enim gradibus commiſſa ſunt ſacramenta diuinorum ſecretorum, id eſt presbytero, diacono & ſubminiſtro: hi cum timore & tremore reliquias coporis Dominici debent cuſtodire. Fragmentorum neq; putredo in ſacrario, & neq; agatur negligẽter, nec portioni corporis & ſanguinis Domini grauis inferatur iniuria. Communio enim domini noſtri IESV CHRISTI ſi negligenter agatur, & non curat admonere officia, graui anathemate perculſus pro iudicio digna humiliationis prodigia feriantur. Certe tanta in altari holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debẽt: quod ſi remanſerint, in craſtinum non reſeruẽtur, ſed cũ timore & tremore clericorum conſumantur. Qui autem reſidua corporis Dominici quæ in ſacrario relicta ſunt, conſumunt, nõ ſtatim ad communes accipiendos cibos conueniant, nec putent ſanctæ portioni commiſcere cibum, qui per aqualiculos digeſtus in ſeceſſum diffunditur. Si igitur mane Dominica pars porrigatur, vſq; ad 6 ieiunent miniſtri quæ eam conſumpſerint: & ſi tertia vel quarta hora acceperint, ieiunent vſq; ad veſperam. Sic ſecreta ſanctificatione æterna cuſtodienda ſunt ſacramenta. De vaſis ſacris ſane ita gerendum eſt, altaris pallia, cathedra, candelabrum & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendentur: quoniam non licet ea quę in ſacrario fuẽre male tractati: ſed incendentur. Cineres quoq; eorum in baptiſterio inferãtur, vbi nullus trãſitus habeatur, aut in pariete vel in foſſis pauimentorũ iactentur, ne introeuntium pedibus inquinẽtur. Nemo per ignorãtiam clericus palla mortuum cre-dat obuoluendum, vel ſcapulas operire diaconus velit de his quæ fuerunt in altari. Qui fecerit laicus, leuiter; ſi diaconus triennio & 6 menſ. à Dominico erit altari graui percuſſus anathemate, remouendus. Quod ſi clericos presbyter non admonuerit, 10 annis & 5 menſ. excommunicatus ſit. Qui non docuit eos, de his & poſtea cũ grandi humilitate matri reconcilietur eccleſiæ. Pallas vero & vela ſanctuarij diaconi cum humilibus miniſtris intra ſacrarium lauent, ne forte puluis Dominici corporis foras extra ſacrarium male decidat. Sindone foras delata, & erit hoc operanti peccatum; ideo in ſacrario miniſtris præcipimus cum omni diligentia cuſtodire. Peluis noua, munda, nihil aliud tangat ad Dominici altaris cultum, vbi pallæ lauentur. Vela autem non in ipſa, ſed in alia lauẽtur. Præcipimus etiam, ne extra eccleſiam ſiue laico de fragmentis oblationum ponatur ad menſam. Vnde ſcis tu, qui paſſim ſacrarij panes indignus

dignis impendis? vnde nosti, si à mulieribus mundi sint hi quibus impendis? Hinc & Dauid interrogatus ab Ahimelech sacerdote, quum se mundum ante triduum profiteretur à mulieribus, panes propositionis māducauit. Ministri altaris presbyteri, diaconi ad Dominica tales eligātur officia, qui ante ordinationem coniuges suas reliquerunt. Quod si post ordinationem ministro cōtigerit propriæ inuadere cubile vxoris, sacrarij non intret limina nec sacrarij portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem accedat, aquam sacerdotum manib⁹ porrigat, ostia forinsecus claudat, minora gerat officia, vrceum sane ad altare vel calicem non suggerat: si forte quispiam presbyter siue diaconus sacrarij, vel velū vendiderit, noluerit se inde Iscariotis susceturū pœnā. Et postea ita conclusit Clemēs: His ergo bene paratis sententijs, ne quis hæc p̄cepta minime credat implenda, & iudicij Dei ignis æterni tormenta sustineat, qui ecclesiastici operis sacra neglexit: hæc ergo, frater Iacobe, de ore sancti Petri iubentis audiui. Si quis hæc præcepta non integra custodierit, sit anathema vsq; ad aduentum domini nostri IESV CHRISTI. Hæc p̄cepta à sancto Petro Apostolo audiui, accepi, & tibi charissime frater Iacobe insinuare curaui, vt seruari omnia præcipias sine macula. Si quis audierit te, vtilis erit minister IESV CHRISTI. Qui aūt non audierit te, immo loquentem IESVM CHRISTVM per te, ipse sibi damnationem acquirit. Omnipotens De⁹, charissime frater, te sua ꝓtectione custodiat, atq; ad cœlestis remunerationem patriæ cum multiplici animarum fructu perducat. Deus te iterum iterumq; incolumem custodiat reuerendissime. Amen.

Alia decretalis epistola Clementis Romani episc. successoris beati Petri. Clemens vrbis Romæ episcopus, & reliqua. Et infra: De q̄bus & beatus Petrus, instructor & ordinator noster. Et paulo post: Hæc Apostoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderūt. Hæc nos docemus, vobisq; hæc omnibus absq; reprehensione tenere & docere, quibus agendum est, mandamus. Et postea: Dominus noster IESVS CHRISTVS mittens discipulos suos præcepit nobis, In quamcunque ciuitatē intraueritis, dicite, Pax huic domui: & reliqua. Alia epistola Clementis. Dilectissimis fratribus, & cōdiscipulis Hierosolymis cum charissimo fratre Iacobo episcopo habitantibus, Clemens Episcopus: & reliqua. Hæc dixit sanctus Clemens. Sanctus ergo Clemens non tantum successor beati Petri Apostoli fuit, sed etiā viuente Iacobo 9 annis ante passionem Petri Romanam cathedram tenuit, iuxta Scripturam, & deinde post Petrum 21, i. 12 cum Cleto & Lino, & 9 annos post eos, vsque dum in exilium missus est. Si sanctus Clemens papa fuit, tunc ante decretalem istā epistolam sancto Iacobo cōscripsit. Nullius autem legitur decretalis epistola, nisi papæ. Qui anni 9 eius imputantur, quasi Petrus Cletum *tantum ipse solus cathedram teneret, & prætermittitur Anacletus papa secundus, post Petrum sedens 10 annis qui non possunt sub regibus supputari vsq; ad Traianum imperatorem papæ quatuor. Iacobus autem in anno trigesimo post passionem Domini, & Petrus 39 passus sit. Traianus autem in anno 66 post passionem regere cœpit. Sub quo passus est sanctus Clemens *, non episcopali potestate sedis Apostolicæ dicendo, sit anathema.

Linus ex præcepto beati Petri præcepit, ne mulier nisi velato capite ecclesiam intret. Cuius Paulus in epistola ad Timotheum meminit, qui etiam martyrio 6 cal. Decembris coronatur. Romæ passi sunt Processus & Martinianus, & 47 qui baptizati sunt à Beato Petro, & in custodia Mamurtini intrusi, Apuleius, Torpetus & Marcellus. Passi sunt in Alexandria Marcus Euangelista 8 anno Neronis; Mediolani Nazarius, Celsus; apud Nuceriam Aquileiam, Hermagoras episcopus, Fortunatus diaconus, cum Constantia. Orosius presbyter sic: At vero Nero postquam Galbam in Hispania imperatorem creatum cum exercitu cognouit, totus animo ipse concidit: siquidem Petro in vrbe Roma interfecto, & Christianis pœnarum diuersitate laniatis, de Hispania illico Galba surrexit. Quumq; inde Nero incredibilia perturbandæ immo ignominiosissime subruendæ Reipublicæ mala moliretur, hostis à Senatu pronunciatus, & ignominiose fugiens, ad 4 ab vrbe milliarium in suburbano Libertini sui, inter Salariā & Numentanam viā, semetipsum

interfecit, ætatis 32 anno, in quo omnis familia Augusti consumpta est.

Galba.

ROmanorum rex 7, Galba Sergius, mox vt mortem Neronis comperit, Romam venit. Qui quum antiquissimæ nobilitatis senator anno 63 ætatis esset ab Hispanis & Gallis electus, mox ab vniuerso exercitu libenter susceptus est. Nam priuata eius vita insignis erat, militibus & militaribus ac ciuilibus rebus sæpe cõsul, sæpe proconsul, frequenter dux grauissimis bellis. Huius breue imperium bono cœpit exordio, nisi quod propensior erat ad seueritatem. Orosi⁹ sic: Quumq; eum auaritia, sæuitia, segnitiaq; offenderet, sibi Pisonem nobilem industriumq; adolescentem in filium atq; in regnum adoptauit. Cum quo insidijs Othonis in medio vrbis Romæ foro capite trũcatus est, mense 7, septimoq; die sui imperij: sepultusq; est in suis hortis in via Aurelia, non longe à Roma. Hæc Orosius. Hic igitur regnauit vsq; ad mensem Iulium, in anno 39, post passionem, iuxta temporis rationem.

Anni Chr.	*Anni Gal.*	
73	1	Vespasianus & Titus. M. Fabius Quintilianus Romam à Galba perducitur.

Otho.

ROmanorum rex 8 Sylui⁹ qui & Otho, Galba & Pisone Romæ interfectis, inter tumultus cædesq; intrauit imperium. Hic matre erat nobilior quam patre, neutro tñ obscuro: in priuata vita mollis, & Neronis familiaris. In imperio documentum sui non potuit ostendere. Nam quum Otho Galbam occidit, à Germanis Vitellius factus est imperator. Otho ergo quum mox creatum imperatorem in Gallia per Germanicas legiones Vitellium comperisset, bellum ciuile molitus est. Quum autem tribus primum leuibus prælijs, hoc est, vno apud Alpes, alio circa Placẽtiam, tertio circa locum quem Castoris vocant, contra Valentum & Cinnam Vitellianos duces congressus victor extitisset, quarto apud Bebriacum bello quum audisset suos vinci, quum ingentes tamen copias haberet, & petentibus militibus ne tam cito de euentu belli desperasset, dixit se tanti non esse, vt propter eum bellum ciuile oriretur. Anno autem 38 ætatis suæ, imperij autẽ die 90, quo imperare cœperat, sese interfecit: hoc est in mense Octobri, in eodem anno quo Galba occisus est.

Vitellius.

ROmanorum rex 9, Vitellius regnauit mens. 8, vsq; ad Octob. mensem, in anno 40 post passionem Domini. Notandum quod Galba, Otto, & Vitellius, fuerunt inuasores regni sed Vespasianus apud Iudæam ab exercitu imperator appellatus est. Vitellius occiso Othone potitus imperio, cum suis Othonisque militibus ingenti gloria Romam victor aduenit. Hic familia honorata ortus magis, quam nobilis: & quamuis pater eius patre non admodum claro natus, tres tamen ordinarios gessit consulatus. Hic cum multo decore & graui sequitia notabilis, præcipue ingluuie & voracitate, vitam humanam proprijs malis aggrauauit: quippe quum de die sæpe 4 vel 5 fertur epulatus. Notissimæ certe cœnæ memoriæ mandata est, quam & frater Vitellius exhibuit, in qua supra cæteros sumptus 2000 piscium, & 7000 auiũ apposita traduntur. Hic quum Neroni similis esse vellet, & id adeo sæpe faceret, vt exequias Neronis quæ humiliter sepultæ erant, honoraret. Qui quum de Vespasiano comperit, primum molitus est deponere imperium: sed postea à quibusdam animatus, Flauium Vespasianum fratrem, nihil tunc mali suspicantem, cum cęteris Flauianis in Capitolium compulit. Succenso itaq; templo, & mixta simul flamma ruinaq;, omnes in vnum pariter interitum atque tumultum dedit. Postea deficiens in Vespasiani numine, & ab exercitu suo destitutus, appropinquãtibusq; hostibus, trepidus quum se in quãdam proximam cellulam contulisset, turpissime inde protractus est, & per viam & Vrbem publice nudus super terram, reducta coma à capite, atque etiam mento mucrone gladij subiecto, & passim tinum in os eius cõiectãtibus carnificibus, in forum deductus est, & ad pectus ab omnibus obuijs impetitus: postremo apud Gemonias scalas graduum minutissimis ictibus crebris-

crebrisq; compunctionibus, gladio ster-
core inuoluto excarnificatus est, deinde
vnco tractus, & in Tiberim proiectus.
Communi ideo sepultura caruit. Vitelli-
us vero occisus est 3, die mens. Octob. Io-
sepho Iudæorum historico teste, & tunc
viuente. Eusebius sic: Galba 7 mense im-
perij sui in medio Romanæ vrbis foro ca-
pite truncatur Otho 7 mense regni sui a-
pud Bebriacum propria manu occubuit.
Vitellius 8 mēse imperij sui à Vespasiani
ducibus occisus, in Tiberim proiectus.
Hoc autem tempus inter Neronem &
Vespasianum nec Eusebius, neque etiam
Beda supputat. Multis autem & nepha-
rijs modis post complures dies à Vespasi-
ani militibus (id est ab Antonino primo
& Marcio qui Vitellium occiderunt, du-
cibus Vespasiani) aduersum Senatum po-
pulumq; Romanum indiscreta cæde sæ-
uitum est. Vespasianus autem quum Iu-
dæos in vrbe Hierosolymorum, præcipue
ob diem festum Paschæ congregatos, ob-
sidione concluisset; cognita morte Ne-
ronis hortatu plurimorum regum & du-
cum, maxime Iosephi ducis Iudæorum
sententia, (qui captus, quum in vincula
conijceretur, constantissime dixit, sicut
Suetonius refert, continuo se ab eodem
Vespasiano imperatore soluendum) im-
perium adeptus, bellum Tito filio com-
mendans, Romam per Alexandriā pro-
ficiscitur. Sed cognita morte Vitellij, pau-
lisper Alexandriæ subsistit. Titus vero ab
exercitu pronunciatus est imperator, vt
Suetonius refert. Iosephus vero Iudæus,
qui ipse præfuit bello, & apud Vespasia-
num post prædictum imperium veniam
gratiamq; meruit, scribit vndecies cente-
na millia gladio & fame periisse. Reliquos
autem toto orbe dispersos numero no-
ningenta millia, narratur. Vespasianus &
Titus imperatores appellati. Methodius
sic: Igitur post Neronem qui 14 annis ob-
sedit Romam, culminis dignitatem Gal-
ba & Otho, anno & 6 mens. detento prin-
cipatu, defuncti Vespasiano regni guber-
nacula derelinquunt, posito per idē tem-
pus in procinctu belli quod Iudæis inten-
debatur: vbi ab ipso exercitu cū quo op-
pugnabat Iudæam, subrogatur imperio.
Hucusque Methodius. Colligitur omne
tempus in 2 annum Vespasiani, & nouis-
simam euersionem Hierosolymorum, à
15 anno Tiberij Cæsaris, & ab exordio eu-
angelicæ p̄dicationis anni 42: à captiui-
tate quam ab Antiocho ppessi sunt, anni
238: porro à Darij 2 anno sub quo rursum
templum ædificatum est, anni 590: à pri-
ma autem ædificatione templi sub Salo-
mone, vsque ad nouissimam eius ruinam
quæ sub Vespasiano facta est, anni 1102.

VESPASIANVS.

ROmanorum 10. Fl. Vespasianus secū-
dum omnes regnauit annis 9, mensib.
11, diebus 22, hoc est vsq; ad Cal. Octob.
in anno 50 post passionem Domini.

Anni Chr.	*Anni Vesp.*	
74	1	Vespasianus 3, & Nerua.

Methodius sic: In cuius sc. Vespasiani ex-
ordio Eucharius Treuericæ ecclesiæ cul-
men, ipse superni culminis dignitatem
adeptus, anno Dominicæ incarnationis
75, Valerio dereliquit. Vespasianus autem
apud Iudæam subrogatur imperio: isque
confestim Romam tēdens, Tito filio suo
curam belli & Hierosolymorum oppu-
gnationes iniungit. Hucusq; Methodius.
Capitolium Romæ incensum.

[*Hic iterum amanuensis aut abbreuiator la-
psus est in consulibus & annis Vespasiani.*]

| 75 | 4 | Vespasianus 4, & Titus 3. Cyclus
decennoualis indictione 4. His consu-
libus, à Tito filio Vespasiani Iudæa capta
est. Vt Iosephus dicit, vndecies centena
millia fame & gladio perierūt, & 100000
captiuorum venditi. Hæc Flauius Iose-
phus ait.

Euangelium secundum Matth. sic: A-
men dico vobis, Non relinquetur hic la-
pis super lapidem, qui non destruatur.
Hieronymus sic: Iuxta historiā manife-
stus est sensus, quia 42 anno post passio-
nem Domini, sub Vespasiano & Tito, ipso
cum templo magnificentissimo ciuitas
funditus est euersa, ita vt solo coæquare-
tur. Hucusq; Hieronymus. In anno ergo
42 post passionem Domini, hoc est cū an-
no passionis, in quo incœpit Vespasianus
ann. 2, capta est Hierusalē in dieb. Paschę,
Iosepho teste & ibi præsente. Sanct⁹ quo-
que spiritus p os Dauid sic: Quanta ma-
lignatus est inimicus in Sancto, & gloriati
sunt qui oderunt te in medio Paschæ, &
reliqua. Quum enim noluerint verti ad
pœnitentiam, Domino eos expectante
per annos 40; dignum erat, vt in tēpore

quo occiderunt Dominum, etiam ipsi occiderentur. Pascha enim Hebræorum anno prædicto contigit feria quarta, in qua congregati sunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum qui vocabatur Caiphas, & consilium fecerunt, vt IESVM dolo tenerent & occiderent. Nostrum autē Pascha 8 Cal. Aprilis, in quo crucifixerunt Dominum, in quibus Titus isdem diebus capit ciuitatem, deinde templum incendit, muros Hierusalem vniuersos solo coæquauit: & vndecies cētena millia gladio & fame periisse, scribit Iosephus, Iudæorum historicus, & tunc præsens, & cētum millia captiuorum vendita, & nonaginta millia dispersa. Ideo autem tanta multitudo Hierusalem erat tunc, quia ex omni Iudæa ad templum in diebus azymorum confluebant.

Anni Chr.	*Anni Vesp.*	
76	5	Vespasian° 5, & Titus 4.
77	6	Vespasian° 6. & Titus 5.

Vespasianus Capitolium ædificare orsus est Romæ.

|78|7| Commodus & Rufus. Colossus erectus est, altitudinis habens pedes centum & septem.

|79|8| Vespasianus septimo, & Titus sexto. Gabinius rhetor celeberrimus in Gallia docet.

|80|9| Syluanus & Verus.
Tunc tres ciuitates Cypri terræmotu corruerunt.

|81|10| Domitianus & Messalinus. Vespasianus colonias deduxit. Apollinaris Episcopus ad Rauennam missus, passus est. Vespasianus profluuio ventris in villa propria circa Sabinos obijt, 69 ætatis suæ anno: & Titus sibi successit, his consulibus, teste senatore Cassiodoro.

TITVS.

ROmanorum 11 Titus, filius Vespasiani, iuxta historiam Romanam regnauit annis duobus, mensibus octo, diebus viginti, hoc est vsque ad Cal. Iun. in anno quinquagesimo tertio, post passionem Domini.

Anni Chr.	*Anni Titi.*	
82	1	Domitianus 2, & Rufus 2.

Titus tātæ bonitatis fuit, vt quum quadam die recordatus fuisset in cœna, mihi se in illo die cuiquam præstitisse, dixit: Amici hodie diem perdidi. Mons Cyprus ruptus in vertice tantum excidit incendium, vt regiones vicinas & vrbes cum hominibus exureret.

Anni Chr.	*Anni Titi.*	
83	2	Domitianus 3. & Sabinius. Titus Musonium Rufum philosophum de exilio reuocat, & amphitheatrū Romæ ædificat, & in dedicatione eius 5000 ferarum occidit. Titus obijt in vila qua & pater eius, anno ætatis 42, imperij autem anno 2, mense 8, secundum historiam Romanam. Cui successit frater eius iunior Domitianus prædictis consulibus, teste Cassiodoro. Methodius ſcribit Qui si Titus patris imperio post decennium regni eius succedit, sed non amplius quam duobus annis totidemque mensibus principatu Romani apicis ministratis. Domitiano fratri rerū summam reliquit, qui Neronianæ theomachiæ & impietatis successor efficitur: quum vtique pater eius Fl. Vespasianus nihil omnino aduersus pietatem irrogarit iniuriæ. Secundo anno regni Titi anno, Cletum papam, Petri Apostoli successorem, 12 annis in sacerdotio transactis, vrbis Romæ episcopatum tradidisse Clementi ferunt. Hucusque Methodius.

DOMITIANVS.

ROmanorum 12, Domitianus regnauit annis 15, mensibus 5, secundum omnes, hoc est vsq; ad Calen. Nouemb. in anno 68 post passionem. Sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	*Anni Dom.*	
84	1	Domitianus 4. & Rufus 3. Cletus his consulibus passus est sexto Calē. Maij, secundum gesta Pontificum. Domitiani vxor Augusta fuit appellata.
85	2	Domitianus 5. & Dolabella. Titus inter deos refertur.
86	3	Domitianus 6. & Rufus 4. Domitianus eunuchos prohibuit. Tres virgines Vestæ ob stuprum damnatæ. Methodius sic. Quo tempore Valerius 15 annis, quū præsideret post Eucharium, qui præcessit Materno, curam pastoralem dimisit.

| Anni Chr. | Anni Dom. |

| 87 | 4 | Flauius & Traianus. Plurimos senatorum Domitianus in exilium mittit. Methodius sic: Quarto igitur anno Domitiani Cæsaris, apud Alexãdriam Amanus 22 annis ministrato sacerdotio defunctus est: in cuius locũ succedit Albilius.

| 88 | 5 | Domitianus 7, & Neruâ 2. Alexãdrinæ Ecclesiæ Episcopus cõstitutus Albilius, qui pfuit annis tredecim.

| 89 | 6 | Traianus 2, & Glabrio. Domitianus templum sine admixtione lignorum construxit, & Deum & diuum se appellari iussit. Cuius anno 6, Clemẽs papa in exilium missus, vt videtur, quum annis 9, & mensibus 2, & diebus 10, post Cletum cathedram teneret. Methodius sic: In vrbe Roma Cletus, 12 annis in Episcopatu exactis, sacerdotii sedem Clementi tradidit.

| 90 | 7 | Domitianus 8, & Saturninus. Duo mẽses aliter appellati. September Germanicus, & October Domitianus. Anacletus papa post Petrum 2. Clementi successit, annis 10, ipso itateste: Anacletus seruus IESV CHRISTI, in sede apostolica: & reliqua. Decretalis Epistola Anacleti papæ. Et infra alia: Nullus, vt ait beatus Clemens, antecessor noster: & reliqua. Alia: Anacletus papa vniuersis Episcopis in Italia cõstitutis: quam apostolicæ sedis debitã reuerentiam erga me charitas vestra distribuit, & reliqua. Et postea: Et vt à beato Petro principe sumus instructi, à quo & presbyter sum ordinatus: & reliqua. Alia: Prouinciæ autẽ multo ante aduẽtum CHRISTI tempore diuiserunt, maxima ex parte: & postea ab Apostolis & beato Clemente præcessore nostro ipsa diuisio est renouata: & reliqua. Alia: Anacletus seruus CHRISTI IESV in apostolica sede à Domino constitutus, & à sancto Petro apostolorum principe presbyter ordinatus. Quomodo hactenus de his à beato Petro apostolo, & reliquis apostolis, & beato Clemente nostro prædecessore & martyre nouimus statuerum, denegare vobis minime possumus. Illi aũt qui in metropoli à beato Petro, ordinante Domino, & prædecessore nostro prædicto sancto Clemente, siue à nobis cõstituti sunt, nõ oẽs primates esse possunt: & reliqua. Et postea: Aliæ autem primates ciuitates, quas vobis cõscriptas in quodam tomo mittimus, à sanctis apostolis, & à beato Clemente, siue à nobis primates prædicatores acceperunt. Hæc vero sacrosancta Romana & apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino saluatore nostro primatũ obtinuit, dicens beato Petro apostolo: Tu es Petr⁹, & super hãc Petrã ædificabo: & reliqua, vsq; Erunt soluta & in cœlo. Adhibita est etiã societas in eadẽ Romana vrbe beatissimi Pauli apostoli, vasis electionis, qui vno die, vnoq; tẽpore gloriosa morte cum Petro sub Principe Neroneagonizans coronatus est. Et posteaait: Ergo Apostolorũ princeps beatus Petrus, de sancto pdecessore nostro Clemẽte plebibus pdicãdo, docens eas qualiter ei obedire deberent, eũq; obseruare. Si alicui est inimicus Clemens, pactibus suis, vos nolite expectare, vt ipse vobis dicat; cũ illo vos nolite inimici esse: sed prudẽter obseruare debetis, & volũtati ei⁹ absq; cõmuniõe obsequũdare, & amare vos separare ab eo cui ipsũ sentitis aduersum, sed nec loqui his, quib. ipse nõ loquatur, vt vnusquisq; in hac culpa est. Dũ cupit omniũ vestrũ amicitias ferre, festinet citius recõciliari ei, qui omnibus præest: & pro hoc redeat ad salutẽ, quum obedire cœperit monitis pręsidentis. Si vero quis amicus fuerit his quibus ipse non loquitur, vnus est & ipse ex illis, qui exterminare Dei Ecclesiã volunt: & reliqua. Hucusq; Anacletus papa.

Anacletũ vero omnino Eusebius ptermisit, quoniam Linus & Cletus, qui non fuerunt papæ, & Clemens atq; Anacletus à passione Petri, in vltimo anno Neronis vsq; ad Traianum, non possunt simul sub regibus stare. In loco enim annorũ Clementis, quibus post Petrum cum Lino & Cleto, sed simul post Petrum nouem fuerunt, vel cum Cleto tantum Clemens cathedrã tenuit, Linus & Cletus sunt positi: & in loco Anacleti papæ, qui post Clemẽtẽ decẽ annis successit, Clemens positus.

| Anni Chr. | Anni Dom. |

| 91 | 8 | Syluanus, & Priscus. Quintilianus ex Hispania Calagurita-nus, primus Romæ publicam scholam & salarium ex fisco accepit, & claruit.

| 92 | 9 | Asprenas, & Clemens Domitianus plurimos nobilium in exilium mittit atq; occidit; Mathematicos quo-

que & philosophos ex vrbe Romana pepulit. Cyclus 6 decennoualis.

| *Anni Chr.* | *Anni Dom.* |

| 93 | 10 | Domitianus 9, & Clemẽs, 2. Multa opera Romæ facta, in quibus Capitolium, Forum trãsitorium, Vespasiani templũ, Minerua Chalcidica, forũ Traianum, thermæ Traianæ & Titianæ, senatus, ludus matutinus, mira area diuorum, porticus Isium, ac Serapis stadium, horrea piperatoria. His cõsulibus, Anacletus papa obiit, secundũ gesta Pontificũ. Domitianus prohibuit vites in vrbibus seri.

| 94 | 11 | Nerua 2, & Rufus. Domitianus tantæ superbiæ fuit, vt aureas & argenteas statuas sibi in Capitolio poni iusserit. Maxima virginum Vestalium Cornelia conuicta est stupri, & iuxta legem viua defossa.

| 95 | 12 | Sabinus & Antoninus. Fl. Iosephus vigesimum librum Antiquitatum hoc tempore scribit.

| 96 | 13 | Nerua 3, & Traianus 3. Secundus post Neronẽ Domitianus persequitur: & sub eo Apostolus Ioannes in feruẽtis olei dolium missus ante portam Latinam, sed non est læsus, quia à corruptione carnis erat immunis: deinde in Patmũ insulã relegatus Apocalypsin vidit, quam Irenæus interpretatur. His consulibus, Clemẽs papa passus est, secundum gesta Pontificum.

| 97 | 14 | Senecio & Palma. Domitianus rursum philosophos & mathematicos Romæ per edictum extrudit. Apollonius Tyanæus & Euphrates insignes philosophi habentur. Romæ 6 Calendis Maii, natali suo, Anacletus papa & martyr sub Domitiano passus, qui memoriam beati Petri construxit, & composuit vbi Episcopi reconderentur.

¶Euaristus papa 4 post Petrum, annis 10, & mensibus 2 sedit.

| 98 | 15 | Traianus 4, & Fronto. Domitianus eos qui de genere Dauid essent, conquiri & interfici iussit, vt nullus Iudæorum regni reliquus foret.

Scribit Brutius, plurimos Christianorum sub Domitiano feciſſe martyrium, inter quos & Flauiam Domicillã, Flauii Clementis consulis ex sorore neptem, in insulam Pontianam relegatam, quia se Christianam esse contestata est.

Multa signa atque portenta Romæ & toto orbe facta: & in suburbano Romæ bos ad arantem loquutus est, frustra se vrgeri, non enim frumenta, sed homines breui defuturos.

Domitianus suorum coniuratione occisus est in palatio, anno ætatis 35, & per vespiliones ignobiliter portatus: cui Nerua successit.

NERVA.

ROmanorum 13, Nerua, Eusebio & Beda teste, regnauit anno 1, mensibus 4, diebus 8, hoc est vsq; ad Calendas Martias post passionem anno 70, sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro. Methodius sic: Domitiano 15 annis imperio potito, Nerua sucepit principatum: sub quo omnes boni tituli, qui in Domitianum collati fuerant, detrahuntur.

| *Anni Chr.* | *Anni Ner.* |

| 99 | 1 | Traianus 5, & Orphitus. Alexandriæ 3, Episcopus Cerdo annis 11. Senatus decreuit, vt omnia quæ Domitianus statuerat, in irritum deducerẽtur. Itaq; multi quos iniuste eiecerat, de exilio reuersi sunt, & nonnulli propria bona sua receperunt.

| 100 | 2 | Seuerio 2, & Sura. Aiunt & Apostolum Ioannem inter reuersos de exilio solutum, Ephesum reuertisse: in qua vrbe hospitiolum & amicos sui amantissimos habebat. Euãgelium quoq; contra hæreticos conscribit.

Iustus à Tiberiade Iudæorum scriptor agnoscitur.

Romæ passus Eutyches, Victorinus & Marcus: apud Minturninam vrbem Victorinus Episcopus frater Seuerini.

Nerua obiit in hortis Sallustianis, 71 ætatis anno, quum iam Traianum adoptasset in filium, his consulibus, teste Cassiodoro.

Traianus Agrippinæ in Galliis imperator factus, natus in Hispania. Methodius sic: Nerua post annum plus minusue defuncto Traiano succedit imperio. Qua tẽpestate, apud Antiochiã Euodius primus fuerat: & Ignatius famæ celebritate vulgatus, post Petrum secunda successione Episcopatũ sortitus: quem sermo tradit de Syriæ partib. ad vrbem Romã trãsmissum, & pro martyrio CHRISTI ad bestias datum. Post hunc rexit Ecclesiã ciuitatis eiusdem Heros. Inter eosdem sane floruit

floruit vir æque insignis Quadratus, qui vna cum Philippi filiab. in prophetica gratia celeberrimus fuisse perhibetur. Sed & alii plurimi per idem tempus Apostolorum discipuli superstites erant, qui ecclesiæ sanctæ ædificia constituentes, regnum cœlorum per omnem terram verbo Dei consecrabant, augentes perfectionis salutare præceptum, vt expeditis in prædicatione Euangelii electis, ad alias gentes aliasq; vrbes properarent: & vel principes, vel Euãgelistæ, vel pastores ipsorum Apostolorum suppares, post primas successiones in Ecclesiis quæ per orbem terræ sunt, fungebãtur officio. De quib. post Maternum, qui 40 annis Treueri prædicationis regimen tenuit, quidam Auspicius resedit. Deinde insignes per legitimas successiones & sanctitate & gratia pollẽtes extiterũt, sanctissimus quisq; nomine vel meritis celsus, animo sublimis, sed & genere clarus, nõ segnis, patrię semp vbique vigẽs, affectu pio, honore actuq; Serenus, Felix, Mansuetus, Clemẽs, Mosses, Martinus, Anastasius, Andreas, Rusticus, & author Fabricius, & Fortunatus, atq; Cassianus, necnon & Marcus, cæteriq; quam plurimi, qui suis diuersis tẽporibus, nõ solum propria prouincia, sed & in extremis & vltimis industrii & illustres, non solum confessione, quin & martyrio existentes, regna etiam tyrannorũ vicerunt. Igitur in vrbe Roma tertius post Petrum Clemẽs pontificatũ susscepit, anno scilicet post passionem Apostolorum Petri & Pauli vigesimoseptimo, sed tẽporibus Domitiani, Neruæ, & Traiani. Cuius sexto sacerdotii anno, Domitianus quindecim annis sui principatus exactis, viuẽdi finem fecit: post quem imperium Nerua susscepit: quo post annum plus minus defuncto, Traianus succedit imperio. Cuius tertio principatus anno, Clemens apud Romam annis nouem, mensibus duobus, diebus decem sacerdotio ministrato diuini verbi tradidit ministerium. Hucusq; Methodius.

Traianvs.

ROmanorum 14, Traianus regnauit annis octodecim, mensibus quindecim: hoc est vsq; ad Calendas Septembres, in anno octuagesimonono post passionem: sub quo hi cõsules fuerunt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	Anni Trai.
101	1	Traianus 6, & Max. Decreto senatus Nerua in deos translatus.
102	2	Senecio 3, & Sura. Hoc anno scilicet centesimo tertio incarnationis, secundum Dionysium, in fine diei dominici subsequente, sexta Calendis Ianuariis, perhibetur Ioannes dormire. Methodius noster sic:

¶ Traiani tertio principatus anno Clemens apud Romam 9 annis, mensibus 2, diebus 10, sacerdotio ministrato, Euaristo diuini verbi tradidit ministerium. Hucusque Methodius.

| 103 | 3 | Vrbanus & Marcellus. Irenæus enim Episcopus scribit Ioannẽ apostolum vsq; ad Adriani tempora permãsisse. Post quem discipuli insignes fuerunt, Papias Hieropolitanus Episcopus, & Polycarpus Smyrnæus, nec non Ignatius Antiochenus Episcopus.
| 104 | 4 | Candidus, & Quadratus. Traianus de Dacis & Scythis triumphauit Romæ.
| 105 | 5 | Commodus, & Cerealis. Traianus victo rege Decibalo Daciam fecit prouinciam. Hebræos, Sarmatas, Croneos, Arabes, Bosporanos, & Colchos itidẽ accepit. Seleuciã, Ctesiphontem, & Babylonem occupauit, & tenuit quoque Persiam & Mediam. Methodius sic: Imperator in mari rubro classem instituit, & per eam Indiæ fines vastat.
| 106 | 6 | Gallus, & Bradua. Decretalis epistola Euaristi papæ data est, Gallo & Bradua viris clarissimis consulibus: sub quibus Ioannes apostolus, 68 annis post passionem Domini, ætatis suæ 98, Ephesi placida morte quieuit. Romæ aurea domus incenditur.
| 107 | 7 | Aphricanus & Crispinus. Terræmotu quatuor vrbes Asiæ subuersæ, Elea, Myrrhina, Pitanæ, & Cumę: Galatiæ tres: Græciæ duæ.
| 108 | 8 | Crispinus 2, & Solennus. Alexandriæ Ecclesiæ quartus Episcopus ordinatus, nomine Primus.

¶ Euaristus papa, qui annis 22 sedit, obiit 12 Calendis Ianuariis.

| 109 | 9 | Piso & Rusticus.

¶ Alexãder papa quintus post Petrum, annis 10, & mensibus 5.

Traiano Christianos persequente, Symeon filius Cleophæ, qui post Iacobum

Hierosolymis tenebat Episcopatum, crucifigitur, omnib. mirantibus, & ipso iudice, vt 120 annorũ senex crucis supplicium pertulisset. Cyclus septimus decennouaalis incipit, indictione duodecima.

Methodius sic: Qui quum octauum sacerdotalis administrationis annum implesset, decimo Traiani Cæsaris principatus anno, Alexander quinta successione post Petrum Romanæ plebis gubernacula sortitus est.

Anni Chr.	Anni Trai.	
110	10	Traianus, & Aphricanus. Ignatius quoq; Antiochenæ ecclesiæ episcopus, Romã perductus, bestiis traditur: post quem tertius cõstituitur Episcopus Oron. Plinius secundus, quum quandam prouinciam regeret, & in magistratu suo plurimos Christianorũ interfecisset multitudine eorũ perterritus quæsiuit de Traiano quid facto opus esset: nunciãs ei, prę ter obstinationẽ nõ sacrificandi, & antelucanos cœtus ad canendum cuidam Christo vt Deo, nihil apud eos reperiri: præterea ad conseruandam disciplinam vetari ab his homicidia, furta, adulteria, latrocinia, & his similia. Ad quem commotus Traianus rescripsit, hoc genus inquirendum nõ esse, oblatos vero puniẽdos. Tertullian⁹ refert in Apologetico.
111	11	Celsus, & Crispinus. Plinius secundus Nouocomensis orator & insignis historicus habetur: cuius plurima ingenii opera extant.
112	12	Hasta, & Piso. Tres Galatiæ ciuitates terræmotu erutæ. Pãtheon Romæ fulmine concrematum.
113	13	Messala, & Pædio. Post Iustum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopatum 4 suscepit Zachæus.
114	14	Æmylius, & Vetus. post quẽ 5 Thobias: cui successit 6 Beniamin: ac deinde 7 Ioannes: & 8, Matthias: post illum 9 constituitur Philippus.
115	15	Niger & Apronianus. Traianus Armeniam, Assyriam & Mesopotamiam fecit prouincias.
116	16	Clarus, & Alexander. Iudæi qui in Libya erant, aduersus cohabitatores alienigenas dimicant: similiter in Ægypto, & in Alexandria: apud Cyrenen quoque & Thebaidem magna seditione contendunt: verum gentilium pars superat in Alexandria.
117	17	Adrianus 2, & Salinator. Iudæis Mesoporamiæ rebellantibus, præcepit imperator Traianus Lysiæ Quieto, vt eos prouincia exterminaret: aduersus quos Quietus, vi aciem instruens, infinita eorum millia interfecit. Ob hoc procurator Iudææ ab imperatore decernitur. Salaminiam vrbem Cypri, interfectis in ea gentibus, subuerterunt Iudæi.
118	18	Adrianus 2, & Rusticus. Alexandri papæ passio. 5 nonas Maii, Romæ via Numentana, ab Vrbe miliario 7, cum Euẽtio & Theodolo presbyteris, sub Traiano imperatore, iudice autem Aurelio decollatus: siquidem Adrianus non adhuc imperabat, sed in Martyrologio legitur.
119	19	Seruilius, & Fulurus, Hisconsulibus, teste Cassiodoro, Traianus apud Seleuciam Isauriæ obiit profluuio vẽtris, anno ætatis 63, mense 9, die 4. Mensis autem 9, est secundum Latinos September. Ossa eius in vrna aurea collocata, sub columna fori quod eius nomine vocitatur, recondita sunt: cuius columnæ altitudo 1149 pedes erigitur. Huic succedit Adrianus, vtraq; lingua peritissimus, natione Italus, ex consobrina Traiani, qui regnauit annis 20, mẽsib. 10, diebus 29. Methodius sic: Alexãdri 9 papæ sacerdotii anno Traianus Cæsar 20 annis, minus 7 mensibus, principatu perfuncto obiit, & Ælius Adrianus in sceptro suscipitur, & annis viginti vno regnauit.

ADRIANVS.

ROmanorum 15, Adrianus regnauit annis 21, mensibus 10, diebus 20, hoc est vsq; ad Calendas Augusti, in anno 111 post passionem, sub quo hi consules fuerunt teste Cassiodoro.

Anni Chr.	Anni Adr.	
120	1	Verus, & Augur. Adrianus

nus Alexandriam à Romanis subuersam publicis instaurauit expensis.

Anni Chr.	*Anni Adr.*	
121	2	Auiola,& Pansa. Adrianus Iudæos capit,secundo contra Romanos rebellantes. Senatus Traianum in Deos refert.
122	3	Paternus,& Torquatus. Adrianus reliqua tributa vrbibus relaxauit,chartis publice incensis:plurimos tributis etiam liberos præstitit. Methodius sic: Tertio eiusdem Ælii Adriani anno principatus, Alexander Episcopus Romanæ vrbis sacerdotium simul ac vitam finiuit, decennio expleto. Post hunc 6 pontifex ab Apostolis ordinatur Sixtus. Hucusque Methodius.

Plutarchus Cheronæus, Agathobulus & Oenomaus philosophi clari habẽtur.

123	4	Glabrio, & Apronianus. Bellum contra Sauromatas gestum. Terræmotu facto & Nicomedia ruit, & Nicenæ vrbes plurimæ euersæ sunt, ad quarum instaurationem Adrianus de publico est largitus expensas.
124	5	Asiaticus,& Aquilinus. Euphrates Stoicus philosophus moritur. Adrianus in Lybiam quæ à Iudæis vastata fuerat,colonias deducit.
125	6	Verus, & Ambiguus. Adrianus Athenienſibus leges petentibus ex Draconis & Solonis reliquorumq; libris iura composuit.
126	7	Gallicanus, & Titianus. Torquatus, & Libo. Hierosolymorum 10 post Philippum constituitur Episcopus Seneca. Post quem 11 Iustus, 12 Leui, 13 Ephres, 14 Iosues, 15 Iudas. Hi omnes vsq; ad euersionem quam ab Adriano perpessa est Hierusalẽ, ex circuncisione Episcopi fuerũt. Hæc Methodius.
127	8	
128	9	Celsus,& Marcellin. Quadratus discipulus apostolorum, & Aristides Atheniẽsis philosophus libros pro Christiana religione Adriano dedere compositos. Methodius sic: Cyclus 8 decennoualis incipit indictione prima. Anno 6 Sixti sacerdotii, imperii autem Ælii Adriani Cæsaris 8 anno, sanctus Maternus Treuericæ sedis archiepiscopus, 40 annis post Valerium sui pontificatus dignãter expletis, ad cœlestia trãsiuit, anno Dominicæ incarnationis 128.
129	10	Pontianus, & Rufinus. Serenus Granius, legatus, vir apprimæ nobilitatis literas ad imperatorem misit, iniquum esse dicẽs, clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem spargi, & sine vllo crimine nominis tantum & sectæ reos fieri:

Anni Chr.	*Anni Adr.*	
130	11	Augurinus, & Sergianus. quibus cõmotus Adrianus Minutio Fundano proconsuli Asiæ scripsit, sine obiectu criminum Christianos non condemnandos: cuius Epistolæ vsque ad nostra tempora durat exemplum. Imperator Adrianus pater patriæ appellatur.
131	12	Tiberius, & Syllan⁹. Sixtus papa passus 8 id⁹ April. ¶ Telesphorus, papa 7 post Petrum, annis 11. Hic constituit, vt 7 hebdomades plenas ante Pascha omnes clerici à carne abstinerent, in nocte Natiuitatis Domini missę celebrarentur, & vt ad Missam Gloria in excelsis cãtaretur. Methodi⁹ sic: Romæ aũt, anno 12 Ælii Adriani principatus, Sixto 12 annis Romanæ Ecclesiæ gubernaculis functo, Telesphorus 7 põtifex ab Apostolis subrogatur. Hucusque Methodius. Antiochiæ cõstituitur 4 Episcopus Cornelius.
132	13	Sergius,& Verus Alexandrinæ Ecclesiæ 6 Episcopus Eumenes constituitur.
133	14	Pompeianus, & Attilianus. Templum Romæ Veneris sub Adriano in Vrbe factum est.
134	15	Pompeianus,& Commodus. Adrianus insignes & plurimas ædes Athenis quum fecisset,agonem edidit, bibliothecamq; extruxit.
135	16	L. Ælius, & Albinus. Iudæi in arma versi Palæstinã depopulati sunt, tenente prouinciam Tinio Rufo, cui ad opprimendos rebelles Adrianus misit exercitum.
136	17	Camerinus, & Niger. Cochleas dux Iudaicæ factionis nolentes sibi Christianos aduersus militem Romanum ferre subsidium, omnimodis cruciatibus necauit.
137	18	Antoninus & Præsens. Bellum Iudaicũ quod in Palæstina gerebatur, finem accepit, rebus Iudæorũ penitus compressis: ex quo tempore etiam introeundi eis Hierosolymã licẽtia ablata est, primũ Dei nutu sicut Prophetę vaticinati sũt, deinde Romanis interdictionib.

Anni Chr.	*Anni Adr.*	
138	19	Antoninus 2, & M. Ælius. Hierosolymæ primus ex Gentibus constituitur Marcus, cessantibus Episcopis his qui fuerunt ex Iudæis, numero 15, post passionem Domini per annos 107, sicut Eusebius & Beda perhibent. Da igitur annos 34 Domini vsque in passionem Domini, & 107; fiunt 141 anni, vsque ad annum quo omnes Iudæi ex Hierusalem sunt proiecti.
139	20	Seuerus & Syllanus. Ælia ciuitas, id est Hierusalem, ab Ælio Adriano condita est, & in fronte eius portæ qua Bethlehem egreditur, subsculptus in marmore, significans Romanæ potestati subiacere Iudæos. Nonnulli à Tito Ælio Vespasiani filio extructam arbitrantur. Hieronymus dicit, ab Adriani temporib. vsq; ad imperium Constantini, per annos circiter 180, in loco resurrectionis Domini simulacrum Iouis in crucis rupe statutum, quod ex more die Veneris à Gentilibus positum colebatur: æstimantibus persequutionis autoribus quod tollerent fidem nobis resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluissent.
140	21	Rufus, & Torquatus. Hoc tempore erat Aquila Ponticus secundus interpres post Septuaginta interpretes, qui Scripturas de Hebræo transtulit. Telesphorus papa passus Non. Ian.

¶Hyginus papa post 8 Petrum, annis 4. Hic constituit Clerum, & distribuit ecclesiasticos gradus.

Romæ passi sunt Sixtus, & Telesphorus papæ, Getulius, Sabina & Seraphia virgines; apud Messanam ciuitatẽ Apuliæ Eleutherius episcopus cum Anthia matre, Dionysius episcopus Areopagita; apud Tiburtinam vrbem Italiæ, Symphorosa cum 7 filijs suis: apud Athenas Quadratꝰ & Aristides claresc unt.

His consulibus, Adrianus intercutis aquę morbo apud Baias in Campania moritur, anno 21, mense 19, die 20, sicut in Romana historia habetur: cui successit Antoninus Pius, sub quo sequentes consules fuerunt, teste Cassiodoro. Methodiꝰ sic: Verum Ælius Adrianus 21 anno sui principatus diem obijt: & Antoninus cognomento Pius, Romanorũ suscepit imperium. Huius 1 imperij anno Telespho. rus, annis 11 sacerdotio in Vrbe administrato vita decessit: & Hyginꝰ episcopatus sortem Romanæ ecclesię suscepit. Verũtamen Irenęus refert, Telesphorum martyrio vitam finisse. Hierosolymis sane episcoporum tempora successionesq; nullis ad integrum monumentis conseruata reperimus: eo quod valde ad breue tempus, mortis celeritate prærepti, sacerdotio functi singuli quiq; perhibeantur. Ita quãtum ex veterum lectione comperio, ad tempora vsque principis Adriani, sub quo Iudæi excidiũ passi sunt, traduncij episcoporũ successiões esse decursas; quos omnes aiunt Hebræos antiquæ originis extitisse; & scientiã Christi fideliter recepisse: & ideo incũctanter ab his qui poterãt de fidei merito iudicare, sacerdotio quoq; visos esse dignissimos: quippe quũ omnis tũc Ecclesia ex Hebræis fidelibus coaceruata firmataq; videretur, incipiẽtibus ab apostolis, & perdurãtibus nimirum vsq; ad illud tempus excidii, quo Iudæi iterum deficiẽtes à Romanis magnis prælijs subiugati sunt. Igitur quia per idem tempus assumere Episcopos circumcisione cessatum est: necessarium videtur, omnes à primo vsq; ad id temporis enumerare pariter sacerdotes.

Primus itaq; Hierosolymorũ Episcopus Iacobꝰ, qui frater Domini est habitus, id est consobrinus. Post hunc secundus, Symeõ electus est, frater eiusdem Iacobi, qui filii fuerant Cleophæ & Mariæ materteræ matris Domini. Tertius Ioseph, qui cognominatus est Iustus, qui ad supplectionẽ apostolicæ perfectionis cum Matthia qui sortitus est apostolatum, indeptus est Episcopatum.

Zacchæus quartus.
Tobias quintus.
Beniamin sextus.
Ioannes septimus.
Matthias octauus.
Post quem Philippus nonus;
cui decimus Seneca subrogatus est.
Iustus, vndecimus.
Exinde ac duodecimus, Leui.
Post hunc Effrem decimus tertius.
Et Ioseph decimus quartus.
Ac finis omnium Iudas, decimus quintus.

Isti sunt fere omnes, qui Hierosolymis Episcopi ab Apostolis ad illa vsq; tempora quæ superius designauimus, plebi illi ex circumcisione præfuerunt. Hucusq; Methodius.

Anto-

ANTONINVS PIVS.

ROmanorum 16, T. Antoninus cognomento Pius, imperator 16 à Iulio Cæsare: segregatis à numero principum Galba & Othone & Vitellio, regnauit cum liberis suis Aurelio & Lucio 20 & non plenis 3 annis. Hæc Orosius. Mensibus item 3, secundum Eusebium & Bedam, hoc est vsq; ad Calend. Nouemb. in anno 134 post passionem Domini. Quia autem mos erat historicorum, vt imperatori deputaretur annus, in quo moreretur, vel regno deficeret: ideo dici potest, quod non plenis viginti tribus annis Antoninus Pius regnauit, quum nō vsq; in finem anni vixit.

Anni Chr.	*Anni Pij.*	
141	1	Torquatus 2, & Herodes. Iste autem Pius dictus est, quia in omni regno Romano hominibus debita relaxauit.
142	2	Auiola, & Maximus: inde Antoninus iste Pius, pater patriæ appellatus est.
143	3	Antoninus tertio, & Aurelius. Sub Hygino Romanæ vrbis episcopo Valentinus Hæresiarcha & Cerdo magister Marcionis Romam venerunt.
144	4	Gratus, & Seleucus. Iustinus philosophus librum pro nostra religione cōscriptum Antonino tradidit. Hyginus papa obiit quarto Id. Ian. Pius papa 9 post Petrum, annis 15. Methodius sic: Igitur in vrbe Roma quum Hyginus papa 4 episcopatus sui anno decessisset, Romanæ ecclesiæ sacerdotium Pius suscepit. Hucusq; Methodius. Antoninus 4, & Aurelius. Sub Pio Hermes scribit librū, in quo præceptum angeli continetur, vt Pascha Domini die Dominico celebraretur.
145	5	Largus, & Messalinus. Antiochiæ episcopus Heros.
146	6	Torquatus 3, & Iulianus Alexandriæ sextus episcopus, Marcus annis decem.
147	7	Orphitus, & Priscus. Valentinus hæreticus permanet vsque ad Anicetum papam.
148	8	Glabrio, & Vetus.
149	9	Gordianus, & Maximus. Marcion hæresiarcha agnoscitur.
150	10	Glabrio 2, & Romulus. Taurus Bericitus Platonicæ sectæ philosophus clarus habetur.
151	11	Præsens, & Rufus. Arianus philosophus Nicomediensis agnoscitur.
152	12	Commodus & Lateranus. Apollonius Tyrus Stoicus natione Chalcedonius, & Basilides Scythopolitanus, philosophi illustres habentur.
153	13	Verus, & Sabinus. qui Cæsaris præceptores fuerunt.
154	14	Syllanus & Augurinus.
155	15	Barbarus, & Regulus. Alexandriæ ecclesiæ 8 episcopus Celadion, annis 14.
156	16	Tertullus, & Sacerdos. Crescens Cynicus agnoscitur, qui Iustino nostri dogmatis philosopho aduersans, & prævaricatorem philosophiæ coarguēs, persequutionem suscitauit, in qua ille gloriosè pro CHRISTO sanguinem fudit.
157	17	Quintillus, & Priscus. Galenus medicus Pergamensis.
158	18	Verus, & Bradua. Pius papa obijt 5 Id. Iul. Methodius sic: Qui 15 annis in sacerdotio exactis Aniceto post se sedem pontificatus tradidit. Hucusq; Methodius.

¶ Anicetus, papa 10 post Petrum, annis 11, mensibus 4. Hic constituit, ne clericus comam nutriret, iuxta præceptum Apostoli.

159	19	Antoninus 5, & Aurelius 3. Sub Aniceto papa Polycarpus Romam veniens, multos ab hæretica labe castigauit, qui Valentiniani & Cerdonis fuerant nuper doctrina corrupti.
160	20	Antoninus 6, & Aurelius 4. Hierosolymorum episcopatū post Marcum suscepit Cassianus 17, post quem Publius 18, cui succedit Maximus 19, postea Iulianus 20, deinde Gaianus 21, & Symmachus 22, item Gaius 23, præterea Iulianus 24, & Capito 25.
161	21	Antoninus 7, & Aurelius quinto.
162	22	Proconsul Antoninus, & Aurelius. Antoninus Pius apud Lorium villam suam, 12 ab Vrbe milliario moritur, anno ætatis suæ 67. Vsq; ad hoc tempus, singuli Augusti fuerunt: cui successerunt filij sui, id est Marcus Antoninus Verus, & Lucius Annius, & Antoninus Seuerus, qui

regnauerunt annis 19, ſub quibus hi conſules fuerunt, teſte Caſſiodoro. Methodius ſic: Huius itaq; Aniceti 4 anno ſacerdotij, Antoninus imperator qui cognominatus eſt Pius, 22 anno ſui principatus exacto, deceſſit: & M. Aurelius Verus cum Lucio fratre ſucceedunt. Quo in tempore Polycarpus Smyrnæorum Eccleſiæ ſacerdos, Maximis perſequutionib⁹ Aſiam quatientibus, vitam humanam martyrio finiuit.

M. Ælivs.

ROmanorum 17, M. Ælius Antoninus, qui & Ver⁹, cum fratre L. Commodo, poſt patrem regnauerunt annis 19, menſ. 1: hoc eſt vſq; ad Calen. Decemb. in anno 153 poſt paſſionem Domini, his conſulibus, teſte Caſſiodoro.

Anni Chr.	*Anni Ælij.*	
163	1	Duo Auguſti conſules. Hi primum æquo iure imperiũ adminiſtrauerunt: quum vſq; ad hoc tempus ſinguli Auguſti fuerint.
164	2	Ruſticus, & Aquilinus. Lucio Cæſari & Athenis ſacrificanti, ignis in cœlo ab Occidente in Orientem ferri viſus eſt.
165	3	Lælianus, & Paſtor. Cyclus 10 decennoualis incipit, indictione 9. Vologeſus rex Parthorum vicinas ſibi Romanas prouincias depopulatus eſt.
166	4	Macrinus, & Celſus. Fronto orator inſignis habetur, qui Antoninum Verum Latinis literis erudiuit. Seleucia Aſſyriæ vrbs cum 300000 hominum à Romanis capta.
167	5	Orphitus, & Pudens. Apud Piſas Peregrinus philophus, rogo ex lignis compoſito, incendi; ſemetipſum proiecit.
168	6	Pudens 2, & Pollio. Perſequutione orta in Aſia, Polycarpus & Pionius paſſi ſunt, quorum ſcriptæ quoq; paſſiones feruntur. Plurimi in Gallia glorioſe ob nomen CHRISTI interfecti ſunt: quorum vſque in præſentem diem condita libris certamina perſeuerant. Alexandriæ 9 Epiſcopus Agrippinus, annis 12.
169	7	Verus 3, & Quadratus. Romani contra Germanos, Marcomanos, Quados, Sarmatas, & Daces dimicant.
170	8	Apronianus, & Paulus Anicetus papa paſſus decima ſeptima Calendis Aprilis.

¶ Soter, papa 11 poſt Petrum, annis 9: qui conſtituit, vt nulla monacha pallam ſacratam in eccleſia contingeret, atq; incenſum poneret. Methodius ſic: Octauo itaq; ſupra dicti principis Antonini Veri anno, Aniceto papæ Romæ 11 epiſcopatus ſui anno defuncto, ſucceſſit Soter. Apud Alexãdriam vero Celadion 13 annis miniſtrato ſacerdotio, Agrippinũ ſucceſſorem reliquit. Apud Antiochiam autem per idẽ tempus Theophilus 6 ab Apoſtolis eccleſiæ pontificatum tenebat: vbi v poſt Heronẽ fuerat Cornelius: poſt quem 5 gradu Hero ſucceſſerat, Sed (ſciendum) primus omnium poſt Petrum Euodius eiuſdem eccleſiæ Antiochenæ epiſcopatum tenebat, ſub Domitiano & Nerua: poſt hunc 11 fuit Ignatius, ſub Troiano Cæſare: poſt Ignatium autem rexit ciuitatem eiuſdem Heros 3, ſub Ælio Adriano Cæſare: poſt Heronem Cornelius fuit 1v: & poſt Cornelium Hero quidam fuit v, ſub Antonino Cæſare. Tunc etiam Egeſippus inſignis habebatur, & Dionyſius Corinthiorum epiſcopus: cuius extat epiſtola ad Athenienſes de epiſcopo eorum Publio & Quadrato, qui eidem martyri ſucceſſerat in ſacerdotium, deſignás Dionyſium Areopagitam primum imbu ab Apoſtolo Paulo epiſcopum ordinatum. Septimus autem ab Apoſtolis Antiochenæ eccleſiæ ſacerdotium Maximinus ſuſcepit. Hucuſq; Methodius. Antiochiæ 6 epiſcopus Theophilus annis 9, cuius plurima ingenij opera extant. Lucius imperator anno 170, imperij autem 9, ſiue (vt quidam putãt) 11, inter Concordiam & Altinum apoplexia extinctus eſt, ſedens cum fratre in vehiculo.

Anni Chr.	*Anni Ælij.*	
171	9	Priſcus & Apollinaris. Antonino imperatori inclyto Aſianus Apologeticum pro Chriſtianis tradidit. Apollinaris Aſianus Hieropolitanus epiſcopus inſignis habetur.
172	10	Cethegus, & Clarus. Dionyſius Corinthiorum epiſcop⁹ clarus habetur, & Pynitus Cretenſis vir eloquentiſſimus. Decretalis epiſtola Soteri papæ data eſt, Cethego & Claro viris clariſſimis conſulibus.
173	11	Seuerus, & Herennianus. Pſeudoprophetia quæ Cataphrygas nominatur, accepit exordium, autore Montano

tano & Priſcilla Maximillaq; inſanis vatibus. Tatianus hæretic⁹ agnoſcitur, à quo Encratitæ.

Anni Chr.	Anni Ælij.	
174	12	Orphitus, & Maximus.

Bardeſanes alteri⁹ hęreſeos princeps notus efficitur. Oppianus Cilix poeta agnoſcitur: halieutica miro ſplendore cõſcripſit.

|175|13| Seuerus, & Pompeianus. Imperator Antoninus multis aduerſum ſe naſcẽtibus bellis ſæpe intererat, ſæpe duces nobiliſſimos mittebat: in quibus ſemel Pertinacis exercitui, & qui cũ eo in Quadorum regione pugnabãt, ſiti oppreſſis, pluuia diuinitus miſſa eſt: quum econtrario Germanos & Sarmatas fulmina perſequerentur, & plurimos eorum interficerent. Hucuſq; Methodius Martyr.

|176|14| Piſo, & Iulianus. Extant literæ M. Aurelij grauiſſimi imperatoris, quibus illam Germanicam ſitim Chriſtianorum (forte militum) precationibus impetrato imbri diſcuſſam conteſtatur.

|177|15| Pollio, & Aper. Soter papa obijt 11 Cal. Maij.

¶ Eleutherius papa 12 poſt Petrum annis 10, menſ. 1. Methodius ſic: Igitur Soteri epiſcopo in vrbe Roma 7 ann. ſacerdotij miniſtrato, 12 ab Apoſtolis, ſuccedit Eleutherius 16 anno imperij Antonini Veri. Hucuſq; Methodius. Lucius Britãniæ rex ab Eleutherio papa per epiſtolam Chriſtianum ſe fieri impetrat. Antiochię 7 epiſcopus Maximus.

|178|16| Commodus, & Quintillus. Antoninus filium ſuum Commodum regni conſortem facit.

|179|17| Orphitus, & Rufus imperatores multis multam largiti ſunt pecuniam, quæ fiſco debebatur prouincijs concedentes: tabulas debitorum in medio Romanæ vrbis foro igne incẽdi præcipiunt: ac ne quid bonitati deeſſet, ſeniores quaſque leges nouis conſtitutionibus temperauerunt: Romæ paſſus Anicetus papa, Symmetrius presbyter, Felicitas cum 7 filijs, Iulius, Antonius, Euſebius, Potentianus, Peregrinus, Vincentius; apud Sebaſten Armeniæ minoris multi martyres ſub Agricola iudice; apud Spoletum Cõcordius; apud Smyrnam Polycarpus epiſcopus, diſcipulus Ioannis, item Germanicus & Pionius; apud Apameam Alexãder & Gaius, apud Cretam vrbem Gortinæ Philippus epiſcopus; apud Pergamum vrbem Aſiæ Carpus epiſcopus, Papyrius diaconus, Iuſtinus philoſophus: apud Lugdunũ Galliæ Irenæus epiſcopus cum multis, Photinus epiſcopus eiuſdem vrbis, & Blandina cum alijs 68, Epipodi⁹ & Alexander; in Syria Corona & Victor; Mediolani Fauſtus, Cabillonę Marcellus; item in territorio Cabillonenſi caſtro Trenortio Valerianus; in Alexãdria Ptolemæus, & etiam Lucius.

Anni Chr.	Anni Ælij.	
180	18	Commodus 2, & Verus.

Antoninus poſt victoriam adeo in editione numerum magnificus fuit, vt 100 ſimul leones exhibuerit. Commodus à ſenatu Auguſtus appellatus.

Smyrna vrbs Aſiæ terræmotu ruit: ad cuius inſtaurationem decennalis tributorum immunitas data eſt.

Alexandriæ eccleſiæ epiſcopatum ſortitus eſt Iulianus 10, annis 10. His conſulibus, teſte Caſſiodoro, Antoninus in Pannonia morbo perijt, an. ætatis 61: cui ſucceſſit Commodus filius ſuus, ſub quo ſequentes conſules fuerunt, teſte Caſſiodoro. Methodius ſic: Idem Antonin⁹ quum imperio 19 ann. perduraſſet, poſt exceſſum ſui principatum Commodo dereliquit: quo regni apicem gubernante pax eccleſiæ per omnem terram propagatur, & ſermo Domini ex omnium genere hominum ad agnitionem & veritatem Dei ſummi animas congregabat. Qua tempeſtate apud Antiochiam 8 ab Apoſtolis poſt Maximinum epiſcopus conſtituitur Serapio. Tunc apud Cæſaream Palæſtinę Theophilus & Narciſſus in Hieroſolymis eccleſias procurabant. Apud Corinthum vero Bathyus, apud Epheſum Polycrates, nobiles in epiſcopis habebantur: & in eodem tempore author totius probitatis Treuerim rexit.

COMMODVS.

ROmanorum 18, Commodus ſecundum omnes regnauit annis 12, menſ. 8, iuxta hiſtoriam Romanam: hoc eſt vſq; ad Cal. Aug. in anno 167 poſt paſſionem. A prima ſtatim pueritia fuit turpis, improbus, crudelis, ita vt 12 ætatis anno balneatorem, qui non ſtatim audierat dicto, in fornacem ignis conijci iuſſerit. 300 concubinas & 300 puberes habuit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Anni Chr.	*Anni Com.*	
181	1	Præsens & Gordianus. Commodus de Germanis triumphauit. Methodius sic, & Cassiodorus. Eodē an. templum Serapis Alexandriæ incensum.
182	2	Mamertinus & Rufus tertio. Irenæus Lugdunensis Episcopus insignis habetur.
183	3	Commodus quarto, & Victorinus. Thermæ Commodianæ Romæ factæ.
184	4	Marullus, & Ælianus. Commodus Septembr. mensem nomine suo appellauit.
185	5	Maternus, & Bradua. Hierosolymis fuit ordinatus Episcopus
		Maximus 26,
		post quem Antoninus 27,
		Valens 28,
		Dulcianus 29,
		Narcissus 30,
		Dius 31,
		Germanio 32,
		Gordius 33,
		Rursum Narcissus 34.
		Tantis apud Hierosolymam episcopis constitutis, non potuimus discernere tēpora, eo quod in præsentem diem episcopatus eorum anni minime reperiuntur. In Capitolium fulmen ruit, & magna inflammatione facta, bibliotheca & vicinæ quæq; ædes concrematæ. Decretalis epistola Eleutherij papæ data est, Materno & Bradua viris venerabilibus, clarissimis consulibus.
186	6	Commodus 5, & Glabrio. Commodus incommode multos nobilium interfecit.
187	7	Crispinus & Ælianus. Commodus spectacula populo Romano præbet insignia.
188	8	Fuscianus & Syllanus. Theodosio Ephesius interpres tertius tunc habetur.
189	9	Duo Syllani. Alexandriæ 11 constituitur episcopus Demetrius, annis 43. Cōmodus imperator colossi capite sublato, suæ imaginis caput iussit imponi. Cyclus 11 decennoualis incipit.
190	10	Commodus 6, & Septimianus. Seraphio 9 Antiochiæ episcopus ordinatus.
191	11	Apronianus, & Bradua. Incendio Romæ facto palatium & ædes Vestæ, plurimaque vrbis pars solo coæqua-

tur. Eleutherius papa obiit 8 Cal. Iunii.

¶ Victor, 13 post Petrum, annis 9. Methodius sic: In vrbe autē Roma, Eleutherio sub prędicti principis Cōmodi principatu, tredecim annis pro sacerdotio functo, Demetrius substituitur Episcopus.

Anni Chr.	*Anni Com.*	
192	12	Commodus 7, Grauius. Victor Romæ ac vniuersalis Ecclesiæ archiepiscopus Theophilo episcopo & cōctis fratribus Alexandrię CHRISTO tumulantibus, salutē in Domino; & reliqua. Hæc epistola data est 13 Calend. Augusti, Commodo & Grauio viris clarissimis, venerabilibus consulibus. Multi in tēpore huius passi sūt ex his quos supra diximus. Sed propter similitudinē nominum imperatorum, minime passiones discernūtur. Dicunt tamen quod Irenæus Lugdunensis Episcopus sub isto passus sit.
193	13	Commodus 8, & Pertinax. His consulibus, teste Cassiodoro, Commodus strangulatur in domo Vespasiani: cui successit Pertinax. Methodius sic: Commodus autem 13 annis imperio gubernato Pertinaci post se regnum reliquit. Quo sex solis mensibus retento, idem Pertinax obiit, & Seuerus post hunc suscepit imperium.

PERTINAX.

ROmanorum 19, Ælio Pertinax secundum omnes regnauit mensibus sex, hoc est vsq; ad Calendas Februarias, in anno 168 post passionem Domini nostri.

Anni Chr.	*Anni Per.*	
194	1	Falco & Clarus. Pertinax sexagenario maior, quum præfecturam Vrbis ageret, ex Senatusconsulto imperare iussus est. Pertinax obsecrante senatu vt vxorem Augustam & filium Cæsarem appellaret, cōtradixit sufficere sibi q; ipse inuitus regnaret, testatur. Victor papa, datis late libellis, cōstituit, vt pascha die Dominico (sicut præcessor eius Eleutherius) à 14 luna primi mensis vsq; ad 21 celebraretur. Cuius decretis Theophilus Cæsareæ Palęstinæ episcopus scripsit aduersus eos, qui 14 lunā cum Iudęis Pascha celebrabant, cum cæteris qui in eodem concilio aderant episcopis, synodicam & valde vtilem epistolam. His consulibus (teste Cassiodoro) Pertinax occiditur in palatio, scelere Iuliani iurisperiti.

DIDIVS.

ROmanorum 20, Didius Iulianus, secundum historiam Romanam post Pertinacem inuasit Rẽpublicam, vir nobilis & vir peritissimus, nepos Didij Juliani, qui sub D. Adriano perpetuum composuit edictum. Orosius sic: Iulianus interfecto Pertinace inuasit imperium, sed mox à Seuero apud pontẽ Miluium bello ciuili victus, interfectus est mense 8 postquam imperare cœperat: & ita inter Pertinacem & Iulianum vnus annus assumptus. Hucusq; Orosius. Et hoc est vsq; ad Cal. Septemb. & in eodem anno 169 post passionem Domini.

SEVERVS.

ROmanorum 21, Seuerus prouincia Tripolitana natus, oppido Lepti, regnauit annis 18 (teste Cassiodoro) mens. 3, secundum historiam Romanam: hoc est vsq; ad Cal. Decem. in anno 186 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt, teste eodem Cassiodoro. Methodius sic: Seueri temporibus plurimi ecclesiastici viri nobiles & stylo illustres extiterunt, sicut ex eorum monumentis agnoscimus: ex quibus est Heraclitus Maxim⁹, qui de famosissima omnium hæreticorum differuit quæstione, qua semper inquiritur vnde sint mala, vnde malitia, vel quod materia facta sit & non intacta *. Igitur ex Gentibus ecclesia congregata primum in successione, post circumcisionem Hierosolymis episcopatum accepit Marcus, post quem Cassianus, deinde Publius, post hunc Maximus, & sic Iulianus, post quem Gaius, & iterum alius Iulianus, Capiton quoq; & Valens, inde Docilianus, post quem 13 ab Apostolis Narcissus.

Anni Chr.	*Anni Seuer.*	
195	1	L. Seuerus, & Albinus. L. Septimius Seuerus, prouincia Tripolitana, oppido Lepti, solus ex Aphrica vsq; in præsentem diem, Romanis imperator fuit & in honorem Pertinacis quem Iulianus occiderat, Pertinacem cognominare iussit Senatus: eo quod super 18 annos suos, 6 mens. regnaret. Clemens Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, & Pantheus Stoicus philosophus, in disputatione dogmatis nostri disertissimi habentur.
196	2	Tertullus, & Clemens. Symmachus interpres 4 habetur. Samarites quidam Symmachus Iudæorũ factus proselytus, diuinas Scripturas ex Hebræo sermone in Græcam linguam transfudit, suamque condidit editionem.
197	3	Dexter & Priscus. Narcissus episcopus Hierosolymorum, & Theophilus Cæsarienſis, Polycarpus quoq; & Bacchylus Asianæ prouinciæ episcopus, insignes habentur.
198	4	Lateranus & Rufinus. Quæstione orta in Asia inter episcopos, an secũdum legem Mosis 14 die mensis pascha obseruandum esset. Victor Romanæ vrbis episcopus, Hermes plurimique ecclesiarum pastores quod probabile visum fuerit, literis ediderunt quarum memoria, ad nos vsq; perdurat. Decretalis epistola Victoris papæ data Laterano & Rufino consulibus.
199	5	Saturninus & Gallus. Iudaicum & Samaritanum bellum motum.
200	6	Amulinus & Fronto. Seuerus Parthos & Adiabenos superauit, Arabesque interiores ita cæcidit, vt regionem eorũ Romanam prouinciam fecerit; ob quæ Parthicus, Arabic⁹, Adiabenicus, cognominatus est.
201	7	Seuerus 2, & Victorinus.
202	8	Fabianus & Mutianus. Victor papa passus est vndecimo Calend. Maij.

¶ Zephyrinus 14 papa post Petrum, annis 17, mensibus 2. Hic constituit, vt præsentibus omnibus clericis & laicis fidelibus siue diaconus vel presbyter ordinaretur, & à stantibus sacerdotibus missæ celebrarentur.

203	9	Seuerus 3, & Antoninus. Quinta persequutione Seuerus persequitur Christianos. Methodius sic: Igitur nono anno principatus Seueri, Victor in Romana vrbe 10 annis sacerdotio functus decessit: cui successor sacerdotij Zephyrinus existit.
204	10	Geta & Plautianus. Leonides Origenis pater glorioſa morte transfertur. Methodius sic: Alexander ob confessionem Dominici nominis insignis habetur.
205	11	Antoninus 2, & Geta 2. Clemẽs multa & varia conscribit.

Anni Chr.	*Anni Seuer.*	
206	12	Albinus & Ælianus. Musanus philosophus scriptor agnoscitur.
207	13	Aper & Maximus. Clodius Albinus qui se in Gallia Cæsarem fecerat, apud Lugdunum interficitur.
208	14	Antoninus 3, & Geta 3: Cyclus 12 decennoualis, indictione 2.
209	15	Pompeianus, Auitus. Tertullianus Apher centurionis proconsulis filius, omnium ecclesiarum sermone celebratur.
210	16	Faustinus & Rufus. Origenes Alexandriæ studijs eruditur.
211	17	Gentianus & Bassus. His consulibus, Seuerus imperator Eboraci in Britannia moritur: cui successit Antoninus Caracalla Seueri filius, qui regnauit ann. 7. Methodius sic: Quum vero 19 annis Seuerus tenuisset imperium, decessit: & Antoninus ei filius succedit. Apud Antiochiam autem defuncto Serapione episcopo, Asclepiades loci illius susceptit sedem, qui & ipse vnus ex præclaro confessorum numero, sicut Marc⁹ Treuerensis, habebatur. Quo in tempore quam plurimi erant, qui in confessionibus gloriam quæsierant Dei, tum prouidentia Dei fuerant reseruati: in quibus Alexander cõfessionis titulo satis clarus, Hierosolymorum ecclesiæ subrogatus est episcopus, quum supereſſet adhuc Narcissus, qui ante eum functus est pontificatus officio. Rursus Alexandro Mazabanes succedit: post Mazabanem sacerdotium suscepit Hymenæus: post Hymenæum Zabdas succeſſit. Qui quum paruo tẽpore superuixisset, Hermonẽ post se reliquit; quem sequutus est Maxim⁹ qui ex illis erat, quibus Maximianus dextris oculis effossis & & siniſtro poplite succiso per mandata damnauerat. Post quem Cyrillus confusa iam ordinatione susceptа, aliquando in fide, sæpi⁹ in communione variabat. Post Cyrillum Ioannes Apostolic⁹ reparat sedes. Post quem Maximinus resedit, qui Basilium Cæsarienſem ad fidem reformauit. Hucusq; Methodius.

CARACALLA.

ROmanorum 22, Antoninus Bassianus cognomento Caracalla Seueri filius, secundum omnes regnauit ann. 7, mens. 2. iuxta Romanam historiam: hoc est vsq; ad Cal. Febru. in anno 195 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	*Anni Car.*	
212	1	Antoninus, Balbinus. Antiochiæ nonus episcopus constituitur Asclepiades.
213	2	Messala & Sabinus. Antoninus, Caracalla cognominatus est propter genus vestis quod Romæ erogauerat.
214	3	Lætus & Cærealis. In Hiericho quinta editio diuinarum Scripturarum inuenta est in dolio, cuius author non apparet.
215	4	Sabinus & Venustus. Perpetua & Felicitas apud Carthaginem Aphricæ castris bestijs deputatę sunt pro CHRISTO Non. Martijs.
216	5	Præsens & Extricatus. Antoninus tantæ libidinis fuit, vt nouercam suam Iuliam vxorem duxerit.
217	6	Antoninus 5. Antoninus aduersus Parthos expeditionem mouetus est.
218	7	Antoninus & Aduentus. Antoninus interficitur inter Edissam & Carras, anno ætatis 43: cui Macrin⁹ succeſſit. Methodius sic: Igitur Antonino Seueri filio 6 annis, & 6 mensibus imperio consummato, Macrinus succedit.

MACRINVS.

ROmanorum 23, Opilius Macrin⁹, qui præfectus prætorij erat, cum filio Diadumeno imperator factus est, sed nihil memoratu dignum egit ex temporis brevitate. Nam imperium vnius anni & duorum mensium habuit, teste historia Romana: hoc est vsq; ad Calend. Apriles, in anno 195 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro consule.

Anni Chr.	*Anni Macr.*	
219	1	Antoninus 6, & Sacerdos. Antiochiæ x episcopus constituitur Philetus. Circensibus. Vulcanalium Romæ amphitheatrum incensum. Abagarus vir sanctus regnauit Edissæ, vt Aphricanus testatur. Zephyrinus papa obijt.

¶ Calixtus papa quindecimus post Petrum, annis 5. Hic cõstituit quatuor tẽporum ieiunium in anno fieri, propter abundantiam vini, frumenti, & olei, iuxta prophe-

prophetiam. His consulibus, Macrinus cum filio apud Archilaidem militari tumultu occiditur, circa mẽsem Februariũ. Methodius sic: Macrinus quum post annum fuisset defunctus, alius Antoninus regni Romani suscepit principatum: cuius imperii anno primo Episcopus vrbis Romæ Zephyrinus diem obiit, *18* annis sacerdotali functus officio. Post hunc Calixtus suscepit sacerdotium.

HELIOGABALVS.

ROmanorum *24*, M. Aurelius Heliogabalus, Antonini Caracallę filius, regnauit annis 4, mensibus 8, iuxta historiã Romanam: hoc est vsque ad Calendas Decembres, in anno *199* post passionem Domini, sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	*Anni Hel.*	
220	1	Antoninus & Comazon. M. Aurelius sacerdos Heliogabali templi adeo impudice in imperio suo vixit, vt nullum genus obscœnitatis omiserit. Secta editio inuenta est Neapoli.
221	2	Gratus & Seleucus.
222	3	Alexander & Antoninus. Calixtus papa archipresbyteris, & reliqua: data Antonino & Alexandro viris clarissimis consulibus, *11* Calend. Decembris, in qua epistola prædictum cõstituit ieiunium.
223	4	Maximus & Ælianus. In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emaus vocabatur, vrbs cõdita est, legationis indulgentiam piso ea suscipiente Iulio Aphricano, scriptore temporum. His consulibus (teste Cassiodoro) Antoninus Romæ tumultu militari occiditur cum matre Simæa, cui succedit Alexander. Methodius sic: Post Antoninũ vero Romanum imperium, quod ipse quatuor solis annis tenuerat, Alexander suscepit.

ALEXANDER.

ROmanorum *25*, Alexander Mammeæ filius, secundum omnes regnauit annis tredecim, & aliquot diebus: hoc est, vsque ad Calendas Ianuarii, in anno ducentesimo duodecimo, post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	*Anni Alex.*	
224	1	Iulianus & Crispinus. Calixtus papa passus pridie idus Octobris, sub Alexandro imperatore.

¶ Vrbanus, *16* papa post Petrum, annis 8 mensibus *11*, diebus *12*. Methodius sic: Quo quinq; annis administrato post finem suum dereliquit sedem Vrbano. Primo anno Alexãdri imperii Vrbanus Episcopatum in vrbe Roma suscepit. Tunc etiam Asclepiade apud Antiochiam defuncto, Philetus in Episcopum succedit.

Anni Chr.	*Anni Alex.*	
225	2	Fuscus & Dexter.
226	3	Alexander 2, & Marcellus. Vrbanus papa, & reliqua: data nonis Septembris, Alexandro viro clarissimo consulari.
227	4	Ammianus & Maximus. Cyclus decimustertius decẽnoualis incipit indictione sexta.
228	5	Albinus & Maximus.
229	6	Modestus & Probus. Geminꝰ presbyter Antiochenus, & Beryllus Episcopus Arabiæ, habentur clari scriptores.
230	7	Alexander tertio, & Dion. Antiochiæ vndecimus Episcopus Zebennius.
231	8	Gratus & Seleucus. Alexandriæ Ecclesiæ duodecimus Episcopus Heraclas, annis *16*.
232	9	Pompeianus & Felicianus. Alexander in matrem Mammeã vnice pius fuit, & ob id omnibus amabilis. Vrbanus papa postquam multos nobiliũ ad fidem Christi perduxit, passus est sub Alexãdro, 8 Calen. Iulii, & sepultus est in cœmiterio Prætextati. Methodius sic: Interea Vrbanus Episcopus in vrbe Roma, octo annis administrato sacerdotio, Põtiano sedem reliquit. Apud Antiochiam aũt post Philetum Zebennius Ecclesiam suscepit.

¶ Pontianus papa *17* post Petrum, annis quinque, mensibus 2.

233	10	Lupus & Maximus. Origenes de Alexãdria ad Cæsaream Palæstinę transiit.
234	*11*	Maximus & Paternus.
235	12	Maximus & Vrbanꝰ. Mãmea mater Alexandri quum Origenem vellet Antiochiam accitum, summo honore habuit. Romæ passus Calixtus, & Vrbanus papa, Cæcilia virgo, & Tiburtiꝰ Valerianus, Callipodius presbyter, Austerius etiam presbyter, & Palmatius cõsul cum vxore & filiis.

Anni Chr.	*Anni Alex.*
236	13

Seuerus, & Quintianus. His cõsulibus, teste Cassiodoro, Alexander in Gallia, id est Moguntiaci, tumultu militari interficitur. Decretalis epistola Pontiani papæ, data decima calendis Februariis, Seuero & Quintiano cõsulibus. Methodius sic: Alexandro vero imperatori post tredecim annos principatus sui defuncto Maximinus Cæsar succedit.

MAXIMINVS.

ROmanorum 26 Maximinus regnauit annis 3, mense vno, & paucis diebus: hoc est vsque ad Calendas Februarias, in anno 216 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	*Anni Max.*
237	1

Maximinus, & Aphricanus. Maximinus primus ex corpore militari sine senatus authoritate ab exercitu imperator electus est. Pontianus papa cũ Hippolyto presbytero in Sardiniã insulam à Maximino deportatus est, ibiq; fustibus 12 Calendis Decembris mactatus, cuius corpus beatus Fabianus papa reduxit, & in cœmiterio Calixti sepeliuit.

¶ Antherus 18 post Petrum, mense vno. Decretalis epistola Antheri papæ, & reliqua: data decimotertio calendis Aprilis, Maximino & Aphricano consulibus. Alia epistola, data calendis Iuliis, iisdẽ consulibus. Antherus papa passus 3 nonis Ianuarii, & in cœmiterio Calixti via Appia sepultus est: cui Fabianus successit 19 post Petrum, annis 13. Dilectissimis vbiq; catholicæ Ecclesiæ comministris Fabianus papa salutem in Domino: & reliqua. Et postea: Deniq; septem similiter diaconos ordinauimus, qui septem imminerent notariis, & gesta martyrum veraciter in integro colligerẽt, nobisq; rimanda manifestarent. Quod etiã vos omnes agere monemus, ne in posterũ aliqua ex his dubitatio fiat, quæstioq; oriatur: & reliqua: data calendis Iuliis, Maximino & Aphricano consulibus. Methodius sic: Põtiano autem sex annis episcopatu vrbis Romæ functo succedit Antherus: qui quum mensem vnum, & nõ amplius ministrasset, Fabiano sacerdotium dereliquit, qui passus est septimo Philippi principatus anno. Tunc etiam Zebẽnio apud Antiochiam defuncto, Babylas Ecclesiæ suscepit Episcopatum.

Anni Chr.	*Anni Max.*
238	2

Perpetuus vir clarissimus consul. Maximinus sextam persequutionem facit aduersus sacerdotes ecclesiarũ.

| 239 | 3 |

Cornelius vir clarissimus consul. Maximinus persequitur Ecclesiam propter Christianam Alexandri familiam, cui fuscensuit, & Mammeæ matri eius vel præcipue propter Origenem presbyterum.

| 240 | 4 |

Pius, & Proculus. His consulibus, teste Cassiodoro, Maximinus Aquileiæ à Pupieno occiditur, cui succedit Gordianus. Methodius sic: Et quatuor annis regnauit, in quibus finem & persequutionum fecit & vitæ: post quem Gordianus imperium suscepit.

GORDIANVS.

ROmanorum 27, Gordianus regnauit annis 6: hoc est vsq; ad Calendas Februarias, in anno ducẽtesimo vigesimo secundo post passionem: sub quo hi consules fuerunt.

Anni Chr.	*Anni Gord.*
241	1

Gordianus, & Auiola. Gordiano Romam ingresso, Pupienus & Albinus qui imperium arripuerant, in palatio occisi.

| 242 | 2 |

Sabinus & Venustus. Origenes contra quendam Celsum Epicureum philosophum qui contra nos libros scripserat, octo voluminibus respondit.

| 243 | 3 |

Gordianus 2, & Pompeianus, Fabianus papa testimonio Spiritus sancti, in specie colũbæ super caput eius descendentis, Romam veniens ordinatur Episcopus: licet quidam hoc verum de Seuero affirment.

| 244 | 4 |

Atticus, & Prætextatus. Origenes tam scribendi sedulus fuit, vt Hieronymus in quodam loco 5000 librorum illius se legisse meminerit.

| 245 | 5 |

Arrianus, & Pappus. Gordianus admodum adolescens, Parthorum natione superata, regreditur victor ad patriam: sed fraude Philippi præfecti prætorii haud longe à Romano solo interfectus est.

| 246 | 6 |

Peregrin⁹, & Æmylianus. His

His consulibus, teste Cassiodoro, Gordiano milites tumulũ ædificant, qui Euphrati fluuio imminet, ossibus eius Romam reuectis : cui successit Philippus. Methodius sic: At Gordiano, quum per sex annos Romanum imperium tenuisset, Philippus vna cum filio Philippo succedit, qui primus ex imperatoribus Christianus effectus est.

PHILIPPVS.

ROmanorum 28, Philippus cum Philippo filio, secũdum omnes regnauit annis 7: hoc est vsque ad Calẽdas Februarias, in anno 230 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	*Anni Phil.*	
247	1	Philippus, & Tatianus.

Philippus filium suum consortem regni facit, primusq; omnium ex Romanis imperatoribus Christianus fuit. Cyclus decimus quartus decennoualis, indictione decima.

248	2	Præsens, & Albinus.
249	3	Philippus secundo, & Philippus filius eius.
250	4	Philippus 3, & Philippus 2, Philippus vrbem cognominis sui in Græcia construxit.
251	5	Æmylianus, & Aquilinus. His consulibus, Cassiodoro teste, millesimus annus Romæ expletus est : ob quam solennitatem innumerabiles bestias Philippus in circo magno occidit, ludosq; in campo Martio theatrales tribus dieb. & totidem noctibus, populo peruigilante, celebrat. Quadraginta etiã missi natali Romanæ vrbis concurrerũt, & agon mille annorum actus. Hæc Cassiodorus. Quũ autem secũdum Hebræos olympias primo posita est in anno primo Ioathan, & in primo anno Olympiadis recte condita fuit vrbs Roma, atq; sicut Hieronymus & Beda tractant, à prima olympiade vsq; in passionem Domini, anni 3794: sublatis 20 annis, id est annis 16 Ioathan, atque 4 Achaz, qui sunt quinque olympiades, fiunt à condita Vrbe vsque in passionem Domini, anni 774: à passione Domini vsque in annum postremum Philippi, sunt anni 230. fiunt simul à condita Vrbe ad obitum Philippi, 1003 anni.

Anni Chr.	*Anni Phil.*	
252	6	Decius, & Gratus. His consulibus, Fabianus papa passus decima quarta Calendis Februariis, secundum gesta Pontificum.

¶ Cornelius papa vigesimus post Petrum, annis tribus, mensibus decem.

253	7	Decius 2, & Rusticus.

His consulibus, Philippus senior, Veronę occiditur: iunior vero, Romę. Methodius sic: Philippo autem septem annis principatu administrato, Decius succedit: qui pro eo quod infestus esset Philippo, persequutionem Ecclesiis suscitat: in qua Fabianus in vrbe Roma martyrio coronatus, sedem sui Episcopatus Cornelio dereliquit: Antiochiam vero per omnia similem, Mazabbantæ Babylas. Alexander Hierosolymorum Episcopus post cõfessionẽ glorioſæ vitæ fortitur finẽ in vinculis: post quem Fabius Episcopatus officium suscepit. Quo defuncto, Demetrianus in Episcopatu supererat. Hucusque Methodius.

Decretalis epistola Fabiani papæ: Dilectissimo fratri Hilario Episcopus Fabianus salutẽ: & reliqua: data 17 calẽdis Nouembris, Aphricano & Decio viris clarissimis. In Martyrologio sic: Romæ Fabiani papę natiuitas 14 calen. Februariis, qui quum quatuordecim annis, mẽsibus vndecim, diebus duodecim, Ecclesiæ præesset, passus est sub Decio in primo anno sui imperii, & in cœmiterio Calixti sepultus. Beda sic: Decius quum Philippos patrem & filium interfecisset, ob odium eorum in Christianos persequutionem mouet, in qua Fabianus in vrbe Roma martyrio coronatur. Sedem sui episcopatus Cornelio reliquit, qui & ipse martyrio coronatus est. Cornelius papa, annis 2, mensibus 8, minus 5 diebus. Decretalis epistola Cornelii papæ: Charissimis atque dilectissimis Cornelius salutẽ: & reliqua: data 6 idus Septembris, Decio & Maximo viris clarissimis consulibus.

Alia: Cornelius episcopus Rufo episcopo in Domino salutem: & reliqua: data 11 calendis Iuniis, Maximo & Decio viris consulibus, Romæ via Appia in cœmiterio Calixti: 18 calẽdis Octobris natiuitas sancti Cornelii papæ: sub persecutione Decii cũ presbyteris & diaconib. centum ex illis exilio deputati, ad quem con-

fortandum multi Christianorum veniebant. Quo tempore beatus Cyprianus scripsit ei de Celerino lectore, quanta pro fide & confessione Christi sustinuerit. Decius Cæsar audiens, quod multi ei scriberent, & de beato Cypriano: rogauit eum sibi exhiberi. Exhibitus Decio interroganti cur à Cypriano contra rempublicam literas accepisset, respondit, Ego de corona CHRISTI literas accepi, non contra Rempublicam. Iratus Decius iussit, vt os eius cum plumbatis cæderetur: deinde ad templum Martis vt sacrificaret, duceretur: quod si contempsisset, illic capite puniretur. Quumq; duceretur, vnus ex militibus nomine Cerealis rogare cœpit beatum papam, vt visitaret vxorem eius quæ annis quinque paralytica iacebat. Ingressus autem domum eius, tenuit manum Sallustiæ, & erexit eam dicens: In nomine Domini nostri IESV CHRISTI Nazareni surge, & sta super pedes tuos. Quę protinus erexit se, clamans & dicens: Vere CHRISTVS est Dei filius. Et dixit beato Cornelio: Baptiza me, nam per CHRISTVM te coniuro. Et currens impleuit vas aquæ, & attulit ei. Tunc miserunt se omnes milites ad pedes eius, orãtes etiam se baptizari. Quos vt baptizauit, obtulit pro eis sacrificium laudis, & participati sunt omnes corpore & sanguine domini nostri IESV CHRISTI. Audiens autem Decius, mittens tenuit omnes, & iussit vt cũ beato Cornelio ducerentur ad sacrificandum: & si nollent parere, capite plecterentur. Ducti vero foras muros portæ Appiæ, expuentes in templum decollati sunt vna cum beato Cornelio, numero viginti vnus. Sed & Cerealis cum vxore sua Sallustia, 18 Calendis Octobris. Eadem vero nocte venit Lucina cum clericis & familia sua, & rapuit martyrum corpora, & sepeliuit ea in agro suo in crypta, in cœmiterio Calixti. Cuius Lucinæ Cornelius sic cõmemorat: Decretalis epistola Cornelii papæ: Charissimis atque dilectissimis fratribus sanctæ Ecclesiæ filiis, Cornelius episcopus salutem. Decreui vobis scribere: & reliqua. Et postea: Quapropter rogo vos nobis congratulari, quod rogatu cuiusdam deuotæ fœminæ, ac nobilissimæ matronæ Lucinæ leuata sunt corpora Apostolorum Petri & Pauli de catatumbis: & primo quidem beati Pauli corpus leuatum silẽtio, ac positum est in prædiõ prædictæ matronæ, via Ostiensi, ad lapidem vbi decollatus est. Postea vero beati apostolorum principis Petri accepimus corpus, & condecenter posuimus illud iuxta locũ, vbi crucifixus est inter corpora sanctorum episcoporum, in templo Apollinis, in monte Aureo, in Vaticano palatii Neroniani, tertia die Calendarum Iuliarum: & reliqua Hæc epistola data est sexta idus Septembris, Decio & Maximo viris clarissimis consulibus. Postquam passus est Cornelius, Lucius papa in tertio anno Decii incipiens, sedit mensibus 5, vsq; ad 4 nonis Martij, in initio anni quarti Decii, sub Valeriano præfecto. Inde Stephanus papa sedit annis 4, mensibus aliquot, vsq; ad 4 nonas Augusti, qui passus est sub Valeriano præfecto, in anno sexto Decii. Decretalis epistola Stephani papæ. Dilectissimo fratri atque familiarissimo amico Hilario, Stephanus papa salutem, & reliqua: data 5 nonis Martii, Valeriano & Galieno viris clarissimis consulibus. Stephanus sanctæ Apostolicæ & vniuersalis Romanæ Ecclesię Episcopis: & reliqua: data nonis Aprilis, Valeriano & Galieno viris clarissimis consulibus. In Martyrologio ita habetur: Romæ in cœmiterio Calixti sepultus: sub Valeriano & Galieno passus. Is quum persequutio ferua grassaretur, congregato vniuerso clero suo, hortatus est eos, vt pro CHRISTO coronam martyrii alacriter susciperent. Ordinauit tres presbyteros & septẽ diaconos & clericos decem, cum quibus de regno Dei assidue docebat. Diuina autẽ gratia procurante, occurrebant multi ex Gentilibus, & honesti viri, vt baptizarentur ab eo: inter quos Nemereus Tiburtinus cum omni domo sua, filiaq; eius Lucilla, quæ cęca per beatum Stephanum illuminata est, Olympius alter tribunus cum vxore Exuperia & filio Theodolo, & cæteris qui crediderunt in sua domo, qui passi sunt postea. Celebrabat autem Missas atq; cõcilia per cryptas martyrum. Factum est autem, vt Valerianus & Galienus persequutores nominis CHRISTI summo requirerent studio beatum Stephanum, vt eum vel clericos eius diuersis pœnis afficerẽt. Miserũt itaq; multitudinem militum, & tenuerunt eum cũ multitudine clericorum, & ductus est ad Valerianum. Tunc statim iussit eum duci ad templum

templum Martis, & ibidem dictata sententia capite truncari, si nō adoraret. Perductus beatus Stephanus à militib⁹ foras muros Appiæ portæ ad templum, leuatis oculis ad cœlū, dixit: Domine Deus me⁹ pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui destruxisti turrim cōfusionis Babyloniæ, destrue nunc & hunc locum, vbi diabolica superstitione per idolorum culturam animæ pereunt populorum. Et statim facto fragore tonitrui cum terribili coruscatione, corruit maxima pars templi, & milites pauefacti fugerunt. Beatus vero Stephanus perrexit cum omnibus Christianis ad cœmiterium sanctæ Lucinæ, & multis eos consolatus sermonib., obtulit pro eis sacrificium Deo, quem intrepidum & constantem ante altaris solennia & cœpta perficientem, in eadem decollauerunt sede, 4 nonis Augusti. Cuius corpus Christiani populi sepelierunt in eadē crypta cum ipsa sede, vbi astās sanguis expāsus est, in loco qui appellatur hodie cœmiterium Calixti. Hic cōstituit, vt sacerdotes & Leuitæ vestes sacras in quotidiano vsu nō haberēt, nisi in Ecclesia. ¶ Post Stephanum Sixtus succedit annis 2. Decretalis Epistola Sixti papæ: Sixtus papa coepiscopis salutem: & reliqua: data calendis Septembris, Valeriano & Deciano viris consulibus. Methodi⁹ sic: Dilectissimis fratribus per Hispaniarum prouincias constitutis Sixtus Episcopus in Domino salutem: & reliqua: data 17 Calendis Augusti, Valeriano & Decio viris clarissimis cōsulibus. In Martyrologio sic: Deci⁹ imperator & Valerianus pfectus tenuerunt beatissimum senem Sixtum Episcopum Romanum cum omni clero suo, & recluserunt eos in custodia publica, & fuerunt ibi clausi multis diebus. Factum est autem, vt Decius Cæsar & Valerianus præfectus iuberent, sibi beatum Sixtum Episcopum Romanum cum omni clero suo nocte intra ciuitatem inducere. Cui Decius Cæsar dixit: Sacrifica diis immortalibus, vt clerus tuus augeatur. Ad hæc sanctus Sixtus: Ego semper sacrificaui, & sacrifico Domino Deo Patri omnipotenti. Tunc ex præcepto Decii duxerunt milites eum ad tēplum Martis, vt sacrificaret: sed contemnētem sacrificare, reclusserunt eum in custodia priuata cum duobus diaconis Felicissimo & Agapeto. Quumque duceretur, cœpit eum beatus Laurentius archidiaconus compellare. Quo progrederis sine filio, pater? quo sacerdos sine diacono properas? & reliqua, sicut in passione habētur. Et dixit beatus Sixtus ad beatum Laurentium, Accipe facultates vel thesaurū Ecclesię, & diuide quibus tibi videtur. Accepta potestate cœpit inquirere vbique pauperes CHRISTI, & vnicuiq; distribuit. Post hæc beatus Sixtus, & diaconi Felicissimus & Agapetus, repręsentati sunt Decio & Valeriano. Ad quem Decius ait: Nos quidē consulimus senectuti tuæ, sed sacrifica. Respondit beatus Sixtus: Miser, tu sacrifica & noli blasphemare, sed age pœnitētiam. Tunc monente Valeriano iussit Decius, vt ducerētur ad templum Martis. Tunc beatus Sixtus dixit ad tēplum Martis, Destruat te CHRISTVS filius Dei viui: Quum respondissent omnes Christiani, Amen: cecidit aliqua pars templi. Tunc beatus Laurentius cœpit clamare, Non me derelinquas pater sancte: & reliqua. Milites hoc audiētes de thesauris, tenuerūt beatum Laurentium; sanctum vero Sixtum, Felicissimum & Agapetum duxerunt in cliuum Martis ante templum; & ibi decollati sunt octauo idus Augusti. Noctu venerunt Christiani & clerici, & colligētes corpora sanctorum sepelierunt Sixtum in crypta, in cœmiterio Calixti, in eadem viæ. Sanctos vero Felicissimum & Agapetum martyres, sepelierunt in cœmiterio Prætextati. Decollati sunt cum eis & alii quatuor, vt in gestis Pōtificalib⁹ legitur, Ianuarius, Magnus, Vincentius, & Stephanus subdiaconi. Passus est cū eis & beatus Quartus, vt scribit beatus Cyprianus. Hic beatus Sixtus apud Athenas natus & doctus, prius quidē philosophus, postea CHRISTI discipulus fuit. Sedit autem anno vno, mensibus decem, diebus viginti tribus. Et si ergo sanctus Cyprianus qui tunc fuerat præsens, hæc scripsit, quis ea negat? Detentus itaq; beatus Laurentius à militibus, & traditus est Parthenio tribuno. Qui nunciauit Decio, quod Laurentius qui haberet thesauros, archidiaconus Sixti, in custodia teneretur: & tradiderunt cuidā Hippolyto, & Hippolytus recludit eum cum multis: & reliqua. Ibi erat homo Lucillus nomine cæcus: ad quem sanctus Laurentius ait: Crede in filium Dei Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, & baptizare, & illumi-

nabit te. Respondit Lucillus: & reliqua. Videns autem Hippolytus credidit, & baptizatus est. Ex mãdato ductus est beatus Laurentius: & cætera, sicut in passione legitur. Tunc vnus ex militibus nomine Romanus credidit Domino nostro IESV CHRISTO, & dixit beato Laurentio: Video in te hominem: & cætera. & baptizatus est. Tunc beatus Laurentius expoliatus vestimentis suis, extentus est in cratem ferream, & allati sunt baculi cum prunis. Sanctus Laurentius dixit Decio: Disce miser, quanta est virtus Domini mei: nam carbones tui, mihi refrigerium præstant: & vultu pulcherrimo dicebat: Gratias ago tibi Domine IESV CHRISTE, quia merui ianuas tuas ingredi. Et emisit spiritum. Mane autem primo adhuc crepusculo, rapuit corpus eius Hippolytus, & condiuit cum linteaminibus & aromatibus: & hoc factum mandauit Iustino presbytero. Tunc beatus Iustinus & Hippolytus plorantes, & multũ tristes, sepelierunt eum in prædio matronæ viduæ Cyriacæ in agro Verano. Eodẽ die Romæ militum sexaginta quinq; tunc passi sunt: sed Claudius, Seuerus, Crescentius & Romanus ipso die quo beatus Laurentius, post tertium diem sancti Sixti. Decius vero furore arreptus iussit, vt cum lapidib⁹ os Hippolyti contunderetur, & foras muros portæ Tiburtinæ cum familia duci. Beatus Hippolytus confortabat omnes dicens: Fratres, nolite metuere: quia ego & vos vnum Dominum habemus: & decollati sunt promiscui sexus numero nouemdecim. Beatus vero Hippolytus ligatus pedibus ad colla indomitorum equorum, & sic per spinas & tribulos tractus, emisit spiritum. Noctu venit beatus Iustinus presbyter, & collegit corpora, & sepeliuit in campo eodem, iuxta nympham, ad latus agri Verani, idus Augusti. In Martyrologio sic: Romæ idus Augusti natalitia sancti Hippolyti martyris, sub Decio Cæsare & Valerio præfecto.

A Decio imperatore hucusq; papę per annos octo cathedram tenuerunt, iuxta chronicam Eusebii: quam diu vero secundum Martyrologium sederunt, dicendũ est. Decius regnauit annis sexdecim. Fabianus papa passus decimo tertio Calendis Februarii, in anno primo Decii. Inde Cornelius papa annis duobus, mensibus octo, passus est decimo octauo calendis Octobris, in anno Decii tertio. Inde Lucius papa annis tribus, mẽsibus quinque, passus sub Valeriano prefecto, in anno septimo Decii, 4 nonis Martii. Stephanus papa, annis septem, mẽsib. quinque, passus sub Valeriano præfecto, 4 nonis Augusti, in anno decimoquarto Decii. Sixtus papa 2 annis, passus 8 idus Augusti, in anno 16 Decii Laurentius quoq; & Agapetus, Felicissimus & Hippolytus, passi sub Decio, si Ecclesia non fallitur. Damnum ergo annorum 18 in Chronicis Eusebii & Bedæ, ab anno 15 Tiberii, in anno 10 magni cycli, iuxta historiam sacri Euangelii ad cyclum Dionysii, implẽt isti anni 26 Decii, & 2 anni Galerii, teste Isidoro Episcopo, qui duobus annis regnauit. Quod si aliquis his rationibus obsistit, ecce resurrectionem Domini iuxta historiam inquirimus.

[*Marianus Scotus viginti duos annos plus aliis Chronographis posuit ab incarnatione Domini: quos sub deficientibus regibus collegis, mensibus & diebus integris annis supernumerantibus.*]

DECIVS.

ROmanorum 29, Decius, secundum omnes chronographos anno vno regnauit, & mensibus 3. Secundũ Orosium (sicut ipse dicit) annis 3, anno ab Vrbe cõdita 1004 incipiens: hoc est vsque ad Calẽdas Maias, in anno 232 post passionem: sub quo hi consules fuerunt.

Anni Chr.	*Anni Dec.*	
253	1	Decius, & Aphricanus.

Methodius sic: Decius ob odium Philippo rum quos occidit, persequutionem Christianorum mouet. Fabianus papa passus 14 Calendis Februariis. Hucusque Methodius.

¶ Cornelius, 19 papa post Petrum, annis tribus, mensibus quinque. Antoninus modo in Ægypto nascitur.

| 254 | 2 | Maximus, & Decius. Alexandro Hierosolymorum apud Cæsaream Palæstinæ Antiochiæ, Babylas, Mazabanus & Fabius Episcopi constituuntur. Cornelius papa passus 18 Calendis Octobris: Romę passus Fabianus, & Cornelius papa, Victoria, & Miniates; Antiochiæ, Babylas Episcopus; Apollonia ciuitate, Leacus, Thyrsus & Callinicus; Hierosoly-

rosolyma, episcopus Alexander; Nazanzo, Trypho: in Ægypti ciuitate quæ dicitur Tinius, Phileas episcopus, Philocom⁹ tribunus cum multis; in Sicilia ciuitate Catanensium, Agatha virgo: in Perside, Polychronius; Babyloniæ, Ctesiphontes episcopus; Pergæ Pamphyliæ Nestor episcopus; in Corduba ciuitate Parmenius presbyter cum socijs; apud Circẽsem coloniam Marianus & Iacobus. Decius cum filio occiditur in abrupto Thraciæ loco à Gothis in bello. Methodi⁹ sic: Igitur posteaquam Decius non totis duobus annis principatu Romani apicis ministrato cũ filijs pariter interemptus est, Gall⁹ suscepit imperium. Quo tempore etiam Origenes 70 ætatis anno nõ ad integrum expleto, defunctus est. At ne Gallus malum Decij aut videre potuit, aut cauere, sed in eundem lapidẽ offensionis impegit. Cuius cum regnum floreret, & cuncta ei insistentia cederent, sanctos viros qui pro pace regni eius Deo summo supplicabant, persequut⁹ est: cum quibus & prosperitatem suam pariter fugauit & pacem. In vrbe itaque Roma post Cornelij consummationem, qui tribus circiter annis sacerdotio functus est, episcopatus sedem Lucius suscepit.

Gallvs.

ROmanorum 30, Gallus cum filio Volusiano regnauit annis 2, mens. 4, hoc est vsq; ad Cal. Septemb. in anno 234 post passionem: sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro consule.

Anni Chr.	Anni Gal.	
255	1	Volusianus, & Maximus.

Nonutius presbyter Cypriani, Romam veniens, Nouatianum & cæteros confessores sibi sociat, eo quod Cornelius pœnitentes apostatas recepisset. Antiochiæ 14 cõstituitur episcopus Demetrius. ¶ Luci⁹, papa 20 post Petrum, annis 3, mensibus 5. Decretalis epistola Lucij papę: Dilectissimis omnibus fratribus Lucius episcopus salutẽ in Domino: & reliqua. In hac sancta sede apostolica constituimus, vt duo presbyteri, & tres diaconi in omni loco episcopum non deserant propter testimonium ecclesiasticum: & reliqua: data Cal. April. Gallo & Volusiano viris clarissimis consulibus.

Anni Chr.	Anni Gal.	
256	2	Valerianus, & Galienus.

His consulibus, teste Cassiodoro, Gallus & Volusianus cum aduersum Æmylianum qui in Mœsia res nouas moliebatur, ex vrbe profecti essent, in foro Flamminij, siue (vt alij putãt) Interamniæ interfecti sunt. Æmylianus 3 mense inuasæ tyrannidis extinctus est.

Æmylianvs.

ROmanorum 31, Æmylianus quũ Gallum & Volusianum occidisset, imperauit mensib 3. Origenes anno 70 ætatis suæ obijt, & in vrbe Tyri sepultus est. Æmylianus autem obscurissime natus erat, siquidem Maurus erat: atq; etiam 3 mense sui imperij extinctus est: hoc est circa mẽsem Nouembr. in eodem anno quo occidit Gallum & Volusianum. Methodi⁹ sic: Lucio papa 8 solis mens. sacerdotio administrato, Stephanus succedit: cui 2 annis impleto sacerdotio Romæ Sixtus succedit. Gallus vero non integris duobus annis imperio detento, rebus humanis exemptus est; post quem Valerianus cum filio Galieno suscepit principatum. Qui postquam deprauatus est & deiectus, à barbaris captus est & luminibus orbatus: filios sceleris & impietatis suæ reliquit successores. Galienus vero Valeriani filius posteaquam rerum summam solus obtinuit, lenius ac moderatius agere instituit: datisque decretis inhiberi supplicia persequutionesq; cessare, & quo quisque putat more exorare quod diuinum est, sinit. Cui⁹ medijs temporibus ecclesia Dei in pace durante, Macrinus velut nubes quædam tenebrosa & atra, subito regni eius obscurauerat lucẽ. Quo rursum ad vicem æstiuę lucis abolito, Galien⁹ nouum ex veteri in vniuerso mundo lumen effulsit, qui atrocem tyrannum & regno deturbauit & vita. Sixto quoq; Romanæ ecclesiæ per annũ & menses 11 sacerdotio ꝓcurato succedit Dionysius. Demetriano autem apud Antiochiam defuncto Paulus Samosatensis sacerdotium suscepit. In Hierosolymis vero post Zabanen sacerdotium suscepit Hymenæ⁹. Interea apud Alexandriam Dionysius 17 annis functus sacerdotio, quieuit in pace, eiq; succedit Maximus. Hucusq; Methodius.

VALERIANVS.

ROmanorum 32, Valerianus cum filio Galieno regnauit annis 15, hoc est vsque ad Calen. Decemb. in anno 249, post passionem: sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	*Anni Vale.*	
257	1	Valerianus 2, & Galienus 2. Valerianus in Græcia, Augustus Galienus Romæ à senatu Cæsar appellatus est.
258	2	Maximus 2, & Glabrio. In Martyrologio. Natiuitas sancti Lucij papæ & martyris, 4 Non. Mart. qui persequutione Valeriani & Galieni, ob fidem CHRISTI exilio relegatus, & post modum diuino nutu ad ecclesiam suam redire permissus, capitis obtruncatione martyrium compleuit, via Appia positus ad sanctum Sixtum.
259	3	Valerianus 3, & Galienus 3. Stephanus 29 papa post Petrum annis tribus, mensibus quinque. Cyprianus primum rhetor, deinde presbyter, ad extremum Carthaginensis episcopus martyrio coronatur.
260	4	Tuscus, & Bassus. Valerianus persequutionem in Christianos mittens, statim à Sapore Persarum rege capitur & excæcatur, ibiq; consenescit.
261	5	Æmylianus, & Bassus. Stephanus papa passus 4 Non. Augusti.

¶ Sixtus 22 papa post Petrum, anno 1, & menses 11.

262	6	Decius Cæsar, & Valerianus. Valeriano in Persas ducto, Galienus nostris pacem reddidit. Theodorus, qui & Gregorius Neocæsareæ Ponti episcopus, virtutum gloria claret: & inter cætera vt ecclesiæ faciendæ locus sufficeret, precibus montem mouit.
263	7	Galienus 4, & Gentienus. Antiochiæ decimusquintus constituitur episcopus Paulus. Sixtus papa passus 8 Id. Augusti.

¶ Dionysius 23 papa post Petrum, annis sex, mens. 5. Hic ecclesias presbyteris & parœcias diœcesis dedit & constituit. Methodius sic: Sixto quoq; Romanæ ecclesię per annos duos, menses 11, sacerdotio procurato succedit Dionysius: Demetriano autem apud Antiochiam defuncto Paulus Samosatenus sacerdotium suscepit.

Anni Chr.	*Anni Vale.*	
264	8	Galien° 5, & Victorinus. Galieno in lasciuiam dissoluto, Germani Rauennam vsq; venerunt.
265	9	Albinus, & Maximus. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia, depopulata per Gothos. Cyclus decimusquintus decennoualis incipit.
266	10	Galienus 6, & Saturninus. Parthi Mesopotamiam tenuerunt, & Syriam incursauerunt.
267	11	Valerius, & Lucillus. Alexandrinæ ecclesiæ 14 episcopus ordinatur Maximus, ann. 9. Methodius sic: Interea Dionysius apud Alexandriam 17 annis functus sacerdotio quieuit in pace, eique succedit Maximus.
268	12	Galienus 7, & Sabinillus. Ordinatus decurio Palmirenus collecta agrestium manu, ita Persas cæcidit vt ad Ctesiphontem castra ponerent.
269	13	Paternus, & Arcesilaus. Hierosolymorum episcopus Hymenęus. Methodius sic: Dionys. papa obijt ø Cal. Ian. In Hierosolymis vero post Zabanen suscepit sacerdotium Hymenæus. Huculiq; Methodius.

¶ Felix 24 post Petrum, annis 4. Romę passi, Iouinus & Basilius, Basilia, Ruffina & Secunda virgines, Tertullianus, Procus, Hyacinthus, Valerianus, Nemesius, Syphronius, & Olympius; in Hispania vrbe Tarracona Verona, Zenon episcopus, Fructuosus episcopus; Augurius & Eulogius diaconi; Cæsarea Palæstina, Marinus; apud Aphricam ciuitatem Tribunos, Lucernariæ, Maxima, Donatilla, & Secunda virgo: in territorio Cauillatensi vico Mitanensi Priuatus episcopus.

270	14	Paternus 2, & Marinus.
271	15	Claudius, & Paternus. His consulibus, teste Cassiodoro, Galienus Aureoli ducis * post 15 annum imperij sui, rempublicam deserens, & libidinibus seruiens occiditur. Methodius sic: Igitur Galienus quum per annos 15 Romanum gubernasset imperium, Claudio regni successore, defunctus est.

FL. CLAVDIVS.

ROmanorum 33, Fl. Claudius regnauit anno vno, mensibus vndecim: hoc

hoc est vsq; ad Cal. Septemb. in anno ducentesimo quinquagesimo primo post passionem: sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro testatore.

Anni Chr.	*Anni Claud.*	
272	1	Antiochenus, & Orphitus. In Alexandria brachium quod per multos annos fuerat obsessum, tandem destruitur. Claudius Gothos Illyricum & Macedoniam vastantes superat, ob quæ in curia clypeus eius aureus & in Capitolio statua aurea collocata est. Felix papa passus 3 Cal. Iun. teste Beda. Iste decreuit Missas celebrare supra memorias martyrum. Romæ passi sunt: Marius cum Martha sua coniuge & filijs, milites 47 baptizati à Papa Dionysio, Cyrilla virgo; in Tarracina Campaniæ ciuitate Felix presbyter, & Eusebi⁹. Methodius sic: Valerianus & Bassus: his consulibus Claudius Syrmij obijt, teste Cassiodoro.

QVINTILIVS.

ROmanorum 34, Quintilius frater Claudij ex consensu militum imperator factus est: qui consensu etiam senatus appellatus est Augustus. Hic etiam erat vir vnicæ moderationis & ciuilitatis, æquandus vel præferendus fratri.

¶Eutychianus, papa XXV post Petrum, annis 6. Hic constituit, vt fruges super altare tantum fabæ & vuæ benedicerentur, & vt nullus martyrum sine dalmatica aut colobio purpurato sepeliretur. Quintili⁹ 17 die sui imperij (teste Cassiodoro) Aquileiæ occiditur, hoc est vsq; ad Cal. Octob. in eodem anno quo Claudius obijt. Methodi⁹ sic: Claudius duobus solis annis in imperio transactis, Aureliano regni apicem dereliquit. Huius temporibus vltimum apud Antiochiam episcoporum concilium congregatur, in quo Paulus manifeste conuincitur hæreticus, & damnatur ab omnibus quæ sub cœlo sunt ecclesijs CHRISTI; insistente plurimum, & disceptationibus validissimis perurgente Malchione, presbytero eiusdem Antiochenæ ecclesiæ, viro omnibus virtutibus adornato, verbo disertissimo, atq; in omni eruditione perfecto. Paulus itaque, & sacerdotio abscissus, & communione, filium beatæ memoriæ Demetriani, qui eidē inculpabiliter præfuit, Domnum nomine, virum omnibus bonis ornatum post se reliquit.

AVRELIANVS.

ROmanorum 35, Aurelianus regnauit annis 5, hoc est vsque ad Calendas Apriles in anno 256 post passionem: sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro consule.

Anni Chr.	*Anni Aur.*	
273	1	Quietus & Voldumian⁹. Antiochiæ ecclesiæ 17 ordinatur episcopus Timæus. Aurelianus Tetrico apud Catalaunos prodente exercitum suum, Gallias recepit.
274	2	Tacitus, & Placidianus. Zenobia apud Thumas haud longe ab Antiochia vincitur: quæ occiso Odenato marito, Orientis tenebat imperium, in qua pugna strenuissime aduersum eum dimicauit Pompeianus dux cognomento Francus: cuius familia hodie quoq; apud Antiochiam perseuerat ex cuius Euagrius presbyter charissimus nobis stirpe descendit.
275	3	Aurelianus, & Capitolinus. Eusebius Laodicenus episcopus insignis habetur. Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus & Zenobia præcesserunt equitibus. Tetricus corrector postea Lucaniæ fuit, & Zenobia in vrbe summo honore consenuit: à qua hodie quoque Romæ, Zenobiæ familiæ nuncupatur.
276	4	Aurelianus 2, & Marcellus. Aurelianus templum Soli ædificat, & Romam firmioribus muris cinxit. Epistola Eutychiani: Dominis fratribus Ioanni & omnibus per Bæticam prouinciam constitutis episcopis Eutychianus episcopus, in Domino salutem: & reliqua: data 2 Idus Aprilis, Aureliano & Marcello, viris clarissimis consulibus.
277	5	Probus, & Paulinus. Aurelianus, quum aduersum nos persequutionem mouisset, fulmen iuxta eum comitesq; eius ruit. Romæ Eutychianus papa passus, 6 Id. Decem. & sepultus in cœmiterio Calixti. Theodora, Basilides, Tripos, Mandalia; Lingonis passi sunt sancti gemini, Leodio ciuitate Canon; Cæsarea Cappadociæ Mamines; apud Prænestinam Vrbem Agapetus; in ciuitate Salona Anastasius; apud Augustodunū Symphorian⁹; in territorio Viuariensi, loco q dicitur Gētis

bus Andeolus ſubdiaconus, Andochius presbyter, Thyrſus diaconus, & Felix; in caſtro Diuone, Benignus presbyter.

Anni Chr.	*Anni Aur.*	
278	6	Probus 2, & Paternus 2.

Ab Eutychiano papa vſq; ad hos conſules in anno 6 ſcribendum. His conſulibus, teſte Caſſiodoro, Aurelianus in itineris medio inter Conſtantinopolim & Heracliam in cœno Frurio viæ veteris occiditur. Methodius ſic: Igitur Aurelianus quum ſex annis gubernaſſet principatũ, Probus poſt hunc ſuſcepit imperium.

TACITVS.

ROmanorum 36, Tacitus poſt Aurelianum adeptus eſt imperium, menſ. 6. Antoninus natione Alexandrinus, Laodiceæ Syriæ epiſcopus, philoſophicis diſciplinis eruditus, plurimo ſermone celebratur. Cuius ingenij magnitudo de libro quem ſupra de paſcha compoſuit, & de 10 libris Arithmeticæ inſtitutionis, apertiſſime poteſt cognoſci. Inſana Manichæorum hæreſis exoritur. Tacitus menſ. 6. ſui imperij apud Pontum occiſus eſt, circa menſ. Septemb.

FLORIANVS.

ROmanorum 37, Florianus (teſte hiſtorico) poſt Tacitum obtinuit imperium, qui 3 demum menſe ſui imperij apud Tarſum interfectus eſt: hoc eſt vſque ad Cal. Ian. in eodem anno quo Aurelianus occiſus eſt. Hic nec quicquam memoria dignum egit, tantum temporis breuitate ſui imperij.

PROBVS.

ROmanorum 38, Probus regnauit annis 6, menſ. 4, hoc eſt vſq; ad Cal. Maij, in anno 264 poſt paſſionem Domini: ſub quo hi conſules fuerunt teſte Caſſiodoro.

Anni Chr.	*Anni Prob.*	
279	1	Probus 4, & Tiberianus.

¶ Gaius, 26 papa poſt Petrum, annis 15, menſibus 4.

280	2	Probus 5, & Victorinus. Probus Gallos & Pãnonios vineas habere permiſit, Almum montem apud Syrmium, & Aureũ in Myſia ſuperiore, militari manu conſitos, prouincialibus colendos dedit.
		Secundo anno Probi
		iuxta Antiochenos, 400
		iuxta Laodicenos, 324
		iuxta Edeſſenos, 589
		iuxta Aſcalonitas, 380

Initium 86 iubilæi, ſecundum Hebræos. Iobel autem apud Hebræos quinquagenarius annus nominatur.

Itaque ſecundum ſupputationem Hebræorum (ſicut dicit Euſebius in Chronicis ſuis) ab Adam vſque in præſentem diem, id eſt ſecundum annum Probi, ſunt 4200 anni, id eſt * 4 iubilęi, & 50 anni, id eſt vnus iubilæus. Iubilæi 40 ab Ada vſq; ad annum 50 Abrahæ: & ab Ada vſq; ad annum 16 Tiberij, 70 iubilæi.

281	3	Carus & Carinus. Antiochiæ 18 conſtituitur epiſcopus Cyrillus. Saturninus magiſter exercitus nouam ciuitatem Antiochiæ orſus eſt condere: qui poſtea imperium molitus inuadere, Apameæ occiditur.
282	4	Carinus 2, & Numerianus. Archilaus Meſopotamiæ epiſcopus librum diſputationis ſuæ quem habuit contra Manichæum exeuntem de Perſide, Syro ſermone compoſuit: qui translatus a Græcis apud multos habetur.
283	5	Diocletianus vir clariſſimus conſul. Alexandriæ epiſcopus 15 pfuit Theonas annis 19.
284	6	Diocletianus, & Ariſtobulus. His conſulibus, Probus tumultu militari apud Syrmium in turri quę vocatur Ferrata occiditur: teſte Caſſiodoro. Methodius ſic: qui quum totidem temporis impleſſet imperio: Carus vna cum filijs Carino & Numeriano ſuccedit.

CARVS.

ROmanorum 39, Carus cum filijs ſuis Carino & Numeriano regnauit annis 2, menſ. item 2, iuxta hiſtoriam Romanã: hoc eſt vſq; ad Calen. Iul. in anno 266 poſt paſſionem Domini: ſub quo hi conſules fuerunt, teſte Caſſiodoro.

Anni Chr.	*Anni Car.*	
285	1	Maximus, & Aquilinus. Carus Narbonenſis cum omni Parthorum regione vaſtata Choen & Teſiphontem nobiliſſimas hoſtiũ vrbes cepiſſet, ſuper Tigridẽ caſtra ponẽs, fulminis ictu interijt.

terijt. Cyclus decennoualis 16, indictione 3 incipit.

Anni Chr.	Anni Car.	
286	2	Diocletianus 2. & Maximianus. Numerianus quũ ob oculorum dolorem lectica veheretur, insidijs Apri soceri sui occisus est: vix deinde comperto scelere, nisi per fœtorem cadaueris post aliquot dies. Carinus prælio victus apud Moguntiam occiditur. Methodius sic: Carus cum filijs suis Carino & Numeriano succedit Probo: à quibus 3 annis nondum plenis Romano regno administrato, Diocletianus suscepit principatum.

DIOCLETIANVS.

ROmanorum 40, Diocletianus regnauit annis 20, hoc est vsq; ad Cal. Iul. in anno 268 post passionem Domini: sub quo hi cõsules fuerunt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	Anni Dioc.	
287	1	Maximianus 2, & Ianuar. Diocletianus, Dalmatæ scribæ filius, imperator electus, statim Aprum in militum concione percussit: iurans eius scelere etiam Numerianum interfectum.
288	2	Bassus, & Quintianus. Diocletianus in consortium regni Herculeum Maximianum sumpsit, qui rusticorum multitudine oppressa, pacem Gallis reddidit. Carus sumpta purpura Britannias occupauit.
289	3	Diocletianus 3, & Maximianus tertio.
290	4	Tiberianus, & Dion. Narseus rex Persarum Orienti bellum intulit hoc tẽpore.
291	5	Annibalianus, & Asclepiodotus. Ægyptum Achilleus obtinuit: ob quæ Constantius & Galerius Maximianus Cæsares assumuntur in regnum: quorum Constantius Claudij ex filia nepos fuit. Galerius in Dacia non longe à Sardica natus est.
292	6	Diocletianus 4, & Maximianus 4. Diocletianus etiam vt eos affinitate coniungeret, Constantius priuignam Herculij Theodoram accepit: ex qua postea sex liberos Constantini fratres habuit.
293	7	Constantius & Maximus. Galerius filiam Diocletiani Valeriani accepit. Ambo vxores quas habuerant, repudiare compulsi sunt.

Anni Chr.	Anni Dioc.	
294	8	Tuscus, & Amulius. Busiris & Coptus contra Romanos rebellantes ad solum vsq; subuersæ sunt.
295	9	Diocletianus 5, & Constantius 2. Decretalis epistola Gaij papæ: Dilecto fratri Felici episcopo Gaius salutem & reliqua: data Calen. Mart. Diocletiano 5, & Constantio 2 consulibus. Gaius in hac epistola constituit, vt per omnes gradus ecclesiasticos, id est acoluthus, ostiarius, lector, exorcista, subdiaconus, diaconus, presbyter primum ascenderent, si quis episcopus fieret. Gaius papa passus 10 Cal. Maij, & sepultus in cœmiterio Calixti. ¶ Huic successit Marcellin⁹ papa 28 post Petrum, annis 8, menf. 2, diebus viginti quinque.
296	10	Faustus, & Gallus. Primus Diocletianus adorari se vt Deum iussit, & gẽmas vestibus calceamentisque inseruit: quum ante eum omnes imperatores in modum iudicum salutarentur, & chlamydem purpuream à priuato habitu plus haberent. Methodius sic: Diocletianus suscepto principatu maximas in nostros persequutiones molitus est. Sub hoc Gai⁹ papa 15 ann. sacerdotio perfunctus, Marcellinum successorem reliquit.
297	11	Diocletianus 6, & Maximianus sexto.
298	12	Constantius 3, & Maximus 3. His consulibus, intra 30 dies, 7000 passi sunt.
299	13	Titianus, & Nepotianus. Alexandria cum omni Ægypto per Achilleum ducem à Romana potestate discedens, 8 obsidionis mense à Diocletiano capta est.
300	14	Constantius 4, & Maximus 4. Itaq; plurimi per totam Ægyptum grauibus proscriptionibus exilijsq; vexati interfectis his qui authores perduellionis extiterant.
301	15	Diocletianus 7, & Maximianus 7. Ecclesiæ Hierosolymorum 37 ordinatur episcopus Zabdas. Post 10 annos per Asclepiodorum præfectum prętorio Britanniæ receptæ. Iuxta Lingones à Constantio Cæsare, 4000 Alemannorum cæsa sunt.
302	16	Diocletianus 8, & Maximianus 8. Galerius Maximianus, victus à Narseo ante carpentum Diocletiani

purpuratus cucurrit. Veturius magiſter militiæ Chriſtianos milites perſequitur. Paulatim iam exillo tempore, perſequutione aduerſum nos incipiente, Marcellinus papa ad ſacrificandum ductus ſacrificauit: ſed poſtea pœnitentia ductus capite truncatus eſt, 6 calendis Maij, & ſepultus eſt poſt dies 35 in cubiculo in via Salaria à Marcello presbytero & diaconibus cum hymnis.

¶ Marcellus papa 29 poſt Petrum, annis 5, menſibus 7, diebus 21. Methodius ſic: Poſt Marcellinum Marcell⁹ ſucceſſit, quem iam tempus Diocletianę perſequutionis inuenit. Ea tẽpeſtate apud Antiochiam poſt Dominum ſacerdotium ſuſceperat Timæus, poſt Timæum Cyrillus, poſt Cyrillum Dorothe⁹, qui eunuchus à natiuitate exiſtẽs in regia etiam aula gloriam adeptus eſt: vir eruditiſſim⁹ Hebręa & Græca lingua. Poſt hunc quoque ſacerdotiũ ſuſcepit Tyrannius, ſub quo eccleſiarum perſequutio increuit.

Anni Chr.	*Anni Diocl.*	
303	17	Conſtantius 5, & Maximus 5. Galerius Maximianus, ſuperato Narſeo rege Perſarum, & vxoribus ac liberis ſororibusq; eius captis, à Diocletiano ingenti honore ſuſcipitur.
304	18	Conſtantius 6, & Maximus 6. Eccleſiæ Hieroſolymorum 38 prę-fuit Thermon. Cyclus 17 decennoualis, indictione 7.
305	19	Diocletianus 9, & Conſtantius. Diocletianus & Maximianus Auguſti, pompa inſigni Romæ triumpharunt, antecedentibus currum eorum Narſei coniuge, ſororibus, liberis, & omnium præda qua Parthos ſpoliauerunt. 19 anno Diocletiani, menſe Martio, eccleſiæ ſubuerſę ſunt, in diebus Paſchæ; quarto autem anno perſequutionis Conſtantinus regnare orſus: ſecundo autem anno perſequutionis Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani ſub vno die purpuram depoſuerunt ob ætatis defectum, teſte Caſſiodoro, & creati ſunt Auguſti Conſtantius & Galerius. Sed Conſtantius tantum Auguſti dignitate contentus, quum eſſet otioſus, anni ipſius adſcribuntur filio eius Conſtantino, qui natus dicitur ex Helena concubina, qui regnauit annis 30, menſibus 10. Sanctus Hieronymus naſcitur. Methodius ſic: Quum eccleſiarum nimia perſequutio inoleuiſſet; adeſt continuo Dei dextra in tãta rerum permutatione, vt Auguſtus Diocletianus depoſitus cum collega pariter Auguſto Maximiano, regni inſignibus priuati, & plebeij poſt imperium viuerent: quibus ſubrogatus eſt Conſtantinus, qui multa clementia erga homines, erga Deum vero religione maxima vtebatur, vñ merito religioſus pater religioſiorem filium, Conſtãtinum videlicet regni bene parti reliquit hæredẽ, qui Maxentij victor extitit tyranni filij Maximiani. Quo regnãte Euſebius Neocæſariẽſis epiſcopus emicuit, & Agretius Treuirorum archiepiſcop⁹ extitit. Euſebius ſic: Maximus & Seuerus à Galerio Maximiano Cæſares facti.

Conſtantivs.

ROmanorum 41, Conſtantius Chlorus, & Galerius Maximinus, anno vno: hoc eſt vſq; ad Calen. Iul. in anno 288 poſt paſſionem.

Anni Chr.	*Anni Conſt.*	
306	1	Maximinus & Maxentius. Marcellus papa dilectis fratribus vniuerſis per Antiochiã conſtitutis ſalutem & reliqua data Calen. April. Maxentio & Maximino conſulibus. Marcellus epiſcopus catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ vrbis Romæ Maxentio: & reliqua: data 18 Cal Febr. Maxentio & Maximino conſulibus. Marcellus papa, iubente Galerio Maximino imperatore, primo fuſtibus cæſus, deinde ad cuſtodiã animalium deputatus, poſt multos dies indutus cilicio, obijt 17 Cal. Febr. & conditus aromatib⁹ à Ioanne presbytero, & beata Lucina: ſepultus eſt in via Salaria in cœmiterio Priſcillæ. ¶ Huic ſuccedit Euſebius papa 30 poſt Petrum, menſibus 8, his autem Maximino & Seuero conſulibus. Conſtantius 16 imperij anno obijt in Britannia Eboraci: poſt quem filius eius Conſtantinus, ex concubina Helena procreatus, regnum inuadit.

Sub huius tempore inuenta eſt crux Domini ſub Conſtantio patre Conſtantini Magni, vt in geſtis Romanorum pontificalibus habetur, 5 Non. Maij: & baptizatus eſt Iudas, qui dicitur Cyriac⁹. Euſebi⁹ papa obijt, cui ſuccedit Miltiades. Tertio pſequutionis anno, quo Conſtantius Ebo-

Eboraci obiit, Maximin⁹ & Seuerus à Galerio Maximiano imperatore Cæsares facti sunt: ex quib. Maximinus maleficia & stupra sua in Christianos persequutione accumulat. Passus est ea tempestate Petrus Alexandriæ Episcopus cum plurimis Ægypti Episcopis, Lucianus quoq; vir nobilis & continentiæ, & eruditionis moribus præcipuus, Antiochen⁹ presbyter, & Timotheus Romæ 10 Calend. Iul. Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius in Occidente vastari Ecclesias, affligi interficiq; Christianos decimo post Neronem loco præceperũt. Quæ persequutio omnibus fere aliis diuturnior & immanior fuit: nam per decennium Ecclesiarum proscriptionibus, innocentum cædibus martyrum, incessabili iteracta est. Secundo anno persequutionis Diocletianus ab inuito exegit Maximiano, vt simul purpuram imperiumq; deponerent, ac iunioribus in Rempublicam institutis, ipsi in priuato habitu consenescerent. Beda. Attamen semel cœpta persequutio, vsque ad septimum Constantini annum feruere non cessat.

Galerius & Constantius Augusti, primum Romanum imperium inter se diuiserunt: Galerius Maximianus, Illyricum, Asiam & Orientem; Constãtius Italiam, Aphricam, & Gallias obtinuit. Sed Constantius vir trãquillissimus, Gallia Hispaniaq; contentus, Galerio cæteris partib. cessit. Galerius duos Cæsares elegit; Maximum quem in Oriente constituit; & Seuerum cui permisit Italiam: ipse in Illyrico constituitur. Orosius. Constantius in Britannia obiit, & Constantinum filium ex Helena concubina creatum, imperatorem Galliarum reliquit. Constãtino vero in Galliis strenuissime rempublicam procurante, prætoriani milites Romæ Maxentium filium Maximiani Herculii, qui priuatus in Lucania morabatur, Augustum nominant. Galerius Augustus Seuerum Cæsarem aduersum Maxentium Romam cum exercitu misit. Seuerus quum Vrbem obsideret, militum suorum scelere desertus & proditus, & ex eo fugiens, Rauennę occisus est. Herculi⁹ Maximianus persequutor ex Augusto tyrannus, cõfirmatum iam imperio filium veste ac potestate regia spoliare conatus: conuitiis autem & tumultibus militũ pauefactus, in Galliam profectus est, vt Constantino genero suo æque dolis iũctus auferret imperium: sed per Faustam filiam detectus & proditus, quod dolum Constantino viro suo pararet, Massiliæ fugiens occiditur. Porro Galerius occiso Seuero Licinium imperatorem creat. Quumque persequutionem à Diocletiano & Maximiano missam ipse atrociorib. edictis accumulasset, ac postquam per annos 10 omni genere hominum exhausit prouincias, putrefacto introrsum pectore, & vitalib. dissolutis, quũ vltra horrorem humanæ miseriæ etiam vermes eructaret, neq; medici iam vltra fœtorem eius ferentes crebro iussu occiderentur, & quidam medicus ei diceret, iram Dei esse pœnam suam, & ideo incuratus maneret; edictis latissimis Christianos de exiliis reuocauit: ipse vero obiit. Constantinus pacem Ecclesiis per decẽ annos quibus à persequutoribus vexabãtur, indulsit. Deinde orto ciuili bello inter Cõstantinum & Maxentium, apud pontem Miluium victus Maxentius occiditur. Hæc Orosius. Quomodo autem persequutiones sunt secundum chronicam Eusebii & Bedam, vsq; ad annum 7 Cõstantini: hoc est annum 19 & 20 Diocletiani: annum 13 Galerii, & 6 Constantini: tertiũ. n. annũ persequutionis, quo & Constantius pater Constantini Eboraci obiit, Beda computat inter Diocletianum & Constãtinum: quartum vero annũ persequutionis, sub Galerio, & Seuero, & Maxentio in Roma, Cõstantino interim in Gallia imperante cũ præcedente tertio anno persequutionis, Isidorus Episcopus Galerio computauit. Romæ passus Gaius, & Marcellus papa, Cyriacus cum sociis suis, Pancratius & Felician⁹, & alii quamplures; in Hispania Vincentius diaconus; in Sicilia Eupl⁹ diaconus; Agauno Mauricius cũ sociis suis; Antiochiæ Cyprianus Episcopus; apud Ægęam ciuitatem Cosmas & Damianus; apud Coloniam Aprippinã Gereon cum sociis suis: tunc intra vnum mẽsem 17000 martyrum pro CHRISTO passi sunt.

CONSTANTINVS.

ROmanorum 42, Constantinus Magnus, Constantii filius ex concubina Helena, ab anno 4 persequutionis incipiens, indictione 2, regnauit annis 30, mensibus 10, hoc est in anno 268 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	Anni Con.	
306	1	Proconsul Dioclotianus 11. & Maximus 9. Maxentius Herculii Maximiani filius, à prætorianis militibus Romæ Augustus appellatur. ¶ Miltiades, papa 31 post Petrum, sedit annis 4, mensibus 7, diebus 7. Hic constituit, vt in die Dominico & in quinta feria non ieiunarent: quia ipsos pagani pro sacro ieiunio celebrant.
307	2	Proconsul Diocletianus 12, & Maximus 10. Quirinus Episcopus Siscianus glorioſe pro CHRISTO interficitur, nam manuali mola ad collum ligata & ponte præcipitatus in flumen, diutissime supernatauit: & cõspectãtibus coll oquutus ne suo terrerentur exemplo, vix orans vt mergeretur, obtinuit.
308	3	Maximus 11, & Licinius. Galeri⁹ Maximianus obiit.
309	4	Constantin⁹ 2, Licinius 2. Maximinus persequutione in Christianos facta, quum iã à Licinio puniendus esset, apud Tarsum moritur. Miltiades papa obiit 3 idus Ianuarii. ¶ Huic succeſſit Syluester papa 32 post Petrum, annis 23, mensibus 10, diebus 27. Hic constituit, ne vllus laicus clerico, nec clericus inferioris gradus clérico, superioris gradus crimen inferret: & vt in puro lino corpus CHRISTI offeratur, & chrisma ab episcopo cõficiatur, & vt baptizatũ liniat presbyter, & dalmaticis in ecclesia vtatur, & vt pallio lineo stymo læua subdiaconorum tegeretur.
310	5	Constantinus 3, & Licinius 3. Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus passus: cui succeſſit Achillas Episcopus.
311 / 312	6 / 7	Volusianus, & Annianus. Constantinus 4, & Licinius 4. Bellum Cybalense aduersum Licinium. Pax Ecclesiæ reddita à Cõstantino post decennium persequutionis.
313	8	Sabinus, & Rufinus. Hierosolymorum 39 Episcopus Macarius.
314	9	Gallicanus, & Bassus. Diocletianus haud procul à Solonis, in villa sua, palatio moritur.
315 / 316	10 / 11	Licinius 5, & Crispus. Constantinus 5, & Licini⁹ Crispus & Constantinus filii Constantini, & Licinius adolescens Licinii Augusti filius, Constantini Aug. ex sorore nepos, Cæsares appellati.
317	12	Constantinus 6, & Constantius. Crispum filium Constantini * Lactantius eloquentissimus, sed pauper
318	13	Crispus 2, & Constantinus secundo.
319	14	Probianus, & Iulianus. Licinius Christianos de palatio suo pellit. Basilæus Amasiæ Ponti Episcopus sub Licinio martyrizatur.
320	15	Seuerus, & Rufinus. Alexandrinæ Ecclesiæ 18 Alexander, à quo Arius ejectus, ob id synodus 318 Episcoporum in Nicea congregata 17 calendis Iuliis.
321	16	Crispus 3, & Constantius 3. Constantinus prohibuit Christianos occidi, paganorumq; templum iussit claudi. Sanctus Martin⁹ nascitur, Sabariæ Pannoniorum oppido, sed intra Italiam Ticini alitus est. Constantino autem à papa Syluestro baptizato, scripsit de Britannia sibi sua mater Helena, vt negando CHRISTVM Iudæos sequeretur. Tunc Cõstantino & Licinio 4 consulibus, die idus Augusti, congregati sunt cum Helena in Roma 120 sapientiores Iudæorum. Quum autem quæstio oriretur à Syluestro papa, 24 episcopis cõsedentibus, superati sunt Iudæi in omni Scriptura diuina.
322	17	Paulinus, & Iulianus. Beda ait, concilium Nicænum sub his consulibus factum. Decretalis epistola: Temporibus Syluestri papæ, & Constantini pijssimi Augusti factum est magnum concilium in vrbe Nicæa Bithyniæ, & congregati sunt regulariter eiusdẽ Syluestri papæ vocatione in idipsum 318 episcopi catholici, qui exposuerunt fidem integram, catholicam, immaculatam: & damnauerunt Arium & Photinum, Sabelliumq;, & sequaces eorum. Eodem quoque tẽpore 13 calendis Iuliis, quando memoratũ magnum concilium in Nicæa congregatum est, canonica iam vocatiõe in vrbe Roma congregauit & ipse Syluester cũ consilio Constantini 277 episc. & damnauit prædictos hæreticos: & constituerũt, vt presbyter Arian⁹ resipiscẽs non reciperetur, nisi Episcopus ejusdẽ loci eum reconciliaret, & sacrosancto chrismate per Episcopalis manus impositionẽ sancti Spiritꝰ gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaretur: in quo etiam consensu & subscriptione omnium constitutum est,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

est,vt nullus laicus clerico crimen inferret: & cætera. Cyclus 18 decennoualis incipit,indictione 11.

Anni Chr.	*Anni Con.*	
323	18	Constantinus 7, & Cõstantius 4. Constantius filius Cõstantini Cæsar factus. Licinius Thessalonicæ contra ius sacramẽti priuatus occiditur, Fides catholica in Nicęno concilio cõstituitur,10 calendis Iuliis,consulatu Paulini & Iuliani,contra Ariũ cum suis,& Quadragesima ante passionem CHRISTI ab 7 idus Ianuarii vsq; ad 15 Calendas Martii,notata est vsque ante Pascha,tribus de causis:primo, vt nostrum ieiuniũ passioni CHRISTI copularetur : secundo,vt in fine ieiunii nostri accedam⁹ ad opus Christi:tertio,vt nos ieiunantes inueniat Dominus , quum venerit iudicare viuos & mortuos in nouissimo pascha.
324	19	Constantius 5,& Maximus. Nazarius rhetor insignis habetur. Crispus filius Constantini,& Licinius iunior Constantiæ sororis Constantini & Licinii filius,crudelissime interficiuntur.
325	20	Ianuarius,& Iustus. Vicennalia Constantini Nicomediæ acta,& sequenti anno Romæ edita. Huc vsq; historiam scribit Eusebius Pamphili martyris contubernalis: cui nos ita subiecimus,vt subaudias Hieronymum. In historia quę Tripartita dicitur,ita habetur: Helena crucem inuenit,duasque partes suo filio Cõstantinopolim misit. Quarum vnã in foro Constãtini supra columnam porphyreticam posuit Constantius : alteram vero argentea theca clausam in ciuitate custodiuit. Ario vero fictam fidem scribente, de exilio vocauit eum Constantinus, qui reuertens sic Constantino iurauit: Si non credimus patrem & filium & spiritũ sanctum,sicut ecclesia catholica credidit,iudex noster sit hic & in futuro. Constãtin⁹ tamen etsi inde gauisus sit, tamen eum alios; hæreticos communicare in ecclesia non permisit, donec episcoporum de ipsis iudicium fieret. Constãtinus autem interim malens Ariũ probare, duxit eum ad palatium iureiurando interrogans de Nicæni concilii decretis. At ipse ficte sam sectam sub ala habẽs sic iurauit. Quia vero ipsa dies sabbatũ erat, præcepit Cõstantinus crastino die dominico Ariũ ad communionem accedere. Tunc in aula à militibus Eusebii Episcopi, etiam Arius honoratus, & per mediam ciuitatem honorabiliter & perspicue cõduct⁹. Quum vero venit ad forum Constãtini, vbi pars illa crucis erat, tremefactus & confusus est Arius. Et quum necessarium quæsisset meatum, cum stercoribus & visceribus effundens cito obiit.
326	21	Constantinus 8,& Constantius 6. Arnobius rhetor in Aphrica clarus habetur: qui quum ad declamandum iuuenes erudiret,& adhuc ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neq; ab episcopo impetraret: fidẽ quam semper impugnauerat, elucubrauit: aduersum pristinam religionem luculentissimos libros, & tãdem veluti quibusdam obsidibus pietatis fœd⁹ impetrauit. Drepanam Bithyniæ ciuitatem in honorem martyris Luciani ibi cõditam, Constantinus instaurans, ex vocabulo matris suæ Helenopolin nuncupauit.
327	22	Constantius 7, & Symmachus. Cõstãtinus vxorẽ suam Faustã interfecit. Donatus agnoscitur, à quo per Aphricam Donatistæ. Antiochiæ post Tyrannum 20 ordinatur Episcopus Vitalis: post quem 21 Philogonius: cui successit 22 Paulinus: post quem 23 Eustathius. Quo in exiliũ ob fidem truso vsq; in præsentem diem, Ariani Ecclesiam obtinuerũt,id est Eulalius,Eusebius,Euphronius, Placillus,Stephanus,Lentius, Eudoxius, Melitius, Euzot⁹, Dorotheus: quorũ idcirco tẽpora non digessi, quod eos potius hostes CHRISTI, quã Episcopos iudicem.
328	23	Bassus, & Ablabius.
329	24	Pacatianus, & Hilarianus. Iuuencus presbyter, natione Hispanus, Euãgelia heroicis versibus explicat. Porphyrius, misso ad Constantinum insigni volumine,de exilio liberatur. His consulibus , ciuitas quæ prius Byzantium dicta est,mutato nomine à Constantino Constantinopolis nominatur.
330	25	Dalmatius,& Zenophilus. Alexandriæ 19 ordinatur Episcopus Athanasius. Metrodorus philosophus agnoscitur.
331	26	Optatus, & Paulinus. Edicto Constantini gentilium templa subuersa sunt. Sanctus Martinus quum esset decem annorum,inuitis parentibus,vtpote

Gentilibus, ad Eccleſiam confugit, ſeq; catechumenum fieri poſtulauit.

Anni Chr.	*Anni Conſt.*
332	27

Conſtantius & Albinus. Conſtans filius Conſtantini prouehitur ad regnum.

| 333 | 28 |

Nepotianus, & Secundus. In Martyrologio ſic: Pridie calendis Ianuarii, natiuitas ſancti Syluestri papæ, qui ſedit annis 23, menſib. 10, diebus 18. Sedit autem ex die Calend. Februarii, vſque ad 2 Cal. Ianuarii: & ſepultus eſt in cœmiterio Priſcillæ, via Salaria, miliario 3 ab vrbe Roma, 2 Calend. Ianuarii, Conſtantio & Voluſiano conſulibus, & ceſſauit Epiſcopatus diebus 15. Nota duos menſes vocationis Epiſcopatus, à 4 idus Decembris, quo Miltiades papa obiit, vſq; ad Calend. Februarias, quo Syluester ſedit, & 15 dies poſtea, quod tempus pontificatui non imputatur. Si ergo ita temporis pontificum aliquid defecit, quorum natale annuatim celebratur, nonne multo magis tempus imperatorum? Marcus papa 23 poſt Petrum, qui ſedit menſibus 8, prædictis conſulibus, id eſt Nepotiano & Secundo. Decretalis Epiſtola, Domino ſancto & apoſtolici culminis dignitate venerando Marco, ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ ſedis vniuerſalis Eccleſiæ papæ, Athanaſius & vniuerſi Ægyptiorũ Epiſcopi. Ad vos peruenisse nõ dubitamus, quãta & qualia ab hæreticis, & maxime Arianis quotidie patimur, vt etiam viuere iam nos tædeat: in totum etiam noſtra vaſtauerunt, nec vlla vtẽſilia nobis dimiſerũt, libros noſtros vſq; ad minimum incẽderunt. Quapropter precamur pater beatiſſime, quæ nõ dubitamus apud vos plenaria eſſe Niceni concilii exemplaria, vt illa nobis quæ ſanctæ recordationis prædeceſſoris veſtri Syluestri fuerunt, ſub tuta mittatis ſtipulatione. Nã quando prædictæ ſynodo cum beatæ memoriæ Alexandro, digno Deo pontifice noſtro, id eſt Alexandrinæ ciuitatis Epiſcopo, diaconatus interfuimus officio, ſub noſtræ præſentiæ teſtimonio, per beatos viros Victorem & Vincentium presbyteros, apoſtolicæ apocriſiarios, miſſa ſunt prædicto papæ Syluestro cum adſtipulatione ſubnixa, capitula 70. Sane præſentibus nobis 80 capitula in memorata tractata ſunt ſynodo, ſcilicet 40 à Græcis Græca edita lingua, & 40 à Latinis Latine edita. Sed viſum eſt 318 patrib. in prædicto ſpiritu ſancto repletis, concilio cõgregatis, & maxime iam dicto Alexandro, & apoſtolicę apocriſiariis, vt decẽ capitula adunarentur aliis, atq; cõgruis in locis inſererẽtur, & ad formam 70 diſcipulorum vel 70 linguarum tanti & tam excellentis concilii fierent capitula, quæ & Chriſtiano nomine degentes vna fides & vna ſacerdotalis regeret norma, nec quicquam à ſuo diſcordaret capite. Nunc ergo quia (vt prædictum eſt) ab inimicis ſanctæ Dei Eccleſiæ, & maxime Arianis à quib⁹ quotidie terimur, & expugnamur, & opprimimur, præfata 70 Niceni concilii capitula, quæ de prefata ſynodo iubẽte domino meo Alexandro attuli decreto omniũ Epiſcoporũ, quæ etiã corã omnib. recitaui, atq; tranſcripſi, ſunt igne combuſta: opramus vt à veſtræ ſanctæ ſedis Eccleſiæ autoritate percipere per præſentes legatos mereamur: & reliqua. Decretalis epiſtola: Omnib. venerabilib. fratribus, Athanaſio, & vniuerſis Ægyptiorũ Epiſcopis Marcus papa ſalutẽ. Doleo fratres & nimiũ cõtriſtor ſuper afflictionẽ veſtram & reliqua. De capitulorũ veſtrorũ Nicæni concilii, quibus vos interfuiſſe literis veſtræ fraternitatis ſignificaſtis, à noſtris qui vna vobiſcũ interfuerũt, diligentioribus requiſiuimus colloquutionib., quæ ita vt veſtræ teſtatæ ſunt literæ, omnẽ nobis ordinẽ expoſuerunt, & veſtrã Epiſtolam per omnia verã eſſe teſtificati ſunt: nõ vt nos aliquid ſiniſtrũ veſtra ex parte arbitraremur: ſed nos & vos illoſq; abſque vlla in poſterum titubatione vnum ſentire optaremus. Et ſancta Romana Eccleſia, quæ ſemper immaculata manſit, & Domino iubẽte, & beato Perro opẽ ferente in futuro manebit, ſine vlla hæreticorum inſultatione firma & immobilis omnitẽpore perſiſtit. His itaq; peractis diligẽter inquirẽtes, in ſanctæ noſtræ & apoſtolicæ ſcrinio, eadẽq; ſanctæ recordationis poſt deceſſore meo Syluestro directa, ſeptuaginta ſicut ſignificaſtis capitula illæſa inuenim⁹ Ipſa enim vobis propter authoritatẽ & ſcriptionẽ tantorũ patrum & eius magni concilii minime miſimus: ſed pec eadem coram apocriſiariis veſtris, aliis ſimilia eundem numerum, eandemq; & ipſam ſcriptionem continẽtia vobis ſcribere, & ſub certa ſtipulatione mittere cauimus

rauimus: & reliqua: data est 8 Calendis Nouembris, Nepotiano & Secundo, viris venerabilibus consulibus. Marcus papa obiit nonis Octobris, & sepultus in cœmiterio Balbinæ, via Adriatica, quod ipse insistens fecit. ¶ Iulius, papa 33 post Petrum ordinatur, qui sedit annis sedecim, mensibus nouem.

Anni Chr.	*Anni Con.*
334	29	Felicianus, & Tacianus. Callocerus in Cypro res nouas moliens opprimitur. Constantinus imperator cum libris suis honorificas ad Antonium literas mittit.
335	30	Vrsus, & Polemius. Tricennalibus Constantini Dalmatius Cæsar appellatur. Nazarius Rhetor Romæ gloriosissime docet. Eius filia Eunomia Christianam eloquentia patri coæquatur. Tibe-

rianus, vir disertissimus, præfectus prætorio, Gallias regit. Eustathius Constantinopolitanus agnoscitur: cuius industria Martyriũ Hierosolymis constructum est.

| 336 | 31 | Constantius secundo, & Constans. Sanctus Martinus quum esset annorum quindecim, raptus & catenatus sacramentis militaribus est implicatus, vno tantum seruo comite. Quum enim esset edictum à regibus, vt describerentur filii veteranorum, ad militiã proditus est à patre suo. Constantinus filius Cõstantini Magni, extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediẽsi episcopo baptizatus, in Arianũ dogma declinat. Heu (proh dolor) bono vsus est principio, & malo fine: à quo vsq; ad præsens tempus Ecclesiarum rapinæ & totius orbis sequuta est discordia. Cõstantinus quum bellum pararet in Persas, in Achirone villa publica iuxta Nicomediam moritur. Theodorus in Tripartita historia sic: Constantinus Nicomediæ in Achirone villa postquam baptizatus est ab Eusebio Nicomediẽse, Episcopo Ariano, obiit anno 66 ætatis, imperii 31, die 25 mensis Maii, his consulibus, teste Cassiodoro. |

CONSTANTIVS.

ROmanorum 43, Constantius, imperator, anno ab Vrbe 1091, cum Constantino & Constante fratribus suis adeptus est imperium, quod 24 annis tenuit: hoc est in mensem Nouembrem, in anno 345 post passionem Domini, his consulibus, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	*Anni Con.*
337	1	Aridinus, & Proculus. Ablabius præfectus prætorio, & multi nobilium occisi.

Sapor rex Persarum Mesoporamia vastata duobus ferme mensibus Nisibin ciuitatem obsedit.

Dalmatius Cæsar, quem patruus Constantinus cõsortem regni filiis dereliquerat, factione Cõstantii patruelis & tumultu militari occiditur.

Constans Arianus effectus catholicos toto orbe persequitur.

Donatus artis grammaticæ scriptor, ac præceptor Hieronymi Romæ insignis habetur.

Iacob. Nisibenus Episcopus agnoscitur: ad cuius preces sæpe Vrbs discrimine liberata est.

338	2	Marcellinus, & Probinus. Ex hoc loco impietas Constantii regis fulta præsidio, exiliis, carceribus & variis afflictionum modis, primo Athanasium, deinde omnes nõ suæ partis Episcopos persequuta est. Iulius papa in exilio mensibus decem: sed post mortem Constantii ad sua cum gloria reuertitur.
339	3	Constantius 3, & Constans 2.

Constantinus bellum fratri inferens, iuxta Aquileiam occiditur.

Vario euentu aduersum Francos à Constante pugnatur.

Sanctus Martinus quum esset viginti annorum, baptizatus est, & transacto tribunatus sui tempore, tribunus militum secum eo seculo renunciaturũ promisit: quare biennio solo tantum nomine militauit. Sanctus Iulius papa in decretali epistola sua de hoc anno ita dicit. In nomine Domini Dei saluatoris nostri IESV CHRISTI, imperante quoq; Cõstantino & Constante Augustis, anno 4, sub die 8 Calend. Octobris, indictione sexta, præsidẽte sancto ac beatissimo Iulio papa sedis apostolicæ vrbis Romæ, postpositis sacrosanctis ac venerabilib. euangeliis in Ecclesia Dei quæ vocatur Constantiana, residentibus etiam viris venerabilibus pariterq; cum eo audientibus, Benedicto Aquileiensi episcopo, Rufo sanctissimo Cartamano episcopo Agapeto Rauẽnatis Ecclesiæ e-

piſcopo, Iulio Mediolanenſi epiſcopo, & reliquis cum eis, centum atque decem & ſex Epiſcopis. Iuli⁹ prædictus ſanctiſſim⁹ vrbis Romæ Epiſcopus dixit: & reliqua. Annus itaq; quartus Conſtantini imperatoris ſexta erat indictione, qui eſt annus 28 Magni Conſtantini, iuxta Chronicum Euſebii vel Bedæ, incarnationis ſecundum Dionyſium annus 333.

Anni Chr.	*Anni Con.*	
340	4	Placidus, & Romulus. Audæus in Cœleſyria clarus habetur: à quo hæreſis Audæana.
341	5	Leontius, & Saluſtius. Franci à Conſtãte ſunt perdomiti, & pax cum eis facta.

Hermogenes magiſter militiæ Conſtantinopolim tractus à populo ob Epiſcopum Paulum, quem regis imperio & Arianorum factione pellebat. Antiochię Dominicum aureum dedicatur. Cyclus decennoualis 19 incipit, indictione 14.

342	6	Conſtantius 3, & Conſtans 3 Macedonius artis plurimę in locum Pauli ab Arianis Epiſcopus ſubrogatur: à quo hæreſis Macedoniana.
343	7	Amantius, & Albinus.

Maximinus Treuirorum archiepiſcopus clarus habetur: à quo Athanaſius Alexandriæ Epiſcopus, quum à Conſtantio quæreretur ad pœnam, honorifice ſuſceptus eſt.

Sapor Perſarum rex Chriſtianos perſequitur.

Neocæſarea in Ponto ſubuerſa eſt, excepta Eccleſia & Epiſcopo cæteriſq; qui ibidem reperti ſunt.

344	8	Poſt conſules Amantii, & Albini: Athanaſius ad Conſtantis literas Alexandriam regreditur.
345	9	Rufinus, & Euſebius. Dyrrhachium terræmotu corruit, & tribus diebus ac noctibus Roma nutauit.
346	10	Philippus, & Salia. Euſebi⁹ Emiſenus, Arianæ factionis ſignifer, multa & varia conſcribit.
347	11	Limenius, & Aco. Hoc etiam anno facta eſt defectio Solis magna, 18 calendis Ianuarii.
348	12	Sergius, & Nigridianus. Magnentio apud Auguſtodunum arripiente imperium, Conſtans haud longe ab Hiſpania, in caſtro cui Helenæ nomen eſt, interficitur, anno ætatis 30. quamobrem turbata republica Vetranio Murſæ, Nepotianus Romæ imperatores facti.

Anni Chr.	*Anni Con.*	
349	13	Poſt conſules Sergii & Nigridiani. Vetranioni apud Narſum à Conſtantio regium inſigne detractum. Magnentius Murſæ victus, in quo prælio Romanæ vires conciderunt. Gallus Conſtantii patruelis Cæſar factus.
350	14	Conſtantius 5, & Conſtans. Iuli⁹ papa obiit pridie idus Aprilis, & ſepultus via Aurelia, milliario ab Vrbe 3, in cœmiterio Calepodii. ¶ Liberius papa 35 poſt Petrum ſucceſſit anno 15, mẽſibus 7, diebus 3.
351	15	Conſtantius 6, & Conſtans 2. Gallus Iudæos qui interfectis per noctem militibus arma ad bellandum inuaſerant, oppreſſit, cæſis multis hominum millibus vſque ad innoxiam ætatẽ: & ciuitates eorum, Diocæſaream, Tiberiadẽ, Dioſpolim, & plurima alia oppida igni tradidit.
352	16	Conſtantius 7, & Conſtans 3. Magnentius Lugduni in palatio propria ſe manu interfecit, & Decentius frater eius quem ad tuendas Gallias Cæſarem miſerat, apud Senonas laqueo vitam explet.

Gennadius forenſis orator inſignis habetur.

353	17	Arbitrio, & Lollianus. Gallus Cæſar ſollicitatus à Conſtantio patrueli, cui in ſuſpicionem ob egregiam indolem venerat, Iſtriæ occiditur.

Victorinus rhetor, & Donatus grammaticus, Romæ inſignes habentur: è quibus Victorinus etiam in foro Traiani ſtatuam meruit.

Paulinus & Rhodanus, Galliarum Epiſcopi, in exilium ob fidem truſi.

354	18	Conſtantius 8, & Iulianus. Alcimus & Delphidius rhetores in Aquitania florentiſſime docent.

Donatus, à quo ſupra in Aphrica Donationos dici memorauimus, Carthagine pellitur. Quidam ſectatores eius Montenſes vocantur: eo quod Eccleſiam Romæ primam in monte habere cœperunt. Euſe-

Eusebius Vercellensis episcopus, & Lucifer, ac Dionysius Caralitanus & Mediolanensis ecclesiæ Episcopus, Pancratius quoque Romanus presbyter, & Hilarius diaconus, distantibus inter se ab Arianis & Constantio damnantur exilijs.

Iulianus frater Galli, Mediolani Cæsar appellatur.

Anni Chr.	Anni Con.	
355	19	Constantius 9, & Iulianus 2. Antonius monachus 105 ætatis anno in eremo moritur, solitus multis ad se venientibus, de Paulo quodam Thebeo miræ beatitudinis viro referre: cuius nos exitum breui libello explicauimus. Hilarius episcopus Pictauiensis factione Saturnini Arelatensis episcopi, reliquorumq; qui cum eo erant Arianorum, ante triennium in Phrygiam pulsus, libros de nostra religione componit.

Reliquiæ apostoli Timothæi Constantinopoli inuectæ.

Magnæ Alemannorum copiæ apud Argentoratum oppidum Galliæ à Cæsare Iuliano oppressæ.

Liberius papa Romanæ ecclesiæ mittitur in exilium. Tunc omnes clerici iurauerunt, vt nullum alium susciperent. Verum quum Felix fuisset ab Arrianis substitutus in sacerdotium, plurimi perierunt, & post annum cum Felice electi sunt: quia Liberius tædio victus exilij, & in hæreticam prauitatem subscribens Romam quasi victor intrauerat. Felix autem depositus de episcopatu suo habitauit in prædiolo suo via Portuensi, vbi obijt 4 Calen. Aug. In gestis Pontificum sic: Felix natione Romanus, ex patre Anastasio sedit anno 1, mensibus 3. Hic declarauit Constantium Augustum filium Constantini hæreticum, & baptizatum ab Eusebio Nicomediense episcopo, iuxta Nicomediam in Aquilone villa & pro hoc declaratu ab eodem Constantio Augusto filio Constantini Augusti capite truncatur tertio Id Nouembris, in ciuitate Carone: & exinde cum clerici rapientes sepelirent in basilica sua quam fecit quum presbyter esset, 12 Cal. Decembr. via Aurelia, milliario secundo ab Vrbe; & cessauit episcopatus diebus 38. Hic emit agrum circa eandem basilicam, & dedit eidem ecclesiæ, quam fecit in via Aurelia. Fecit ordinationem in Vrbe Roma per mensem Decembrem presbyteros 21, diaconos quinque, episcopos per diuersa loca 18. Liberius papa de exilio reuertitur.

Anni Chr.	Anni Con.	
356	20	Titianus, & Cerealis. Saraceni in monasterium beati Antonij irruentes, Sarmatam interficiunt.

Constantio Romam ingresso, ossa Andreæ Apostoli & Lucæ Euangelistæ à Constantinopolitanis miro fauore suscepta.

357	21	Eusebius, & Hypatius. Paulinus Treuerorum episcopus in Phrygia exulans moritur.

Synodus apud Ariminum, & Seleuciam Isauriæ facta, in qua antiqua patrum fides CHRISTI, primum legatorum, dehinc omnium proditione damnata est.

358	22	Constantius 10. & Iulianus 4. Gratianus imperator nascitur.

Hilarius Pictauiensis episcopus, cum apud Constantinopolim librum pro se Constantio porrexisset, ad Gallias redit.

Macedonius Constantinopoli pellitur.

Omnes pene toto orbe Ecclesiæ sub nomine pacis & regis Arrianorum consortio polluuntur.

359	23	Taurus, & Florentius. Constantinopoli ecclesiarum maxima dedicatur.

Meletius Sebastiæ Armeniæ episcopus, ab Achatio, & Georgio episcopis Arrianis Antiochiam transfertur. Et post paululum cum presbyteros qui ab Eudoxio anteecessore suo depositi fuerant, susceepisset, exilij iustissimam causam subita fidei mutatione delusit.

Sanctus Augustinus nascitur.

360	24	Mamertinus, & Neuita. Gallia per Hilarium Arianensis perfidiæ dolos damnat.

Hæresis Anthropomorphitarum in Syria & Macedonia & Constantinopoli oritur.

Constantinus Mopsocrenis inter Ciliciam Cappadociamque moritur anno ætatis 45, Constantinopolim veniens tertia die mensis Nouembris, his consulibus.

IVLIANVS.

ROmanorum 44, Iulianus (ſecundum omnes) regnauit annis 2, menſibus 8. hoc eſt vſq; ad Calen. Iul. in anno 310 poſt paſſionem Domini, ſub quo hi conſules fuerunt teſte Caſſiodoro.

Anni Chr.	*Anni Iulian.*	
361	1	Iulianus 4, & Saluſtius.

Cyclus decennoualis 20 incipit, indictione 3. Iulianus ad idolorum cultus conuerſus eſt. Hic ex clero imperator factus, blãda perſequutione illiciẽs magis q̃ impellens ad ſacrificãdum, in qua multi ex noſtris voluntate propria corruerunt.

Georgio per ſeditionẽ populi Alexandriæ incenſo, qui in locum Athanaſij ab Arrianis fuerat ordinat⁹, Athanaſius Alexandriam reuertitur: Euſebius & Lucifer de exilio regrediuntur.

|362|2| Iulianus 5, teſte Caſſiodoro. Prohæreſius ſophiſta Athenienſis, lege data ne Chriſtiani liberalium artium doctores eſſent, cum ſibi ſpecialiter Iulianus concederet, vt Chriſtianos doceret, ſcholam ſponte deſeruit.

Eccleſiæ Antiochenæ clauſæ, & grauiſſima imminentis perſequutionis procella Dei voluntate ſopita eſt. Nam Iulianus in odium CHRISTI templum Hieroſolymis Iudæis reparare permiſit. Et ex omnibus prouincijs Iudæi collecti quum noua templi fundamenta iacerent, ſubito nocte oborto terræmotu ſaxa ab imo fundamentorum excuſſa, longe lateque ſparſa ſunt, igneuſq; globus ab interiore æde templi egreſſus, plurimos eorum ſuo proſtrauit incendio. Quo terrore reliqui pauefacti, CHRISTVM confitebantur in via. Et ne hoc caſu crederent factum, ſequenti nocte in veſtimentis cunctorum apparuit crucis ſignum. Eo tempore pagani apud Sebaſten Palæſtinæ vrbem, ſepulchrum beati Ioannis Baptiſtæ inuadunt, oſſaq; eius diſpergunt. Sed Dei prouidentia adfuere quidam ex Hieroſolymis monachi, qui mixti colligentibus, quæq; ipſi poterant, ablata ad patrem ſuum Philippum pertulerunt.

Sanctus Dionyſius, præſente Iuliano Cæſare decollatus quia deos adorare noluit, ſurrexit, & ambab⁹ manibus per vnũ milliare portauit caput ſuum in montem excelſum: eiq; rupes alba gremium ſuum aperiens, concauum apertumque locum dedit ſuper ſe ſedenti.

Romæ paſſi ſunt Priſcus presbyter. Ioannes presbyter, item Ioannes & Paulus, Fauſtus Vercellenſis epiſcopus, & Euſebius; Aretina ciuitate, Donatus epiſcop⁹; Antiochia Theodoricus presbyter, & alij quam plures. Iulianus in Perſas profect⁹, noſtrum poſt victoriam dijs ſanguinem vouerat: vbi à quodam ſimulato perfugo ad deſerta perductus, quum fame & ſiti apoſtata perdidiſſet exercitum, & incõſultius à ſuorum erraret agminib⁹, ab obuio forte hoſtium equite conto ilia perfoſſus interijt, anno ætatis 32. Et quum miſiſſet manum in vulnere, & ſanguinem aſpergeret in aerem, dixit, Vicisti Galilæe, ideſt CHRISTE. Hic enim Chriſtianos appellabat Galilæos. Obijt autem die 6 Calen. Iun. Et ſequenti die Iouinianus ex primicerio domeſticorum, imperator fact⁹ eſt, teſte Theodoro epiſcopo, & Eutropio tunc viuente.

IOVINIANVS.

ROmanorum 45, Iouinianus (ſecũdum omnes) regnauit menſibus 8, hoc eſt vſq; ad Cal. Mart. in anno 310 poſt paſſionem: ſub quo hi conſules fuerunt, teſte Caſſiodoro.

Anni Chr.	*Anni Iouin.*	
363	1	Iouinianus, & Varronianus.

Iouinianus rerum neceſſitate compulſus, Niſibin & magnam Meſopotamiæ partem Sapori Perſarum regi tradidit.

Synodus Antiochiæ à Melitio & ſuis facta, in qua Homouſio & cæteris vocabulis reiectis, medio aliquo Macedonianum dogma vindicauerunt. Homouſios autem patri dicitur CHRISTVS, ob vnitatem ſubſtãtiæ diuinæ cum Patre & Spiritu ſancto.

Iouinian⁹ cruditate, ſiue odore prunarũ quas nimias adoleri iuſſerat, & nitore parietum recẽti textura, quod graue quiẽſcentibus fuit, Adraſtinæ obijt annoætatis 34. Obijt autem 14 Calend. Martij, vt in hiſtoria eccleſiaſtica legitur. Poſt quem quum exercitus veniſſet in Nicæam Bithyniæ 25 die menſis Februarij, Valentinianum tribunum ſcutariorum, è Pannonia Cibalenſis Auguſtum appella-

appellauit. Ipse vero fratrem Valentem Constantinopoli in consortium regni assumit.

VALENTINIANVS.

ROmanorum 46, Valentinianus cum fratre Valente regnauit annis 11, mensibus 5, hoc est vsque ad Calendas Octobres, in anno 310 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	Anni Val.	
364	1	Valentinianus, & Valēs.

Valentinianus fuit egregius imperator, & Aurelio moribus similis, nisi quod seuerus nimis esset.

Appollinaris Laodicenus Episcopus multa scripta nostræ religionis emisit.

|365|2| Gratianus & Dagalaiphus. Liberius papa obijt 8 Cal. Maij.

¶Huic autem successit Damasus, papa 38 post Petrum: qui constituit, vt die noctuq; cantarentur Psalmi per omnes ecclesias. Et postea Vrsinus à quibusdam episcopus constitutus Sicinium cum suis inuadit, à quo Damasianæ partis populo confluente crudelissimæ interfectiones diuersi sexus perpetratæ.

Valens ab Eudoxio Arrianorum episcopo baptizatus nostros persequitur.

|366|3| Lupicinus, & Iouinus. Gratianus Valentiniani filius Ambianis imperator factus est, his consulibus, teste Cassiodoro.

Tanta Constantinopoli orta est tempestas, vt miræ magnitudinis decidens grando nonnullos hominū interfecerit.

Apud Atrebatas lana è cœlo pluuiæ mixta defluxit.

| 367 | 4 | Valentinianus 2, & Valens 2. Hilarius Episcopus Pictauiensis moritur.

Nicæa quæ sæpe antea corruerat, terræmotu funditus subuersa est.

Libanius Antiochenus rhetor insignis habetur eo tempore.

|368|5| Valentinianus, & Victor. Athanaricus Gothorum rex Christianos persequitur: plurimis interfectis reliquos sua ditione pellit.

Eusebius Vercellensis episcopus obijt.

|369|6| Valentinianus 3, & Valens 3. Constantinopoli apostolorum martyrium dedicatur.

Lucifer Caralitanus episcop⁹ moritur qui cum Gregorio episcopo Hispaniarū, & Philone Libyæ, nunquā se Arianæ prauitati miscuit.

Anni Chr.	Anni Valen.	
370	7	Gratianus 2, & Probus.

Maximinus præfectus annonæ mal eficos ab imperatore perquirere iussus, plurimos nobilium interfecit.

| 371 | 8 | Modestus, & Arinthæus. Didymus Alexandrinus multa de nostro dogmate per notarios commentatur, qui post quintum annum suæ natiuitatis luminibus orbatur, elementorum quoque ignarus.

| 372 | 9 | Valentinianus 4, & Valens. Eunomius discipulus Ætij Constantinopolitani agnoscitur, à quo hæresis Eunomiana.

Saxones cæsi ab Hugone in regione Francorum Burgundionum octoginta fere millia: quod nunquam ante contigit ad Rhenum descendere.

Clearchus præfectus Constantinopoli agnoscitur, à quo necessaria & diu expectata votis aqua ciuitati inducitur.

Sanctus Martinus anno 56 ætatis suæ, Dominico die circa Non. Iul. in archiepiscopatum Turonorum cōsecratur, in quo tantum viginti sex annis vixit.

|373|10| Gratianus 3, & Equitius. Melanthia nobilissima mulierum Romanarum, & Marcellini quondam cōsulis filia, vnico prætore tunc Vrbano filio derelicto, nauigauit Hierosolymam: vbi tanto virtutum præcipuæque humilitatis miraculo fuit, vt Thecleæ nomen acciperet.

|374|11| Gratianus 4, & Equitius. Post Auxentij mortem, Mediolani Ambrosio episcopo constituto, ad fidem nostram Italia conuertitur. Macarius Ægyptius, Macariusque Alexandrinus claruerunt. Methodius sic: Post Iouinianum Valentinianus suscepit imperium, qui pro fide CHRISTI à Iuliano è militia fuerat expulsus. Sed quia militiam pro CHRISTO reliquerat, suscepit imperium cum fratre Valente, cui Orientales, sibi autem Occiduas partes delegit. Sed Valens fauendo hæreticis, abijt in viam patrum suorū: tamen diuina virtute prohibēte, dū debac-

charetur in cæteros, in Athanasium nihil ausus est triste committere. In occiduis vero partibus, Valentinianus fide religionis illæsa, vetere Romani imperij censu rempublicam gubernabat. Postquam 29 annis pace composita, Romanę reipublicæ causas Iouinianus repararat, ecclesiarum vero curam haud segniter haberet; nec tamen ineaute, vt Constantius cum Athanasio ageret: vbi huius dispositionis tam pia, tã læta principia, mors immatura, post 9 menses Iouiniano obeunte, rupisset, Valentiniano post relictam militiã imperium adepto, quum 46 anno sacerdotij sui Athanasius post multos agones, multaq; patiętiæ maximas coronas quieuisset in pace, sciscitatus de successore, Petrum tribulationum suarum participem & socium delegit. Per idem tempus patres monachorum vice & antiquitatis merito Macarius, atq; Heraclides & Panto Antonij discipuli per Ægyptũ, & maxime in Nitriæ desertis partibus habebãtur viri, qui consortium vitæ & actuum non cum cæteris mortalibus, sed cum supernis angelis habere credebantur. Quo in tempore non in verbis vniuscuiusq; fides, sed exilijs & carceribus probabatur, quia nõ honori erat esse catholicum, sed pœnæ. Florebat tamen Ægyptus, non solum in Christiana philosophia, sed etiam ꝑ signa apostolica: qua infœcũdior Cappadocia nõ fuit, immo aliquid læti⁹, Gregorium cum Basilio, ad summa porrexit. Igitur defuncto Petro succedit Timotheus & post hunc Theophilus: cuius industria vastata sunt omnia, atque ad solum deducta paganorum templa, & figmenta. Defuncto vero Auxẽtio apud Mediolanũ, Ariano episcopo, vbi proprie quod proposuerat, Ambrosius tunc consularis eiusdem prouinciæ fasces regebat, secundum leges & publicam disciplinã. Obluctante illo & plurimum resistente episcopũ fieri, omni maturitate iubetur impleri: moxque Dei gratiam consequutus, & initiatus sacris, & sacerdos effectus est. Interea ad bellum Sarmaticum Valentinianus de Galliæ partibus quum venisset Illyricum, vbi vix dum cœpto bello ægritudine subita oppressus, diẽ obijt, relictis hęredibus in imperio filijs, Gratiano Augusto, Valentinianoque admodum paruulo, & nondum regijs insignibus initiato. Hucusque Methodius. Valentinianus contra legatos Sarmatarum vehementi commotus furore, eruptione venarum, quod Græce apoplexia vocatur, fluxu sanguinis 17 die mens. Septembris ætatis anno 54, imperij autem 11, mense 5 obijt: post quem Gratianus assumpto in imperium Valentiniano fratre, cum patruo Valente regnat.

VALENS.

ROmanorum 47, Valens cum Gratiano & Valentiniano filio fratris sui (secundum omnes) regnauit annis 4, hoc est vsq; ad Calend. Octobr. in anno 307 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt.

Anni Chr.	*Anni Valen.*	
375	1	Valens 5, & Valentinianus. Multi monachorum Nitriæ per tribunos & milites cæsi.

Valens lege data vt monachi militarent, nolentes fustibus iussit interfici.

Theodosius Theodosij postea imperatoris pater, & multi nobilium occiditur. Photinus in Gallia obiit, à quo Photinianorum dogma inductum: qui multa continentiæ & ingenij bona vno superbiæ malo perdidit.

Basilius Cæsariensis episcopus Cappadociæ clarus habetur.

| 376 | 2 | Gratianus 4, & Merobaudes. Alemannorum triginta circiter millia apud Argentoratum oppidum Galliarum, ab exercitu Gratiani strata.

Florentinus, Bonosus & Rufinus, insignes monachi habẽtur: è quibus Florentinus tam misericors in egentes fuit, vt vulgo pater pauperum nominatus sit.

Gens Hunnorum Gothos vastat: quia Romanis sine armorum dispositione susceptis, per auaritiam Maximi ducis, fame ad rebellandum coacti sunt. Superatis autem in cõgressione Romanis, Gothi funduntur in Thracia.

|377 | 3 | Valens 6, consul. Iste ex Antiochia exire compulsus, sera pœnitentia nostros de exilijs reuocat.

| 378 | 4 | Valentinianus 2, consul. Lachrymabile bellum in Thracia, in quo deserente equitum præsidio, Romanæ legiones à Gothis cinctæ, vsque ad inter-

necionem cæsæ sunt. Ipse imperator Valens, quum sagitta saucius fugeret, & ob dolorem nimium sæpe equo laberetur, ad cuiusdam villæ casam deportatus est, quo persequentibus eum Barbaris incensa domo concrematus, sepultura quoque caruit. Cassiodorus sic: Valenti successit Theodosius filius Theodosij, quem sibi in consortium regni Gratianus asciuit. Gratianus itaq; quum quatuordecim regnaret annis, cũ Theodosio regnat annis sex: sub quo hi consules fuerunt. Anni igitur 14 sunt, teste Cassiodoro, ab anno 3 Valẽtiniani, in quo Gratianus imperator factꝰ est, Lubicinio & Iouino cõsulibus, vsq; in mortem Valentis, & vsq; ad imperium secundum Gratiani. Colliguntur ergo omnes anni vsq; ad consulatum Valentis 6, & Valentiniani iunioris item Augusti à 15 Tiberij anno, & prædicatione Domini nostri IESV CHRISTI, anni 352. A secundo anno Darij regis Persarum, quo tempore templum Hierolymis instauratum fuit, sunt anni 899. Ab olympiade, à qua ætate apud Hebræos Isaias prophetabat, 1155. A Salomone, & prima ædificatione templi, anni 1411. A captiuitate Troiæ, quo tempore Samson apud Hebræos erat, 1561. A Mose & Cecrope primo rege Atticæ, anni 1890. Ab Abraham & regno Nini & Semiramidis, anni 2195. Continet autem omnis canon, ab Abraham vsq; ad tempus suprascriptum, annos 2395. A diluuio autem vsq; ad Abraham supputantur anni 942. Et ab Adam vsq; ad diluuium anni 2242. Fiunt igitur ab Adam vsq; ad 14 Valentis annum, i. ad consulatum eius 6, & Valentiniani iterũ, omnes anni 5579.

Hactenus Hieronymus in Chronicis.

Excerpta ex Chronicis Tyronis & Prosperi Chronica Eusebij temporibus prætermissis.

CAPVT XXIII.

GRATIANVS.

VALENTE igitur à Gothis in Thracia concremato, Romanorum 48 Gratianus cum fratre Valentiniano regnauit annis sex: hoc est vsq; ad Calendas Octobres, in anno trecẽtesimo quadragesimo primo post passionẽ Domini: sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro senatore clarissimo.

Anni Chr.	*Anni Grat.*	
379	1	Ausonius & Olybrius:

Theodosius ordinatur imperator à Gratiano Syrmij, ad quẽ Theophilus Paschalem cyclum scribit. Gratianus post mortem patrui Theodosium, Theodosij comitis filium, in consortium sumpsit imperij, eiq; regnum Orientis tradidit.

Ea tempestate Priscillianus episcopus de Galijs ex Manichæorum & Gnosticorum dogmate hæresin nominis sui cõdidit. Methodius sic: Valente à Gothis circumuento, ex bello quod initium Romano imperio tunc & deinceps fuit, impietatis suæ pœnas igne exustus dedit, anno primo in imperio cum fratre, & postea cum filijs fratris quatuordecim exactis.

Ea nimirum tempestate Felix tertius post Paulinum Treuericam in pontificatu sortitus est ecclesiam, Maximo imperatore tyranno rempublicam tunc in his partibus agente, & Treuerim hæreticorum cladibus pulsante. Tũc beatus Martinus Treuerim venit, & cum Felice ruit. Igitur Gratianus post patrui necem cum fratre admodum paruulo Orientis quoque susceptit imperium. Verum is quam multa religiose ac fortiter gessit: consortem asciscit Theodosium, eique Orientis procuratione permissa, partes sibi ac fratri Occiduas reseruauit: sed à Maximo tyranno bello apud Britannias exorto, per Ambragatium ducem Lugduni suorum magis proditione, quam vi hostium peremptus est: in cuius vindictam Theodosius totis viribus consurgens, vltus est sanguinem iustum, Valentinianoque regnum tyrannide depulsa restituit, cum fide catholica quam mater eius violauerat. Hucusq; Methodius.

380	2	Ausonius, & Olybrius.
381	3	Gratianus 5, & Theodosius. Ambrosius pro fide catholica multa sublimiter scripsit.
382	4	Siagrius, & Antonius.

Martinus episcopus Turonum Galliæ ciuitatis clarus habetur. Sanctus Theophilus Alexandriæ episcopus computum 100 annorum cursu Theodosio filio Gratiani dedicauit. Cõsulatu Antonij & Siagrij incipit synodus centum & quinqua-

ginta patrum in Augusta ciuitate contra Macedonianos, sub Damaso papa, & Gratiano imperatore.

Anni Chr.	*Anni Grat.*	
383	5	Merobaudes 2, & Saturninus. Arcadius Theodosij imperatoris filius, Augustus appellatur. Damasus papa obijt 4. Id. Decemb.

¶Huic successit Siricius, 38 post Petrũ, annis 15, mensibus vndecim, diebus vigintiquinque.

384	6	Richomer & Clearchus. Honorius Theodosij filius nascitur.

In Britannia seditione militum Maximus imperator est factus: quo mox ad Gallias transfretante, Gratianus Parisijs Merobaude magistro militum proditione superatus, fugiens Lugduni captus atque occisus est. Maximus autem Victorem filium suum consortem regni facit.

Theodosivs.

ROmanorum 49, Theodosi⁹ cum Valentiniano regnauit annis 11, cũ Gratiano 6. Post mortem eius annis 6 Orientem regebat & menses 4, hoc est vsque ad Calen. Febr. in anno 347 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt teste Cassiodoro consule.

Anni Chr.	*Anni The.*	
385	1	Arcadius & Baudo. Hieronymus presbyter hoc tempore in Bethlehem toto in mundo clarus habetur, egregio ingenio & studio vniuersæ ecclesiæ seruiens. Priscillianus in synodo Burdegalensi damnandum se intelligens, ad imperatorem Maximum prouocauit, auditusq; Treueris ab Euodio præfecto prætorij gladio addictus est, cum Eutrocia Delphidij rhetoris coniuge, & Latroniano, aliisq; erroris sui consortibus.
386	2	Honorius & Euodius. Burdegalis quædam Priscilliani discipula, nomine Vrbica, ob impietatis pertinaciam per seditionem vulgi lapidibus obruta est.
387	3	Valentinianus 3, & Eutropius. Maximus tyrann⁹ à Valentiniano & Theodosio imperatoribus, in tertio ab Aquileia lapide, spoliatus indumentis regijs, sistitur, & capite damnatur: cuius filius Victor eodem anno ab Arbogaste est interfectus in Gallia.

Anni Chr.	*Anni The.*	
388	4	Theodosius 2, & Cynegius. Itacius & Vrsacius episcopi, ob auguthoritatem Priscilliani cuius accusatores fuerunt, ecclesiæ communione priuantur.
389	5	Timatius & Promotus. Hieronymus librum de illustribus viris ecclesiæ, ad annum octauum Theodosij componit.
390	6	Valentinianus 4, & Neoterius. Ioannes monachus & anachorita claruit.
391	7	Tacianus & Symmachus. Per idē tempus caput sancti Ioannis Baptistæ Constantinopolim est perductum, & in septimo milliario ciuitatis humatum.
392	8	Arcadius 2, & Rufinus. Valentinianus ad vitæ fastidium nimia Arbogasti magistri militum austeritate perductꝰ, laqueo apud Viennã perit. Post eum Theodosius vixit annis 3.
393	9	Theodosius tertio, & Abundantius.
384	10	Arcadius 3, & Honorius 2. Ioannes monachus ornatus prophetiæ gratia, Theodosio consulente de euentu belli quod aduersum Eugenium mouebat, victorem futurum prædixit.
395	11	Olybrius & Probinus. Theodosius imperator Eugenium vincit & perimit. Augustinus beati Ambrosij discipulus, multa facundia doctrinaq; excellēs, Hippone regione Aphricæ ordinatur episcopus. Theodosius imperator die 17 mensis Ian. anno ætatis 60, Mediolani obijt, sicut in Tripartita historia legitur.

Quum sanctũ Patricium noluisset dominus suus dimittere, nisi pro massa aurea; seruauit sanctus Patricius præcepto angeli Victori cuidam gregẽ porcorum quorum custos dum fuit sanctus Patricius & pastor, fodit massam auream, quam ille Patricius domino suo pro se dedit.

Arcadivs.

ROmanorum 50, Arcadius filius Theodosij cum fratre Honorio (secũdum omnes) regnauit annis 14, mens. 3, hoc est vsq; ad Cal. Maij, in anno 358 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerũt teste Cassiodoro. 396

Anni Chr.	Anni Arc.	
396	1	Arcadius 4, & Honorius 3. Donatus Episcopus draconem ingentem necauit expuens in ore eius, quem octo iuga boum ad locum incendii vix trahere potuerunt. Ideo autem incensus est, ne putredo eius aerem corrumperet.

Per idem tempus, corpora sanctorum Abacuc & Micheæ prophetarum diuina reuelatione produntur.

Gothi Italiam, Vandali atq; Alemanni Gallias aggrediuntur.

397	2	Cæsarius & Atticus. Augustinus Episcopus doctrinæ scientia insignis habetur. Concilium Carthaginis: vbi Hipponensis concilii statuta firmantur & inseruntur. Sanctus Martinus Turonorum Episcopus, 71 ætatis suæ anno, Episcopatus vero 26, obiit, media nocte Dominica.
398	3	Honorius 4, & Eutychianus. Siricius papa obiit nono Calendis Martii. Anastasius, papa 39 post Petrum, successit annis quinque, diebus viginti septem. Hic constituit, vt quotiescunq; Euangelica sacra recitantur, sacerdotes non sedeant, sed curui stent. Cyclus vigesimus secundus decennoualis incipit, indictione vndecima.
399	4	Manlius, & Theodorus. Cum hoc consulatum inierat Eutropius eunuchus, qui mox & honore & vita dectus est.

Anno 4 Eugenius occiditur.

400	5	Stillico, & Aurelianus. Gothi Italiam Alarico & Radagiso ducibus ingressi.
401	6	Vincentius, & Frauita. Ioannes Constantinopolitanus, & Theophilus Alexandrinus, Episcopi illustres habentur: sed vtrunque obscurauit discordia, quæ eo vsque processit, vt Ioannes à Theophilo oppressus Pontum in exilium pergere cogeretur: quum tamen communionem eius maxima pars Episcoporum Romani pōtificis sequuta exemplum, seruauerit.
402	7	Arcadius 5, & Honorius 5. Anastasius papa obiit quinto Calendis Maii. Huic successit Innocentius, 40 papa post Petrum, qui constituit ieiunium in sabbato celebrari, quia in tali die Dominus in sepulchro iacuit. Sedit annis 15, mensibus 2, & diebus viginti.
403	8	Theodosius Augustus, & Rumoridius.
404	9	Honorius 6, & Aristenetus. Carthaginense concilium habitum de Donatistis. Sancta Paula obiit septimo Calendis Februarii, 3. Sabbati post Solis occubitum.
405	10	Stillico secundo, & Anthemius. Radagisus, in Tuscia multis Gothorum millibus cæsis, ducente exercitum Stillicone, superatus & captus est.
406	11	Arcadius sexto, & Probus. Vandali & Alani Gallias traiecto Rheno, tertio Calendis Ianuariis ingressi sunt.
407	12	Honorius 7, & Theodosius 2. Constantinus in Britannia tyrannus exoritur, & ad Gallias transit.
408	13	Bassus vir clarissimus consul. Methodius sic. Apud Antiochiam defuncto Miletio Episcopo substituitur Flauianus, Paulino adhuc superstite. Constantinopoli autem Nectarius expræto re vrbano catechumenus, & nuper baptisma consequutus, sacerdotiū suscepit. Interea Valentinianus in occiduis partib⁹ regnabat. Sed postquam augustæ memoriæ Valentinianus in Vienna ciuitate Galliarum vitam finiuit, Eugenius imperium suscepit, qui contra fidem catholicā sacrilegus extitit. Sed dominus qui Ecclesiam suam tueri consueuit, de cœlo iaculatus est iudicium, atque omnē victoriam ad religiosum imperatorē Theodosium transtulit. Itaque extincto Eugenio Theodosius glorioſissimus princeps traditis regni gubernaculis Arcadio Orientis, Honorio Occidētis; ipse Romano imperio per annos 17 feliciter gubernato, ad meliora migrauit, cum piissimis principibus percepturus præmia meritorum. Fuit autem vir quidam sublimis in palatio sub Theodosio imperatore nomine Arsenius, cuius filios, id est Arcadium & Honorium de baptismo suscepit. Hic Arsenius diuina voce admonitus perrexit ad eremum Scythiæ, ibique inter sanctos patres quietam vitam duxit. Igitur Arcadius & Honorius piissimi consules Romanorum, quos Arsenius pater noster de baptismo suscepit, filii Theodosii imperatoris piissimi: sub quibus Martinus Turo-

norum Episcopus apud Condacensem diœcesis suæ vicum obiit post patrem suum: sicut cum eo antea consules, ita post illum imperatores extiterunt, & regnauerunt post illum in gloria imperii sui, vsquequo extitit Theodosius piissimus Augustus, filius Arcadii imperatoris: & 38 anno imperii eius cœpit hæresis pullulare in Ecclesia Dei. Obiit autem sanctus Martinus, 71 ætatis suæ anno, Episcopat° autem 27, anno ab incarnatione Domini 397. Igitur Arcadi° imperator expletis imperii sui 13 annis obiit, & frater eius Honorius successit: cuius 7 imperii anno inuentum est sancti Stephani protomartyris corpus, anno videlicet ab incarnatione Domini 416, anno autem 12 imperii eiusdem Honorii.

Sanctus Hieronymus obiit, anno ætatis suæ 91, anno ab incarnatione Domini 421. Honorius itaq; expletis imperii sui 15 annis obiit: cui Theodosius iunior Arcadii filius successit. Cuius 8 imperii anno sanctus Augustinus Episcopus obiit, anno ætatis suæ 76. Hucusque Methodius.

Anni Chr.	*Anni Arc.*
409	14

Hoc etiam anno Arcadius imperator obiit. Post quem Honorius cum Theodosio fratris sui filio regnat annis 15.

HONORIVS.

ROmanorum 15, Honorius cum Theodosio fratris sui filio, secũdum omnes chronographos regnauit annis 15, hoc est vsque ad Calendas Maii, in anno 370 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt.

Anni Chr.	*Anni Hon.*
410	1

Honorius 8, & Theodosius tertio. Attalus Romæ imperator factus, qui mox priuatus regno Gothis cohæsit.

411	2	Fl. Varro & Tertullus. Roma à Gothis Alarico duce capta, & ob hoc solus fuit orientalium partium consul, quod est sequenti anno obseruatum.
412	3	Theodosius 4, consul. Constantinus apud Arelatense oppidum victus & captus: cuius filium Constantem in Hispaniis regnare orsum Gerũtius comes, in Maximum quendam tyrannidem transferens, interemerat.

Anni Chr.	*Anni Hon.*
413	4

Honorius 9, & Theodos° 5, Maximo in Hispania regno ablato, vita concessa est ei: eo quod modestia humilitasque affectati imperii inuidiam nõ merebatur. Eodem tempore Heros vir sanctus, & beati Martini discipulus, quũ Arelatensi oppido episcopus præsideret, à populo eiusdem ciuitatis insons, & nulli insimulationi obnoxius, pulsus est. In locum autem eius Patroclus ordinatus est, amicus & familiaris Constantii magistri militum: cuius per ipsum gratia quærebatur. Eaq; res inter Episcopos regionis illius magnarũ discordiarũ materia fuit.

414	5	Lucius quinto, clarissimus consul. Huius collega in consulatu Heraclianus fuit, qui nouarum rerum in Africa reus honorem cum vita amisit.

Burgundiones partem Galliæ propinquantem Rheno obtinuerunt.

Iouinus & Sebastianus fratres, in Gallia abrepto regno perempti sunt.

Hac tempestate Pelagius Brito dogma nominis sui contra gratiam CHRISTI Celestio & Iuliano adiutoribus exeruit, multosq; in suum errorem traxit, prædicans vnumquenq; ad iustitiam voluntate propria regi, tantumque accipere gratiæ, quantum meruerit, quia peccatum Adæ ipsum solum læserit, nec posteros eius obstrinxerit. Vnde & volẽtibus possibile sit omni carere peccato; omnesque paruulos tam insontes nasci, quã primus homo ante præuaricationem fuit; nec ideo baptizandos vt peccato exuantur, sed vt sacramento adoptionis honorentur.

415	6	Constantius & Constans. Attalus Gothorum consilio & præsidio tyrannidem resumit, & Gallias inuasit.
416	7	Honorius 10, & Theodosius 6. Hic autem iuxta Dionysium incarnationis annus est trecẽtesimus quadragesimus quint°, indictio decimatertia. Sanctus Lucianus presbyter Hierosolymis in epistola quam scripsit de inuentione corporis protomartyris Stephani, sanctorumque Gamalielis, Nicodemi, & Abidon, sicut sibi reuelatum est à Domino, inter cætera etiam de ipso eodem anno

anno manifeste demonstrat ita die parasceuæ, hoc est feria sexta, quæ est 3 nonis Decembris, consulatu Honorii decies & Theodosii sexies Augustorũ: & reliqua. Regularibus ergo 7 mensis Decembris proiectis, remanent concurrentes quatuor anni prædicti, hoc est Calendis Decembris feria quinta, & 3 nonis Decembris feria sexta, anno sexto Honorii consulatu prædicto, quo corpora sacra à Domino sunt reuelata. Scripsit etiam reuelationem Græco sermone ad omnium Ecclesiarum personã: quam Auitus presbyter, Hispanus genere, in Latinum vertit eloquium, & adiecta epistola sua per Orosium Orientalibus dedit. Qui Orosius ad loca sancta Hierusalem peruenies, quo eum Augustinus ad Hieronymum prodiscenda animæ ratione miserat, reliquias sancti Stephani accepit, & ad patriam reuersus primũ intulit Occidenti.

Attalus à Gothis ad Hispanias migrantibus neglectus & præsidio carens capitur.

Athaulphus à socru vulneratus obiit, regnumq; eius Vanlia, perẽptis qui idem cupere intelligebantur, inuasit.

Anni Chr.	*Anni Hon.*
417	8

Theodosius 7, & Palladius. Placidiam Theodosii imperatoris filiam, quam Romæ Gothi ceperant, quamque Athaulphus coniugem habuerat, Gallia pacem Honorii expetẽs reddidit, eiusq; nuptias Constantius promeretur. Innocẽtius papa obiit quarto calẽdis Augusti.

¶ Huic successit Zosimus, papa quadragesimus primus post Petrum, anno vno, mensibus octo, & diebus viginti quinque.

418	9

Honorius vndecimo, & Constantius secundo. Honorius Romam triumpho ingreditur, præeunte currũ eius Attalo, quem libere viuere iussit exulem. Cyclus vigesimustertius decennoualis incipit, indictione decimaquinta.

419	10

Honori° 12, & Theodosius 8. Hoc tẽpore Constantius seruus CHRIST1, ex vicario Romæ habitans, & pro gratia Dei deuotissime Pelagianis resistens, factione eorundem multa pertulit, quę illũ sanctis confessorib. sociauerunt.

Concilio apud Carthaginem habito 214 & eo amplius Episcoporum, ad papam Zosimũ synodi decreta perlata sunt: quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.

Valentinianus Constantii & Placidiæ filius nascitur 5 nonis Iulii.

Carthaginis concilium contra Manichæos & Pelagianos.

Zosimus papa obiit septimo calendis Ianuariis. Huic successit Bonifacius papa 42 post Petrum annis 4: qui constituit, seruum clericum non fieri.

Anni Chr.	*Anni Hon.*
420	11

Maximus, & Plinta. Constantius pacem firmat cum Vanlia, data eidem ad inhabitandum secunda Aquitania, & quibusdam ciuitatibus cõfinium prouinciarum.

421	12

Theodosius 9, & Constantius 3. Constantius ab Honorio in consortium regni assumitur.

Hieronymus presbyter moritur anno ætatis suæ nonagesimo primo, secundo Calendis Octobris.

422	13

Agricola, & Eustachius. Constantinus imperator obiit.

423	14

Honorius 13, & Theodosius 10. Hoc tempore exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus est, cuius Crastinus dux fuit, qui Bonifacium, virum bellicis artibus præclarum, inepto & iniurioso imperio ab expeditionis suæ societate auertit. Nam ille periculosum sibi atque indignum ratus, eum sequi quem discordem superbientemq; expertus esset, celeriter se ad portum Vrbis atq; inde ad Aphricam proripuit. Idq; negotium reipublicæ multorum laborum initium fuit.

Bonifacius papa obiit, octauo Calendis Nouẽbris. Huic successit Cœlestinus, papa 43 post Petrum, annis nouem.

424	15

Maximianus, & Asclepiodotus. Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa, ad Orientẽ cum Valentiniano proficiscitur.

Honorius Romæ obiit, & regnum eius Ioannes accepit.

THEODOSIVS.

ROmanorũ vigesimusquintus, Theodosius iunior, Arcadii filius, regnauit annis vigintiseptẽ, hoc est vsq; ad Calendas Maii, in anno quadringentesimo septimo post passionem Domini: sub quo hi cõsules fuerunt, teste Cassiodoro.

| *Anni Chr.* | *Anni The.* |

| 425 | 1 | Crastinus & Victor. Theodosius Valentinianum amitæ suæ filium Cæsarem facit, & cum Augusta matre ad recipiendum occidentale mittit imperium. Quo tẽpore Ioannes, dum Aphricam quam Bonifacius obtinebat, bellõ reposcit, ad defensionem sui infirmior factus est.

| 426 | 2 | Theodosius vndecimo, & Valentinianus. Placidia Augusta, & Valentinianus mira felicitate Ioãnem tyrãnum opprimunt, & regnum victores recipiunt, data venia Aetio, eo quod Hunni quos per ipsum Ioannnes acceperat, eiusdem studio ad propria reuersi sunt. Crastinus autem in exilium actus est, quia videbatur Ioannes sine incumbentia ipsius regnum non potuisse assumere.

Valentinianus decreto Theodosii Augustus appellatur.

Archilat nobile oppidum Galliarum à Gothis multa vi oppugnatum est, donec imminente Aetio, illo duce non impuniti abscederent.

| 427 | 3 | Theodosius duodecimo, & Valentinianus secundo. Patroclus Arelatensis Episcopus à tribuno quodã barbaro multis vulneribꝰ laniatus occiditur.

| 428 | 4 | Hierius & Adaburius. Bonifacio, cuius intra Aphricam gloria potentiaq; augebatur, bellum ad arbitrium Felicis qui ad Italiam venire abnuebat, publico nomine illatum est, ducibus Mauortio, & Galbione, & Sinoce cuius proditione Mauortius & Galbio, dum Bonifacium obsident, interempti sunt: moxque ipse à Bonifacio dolo detentus est atque occisus. Exinde gentibus quæ vti nauibus nesciebant, dum à certantibus in auxilium vocãtur, mare peruium factum est: & belli contra Bonifacium cœpti in Sigisuultum cura translata est.

Gens Vandalorum ab Hispania ad Aphricam transit.

| 429 | 5 | Felix, & Taurus. Nestorius Constantinopolitanꝰ episcopus nouum Ecclesiis molitur errorem inducere, prędicans Christvm ex Maria hominem tantum, non etiam Deum natum; eiq; diuinitatem pro merito esse collatam. Cui impietati præcipue Cyrilli Alexandrini Episcopi industria, & papæ Cœlestini repugnauit authoritas.

Pars Galliarum propinqua Rheno quam Franci possidendam occupauerũt, ab Aetio comite recepta est.

| *Anni Chr.* | *Anni The.* |

| 430 | 6 | Florentius, & Dionysius. Felice ad patriam dignitatem profecto, Aetius magister militum factus est.

Agricola Pelagianus; Seueriani Episcopi Pelagiani filius Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insimulatione corrupit: sed ad actionem Palladii diaconi papa Cœlestinus Germanum Antisiodorensem Episcopum vice sua mittit, & deturbatis hæreticis Britannos ad catholicã fidem reduxit.

Cœlestinus papa constituit, vt Psalmi Dauid centesimi quinquagesimi ante sacrificium antiphonatim decantarentur: nam antea epistola tantum & sanctũ Euangelium recitabantur.

| 431 | 7 | Theodosius 13, & Valentinianus 3. Sanctus Augustinus, Episcopus per omnia excellentissimus, moritur 5 calendis Septembris, ætatis suæ anno septuagesimosexto, quũ in clericatu, vel Episcopatu annum 40 complesset. libris Iuliani Manichæi inter impetus obsidentiũ Vandalorum in ipso dierum suorum fine respondens; & gloriose in defensione Christianæ gratiæ perseuerans.

| 432 | 8 | Bassus; & Antiochus. Synodus apud Ephesum congregata ducentorum sacerdotum. Nestorius cum hæresi nominis sui; & cum multis Pelagianis qui cognatum errori suo tutabantur dogma, damnatur.

Ad Scotos in Christvm credentes ordinatus à papa Cœlestino Palladius, primus Episcopus missus est. Post ipsum sanctus Patricius fuit, genere Brito, à sancto Cœlestino papa consecratus, & ad archiepiscopatum Hibernensem mittitur: ibi per annos quadraginta signis atq; mirabilibus prædicans, totam insulam Hiberniam conuertit ad fidem.

| 433 | 9 | Aetius, & Valerius. Bonifacius ab Aphrica ad Italiam per Vrbem venit, & accepit magistri militum dignitatem: qui quum resistentem sibi Aetium prælio superasset, paucos post dies mortibo assumptus est.

Cœlestinus papa obiit sexto idus Aprilis. Huic succesit Sixtus, papa 44 post Petrum, annis octo. 434

Anni Chr.	Anni The.	
434	10	Theodosius decimo-quarto,& Maximus. Eudoxia vxor Theodosii imperatoris ab Hierosolymis remeauit, beatissimi Stephani protomartyris reliquias quæ in basilica sancti Laurentii positæ venerãtur, secum deferens.
435	11	Asper,& Ariouindus. Sixtus papa fecit basilicam matris Domini, quæ ab antiquis Liberæ nominabatur.
436	12	Theodosius decimosexto,& Valentinianus quarto. Pax facta cum Vandalis, data eis ad habitandum Aphricæ portione. Eodem tempore Gundicarium Burgundionum regem intra Gallias habitãtem Aetius bello obtinuit, pacemque ei supplicanti dedit: qua non diu potitus est, siquidem illum Hunni cum populo suo & stirpe deleuerunt. Cyclus 34 decennoualis incipit, indictione quarta.
437	13	Isidorus,& Senator. Gothi pacis placita perturbant, & plura municipia vicina sedibus suis occupant, Narbonensi oppido maxime infesti. Quod quum diu obsidione & fame laboraret, per Latorium comitem ab vtroque periculo liberatum est: siquidem per singulos equites binis tritici modiis aduectis, strenuissime hostes in fugam vertit, & ciuitatem annona adiuuit.
418	14	Aetius & Sigisuultus. Bellum aduersus Gothos Hunnis auxiliantibus geritur. In Aphrica Geisericus rex Vandalorum, intra habitationis suæ limites volens catholicam fidem in Arianam impietatem subuertere, quosdã nostrorum Episcopos eotenus persequutus est, vt eos priuatos iure basilicarum suarum, etiam ciuitatibus suis pelleret, quum ipsorum constantia nullis superbissimi regis minis ac terroribus cederet. Valentinianus Augustus ad Theodosium principem Constantinopolim proficiscitur, filiamque eius in matrimonio accepit. Eodem etiam anno piraticam barbari exercuerunt. Per idem etiam tempus quatuor Hispani viri, Arcadius, Probus, Eutychius & Paschasius, dudum apud Geisericum merito sapientiæ & fidelis obsequii clari habebãtur: quos rex vt copulatiores sibi faceret, in Arianam sectam transire præcepit. At illi hoc facinus constantissime respuentes, excitato in rabidissimã iram barbaro, primum proscripti, deinde in exilium acti, ac postremo diuersis mortibus interempti, illustri martyrio mirabiliter occubuerunt. Puer autem Paulillus nomine, frater Paschasii & Eutychii, pro elegantia formæ atque ingenii regi admodum acceptus, quum à professione atque amore catholicæ fidei nullis minis perturbari posset, diu fustibus cæsus, & ad infimam seruitutem damnatus est: nec ideo vt apparet interfectus, ne superata sæuitia impii regis etiam illa ætas gloriaretur.
439	15	Theodosius 16, & Faustus. Diabolus in specie Mosis in Creta apparens Iudęis, per mare pede sicco ad terram repromissionis eos perducere repromisit: sed plurimis mersis & necatis, reliqui salui facti ad gratiam CHRISTI conuertuntur.
440	16	Theodosius 17,& Festus. Hac tempestate Iulianus Aelanensis, iactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis spem præferẽs, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. His insidiis Sixtus papa diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit. Et ita omnes catholici de retectione fallacis bestiæ gaudebãt: quasi tunc primum superbissimam hæresin apostolicus gladius detrũcasset. Aetio rebus quę in Gallia componebantur intento, Geisericus (de cuius amicitia nihil metuebatur) Carthaginem dolo pacis inuadit, omnesque opes eius, excruciatis diuerso genere tormẽtorum ciuibus, in ius suum vertit. Nec ab ecclesiarum expolia-

tione abstinens, quas & sacris vasis exinanitas & sacerdotum administratione priuatas, non iam diuini cultus loca, sed suorum iussit esse habitacula. In vniuersum captiui populi ordinem sæuus, sed præcipue nobilitati & religioni infensus, vt nõ discerneretur, hominibus magis an Deo bellum intulisset.

| *Anni Chr.* | *Anni The.* |

| 441 | 17 | Valentinianus, & Anatolius. Defuncto Sixto Episcopus, 40 amplius diebus Romana Ecclesia sine antistite fuit, mirabili pace atque patientia præsentiam diaconi Leonis expectans, qui tunc inter Aetium atque Albinum, amicitiæ gratia redintegrãdę, Gallias detinebat. Igitur Leo legatione publica accitus & gaudenti patriæ præsentatus, 45 post Petrũ Romanæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur; annis 12, mensibus 2, Geiseric⁹ rex Vandalorum Siciliam grauiter affligens, accepto nuncio Sebastiani ducis ab Hispania ad Aphricam transitu celeriter Carthaginem redit, ratus periculosum sibi ac suis fore, si vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuisset.

| 442 | 18 | Cyrus vir clarissimus, consul. Theodosius imperator bellum cõtra Vandalos mouet, Ariobindo & Ansila, atq; Germano ducibus cum magna classe directis, qui longis cunctationibus negotium differentes, Siciliæ magis oneri quam Aphricæ præsidio fuere.

| 443 | 19 | Dioscorus, & Eudoxius. Hunnis Thraciam & Illyricum vastantibus sæua depopulatione, exercitus qui in Sicilia demorabatur, ad defensionem Orientalium prouinciarũ reuertitur. Cum Geiserico autem & Valentiniano Augusto pax cõfirmata, & certis spatiis Aphrica inter vtrosque diuisa est.

|444 |20 | Maximus 2, & Paternus. Hoc tempore plurimos Manichæos intra Vrbem latere diligentia papæ Leonis innotuit, qui eos de secretis suis eiutos, & oculis totius Ecclesiæ publicatos, omnes dogmatis sui turpitudinẽ damnare fecit & prodere, incensis eorum codicibus.

|445 |21 | Theodosius 18, & Albinus. Attila Hunnorum rex Budam fratrem & consortem suum perimit, eiusq; populos sibi parere fecit. Hoc anno Pascha Dominicum aliter celebratum erat, quam in die 10 Calend. Maii, sed 11 Calend eorundem, quando dies passionis fuit: ob cuius reuerentiã Natalis vrbis Romæ sine Circẽsibus trãsiit. Incipit epistola Paschasini ad papam Leonem iubentem sibi, quum orta est quęstio de Pascha huius anni. Domino viro sancto atque beatissimo, ac apostolico, mihiq; & post Dominũ plurimum colendo, papæ Leoni Paschasinus Episcopus. Apostolat⁹ vestri scripta, diacono Panormitanæ Ecclesiæ Silano defe-
10 rente, percepi quæ nuditati meæ atq; xrumnis quas amarissima captiuitate faciente incurri, solatium in omnibus atque remedium attulerunt, cœlesti rore animum recreantia, atque omne quod triste fuerat abstergentia. Domine venerabilis papa, dignata est corona vestra, vt quid Paschalis supputationis veritas anni post hunc annum futuri haberet, sacrosanctis
20 auribus vestris exiguitas mea intimaret: cui præcepto inobediẽs existere nec potui, nec debui. Diutino itaq; tractatu vel ratiocinatione id verũ inuenimus, quod ab Alexandrinæ Ecclesiæ antistite beatitudini vestræ transcriptum est. Nã quum Romana supputatio quę cyclo concludi-
tur, cuius ipse de quo quæstio agitur, erat annus 63 (qui cyclus cœpit à consulatu Siagrii & Antonii, anno quarto Gra-
30 tiani) nobis dubietatem afferret, eo quod sexto Calend. Aprilium die dies Dominica, & Luna 21 incurreret; & iterũ octauo Calend. Maiarum die, vt rei veritas habet, Dominica Paschalis dies, & Luna 19, obueniret; in hoc ambiguo fluctuantes, ad Hebræorum hoc est Legalem supputationem nos cõuertimus. Quem quum Romani ignorant, facile in errorem incurrunt. Cœpit ergo ogdoas à consulatu
40 virorum clarissimorũ Ælii & Sigisulci, quæ concluditur anno hoc de quo quæstio videtur exorta. Talis ratio hæc est: Priores duo anni communes, 3 embolismum, 4 & 5 communes, & 8 embolismum. Peruidet ergo apostolatus prudentia 8 annum ogdoadis nõ posse aliter fieri, nisi embolismum teneamus. Quod si voluerimus illud quod superius diximus, id est quod primum incurrit Pascha septimo Calen-
50 Aprilium celebrare, communem annum faciemus, & incipiet omnis deinceps subsequentium annorum supputatio vacillare. Et ne hoc quod expolui beatitudini vestræ aliquam obscuritatem afferat, suggessimus cõmunes annos apud

Hebræ

Hebræos duodecim tantum Lunas, hoc est dies 384 habere. Necessitate ergo embolismi cogimur id tenere quod longius est, ne à vero deuiare videamur: neque nobis aut nouum, aut erratum videatur, quum dies passionis vndecimo Calendis Maiarum occurrat: à qua, sicut videtur, Pascha nomen accepit; licet Hebrææ linguæ interpretes tradãt, Pascha transitum dici. Quod tamen ita esse, Ioannis Euangelistæ dicto confirmatur quo ait, quum de passione loqueretur: Quum venisset hora, vt transiret IESVS ex hoc mundo: & reliqua.

Paschasinus episcopus ad sanctum Leonem papam. Non nos dies vna longius posita terreat, ne quum hoc vitam⁹, incurramus errorem, sicut euenit tempore beatæ recordationis domini mei prædecessoris Zosimi papæ, anno Honorij Augusti consulatus 11, & Constantij 2. Tempore ergo Zosimi papæ, quum nec decimo Calendis Maij die, sed octauo Calendis Aprilis Pascha celebratum est, id est pro embolismo communis ann⁹ census est, & error grauissimus ortus est, in tantum vt ministerio certo quod dono Spirit⁹ sancti datur, hæc veritas probaretur. Quod exponẽdum propterea credidi, quia locus etiam ipse sancto atq; à me venerando fratri meo diacono Libano notissimus est: cuius mysterij miraculum tale est. Quædam vilissima possessio quæ Meltinas appellatur, in montibus arduis ac syluis densissimis constituta. Illic perparum atque vili opere constructa ecclesia est, in cuius baptisterio nocte sacrosancta Paschali, baptizandi hora, quum nullo vicina, fons ex sese repletur. Tunc ergo, sicut supra dixi, sub sanctæ memoriæ domino meo quõdam, ac beatissimo papa Zosimo, anno nono Honorij, quum apud Orientales error ortus fuisset, confuetis lectionibus nocte sancta discussis, quum presbyter secũdum morem baptizandi horam requireret, vsque ad lucem aqua nõ veniente; non consecrati qui baptizandi fuerãt, recesserũt. Vt igitur breuiter narrem, illa nocte quæ lucescebat in diem Dominicam, decimo die Cal. Maij, fons sacer hora competenti repletus est. Euidenti ergo miraculo claruit, Occidẽtalium partium fuisse errorem. Hæc prout potui, & epistolaris breuitas passa est, iubente apostolatu nostro transcripsi. Prouolutus igitur nunc obsecro, vt pro mea prauitate, immo pro totius orbis statu orare dignemini, vt tandem de tot necessitatibus liberati cognoscamus, quomodo ipse est Deus noster qui facit mirabilia solus, qui iã nõ tradat bestijs animas confitentes sibi, neq; amplius nos tentari patiatur super id quod ferre possumus: sed faciat cum tentatione prouẽtum misericordiæ ꝑ sua pietate, vt sustinere possimus. Hucusq; epistola Paschasini. Ann⁹ itaq; 417 incarnationis secundum Dionysium, est annus 9 Honorij: & ann⁹ 444 incarnationis, secundum eundẽ Dionysium, est annus 21 Theodosij principis.

Anni Chr.	Anni The.	
446	22	Valentinianus 6, & Nonius. Leo papa constituit, infra actionem dici missæ, Sanctum sacrificium & immaculatam hostiam: & monacham non accipere velamen capitis benedictum ab episcopo, nisi prius fuerit virginitas eius probata.
447	23	Aetius 3, & Symmachus. Britanni à Scotis & Pictis superantur. Quos subiectionem Romanis pro auxilio promittentes missa legio liberans, Scotos à Britannia proiecit; ac domum reuersura præcepit Britannis murum trans insulam inter duo maria statuere: Quo cespite magis quam lapide constructo, vt discessere Romani, Scoti aduecti in nauibus Britannos quasi maturam segetem, obuiantes sibi cædunt, calcant, deuorant. Interim petentibus auxilia Romani recurrunt, & Scotos fugant, & cum Britannis murum inter vrbes solidum saxo à mari vsque ad mare collocant, & in littore meridiani maris vnde hostes metuebantur, turres per interualla ad prospectum statuunt. Recedente vero à Britannia Romano exercitu, Scoti & Picti redeunt, & totam Britanniam ab Aquilone muro tenus, & ipso interrupto capiunt. Britanni vero epistolam lacrymabilem ad Aetium Romanæ potestatis virum ter consulem mittunt, anno 23 Theodosij, sed non auxilium impetrant. Reuertuntur domum Scoti, & non post multum tempus reuersi Picti cum Scotis extremam Britanniæ partem primum, & deinceps inhabitandum, detinent. Britanni autem vnanimi consilio cum rege suo

Vertigerno Anglos quasi defensores patriæ ad se inuitãdos elegerunt. Sed exceptos impugnatores senserũt, confecta occasione quod pro se militantibus Britones minus sufficienter stipendia darent.

Anni Chr.	*Anni The.*	
448	24	Calippus, & Adaburius.

Eutyches hæresiarcha, Constantinopolitanus presbyter, fretꝰ Theodosij Augusti amicitijs, conatus est non perfectũ hominem in CHRISTO asserere: contra quẽ Flauianus eiusdem vrbis episcopus conflictum suscipiens, cum sacerdotibus suis damnatus est, authore Dioscoro, Alexandrinæ vrbis episcopo.

449	25	Posthumianus, & Zeno. Theodosius imperator pro defensione Eutychetis Leonem papam ad se vocat. Qui dum ire vellet, à populo prohibitus, presbyteros & diaconos quosdam direxit.
450	26	Asturius, & Protogenes. Iterum vocati catholici audiendi.
451	27	Valentinianus 7, & Auienus. Concilium in Epheso cõtra Eutychetem presbyterum, qui Constantinopoli monasterio celeberrimo præsidebat, dicens, Deum tantum esse CHRISTVM, non hominem. Contra quem Hilarius diaconus cum Iulio episcopo Puteolano vice papę Leonis missi fuerunt. Qui diaconus, quia pro violata fide illic clamauit, vitæ suæ fuga consuluit, Romamq; peruenit. Theodosius vero imperator eodem anno obijt, & cum magna pompa à Placidia & Leone cum omni senatu deductus est, & in Mausoleo ad Apostolum Petrum positus cui successit Martianus, & Pulcheria eius coniunx Augusta facta est: à quo damnatur Eutyches & omnes eius fautores.

MARTIANVS.

ROmanorum 53, Martianus secundum omnes regnauit annis 7: iuxta eũ qui historiam tunc cõscripsit, annis 8; secundum Romanam historiã, annis 7, mensib. 2, hoc est vsq; ad Cal. Iul. in anno 445 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	*Anni Mar.*	
452	1	Martianꝰ, & Adelphius. Placidia Augusta defuncta est 5 Calend. Decembris.

Pugna facta est in Gallijs inter Aetium patricium & Attilã regem Hunorum, fed cum vtriusq; populi maxima cæde. Attila fugatus est in Gallias superiores.

Anni Chr.	*Anni Mar.*	
453	2	Herculanus, & Asporatꝰ. Ioannes Baptista duobus monachis Orientalibus qui ad oraculum venerunt Hierosolymam, caput suum iuxta Herodis quondam regis habitaculum reuelauit quod ad Phœnicem vrbem cum magno honore perlatum est.

Gens Anglorum siue Saxonum Britãniam tribus lõgis nauibus aduehitur: quibus dum iter prosperatum domi fama referret, mittitur exercitus fortior: & totam pene insulam ab Orientali eius plaga vsque ad Occidẽtem igne vel ense subegit.

Attila redintegratis viribus Aquileiam magna vi dimicans introiuit, cum quo à Valentiniano imperatore papa Leo directus pacem fecit teste Cassiodoro.

454	3	Opilio, & Vincomalus. Synodus Chalcedonensis facta, vbi Eutyches & Dioscorus damnati sunt. Sanctus Leo papa ad Iulianũ episcopum sic: De Paschali obseruantia sanctæ memoriæ Theophilus Alexãdrinus episcopus ad Augustum Theodosium seniorem scribens, per 100 annos à primo prædicti principis consulatu digessit ordinem diei festi Paschalis: cuius institutionis 76 nunc annus euoluitur, quod Opilione consule 2 Id. Aprilis celebrata est sacra solennitas Paschalis, vnde sequenti anno 2, Nonis Aprilis rationabiliter Pascha consequetur. Sed annus qui erit 78, vt videtur, discordat: siquidem in 8 die Calend. Maij Pascha constituitur, quum 15 Calen. Maij debuit fieri.
455	4	Ælius, & Studius. Ordinatus est episcopus Deo gratias in basilica Faustæ die Dominico 8 Cal. Nouemb. Aetius patricius, in palatio manu Valentiniani imperatoris extinctus est: solus ex principibꝰ famosissimo Attilæ formidabilis. Boetius quoq; vir præfectus prætorio, amicus eius, cum alijs præstantibus viris interemptus est.
456	5	Valentinianus 8, & Anthemius. Valentinianus imperator ab amicis Aetij 13 Calend. Aprilis in campo Marcio occiditur. Maximus vero vir ge-

mini

gemini consulatus & patriciæ dignitatis altera die, 12 Calen. April. Romæ sumpsit imperium. Post mensem autem alterum, nunciato ei ex Aphrica Geiserici regis aduentu, multis nobilibus & popularibus ex vrbe fugientibus, quum Maximus data abeundi cunctis licentia, trepidus vellet abscedere; 77 die adepti imperij à famulis Valentiniani dilaniatus est, & membratim in Tiberim proiectus. Sic caruit sepultura. Post hæc consequuta est multis digna lachrymis Romana captiuitas: Vacuam enim omni præsidio Vrbem Geiseric⁹ obtinuit 4 Id. Iul. feria 3. occurrente sibi papa Leone sancto extra portas. Cuius supplicatio ita eundē agentem leniuit, vt quum omnia potestati eius essent tradita, ciuitati tamen ab igne & cæde & supplicio abstineretur. Roma vero per 14 dies secura, & libera scrutatione omnibus opibus suis euacuata est: multaque 1000 captiuorum, prout cuiq; ætati placuerat, cū regina & filiabus eius Carthaginem adducta. Hoc anno, id est 455 incarnationis (iuxta Dionysium) pascha Dominicum 8 die Calen. Maij recte celebratum est, ordinatione sancti Theophili: quod sanctus Leo papa 15 Cal. Maij potius obseruandum protestatur. Cyclus 25 decennoualis incipit, indictione 8.

|457 | 6 | Varari, & Ioannes. Post Maximum Auitus in Gallijs assumpsit imperium

|458|7| Constantius, & Rufus. Auitus Placentiæ depositus imperium. Marciano defuncto apud Constantinopolim, Leo Orientis, Maiorianus Italiæ suscepit imperium, teste Cassiodoro.

LEO.

ROmanorum 543 Leo (secundum omnes) regnauit annis 16, hoc est vsque ad Calendas Iulij, in anno 420 post passionem Domini, his cōsulibus, teste Cassiodoro.

Anni Chr.	*Anni Leon.*	
459	1	Leo, & Maiorianus. Qui consules fuerunt mutati propter bellum Maioriani, & suffecti Richimer & Patricius.

Maiorianus in Aphricam mouit procinctum.

Alexandria & Ægyptus errore Dioscori hæretici langvescit, qui immundo repletus spiritu canina rabie latrat.

Anni Chr.	*Anni Leon.*	
460	2	Magnus, & Apollonius.

Hæresis Acephalorum Chalcedonense concilium impugnantium apparuit. Acephali, id est sine capite, nominantur, quia quis author prius eam inuexit, non inuenitur.

|461|3|Seuerinus, & Dagalaiphus. Maiorianus iuxta Derconam ciuitatem 8 Idus Augusti occiditur immissione Richimeris: cui Seuerum natione Lucanum Rauennæ succedere fecit in regnum.

Magnus Leo papa obijt 4 Cal. Iul.

Hilarius, papa 46 post Petrum, ordinatur 2 Idus Nouembr. qui sedit annis 7; mens. 8. Pro terræmotu continuo Constantinopoli contigit, iuuenem in aere omnibus videntibus diuinitus suspendi, cui iussum est nunciare episcopo & populo sic psallere: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis; nihil plus apponentes.

462	4	Leo 2, & Seuerus.
463	5	Basilius, & Viuianus.

Theodoret⁹ episcopus ciuitatis quæ Cyria dicitur, eo quod à Cyro rege Persarum sit condita, scribit de vera incarnatione Dominica contra Eutychem, & Dioscorum qui negauit humanam carnem in CHRISTO.

Victorinus iubente papa Hilario scripsit Paschalem circulum 532 annorum.

|464|6| Rusticus & Olybrius. Beorgor rex Alanorum apud Pergamum, à patricio Richimere peremptus est.

|465|7|Hermineric hus, & Basilicus. Seuerus Romæ in palatio fraude Richimeris peremptus est.

|466|8|Leo iunior 3, solus. Theodoretus, prædictus episcopus Cyriæ, scribit Ecclesiasticam historiam quæ Tripartita dicitur, à fine librorum Eusebij, id est ab anno 20 Constantij vsque ad tempus huius Leonis imperatoris, qui & ipse episcopus obijt.

| 467 | 9 | Buseus, & Ioannes. Anthemius à Leone imperatore ad Italiam mittitur, qui tertio ab vrbe milliario, in loco qui dicitur Broncotas, suscepit imperium.

|468|10|Anthemius 2, solus. Marcellinus occiditur in Sicilia.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Anni Chr.	*Anni Leon.*	
469	11	Martianus, & Zeno. Arabundus imperium tentans, iussu Anthemij in exilium deportatur.

Hilarius papa obijt 9 Cal. Martij. Simplicius, papa 47 post Petrum, successit annis 15, diebus 6.

470	12	Seuerus, & Iordanes. Romanus patricius affectãs imperium capite truncatur.
471	13	Leo 4, & Probianus. Aspar affectans tyrannidem, Constantinopoli à Leone imperatore occiditur.
472	14	Festus, & Martianus. Patricius Richimer Romæ facto Olybrio imperatore Anthemium contra reuerentiam principis & ius affinitatis cum graui clade ciuitatis extinguit; qui non diutius peracto scelere gloriatus est, sed post 40 dies defunctus est. Olybrius autem mense 7 imperij vitam peregit.
473	15	Leo 5, solus. Gundibaldo hortãte Glycerius Rauennæ sumpsit imperium. Eodem anno Leo imperator nepotem suum Leonem consortem fecit imperij.
474	16	Leo iunior, solus. Nepos Romæ Glycerio successit in regnum. Leo senior imperator hoc anno obijt. Hucusq; Prosper & Cassiodorus. Iordanus episc. sicut in Chronica ab eo hoc tempore composita refert, & Cassiodorus cum eo, & Melitus: Leo senior Leonem iuniorem, ex Ariadne familia nepotem suum, in imperio ordinans Orientali, anno 16 imperij sui obijt.

Leo, II.

ROmanorum 55, Leo iunior mox paucis mensibus, puerile, ordinãte tamen patre, quum rexisset imperium, manu sua generum suum Zenonem coronans, imperatoremq; constituens, rebus humanis excessit. Hæc Iordanus. Iuxta Romanam historiam Leo senior regnauit annis 16, ac mensibus 6, hoc est vsq; ad Cal. Ian. Eodem anno 16 quo Leo obijt, Theodoricus rex Romam obtinuit, tempore Leonis iunioris.

Zenon.

ROmanorum 56, Zenon (secundum omnes) regnauit annis 17, hoc est vsq; ad Cal. Ianu. in anno 437 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt: teste Cassiodoro. Zenon, natione Isaurus, regnauit sine purpura & regalibus insignis. Cyclus 16 decennoualis incipit indictione duodecima.

Anni Chr.	*Anni Zen.*	
475	1	Proconsul Leo, sol⁹. Zenone Leonis gener fuit. Hic dum proconsul Cilicia degeret, subito Verina Augusta, socrus sua, fratrem suum Basilicum in imperium deducens, Augustum in vrbe appellauit. Quod comperiẽs Zenon, Chalcedone sine aliqua reipublicæ læsione fauriam secessit, malens se solum cum Ariadne Augusta exulare, quam sui causã reipublicæ aliquod ex bellis ciuilibus incommodum prouenire. Quod Basilicus cognoscẽs, Zenonisq; fuga lætatus, Marcum filium suum Cæsarem ordinauit. Hæc Iordanus. Orestes, nepote in Dalmatias fugato, filio Augustulo dedit imperium.
476	2	Basilicus 2, & Armatius. Ab Odoacre Orestes & frater eius Paulus occisi sunt: nomenq; regis Odoacer assumpsit, quum tamen nec purpura nec etiam regalibus vteretur insignijs.
477	3	Basilicus iterum, & Armatius. Ille Zenon Leonem Augusti filium interfecisse quæsiuit: sed mater eius alium pro eo forma simili obtulit, Leonem vero occultè clericum fecit: quiq; in clericatu vsque ad Iustini tempora vixit.
478	4	Ellus, solus.
479	5	Zenon 2, solus.
480	6	Basilius iunior, solus.
481	7	Placidus, etiam solus. Odoacer in Dalmatijs Odiuam vicit & peremit.
482	8	Seuerinus, solus. Simplicius papa Acatium Constantinopolitanum episcopum, & Petrum Alexandrinum episcopum Eutychianos damnat.
483	9	Faustus 5, solus. Corpus Barnabæ Apostoli, & Euangelium Matthæi Hebræo stylo scriptum reperitur, ipso reuelante.
484	10	Theodoricus, & Venantius. Simplicius papa obijt 6 Non. Mart. Felix papa 48 post Petrum, sedit annis 8.
485	11	Symmachus, solus. Hanericus rex Vandalorum Arianus, in Africa exulatis defugatisque plus quam 334 episcopis catholicis, ecclesias claudit, plebem

plebem varijs afficiens ſupplicijs: & quidem innumeris abſcidit manus, linguas præcidit: nec tamen loquelam catholicæ confeſſionis eripere potuit.

Anni Chr.	*Anni Zen.*	
486	12	Decius, & Longinus. Felix papa etiam damnauit Acatium & Petrum epiſcopos Eutychianos.
487	13	Boethius ſolus. Odoacer, Feba rege Rugorum victo captoq; regno potitus eſt.
488	14	Dynamius, & Siſidius. Theodoricus rex intrauit Italiam, his conſulibus, teſte Caſſiodoro. Cui Odoacer ad Sontiũ amnem pugnam parans victus, cum tota gente fugatus eſt. Eodem anno repetito conflictu Veronæ vincitur Odoacer.
489	15	Probinus, & Euſebius.
490	16	Fauſtinus iunior, ſolus. Theodoricus rex ad Ducam fluuium Odoacrem tertio certamine ſuperauit: qui Rauennam fugiens obſidetur incluſus. Odoacer vero egreſſus Rauennam nocturnis horis, ad pontem Candidiani à domino noſtro Theodorico rege memorabili certamine ſuperatur. Tunc etiam Vandali, pace ſuppliciter poſtulata, à Siciliæ ſolita deprædatione ceſſarunt.
491	17	Olybrius iunior, ſolus. Eodem anno Zeno imperator obijt, cui Anaſtaſius in orientalibus ſucceſſit. Sanctus Patricius Hiberniæ archiepiſcopus, quum eſſet annorum 92, obijt. Quum eſſet annorum 16, venditus eſt: ſex annis vixit in ſeruitute, in Romanis partibus: ſexaginta annis in Hibernia prædicauit.

ANASTASIVS.

ROmanorum 57, Anaſtaſius ſecundum omnes regnauit annis 27, hoc eſt vſq; ad Calen. Maij, anno 454 poſt paſſionem Domini his conſulibus, teſte Caſſiodoro.

Anni Chr.	*Anni Anaſt.*	
492	1	Anaſtaſius, & Rufus. Hic duas naturas negauit in CHRISTO, id eſt humanitatis, & deitatis, ſecundum Eutycheos.
493	2	Albinus, ſolus. Felix papa obijt. Huic Gelaſius, papa 49 poſt Petrum, ſuccedit annis quatuor, & menſib. decem.
494	3	Æmylius, ſolus.
495	4	Aſterius, & Præſidius. Theodoricus rex Rauennam ingreſſus, Odoacrem molientẽ ſibi inſidias occidit.
496	5	Victor, ſolus. Gelaſius papa. Miſenum epiſcopum à Felice damnatum eccleſiæ ſuæ reſtituit.
497	6	Paulus, ſolus. Gelaſius papa libros contra Eutychen & Neſtorium compoſuit, & obijt 13 Calend. Decembris. Huic Anaſtaſius, papa 50 poſt Petrum, ſucceſſit anno vno & menſibus ſex.
498	7	Anaſtaſius, ſolus. Anaſtaſius imperator nullius inimicorum ſuorum meruit audire vindictam, ſicut nec noſtræ eccleſiæ iura ſeruauit.
499	8	Paulinus, & Ioannes. Thraſamundus Vandalorum rex catholicas eccleſias damnauit, & 225 epiſcopos exilio in Sardiniam miſit.

Anaſtaſius papa voluit occulte reuocare Acatium Conſtantinopolitanum epiſcopum damnatum: quare diuino nutu percuſſus eſt, & obijt quinto Calen. menſis Iulij.

500	9	Paulinus, & Ioannes. Symmachꝰ, papa 51 poſt Petrum, ſedit annis 15. Propter electionem Symmachi papæ, & Laurentij, Fauſtus exconſul nobiliſſimus, & Probinus exconſul ex parte Laurentij, aduerſum Fauſtum exconſulem cæteroſque ex parte Symmachi, in medio vrbis cædes & homicidia fecerunt, & multos clericos occiderunt. Vnde etiam ſanctus Paſchaſius diaconus poſt mortem ſuam in pœna poſitus erat, quia contra populum in lectione Laurentij vſq; in finem vitæ ſuæ permanſit, ſicut legitur in dialogo. Et hoc fuit peccatum minimum id eſt culpa ignorantiæ, quia ipſe putabat, ſe recte agere coram Deo quod ignoranter fecit.
501	10	Patricius, & Hypatius. Theodoricus rex hoc anno Romam, cunctorum votis expetitus, aduenit; & ſenatum ſuum mira affabilitate tractans, Romanæ plebi donauit annonas atque admirandis munijs, deputata per annos ſingulos maxima pecuniæ quantitate, ſubuenit. Sub cuius felici imperio plurimę renouantur vrbes, munitiſſima caſtella cõduntur: conſurgunt etiam admiranda palatia, ma-

gnisq; eius operibus antiqua miracula superantur.

Anni Chr.	*Anni Anast.*	
502	11	Auienus, & Pompeius. A-
503	12	uienus iunior, & Probus.

Theodericus rex aquam Rauennam perduxit: cuius formam sumptu proprio instaurauit, quæ longis antea fuerat ad solum reducta temporibus.

|504|13| Cethegus solus. Virtute domini regis Theodorici, victis Bulgaribus, Syrmium Italia recepit.

|505|14| Theodorus, & Sabinianus. Symmachus papa multa ecclesiarum opera à fundamentis creauit, vel prisca renouauit: ad beatum Laurentium, & beatum Petrum, & Paulum pauperib⁹ habitacula constituxit; & omni anno per Aphricam ac Sardiniam episcopis qui in exilio erãt, pecunias ac vestes ministrabat.

| 506 | 15 | Anastasius tertio, & Venantius.

|507|16| Venantius iunior, & Celer. Theodericus rex contra Francos misit exercitum, qui Gallias Francorum deprædatione confusas, victis hostibus ac fugatis, suo acquisiuit imperio.

508	17	Importunus, solus.
509	18	Boetius, sol⁹. Apud Car-

thaginem Olympius quidam Arianus in balneis sanctam trinitatem blasphemat: sed statim ignis iaculo imminente, visibiliter combustus est.

510	19	Felix, & Secundinus.
511	20	Paulus, & Muschianus.

Barnabas quidam Arianus episcopus, dũ contra regulam fidei quẽdam baptizans dixisset, Baptizo te Barnabas in nomine Patris per filium in Spiritu sancto, statim aqua quæ fuerat ad baptizandum apportata, nusquam comparuit. Quod aspiciẽs qui baptizandus erat, confestim ad ecclesiam catholicam abijt, & baptismum CHRISTI suscepit. Iste annus natiuitatis Domini secundum cursum Solis & Lunæ, 2 continetur.

512	21	Probus, & Clemẽtinus.
513	22	Senator, solus. Fulgẽtius

episcopus in confessione fidei & scientia floruit, compositor sermonum qui in natiuitate Domini leguntur. Cyclus 25 decennoualis incipit, indictione sexta.

514	23	Cassiodorus, solus. Sic

ipse ait: Me etiam consule, in vestrorum

Anni Chr.	*Anni Anast.*	

laude temporum, adunato clero vel populo, Romanæ ecclesiæ optata redit concordia.

|515|24| Florẽtinus, & Anthemius. Theodoricus rex filiam suam Amalasuandam glorioso viro Eutharico in matrimonium copulauit, Deo auspice. Symmachus papa obijt 14 Calend. Augusti. Hormisda, papa 52 post Petrum, succedit annus sex.

|516|25| Petrus, solus. Eucharicus Cillicae gener Theodorici, mirabili gratia fenestus & plebis ad edendum exceptus est feliciter consulatum.

|517|26| Eucharic⁹ Cillica, & Iustinus Augustus Hormisda papa composuit eorum, psalmosq; erudiuit.

|518|27| Anastasius 4, solus. Hoc anno multa miracula vidit Roma. Editionibus singulis, stupente etiam Symmacho Orientis legato diuitias, & Gothis Romanisque datas dignitates, cessit in curiam. Munerib⁹ amphitheatralibus diuersigeneris feras, quas pſens ætas pro nouitate sua miraretur, exhibuit. Cuius spectaculi voluptates exquisitas etiam Aphrica sua deuotione transmisit. Cunctis itaq; exmia laude completis, tãto amore ciuibus Romanis insedit, vt eius præsentiam ad huc desiderãtibus Rauennam ad gloriosi patris remearet aspectus, vbi iteratis ditionibus tanta Gothis Romanisq; donis largitus est, vt sol⁹ potuerit superare quæ Romæ celebrauerat, cõsulatum. Hucusq; Cassiodorus. Hieronymi tẽporibus pretermissa. Igitur in effusam annorum seriem, authorum testificatione digestam, sub breuitatis compẽdio redigamus. Ab Adam vsque ad diluuium, ficut ex Chronicis Eusebij Hieronymique colligimus, anni sunt 2242. A diluuio vsq; ad Ninum Assyriorum regem, anni sunt 899. A Nino vsque ad Latinum regem, anni sunt 852. A Latino rege vsque ad Romulum, anni sunt 457. A Romulo vsque ad Brutum & Tarquinium primos cõsules, anni sunt 119. A Bruto & Tarquinio vsque ad consulatum vestrum, ficut ex Tito Liuio, Ausidioq; Basso, & Paschali virorum clarorũ authoritate firmato collegimus, anni sunt 1031. Ac sic totus ordo seculorum vsque ad consulatum vestrum collectus, anni sunt 5721. Incipit exhinc Chro-

nica

nica Bedæ & Iordanis, Hormisda papa misit Euodium Ticinensem Episcopum, ad Anastasium imperatorem docendum cum aliis. Anastasius vero spernens, & hæresi fauens Eutychetis, catholicos insequutus est diuersis plagis & mortibus. Qui inimicorum vallatus agminibus, sæpe congemiscens diuino fulmine periit. Iordanus Episcopus historiographus tũc ita scripsit: Anastasius imperator mœrés & furens, maior octogenario ętatis anno, regnique 28, rebus humanis excessit.

IVSTINVS.

ROmanorum 58, Iustinus senior, (secũdum historiam Romanam & Iordanum Episcopum, qui tunc conscripsit chronicam, & vixit) imperauit annis 9: sed iuxta Bedam, annis 8, hoc est vsque ad Calendas Ianuarias, in anno 481.

Anni Chr.	*Anni Iust.*	
519	1	Rusticus, & Vitalis. Iustinus senior nomen hæreticorũ cœpit extinguere, eorũq; vbiq; Ecclesias catholicæ cõsecrare. Amantium præpositum palatii, & Andreã cubiculariũ occidit: Misahelem & Ardaburum cubicularios Sardicam in exilium misit: Theotricũ quoq; satellitem Amantii, quem idem Amãti⁹ ad regnandum clam præparauerat, comprehensum carceratũq; saxis cõtudit ingentibus, falsumq; iecit in gurgitem, sepultura cum imperio cui inhiauerat, eum priuãs. Fœdusq; cum Vitaliano percussit, & ad se euocatũ magistrum militum præsens & consulem ordinarium fecit: quem rursus in suspicione habẽs facti peioris, se decim vulneribus in palatio cũ Celeriano & Paula satellitib. cõfossum peremit.
520	2	Valerius, & Iustinianus.
521	3	Symmachus, & Boetius. Hormisda papa obiit octauo idus Augusti: cui Ioannes, papa 53 post Petrum, succedit annis duobus, mensibus decẽ. Sancta Brigida Scota, virgo, in Hibernia diem clausit extremum.
522	4	Maximus, consul solus. Quemadmodum solet fieri in omnibus: sic etiam fit in dignitate hac consulari: nam pedetentim bini consules cœperũt iam diminui, & statui vniconsules, quousque omnino hæc dignitas negligatur & deficiat.
523	5	Opilio & Iustinus Augusti⁹. Theodoricus Arianus imperator Italiæ misit Ioannem papam & cum eo Theodorum & Agapetum viros consulares, & Agapetum patricium, ad Iustinum imperatorem, interminans nisi dimitterentur hæretici in pace sinere, ipse etiam omnes Italiæ populos gladio occideret. Ioannes vero papa Constãtinopolim veniens, ad portam quæ vocatur Aurea, populorum turbis ei accurrentibus, in conspectu omnium roganti cæco lumen reddidit Iustinus autem imperator, fletibus legatorum, pro certo imminente cæde catholicorum populorũ, motus dimittere cessit.
524	6	Probus iunior, & Philoxenes. Ioannes papa rediens à Constantinopoli, quum Rauennam venisset, Theodoricus eum cũ comitibus carceris afflictione peremit: inuidia ductus, quia catholicæ pietatis defensor eum honorifice susceperat. Quo anno, id est consulatu Probi iunioris, etiam Symmachum patricium Rauennæ occidit. Ioannes autẽ papa obiit decimoquinto Calendas Iunii: cuius corpus translatum est, & sepultum in basilica sancti Petri Apostoli. Huius Ioannis sanctus Gregorius papa in libro Dialogorum meminit. ¶ Huic Felix, papa quinquagesimus quartus post Petrum, successit annis quatuor, mensib. duobus.
525	7	Olybrius vir clarissimus, consul solus. Theodoricus anno sequenti subita morte Rauennæ periit. Gothi autem Atalaricũ, ex Theoderici regis filia natum, cum matre eius præficiunt. Hildericus rex Vandalorum Episcopos ab exiliis reuerti, & Ecclesias instaurare præcepit post annum sexagesimum quintũ hæreticæ prophanationis. Post Trasamũdum Hildericus ex Valentiniani imperatoris captiua filia genitus, in Vandalis regnum susceperat. Qui sacramento à Trasamundo astrictus, ne catholicis in regno suo cõsuleret; antequam regnum susciperet, Episcopos ab exiliis reuerti iussit, eisq; Ecclesias reformari præcepit. Acephalorũ hæresis abdicatur, dicentiũ Paulum apostolum in epistolis suis præcepisse fœminas debere fieri diaconas, quia eas commemorat post diaconos.
526	8	Marbutius vir clarus, consul solus. Hoc anno Dionysius computum

incepit,ita dicens inter cætera: Præsentis anni monstremus exemplum, indictio quippe quarta est, & lunaris cycli 11 decennoualis 14. Et quia endecadis 6 est annus,eius emboliſmum esse necesse est. A 15 itaque Luna præteriti festi vsque ad 14 præsentis,quot dies sunt diligẽti⁹ inquiramus, & inueniemus,proculdubio,quãdo Pascha celebrare debeamus. Transacto anno per indictionem 3 Paschæ, 14 lunam 9 die calen. Aprilis,id est 24 mensis Martii fuisse,quis dubitat? &reliqua. Et paulo ante dicit: Hoc monem⁹,quod cyclus iste 95 annorum quem fecimus, non per omnia in seipsum reuertitur, & ideo post expletionem 95 annorum, non ad 5 cyclum sancti Cyrilli, qui incepit cyclos suos ab anno 153 Diocletiani, quorum 5 cyclũ nobis necessario proposuimus; sed ad nostrum primum cyclum, quem nos ab anno 248 eiusdem Diocletiani incepimus,lector recurrat: & reliqua.

Beatissimus Benedictus abbas virtutũ gloria claruit,pater monachorũ, de quo beatus papa & sanctus Gregorius in libro Dialogorum conscripsit.

Iustinus imperator Constantinopoli ante quatuor menses obitus sui, senectutis suæ consulens & Reipublicæ vtilitatibus, Iustinianum ex sorore sua nepotem, consortem regni successoremq; reliquit, & rebus humanis excessit.

IVSTINIANVS.

ROmanorum 59, Iustinianus, teste historico,regnauit annis 38, hoc est vsq; ad calendas Ianuarias, in anno 489 post passionem Domini: sub quo hi consules fuerunt.

Anni Chr.	*Anni Iust.*	
527	1	Iustinianus Augustus secundo consul,solus. Belisarius patricius, vir clarissimus, de Persis mirabiliter triumphauit.
528	2	Decius vir clarissimus consul, etiam solus. Belisarius à Iustiniano in Aphricam missus, Vandalorum gentem deliniuit.
529	3	Lampadius, & Orestes. Felix papa obiit. ¶ Huic successit Bonifacius, papa 55 post Petrum: annis duobus sedit.
530	4	Lampadius, & Orestes iterum. Corpus sancti Anconii à Deoreuelatũ Alexandriam defertur, & in Ecclesia beati Ioannis Baptistæ humatur.
531	5	Lampadius,& Orestes tertio. Persæ Romanos apud Surorem vicerunt, satis cruenta victoria. Constantinopoli seditione 30000 hominum periere. Hypatius pseudoaugustus cum aliis seditionis authoribus occisus. Persarum rex Cosroes cœpit regnum anno quinto Iustiniani, & pacem cum Iustiniano imperatore in annos cẽtum & decem fecit.
		Iudæi & Saraceni in Palæstina Iulianum quendam ducem faciunt, & Christianos persequuntur, mox tandem victi.
		Bonifacius obiit 17 die mensis Octob. ¶ Huic aũt successit Mercurius, papa 56 post Petrum, annis 2. Mercurius iste, ipse est Ioannes prædictus papa.
		Explicit magnus cyclus Paschalis 532 annorum, in cuius 2 anno (iuxta Dionysium) natus est Dominus.
532	6	Lampadius,& Orestes quarto. Secundum sanctam historiam sacri Euangelii,in quo nihil falsitatis haberur, teste etiam sancto Augustino, in anno 15 eiusdem cycli, Dominus noster IESVS CHRISTVS 8 Calendis Aprilis, Luna 27, à mortuis resurrexit, anno 18 imperii Tiberii Cæsaris, secundum Euangelium Iohannis, hoc est in anno 12 incarnationis, iuxta Dionysium.
533	7	Iustinianus, solus. Iste leges Romanorum multis libris nimis prolixis, & inutili dissonantia intra duodecim libros, coarctauit in vnum librum, quem Codicem Iustinianum nominauit præcepit.
534	8	Valerius,& Boetius. ¶ Agapetus, post Petrum papa 57, sedit mensibus 11, diebus 19, post quam Mercurius papa obiit 6 calendas Iunii. Sanctus Beda presbyter & cõputator de hoc anno ita dicit: Dionysius paschales circulos scribens ab anno Dominicæ incarnationis 532, iuxta ipsum Dionysium, qui est annus 248 Diocletiani post consulatum Lampadii & Orestis, quo anno Codex Iustinianus orbi promulgat⁹ est. Hoc Beda ait Interea Atalaricus rex Gothorum, 8 annis imperans, obiit. Cuius mater Amalasuenda Theodatum sibi sociauit in regnum, quam Theodat⁹ post dies aliquot

in balneo ſtrangulari præcipit. Quia vero ipſa viuens ſe ſuumque filium Iuſtiniano imperatori commendauit, Iuſtinianus imperator ad Theodatum iratus erat. Theodatus autem, vt imperator ei hoc dimitteret, miſit ad eum Conſtantinopolim papam Agapetum. Agapetus vero papa imperatorem in hæreſi Eutychetis corruentẽ, cõuertit ad fidem. Antimum quoq; Conſtãtinopolitanũ Epiſcopum, præfatæ hæreſis defenſorem, duas naturas in Chriſto negantem, in exilium coegit, & Menam catholicum in loco eius Epiſcopum conſecrauit. Agapetus vero papa ibidem Conſtantinopoli obiit decimo calendas Maii, Romæ vero ſepultus eſt duodecimo Calendis Octobris.

¶ Syluerius, papa 59 poſt Petrum, ſedit anno 1, mẽſibus 2. Interea ad Aphricam, quam multis annis Vandali poſſidebant, à Iuſtiniano imperatore cũ exercitu Beliſarius patricius miſſus eſt, & Vandalorum gentem deleuit. Carthago quoq; anno exceſſionis ſuæ 96 recepta eſt, pulſis deuictisq; Vandalis, & rege eorum Gelimero prælio victo & capto, ac Cõſtantinopolim miſſo, Carthago vero receſſit anno 339 incarnatiõis Domini iuxta Dionyſium, Theodoſii imperatoris iunioris 16. Agapeto vero mortuo, miſit Iuſtinianus imperator Beliſarium patriciũ contra Theodatum regem Gothorum, qui quum moram apud Siciliã feciſſet, Theodatus obiit. Cui Vitigis ſucceſſit. Beliſarius vero videns ſibi incõgruum tempus bellandi, intra vrbem Romã ſe muniuit. Vitigis autem cum Gothis Romam per annum obſident, & Romanorum omnia igne & ferro, etiam reliquias de tumulis ſanctorum ita diripiunt, vt matres membra natorum præfame eo anno comederent.

Anni Chr.	*Anni Iuſt.*	
535	9	Beliſarius, ſolus. Iſte Beliſarius præcepto Theodoræ Auguſtæ, cõſentiente Iuſtiniano imperatore, papam Syluerium, quia Antimum hæreticum Conſtantinopolitanum Epiſcopum ab Agapeto papa expulſum noluit reuocare, licet nolens expulit ad Põtiã inſulam, in qua obiit duodecimo calendis Iulii.
536	10	Beliſarius, iterum ſolus:

¶ Vigilius, papa 60 poſt Petrum, ſedit annis 18, menſibus 6.

Anni Chr.	*Anni Iuſt.*	
537	11	Ioannes conſul, ſolus. Vitigiſum regem Gothorum bello captum, Conſtantinopol m ſecũ perduxit ad imperatorem Iuſtinianum.
538	12	Appius, eriam ſolus. Beliſarius item ad Aphricam cum exercitu venit.
539	13	Iuſtinus iunior, ſolus. Beliſarius Guntharum regem Vandalorum occidit, & Vandalos ſubſtrauit reipublicæ.
540	14	Beliſarius conſul, ſolus.
541	15	Beliſarius, iterum ſolus.
542	16	Beliſarius, item ſolus. Is autem Romam veniens, crucem auream librarum centum, & gemmis precioſiſſimis ornatam, ſuis victoriis inſcriptã, beato Petro apoſtolo per manus Vigilii papæ obtulit.
543	17	Beliſarius, denuo conſul. Hic conſulum vltimus, teſte Caſſiodoro.
544	18	Anno 13 magni cycli paſchalis, id eſt 18 Iuſtiniani, annus Dominicæ paſſionis 2 continetur, non antea, id eſt anno paſſionis primo. A paſſione igitur Chriſti vſque in prædictum annum, habetur cyclus magnus paſchalis numero 532 annorum.
545	19	Venit quidam magus in Oriente, nomine Andreas, habens ſecũ canem rufum & cæcum, qui iuſſus ab eo faciebat miracula. Quum enim ſtaret in foro coram turba, clam eodem cane afferebantur aſtantium annuli, & ponebantur in pauimẽto, quos ille cooperiebat, & præcipiebat cani: & tollebat & dabat vnicuiq; ſuũ. Interrogatus etiam oſtendebat canis in vtero habẽtes, & fornicarios & adulteros oſtendebat, cum omni veritate. Capto Vitigiſo rege, Gothi trans Padum Hildebaldum ſibi regẽ ſtatuunt. Eodemq; anno occiditur, cui Erarius ſucceſſit, & ante annum occiſus eſt Antiochiæ ob terræmotum.
546	20	
547	21	
548	22	
549	23	
550	24	

Cuidam ſeruo Dei reuelatum eſt, vt ſcriberetur in ſuperliminarib. domorum ſic: Chriſtus nobiſcum, ſtate. Quo facto ſtetit ira Dei.

551	25	Cyclus decennoualis 2 incipit, indictione 14.
552	26	Baduilla, qui & Totila, Erario ſucceſſit.

| *Anni Chr.* | *Anni Iust.* |

| 553 | 27 | Vigilius papa ob eandem causam quam & decessor eius Syluerius, indignatione Augusti per Antimiū Scribonem Constantinopolim perductus, indeq; in exilium actus; deinde reuocatus ad Romā, venit Siciliam & in ciuitate Syracusa obiit, & sepultus est Romæ via Salaria iuxta Marcellum papam.

| 554 | 28 | ¶ Pelagius, papa 61 post Petrum, sedit annis 11, mensibus 11.

| 555 | 29 | Totila cum Gothis totam Italiam inuadit: exinde per Campaniam, viriq; Dei Benedicti abbatis cœnobium, iter faciens, Romam obsidionibus circūcludit. & tunc fames pene similis præcedenti contigit.

| 556 | 30 | Fessis & non valentibus Romanis mœnia tueri, Totila porta Ostiensi Vrbem intrat. Qui nocte capiens Vrbem, vt parceret Romanis tubas sonari p̄cepit, vt Romani vel paululū inimicorū rabiem deuitarent: & aliquantulum cum eis tanquam pater cum filiis habitauit. Hāc illi (vt dicitur) animi benignitatē, qui nimiæ antea crudelitatis fuit, beati patris Benedicti quem quum Roma venire vellet, audierat, monitio contulit: quando Totilam increpauit, & de sua morte post octo annos futura sibi prædixit.

| 557 | 31 | Pelagius papa Ecclesiam beati Philippi & Iacobi incepit construere.

| 558 | 32 | Romæ Cassiodorus prius consul, deinde senator, postea monachus clarus habetur.

| 559 | 33 | Arator subdiaconus Acta Apostolorum versib. hexametris Romæ exarauit.

| 560 | 34 | Victor Capuanus Episcopus librum de Pascha scribens, Victorii arguit errores.

| 561 | 35 | Vir sanctissimus Herculanus Perusinæ ciuitatis Episcopus fuit: qui ex præcepto Totilæ regis Gothorum super murum suæ ciuitatis capite trūcatus est, sancto Gregorio teste. Lōgobardi 40 rusticos captiuos occiderunt, quia immolatitia cum eis non manducauerunt, alioq; captiuos decollauerunt, qui caput capræ cum eis non adorauerunt. His temporib. beatus Benedictus prius in loco qui Sublatus dicitur, qui ab vrbe Roma 40 milliaribus abest, & postea in castro Cassiani quod Aurum appellatur, virtutibus magnis effulsit, teste beato Gregorio in libro secundo Dialogorum, capite 14 & 15.

| *Anni Chr.* | *Anni Iust.* |

| 562 | 36 | His temporib. vixit sanctus Gregorius, vt ipse perhibet in libro Dialogorum, ita dicendo: Vir vitæ venerabilis Cerbonius Populonii Episcopus, magnam in diebus nostris sanctitatis suæ probationem dedit. Nam quum hospitalitatis studio valde esset intētus, quia milites in hospitio suo abscōdit, ne occiderentur à Gothis: Totila perfidus rex Gothorum eum in loco nomine Merulis, vbi cum exercitu suo sedebat, immanissimo vrso homines crudeliter manducanti, in medio coram omnibus deputauit. Vrsus vero pedes Episcopi ouili mansuetudine lambebat.

| 563 | 37 | Priscianus grammaticus apud Constantinopolim clarus habetur. Pelagius papa obiit, 6 nonis Martii.

Ivstinvs II.

ROmanorum 60, Iustinus minor, regnauit annis 11, hoc est vsque ad Calendas Ianuarii, in anno 527 post passionem Domini nostri.

| *Anni Chr.* | *Anni Iust.* |

| 564 | 1 | ¶ Ioannes, papa 62 post Petrum, sedit annis 13.

| 565 | 2 | Narses patricius ad Italiam veniens, Totilam Gothorum regem occidit, & Italiam ad rempublicam reduxit.

| 566 | 3 | Is Narses per inuidiam Romanorum, pro quibus multa contra Gothos laborauit, accusatus erga Iustinum imperatorem, & eius coniugē Sophiam, quod seruitio premeret Italiam, recessit Neapolim ciuitatem Campaniæ, & Longobardos introduxit in Italiam.

| 567 | 4 | Leuigillus rex Gothorum quasdam Hispaniæ regiones sibi rebelles in potestatem regni sui superando redegit.

| 568 | 5 | Ioannes papa Ecclesiam apostolorum Philippi & Iacobi, quā prædecessor eius Pelagius cœperat, perficiēs dedicauit.

| 569 | 6 | Cyclus decennoualis 3 incipit, indictione 3.

| 570 | 7 | Germanus Parisiorum Episcopus obiit.

| 571 |

Anni Chr.	Anni Iust.	
571	8	Fortunatus poeta in Galliis clarus habetur.
572	9	Armenii fidem Christi suscipiunt.
573	10	
574	11	Redemptus Ferentinæ ciuitatis Episcopus clarus habetur, vt in Dialogo legitur.
575	12	Iustinus imperator amentia obiit.

CONSTANTINVS II.

ROmanorum 61, Tiberius Constantinus regnauit annis septem, hoc est vsque in annũ 538 post passionem Domini.

Anni Chr.	Anni Const.	
576	1	Gregoriis apocrisiarius in Constantinopoli, & postea papa, in Iob expositionem condidit. Ioannes papa obiit.
577	2	Benedictus, papa 63 post Petrum, sedit annis 4, mensibus 2.
578	3	Gregorius Eutychium Constantinopolitanum Episcopum Tiberio præsente conuicit, ita vt Tiberius librum Eutychii de resurrectione destruens, suis catholicis allegationibus deliberaret flãmis cremari debere. Scribebat autem id Eutychius, corpus nostrũ in resurrectione impalpabile, & ventis aereq; subtilius esse venturum, contra illud Dominicum: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habent, sicut me videtis habere.
579	4	Gens Longobardorum comitante fame, mortalitate & peste, omnem inuadit Italiam, ipsamq; Romam vastatura obsidet vrbem: quibus temporeillo rex præerat Alburnius.
580	5	Vastantibus omnia per circuitum Longobardis, quum fames abundaret, multa millia frumenti Benedictus papa ab Ægypto dirigens, Romam sub studio misericordiæ releuauit.
581	6	Gothi per Erminigildum Lungildi regis filium bifarie diuisi, mutua cæde vastantur. Benedictus papa obiit 2. calend. Augusti.
582	7	¶ Pelagius, papa 64 post Petrum, sedit annis 10, mensibus 2. Gregorius papa in Dialogo sic dicit: In monasterio meo ante decennium Geruntius monachus graui infirmitate depressus, somniauit abbates & clarissimos viros in meum monasterium de superioribus descendere, quorum vnus ait: Ad hoc venimus, vt demonstratione Gregorii quosdam fratres in militiam mittamus. Et alter ait: Scribe Marcellum, Valẽtinianum, Agnellum, atque alios, & hunc Geruntium: qui eo ordine obierunt.

MAVRICIVS.

ROmanorum 62, Mauricius regnauit annis 21, mensibus 4, hoc est vsque ad calendas Maii, in anno 525 post passionẽ Domini.

Anni Chr.	Anni Maur.	
583	1	Pelagius papa sine iussione Mauricii ordinatus est eo quod Longobardi Italiam per circuitum obsidebant, ita vt nullus foras egredi posset.
584	2	
585	3	
586	4	Erminigildis, Lungildi Gothorum regis filius, ob fidei catholicæ confessionem inexpugnabilem à patre Ariano regno priuatus, in carcerem & in vincula proiectus est: ad extremum nocte sancta Dominicæ resurrectionis, securi in capite percussus, regnũ cœleste pro terreno rex & martyr possidere meruit. Cuius frater Richardus mox, vt regnum post patrem accepit, omnem Gothorum cui præerat gentem, instante Leandro Hispalitano Episcopo qui & Herminigildũ docuerat, catholicam cõuertit ad fidem.
587	5	Pelagius papa Heliæ Aquileiensi Episcopo nolenti tria capitula Chalcedonensis synodi suscipere, satis vtilem epistolã misit, quam sanctus Gregorius adhuc diaconus conscripsit.
588	6	
589	7	Sanctus Columbanus pater ex Hibernia insula, cũ sancto Gallo aliisque probatis discipulis venit in Burgundiam, ibique permittente Theodorico rege, monasterium quod Luxouium dicitur, ædificauit. Exinde à Brumhilda fugatus, Alemãniam ingreditur, vbi sanctum Gallum reliquit. Ipse vero in Italiam transiens, monasterium quod Bouiũ dicitur, ædificauit: vbi multorum pater monachorum extitit.
590	8	
591	9	Hoc tempore factum est diluuium 16 calẽdis Nouembris, vt flumen Tiberis super muros vrbis Romæ in-

flueret: & per alueum eiusdem fluminis cum multa serpentium multitudine draco miræ magnitudinis per vrbem vsque ad mare descendit. Quam inūdationem pestilentia quæ dicitur inguinaria, statim sequuta est, vt pauci ex multitudine viuerent, in qua primitus Pelagius papa obiit, octauo idus Februarii.

Anni Chr.	*Anni Maur.*	
592	10	¶Sanctus Gregorius, papa 65 post Petrum, sedit annis 13, mensib. 6, dieb. 10, qui in hac tribulatione à cūctis electus est: & quum litaniā septiformem ordinasset, vna die dum Dominum deprecabantur, subito 80 obierunt. Septiformis autem litania ideo dicitur, quia in septem ordinib populus erat diuisus ita: primo ordine clerus, secundo abbates cum monachis, tertio abbatissę cum suis, quarto infantes, quinto laici, sexto viduę, septimo coniugatæ fœminæ erant.
593 594	11 12	Auares contra Romanos dimicantes, auro magis quam armis pelluntur.

Ante triēniū in monasterio beati Gregorii monach⁹ nomine Iustus, fuit medic⁹, qui ante obitū suum germano suo nomine Copioso, sibi seruienti, tres aureos nummos habere se innotuit, quos eum in sterquilinio sepeliri fecit beat⁹ Gregori⁹.

595	13	Gregorius papa anno Mauricii imperii 13, indictione 13, synodum Episcoporum 44 conuocauit ad corpus beati Petri Apostoli. In Ecclesia Arianorum iuxta Romam, in loco nomine Subura, quum catholice consecraretur, introductis in eam sancti Sebastiani & sanctæ Agathæ reliquiis, diabolus in figura porci per populū exiuit ab ea. Post paucos autem dies, nubes cœlitus descendēs, totam miro odore repleuit Ecclesiam.
596 597 598	14 15 16	Cœnobium sancti Benedicti abbatis à Longobardis noctu inuaditur. Monachi vero Romam petierunt, codicem sanctæ regulæ, & pondus panis ac mensuram vini deferentes.
599	17	Gregorius papa adiecit in missa, Diesq; nostros: vsque, Numerari. Sanctus Gregorius postquam alueum illū Tiberis egressus est, & super muros vrbis Romæ influxit, Dialogū composuit, ipso teste in libro tertio, capite 19.

In Campaniæ parte, vir valde venerabilis Martinus in monte Marsico, solitariam vitam duxit. Hic catena ferrea sibi pedem ligauit, eamq; saxo ex altera parte affixit, ne longius exiret. Quod vir vitæ venerabilis Benedictus audiens, cuius superius memoriam feci, ei per discipulum suum mandare curauit, Si seruus Dei es, non te teneat catena ferri, sed catena Christi. Ad hanc vocem Martinus catenam soluit, & nunquam postmodum plus longitudine catenæ exiuit.

Anni Chr.	*Anni Maur.*	
600	18	Beatus Gregorius missis in Britanniam Augustino, Melito, & Ioanne, & aliis pluribus cum eo monachis timentibus Deum, ad Christum Anglos conuertit. Sanctus Columbanus obiit.
601	19	Edilbertus rex Anglorum, ad Christi gratiam conuersus, cum sua gēte Cantuariorum cui præerat, proximisq; prouinciis, doctorem suum Augustinum cæteroſq; antistites Episcopali sede donabat. Porro gentes Anglorum ab Aquilone Humbri fluminis sub regibus Elle & Adilfrido, necdū verbum vitę audiuerāt.
602	20	Gregorius papa circa 18 annum Mauricii imperatoris, indictione 4, scribens Augustino, Lundoniæ & Eboraci Episcopos, accepto à sede apostolica pallio, metropolitanos esse debere decreuit. Idem refert, apostolos ad missam cantandam nihil aliud nisi tantū orationem Dominicam dixisse.
603	21	Mauricius imperator cum filiis suis Theodosio, Tiberio Constātino, à Phoca qui fuit strator Prisci patricii, occiditur. Sed sanctus Benedict⁹ abbas (sicut sui scribunt) 12 Calendarum Aprilis, sabbato sanctæ Paschæ, in hoc anno videtur obiisse. Nisi enim in anno 96 obiisse negetur, ante istum annū obitus eius non habetur, quia tunc ætate valde paruulus fuit: in hoc autem anno ætatis suæ plus minusue 90 obiisse posse videtur.

Phocas.

ROmanorum 63, Phocas regnauit annis 9, hoc est vsque ad Calendas Maii, in anno 566 post passionē Domini nostri.

Anni Chr.	*Anni Phoc.*	
604	1	Imago Phocæ 7 Calend. Maii, indictione 7, Romam delata est, sicut

sicut in vita sancti Gregorij legitur: & postquam à clero & senatu acclamatum est eis in basilica Iulij, iussu sancti Gregorij in basilica sancti Cæsarij Lateranensi palatio collocatur.

Anni Chr.	Anni Phoc.	
605	2	Sanctus Gregorius papa obijt 4 Idus Martij, indictione 8.

606|3|¶ Sabinianus, papa 66 post Petrũ, 10 sedit anno 1, mensibus 10.

607	4	Precerini ac Benedicti per Orientem vel Ægyptum ciuile bellum faciunt, ac sese mutua cæde prosternunt. Sabinianus papa obijt 11 Calendis Martij.

608| 5 | ¶ Bonifacius, papa 67 post Petrum, sedit mensibus 10. Hic impetrauit à Phoca Cæsare, vt sedes apostolica Romana caput esset ecclesiæ, quum antea Constantinopolis primam omnium se scribebat. Hic constituit in ecclesia beati Petri, cum episcopis 72, presbyteris 30, diaconibus 3, & omni clero sub anathemate, vt nullus pontifice viuente, aut episcopo ciuitatis suæ præsumat loqui, aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis eius; & adunato clero & famulis ecclesiæ electio tunc fiat. Eodem anno obijt 3 Idus Decembris.

609|6|Bonifacius, papa 68 post Petrum, sedit annis 6, mensibus 9.

610|7|Bonifacius papa obtinuit à Phoca Cæsare, in veteri phano quod Pantheum vocabatur, & à Domitiano imperatore cõstructum erat, ecclesiam omnium sanctorum consecrari, vbi omnium idolorum cultus agebatur.

611|8|Persæ contra Rempublicam bella grauissima gerẽtes, multas Romanorum prouincias & ipsam Hierosolymam auferunt, & destruẽtes ecclesias, sancta quoque prophanantes, inter ornamenta sanctorum vel communium locorum, etiam vexillum Dominicæ crucis abducunt.

Heraclio qui Aphricam regebat, Phocam vita priuauit, cui & successit.

HERACLIVS.

ROmanorum 64. Heraclius regnauit annis 27, hoc est vsq; ad Cal. Mart. in anno 573 post passionem Domini.

Anni Chr.	Anni Her.	
612	1	Anastasius Persa monachus, postea nobiliter pro CHRISTO passus. Qui natus est in Persida, magicas artes à patre puer discebat: sed vbi à captiuis Christianis nomen CHRISTI saluatoris audiuerat, in eum mox toto animo cõuersus est.
613	2	Tunica Domini in Iudæa reperitur. Bonifacius papa obijt.
614 / 615	3 / 4	¶ Deusdedit qui & Theodatus, 69 post Petrum, sedit annis 4. Hic constituit secundam missam in clero. Eodem anno factus est terræmotus magnus, mens. Aug. indictione 3. Post hæc sequuta est clades in populo, id est percussio scabiarum, ita vt nullus posset mortuum suum cognoscere.

616|5|Anastasius relicta Persida, Chalcedonia, Hierapoliq; quærens Christum, ac deinde Hierosolymam venit vbi baptizatus 4 ab eadem vrbe milliario, monasterium abbatis Anastasius intrauit, in quo 7 annis regulariter vixit.

617|6| Anastasius iste quum Cæsaream Palæstinæ orationis gratia veniisset capt* à Persis, & multa diu verbera inter carceres & vincula Marzãbana duce perpessus, tandem mittitur Persidem ad regem eorum Cosdroen, à quo ter per interualla auditus & verberatus, ad extremum vna suspensus manu per tres horas diei: & sic decollatus, cum alijs 70 martyriũ compleuit. Mox tunica eius indutus quidam dæmoniacus curatus est.

618|7|Deusdedit papa obijt 6 Idus Nouembris.

619|8|¶ Bonifacius, papa 70 post Petrũ, sedit annis 10.

620 / 621 / 622	9 / 10 / 11	Puer natus est absq; oculis & palpebris & manibus & brachijs, à lumbis deorsum, vt cauda piscis.

623|12|Bonifacius obijt octauo Calend. mensis Nouembr. Hic autem constituit, vt nullus trahatur de ecclesia.

624|13|¶ Honorius, papa 71 post Petrũ, sedit annis 12.

625|14|Heraclius imperator cum exercitu superatis Persis, Christianos qui erãt captiui, reduxit gaudentes.

626	15	Reliquiæ beati martyris Anastasij primo ad monasterium suum delatæ, deinde Romam aduectæ, venerantur in monasterio beati Pauli Apostoli, quod dicitur ad Aquas Salinas. Cy-

clus 6 decennoualis incipit, indictione decimaquinta.

Anni Chr.	*Anni Her.*	
627	16	Anno Heraclij 16, indictione 15, Edumus rex Anglorum in Britannia trans Vmbranæ gentis ad Aquilonem, prædicante Paulino episcopo quem miserat de Francia archiepiscopus Iustus, verbum salutis cum gente sua suscepit. Anno autem 11 regni sui, aduentus Anglorum in Britanniam anno 230 hoc gessit. Ipse vero dedit Paulino sedem episcopatus Eboraci : qui profuit regi in auspicium futuræ fidei & regni cœlestis. Potestas & terreni creuit regni : totam enim Britanniam primus omnium Anglorum sub se subiecit.
628	17	In Nilo flumine visi sunt
629	18	vir & mulier: vir, terri-
630	19	bilis & rufus : mulier,
631	20	cum mammillis & cæsarie ; & hoc ab ortu Solis vsq; ad horam nonam.
632	21	Eo tempore errorem 14
633	22	annorũ, in obseruatione
634	23	Paschæ apud Scotos exortum, Honorius papa per epistolam redarguit : sed & Ioannes qui successori eius Seuerino successit, idem arguebat. Quum enim nondum esset electus in põtificatum, pro eodem Pascha eis scribit. Ioannes quoque & pro Pelagiana hæresi quæ apud eos reuiuiscebat, scripsit.
635	24	Honori⁹ papa obijt, 4 Cal. Octobris: & cessauit pontificatus anno 1, mensibus 7, diebus 17.
636	25	¶ Seuerinus, papa 72 post Petrum, successit anno vno, & obijt 4 Nonas Augusti.
637	26	¶ Ioannes, papa 73 post Petrum, successit anno 1, mensibus 10. Iudæi in Hispania Christiani efficiuntur. Sisebutus enim rex Gothorum glorioſissim⁹, in Hispania Romanas prouincias & Romanæ militiæ vrbes bellando sibi subiecit, & Iudæos sui regni subditos ad fidem Christi conuertit.
638	27	Ioannes papa obijt 4 Id. Octobris. Heraclius imperator Constantinopoli obijt.

Heracleonas.

ROmanorum 65, Heracleonas filius Heraclij cum Martina matre sua, regnauit duobus annis.

Anni Chr.	*Anni Her.*	
639	1	
640	2	¶ Theodorus, 74 post Petrum, sedit annis 6, mens. 6. Cyrus Alexãdriæ, & Sergius, & Pyrrhus, regiæ vrbis episcopi Acephalorum hæresim instaurantes, vnam operationem in Christo diuinitatis & humanitatis, & vnam voluntatem dogmatizant. E quibus Pyrrhus his temporibus sub Theodoro papa Romam veniens ex Aphrica, ficta (vt apparuit) pœnitẽtia obtulit eidem papæ, præsente cuncto clero & populo, libellum cum sua subscriptione, in quo condemnaret omnia, quæ à se vel à decessoribus suis scripta vel acta fuissent contra catholicam fidem. Vnde benigne susceptus est ab eo, quasi regiæ vrbis pontifex. Sed quia reuersus domum repetijt errorem domesticum; memoratus ille papa Theodorus, aduocatis cunctis sacerdotibus & clero in ecclesiam Petri Apostoli, cõdemnauit eum sub vinculo anathematis.

Constantinvs III.

ROmanorum 66, Constantinus filius Heraclij, regnauit mensibus 6. Pyrrhi successor Paulus non tantum væsana doctrina, sicut decessores eius, sed & aperta persequutione catholicos cruciat: apocrisiarios sanctæ Romanæ ecclesiæ quia eius correctionem missi fuerant, partim carceribus, partim exilijs, partim verberibus afficiens. Sed & altare eorum in domo Placidiæ sacratum, in venerabili oraculo subuertens diripuit, prohibens eos ibidem missas celebrare. Vnde & ipse, sicut præcessores illius ab Apostolica sede iusta depositionis vltione damnatus est.

Constantinvs IV.

ROmanorum 67, Constantinus filius Constantini, regnauit annis viginti octo.

Anni Chr.	*Anni Const.*	
641	1	Constantinus imperator decept⁹ à Paulo, sicut Heraclius auus eius à Sergio eiusdem regiæ ciuitatis episcopo, exposuit typum aduersus catholicam fidem: nec vnam, nec duas voluntates aut operationes in Christo diffiniens esse credẽ-
642	2	
643	3	

credendas, quasi nihil velle vel operari credendus sit CHRISTVS.

Anni Chr.	*Anni Const.*	
644	4	Theodorus papa obijt, 2 Idus Maij.
645	5	¶ Martinus, papa 73 post Petrum, sedit annis 6, mensibus 2.
646	6	Cyclus 7 decennoualis incipit, indictione 4.
647	7	Martinus papa propter
648	8	prædictã hæresim con-
649	9	gregauit Romæ syno-
650	10	dum 105 episcoporum:
651	11	in qua synodo damna-
652	12	uit sub anathemate Cyrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum, hæreticos præfatos episcopos. Facta est autem synodus præfata, anno 10 imperij Constantini, mense Octob. indictione 7. Et post hæc missus ab imperatore Theodoro hexarcha, tulit Martinum papam de ecclesia Constantiniana, & perduxit eum Cõstantinopolim, & relegat⁹ Chersonam Lyciæ prouinciam, ibidem 4 Idus Nouemb. obijt; & multis virtutum signis refulget.
653	13	Martinus papa obijt.
654	14	¶ Eugenius, papa 76 post Petrum sedit annis 2, mensibus 10.
655	15	Eugenius papa obijt 4 Nonis Iauuarijs.
656	16	¶ Vitalianus, papa 77 post Petrum, sedit annis 14, mensibus sex.
657	17	Constantinus princeps
658	18	Vitaliano papa nuper
659	19	ordinato, misit beato
660	20	Petro Apostolo Euan-
661	21	gelia aurea gemmis al-
662	22	bis miræ magnitudinis
663	23	in circuitu ornata. Ipse
664	24	vero post aliquot annos
665	25	venit Romam 5 die mẽs. Iul. feria 4. Tunc obtulit Dominico die super altare sancti Petri pallium auro textile. Et totus exercitus cum cereis ecclesiã intrauit. Hoc factum est per indictionem 6, anno 13 imperij Constantini. Sequente anno facta est eclipsis Solis, 5 Nonis Maij.
666	26	Theodorus archiepiscopus, & Adrianus abbas, vir æque doctissimus, à Vitaliano papa missi in Britanniam, plurimas ecclesias Anglorum doctrinæ ecclesiasticæ fruge fœcundarunt.
667	27	Quum igitur Constantinus obtulit pallium, mansit in Roma dies 12. Inde indictione 7 Siciliam ingressus est, in qua mansit vsq; ad indictionẽ 12.
668	28	In qua indictione, in Sicilia, à suis 15 die Iulij mensis in balneo occisus est. Et non post longe Vitalianus papa obijt, 10 sexto Cal. Februarij.

CONSTANTINVS V.

ROmanorum 68, Constantinus filius Cõstantini superioris, regnauit an. 17.

Anni Chr.	*Anni Iust.*	
669	1	¶ Adeodatus, papa 78 post Petrum, sedit annis 4, mensibus 2.
670	2	Saraceni Siciliam inuadunt, qui nimia præda secum ablata, mox Alexandriam redeunt.
671	3	Constantinus princeps, sextam synodum instituit.
672	4	Adeodatus papa obijt.
673	5	¶ Conus papa 79 post Petrum sedit anno vno, mensibus sex.
674	6	Hibernia insula sanctis
675	7	viris plena habetur: de qua beatus pater noster Dysibodius Episcopatu abdicato cum plerisque socijs egressus hunc locum inhabitauit, & diuinis laudibus hic se à fidelibus venerari apud Deum promeruit.
676	8	Agatho papa ex rogatu Constantini, Heraclij & Tiberij Principum pijssimorum, misit in regiam vrbem legatos suos, in quibus erat Ioannes Romanæ ecclesiæ tunc diaconus, non longe post episcopus, pro adunatione facienda sanctarum Dei ecclesiarum. Qui vrbem regiã, id est Constantinopolim, egredientes, 10 die mens. Nouembr. indictione 10, dominica die, ad processionem imperatoris Constantini honorifice vocati sunt. Die autem 17 mensis Februarij, die Dominico interrogatus est patriarcha Georgius de fide catholica. Adfuerunt autem episcopi centum quinquaginta, præsidente Georgio patriarcha regię vrbis, & Antiochiæ Macario. Et conuicti sunt qui vnam voluntatem & operationem astruebant in Christo, falsasse catholicorum patrum dicta perplurima. Finito autem conflictu Georgius correctus est, Macarius vero

cum ſuis ſequacibus ſimul & præceſſoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo & Petro anathematizatus, & in locum eius Theophanius abbas de Sicilia Antiochiæ epiſcopus factus. Tãtaq; gratia legatos pacis comitata eſt, vt Ioannes Portuenſis epiſcopus qui vnus erat ex ipſis, Dominica 8 Paſchę miſſas publicas in eccleſia Sanctæ Sophiæ coram principe & patriarcha Latine celebraret. Hæc eſt ſexta ſynodus vniuerſalis Conſtantinopoli celebrata, & Græco ſermone cõſcripta temporibus Agathonis papæ, exequente ac reſidente piiſſimo principe Conſtantino inter palatium ſuum, ſimulque legatis apoſtolicæ ſedis, & epiſcopis 150 reſidentibus. Prima enim vniuerſalis ſynodus in Nicæa congregata eſt contra Arium, 318 patrum, temporibus Iulij papæ ſub Conſtantino Magno. Secunda in Conſtantinopoli 150 patrum, cõtra Macedonium & Eudoxium, temporibus Damaſi papæ & Gratiani imperatoris, quando Nectarius eidem vrbi ordinatus epiſcopus eſt. Tertia in Epheſo, 200 patrum, contra Neſtorium Auguſtæ vrbis epiſcopum, ſub Theodoſio Magno principe & papa Cœleſtino. Quarta in Chalcedone, patrum 630, ſub Leone papa, tẽporibus Martiani imperatoris. Quinta item in Conſtantinopoli, temporibus Vigilij papæ ſub Iuſtiniano principe, contra Theodorum & omnes hæreticos. Sexta, hæc de qua in præſentia diximus. Arius dixit, Patrem maiorem, Filiũ minorem, Spiritum ſanctum creaturam eſſe. Macedonius negabat Spiritum ſanctum. Neſtorius dixit, ſanctam Mariam non Dei, ſed hominis tantum genitricem eſſe. Eutyches Conſtantinopolitanus abbas dixit, Chriſtum per humanam aſſumptionem exiſtere non duabus naturis, ſed ſolam in eo diuinam naturã manere. Theodorus dixit, alium eſſe Deum verbum & alium eſſe Chriſtum, & Mariam non Dei matrem eſſe. Macarius vero Antiochen⁹ epiſcopus dixit, vnam voluntatem Dei & operationem in Chriſto eſſe. Agatho papa obijt 4 Id. Ianuarij.

Anni Chr.	*Anni Conſt.*	
677	9	¶ Leo, papa 81 poſt Petrum, ſedit menſib. 11, & obijt quinto Nonis Iulijs: & ceſſauit epiſcopatus menſ. 11. Deinde hoc tempore Leonis papæ, die 16 menſis Aprilis, indictione 11, Luna eclipſin pertulit poſt cœnam Domini, nocteq; pene tota in ſanguineo vultu elaborauit, donec poſt Galli cãtum cœpit paulatim delimpidare, & in ſua reuerti.
678	10	Sanctus Beda presbyter, Anglicus computator, his temporibus clarus habetur.
679	11	¶ Benedictus, 82 poſt Petrum ſedit annis 4, menſibus 9. Iſte ab ineunte ætate in eccleſia militauit, pauptatis ſemper amator.
680	12	Sancta virgo Edildruda, filia Annæ regis Anglorum, cũ magnificis tribus viris fuit coniuncta: poſt 12 annos thorum incorrupta ſervauit. Poſtea regina, accepto ad inſtruendum monaſterium loco qui dicitur Ieldge, abbatiſſa & nutrix ſanctarum virginũ virgo conſecratur. Cuius caro poſt ſedecim annos ſepulturæ, & veſtis qua inuoluta erat, incorrupta reperitur.
681	13	
682	14	
683	15	
684	16	Cyclus decennouallis incipit. Benedictus papa obijt 8 Id. Maij & ſepultus eſt apud beatum Petrum Apoſtolum.
685	17	¶ Ioannes, papa 83 poſt Petrum, ſedit anno 1, menſ. 1. Huius tempore regnauit Iuſtinianus minor, mortuo patre, in initio menſis Septemb. indictione 14. Ioannes papa obijt 4 Non. Auguſti.

IVSTINIANVS II.

ROmanorum 69, Iuſtinianus minor filius Conſtantini, annis 10.

Anni Chr.	*Anni Iuſt.*	
686	1	¶ Conon, papa 84 poſt Petrum, ſedit anno 1, menſibus 11.
687	2	Sanctus Kilianus Scotus, de Hibernia inſula natus, Wirtziburgenſis epiſcopus, clarus habetur. Conon papa obijt 21 die Septemb.
688	3	¶ Sergius, papa 85 poſt Petrum, ſedit annis 11, & menſibus 9. Pipinus, filius Anſgiſi, Arnolphi filij (illius Arnolphi qui poſtea epiſcopus Metis fuerat) regit Francos, annis 27, & dimidio.
689	4	Iuſtinianus imperator conſtituit pacẽ cum Sa-
690	5	racenis decennio terra marique, ſed & pro-uincia

uincia Aphrica subiugata est Romano imperio, quæ erat detenta à Saracenis, ipsa quoq; Carthagine ab eis capta & destructa.

Anni Chr.	*Anni Iust.*	
691	6	Sergius papa constituit, vt tempore confractionis dominici corporis Agnus Dei à clero cantaretur.
692	7	Iustinianus Sergium papam, quia 10 hæreticę suæ synodo quam Constantinopoli fecerat, subscribere noluisset, misso Zacharia protospatario suo, iussit Constantinopolim deportari: sed præueniēs militia Rauennatis vrbis, aliarumq; partium, iussa principis nephanda, & eundē Zachariam contumelijs & iniurijs ab vrbe Roma pepulit.
693 / 694	8 / 9	Idem papa Sergius ordinauit venerabilem virum Vilibrordum, cognomine Clementem, Phrysonum genti episcopum: in qua vsque hodie, pro æterna patria desudans, peregrinus multis virtutibus claruit.
695	10	Iustinianus ob culpam perfidiæ regni gloria priuatus, exul fecessit in Pontum.

Leo, III.

ROmanorum 70, Leo regnauit annis tribus.

Anni Chr.	*Anni Leon.*	
696	1	Papa Sergius in sacrario beati Petri reperit capsam argēteam quæ in angulo obscurissimo diutissime iacuerat, & in ea crucem diuersis ac preciosis lapidibus adornatam, Domino reuelante, reperit: de qua tractis 4 petalis, quibus 40 gemmæ inclusæ erant, miræ magnitudinis portionem ligni salutiferi dominicæ crucis interius repositam inspexit. Quæ ex tempore illo annis omnibus in basilica Saluatoris quæ appellatur Constantiana, die exaltationis eius ab omni multitudine deuote osculatur atq; adoratur.
697	2	Cudbertus antistes Lindisfarnensis in Britannia miraculis claret.
698	3	Tiberius contra Leonem insurgens, regnum eius inuasit, eumq; quandiu ipse regnauit, in carcere tenuit.

Tiberius II.

ROmanorum 71, Tiberius, regnauit annis septem.

Anni Chr.	*Anni Tiber.*	
699	1	Synodus Aquileiæ facta
700	2	ob imperitiam 5 concilium vniuersale suscipere diffidit, donec beati Sergij monitis instructa, & ipsa cum cæteris Dei ecclesijs annuere consentit.
701	3	Sergius papa obijt 5 Id. Septemb. indictione 14.
702	4	¶ Ioannes, papa 86 post Petrum, sedit annis 3, mensibus 3. Cyclus decennoualis 10, incipit indictione 1.
703	5	Beda in libro de temporibus, in anno 9 eum condidit, & ita perhibet: Si vis nosse, quot sint anni ab incarnatione domini iuxta Dionysium; scito quot fuerint ordines indictionum: vtpote in præsenti anno 5, Tiberij 46. Hos multiplica per 15, fiunt 690: adde semper regulares 12, quia 4 indictione, secundum Dionysium, natus est Dominus, & inuenies indictionem anni illius cuiuscunq; volueris, vtpote in præsente 1 fiunt 603, isti sunt anni Domini, iuxta Dionysium,
704	6	Gisulphus dux Longobardorum Beneuenti Campaniam igne & captiuitate vastauit: quumq; non esset qui eius impetui resisteret, papa Ioannes missis ad eum donarijs multis, vniuersos captiuos redemit. Ioannes papa obijt, indictione 3, secundum gesta pontificum.
705	7	¶ Ioannes, papa 87 post Petrum, sedit annos 2, menses 8. ipse fecit oratorium sanctæ Dei genitrici opere pulcherrimo, intra ecclesiam beati Petri. Herebertus rex Longobardorum restituit ea quæ ad ius Apostolicę sedis pertinebant, hancq; donationem aureis literis Romā direxit. Iustinianus imperator Leonem & Tiberium cum alijs qui eum expulerāt, occidit: quem Iustinianum Leo in expulsione illius detruncarat: qui post iterum assumpto imperio, quoties defluentem guttam rheumatis manu detersit, toties pene aliquem de suis contrarijs iugulare præcepit.

Ivstinianvs II.

ROmanorū 72, Iustinianus 2 regnauit cum Tiberio filio suo, annis 6.

Anni Chr.	*Anni Iust.*	
706	1	Iustinianus auxilio Bulgarorum regnum recipiens, occidit eos qui se expulerant patricios, & Leonē qui locum eius vsurpauerat, nec nō & succes-

sorem eius Tiberium, tempore Ioannis papæ secundum gesta Pontificum, quieum de regno eiectum, toto quo ipse regnabat tempore, in eadem ciuitate in custodia tenuerat. Callinicum vero patriarcham erutis oculis misit Romam, & dedit episcopatum Tyro qui erat abbas in Ponto, eumque alebat exulem. Ioannes papa obijt 15 Cal. Nouemb. indictione 6.

Anni Chr.	*Anni Iust.*	
707	2	¶ Sisinnius, 88 post Petrum, sedit mense primo, & obijt Id. Nouembris.
708	3	¶ Constantinus, 89 post Petrum, sedit annis 7, mense 1.
709	4	Iustinianus imperator pœnitentiam agens, Constantinum papam ad se venire iubens, honorifice suscepit, ita vt die dominica Missas sibi facere iubens, communionem de manu eius acceperit: quem prostratus in terra pro suis peccatis intercedere rogans, cuncta priuilegia renouauit. Qui quum exercitum mitteret in Pontum, prohibente papa, ad comprehendendum Philippicum quem ibi reliquerat: cõuersus omnis exercitus ad partem Philippici, fecit eum ibidem imperatorem: reuersusq; cum eo Constantinopolim, pugnauit contra Iustinianum, 12 ab vrbe milliario. Occiso Iustiniano Philippicus regnat.
710	5	Constantinus papa iussu imperatoris Iustiniani, die 5 Octobr. indictione 9, egressus de
711	6	Roma, venit Hydruntum vbi hyemauit. Iustinianus imperator à Nicæa Bithyniæ præcepit papæ, vt Nicomediam veniret obuiam regi venienti: vbi papa & rex simul conuenerunt. Papa de Nicomedia egressus, 25 Octobris Romam intrauit: deinde post menses 3 audiuit, quod Philippic⁹ Iustinianum occidit. Hoc anno Hildebertus rex iustus migrauit ad Dominũ: regnauit annis 18, sepultusq; est in Cauciato monasterio in basilica sancti Stephani: regnauitq; Dagobertus puer filius eius pro eo 5 annis. Habebat igitur Grimoaldus Maior domus, Pipini filius, filiã Rabboconis ducis gẽtilis in vxorem: qui quum Pipinum ægrotantem volebat visitare, Leodio in basilica sancti Lamperti peremptus est à Rantgario gentili. Thiecoaldum vero in aula regis sedere sublime constituunt.

PHILIPPICVS.

ROmanorum 73, Philippicus regnauit anno vno, mensibus sex.

Anni Chr.	*Anni Phil.*	
712	1	Philippicus imperator eiecit Cyrum de episcopatu, eumque ad gubernandum abbatis iure monasterium suum Pontum redire præcepit. Idem Constantino papæ literas misit praui dogmatis, quas ille cum apostolicæ sedis cõcilio respuit. Et huius rei causa fecit picturas in porticu sancti Petri, quæ acta 6 sanctarum synodorum vniuersalium continerent. Nam & huiusmodi picturas quum haberentur in vrbe regia, Philippicus iussit auferri. Statuitq; populus Romanus, ne hæretici imperatoris nomen, aut chartas vel figuram solidi, reciperent: vnde nec eius effigies in ecclesia introducta est, nec ad Missam prolata.
713	2	Contra hunc Anastasius insurgẽs, regno oculisq; priuauit.

ANASTASIVS.

ROmanorum 74, Anastasius regnauit annis tribus.

Anni Chr.	*Anni Anast*	
714	1	Anastasius imperator literas Constantino papæ Romam per Scholasticum patricium & hexarchum Italiæ direxit, quibus se fautorem catholicæ fidei, & sancti sexti concilij præditorem esse dixit. Constantinus papa obijt, 6 Id. Ianuarij.
715	2	¶ Gregorius 90 post Petrum sedit annis 16, mensibus 8, qui Bonifacium Scotum ordinauit episcopum Moguntinensem: & per eum Germania verbum salutis audiuit Gregorij tempore, indictione 4, visa est Luna cruenta vsq; ad mediam noctem.

Pipinus filius Ansgisi, Anchilæ Troiani nomine appellati, dux Frãcorum, post mortem Volfaldi ducis partem Austriæ regebat, obtinuitq; regnum Francorum per annos 27, cum regib⁹ Ludouico, Hildeberto & Dagoberto.

Anastasius imperator anno 2 obijt. Carolus huius filius, qui & Maior domus, ex Adelheida quam posthabita priore conIuge Biltrude, duxit vxorem; sub honore Maior domat⁹ tenuit regnum Frãcorum annis

annis 27, vsque ad filios suos Carlomannum & Pipinum. Luitprandus rex Longobardorum donationem patrimonii alpium Cocciarum, quã Erebertus rex fecerat, Gregorii monitione confirmauit.

Egebertus Anglus, vir sanctus, Scotos conuertit, anno incarnationis 715, iuxta Dionysium. Gregorius papa statuit, vt in Quadragesimali tempore ieiunium atq; missarum celebritas fieret. Dagobertus postquam regnauit annis 5, obiit. Franci Danahelem quendam clericum, regem faciunt, atque Hilpricum vocant. Post mortẽ Pipini Carolus à Biltrude nouerca incarceratus, liberatur Dei auxilio. Tunc exercitum mouent iuxta Mosam contra Carolũ etiam Phrysones Rachone duce: Carolus cæsus fuga discessit.

Anni Chr.	Anni Anast.
716	2

Raginfridus maior dom⁹, & Hilpericus rex fines Colonienſium & regiones ad Rhenum vastant: contra Carolum munerati à Biltrude reuertuntur.

THEODOSIVS.

ROmanorum 75. Theodosius, regnauit anno vno.

Anni Chr.	Anni Theo.
717	1

Anastasius Theodosium imp. facit: qui apud Nicæam victus, 7000 militum amisit, captus, clericusq; factus. Theodosius vero catholic⁹, mox in regia vrbe imaginem illam venerãdam, in qua 6 synodi erant depictæ, & à Philippico fuerat deiecta, pristino in loco erexit.

Tiberis fluuius alueum suum egressus, indictione 1, multa Romæ fecit exitia, ita vt in via Latina ad vnã & semis staturam excresceret, atque à porta sancti Petri vsque ad pontem Miluium aquæ descendentes se coniungerent. Mansit aũt diebus 7, donec agẽtibus litanias crebras ciuibus, demum die 8 reuertitur. Beda sic: Multi de Britannia Anglorum Romam venerunt, inter quos reuerendissimus abbas me⁹ Ceolfridus, annos natus 74, quũ esset presbyter annis 47, abbas autem 35, vbi Lingonas peruenit, ibi defunctus, atque in Ecclesia sanctorũ Geminorum martyrum sepultus est: qui inter alia donaria misit ecclesię sancti Petri Pentateuchum à beato Hieronymo in Latinum ex Hebræo translatum. Raginfridus & Hilpricus rex, in Vinciaco, dominica die illucescente 12 Cal. Aprilis, in Quadragesima ante Pascha, cum Carolo pugnantes, terga vertunt: quos Carolus fugiẽtes cędendo persequitur vsq; ad ciuitatem Parisiensium. His tẽporibus Vinfridus, qui postea quum Episcopus ordinaretur, Bonifacii nomen accepit, doctor catholic⁹, natione Anglus, primum Romã, deinde cum authoritate Gregorii papæ, in Franciam ad prædicãdum verbum Dei venit.

LEO IV.

ROmanorum 76, Leo, regnauit annis 9, & inde annis 15, vsque ad Pipinum primum Francorum imperatorem.

Anni Chr.	Anni Leon.
718	1

Saraceni cum immenso exercitu Cõstantinopolim venientes triennio ciuitatem obsident, donec ciues multa instantia orationum ad Dominum clamauerunt. Tunc multi Saraceni fame, frigore & peste perierunt: eorum pars ab obsidiõe abscedit. Qui inde regressi, Bulgarorum gentem quæ est super Danubiũ, bello aggrediuntur: sed ab hac victi refugiunt, ac naues repetunt suas. Sed quum altum maris peterent, ingruente subita tempestate, plurimi mersi sunt: plurimæ etiam naues eorum mersæ & confractæ. Carolus victor regrediens, Coloniam venit, receptisq; ab Hiltrude thesauris patris sui, regem sibi constituit Lotharium, nomine non potestate. Hilpricus vero & Raginfridus, auxilio Vdonis Aquitanorum ducis instaurata rursus acie, superati fugantur à Carolo. Carolus ad Vdonem mittit, & Hilpricum qui ad eum cõfugerat, per legatos recepit. Et eo tẽpore Lotharius mortuus est.

|719 | 2 | Sanctus Bonifacius à præsule sedis apostolicæ Gregorio, Moguntiacæ ciuitati metropoli Germaniæ archiepiscopus ordinatur, & legat⁹ Germanicus Romanæ Ecclesiæ in Franciam mittitur: qui prædicatione sua multos Thuringorum populos, Hessorum & Austrasiorum ad fidem rectam à qua diu aberrauerant, conuertit. Monasteria sexus vtriusq; primo instituit Germaniæ.

| 720 | 3 | Mortuo Hilprico, No-

uiomago ciuitate sepultus est. Regnauit annis 5 & dimidio. Franci vero cum Carolo qui & Maior domus, & Tiectericum Cala monasterio enutritum, filium Dagoberti iunioris, regem super se statuunt; & annis 6 in regno substitit.

Anni Chr.	*Anni Leon.*	
721	4	Carolus Raginfridum persequens, Andegauis ciuitatem capit; postea ad Saxones victor regreditur.
722	5	Iuramentum sancti Bonifacii in Ecclesia sancti Petri coram papa Gregorio 2, Leonis imperatoris anno 6, sed & Constantini filii eius.
723	6	
724	7	Iterum Alemanni & Norici pacis iura temerare nituntur.
725	8	Carol⁹ transito Lige re Vdonē fugat, vastata & incensa regione eius. Saraceni ab Vdone in auxiliū vocati, cum rege suo Abdira Magaronnam Burdegalemq; perueniunt: cunctis locis vastatis & incensis, & Ecclesiis igne crematis, & basilicam sancti Hilarii Pictauis incendunt. Carolus autē Saracenis cum manu valida occurrens, regem eorū cum 375000 prostrauit, & 1500 de exercitu Francorum tantum occisis, deuictisq; hostibus, cum triūpho regreditur. Hoc anno Beda computator minorem librum Computi componit, ipso ita testante: Si vis nosse per annos singulos quot sunt epactæ, sume annos Domini iuxta Dionysium, quot fuerunt: vtputa in præsenti octaua indictione, partire per nouēdecim decies nouies triceni quingenti septuaginta, decies nouies octoni cētum quinquagies dipōdius, remanēt tres: tolle triginta, remanent tres: isti tres, sunt tres ectę præ sentis anni.
726	9	
727	10	Epistola Gregorii papæ secundi ad Bonifacium archiepiscopum, data decimo Calēdis Decembris, imperatoris Leonis anno decimo, sed & Constantini regni anno 9, indictione decima.
728	11	A Longobardis indictiōe vndecima peruasum est Sutrinse castellū, & quadraginta diebus possessum abeis, donec Gregorii papæ continuis scriptis & donationibus dimiserunt. Mense Ianuarii duodecim plenis diebus stella quæ Lucifer dicitur, apparuit in Occidua, radians in Aquilone & ad medium cœlum tempore Gregorii papæ secundi.

Hoc etiam anno Vdo dux moritūr, & Carolus Aquitaniæ prouinciam absque bello recepit.

Anni Chr.	*Anni Leon.*	
729	12	Carolus nauali euectione regnum Phrysonum ingreditur: interfectisque quam plurimis, Popponem ducem eorum interimit, subuersisque lucis & phanis victor cū præda magna reuertitur. Beda venerabilis presbyter obiit, secundo calēdarum Iunii. Carol⁹ Burgundiam petens, Arelatem, Lugdunum, & ciuitates reliquas suæ ditioni subegit.
730	13	Saraceni collecto exercitu Auenionem vrbem capiunt, & circū quasque regiones deuastant. Carolus hoc audito sumptis armis Auenionem vrbem obsidione vallat, instructisq; machinis, magnisq; copiis magnam Saracenorum stragem effecit hoc tempore.
731	14	Gregorius papa secundus obiit tertio idus Februarii, indictione decimaquarta, Leone & Constantino imperantibus.
732	15	¶ Gregorius tertius, papa nonagesimus primus post Petrum, sedit annis decem. Hic constituit in Missa, Quorum solennitas hodie: & reliqua vsque, Largitor admitte per Christum Dominum nostrum.
733	16	Carolus Gothorum fines penetrans, Narbonam vrbem obsidet rege Saracenorum Achima intus incluso. Saraceni autem audiētes vrbem obsessam, de Hispania armati superueniunt: contra quos Carolus dimicās, regem cum populo vsque ad internecionem deleuit. Saraceni à Carolo in bello superati. Qui gladium effugere poterant, ascēsis nauibus demersi sunt in mari.
734	17	Luitprandus rex Longobardorum audiens, quod Saraceni depopulata Sardinia, etiam loca illa fœdarēt, vbi ossa sancti Augustini Episcopi ppter vastationem barbarorum olim translata, & honorifice fuerant recondita: misit ergo & dato precio magno accepit, & transtulit ea in Ticinis, ibique cum debito tanto patri honore recondidit. Franci Carolo duce Saracenos proterunt, prędā magnā ducentes & captiuorum multitudinem.
735	18	Regionem Gothorum Carolus cum Francis ingressus, vrbes famosissi-

Libri Secvndi Finis.

mosissimas, Nemausum, Achaten, & reliqua castella capit, destructis muris & mœniis earum vsque ad fundamenta.

Anni	*Anni*
Chr.	*Leon.*
736	19	
737	20	Carolus Saxones tributarios facit.
738	21	Carolus regionem Prouinciam ingressus, Maurontem ducem qui dudum Saracenos per dolum inuitauerat, fugere omnino compulit.
739	22	Carolus Prouinciam totam, & cuncta eius maritima loca suæ ditioni subegit.
740	23	Pax & quies regno Francorum per Carolum redditur ad tempus, Gothis superatis, Saxonibus & Phrysonib. subactis, expulsis Saracenis, prouincialib. receptis. Cyclus decēnoualis duodecimus, indictione nona.
741	24	Epistola Gregorii tertii ad Bonifacium Scotum, Moguntinum archiepiscopum, data quarta Calendis Nouembtis, Leonis imperii anno vigesimo tertio, & Constantini filii eius vigesimo, indictione octaua. Gregorius tertius papa obiit quarto Calendis Decembris, indictione decima. Carolus senior filius Pipini senioris, anno regni sui vigesimo septimo moritur Parisiis, & apud sanctum Dionysium sepelitur. Cuius filii, Carlomannus & Pipinus, sub obtentu Maiordomatus totius Franciæ regnū suscipiūt, & inter se diuidunt. Leo imperator obiit, cui successit Constantinus filius eius.

¶ Hucusque Beda presbyter, vltimus Chronographorū, Cassiodori aliorumq; temporibus prætermissa cōscripsit. Hinc nullus Chronographus adnotatur vsque ad tempora Mariani Scoti, nisi quod Eynhardus cancellarius Magni Caroli imperatoris, atq, alii gesta Temporum conscripserunt.

LIBRI SECVNDI FINIS.

MARIANI SCOTI, HISTORIOGRAPHI SVI TEMPORIS CLARISSIMI, AC MONACHI FVLDENSIS, CHRONICORVM

Liber tertius.

PIPINVS.

ROMANORVM 77, Pipinus, filius Caroli, primus Francorum imperator, regnauit annis vigintiseptem.

Anni Chr.	*Anni Pipin.*	
742	1	Zacharias, 92 papa post Petrum, sedit annis 11. Pipinus & Carlomannus Hunoldum Aquitaniæ ducem, imperio suo resistẽtem, superatum bello, ad Vascones fugere compulerũt: simul & Alemannos, Theobaldo duce rebellare tentantes, mira celeritate comprimunt.
743	2	Sanctus Bonifacius Moguntinus archiepiscopus clarus habetur. Epistola Zachariæ papæ ad Bonifacium Scotũ, Moguntinẽsem archiepiscopum, data Calẽdis Aprilis, 24 anno regni Constãtini, sed imperii eius anno 2, indictione 11. Alia epistola Zachariæ papæ ad Bonifaciũ archiepiscopũ, data nonis Ianuariis, anno imperii Cõstantini 6, indictione 15. Alia epistola eiusdem ad Bonifacium archiepiscopum, data Calendis Maii, anno imperii Constantini 7, indictione 1. Alia epistola eiusdem Zachariæ papæ ad Bonifacium, data 2 nonis Nouembris, anno imperii Cõstantini 11, indictione 5. Pipinꝰ & Carlomannus Vdilonem ducem Bauarorum rebellare conãtem bello superant.
744	3	Carlomannus cum Vdilone Bauarorum duce pacem fecit. His temporibus fundari cœptum est Fuldense cœnobium à sancto Bonifacio, in solitudine Bothonia.
745	4	Pipinus & Carlomannus simul Saxonum perfidiam vlciscuntur, vastata eorum regione, & castrum Ohsenburg capiunt. Carlomannus rex, frater imperatoris, cum fratre tractat seculum dimittere.
746	5	Carlomannus Alamannos iterum res nouas molientes, nonnullis eorum interfectis, compescuit. Sanctus Bonifacius archiepiscopus cũ autoritate sedis apostolicæ, annuẽte Carlomanno rege, duas sedes episcopales cõstituit; vnam in castro Wirzeburg, vbi Burchardũ collegam suum ordinauit episcopum; alteram in loco qui vocatur Eysthad, cui Wilibaldus Episcopus ordinatus est.
747	6	Carlomannus pergẽs Romam, consecratur à papa Zacharia, & in monte Soracte apud Ecclesiam sancti Syluestri constructo monasterio, cum fratribus secũ ad hoc venientibus, per aliquot annos perfruitur. Sed ob insolẽtiam Francorum Romam visitantium, qui eum velut dominum suum quondã præterire nolebant, ad monasterium sancti Benedicti situm in castro Cassino secessit, vbi postea regulariter vixit.
748	7	Grypho fugit in Saxoniam, ob metum imperatoris Pipini.
749	8	Grypho iterum de Saxonia reuertitur.
750	9	Burchardus primus Episcopus Wirzeburgensis cõsecratur, & sedit annis nouem. Pipinus, missa Romam legatione, Zachariam papam interrogat de regibus Frãcorũ ex antiqua Merouingorum stirpe descendentium: qui Reges quidẽ dicebantur, sed potestas regni tota apud Maiorẽ domꝰ habebatur; excepto quod chartæ & priuilegia regis nomine scribebãtur, & ad Martis campum qui rex dicebatur, plaustrum bubus trahẽtibus vectus, atque in loco eminenti sedens, semel in anno à populis visus, publica dona solenniter sibi oblata suscipiebat, stante coram Maiore domus, & quæ deinceps eo anno agenda essent, populis annunciante. Sicq; rege domum redeunte, cætera regni negotia Maior domus administrabat. Orat ergo sibi decerni, quis eorũ rex iuste dici debeat & esse; is qui securus domi sedeat, an ille qui curã totius regni & omnium negotiorũ molestiam per-

rat. Tunc Zacharias papa ex authoritate sancti Petri apostoli mandat populo Frãcorum, vt Pipinus qui potestate regia vtebatur, etiam nominis dignitate frueretur. Ita Hildericus rex qui vltimus Merouingorum Francis imperabat, depositus, & in monasterium missus est. Pipinus vero in ciuitate Suessionum à sancto Bonifacio archiepiscopo in regem vnctus, regni honore sublimatus est: & deinde ob id, post papam secũdus habetur Moguntinus archiepiscopus, vsque in hodiernũ diem. Grypho, frater Pipini, à comitibus fratris sui occisus est.

Anni Chr.	Anni Pipin.
751	10	Zacharias papa obiit idibus Martiis, indictione quinta.
752	11	¶ Stephanus, nonagesimus secundus papa post Petrum, sedit annis 5, mense 1.
753	12	Stephanus papa, & Carlomãnus monachus, frater Pipini regis, venerunt ad Pipinum in Frãciam, petentes auxilium contra Haistulphum regem Longobardorum, à quo honorifice susceptisunt. Papa etiam apud Parisios duos eius filios, Carolum scilicet, & Carlomãnum, vnxit in reges.
754	13	Sanctus Bonifacius annunciãs verbum Dei in Phrysia, passus est cum aliis martyribus, nonis Iunii, anno Episcopatus sui trigesimo sexto. Pipinꝰ imperator Italiam intrauit, & bellum contra regem Longobardorum suscepit. Quem paucorum dierum obsidione apud Ticinum compulit, & obsides dare, & crepta Romanis oppida restituere, atq; castella, & vt reddita non repeterẽtur, iacramento fidem facere.
755	14	Lullus post Bonifacium successit in Episcopatu, annis triginta & duobus.
756	15
757	16	Organum primitus venit in Franciam, missum Pipino regi à Constantino imperatore de Græcia.

Haistulphus rex Longobardorum, in venatione quadam equo lapsus, regnum cum vita perdidit. Stephanus papa obiit quinto Calẽdis Maii, indictione decima.

¶ Huic succeſſit germanus eius, Paulus, tempore Leonis & Constantini imperatorum, sedit annis decem, mense vno.

Anni Chr.	Anni Pipin.
758	17	Pipinus imperator Saxoniam cum exercitu ingreditur, & Saxonibus superatis tributum imposuit, vt trecentos equos singulis annis sibi soluerẽt.
759	18
760	19	Pipinus imperator Aquitaniam ingreditur, & Vaisarium ducem superans, cum sacramento constrinxit.
761	20	Vaisarius iuramenta mentitus, Pipino molestus efficitur, ferro & igne cuncta vastando Cabillonem vsque peruenit, Pipinumq; cum suis sibi occurrere compulit.
762	21
763	22
764	23
765	24	Tassilo, qui fuit nepos Pipini, de exercitu Regis se subducens, ad Baioarios secessit. Hoc anno Ruggandus, Metẽsis archiepiscopus, corpora sanctorum Naboris & Nazarii de vrbe Roma in Franciam transtulit. Corpus autem sancti Nazarii in monasterio Laurissa conditum est.
766	25
767	26	Pipinus imperator finito Aquitanico bello, cõtra Vaisarium ducem Aquitaniæ ab eo susceptο, per continuos 9 annos gesto, Turonas ad sanctum Martinum orationis causa perrexit.

¶ Antequam mortuus esset Paulus papa, ilico Toco dux Nepesinæ ciuitatis, & Passinus, & Paschalis germanum suum Constantinum laicum, fecerunt papam, & cõminando inuite Georgio Episcopo, compulerunt eum, orationem clericatus eidem Cõstantino tribui: sicq; clericus factus est, & alia die secũda feria subdiaconus, & diaconꝰ illuce scẽte die eodẽ à prędicto Episcopo factus, & dominica die sequenti in basilica sancti Petri cum armata multitudine à Georgio Prænestino Episcopo, & Eusthathio Albanense, & Ciconato Portuẽse, Episcopis tribꝰ, pontifex cõsecratus est: qui cõsecrauit Episcopos 8, presbyteros 8, diaconos 4, & reliqua, per annum, & mẽsem 1. Paulus papa obiit in æstate, & cessauit episcopatꝰ anno 1, mẽse 1, quo Cõstantinus laicus transgressor, apostolicę sedis inuasor extitit. Idẽ Constãtinus, 6 feria, mẽse Iulio, depositus est.

¶ Stephanus papa electus est, & quæsiuit peritos Episcopos à Pipino imperatore,

qui iudicarent Constantinum in synodo. Nuncii papæ venerunt ad Carolum & Carolomānum, quia Pipinus interim obierat, & Constantinus papa cæcatus est. Facto igitur concilio in basilica saluatoris Domini nostri Iesu Christi Romæ, iuxta Lateranum combusserunt omnes sacerdotes Constantinum in medio presbyterii ipsius Ecclesiæ, alapis eius ceruicē priꝰ cędere facientes in ecclesia: sicq; combustus est. Clerꝰ vero, & populus, & papa clamabant Kyrie eleeson, & statuerunt, vt omnes consecrationes eius irritæ essent, præter chrisma & baptisma. Rogauerat autem papa Constantinus Cōstantinum & Leonem Augustos, deprecans eos per imperialem clementiam, vt in ipsis Græciæ partibus Paulum papam exilio mancipatum retineri præcepissent. Paulus papa obiit.

Anni Chr.	*Anni Pipin.*
768	27

Pipinus imperator de sancto Martino egressus, Parisiis ad sanctum Dionysium vix peruenies, ibi morbo aquæ intercutis 9 Calend. Octobris obiit, & ibidem sepultus est.

CAROLVS MAGNVS.

ROmanorum 78, regnauit annis 46, mensibus quatuor, Carolus Magnus, filius Pipini.

Anni Chr.	*Anni Car.*
769	1

¶ Stephanus, 93 papa post Petrum, sedit annis 4.

770	2	Mortuo Pipino rege Franci generali conuentu totum regnum inter filios eius Carolū & Carlomannum æque diuiserunt. Carolus partem patris eius Pipini, Carolomānus vero partem patrui eius Carlomanni suscepit. Carlomannus autem post administratum biennio regnum in villa Salmoniaco obiit, 2 nonis Octobris, & Carolus in toto regno rex constituitur. Stephanus papa obiit.

¶ Adrianus papa 94 post Petrum, sedit annis 23.

771	3	In Oriente apud Mesopotamiam disrupta est terra
772	4	
773	5	ad duo milliaria, vnde
774	6	ascendit humana vox aliquid indicans. Carolus, Hunoldo qui post mortem Vaifarii Aquitaniam inuasit fugato, & Aquitania subiecta, rogatu Adriani papæ in Italiam perrexit: ibi Desiderium regem Longobardorum longa obsidione fatigans, in deditionem suam suscepit: filiumq; eius Adelgisum, in quo omnes spem inclinabant, ab Italia cōpulit, atque Italiam totam subegit: & omnia à Longobardorū regibus erepta tam Romanis quam Adriano papæ restituit, & tunc primum Romam peruenit sabbato sanctæ Paschæ. Interea Saxones in Hessia Francorum terminos vastant. Erat autem ibi in loco qui vocatur Fritilar, basilica, quam sanctus Bonifacius martyr olim dedicās, prophetico spiritu nunquā cremandam esse prædixit. Cui quum pagani toto nisu ignem supponere conarentur, diuino pauore perterriti, fugæ præsidium sumunt. Duo namq; iuuenes in vestibus albis basilicam ab igne defendebāt, quos & Christianis & quibusdam barbaris videre diuinitus concessum est. Vnus tamē ex hostibus iuxta basilicam flexis genibꝰ accliuis, lignis & igni incumbens, specie flantis repertus est mortuus.

Anni Chr.	*Anni Car.*
775	7

Subiecta Italia, Saxonicum bellum, biennio ante Italicū incœptum, repetitum est, & per 33 annos permansit. Quorum Saxonum Carolus *totos* hominum captiuorum cum vxoribus & paruulis per Galliam ac Germaniam dispersit.

776	8	Carolus in Italiam profectus Rutgaudum interfecit: domuit & Britones, qui in Occidente super littus Galliæ residebant.
777	9	
778	10	Saxones, Vindibindo duce eorum suadente, Frācorum terminos vsque ad Rhenum fluuium ferro & igne deuastant.
779	11	Carolus iterum in Saxoniā vadit. Sanctus Sturnus abbas primus Fuldensis obiit: cui successit Baugolphus abbas. Cyclus decennoualis 14 incipit, indictione 2.
780	12	
781	13	Bertha regina obiit.
782	14	Carolus 2 Romam perrexit, ibiq; baptizatus est filius eius Carlomanus, quem Adrianus papa mutato nomine vocauit Pipinum.

783

Anni Chr.	*Anni Car.*	
783	15	Hildegart regina obijt 2 Cal. Martij, vxor Caroli.
784	16	Carolus Faſtradam natione Francam duxit vxorem.
785	17	
786	18	Vittikind Saxo Attiniaci ad fidem Caroli venit, & baptizatus eſt, & Saxonia tota ſubiecta eſt.
787	19	Carolus pergit in Italiam, & matrem ſuam Bertradam defunctam in baſilica ſancti Dionyſij Pariſijs iuxta patrem Pipinum humauit cum magna gloria. Carolus tertio Romam profectus eſt, & ſigna crucis in veſtibus hominum apparuerunt Lullus archiepiſcopus Moguntinus obijt. Richolphus ordinatur in epiſcopum Moguntiæ 4 Non. Mart. apud Fritislar. Sanguis è cœlo & de terra profluxit.
788	20	Carolus à Roma pergit in Beneuentum ad ſanctum Benedictum, & per Alamaniam venit ad Baioariam.
789	21	Baioaria capta eſt. Taſſilo dux Baioarię depoſitus eſt, multis de cauſis. Carolus Sclauos qui dicuntur Vilzi, ſubegit.
790	22	Baſilica ſancti Bonifacij Fuldenſis monaſterij fundatur.
791	23	Carolus perrexit per Hannoniam.
792	24	Carolus Auaros ſubegit, & Hunnorum regnum vaſtat.
793	25	Coniuratio Pipini cõtra patrem ſuum Carolum. Qui conſilio detecto tõ ſuratur, & ſociorum eius alij decollantur, aque alij ſuſpenduntur.
794	26	Hæreſis Feliciana in ſynodo apud Franconofurt habita damnatur. Faſtrada regina de genere Germanorum obijt, & apud ſanctum Albanum ſepelitur: poſtquam Carolus Luitgardam duxit Alamannam.
795	27	
796	28	Adrianus papa obijt in Natiuitate Domini: quem velut fratrem aut chariſſimum filium planxit Carolus, ſeptimo Cal. Ianuarij.
797	29	¶ Leo, 95 poſt Petrum, ſucceſſit annis 20 menſibus 6.
798	30	Romani Leonem papam litania maiore captum excæcauerunt, & linguam eius radicitus abſciderunt: qui in cuſtodiam miſſus, noctu per murum euaſit, & ad legatos Caroli, Virundum abbatem, & Vinegiſum Spoletanorum ducem veniens, Spoletum ductus eſt: & ad regem in Saxoniam apud Paterburnium, præſente Richolpho Moguntino archiepiſcopo, peruenit, à quibus ſummo honore ſuſceptus eſt. Cyclus decennoualis 15 incipit hoc anno, indictione ſexta.

Anni Chr.	*Anni Car.*	
799	31	Carolus propter Leonis papæ cauſam Romam pergit, ibiq; hyemauit. Leo autem papa, poſtquam de eo quæſtione habita in Baſilica ſancti Petri ambonẽ aſcẽdit, poſito ſuper caput ſuum Euangelio, & coram omni populo inuocato ſanctæ Trinitatis nomine, iureiurãdo ab obiectis ſe criminib⁹ purgauit. Carolus hoc tempore, à Romanis Auguſtus appellatus eſt. Anno 32 regni Caroli fuit gelu magnum & amariſſimum, quo pelagus Ponti vſq; ad 100 milliaria in Orientem in glaciem verſum eſt, habens cubitos à ſuperficie in profundum 50.
800	32	
801	33	
802	34	Carolus pontem 500 paſſuum longitudinis trans Rhenum Moguntiaci conſtruxit: tanta enim ibi eſt fluminis latitudo.
803	35	Leo p. venit in Franciã.
804	36	Carolus filius Caroli imperatoris Boemos vaſtat, Lechonem regem eorum occidens. Hoc anno monaſterium ſancti Albini dedicatur, indictione 12. Anno 35 regni Caroli in Oriente apud Thraciam quidam homo fodiens inuenit ſepulchrum hominis, in quo has
805	37	literas pariter inuenit:
806	38	CHRISTVS NASCITVR EX MARIA VIRGINE, ET CREDO IN EVM, SVB CONSTANTINO ET IRENE IMPERATORIBVS (O SOL) ITERVM ME VIDEBIS.
807	39	
808	40	Carolus religionem Chriſtianam qua ab infantia fuit imbutus, ſanctiſſime & quam ſumma pietate coluit: circa pauperes ſuſtentandos & eleemoſynam deuotiſſimus erat.
809	41	Carolus antequam moreretur, quatuor ann. febribus crebro corripiebatur.
810	42	
811	43	Carol⁹, anno regni eius
812	44	in Francia 43, in Italia
813	45	autem 36, imperij au-

no 11, indictione 4, thesauros & vestes cęteraq; omnia diuisit per tres partes. Quarum duas partes per 21 partes, totidem metropolitanis ciuitatibus quæ in regno eius esse noscuntur, partitus est: quarum nomina hæc sunt:

Roma	1,
Rauenna	2,
Mediolanum	3,
Forum Iulij	4,
Gradus	5,
Moguntia	6,
Colonia	7,
Viuauum, quæ & Salzburg	8,
Treueris	9,
Senones	10,
Vesuntium	11,
Lugdunum	12,
Rothomagum	13,
Remis	14,
Areles	15,
Vienna	16,
Tarantasia	17,
Ebrodunum	18,
Burdegala	19,
Turones	20,
Bituriges	21.

Vnusquisq; autem metropolitanus episcopus vnam partem suæ Ecclesię, & duas suffraganeis suis dare debuit. Tertia vero pars, vel vsque ad obitum eius, vel vsque dum vellet carere, in vsu quotidiano haberetur: cuius tunc prima pars prædictis metropolitanis episcopis, ad easdem prędictas partes adderetur: altera, filiis & filiabus nepotibusque: tertia, pauperibus distribueretur; quarta, seruis & ancillis. Precium librorum suorum, quorum magnam in Bibliotheca sua copiam habuit, paupetibus erogare præcepit.

Anni Chr.	*Anni Car.*	
814	46	Pons apud Moguntiam, quem per decennium ingenti labore & mirabili de ligno opere Carolus construxit, anno vno antequam obijt, tribus horis conflagrauit, vt nec hastula de eo remanserit. Pons prædictus apud Moguntiam erat trans Rhenum, quem quia in eo latrones noctu, hominibus in Rhenum proiectis, rapiebant prædam, Richolph⁹ Archiepiscopus Moguntinus comburi præcepit. Post eius mortem Hastulphus successit annis 1. Carolus circa Cal. Nouembr. habito generali conuentu, vocauit ad se de Aquitania Ludouicum filium suum, & quum eum moneret, præcepit ei, vt die Dominico proprijs manibus suis de magno altari Aquisgrani coronam imperij capiti suo superponeret, qui donatis magnis muneribus Aquitaniam perrexit. Carolus autem quum Aquisgrani hyemaret, mense Ianuar. febre correptus est: in quo 5 Cal. Febr. hora diei 3, indictione 7, ætatis suæ anno 72 obijt. & ibidem Aquisgrani eadem die in basilica Saluatoris sanctæque Dei genitricis, quam ipse ex fundamentis erexit, sepultus est.

LVDOVICVS.

ROmanorum 70, Ludouicus regnauit annis 26, mensibus 11.

Anni Chr.	*Anni Lud.*	
15	1	Ludouicus imperator omnem iniustitiam regni sui correxit. Augulfus abbas Fuldensis obijt, iussumq; est, vt omnes monachi cătarent cursum sancti Benedicti.
816	2	Leo papa obijt.
817	3	¶ Stephanus, 96 post Petrum, sedit annis 2, mensibus 7. Cyclus 17 decennoualis incipit, indictione 10. Stephanus papa, obuiante Ludouico imperatore in campo magno Remensium, sequenti die dominico coram omni populo ante missam vnxit eum in imperatorem, & auream coronam miræ pulchritudinis cum preciosissimis gemmis mirabiliter ornatam, de Roma secum portatam, imposuit super caput eius, aliamq; coronam auream Irmingardæ reginæ vocans eam Augustam.
818	4	Stephanus papa, donatis magnis muneribus, & honesto in itinere seruitio ad Romam à rege dimissus, & non longe post obijt.
819	5	¶ Paschalis, 97 papa post Petrum, sedit annis septem.
820	6	Ludouicus imperator Britanniam subegit, ducem Marcomannum occidens: quo inde regrediente, Irmingarda regina febre postea obijt.
821	7	Ludouicus imperator Iudith filiam Velphi ducis Baioariæ reginam sibi sociauit, & in Ingelnheim villa regia generale palatium habuit.
822	8	Ludouicus Sclauos Orientales vastat, eorum ducem Luduit fugans.

gans. Eigil Fuldensis abbas obijt. Rabanus sibi succeſſit.

Anni Chr.	*Anni Lud.*	
823	9	Ludouicus filio ſuo Lothario filiam Hugi comitis coniunxit, ex publico conſenſu.
824	10	Ludouicus Lothariũ fi-
825	11	lium in Italiam direxit, indeq; Francofort peruenit, vbi Natalem Domini celebrauit. Paſchalis papa obijt. ¶Eugenius,98 papa poſt Petrum, ſedit annis 3. Haiſtolfus Moguntinus archiepiſcopus obijt. Otgari⁹ ſibi ſucceſſit. In territorio Tullenſi Commerciaco villa puella duodẽnis poſt ſacram cõmunionem quã in Paſcha à ſacerdote acceperat, primo pane, deinde alijs communib⁹ cibis & potibus ita abſtinuiit, vt nulla penit⁹ corporis alimẽta ꝓcipiens, plenũ triennium ſine omni victus deſiderio cõplerit. Cœpit autẽ ieiunare anno Dominicæ incarnationis 823, anno autem 825 circa Nouembr. menſ. eſcam ſumere, ac more cæterorum mortalium viuere ipſa cœpit.
826	12	Ludouicus imperator vaſtat Britanniam.
827	13	
828	14	Ludouic⁹ imperator in ſuo Ingelnheim palatio Harioldũ regem Danorum de fonte baptiſmatis ſuſcepit, & vxorẽ eius regina Iudith eleuauit. Hil-tum⁹ oſſa Sancti Sebaſtiani martyris tãſtulit in Galliam. Corpora etiam ſanctorum martyrum Marcellini & Petri menſe Nouembri in Franciam allata ſunt. Veti Auguenſis monachus, in ſpiritu raptus, admirabilem viſionem vidit. ¶Eugenio papa defuncto, Valentinus, 99 poſt Petrum, ſucceſſit, q̃ vixit 40 dies, & obijt. ¶Gregorius, papa, 100 poſt Petrum, ſedit annis 16.
829	15	Reliquiæ ſancti Marcellini martyris poſt Paſcha ad palatium delatæ, & per eas ibi miracula facta ſunt.
830	16	Ludouicus imperator Wormatiæ Carolo filio ſuo & Iudith reginæ, terram Alamanicam & Rheticam & partem Burgundiæ dedit coram filijs ſuis Lothario, Ludouico & Pipino, qui tres germani inde ſunt indignati.
831	17	Iudith regina quaſi violata à duce Bernardo, imperatoris ſacro fonte baptiſmatis filio, à primatibus regni velata eſt, & in monaſterium miſſa. Fratres etiã reginæ Conradum & Rodolphum tondentes, & in monaſteriũ mittentes: quos in Noillo palatio ſuper flumen Valum cum veritate ſuperauit rex, & reginam Aquis obuiam ei venientem, iubente papa Gregorio accepit.

Anni Chr.	*Anni Lud.*	
832	18	Bernardus dux in palatio Theodonis corã rege & filijs eius purgauit ſe, quum nullus vel armis eum culpabilem feciſſet.
833	19	Filij regis arripuerunt regnum, patrem dehonorantes.
834	20	Ludouicus imperator à filijs ſuis, id eſt Pipino, Ludouico & Lothario, imperio priuatur; obuiam ei venientibus cũ Gregorio papa, in campo magno qui eſt inter Argentoratum & Baſileam. Tunc ſeparantes reginam ab eo, & mittentes eam in Italiam, in ciuitatem Tartunam, Pipinus in Aquitaniam, Ludouicus in Baioariam perrexit. Lotharius vero patrem ad Compendium palatium, & inde Aquiſgrani duxit, & in cuſtodia incluſit, & ibi celebrauit Natalem domini, patre adhuc incluſo. Poſt Epiphaniam Lotharius coniurauit contra patrem, & compellit patrem ſecum ire ad Compẽdium: quos cum multitudine ſequutus eſt Ludouicus. Et quum prope eſſet, fugit Lotharius: patrem vero duxit Ludouicus ad ſedem regalem Aquiſgrani, & ibi pariter Paſcha celebrauerunt.
835	21	Pipinus & Ludouicus patrem ſuum reſtituerunt in regnum.
836	22	Cyclus decẽnoualis incipit, indictione 14.
837	23	
838	24	Cõiuratio Lotharij iterũ ad Frãcofort, & conuerſum eſt regnũ ad patrem eius. Paudõ diaconus palatij lapſus eſt in Iudaiſmum.
839	25	
840	26	Eclipſis Solis facta eſt 3 Nonis Maij, inter 8 & 9 horam diei, in vigilia Aſcenſionis Domini. Ludouicus imperator dum filium ſuum Lotharium trans Rhenum perſequeretur, morbo grauatur, & in naui per Meni fluuium deducitur, & vix Ingelheim perueniens obijt 11 Cal. Iunij, & inde menſe Martij in ciuitate Metis aſportatur, & in baſilica ſancti Arnolphi ſepelitur.

LOTHARIVS.

ROmanorum 80, Lotharius, regnauit annis quindecim.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Anni Chr.	*Anni Loth.*	
841	1	Ludouicus & Carolus paterno regno priuati, apud Fontaniacum fratrem suum Lotharium bello vincunt: in quo prælio pene ad internecionem occisi sunt Franci, vbi & Adelbertus comes occisus est.
842	2	Tres fratres, Lotharius, Carolus, & Ludouicus regnum Francorum inter se diuiserunt: Carolus Occidentem à Britannico Oceano vsq; ad Moram fluuium obtinuit: Ludouicus Orientem, id est omnem Germaniam vsq; ad Rheni fluenta & nonnullas ciuitates trans Rhenum cum adiacentibus pagis ob copiam vini: Lotharius vero primogenitus & imperator medium inter vtrosq; regnum tenuit, totamq; prouinciam & omnia regna Italiæ cum ipsa Roma obtinuit. Ab hoc Lotharionio regnum Lothringum hactenus nominatur.
843	3	
844	4	¶ Sergius, 101 papa post Petrum, sedit annis 3.
845	5	
846	6	Lotharius imperator regem Sclauorum Gestimulum occidit.
847	7	Otgarius Moguntinus
848	8	archiepiscopus obijt. Ra-
849	9	banus abbas Fuldensis
850	10	sibi successit. Hatto fit
851	11	abbas. Sergius papa ob-
852	12	ijt. ¶ Huic successit Leo, annis 8. Irmingardis coniunx vxor Lotharij obijt: reliquit tres filios, Ludouicum, Lotharium & Carolum. Ludouicus filius Ludouici Pannoniam subegit, & Bohemos domum rediens cremauit.
853	13	Leo papa obijt cal. Aug.
854	14	¶ Huic successit Ioanna, mulier, annis 2, mensibus 5, diebus 4.
855	15	Cyclus decennoualis 15 incipit, indictione 3. Lotharius imperator, conuocatis primoribus regni, imperium inter filios suos diuisit. Ludouico quidam Italiam tradidit, eumq; imperatorem nomine suo appellare fecit: Lothario vero regnum, quod ex suo nomine vocatum est, concessit. Carolo autem iuniori ipsorum prouinciam mandauit. Qui ita disponens, seculum reliquit, & in Prumiam monasterium venit, postquam habitum sanctæ conuersationis accepit monachorum, eodem anno 3 Calendis Octobris obijt. Eo etiam anno Ludouicus rex cum magno exercitu perrexit contra Ratzidum regem Maruhensium.

LOTHARIVS II.

ROmanorum 81, Ludouicus, qui & Lotharius, regnauit annis 15.

Anni Chr.	*Anni Loth.*	
856	1	Rabanus archiepiscopus Moguntinus obijt, Carolus ei successit.
857	2	¶ Benedictus, 103 papa post Petrum, sedit annis 2, mensibus 6, diebus 6.
858	3	
859	4	
860	5	¶ Nicolaus, 104 post Petrum, sedit annis 8, diebus 9.
861	6	Megingradus eremita martyrizatur.
862	7	Hatto abbas Fuldensis ecclesiæ obijt.
863	8	Carolus Moguntinus archiepiscopus obijt, cui Luitbertus successit.
864	9	Lotharius imperator,
865	10	quia Tietburgam vxo-
866	11	rem legitimam recula-
867	12	re vellet, & quã exosam
868	13	habebat propter Val- dradam suam concubinam, sororem Gunthari Colonien sis archiepiscopi: quam quum adolescens esset, in domo paterna nimio diligebat amore. Fratres ergo reginæ hoc ad Nicolaum papam Romam deferunt. Inde Nicolaus papa Arsenium episcopum apocrisiarium & consiliarium suum vice sua in Franciam anno isto direxit. Qui quum veniisset, conuocato conuentu episcoporum, antequam protinus anathematis gladio feriretur, necessitate constrictus Lotharius, vellet nollet, reginam in matrimonium recepit: impositoq; iurisiurandi sacramẽto, ne eam à se separaret, neq; ipsa viuente aliam superducere. Sed postea, regina proiecta, & Valdrada pro ea inducta, annitentibus in hoc plurimum Tietgaudo Treuerensi archiepiscopo, & Gunthero Colonien si archiepiscopo, sanctus Nicolaus papa, 3 Non. Febr. in Purificatione beatæ Mariæ, Valdradam anathematis sententia abomni consortio sanctæ ecclesiæ excommunicauit.
869	14	Cometa visus est manifestissime hoc anno. In his etiam diebus, à plurimis visus est canis Treueris sedere super cathedram episcopalem. Sanctus Nicolaus papa obijt, 8 Idus Decembr.

Anni Chr.	Anni Loth.	
870	15	¶ Adrianus, 105 post Petrum, sedit annis 2. Lotharius quum audisset mortem Nicolai papæ, misit ad Adrianum papam, rogans vt cũ gratia eum susciperet. Cui papa rescribens dixit, si se inuicem ab obiectis sibi prædictis criminibus sciret, vt ad appetitam sancti Petri benedictionẽ peruenire: si culpabilem, vt condigna pœnitentiæ remedia susciperet, nihilominus sine dilatione veniret. Qui quum Romam venisset, ab Adriano papa honorifice susceptus est. Qui quum a papa interrogat⁹ fuisset, si præcepta sancti Nicolai, imo beati Petri, & iusiurandũ dominici corporis obseruaret, respondit, se ita obseruasse omnia, ac si diuinitus sibi essent imperata. Quod etiam proceres ac optimates sui cũ eo testificati sũt. Cui papa dixit: Oportet te ergo (fili charissime) corpus Christi nobiscum participare, vt per hanc participationẽ membris Christi vnde videbaris abscissus, in corpore Christi inseri merearis. Papa itaque celebrata missa, hora communicationis accipiens corpus Christi in manibus suis, dixit Lotharío: Si innoxius es à prædictis criminibus, remissio sit tibi hæc cõmunicatio: sin autem, nequaquam sumere præsumas, ne forte ad iudicium & condemnationem tibi perueniat. Rex autem captus mente, obduratus pariter & obcæcatus, absque retractione communicauit. Deinde papa ad sequaces & fautores regis dixit singulis: Si tu cum rege tuo, in adulterio non communicasti; hæc communio corporis Christi sit tibi in vitam æternam. Nullus autem in scelere regi consentiens qui cõmunicauit, post annum vixit. Lotharius vero imperator Roma egressus, morbo corripitur, & perueniens Placentiam obijt 6 Id. Augu. Inde etiam in populo mortalitas maxima facta est. Cuius regnum Ludouicus & Carolus senior, duo fratres eius, in loco Marsana iuxta Mosam, vna cum procerib⁹ & optimatibus suis, æquis partibus inter se diuiserunt. Carolus ad Heristellung perrexit: cuius palatium ei acciderat.

LVDOVICVS II.

ROmanorum 82, Ludouicus filius Lotharij vel Ludouici, regnauit annis 4.

Anni Chr.	Anni Lud.	
871	1	Adrianus papa obijt.
872	2	¶ Ioannes, 106 papa post Petrum, sedit annis 10, diebus 2.
873	3	Ludouico imperatore Romam veniente, ibique conuentum celebrante coram papa Ioanne, Adelgisus dux Beneuentan⁹, Græcorum persuasionibus corruptus, contra Ludouicum imperatorem manum eleuans, à senatu tyrannus atque hostis reipublicæ proclamatur, & bellum cõtra eum decernitur. Ictu fulminis Wormatia comburitur, eodem anno.
874	4	Ludouicus imperator Cæsar Italiæ obijt, & Carolus senior, rex Italiæ & Galliæ Romam perrexit. Cyclus 19 decẽnoualis incipit, indictione 7.

CAROLVS II.

ROmanorum 83, Carolus, regnauit annis duobus.

Anni Chr.	Anni Car.	
875	1	Carolus Romã perueniens, datis Ioanni papæ magnis munerib⁹, imperator factus est. Ludouicus autem frater Caroli apud Francofort palatium obijt 5 Cal. Septembr. & sepultus in monasterio sancti Nazarij Loressan. Hic ex regina nomine Hemma 3 filios habuit, id est Carlomannum Arnoldi patrem, & Ludouicum Carolumq; iuniorem postea imperatorem. Carolus autem senior audiens mortem fratris sui, ad Aquis palatium venit: & ibi paucis diebus moratus, ad Coloniam inde profectus est. Carlomannus vero primogenitus Ludouici fines Italiæ intrauit, quia Carolus senior inde recessit. Carolus autem frater eius in Alemannia morabatur. Porro Ludouicus, qui ad obitũ fratris patris apud Francofort fuit, in principali sede oriẽtalis regni residebat. Qui quoq; Carolũ seniorẽ 8 Id. Octob. bello in pago Meginensi nomine Ripuaria nõ longe ab Andirnachin castello iuxta Rhenum pugnantem, vltra 50000 superauit. Deinde tres fratres, in loco qui dicitur Salefelt, inter se regnum paternum diuiserunt. Carlomannus Boariam, Pannoniam, Carnutum, & regna Sclauorum Bohemiensium; Ludouicus Orientalem Franciam, Turingiam, Saxoniam & Phrysiam, & partem Lotharij regni; Carolus Alemanniam, & aliquas ciuitates ex regno Lotharij tenuit.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Anni Chr.	Anni Car.	
876	2	Carolus imperator Romam secundo profectus est, & ab vrbe Roma in Pragam reuersus, Bosoni germano suo, Richildis reginæ filio, Irmingardam filiam Ludouici imp. cum maxima gloria vxorauit, deditq; ei Prouinciã: & corona capiti eius imposita, regẽ eum iussit appellare. Et inde euolutis diebus paucis Papiam ingreditur: in qua quum rempublicã disponeret, repẽte nunciatum est ei, Carlomannum cum ingenti multitudine armatorum Longobardorũ regnum introisse. Qui mox pauore solutus, Ticinum Padumque pertransijt, & summo annisu in Gallias repedare contendit. Sed priusquam Alpium præeminentia iuga, angustaq; itinera attingeret, ægritudine tunditur, de qua protinus 2 Non. Octob. obijt. Cuius corpus in feretro extra Italiam leuauerunt: sed ob intolerabilem fœtorem eius compulsi sunt illud terræ mandare: post aliquot annos ossa eius translata sunt Parisijs, & in monasterio sancti Dionysij honorifice sepulta.

Lvdovicvs iii.

ROmanorum 83 (at ordine 84) Ludouicus, qui vocabatur Balbus, eo quod impeditioris esset eloquij, Caroli filius regnauit annis duobus.

Anni Chr.	Anni Lud.	
877	1	
878	2	Ludouicus Balbus obijt, 3 filios relinquens, id est Ludouicum, & Carlomannum ex puella nomine Ansgrad, interdicta à Carolo patre suo, quia sine consilio suo vxorauit eam, pater sibi vxorem Adelheit coniunxit: quæ post mortem viri genuit filium, aui nomine, id est Carolum. Eclipsis solis facta est, 4 Cal. Nouembris.

Carolvs iii.

ROmanorum 84, Carolus iunior, cum distortis cruribus regnauit annis 10.

Anni Chr.	Anni Car.	
879	1	
880	2	Boso germanus Caroli senioris occupare regnum nitens, à filijs Balbi persequutus est & fugatus.
881	3	Carlomãnus maior, rex Baioariæ, pater Arnoldi, obijt paralysi 7 Non. April. sepultusq; in Odingas, in Baioaria. Ludouicus frater eius possidens regnum suum, concessit Arnoldo Carantanum quod ei pater dederat.
882	4	Carolus iunior ex Alamannia egressus, Longobardorum fines possidens, in paucis diebus totam Italiam accepit: & Romam perueniens, à papa Ioanne & senatu imperator factus est.
883	5	Ludouicus rex, frater imper. obijt Francoforti 13 Calend. Septembr. sepultusq; est in cœnobio cum patre.
884	6	Ludouicus filius Balbi obijt apud sanctum Dionysium, vbi & sepultus est: cuius regnum frater eius Carlomannus accepit. Bertholfus Treuirorum episcopus obijt 4 Idus Febr. Cui successit Rabboto 6 Idus Aprilis, qui Rubertum episcopum Metensis ecclesiæ consecrauit, 17 Calend. Maij.
885	7	¶ Marinus, 107 papa post Petrũ, sedit anno vno, mensibus 5.
886	8	Carlomannus filius Balbi obijt, & sepultus est apud sanctum Dionysium, cum fratre suo.
887	9	¶ Agapetus, 108 post Petrum, sedit anno 1. Carolus imper. corpore & animo cœpit ægrotare mense Nouem. circa transitum sancti Martini. Tunc tribunus veniens conuentum conuocauit. Tunc cernẽtes optimates regni, imperatorem non solum viribus corporis, sed etiam animi defeciſſe, Arnoldum Carlomãni filium vltro in regnum attrahunt, & ab imperatore ita intra triduũ deficiũt, vt cum ipso vix aliqs remaneret, qui ei saltẽ officia humanitatis impenderet. Cibus .n. & potus ex Liberti episcopi Mogũtini sumptibus præstabatur. Cui supplicãti Arnoldus nõnullos in Alamãnia fiscos concessit. Hui⁹ Caroli imp. anno 6, gens Danorum, qui & Normanni vocantur, copiosa nimis classe Oceanũ permeans, Francorũ ex improuiso terminos occupauit, ac in sabbato sanctę Paschæ ciuitatem Nãnetis combusserunt, & episcopũ eius cũ clero suo, dum fontem sacri baptismatis benediceret, cũ maxima multitudine populi trucidauerũt. Tulpiacum, Iuliacũ, Aquis, Hindam, Stabulaus, Prumiam ac Numago, Regium castrum, deinde Coloniam Bon-

Bonnã, Metis, Treuerim, cum aliis quam plurimis in Gallia ac Germania locis ferro & igni ad nihilum redegerunt. Magna igitur parte regni Francorum vastata ab eis, Carolus directo contra eos exercitu, arte cuiusdam Franci ac solertia, nomine Ottonis qui erat dux belli, centum millia vna die ex eis prostrauit, & cæteros fuga elapsos Francia excedere compulit. Agapetus papa obiit.

ARNOLDVS.

ROmanorum 85, Arnoldus Baioarius, regnauit annis 12.

Anni Chr.	*Anni Arn.*
888	1	Arnoldus compositis in Francia feliciter rebus, in Baioariam reuertitur. ¶ Adrianus papa sedit anno 1, mensibus 4. Carolus imperator obiit 21 die Iunii, & sepultus in Augea insula.
889	2	Lutbert⁹ episcopus Mogunti nus obiit. Sanctus Sunderoldus sibi successit. Mortuo Carolo quædã pars populi Italici Berengarium filiũ Eberhardi, qui ducatum Foroiulianorũ tenebat, regem sibi statuit: quidam vero Vidonẽ filium Lamperti ducem Spoletanorũ regia dignitate sublimandũ decernunt. Sed post tãtas strages inter eos factas, Vido victor existens, Berengarium regno expulit.
890	3	¶ Basilius, sedit annis 4.
891	4	Normanni Wormaciam ciuitatem occisis habitatoribus subuerterũt: vbi etiam Sunderoldus archiepiscopus Moguntinensis occisus est, sabbato 6 Calendis Iulii.
892	5	Cyclus 20 decennoualis,
893	6	indictione 11.
894	7	¶ Stephanus sedit annis 6. Arnoldus rex cum valida manu & forti exercitu Longobardorum terminos intrauit, & vsq; Placentiam peruenit: inde conuersus, per Alpes Penninas Galliam intrauit, & vsque sanctum Maurum peruenit. Prælium magnum factum est inter Bauaros & Vngaros.
895	8	Vido qui nomine imperatoris Italiam regebat, obiit. Lampertus filius eius, regnum obtinẽs, diadema imperii à papa sibi fecit imponi. Synodus 96 episcoporum, qui cum abbatibus probatisq; multis clericis Tribuas in monasterio residentes, contra plerosq; seculares, qui episcopalem autoritatẽ minuere tentauerunt, plurima decreta super statum sanctæ Ecclesiæ scripta roborauerunt. ¶ Formosus papa sedit annis 5, mensibus 6. Arnoldus rex Wormatiam venit, ibiq; omnib. optimatibus regni sui sibi occurrentibus, conuentum publicum celebrauit. In quo omnib. collaudãtib. Kindibold dum filium suum regno Lotharii pfecit.

Anni Chr.	*Anni Arn.*
895	9	Deinde secundo Arnold⁹ Italiam ingressus, Romam peruenit, & vrbem cum cõsensu Formosi papæ armis cepit, q̃ retro ante, Natiuitatis Domini tempore, semel factum erat. Mater autem ducis Lamperti, quæ ad prelium à filio relicta fuerat, cum suis latẽter aufugit. Arnoldus vero vrbẽ ingressus, cum magno honore à Formoso papa susceptꝰ, & ante confessionem sancti Petri imperator factus est. Eodem anno Lampertus nomine imperatoris obiit: & Ludouicus filius Bosonis fratris Caroli senioris, à Longobardis inuitatꝰ, à Prouincia egressus Italiam intrauit.
897	10	Kindiboldus hortatu Arnoldi patris sui Oddonis comitis filiam nomine Hidam post Pascha sibi vxorem sociauit.
898	11	In Italia inter Ludouicum filium Bosonis & Berengarium multa certamina sunt gesta.
899	12	Vngari Italiam multum vastãt. Hoc etiã anno Arnoldꝰ imperator obiit, tertio Cal. Decembris, sepultusq; est Modingas, vbi & pater eius iacet.

LVDOVICVS.

ROmanorum 86, Ludouicus filius Arnoldi, regnauit annis 12.

Anni Chr.	*Anni Lud.*
900	1	¶ Bonifaciꝰ sedit diebus, 15. Ludouicum filium Arnoldi, 2 nonis Febr. anno ætatis suæ 7. quem ex legitimo matrimonio Arnoldus genuit, proceres & optimates regem super se constituunt, & coronatum & regiis ornamentis indutum, ad Forchiam congregati in vnum, in fastigio regni eleuant. ¶ Stephanus papa, sedit anno 1.
901	2	¶ Romanꝰ sedit mensibus 4. Kindiboldus filius Arnoldi necatur.
902	3	¶ Theodorus, diebus 20. ¶ Ioannes sedit annis 2. Stephanꝰ comes

frater Valonis, quum in secessu residens nocturnis horis aluum purgaret, sagitta per fenestram percutitur.

Anni Chr.	*Anni Lud.*	
903	4	¶ Benedictus sedit mensibus 5. Sclaui vastauerunt
904	5	

Saxoniam. Focho Remorum archiepiscopus à quodam satellite Baldeuini comitis, nomine Vimmaro, occisus est: cui successit Henric⁹, qui cũ multis aliis episcopis eundẽ Vimmarum pro tãto scelere perpetuo anathemate excommunicauit.

| 905 | 6 | Ludouic⁹ filius Bosonis, qui sortitus fuerat nomen imperatoris, Berengarium de Italia expellẽs, totum illud regnum possedit: qui de securitate prẽsumẽs, absoluto exercitu cum paucis Veronam ingressus est, adhortante Adalhardo prædictę ciuitatis episcopo. Quod quum ciues cum summa festinatione Berengario qui tunc in Baioaria exulabat, nunciassent: promittentes, & portas ciuitatis sibi aperiri pronunciãtes, Ludouicum regno oculisq; Berengarius priuans, regnum Italiæ obtinuit. Eodem anno Conradus comes, pater Conradi imp. 3. Cal. Martii bello occiditur in Hassia, in loco qui dicitur Friteslar, ab Adelberto comite. Eodem anno, mense Iulio, Ludouicus rex conuentum generalem celebrauit apud Triburas villa regia, & in castro quod Terasso dicitur, obsidione cinxit Adelbertum, & decollauit 5 idus Decembris.

Anni Chr.	*Anni Lud.*	
906	7	¶ Leo, sedit dies 57.
907	8	¶ Christophorus, sedit 4 mensibus, Hic fuit cardinalis titulo Damasi, & 4 mensibus electus, postea monachus factus est. Baioarii ab Vngaris interficiuntur.
908	9	¶ Sergius, sedit annis 7, mensibus 3, diebus 15. Vngari Saxoniam & Thuringiam vastãt. Lupoldus dux occis⁹ est ab Vngaris. Burchard⁹ quoq; dux Turingorum ab eisdem occisus est. Adelbert⁹ comes pfidia Hattonis Moguntini Episcopi & cuiusdam Lupoldi deceptus, Ludouico imperatore iubẽte, decollatur hoc modo: Quum bellum esset inter Cõradum, Cõradi regis patrem, & Adelbertum Henrici regis patrẽ; primum interfectus est frater Adelberti. Postea in vltionem fratris Cõradus quoq; occisus est ab Adelberto: nec vllus regum tã ingẽs bellum inter eminentes viros sedare potuit. Postremo episcopus Hatto mittitur à rege ad sedãdã tam ingentem discordiam. Qui ingressus ciuitatem Adelberti, sub iureiurãdo spopõdit, aut ei pacem cum rege facturum, aut incolumem eum loco suo restituturum. His pactis consentiens Adelbertus fidei gratia & amicitiæ, rogauit pontificem, vt dignaretur aliquid gustare. Quo negante illico egressus est vrbem. Quumque pertransissent oppidum cum omni comitatu, fertur episcopus dixisse, Sæpius petit, qui oblata spernit: tædet me longioris viæ, tardioris q; horæ: iam iciunii tota die non possumus ambulare. Lętus Adelbertus inclinatur ad genua episcopi, vt gustandi gratia reuerterentur in vrbem, deposcit. Pontifex in vrbem reuersus cum Adelberto, liberatur à lege iuramenti, (vt sibi videbatur) eo q; incolumem eum loco suo restituisset. Deinde regi Ludouico à pontifice præsentatus, accepit capitalem sententiam.

Anni Chr.	*Anni Lud.*	
909	10	Vngari Alemanniam vastant. Bellum maximum
910	11	

Francorum cum Vngaris.

911	12	Ludouicus rex obiit, pro quo Conradus, filius Conradi illius, quem Adelbertus Babembergensis occidit, in regem eleuatur.

CONRADVS.

ROmanorum 87, Conradus regnauit annis septem.

Anni Chr.	*Anni Conr.*	
912	1	Cyclus 21 decennoualis incipit, indictione 15. Hattho Moguntinus archiepiscopus obiit: cui succedit Hurgerus.
913	2	Vngari Alamanniam vastant, sed à Baioariis & Alamannis maxima ex-

de sternuntur.

914	3	
915	4	¶ Anastasius papa, annis sedit 2, & totidem mensibus. Vngari totam Alamanniam igne & gladio vastant, in Turingiam venientes vsq; ad Fuldam.
916	5	
917	6	¶ Lando, sedit mensibus 4. Vngari per Alemanniam in Alsatiam & vsq; ad fines regni Lotharii vastando venerunt.
918	7	¶ Ioannes, sedit annis 14, mensibus 2, diebus 3. Conradus rex obiit 10 ca-

10 Calẽdis Ianuarii, sepultusq; est in Fulda monasterio, iuxta altare sanctæ crucis. Basilea ab Vngaris destruitur.

HENRICVS.

ROmanorum 88, Henricus comes rex effectus, regnauit annis 17.

Anni Chr.	*Anni Henr.*
919	1
920	2
921	3
922	4
923	5

Preciosissim⁹ thesaurus sanguinis Domini venit in Augiã 6 idus Nouemb. Forte ille sanguis qui de imagine Christi confluxerat, cum in Beryto ciuitate à Iudæis patiebatur eadem quæ & Dominus passus est ab eis.

924	6
925	7
926	8

Vngari totam Franciam, Alsatiam, Galliam, & Alemanniam, igne & gladio vastant.

927	9

Herigerius archiepiscopus Moguntinensis obiit, Calen. Septembris. Cui successit Hildebertus abbas Fuldẽsis: cui successit Hademarus 13 ad Fuldam prior.

928	10
929	11
930	12

Cyclus decennoualis 22 incipit, indictione 4. Henricus rex regem Obtricorum & Nortmannorum efficit Christianos.

931	13

Ioannes papa obiit. ¶ Leo successit ei mensibus 7, diebus 15.

932	14
933	15

Leo papa obiit. ¶ Stephanus sedit annis 2, mense 1, diebus 12.

934	16

Vngari ab exercitu regis Henrici, occisi sunt, & multi quoque ex ipsis comprehensi sunt.

935	17
936	18

¶ Leo annis 3, mensibus 6, diebus 10. Hildebertus Maguntinẽsis archiepiscopus obiit: cui successit Fridericus. Henricus rex obiit, 4 nonis Iulii: & Otto filius eius in regnum constituitur.

OTTO.

ROmanorum 89, Otto, regnauit annis 36, mensibus 10.

Anni Chr.	*Anni Ott.*
937	1

Monasteria sanctorum Scotorum, sancti Galli & sancti Bonifacii igne consumuntur. Vngari per Orientales Francos & Alemanniam, multis ciuitatibus igne & gladio consumptis, iuxta Wormatiam Rheno transito, vsq; ad mare Oceanum regnum Galliæ deuastauerunt, & per Italiam redierunt.

938	2

¶ Stephanus sedit annis 3, mensibus 3, diebus 15. Otto sibi de Boariis resistentib. rediit. Frater eius Henricus comprehensus est ab Eberhardo. illo autem liberato Eberhardum misit in exilium, atq; iterum Boarios inuasit cum exercitu, omnesq; sibi subdidit, nisi tantum vnum Arnolphi filium. Interim maxima pars Vngarorum à Saxonibus occisa est.

939	3

Otto in Lothoringos iuit vsq; ad Caprimontem. Interea Ludouicus rex Galliæ inuasit Alsatiam. Tunc Otto reuertens venit ad Brisaciam, & obsedit eam, & Ludouicus rex discessit. Iterum Eberhardus dux occisus, & Gilbertus etiam dux in Rheno submersus.

940	4
941	5

¶ Marinus sedit annis 3, mensibus 6, diebus 14.

942	6
943	7
944	8

¶ Agapetus sedit annis 10, mensibus 6, diebus 10.

945	9

Otto dux obiit, cui successit Cõradus. Otto rex in Lothoringos cum exercitu iuit, & omnes subiugauit imperio suo: sed Metensis episcopus resistebat. Henricus vero, frater regis, proiectis armis venit ad eum.

946	10
947	11
948	12
849	13
950	14

Cyclus 23 decennoualis incipit, indictione 8. Berengarius rex apud Augustam in conuentu Ottonis ad dedicationem venit. Inde cum regina cõiuge eius, Villa nomine, ad castellum Babemberg deductus, extremam clausit horam: & draco visus est.

951	15
952	16

Per loca Germaniæ Galliæq; plurima terræmotus magni facti.

953	17

Moguntia ciuitas ab Ottone rege obsessa est.

Anni Chr.	Anni Ott.	
954	18	Guilielmus filius Ottonis sic: Anno Dominicæ incarnationis 954, indictione 12, beatæ memoriæ dominus Fridericus, sanctæ Moguntiacensis Ecclesiæ archiepiscopus, 8 calendis Nouēb. obiit. Eodem vero anno ego Guilielmus, tantæ successionis indignus, loco eius cū consensu cleri & populi eiusdem sanctæ sedis, 16 calēdis Ianuariis, ipsoque die pacem inter regem Ottonem & filium eius Luttolphum facta, in loco Aranstedi sum electus, & in die 9 calendis Ianuariis Moguntiæ ordinatus. Hæc dixit Guilielmus Episcopus, filius Ottonis imperatoris. ¶ Ioannes sedit annis 7, mensibus 11. Luttolphᵘˢ dux Ottoni regi patri suo rebellat.
955	19	Vngari Noricam, Frāciam, Italiamq; petunt.
956	20	Vngari totam Boariam depopulantes iuxta Augustam Alamanniæ vrbē ab Ottone rege pugna victi, immensa cæde necantur. Lutolphus Adelbertū bello vicit, & ipse eodem anno moritur. Hademarus abbas Fuldensis, qui monasteriū Fulda magnifico opere construxit, obiit: cui successit Hatto filius sororis suæ.
957	21	
958	22	
959	23	
960	24	Cruces in vestib. apparent.
961	25	

Otto rex Romam veniens, imperator efficitur à Ioanne papa.

962	26	¶ Leo anno 1, mensib. 4.
963	27	Romanᵘˢ rex Græc. obiit.
964	28	¶ Benedictᵘˢ mē. 2, die. 5.
965	29	¶ Ioannes sedit annis 9.
966	30	Otto, filiᵘˢ Ottonis, imperator à Ioanne papa ante altare sancti Petri cum patre suo coronatus est.
967	31	Guilielmᵘˢ Episcop. Moguntinus obiit, & apud sanctum Albanum sepelitur: cui Hatto abbas Fuldensis successit. Nicephorus rex Græcorum & senex, quum timuisset à filiis suis proiici, voluit castrare eos. Tunc mater eorum, nesciēs aliter eos liberare, suasit Ioanni regem occidere & imperare. Ioannes itaq; clam in palatium intrauit, regemq; occidit, & imperauit.
968	32	
969	33	Cyclus 24, indictione 12.
970	34	Hatto Episcopus Moguntinus obiit: ei successit Rubbertus.
971	35	Signum quoddam igneū apparuit in cœlo.
972	36	¶ Benedictus papa sedit anno vno, mensibus sex.
973	37	Otto imperator obiit nonis Maii, & sepultus Magdeburgi.

OTTO.

ROmanorum 90, Otto regnauit annis 10, mensibus 7.

Anni Chr.	Anni Otto.	
974	1	¶ Donus papa sedit anno vno, mensibus sex. Cessauit diebus 10.
975	2	¶ Bonifacius papa sedit mensibus 5, dieb. 12. Otto imperator obiit nonis Maii. Sanctus Vldaricus migrauit ad Dominum 4 nonis Iulii, anno Episcopatus sui 50. Ebergerᵘˢ archiepiscopus Colonien sis immolauit Scotis in sempiternum monasterium sancti Martini in Colonia: quibus primum primus abbas præerat Minborinus Scotus, annis 12. Hoc etiam anno Rupertus Dung, honestissimus archiepiscopus.
976	3	¶ Benedictus papa sedit annis 10, mensibus 6: cessauit diebus 20. Moguntinus obiit, pro quo Villegisus constituitur, qui in primis cœpit ædificare monasterium sancti Martini, qui etiam construxit monasterium sancti Stephani, ibique sepultus est. Restaurauit quoq; diuinum officium, in monte sancti Dyfibodi cum canonicis, quod Hatto præcessor eius, vel huius Ruperti archiepiscopi destruxit, expulsis inde monachis.
977	4	
978	5	
979	6	
980	7	
981	8	
982	9	
983	10	Otto imperator apud Calabriam, occiso à Græcis exercitu eiᵘˢ, de naui exiliens natando aufugit. Otto imperator Romæ 6 idus Decembris moritur, ibique sepelitur. Boppo episcopus Wirzeburgensis obiit.

OTTO.

ROmanorum 91, Otto 3, filius secundi Ottonis, admodū puer, regnauit annis 18, & mensibus aliquot.

Anni Chr.	Anni Oit.	
984	1	
985	2	¶Ioannes, sedit mens. 8.
986	3	¶Ioannes pa. mensib. 4.
987	4	Villegisus archiep. Moguntinensis dedicauit Ecclesiam in Turnilan, Vigero comite rogante. Qui Vigerus mox eandem Ecclesiam, quæ etiam Dorlon nominatur, cum omnib. quæ in eadem marchia habuit, post obitū suum sancto Martino & episcopo Moguntino contradidit. ¶Ioannes papa sedit annis 10, mens. 10, dieb. 12, & cessauit diebus 6.
988	5	
989	6	
990	7	
991	8	
992	9	
993	10	
994	11	
995	12	Sāctus Adelbertus Episcopus de Praga, ciuitate Aprutis martyrio coronatur. Bernhardus Episcopus Verzeberg obiit in insula Eubœa, & sepelitur in monasterio quod dicitur Politica.
996	13	
997	14	¶ Gregorius papa sedit
998	15	annis 2, mensibus 6.
999	16	Gregorius papa obiit. Hiciam cœpit millenarius primus.
1000	17	Sylvester sit papa, hic sedit annis 4, mense 1, & diebus 8, & cessauit sedes diebus 23.
1001	18	
1002	19	Otto 3 imperator in Italia obiit absq; filiis, 5 Calend. Februarii: cuius intestina Augustæ, reliquum corpus Aquisgrani sepelitur.

HENRICVS.

ROmanorum 92, Henricus dux Bauariæ Babembergensis, rex effectus, apud Mogūtiā consecratus à Villigiso archiepiscopo, regnauit annis 22, mēsib. 5.

Anni Chr.	Anni Henr.	
1003	1	Sylvester obiit. ¶Huic successit Ioannes mensibus 5, diebus 15.
1004	2	¶Ioannes sit papa annis 5. Hēricus rex Italiam, Bohemiam, & Bolislaum ducem cum omni Sclauorum gente subiugauit.
1005	3	
1006	4	Episcopatus Babemberg. à rege Henrico constitui-
1007	5	tur, & Eberhardus ibi episcopus ordinatur. Cyclus 26 decennoualis, indictione 5.
1008	6	Brunus Episcopus à Prucis multis supplicijs affectus, & pedib⁹ manibusq; abscissis, postremo capite plexus cœlos petiit.
1009	7	Ioannes papa obiit.
1010	8	¶Sergius papa, sedit annis duobus, mensibus septem.
1011	9	Hoc anno Babembergensis Ecclesiæ dedicatio facta est, 46 Episcopis ad hoc vocatis. Villogisus Moguntinensis archiepiscopus obiit, cui successit Erkenbaldus.
1012	10	¶ Benedictus pa. an. 12.
1013	11	Hēricus rex Romæ imperiali benedictione co
1014	12	ronatur à papa Benedicto. Brianus rex Hiber-
1015	13	niæ, parasceue Paschæ,
1016	14	6 feria, 9 cal. Maij, manibus & mente ad Deum intentus necatur.
1017	15	Ernest dux in venatu occiditur.
1018	16	
1019	17	Benedictus papa Babembergam veniens, Ecclesiam sancti Stephani ibidem dedicauit.
1020	18	
1021	19	Terræmotus magnus factus est, 4 idus Maii, feria 6. Sanctus Hiribertus Coloniēsis archiepiscopus obiit, pro quo Piligrinus constituitur. Erbenbaldus Moguntinensis archiepisco⁹ obiit, pro quo Eribo constituitur.
1022	20	Henricus imperator nouam
1023	21	Troiam deditione cepit, & fit mortalitas magna in exercitu.
1024	22	Benedictus papa obiit. Hēricus imper. 3 idus Iulii absq; filiis obiit, & Babembergæ in monasterio sancti Petri à se facto sepelitur.

CONRADVS.

ROmanorum 93, Conradus iunior, Francus eligitur: regnauit annis 15.

Anni Chr.	Anni Conr.	
1025	1	¶ Ioannes sedit annis 29.
1026	2	Conradus filium suum
1027	3	Henricum regem fecit, & ipse pergens Romam imperator efficitur. Cyclus 27 decennoualis, indictione 9.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Anni Chr.	*Anni Conr.*	
1028	4	Ego miſer MARIANVS in peccatis fui in hoc anno natus.
1029	5	Conradus imp. Stephanum Pannoniæ regem cum exercitu petiit. In Alamannia Erneſt dux & Vernherus comes cum multis occiduntur.
1030	6	Arbio archiep. Moguntinus obiit. Stephanus rex
1031	7	Pănoniæ, miſſis legatis, cum imperatore Conrado pacificatur.
1032	8	Sanctus Bardo ſucceſſit annis 20. Rudolphus rex Burgundiæ obiit, diadema ſuum Conrado imp. miſit.
1033	9	Conradus imper. hyeme Bur-
1034	10	gundiam petit. Moelcolium rex Scotiæ obiit. Donchad filius filiæ eiꝰ ſibi ſucceſſit annis quinq;.
1035	11	Propter religionem diſtrictam, diſciplinamque nimiam, & propter aliquos Scotos, quos ſecum habebat Helias Scotus abbas, qui monaſteriũ ſancti Pantaleonis & ſancti Martini in Colonia pariter regebat, Piligrinus Colonienſis archiepiſcopꝰ inuidioſis viris inſtigatus, Heliam abbatem voluit expellere & omnes Scotos monachos quos ſecum habebat. Helias Scotus abbas ſtatim quum de aula regia reuertiſſet, dixit cũ cæteris Scotis: Si Chriſtꝰ in nobis peregrinis eſt, nunquam viuus ad Coloniam veniat Piligrinus. Et ita Dominus compleuit. Ioannes papa obiit. ¶ Benedictꝰ huic ſucceſſit annis 14.
1036	12	Piligrinus Epiſc. Colonienſis obiit, pro quo Hermannus conſtituitur. Otto princeps Carlingorum à Gozelone duce pugna victus, fugiens occiditur. Burim Verzeburgenſis Epiſcopus obiit.
1037	13	Sanctꝰ Bardo archiep. præ-
1038	14	ſente Conrado imp. indictione 5, 4 idus Nouemb. cõſecrauit monaſteriũ ſancti Martini ſedis Moguntinẽſis archiepiſcopatus, imo omnium Francorum, in honore ſancti Martini, cũ multis epiſcopis. Cõnigund imperatrix obiit, 5 nonis Martii, & Spiræ ſepelitur. Hermannus dux obiit, filius imperatoris Stephanus rex Vngarorũ Chriſtianus obiit, qui cũ omni gente ſua ad fidẽ cõuertitur.
1039	15	Conradus imper. obiit 2 nonis Iunii, ſepultusq; eſt Spiræ. Eberhardꝰ primus Epiſcopus Babembergenſis obiit, & Richardus abbas Fuldenſis. Hic etiam multos Scotos ſecum habebat: cui Sigeuar abbas ſucceſſit.

HENRICVS.

ROmanorum 94, Henricus filius Conradi imper. regnauit annis 17.

Anni Chr.	*Anni Henr.*	
1040	1	Dõchad rex Scotiæ occiditur à duce ſuo. Magfinlocch ſucceſſit in regnum eius.
1041	2	Henricus rex ducem Bohemiæ Fratizlaum bello petit, ſed multis proceribus & militibus in præſtructione ſyluæ, citra & vltra occiſis vel captis, nil dignum efficere potuit. Petrus quoq; Vngarorum dux, rex eidem duci contra Hẽricum regem auxilia miſit.
1042	3	Helias Scotus obiit 2 idus Aprilis, vir prudens & religioſus. Vngari quendam Ononem regem ſibi eligentes, Petrum regem ſuum expellũt: qui profugꝰ & exul Hẽrici regis, cui priori anno rebellauerat, gratiã quærit & inuenit. Henricus rex Bohemiam ingreſſus, igne præ-
		daq; cũcta deuaſtat, & rebellem ducẽ obſides dare, & ipſum poſt ſe Ratiſponã ad deditionẽ humiliter venire, ſibiq; iureiurando fidelitatem ſeruitiumq; confirmare coarctat. Ono rex Vngarorũ obſuſceptum ab Henrico rege Petrũ, à ſe expulſum, fines Boariæ prædis & incendiis depopulatur: ſed magna pars exercitus eius ab Adelbone marchione deleta eſt.
1043	4	Annuchadus Scotꝰ & inclu-
		ſus obiit, 3 Calendis Februarii, in monaſterio Fuldenſi: ſuper cuius ſepulchrum viſa ſunt lumina, & pſalmodia audita. Super quem ego Marianus Scotus 10 annis incluſus, ſuper pedes eius ſtans quotidie cãtaui miſſas. Henricus rex Pannoniã ingreſſus, duas populoſiſſimas ciuitates euertit, plures deditione ſubiecit. Sed quũ Petrum regem quẽ ſecũ ducebat, prouinciales recipere nollẽt, alium quem petebant ducem eis conſtituit: quẽ Ono poſt diſceſſum eius in Bohemiam repulit. Gisla imperatrix mater Hẽrici regis obiit, 16 calendis Martii, & apud Spirã ſepelitur.
1044	5	Henricus rex iterum Pannonias inuadens, ſatisfactionem, obſides, munera pacis per iuſiurandum confirmationem accipiens, diſceſſit. Inde reuerſus Conſtantienſi ſynodo adfuit, vbi cunctis debita

debita dimisit, destructisq; omnibus munitionib⁹, pacem hacten⁹ inauditam, tam in tota Sueuia quam in alijs sui regni prouincijs, regia censura per edictum confirmauit. Deinde Agnetem Guilielmi Pictauiensis principis filiam, reginam apud Moguntiam vngi faciens, regalibus sibi nuptijs in Ingelnhein copulauit. Lupoldus marchio, Adelberti filius, in maxima Vngarorum clade immature obijt.

Anni Chr.	*Anni Henr.*	
1045	6	Cyclus 23 decennoualis, indictione 13. Henricus rex 3, Pannoniam iratus ingressus, Dei fauente clementia, & beato Vdalrico episcopo imperante, victor fratris Onnonem cum vxore & filijs cognatisq; quibus locus euadendi erat, effugabat: Petrum in regnum constituit, subditoq; sibi Vngarorum regno honorifice reuertitur.
1046	7	Henricus rex Italiam ingressus, pacifice à Romanis suscipitur. Papas 3 nõ digne cõstitutos synodaliter deposuit, & Sindegerum Babembergensem episcopum papam constituit. Ipseq;, & coniunx eius Agnes regina eadem die imperiali benedictione sublimantur. ¶ Clemens papa, qui & Sindegerus, 141 post Petrum, anno vno.
1047	8	Petrus rex Vngariæ cæcatus à Pãnonio quodã. Clemens papa obijt. Otto dux Sueuorum obijt, pro quo Otto de Suinforto surrexit. ¶ Papa Bobbo, 142 post Petrum, anno 1.
1048	9	Henricus rex nascitur.
1049	10	¶ Bobbo papa obijt. Tullensium antistes Brunus, qui & Leo, 143 post Petrum, sedit annis quinque.
1050	11	Rex Scotiæ Machetad, Romæ argentum seminando pauperibus distribuit.
1051	12	Sanctus Bardo episcopus Moguntinensis obijt, 4 Id Iunij.
1052	13	Lutpoldus episcopus, successit annis 8, mensibus 4. Ego Marianvs seculum reliqui.
1053	14	Ardericus Barbosus in Hibernia, vir valde famosus & miræ religionis, ipse enim fœminas & puerulos more clericorum coronando tondebat; & coronas, & non velata capita fœminas conuersas habere debere prędicabat; earumq; schola & puellarum & puerorum & laicorum multam habebat) ob id ex Hibernia proiect⁹ est. Leo papa exercitum ducens per Apuliam contra Normannos, infinita vtrobiq; cæde peracta, sine victoria redit.
1054	15	Leo papa obijt. Velfus dux Carinthiorum obijt. Cõradus dux ab imperatore Henrico expulsus, in Pannonia exul, veneno sublatus est. Heizil comes de Obernsteinfeld defunctus est.
1055	16	¶ Victor, papa 144 post Petrum, annis 3 sedit. Hermannus Colonienſis episcopus obijt. Sanctus Anno sibi successit.
1056	17	Ego Marianvs peregrinus factus pro regno cœlesti, patriam meam reliqui, & in Colonia 5 feria, Calend. Augu. monachus effectus sum. Iisdem temporibus multi diuersarum prouinciarũ principes perierunt. Fames multas prouincias afflixit. Egestas & penuria vndiq; præualuit: Multa mala tunc temporis facta sunt. Henricus imperator his doloribus corde tenus compunctus, infirmari cœpit, & productus vsq; ad mortem. Sapienti tamen vsus consilio, ab omnibus quibus potuit, veniam petens, quibusdam prædia quæ abstulit, restituit; cunctis qui contra eum culpas damnabiles fecerunt, relaxans. Filium suum Henricum Romani pontificis tunc præsentis, cæterorumque pontificum & principum electione regem constituit. His & alijs, prout vitæ possibilitas admisit, bene dispositis, 3 Nonis Octo. hanc vitam præsentem finiuit: sepultusq; Spiræ, papa præsente.

Henricvs III.

ROmanorum 95, Henricus rex, filius Henrici imperauit annis 5.

Anni Chr.	*Anni Henr.*	
1057	1	Henricus admodum puer cœpit regnare. Agnes imperatrix, eius mater ducatum suscepit Boariæ. Victor papa, multis in Germania bene dispositis, redijt Romam, & eodem anno obijt.
1058	2	¶ Stephanus, qui & Fridericus, papa 145 post Petrum, frater Godfridi ducis, iam monachus in monte Cassino factus, à Romanis pontifex cõstituitur. Hic etiam eodem anno obijt. Obierunt Adelberus Babemberg. episcopus, & Otto dux de Suinforti. Podelbrunna ciuitas cum 2 monasterijs feria 6 ante palmas

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

igne consumuntur. In monasterio autem erat Paternus nomine, monachus Scotus, multisq; annis inclusus, qui etiam combustionem prænunciabat, in sua clusa ambiẽs martyrium combustus est. Feria 2 post octauas Paschæ, exiens de Colonia causa orationis eundem locum visitaui, ob bona quæ narrantur de eius sepulchro: & sic cum abbate Fuldensi Fuldam veni. Egebertus abbas Fuldensis obijt 15 Cal. Decem. cui successit Sigefridus, in Natiuitate Christi.

Anni Chr.	*Anni Henr.*	
1059	3	¶Nicolaus, 146 post Petrum, annis 2. Ego MARIANVS indignus cum Sigefrido isto apud Verzebergum ad presbyteratum cõsecrat⁹ media Quadragesima, 3 Idus Martij, & feria 6 post Ascensionem, 2 Idus Maij inclusus Fuldæ per annos 10. Lutpoldus Moguntinensis præsul obijt 6 Id. Decembr. Ei Sigefridus abbas Fuldensis successit.
1060	4	Sigefridus iste in Epiphania archiepiscopus factus est; papa etiam tunc Nicolai legato Alexandro, postea papa facto, præsente. Vidradus abbas post eum successit. Nicolaus papa obijt.
1061	5	¶ Alexander, 147 post Petrum, sedit annis 13. Molaus abbas Scotorum Coloniæ obijt.
1062	6	Hucusq; duo magni cycli, id est 1044 anni. San-
1063	7	
1064	8	ctus Cuono Treuirorũ episcopus martyrizatur in deserto loco, à scopuloso monte ter præcipitatus à Theoderico comite, eo quod absq; electione constitutus est: & sepultus est Doleiæ, vbi per illum Dominus multa signa tunc tẽporis fecit. Ipse comes pœnitentiam agens Hierosolymam pergens vitam finiuit, & omnes consentanei eius mala morte perierunt. Pro quo Vdo constituitur.

Cyclus paschalis magnus Dionysij, in quo sumus, 3. indictione secunda.

Multi diuites & pauperes cum Sigefrido Moguntino archiepiscopo, Traiectẽsi episcopo, Babembergensi episcopo, & Ratisbonensi episcopo, post transitum sancti Martini Hierusalem plus 7000 perrexerunt: vbi vero episcopi sedebant, dorsalia pallia pendebant, scutellas & vasa aurea & argentea habebant.

1065	9	Arabes vero fama pecuniæ congregati sunt, multosq; prædictorum in

parasceue occiderunt. In quoddam castellum nomine Caruasalim nostri fugerunt, ibique se contra iacula Arabum defenderunt. Tunc bonus quidem miles nullo modo prohibitus, à sepulchro domini nudus foras exiuit. Arabes statim eum in modum crucis extẽdentes, ab imo ventris vsque ad guttur, superficiem eius proscindentes, scrutati sunt, qualiter humana viscera haberentur: deinde eum membratim diuidentes, lapidibus obruerunt, omnibusq; nostris de castello intuentibus dixerunt, Omnes vos similiter obruti eritis, si totam pecuniam nobis nõ tradideritis. Tunc timore perterriti promiserunt se daturos totam pecuniam summam, tantum vt eis victum dimitterent vsq; ad fines Christianorum. Tunc ducem Arabum cum viris 16, totidemq; gladijs intromiserunt. Qui quum vidissent episcopos glorioſos cum multis militib⁹, & dorsalia pendentia, extendit corrigiam circa collum Babembergensis episcopi Guntheri, considerans magnitudinem & pulchritudinẽ eius ait, Tu & omnia ista mea erunt. Episcopus vero per interpretem ait, Quid mihi facies? Et ille dixit, Istum pulchrum sanguinem gutturis tui fugam, & suspendam te sicut canem ante castellum. Tunc episcopus comprehenso capite eius straut ducem in terram; atq; omnes alij ligati sunt. Qui vero foras erant audientes ista, irruerunt super castellum. Sed statim isti ligati, & supra murum contra iacula suorum suppositi, rogauerunt filios & amicos suos cæterosq; pacem facere inter eos: vnde bellum & dissẽsio inter latrones orta est, quum multi ex eis pecuniam eligerent, multi vt patres & amicos suos reciperent. Feria vero 2 post pascha, quidam de nostris qui euaserant, petierunt ducẽ de Ramula in auxilium. Statim Deo annuente, venit cum multo exercitu, & fugatis Arabib⁹ accepit quingentos Bisantios aureos, captiuumq; dacem Arabem, inimicum multo tempore regis Saracenorum: & duxit Christianos Hierusalem, & iterũ inde ad nauim. Dominus autem secundum ventum dedit. Sic vsq; ad Christianos venerunt. Sed duo tantum millia ex 7000 reuersi sunt.

Anni Chr.	*Anni Henr.*	
1066	10	Cometa stella visa est. Araldus rex Normannorum mille nauibus

bus venit in Angliam, mens. Septemb. regnaturus: qui Eboraci in autumno vltra 1100 sacerdotes Anglos occidit. Araldus vero rex Anglorum cum 7 aciebus bellicis statim peruenit illo, Araldum impauratum absq; loricis inuenit, & bello occidit, mense Octob. Guilielmus vero, qui & Bastard, hoc est nothus, cum Francis intrat. Interim Anglos & Araldum bello occidit, & ipse regit Anglos.

Anni Chr.	Anni Henr.	
1067		
1068	11	Duo papæ in Roma cõstituuntur, id est episcopus Parmensis qui est expulsus, & Lucensis qui papa est effectus.
1069	12	
1070	13	Ego miser MARIANVS iussu episcopi Moguntinensis, & abbatis Fuldẽsis, feria 6, ante palmas, 3 Non. April. post annos 10 meæ inclusionis solutus, de clusa in Fulda ad Moguntiam veni, & in festiuitate Septem fratrum secundo includor. Cenſecratio noui monasterij sanctæ Mariæ in Moguntia, 9 Cal. Decemb.
1070	14	Scotis & Francis vastantibus, Angli disperguntur, & fame moriuntur, carnemq; humanam manducare coguntur. Dechi marchio Henrico regi rebellat.
1071	15	Quidam clericus Carolus nomine, more Simonis Magi qui donũ spirituale pro precio rogauit ab Apostolis, à rege Henrico comparauit episcopatum ciuitatis Constantiæ. Qui in conuenticulo episcoporum & abbatum in monasterio S. Martini Moguntiæ, in Assumptione sancti Martini facto, à Sigefrido Archiepis. coram rege culpatus, quod non intraret per ostium in ouile ouium, depositus est: deinde post annum non vixit. Otto dux Boariæ regi Henrico rebellat.
1072	16	Coniurant regni principes contra Henricum regem. Eo tempore Sigefridus Episcopus Moguntinensis causa orationis in Galitiam ad sanctum Iacobum perrexit. Quum autem Cluniacum dominica die ante missam sancti Michaelis veniſſet, intrans clauſtrum regantinum episcopum comparare vellent precio; Sigefridus in obedientia sancti Benedicti quam abbati deberet, violenter compulsus Moguntiam 8 Id. Decemb. redijt. Hucusque duo magni cycli, hoc est 1044 anni.
1073	17	In hoc anno iuxta cursum Solis & Lunæ habentur, sicut in anno 15 Tiberij, in quo baptizatus est Dominus, id est dies baptismatis 8 Id. Ianuarij, Epiphania die Dominico & crastino, feria 2, initium ieiunij Domini, 15 Calend. Martij, in die 40 sui ieiunij, 6 feria, victoria eius de diabolo superato in gula & vana gloria atque auaritia, in quibus diabolus primum Adam in eadem feria prostrauit. A baptismate itaq; Domini in anno 15 Tiberij*. Alexander papa obijt Dominico die, vndecimo Calend. Maij.
1074	18	Hildebrandus qui & Gregorius papa, sedit annis 12. Papa Gregorius decreuit præcepto Petri Apostoli & sancti Clementis, vt supra, & canonibus patrum per bannum Dei, Petri & Pauli, & suum, synodali iudicio multorum episcoporum, & contradicens interdixit presbyteris, diaconibus, omnibusq; clericis, vxores habere, & omnino cum fœminis habitare, nisi cum eis quas regula vel Nicena synodus concessit. Decreuit quoque, vt sub sententia sancti Petri cũ Simone damnaretur, non sõlum emptor, sed & venditor cuiusque consecrationis officij ecclesiastici, id est episcopatus, presbyteratus, diaconatus, præposituræ ecclesiæ vel decimationis, sed & socius transgressoris. Dominus enim dixit: Gratis accepistis, gratis date. Vnde & de prædicta synodo legati papæ missi ad Henricum regem Romanorum, id est duo episcopi cũ regina eiusdem regis matre, & vniuersali synodo, coram rege, communi omnium episcoporum interdictu, fœminas separarunt à clericis, & maxime à presbyteris: & noluerunt esse in Pascha cum rege in ciuitate Babemberga, nec cibum, vel societatem Hermanni eius ciuitatis episcopi habere, qui etiam episcopatum comparauit. Arnoldus abbas sancti Albani obijt, pro quo alius abbas constituitur nomine Godeschalcus.
1075	19	Plures clerici sub sentẽtia interdicti Apostolici libentius esse voluerunt, quam fœminis & vxoribus carere, sed vt vel per alios castigarentur, decreuit papa synodica legatione etiam hoc anno vt nullus Christianus audiret missam coniugati presbyteri. His temporibus, non aũt eodem anno, orta est grauis atq; feralis discordia in regno Teuthonico inter regẽ Henricum & principes Saxoniæ, cu-

ius causa(vt fertur)hæc erat: Rex Henricus oēs Saxones seruituti subijcere cogitabat: sed quia hoc tam facile, vt sperauerat, pficere non poterat: accepto consilio, prius principes ꝓposuit honoribus ac dignitatib. suis despoliare, & sic reliquos ꝓuinciæ populos suo dominio subiugare. Vt ergo voluntatis suæ propositum facilius adimplere valeret, in ipsa Saxonum prouincia, in monte qui vocatur Hattisberg, castrum munitum construxit, cui ex ipsius montis vocabulo nomen dedit, vt vocaretur Hattisburg. Consummato vero castro, & secundum voluntatē suam omnib⁹ ibidem negotijs regni dispositis, ad effectum desiderij iamdudum conceptum toto conanime suam extendit intentionem. Ottoni itaq; ducatum Boarię abstulit metuens eum quia genere Saxo erat; quem protinus Velfoni ad iniuriam Saxonum contulit. Post hæc quadam die in eminenti loco eiusdē castri consistens, & elegantiam patriæ vndiq; bene possessam respiciens, fertur dixisse: Saxonia regio pulcherrima; sed serui nequissimi, habitatores videlicet illo prenotans opprobrio. Quod audiens prædictus Otto dux grauius quam credi potest, dictum regis suscepit: colloquutusq; principibus Saxoniæ, rebellare omnem simul fecit prouinciam, & merito. Vnicam enim & dilectam Domini sponsam, q̄ redemit de inimico precioſi sanguinis sui precio, quantum in ipso fuit, per concubinarios, i. hæreticos, polluere & obfuscare veritus non est, dum spiritualia ecclesiæ officia, gratifica videlicet sancti spiritus munera, p iniqua contrariaq; fidei catholicæ commercia more Simonis efficeret venalia. Hæc & his similia nephanda & inaudita Henrici regis flagitia videntes & audientes fieri catholici viri, per id temporis in ecclesia constituti, cum propheta Helia Domini zelo zelantes pro domo Israel, directis Romam nuncijs ad Alexandrum apostolicæ sedis antistitem, hæc ei & alia quamplurima quæ in regno Teutonico, insanientibus simoniacis hæreticis, rege Henrico authore & patrono, dicta & gesta sunt, tam literis quam viua voce gemendo ac dolendo conquesti sunt: deinde eodem zeli Dei feruore succensi, cōuenientes in vnum, castrum Hattisburg obsessum capiunt, omnia ibidem inuenta diripiunt. Fertur etiam, quod plus quam 30 fœminę vna die ejectæ sint de munitione, quæ omnes fuerunt violatæ, vestibus vsq; ad nates præcisis ad iniuriam Saxonum: vnde ipsi nimium efferati animis, castrum & omnia quæ in eo constructa erāt, cum monasterio, clericis vndique per fugam dispersis, funditus exciderunt, ossaq; filij eius de sepulchro ejecta per compita disperserunt. Interea domino Alexandro Apostolico de medio sublato, suscepit sedem Apostolicam Gregori⁹ 7, qui & Hildebrandus, professione monachus. Iste querimonijs & clamoribus catholicorum iustis aduersum Henricum & scelerum eius immanitatem auditis, zelo Dei accēsus, iam dictum regem excommunicatum pronunciauit maxime ꝓpter simoniam. Quod factum catholicis quidem viris bene placuit, simoniacis vero ac fautoribus regis nimium displicuit, qui dicebant nunquam fuisse auditum, regem aliquādo excommunicationi subditum. Facta est ergo maxima diuisio in ecclesia Dei, catholicis domino Apostolico studiose fauentibus ac præceptis eius, schismaticis Henrico & cooperatoribus eius ex corde obedientiam exhibentibus: inter quos erat princeps & signifer iustitiæ, dilectus Deo & hominibus, beatus Hanno Coloniensis archiepiscopus (cuius memoria in benedictione est) cum reuerendissimis ecclesiarum rectorib⁹ Sigefrido Moguntino, Vezelino Magdeburgensi, Ruchetino, Vezelino Halberstadensi, alijsq; episcopis & abbatibus, monachis & clericis, assentientibus quoq; principibus totius Saxoniæ, Ottone duce, Magno duce, Vdone marchione, Ludouico comite, cum alijs innumerabilibus tam nobilium quam inclytarū militarib⁹ viris. Quorū fidei deuotionem ac feruorem iustitiæ venerabilis papa Gregorius audiens, & contra eos scelerum Henrici fautorumq; ei⁹, quemadmodum & contra semetipsum insurgere videns, ne deficerent in tribulationibus quas sustinebant ab iniquis, sed fortiores effecrentur; missis ad eos literis paucis, hæreticorum audaciam, garrulitatem, & superbiam, autore Henrico ac defensore, ad iniuriam & contumeliam sanctæ sedis apostolicæ pstrinxit elatam; quamobrem regem anathematis vinculo alligauerit, literis insinuauit, qb⁹ catholici ad resistendum iniqs hæreticis constantiores effecti sunt. Anno prescripto Domini 1075, regni aūt sui 19, Henricus congregato exercitu

Saxoniam hostili animo intrare conatur, quod audientes Saxones econtra se præparant ei occurrere. Congregati nanque ob patriæ libertatem, ad introitum Thuringiæ iuxta fluuiũ qui dicitur Vnstruch, consederunt: non enim dederant spatium, vt intraret prouinciam eorum. Saxonibus ergo super latitudinem terræ diffusis, & iam castra hora 9 metantibus, speculatores Henrici considerato exercitu, venerunt ad dominum suum mẽtiendo dicentes Saxones se præparare ad pugnã. Quod audiens, protinus suos præcepit armari, & confestim irruit super ignaros & imparatos. Saxonibus vero quamuis fero, tamen ferociter ad arma confugientib⁹, facta est pugna validissima, ita vt fluuius illo in loco viam præberet itinerantibus super occisorum cadauera. In ista pugna dux Sueuorum Rodolph⁹, qui postea Saxonibus regnauit, exercitum regis ducens, strenuissime dimicauit. Inter innumerabiles in prælio corruentes interijt ibi comes Geuchardus pater Lutgeri, qui postmodum imperium assumpsit, qui etiam paucis diebus ante hoc prælium natus fuit. Occidit quoq; illo die de exercitu regis Ernestus marchio cum alijs multis. Henricus ergo tantum viceuictoriam habuit, licet cum dolo acquisitam. Hoc bellum consummatum est 5 Id. Iunij. Obijt Vidradus abbas Fuldensis. Obijt etiam Henricus Spirensis episcopus, pro quo Huzmannus constituitur.

Anni Chr.	*Anni Henr.*
1076	20
1077	21

In concilio 24 episcoporum, abbatum, multorumq; clericorum, Wormatiæ mense Martio facto, præsente Henrico rege, decretum est, vt bannum Hildebrandi papę nullus curaret, nec papa esset. Dominus Hanno, Colonien sis archiepiscopus, obijt 2 Nonis Decemb. qui ex fundamentis 5 congregationes fecit: in Colonia vnam in honorem sanctæ Mariæ virginis, aliam in honorem sancti Georgij martyris: 3 etiam congregationes monachorum diuersis in locis ex suo construxit, vnam in Vesphalia, in loco qui dicitur Graffschaff, aliam in regione Sclauorum, in loco qui dicitur Salephelt, tertiam in monte qui dicitur Sigeberg, in qua feliciter sepultus requiescit: pro quo Hildolphus cõstituitur.

Saxones igitur ferociores ex dãno quod passi sunt effecti, adhuc rebellare nitebãtur. Quos prædictus dux Rodolphus cõpescuit, ne hoc facerent; dans eis consilium propter pacem & concordiam, vt in potestatem regis se traderent in fide sua, dicẽs se acturum, quod nihil eis noceret. Cuius sequentes consilium, veniẽte postmodum rege in Saxoniam, principes Saxonum in potestatem eius se dederunt: videlicet Vezelo archiepiscopus Magdeburgensis, Butto Haluerstedensis, Otto dux, Magnus dux, Vdo marchio: quos omnes rex custodiri præcepit. Videns ergo Rodolphus dux, qui eis consilium dederat, & fideiussor extiterat, quod eos iuuare non poterat, dolorem inde habens non minimum, regi indignabatur nimium. Ipsi autem sine voluntate regis quomodocunq; liberati de custodia, & ad sua tandem reuersi, post Rodolphum miserunt, eumq; super se regem fecerunt. Qui ductus Moguntiam, consecratus est à Sigefrido archiepiscopo in regem. Qui statim congregato exercitu Verzeburg obsedit: quam continuo captam in deditionem accepit, anno Domini 1077.

Anni Chr.	*Anni Henr.*
1078	22

Gregorius igitur præsul venerabilis, hæreticorum insaniã, catholicorum quoque astipulante veritate, cognoscens, Constantiam Rodolpho regi missis literis, apostolicam mandauit benedictionem: in quibus etiam omnibus Christi fidelibus beato Petro, ac sibi vicario eius obedientiam profitentibus, vniuersaliter insinuauit, Henrico propter superbiam, inobedientiam ac falsitatem, regni dignitatem ablatam, Rodolpho vero regi pro sua humilitate, obedientia & veritate, authoritate sancti Petri collatam.

Henricus rex Natiuitatem Domini apud Spiram celebrauit. Et inde in Lõgobardiam pergens, papa sibi obuiam veniente, rex à papa solutionem banni obtinuit. Papa vero sedem Apostolicam à rege accepit & pœnitentiam quam sibi papa constituit, minime seruauit: vnde & postea eũ iterum anathematizauit. Bellũ iuxta Stroui commissum est 7 Id. Aug. vbi Vizelo Magdeburgensis archiepiscopus, frater beati Annonis Colonien sis archiepiscopi, cum alijs multis occubuit. Rodolphus rex victoriam tamen obtinuit.

1079	23

Bellum iuxta Fladecheim 5 Calendis Februarijs commissum est, in

quo Memfrid comes cum alijs multis occubuit. Gregorius papa, seruus seruorum Dei per totum Italicum regnum & Teutonicorum debitam sancto Petro obedientiam exhibentibus apostolicam benedictionem. Si qui sunt presbyteri, vel diaconi, vel subdiaconi qui iaceant in crimine fornicationis: interdicimus eis ex parte omnipotentis Dei & authoritate sancti Petri introitum ecclesiæ, vsque dum pœniteant & emendent. Si qui vero in peccato suo perseuerare maluerint, nullus officium eorum auscultare præsumat: quia benedictio illorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum, testante Domino per Prophetam, Maledicam (inquit) benedictionibus vestris.

Anni Chr.	*Anni Henr.*	
1080	24	Apud Brixam Noricam 30 episcoporum magnæq; partis optimatum regni conuentus contra Hildebrandum papam habetur. Bellum iuxta Elstra committitur à rege Henrico Idus Octob. in quo Rodolphus rex occiditur, & Merseburg sepelitur, Saxones vero victoriam reportarunt.
1081	25	Henricus cum magno exercitu profectus Romam, eam obsedit. Papa audiens multos Romanos fauere schismaticis, desperans recepit se in domum Theodorici vel Crescentis, vt quidam dicunt: sed nec ibi se tute sciēs, cum paucis noctu Salernam abijt: vbi vsq; ad obitum suum habitauit. Videns autem Henricum papam aufugisse, congregatis 30 episcopis fautoribus suis, in ipsa Romanæ vrbis obsidione iussit haberi synodum, in qua Gregori⁹ papa falsis & inauditis criminationibus, à fautoribus Henrici ficte compositis, absens accusatur. Deniq; dicebāt, eum prophanum, scelestum, amatorem discordiæ, virum sanguinum, sedem apostolicam vsurpasse per necromantiam. Conspirantes ergo qui conuenerant in vnum aduersus Dominum, & aduersus vicarium eius papam Gregorium, damnauerunt eum, & facta damnationis eius epistola cōminando mandauerunt ei, ne amplius apostolicam sedem pro tantis criminibus condemnatus intraret. Et quia in proximo erat sacratissimæ Paschæ solennitas inebriati profunda diabolici furoris insania, Vigbertum Rauennæ ciuitatis archiepiscopum rapuerunt, ac papam consecrauerunt quem Clemētem nominauerunt: à quo ipse Henricus in sancto die Paschæ vna cum vxore sua Bertha, Cæsarea imposita appellatione coronatus est Dominus. Itaque apostolicus Gregorius, audiens ab insanientibus Vigbertum hæreticum & inuasorem sibi in Romana sede superpositum, congregatis vndiq; quotquot habere potuit catholicis Episcopis & abbatibus, primo gradu Rauennatem sedem, inuasorem Romanæ ecclesiæ, potestate sancti Spiritus & authoritate sancti Petri, apostolici anathematis mucrone mulctauit: deinde Henricum cum omnibus fautoribus suis, episcopis & abbatibus, monachis & clericis, laicis quoq; potentibus cum infimis quibusque personis, sub interminatione terribili generaliter communione priuauit Moguntia ciuitas ex parte maiore, & monasterium episcopale, aliaq; tria monasteria igne consumpta sunt, Monasterium Babembergense in vigilia Paschæ combustum est. Henricus rex nascitur.

Anni Chr.	*Anni Henr.*	
1082	26	Prima paschalis luna 4 Non. Aprilis toto orbi apparuit, quum 2 Non. Aprilis esse deberet. Catholici per Saxoniam constituti, ex constantia domini Apostoli roborati, constituerunt super se regem Hermannum. Iste Hermannus fuit Lothoringus, vir sapiens, modestia, genere & fortitudine insignus. Ipsius filius erat Otho Palatinus, comes de Rinecke.
1083	27	Roma capta ab Henrico Rege, & in exercitu eius maxima pestilentia facta est. Cycl⁹ decennoualis 2 incipit, indictone 6. Hermannus rex sepe rocianimo Orientalem Franciam prædando & incendendo ingreditur.

Hucusq; author noster Marianus Scotus.

DODECHI-

DODECHINI, ABBATIS IN MONASTERIO SANCTI DYSIBODI, AD CHRONICA Mariani Scoti continuatæ historiæ

APPENDIX.

HENRICVS, anno Domini 1084, postquam Romam cepit de Italia reuertitur: Augustaq; ciuitas ab eo obsidetur, & capitur. Sigefridus archiepiscopus obiit.

Anno 1085, synodus Moguntiæ apud sanctum Albanum iussu Hērici habetur: cui ipse cum legatis Vigberti, qui & Clemens, interfuit; cui omnes obedire cōtra Gregorium potētialiter compulit. Vizelo ipsius ciuitatis episcopus hanc synodū regebat, qui Hildebrādi aut Gregorii pronunciabat. Gregorius papa, qui & Hildebrandus, obiit. ¶Huic successit Desiderius, abbas cœnobii sancti Benedicti de monte Cassino, quē Victorem nominauerunt. Iste rursus post paucos dies decedit. ¶Huic successit Otto cardinalis, qui est appellatus Vrbanus. Hic dicitur fuisse monachus apud Cluniacense monasterium. Ipse itaque venerabilis papæ Gregorii scripta & dicta contra schismaticos habita confirmauit: Hēricum & Vigbertū Romanæ ecclesię inuasorē cum omnibus fautoribus suis ab Ecclesia Dei excōmunicauit. Dietmarus episcopus Vormatiæ obiit. Godescalcus abbas sancti Albani deponitur: cui successit Adelmannus.

Anno 1086, Henricus rex Saxoniam ingreditur, & patriam vndique præda & incendio omnib⁹ iratus vastat. Hermannus autē rex, congregato exercitu quam maximo, occurrit ei iuxta Verzeburg, in loço qui dicitur Bleichfeld: ibiq; coserto prælio innumerabilis multitudo hominū ex vtraque parte occubuit. Hermannus vero clarissimam victoriā adeptus, cum pace rediit. MARIANVS Scotus inclusus obiit, & apud sanctum Martinum sepelitur.

Anno 1087, Hermannus rex occiditur. Bertha imperatrix obiit, & Maguntię sepulta est: sed postea ab imperatore Spiram transfertur. Henricus rex, defuncto Hermanno rege, iam pacifice Saxoniam ingreditur, cui Hēricus marchio de Scaden fœdere pacis sociatur. Sanctus Nicolaus translatus est de Mura in Barum.

Anno 1088, Rezil Magūtinus archiepiscopus obiit, cui successit dominus Richardus.

Anno 1089, Henricus rex memor iniuriæ, quam sibi Eggebertus anno præterito, marchio apud Marseburg, fecerat, marchiam Orientalem ei auferens, Henrico cuidam contulerat: congregato exercitu quamplurimo, Glico castrum eius valde munitū quod est in Thuringia, iuxta Erphesfort ad Occidentem situm, in vigilia assumptionis Marię obsidione circumuallatur, & vsq; ad Natiuitatem Domini obsidebat. In cuius exercitu Magn⁹ dux cum multis aliis nobilibus aderat. In vigilia autem Natalis Domini, quæ in die dominica tūc euenerat, circa vesperam, sole ad occasum declinante, & exercitu quæ necessaria erant præparante; speculatores venerunt dicentes, marchionem cū magna multitudine appropinquare. Conturbatis ergo tali nuncio omnibus, armaque cum festinatione arripientibus; Eggebertus marchio, vt erat audacissim⁹, super inermes vt turbo vehemens cū suis irruit, & cædis initium ipse signifer & dux exercitus sui fecit. Facta est itaque concertatio dura, & vsq; in profundissimam noctem deducta. In eo denique certamine Burchardus Losannæ episcopus interfectus est, qui lāceam regalem ferebat: cum quo etiam multi clericorum tumultum fugientium ac persequentium contriti corruebant. De exercitu regis multi sunt occisi, quamplurimi captiuati, innumerabiles vero vulnerati, præda magna sublata, oppidum Glico cum gloria

obsidione liberatum. Henricus igitur victus fugam arripuit. Eggebertus autẽ victor existens, persequutus regem quoscũq; inuenit de exercitu eius, cepit, vulnerauit, & interfecit. Per idem tempus catholici in Ecclesia rari habebantur, schismatici vero multiplicabantur.

Anno 1090, Valtramus Megdeburgẽsis Ecclesiæ antistes, quũ esset fauẽs præcipue Henrico regi, missis literis ad Ludouicũ comitẽ suggerens ei, vt se subdẽs sæpe iam dicto regi tueretur partes eius. In quib. literis, tanquam pro defensione ordinationis Dei, re autem vera fauendo regi, laborans, beatæ memoriæ Gregorio papæ & piæ recordationis Rodolpho regi, & aliis principibꝰ qui iam in somno pacis requieuerant, obloquendo detrectarat, dicẽs eos quasi non fuerint, sic periisse; affirmãs eis malum principium fuisse, quos finem pessimum contigisset habuisse: quarum literarum modus iste est: Valtramus Dei gratia id quod est, Ludouico sereniſſimo principi, cum instantia orationũ, semetipsum ad omnia deuotissimũ. Omni regno vtilis est concordia, desiderabilis est iustitia: hæc enim virtus mater est probitatis, & conseruatio totius honestatis. Qui aũt intestina grassando dissensiõe, ad humani sanguinis alios irritat effusionẽ; profecto vir sanguinum est, atq; illius particeps, qui nostrum sanguinem sitiens semper circuit, quærens quem deuoret. Tu igitur glorioſissime princeps, attendens quomodo Deus pacis est, & nõ dissensionis; quod ex te est, pacem cum omnibus habeas. Deus charitas est, diabolus odium. Tota Lex & prophetæ in dilectione pendent. Qui autem odit fratrem suum, homicida est, nec habet partem in Christi regno & Dei. Hoc ipsa veritas, hoc discipulꝰ ille veritatis protestatur, qui de pectore Dominico Euangelii profundius potatus veritatem, fluminis impetu lætificat abundantius ciuitatem Dei. Sed ille, vas electionis, qui vsque ad tertium cœlum raptus, non secundum hominem, sed per reuelationẽ Iesu Christi euangelium suum didicit, Omnis, inquit, anima potestatibꝰ sublimioribꝰ subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo. Qui autem resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sicut amici nostri inter mulierculas & simplex vulgꝰ somniãt, regiæ potestati subdi non oportere: falsum esse ergo, quod omnem animã potestati subdi oporteat. Sed nunquid veritas mendacii arguenda est? An experimentum quęramus eius, qui in Apostolo loquebatur Christꝰ? An æmulemur Dominum? Nunquid fortiores illo sumus? Fortiorem se cõfidit, qui Dei ordinationi resistit: quoniam nõ est potestas, nisi à Deo. Sed quid ait Propheta? Confundantur omnes, qui pugnant aduersum te Domine: & peribunt viri qui resistunt tibi. Rodolphus, Hildebrandus, Eggebertus, & innumeri principes, Dei ordinationi in Hẽrico imperatore restiterunt. Et ecce, quasi non fuerint, perierunt: quia profecto necesse est, malum fuisse principium, quorum finis pessimus subsequutus est. Nunc ergo, quoniam qui ex aduersa sunt, suis aduersum nos eminus digladiantur ratiocinationibus; vestro iudicio vbi ius, vel etiam in vestro iudicio conferamus, domicilio tantum non suo vsurario, sed Christi & antiquorum patrum vtamur testimonio. Ac ne forte recusetur, lex huius esto certaminis, vel me in populorum transire sententiam, vel ex nostro triumpho vos domino nostro imperatori lucrifaciam. Attendatur & illud, Si quis aliter euangelizat, præter quod euangelizatum est vobis, anathema sit. Hoc anathema non de prophanæ nouitatis vsuario, sed de tectio intonuit cœlo. De istis autem, qui ignorantes Dei iustitiam, & quærentes suam statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: fiducialiter dixerim. Maledicerent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur. Seruus autẽ tuus lætabitur, quoniam (vt ais Domine) sine me nihil potestis facere: nec damnas iustum, quum iudicabitur illi. Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Suo domino stat, aut cadit. Has sane literas prędictus comes Ludouicꝰ suscipiẽs, vocato ad se venerabili Stephano qui & Herrandus, Halberstadensi episcopo, eas tradidit legendas, rogauitq; eum, quatenus his diligenti examinatione perspectis, iuxta rationem veritatis congrua obuiaret responsione, & linguam blasphemantis, os quoque iniqua proferentis contra iustitiam, authoritate sancti Spiritus, & testimonio Scripturarum obstrueret, ne amplius contra ecclesiam Dei latratꝰ proferret insanos & furereret. Venerabilis autẽ episcopꝰ, secundum petitionẽ Comitis suscepti literis, ac di-

ae diligenti examinatione perſpectis, vocato notario epiſtolã dictauit: in qua primũ præſcriptũ Valtramũ epiſcopũ hæreticum, ſimoniacum, redarguit; regem etiam Henricum hæreticũ, & excõmunicatũ, ideoq; nec regem dicẽdũ comprobauit; epiſcopatus pro pecunia, pro gladio, pro adulterio, pro ſodomitica immũdicia vẽdentẽ declarauit. Sed ipſi⁹ iam epiſtolę text⁹ exponatur, vt illi⁹ venerabil. viri feruor in tenore iuſtitiæ agnoſcatur.

Comes Ludouicus domino Valtramo, quicquid tali vocabulo dignũ eſt. Sicut bon⁹ homo de bono theſauro cordis ſui, profert bonum: ita malus homo de malo theſauro profert malũ. Vnde tibi tãta arrogãtia, vt me ad indignationem tam iniuriosis iniuriis ꝓuocares? Etenim dominos, & patres meos qui me in via iuſtitiæ cõfortant, viros ſanguinũ, ſimiles Satanæ obliq; appellas, & monita ſalutis qui ſuggerũt, inter mulierculas & ſimplex vulg⁹ ſommiare dicis. Nũquid Deus indiget tuo iudicio, vt pro illo loquaris dolos? Docuit iniquitas os tuũ, & imitaris linguam blaſphemãtiũ, ita vt recte de te dicat Prophe-ta, Noluit intelligere, vt bene ageret: iniquitatẽ meditat⁹ eſt in cubili ſuo. Quãuis ergo quantũ peruerſus tantum peruerſa loquutus ſis; nos tamen ori noſtro cuſtodiam ponere decreuim⁹, & ſiluim⁹, quũ cõſisteret peccator aduerſum nos. Sed excitat nos ſermo diuin⁹, dicẽs: Reſpõde ſtulto ſecundũ ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiẽs videatur. Nunquid. n. fatuitas ſonabit, & ſapientia obmuteſcet? Nũquid loquetur mendacium, & veritas ſilebit? Nũqd tenebræ operient terram, & Dominus nõ oriẽtur? Immo lux in tenebris lucet, & tenebræ eã nõ cõprehenderũt. Qua cõſideratione cõcaluit cor noſtrũ, & in meditatione noſtra exarſit ignis. Loqmur igitur & clamam⁹, vulpesq; paruulas quę vineas Domini demoliũtur, quãtum poſſum⁹, arcem⁹ timẽtes ꝓphetiã illã ex ꝓbrã. Aſcendiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael vt ſtaretis in prælio in die Domini. Audiant, non tu qui aures habes, & non audis; qui oculos habes, & non vides; qui lumen quod in te eſt, tenebras feciſti: audiãt, inquã, omnes cordati, qui aures audiendi habẽt, quam alte aut non intelligas, aut intelligere diſſimules, neq; quid loquaris, neque de quibus affirmes. Ad ſubiectionem domini Henrici quem imperatorẽ dicunt, nos inuitas, & in quantum intelligere datur, vt per omnia ſubditi ſimus, quaſi apoſtolico argumento neceſſitatem imponis, dicens: Omnis anima poteſtatib. ſuperioribus ſubdita ſit: non eſt. n. poteſtas, niſi à Deo. Qui ergo poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Quam apoſtoli ſententiã te male intelligere, peius interpretari dicim⁹. Si enim omnis poteſtas à Deo eſt, vt tu intelligis: quid eſt quod de quibuſdam dicit Dominus per Prophetã: Ipſi regnauerunt, & nõ ex me principes extiterunt, & non cognoui eos? Si omnis poteſtas à Deo eſt, & tu intelligis, quid eſt q; ait Dominus, Si oculus tuus ſcandalizauerit te, erue eum, & ꝓice abs te? Quid enim eſt poteſtas, niſi oculus? Certe Auguſtinus in expoſitione apoſtolicæ ſentẽtiæ, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribꝰ ſubdita ſit. Quod ſi poteſtas (inquit) aliquid iubeat q; contra Deum ſit, hic contẽne poteſtatem, timendo poteſtatem alioquin. Nunquid iniquitas apud Dominũ? Nunquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit. Quid ergo dicem⁹? Nunquid ab Apoſtolo diuerſa ſententiæ ꝓphetia euulgatur? Auguſtin⁹, minime. Diuerſas tibias inflat ſpirit⁹ vn⁹. Itaq; audiam⁹ apoſtolum cõcordãtem, & ſeipſum exponentem, & inimicum vltoremq; ſuum deſtruentem, Nõ eſt (inquit) poteſtas, niſi à Deo. Quid ſequitur? Qui ergo (inquis) poteſtati reſiſtit: & reliqua, Abſit. Non hoc ſequitur. Sed quid ſequitur? Quæ autẽ à Deo ordinata ſunt. Nempe hoc eſt q; quęrim⁹. O lingua doloſa, ó cor machinãs malũ. Spiritus vadens & non rediens. Cur mentit⁹ es ſpiritui ſancto? Arguat te conſcientia tua. Ecce fugit impi⁹ nemine perſequente. Cur vt deciperes, ſupprimere veritatem voluiſti? Cur medullam, cur animam huius ſententiæ furatus es? Nã ſi hæc verba de medio ſententię apoſtolicæ tollantur, contra ſibi inconueniens & exanimis iacebit. Impletur ſermo diuin⁹: Qui parat ꝓximo ſuo foueã, incidet in eã. Certe nec culpam furti, nec pœnã euadere poteris. Quid infelix, q d iudici vẽturo, quũ à ſeruis negotiatorib. locum requiret, reſponſur⁹ es, qui dominicæ pecuniæ fraudator in mediũ ꝓduceris? Quare nõ iudiciũ & laqueum proditoris timuiſti, ne ſimilem reatum ſimilis vindicta ſequeretur? Prævidens per ſpiritum ſanctũ Apoſtolus, te

tuiq; ſimiles hæreticos in Eccleſia emerſuros, qui bonum malum, malum bonum dicerẽt, qui tenebras lucem, & lucẽ tenebras ponerẽt, qui de ſentẽtiis veritatis occaſionẽ inducendi erroris captarent, quũ præmiſiſſet, Non eſt poteſtas, niſi à Deo; vt coniecturã reprobi intellectus amputaret, Quæ aũt ſunt, inquit, à Deo, ordinata ſunt. Da igitur poteſtatẽ ordinatam & nõ reſiſtim⁹, imo dabim⁹ ilico man⁹. Miror autẽ, ſi in te vel gutta ſanguinis eſt, q̃ nõ erubeſcis dominũ Hẽricum regem dicere vel ordinem habere. An ordo tibi videtur, ius dare ſceleri, fas nefasq;, diuina & humana confundere? An ordo videtur tibi in corp⁹ ſuũ peccare, videlicet (proh pudor, proh nefas) vxorẽ propriã ſcelere omnib. ſeculis mundi inaudito, lupanar facere? An ordo tibi videtur, quũ Domin⁹ dicat, Defendite viduam; viduas iudicii æquitatem poſtulantes, nefanda cõtaminatione ꝓſtituere? Hæc qui ordinata, qui ſana dixerit: hũc inſani capitis eſſe, inſan⁹ iurat Oreſtes. Vſq; ad hæc miſerrima tẽpora natura ſecretum amauit, ſed traditus in reprobum ſenſum rex veſter naturæ inuolucrum detexit, qui omnẽ pudorem ponit in propatulo. Vt autẽ illa quæ ſine numero ſunt, taceam⁹, videlicet cõcremationes eccleſiarum, deprædatiões, homicidia, incẽdia, truncatiões, & his ſimilia quæ ille poteſt, nos enumerare non poſſumus: ea quæ maxime eccleſiam Dei grauãt, loquamur. Audi ergo vera, nõ fucata. Audi fortia, nõ faceta. Omnis qui dignitates ſpirituales vendit, hæreticus eſt. Dominus autẽ Henric⁹ quem regem dicũt, epiſcopat⁹ & abbatias vendit. Etenim Cõſtãtienſem, Babenbergenſem, Mogũtinenſem, & plures alias, ꝓ pecunia; Ratiſponenſem, Auguſtẽſem, Strasburgenſem, pro gladio; abbatiam Fuldẽſem pro adulterio; Monaſteriẽſem epiſcopatum (quod dicere & audire nefas eſt) pro Sodomitica immunditia vẽdidit. Quæ ſi impudenter negare volueris, teſte cœlo, teſte terra, omnes etiam à furno redeuntes ſcioli cõcludent, Ergo dominus Henric⁹ hæreticus eſt. Pro quib. nephandis malis ab apoſtolica ſede excõmunicat⁹, nec regnum, nec poteſtatem aliquã ſuper nos, quia catholici ſum⁹, poterit obtinere. Sane q̃ fratrum nos odiis fatigas, intellige nulli nos odiũ de inaffectiõe, ſed de pietate intẽdere. Abſit vt dicam⁹, Hẽric⁹ inter fratres aut Chriſtianos reputetur, qui rorties corripiẽtẽ Eccleſiam nõ audiens, ſicut ethnic⁹ & public⁹ habetur. Cuius odium pro magno ſacrificio Deo offerimus, dicẽtes cum Pſalmiſta: Nõne qui oderunt te, Domine, oderã; & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos; inimici facti ſunt mihi. Cui⁹ odii dignitatem veritas commendãs ait: Si quis non odit patrem & matrem, & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, nõ poteſt meus eſſe diſcipul⁹. Nõ ergo de odio iuſte reprehenduntur, qui animã noſtrã, cum à via Dei exorbitamus, qui patrẽ, & matrem, & omnem affectum qui nobis in via Dei obſtat, odiſſe p̃cipimur. Inde eſt, quod omni ſtudio, omni conatu laboramus, vt hoſtes eccleſiæ nos quoque vt aduerſarios caueamus, & nõ quia noſtri, ſed quia Dei inimici ſunt, odio habeamus. Porro q; de pace cum omnib. hominibus habẽda perſuades, meminiſſe debes, quia præmiſit Apoſtolus, Si fieri poteſt. Fieri autẽ non poteſt, vt cum iis qui Deo contrarii ſunt, pacẽ habeamus. Quis autem neſciat, dominum ſaluatorem nõ ſolum pacem cõmendare, quum dicit, Pacem meã do vobis, pacem relinquo vobis; ſed etiã ipſam pacẽ exiſtere, ſicut ait Apoſtolus: Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum? Quid ergo ait Pax noſtra cõmendãs pacem? Nolite (inquit) arbitrari, quia veni mittere pacem in terrã, nõ veni pacem mittere, ſed gladium. Quid eſt hoc? Quare pax gladium? quare pax bellum indicit? Nimirum vt deſtruatur pax diaboli. Habet enim & diabol⁹ pacem ſuã, de qua Domin⁹ dicit: Quum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. O quã potenter ꝓ vos ſatellites ſuos atriũ ſuum hoc tẽpore diabol⁹ cuſtodit, qui ſcuto falſitatis & galea perfidiæ protecti, nulla veritatis iacula, nulla fidei ſpicula admittitis! Poteſt tamẽ Dominus noſter, vtpote fortior armat⁹ ſupueniens, fortem veſtrum vincere, & arma in quib. confidit, auferre. Non ergo recte culpamur, ſi pacem illam omni bello crudeliorem deteſtamur, quam ipſa veritas ſuper Hieruſalem flendo reꝓbat, dicens: Equidem in hac die quæ ad pacẽ tibi, & quam Pſalmus, Sup iniquos zelaui, pacem peccatorũ videns. Quod vero papam Gregoriũ, regem Rodolphũ, marchionem Egebertum peſſimi interit⁹ damnas, & dominum

minum tuũ,quia illis ſuperſtes eſt, bonificas;liquet ꝓfecto, ab omni ſpirituali tecõſideratione manere vacuũ. Nõne beatiꝰ eſt bene mori,quam male viuere? Beati enim qui perſequutionẽ patiũtur propter iuſtitiam. Iam & Neronẽ, quia apoſtolis Petro & Paulo;iam & Herodẽ,quia Iacobo Apoſtolo;iam & Pilatũ, quia domino Ieſu Chriſto ſuperuixerint, beatos æſtimas. Qua opinione quid inſanius aut infeliciꝰ dici poteſt? Qua ꝓpter & ab hac blaſphemia, linguam magniloquã compeſce:niſi forte in numero illorũ te cõſtituis,qui in fine iuſtorum videntes gloriã, ſeram & infructuoſam agentes pœnitentiam, præ anguſtia ſpiritus gementes dicẽt,Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorũ æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo cõputati ſunt inter filios Dei,&inter ſanctos ſors illorum eſt.Ergo errauimꝰ à via veritatis, & ſol iuſtitiæ non luxit nobis. Quid nobis profuit ſuperbia? & diuitiarum iactãtia quid cõtulit nobis? Tranſierũt omnia velut vmbra. Quæ nos verba in memoria adamantina ſcribẽtes, omnem ſimilitudinem extollentẽ ſe aduerſus veritatẽ Dei,cõtemnimus: & gloriantes in tribulationibus,calũniati,proſcribi&exterminari,deniq; occidi poſſumus;flecti vel vinci non poſſumus: & cũ magno tripudio illud, quod tu puer adoleſcens, iuuenis frequentatus, nondum corde ſenex concepiſti, de patrib. noſtris exultamus, qui cõtemnẽtes iuſſa principũ meruerunt præmia æterna. Porro ſentẽtias tuas diligenti curioſitate trutinantes,quaſi ſpiritualia ſpiritualibus cõparare volumꝰ. Sed ſicut, & reliqua nõ pauca.

Anno 1093, Dominus Emehardus ordinatur 6 Cal. April. Verzeburg. Vratislaus dux Bohemiæ, in venatu repente de equo cadens,ſubito moritur.

Conradꝰ,filiꝰ Hẽrici imperatoris, patri ſuo hac de cauſa rebellauit:Henricus rex Adelheidam reginam quã duxerat vxorẽ,odio cœpit habere: ideo incarcerauit eam, & conceſſit vt pleriq; vim ei inferrent:immo filium hortãs, vt eam ſubagitaret. Quo recuſante patris polluere ſtraplurima&inaudita malorũ genera ſibi innocẽter illata,de cuſtodia qua tenebatur, quoquomodo Dei miſeratione liberata, ad potentiſſimã tunc tẽporis fœminam, Mathildam nomine, fugiendo peruenit. Quę ſuſceptam reginam ad venerabilem virum perduxit Vrbanum,apoſtolicæ ſedis antiſtitẽ: cuius prouoluta pedib. profuſis lachrymis,ac intimis ſingultibus, omnem ſuæ quã pertulerat calamitatis intimauit miſeriam. Papa autem,agnita reginæ calamitate, humanitatis miſeratiõe cõpaſſus, facta cõcione catholicorũ, denuo Henricum regem excommunicauit pro illicitis ac nefandis, omnibusq; ſeculis inauditis reb.in legitima vxore ſua perpetratis. Regina autem reuerſa eſt in regionem ſuam, & ingreſſa monaſterium facta eſt abbatiſſa,vt quidam dicunt.

Eclipſis Solis facta eſt tertia hora diei, & draco viſus eſt. Cõradꝰ igitur patri ſuo rebellans venit ad papam Vrbanum,&ſolutus ab excõmunicatione,in Longobardia regnauit contra patrem. Erat deniq; Conradus iſte in omni bonitate & probitate conſpicuus, humilis & modeſtꝰ: qui paucos annos ſuperuiuens poſtquam coronatus eſt,immature obiit.

Anno 1094, peſtilentia magna fuit. Beatus Anſelmus Cantuarienſis archiepiſcopus floret,qui multa ſcripſit. Priꝰ fuit pater monachorum in monaſterio Betti, docens liberales artes,& viam amoremq; patrię cœleſtis. Precib. ſuis ad Deũ mortalitas ſedata eſt,multaq; alia miracula edidit. Præſumpta eſt illi talis aſſertio, quũ abbas erat: Si in Deo tres perſonæ ſunt,vna tantum res, & non ſunt tres res, vnaquæque per ſe ſeparatim,ſicut angeli,aut tres animæ,ita tamen vt voluntate & potentia ſint idem omnino: ergo pater & ſpiritus ſanctus cũ filio eſt incarnatꝰ. Verum author iſtiꝰ peruerſi dogmatis, à patribus & doctorib. eccleſiaſticæ fidei circũuentꝰ & cõuictus ac pene populo necitraditꝰ, vt mortem euaderet,errorem abiuraſſe dicebatur. Contra quem errorem pater Anshelmus epiſtolã abbas inchoauit, epiſcopꝰ conſummauit, ſcribens ad Vrbanũ papã. Ad Valramum quoq; Nũburgenſem epiſcopũ de proceſſione Spiritus ſancti ſcripſit epiſtolam,in cuius capite ipſum Valramũ epiſcopũ, fautorem Henrici vehemẽter redarguit, ſeq; papæ Vrbani dictis & ſanctionib. ꝑ omnia ſub-

ditum ac obediẽtem declarauit. Anshelmus ſeruus eccleſiæ Cãtuarẽſis Valramo Nũburgenſi epiſcopo. Scienti breuiter loquor. Si certus eſſem, prudentiã veſtram non fauere ſucceſſori Iulii Cæſaris & Neronis & Iuliani apoſtatæ contra ſucceſſorem & vicariũ Petri apoſtoli, libentiſſime vos vt amiciſſimum & reuerẽdum epiſcopum ſalutarẽ. Quomodo autẽ ad defenſionem veritatis, quã cõtra Græcos quæritis, ſecundum poſſe nulli deeſſe debem⁹, opuſculum vobis miſi, quod de Spiritus ſancti proceſſione contra illos edidi. De ſacrificio vero in quo idem Græci nobiſcum nõ ſentiunt, multis rationabilib. catholicis videtur, quod agunt Græci nõ eſſe contra fidem Chriſtianam: quã quidẽ epiſtolam, quia longiſſima eſt, ſicut ſuperior, propter deuitãdum faſtidium hic interſerere ſuperſedebo ad alia feſtinans. Ad Guilielmum etiam Derſagienſem abbatem breuẽ quidẽ epiſtolã ſcripſerat; in qua ſecundum q̃ interrogatus fuerat de quodã comite ab apoſtolica ſede excommunicato, de presbyterorum coniugio, de lapſis ſacros ordines habentib⁹, de occultis criminibus pollicitis & cõfeſſis, de his qui propter verecũdiã, aut ſtultitiam, ſeu duritiam confiteri nolunt; & tamen ſuperbe officiũ ſuum appetunt; cum maxima diſcretionis examinatione humile quidem, ſed ſcripturarum authoritate firmatum, reddidit reſpõſum. Fecit etiã libros diuina authoritate equidẽ firmatos: vnum de incarnatiõe Domini, qui dicitur Cur Deus homo, ſecundum quẽ vocauit Monologiõ, tertium quẽ intitulauit Proſagion. In meditationib. quoq; & orationib. componendis plurimis laborauit: in verſibus aptandis, hexametro pentametroq; extantib., aliquantulum deſudauit.

Anno 1095, Adelmannus abbas ſancti Albani obiit. Lupuldus marchio, & Henricus palatinus comes, etiam obierunt.

Anno 1096, multa cœlit⁹ portenta mira præſagiebãtur: de quib⁹ duo ponamus, vt de reliquis fidẽ certiorem habeamus. Species ignis in modum fulguris, ad lõgitudinẽ haſtæ formata, ſed lucidior clariſſimo die & in ipſo ſolis fulgore diſcurrẽs, oculos intuẽtium terrore improuiſo percutiebat, & tamẽ nemini nocebat. Super hæc quadã die, Sole ad occaſum ruente, & nubecula in aere nulla apparẽte, ignei quaſi globi diuerſis aeris & locis emicuerũt rurſusq; aliis in firmamenti partib. ſe cõdiderũt. Hoc quidẽ nõ ignem, ſed angelicas fuiſſe opinabantur poteſtates, cõmotionem gentium quę ſequuta eſt prefigurantes. Dum ergo iſta præ oculis adhuc haberentur, ecce quidã incluſus cui nomen erat Petr⁹, in finibus Hiſpanię cõſtitut⁹, clauſtris egreſſus totum commouit orbem, quandam circunferẽs chartulam, quã aſſerebat de cœlo lapſam, in qua continebatur, vniuerſam Chriſtianitatẽ armis inſtructam de cunctis mundi partibus ire debere Hieroſolymam, eamq; paganis inde pulſis ꝑpetuo poſſidere cum ſuis finibus. Hoc autẽ Euangelico confirmabat teſtimonio, Et Hieruſalem, inquit Domin⁹, calcabitur à gẽtibus, donec impleantur tempora gentium. Vnde ꝑuocati, nõ ſolum ruſtici, ſed etiam reges, duces, cæteręq; mundi poteſtates, epiſcopi, monachi, reliqui quoque Eccleſiæ ordines ad hoc iter mouebãtur. Poſtremo cõſentiẽtib. dictis eius cũctis, regna rectoribus, vrbes paſtoribus, vici vaſtãtur habitatoribus: & non tãtum viri & pueri, ſed etiam mulieres quamplurimę hoc iter ſunt aggreſſæ. Mirabilis enim ſpiritus illius tẽporis homines impulit ad hoc iter aggrediendum. Nam fœminæ in hanc expeditionẽ exeuntes, virili vtebãtur habitu, & armatæ incedebant. Congregatis ergo in vnum omnibus qui ad hoc iter aggrediẽdum ſe ſignauerant, cõſilium inierunt, vt Iudæos vbicunque conſtitutos ſpõte ſeu coactos ad Chriſtianitatẽ traherent, ne alicubi Iudaici nominis memoria remaneret, ſed paſſim omnes interficerẽtur quicunque Chriſtianitatis nomen cum fidei ſignaculo nõ amplecterẽtur. Vnde factũ eſt, vt quidam ex eis, q̃uis inuiti, ad baptiſma cõfugerent, ne rerum ſuarum ſubſtãtiam ſimul & vitã amitterent. Plures eorã occidebantur, quorum ſubſtãtiæ à Chriſtianis diripiebantur. Huius itaq; doloris immanitate compulſi Iudæi in ſeipſos irruerunt, & cultris ſe inuicẽ vulneratos interemerunt. Viri vxorib. & cognatis non pepercerunt, matres filios cum filiab. occiderunt. Hieroſolymitę autẽ itinere ſuo pergentes vſq; ad vrbem Pannoniorum quæ vocatur Merſeburg, attingẽtes, magna ex parte interfecti ſunt. Et merito, quia enim viri cum mulierib ⟨vt ſupra dictũ eſt⟩ incedebant, immunditię fornicationũ & abominatiõũ factę ſunt inter eos: ideireq;

Idcirco iram Dei promeruerunt. Godefridus autem, & Balduinus frater eius cũ reliquis perrexerunt, & cum maximo labore Antiochiam, ac postremo ipsam Hierosolymam cum reliquis vrbibus ceperunt, Christo eis largiente virtutem & victoriam de inimicis. Post aliquot annos Godefridus dux obijt, & locum sepulturæ ad sepulchrum Domini ꝓmeruit. Balduinus vero ab exercitu Christianorum rex constituitur: per aliquot annos super Christianos regnauit: & paganis latiꝰ expugnatis, terras eorum cum vrbibus quas possederãt, Christianis subiugauit. Theodoricus abbas sancti Albani constituitur.

Anno *1097*, Henricus de Italia redijt, & Iudæis de ꝑterito anno vel coacte baptizatis legem & ritus Iudaizandi concedit. Praxedis regina discessit ab imperatore.

Anno *1098*, Ruchardus Moguntinensis archiep. regi excommunicato fauere nolens, gratiam eius ꝓdidit, & in Turingiam recedens, per aliquot annos ibidẽ stetit.

Anno *1099*, imperator Pascha Ratisbonæ celebrauit, vbi his diebus magna mortalitas est facta, in qua Rabodo Palentinus comes cum alijs multis moritur. Cõradus Traiect. episcopus 4 feria Paschæ à negotiatore Phrysio crudeliter occiditur. Hermannus Colonien. episc. obijt: cui Fredericus successit. Conradus Einstedensis episcopus obijt: pro quo Conradus constituitur. Vrbanꝰ papa, qui & Otto, obijt.

¶ Cui Richerus abbas, qui Paschalis, succedit annis 18. Cuidam religioso in visione reuelata est mors Vrbani. Cui interroganti quis post eum futurus esset pontifex, respondit is, qui apparuit Richerus abbas. Rursus illo interrogante quamdiu viuere deberet. Respice (ait) ad suppedaneum lecti tui. Quumq; respexisset, vidit iacentem schedulam paruam, ex vna parte pilosam, & ex alia purã, paucis literis taliter inscriptã: Terni, terni, terni, terniq;. Qui simul iuncti, 18 fiunt. Rursus autem illo sciscitante, cur prædicta schedula partim pilosa & partim pura esset, respondit, Tempus papatus eius partim placidum, partim turbulentum erit. Quod verum fuit. His temporibꝰ exorta est secta monachorum, qui nõ nigris, sed griseis induuntur vestimẽtis: cuiꝰ author extitit quidam Adam, vt dicũt. Paschalis igitur pontifex in specula totius ecclesiæ constitutus, iuxta tenorem antecessorum suorum, Alexãdri, Gregorij, Vrbani, contra inuasores spiritualium charismatum decretum promulgauit: ac denuo Henricum regem cum omnibus fautoribus suis excommunicatum pronunciauit. Interea Vigbertus, Romanæ & Apostolicæ sedis inuasor, moritur: & quia non habuit successorem suæ sectæ, ruit omnis populus ad Paschalem papam, & sic annihilata est hæresis eius quæ hactenus vigebat. Quidam autem de fautoribus eius rumorem sparserunt in populũ ad sepulchrum eius se vidisse diuina micuisse luminaria. Quapropter Paschalis zelo Dei inflammatus iussit, vt effoderetur, & in Tibrim iactaretur. Quod & factum est. Paschalis statuit, vt quicunq; de schismate hæreticorum ad vnitatem & concordiam sanctæ ecclesiæ catholicę reuerti vellent, priꝰ omnem hęresim anathematizarent: sicq;, promissa Apostolicæ sedis pontifici Paschali eiusq; successoribus obediẽtia, sub testimonio Christi & ecclesiæ, paci & vnitati reconciliarentur Ordo reconciliationis hmõi est: Anathematizo oẽm hæresim, & ꝑcipue illam quæ statum ꝑsentis ecclesiæ conturbat, quæ astruit & docet, anathema contemnendum, & ecclesiæ ligamenta spernenda esse. Hanc cum suis authoribus damno & anathematizo. Promitto autem obedientiam apostolicæ sedis pontifici Paschali, eiusq; successoribꝰ, sub testimonio Christi & ecclesiæ affirmans quod affirmat, & damnãs quod damnat sancta & vniuersalis ecclesia. Hierosolyma Id. Iulij capta est est à Christianis eo die quo diuisio Apostolorum facta est, Gotfrido duce exercitum ibi regente: & statim eum Christiani regem super se constituerunt.

Anne 1100 actum est quod sequitur. Paschali papę Romanæ ecclesię, & omnibus episcopis, & vniuersis Christianę fidei cultoribꝰ, Pisanus archiepisco. & Gotfridus dux, gratia Dei ecclesiæ sancti sepulchri nunc aduocatus, & Regemundꝰ comes sancti Ægidij, & vniuersus Dei exercitꝰ qui est in terra Israel, salutem. Multiplicate preces & orationes cum iocũditate & exultatione in conspectu Domini, quomodo Deus magnificauit suã misericordiã, cõplendo in nobis ea quę antiquis tẽporibꝰ promiserat. Etenim quum capta Nicea cunctus exercitus inde discesserat, plus quam trecenta millia armatorum

ibi fuerunt. Et licet hæc tanta multitudo quę vniuersam Romaniam occupare poterat, atq; epotare flumina omnia & pascere omnes segetes vna die posset: tamē cum plenitudine tanta conduxit eos Dominus, vt de ariete minim⁹, & de boue vix 12 acciperentur. Præterea etsi principes & reges Saracenorum contra nos surrexerint, tñ Deo volente facile victi & conculcati sunt. Ob hæc qdem feliciter acta quia quidam intumuerant, opposuit nobis Deus Antiochiam humanis viribus inexpugnabilem, ibiq; per 9 mens. nos detinuit, atq; in obsidione extra ita humiliauit, vt in toto exercitu nostro vix *100* boni equi reperirentur. Tādem aperuit nobis Deus copiam suæ benedictionis, & nunc ēt induxit nos in ciuitatem ad Turcos, & omnia eorū potestati nostrę tribuit. Quū hæc quasi viribus nostris acquisita teneremus, nec Dominum qui hęc obtulerat, digne magnificaremus, à tanta multitudine Saracenorum obsessi sumus, vt de tāta ciuitate nullus egredi auderet. Præterea fames ita conualuerat, vt vix ab humanis dapibus se aliqui abstinerent. Longum est enarrare miserias q̄ in ciuitate fuerūt. Respiciens aūt Domin⁹ populum, quem ita diu flagellauerat, benigne cōsolat⁹ est nos. Itaq; primo quasi p̄ satisfactione tribulationis lāceam suam, munus inuisum à tempore Apostolorum, pignus victoriæ nobis cōtulit: deinde corda hominum adeo animauit, vt illis quibus ægritudo vel fames ambulandi vires negauerat, arma sumendi & viriliter cōtra hostes dimicandi virtutē infunderet: deniq; cum triumphantibus hostibus fame & tædio deficeret exercitus Antiochiæ, & maxime propter discordias principū, in Syriā profecti, Varrā & Marram vrbes Saracenorum expugnauimus, & castella regionis obtinuimus. Quumq; ibi moram disposuissemus, tāta fames in exercitu fuit, vt corpora Saracenorum iam fętentium à populo Christiano iam comesta sint. Deniq; cum diuino monitu in interiora Hispaniæ ingrederemur, largissimā atq; misericordē & victoriosissimam manum omnipotentis patris nobiscum habuimus. Etenim ciues & castellani regionis per quam procedebam⁹, ad nos cum multis donarijs legatos præmittebant, parati seruire nobis, & oppida sua reddere. Sed quia exercit⁹ noster non mult⁹ erat, & in Hierusalem vnanimiter venire festinabat: acceptis securitatib. tributarias eas fecim⁹, q̄ppe quum de multis vna ciuitatibus quæ de maritimis illis sunt plures homines haberet, q̄ in exercitu nostro fuissent. Quūq; auditum esset Antiochiæ, atq; Laodiceæ, & Rohas q̄ manus Domini nobiscū esset, plures de exercitu qui ibi remanserant, consequuti sunt nos apud Tyrū. Sicitaq; Deo cooperante vsq; ad Hierusalem peruenim⁹. Quumq; in obsidione multum exercitus laboraret, maxime p̄pter inopiam aquæ, habito concilio episc. & principes circumeundā esse ciuitatē nudis pedibus prędicauerunt, vt ille qui p̄ nobis humiliter eam ingressus est, p̄ humilitatem nostram pro se ad iudicium de suis hostibus faciendum nobis eam aperiret. Placatus itaq; Dominus hac humilitate. 8 die post humiliationem cum suis hostibus ciuitatē nobis tribuit, eo videlicet die, quo primitiua ecclesia inde abiecta fuit, quū festum de dispersione Apost. celebratur. In porticu Salomonis, & in templo eius nostri equitabant in sanguine Saracenorum vsq; ad equorum genua. Deinde quum ordinatum esset, qui ciuitatem retinere deberēt, & alij amore patriæ & pietate parētum suorum redire voluissent, nunciatum est nobis regem Babylonię Ascalonā venisse cum innumerabili multitudine militum, ducturum Francos q̄ Hierosolymis erāt in captiuitatem, & expugnaturū Antiochiam. Sed aliter Domin⁹ de nobis statuerat. Itaq; conscendimus obuiam illis, relictis sarcinis & infirmis in Hierusalem cum præsidio. Quumq; exercit⁹ noster & hostium se cōspexissent; genub⁹ flexis adiutorem Deum inuocauimus, vt qui in alijs nostris necessitatib⁹ legem Christianā confirmauerat, in præsenti bello confractis virib⁹ Saracenorū & diaboli regnum Christi & Ecclesiæ à mari vsq; ad mare vsquequaque dilataret. Sic dominus adfuit, atq; tātas tribuit vires, vt in hostē currere vidēs fontem aquę viuæ sitientē ceruū segnem adiudicaret, miro videl. mō, quum in exercitu nostro nō vltra *5000* militum, & & 15000 peditum fuissent: & in exercitu hostium *100000* equitum & *400000* peditum esse potuissent. Tunc mirabilis in seruis suis Dominus apparuit, quum antequam confligeremus p̄ solo impetu nostro hāc multitudinem in fugam vertit, & omnia eorum arma diripuit, vt si deinceps nobis vellent

fratrem eiu
constituer
Anno 1
Domini Mo
tē Leodii Co
Italia obiit, &
tia. E gilbertu
pus obiit pro
marus Bremer
Anno 102
ne 10. Impera
Mogunt. celeb
cum exercitu
pertus episcop
pro quo Otto
Magdeburge
pro quo Henr
Anno 110
Domini Mo
comes occidi
Anno 1104, in
mini Ratisbon
Moguntiæ. Ioā
Anno 1105,
imperatoris inua
viuente patre, Vo
niot Saxoniam h
pter quosdam ca
perficere potui
batur, quemadm
quoniam excom
tur à tribus ape
Gregorio scilic
ipsa vero expec
moliebatur intra
de exercitu eius c
ricus de discessio
missaiā dicta expe
tio reuertitur. Fil
a legato Romani
Constantiensi epi
catione absolutu
gremio restituitur.
cis rebus sacris pro
assumto secum legat
Saxoniam q̄ petiit
deposuit: reliquos ver
chæ ab officio suspen
amini papæ cogit. H
tinensis archiepiscop
discesserat, propriæ
peratore Natiuitatem
celebrauit, Pascha q
Verzeburgensis Epi
Anno 1106, imp

vellent repugnare, non cito hērent arma. Spolia inaudita, & thesaurū regis Babylonię obtinuim⁹. Ceciderunt ibi Maurorū vltra *100000* gladio. Timor autem eorum tantus erat, vt in porta ciuitatis ad 2000 suffocati sint. De his vero q̄ in mari interierunt, nō est numerus. Spineta etiam ex ipsis occiderunt. Pugnabat certe pro nobis Deus. Pridie quā bellum fieret, multa millia camelorum & boum & ouium cepit exercit⁹. Principum iussū populus hęc diuisit ad pugnam ꝓgrediens multas turmas istorum animalium comitabantur miraculose, & stabāt cum stantib⁹, & currebant cum currentibus. Nubes ab æstu Solis defenderūt nos, & refrigerabāt. Celebrata itaq; victoria, reuersus exercitus est Hierusalem, relictoq; ibi Gotfrido duce, comes sancti Ægydij, & Rupertus comes Normanniæ, & Rupertus comes Flādriæ Laodiceam reuersi sunt: ibi classem Pisanorum & Boemūdi inuenerunt. Quumq; archiepi. Pisanus Boemundū & dominos nostros concordare fecisset, regredi Hierusalem pro Deo & fratrib⁹ suis Regemundus disposuit. Ad igitur tam admirabilē fratrum vestrorū fortitudinis deuotionē, ad tā glorioſam omnipotentis Dei retributionem, ad tā exoptandam omnium peccatorum nostrorum per Dei gratiā remissionem, & catholicæ Christi ecclesiæ, & toti⁹ Latinæ inuitamus vos ad exultationem, & omnes epis. & bonæ vitæ clericos & monachos, & omnes laicos, vt ille vos ad dexteram Dei consedere faciat, qui viuit & regnat Deus per omnia secula. Rogamus & obsecramus vos per Dominum Iesum, qui nobiscum semper fuit, & collaborauit, & ex omnibus tribulationibus nos eripuit, vt fratrum sitis memores vestrorum, q̄ ad vos reuertuntur, benefaciendo eis & soluendo debita eorū, vt vobis Deus benefaciat, & vos absoluat ab omnib⁹ peccatis, vt in omnibus quę vel nos vel illi apud Deum meruim⁹, partem vobis cōcedat, Amen. Hyems dira & fames magna. Clemens papa, qui & Vigbert⁹, obijt. Otto Argentinensis epis. obijt. Vdo marchio & alij plures Saxonum barbaros qui & Luitici vocantur, inuasit, & cum honore triumphauit. Gotfrid⁹ rex apud Hierusalem obijt, qui exercitum Christianorum regebat, & sepultus est iuxta Caluariæ locum, vbi Dominus noster crucifixus est: & statim Christiani fratrem eius Balduinum super se regem constituerunt.

Anno 1101, imperator Natiuitatem Domini Mogūtię celebrauit, Pascha autē Leodii. Conradus filius imperatoris in Italia obiit, & sepultus in ciuitate Florentia. Egilbertus Treuirorum archiepiscopus obiit: pro quo Bruno cōstituitur. Liemarus Bremensis archiepiscopus obiit.

Anno *1102*, Cyclus 19 incipit, indictione 10. Imperator Natiuitatem Domini Mogunt. celebrauit. Imperator Flandriā cum exercitu adiit, & pacifice rediit. Rupertus episcopus Babenbergensis obiit: pro quo Otto constituitur. Hartuigus Magdeburgensis archiepiscopus obiit: pro quo Henricus constituitur.

Anno *1103*, imperator Natiuitatem Domini Moguntiæ celebrauit. Cuono comes occiditur.

Anno *1104*, imperator Natiuitatem Domini Ratisbonæ celebrauit, Pascha autē Moguntiæ. Ioānes Spirensis episc. obiit.

Anno 1105, Henricus filius Henrici imperatoris inuaso regno cœpit regnare, viuente patre, Voluit autem Henricus senior Saxoniam hostili manu inuadere ꝓpter quosdam catholicos, quod minime perficere potuit, quia filius eum detestabatur, quemadmodum & cuncti fideles; quoniam excommunicatus denunciabatur à tribus apostolicæ sedis præsulibus, Gregorio scilicet, Vrbano, & Paschali. In ipsa vero expeditione, quia Saxoniam moliebatur intrare, filius quadam nocte de exercitu eius cum paucis aufugit. Henricus de discessione filii tristatus, intermissa iā dicta expeditione, infecto negotio reuertitur. Filius vero Sueuiā petens à legato Romani pontificis Geuehardo Constantiensi episcopo de excommunicatione absoluitur, & matris Ecclesiæ gremio restituitur. Inibi ergo Ecclesiasticis rebus sacris pro tempore ordinatis, assumto secum legato Romano, Boariam Saxoniamq; petiit; inuasores synodaliter deposuit; reliquos vero fautores hęresiarchæ ab officio suspendit, ac subiacere examini papæ coegit. Ruchardus Moguntinensis archiepiscopus 8 anno postquā discesserat, propriæ sedi restituitur. Imperator Natiuitatem domini Moguntiæ celebrauit, Pascha quoque. Emehardus Verzeburgensis Episcopus obiit.

Anno 1106, imperator ante Natiuita-

tem Domini à filio capitur. Henricus rex Natiuitatem domini Moguntiæ celebrauit, ibiq; conuentũ habuit de habẽda pace. Cõmunicato consilio principum, patrem suæ curiæ p̃sentauit, qui pridie Cal. Ianua. apud Ingelheim prædicto filio suo coram quibusdam principibus regnum tradidit. Et licet hoc fecisset, tñ nequaq̃ ea quæ pacis sunt, à filio adipiscitur. Cometa stella visa est. Magnus dux Saxoniæ obijt, cuius ducatum obtinuit Lutgerus comes filius Geuehardi, quum non hẽret hæredem. Henricus iunior Coloniã obsidet ad iniuriã patris. Sed interim moritur pater apud Leodium constitutus & Spirã deportatus in quandam desertã ecclesiolã deponitur insepultus, pro eo quod àtot & tantis patribus tanto tẽpore pmansisset excõmunicatus. Verum in breui epilogo onerosam istius viri cõplectar historiam. Hẽricum, hominem puersum, & iusto iudicio ab ecclesia electum, omnib⁹ reuera constat manifestum. Vendidit.n. omnia spiritualia, fuit inobœdiẽs apostolicæ sedi, & in ipsam sedẽ fecit supplantationẽ, substituendo Vigbertum Gregorio, in legitima vxore sua modum Christianitatis excedendo, Apostolicæ sedis sententiam parui pendendo. Hinc orta est maxima persequutio in ecclesia Dei, faciẽte inuidia & discordia: quoniam vn⁹ alium persequebatur, frater fratri obloquebatur; quidam fauebat regi, alius papæ: vnde factum est, vt multi perirent. In tatum enim creuit hoc malum, vt apostolica censura pro nihilo haberetur, & ipsa excommunicatio iam facta ignoraretur. Enimuero vt de illo omnia loquar, erat valde misericors. Aliqui .n. dum sederet ad requisita naturæ, eum p̃forare volentes capti sunt, & ante eum ducti, qui cõuicti & confessi, abire iussi sunt impuniti. Multi etiã principes qui ei multa mala fecerunt atq; magnũ contẽptum ingesserunt; mox vt ei se prostrauerunt, omnia eis condonauit. Et q̃uis esset valde cõpatiens & misericors in eleemosynis pauperum, obstinata tamen mente in excommunicatione permansit: quæ omnia bonitatis eius opera obnubilant. Pater eius apud Botfeld quum ægrotaret, (nam in iecore cerui mortem cõederat) rogauit, imo imperando imperauit, vt filio suo iurarent ad obtinẽdum imperium. Quod quidem fecerunt quum esset 8 annorum, & nondum baptizatus.

¶ Romanorum *96*, quintus Henricus, filius Henrici tertij imperatoris, regnauit annis viginti.

Anno 1107, rex Natiuitatem Domini Ratisbonæ celebrauit, Pascha vero Moguntiæ. Henricus rex dum in Goslariensi oppido conuentum habuisset, & iura regni, prout voluit disposuisset, subito tempestas nimium horribilis, fulgurum, corruscationum, tonitruorum exorta, regem & omnem populum perterruit. Adeo enim vehemens fuit, vt ensem regalem perstringens partem non modicam in acumine cum baltheo clypei regalis absumeret, coriumq; interius clypei per partes in rugam conuerteret. Dicitur etiam, quod vulnusculum regi in maximo digito pedis dextri inflixerit, & hoc idẽ portauerit quamdiu vixisset. Eodem anno rex Flandriam cum valida manu intrans ferro & igne cuncta deuastat, Rupertum comitem cum omni populo subiugat.

Anno 1108, rex Aquisgrani Natiuitatẽ Domini celebrat. Henricus rex Panno-niã ingreditur, vbi ob infidelitatem quorundã principum nihil memoria dignum ab eo agitur. Eod. anno Bohemorum fere ad 3000 virorum, à proprio duce necati sunt. Hoc etiã anno cœptum est nouum monasterium construi in monte S. Dionysii. Piæ namque memoriæ Burchardus abbas diui Iacobi Moguntiæ, quem dominus archiepiscopus Ruchardus ecclesiæ beati Dyonisii primum abbatem præfecerat, 2 Cal. Iulij primum fundamentum lapidem iussu præfati præsulis posuit.

Anno 1109, rex Natiuitatem Domini Moguntiæ celebrauit. Eodem anno desponsata est ei filia regis Anglorum. Henricus rex Coloniam ingreditur, eaq; præda & incendio vastata reuertitur. Ruchardus Moguntinensis archiepiscopus obijt: cui successit Adelbertus, regis cancellarius.

Anno 1110, rex valida manu Italiam ingreditur: eius oppida, castella, municipia, rapina & incendio depopulatur. In cuius exercitu erãt 3000 armatorum militum, excepta seruorum sequentiumq; multitudine, quorum non opus videtur numerum describere. Paschalis põtifex vniuersalis collecto concilio Romæ in basilica beati Petri Apostoli, p̃sente Henrico rege pronunciauit decretum, seq; illud coplere velle cum iustitia & authoritate

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

confirmauit: ſ. vt Eccleſiæ decimis & oblationibus contentæ eſſent; rex vero prædia & regalia, ducatus ſc. marchionatus, comitatus & aduocatias dudum à Carolo, eiuſq; ſucceſſoribus, Chriſtianis imperatoribus, eccleſiæ collatas reciperet: ea conditione, ne pontifices regali manu, anulo, & virga inueſtirentur, quæ ſancto ſpiritui authoritatiq; ſanctorũ canonum contraria viderẽtur. Sed qualiter hæc geſta ſint, ſcripta ipſius imperatoris melius inſinuabunt. Henricus Dei gratia, Romanorũ imperator Auguſtus, omnib⁹ Chriſti fidelibus in eccleſia. Notum eſſe volum⁹ dilectioni & diſcretioni veſtræ, ea quæ inter nos & dominum illum Paſchalem erant, quomodo incepta tractata ſint: ſci. de cõuentione inter me & ipſum, de traditione Romanorum in me & meos, vt audita intelligatis, intellecta examinetis, examinata dijudicetis. Igitur dum in eo tot⁹ eſſem, vt me ad eccleſiæ vtilitatem & ipſius votum, ſi iuſtum eſſet, cõponerem, cœpit exaltationem & dilatationem regni ſuper oẽs anteceſſores meos promittere. Studebat tñ ſubdole, quomodo regnum & eccleſiã à ſtatu ſuo diſcinderet, tractare. Quod ſic facere aggreſſ⁹ eſt. Regno quidem iam à Carolo 400 & amplius annis, & ſub 63 apoſtolicis inueſtituras epiſcopatuũ, eorũdem authoritate & priuilegiorum firmitate tenenti, abſq; omni audientia auferre volebat. Et quum per nuncios noſtros ab eo quæreremus, quid de nobis fieret, in quo regnum noſtrum conſtat quomodo fere omnia anteceſſorũ noſtri eccleſijs cõceſſerũt, & tradiderũt, ſubiunxit: Fratres, eccleſię decimis & oblationibus ſuis contentæ ſint: rex vero ẽdia & regalia, quæ à Carolo & Ludouico, Ottone & Henrico eccleſijs collata ſunt, ſibi & ſucceſſoribus ſuis recipiat & detineat. Ad hoc quum noſtri reſponderent, nos quidem nolle violentiam eccleſijs inferre, nec iſta ſubtrahendo tot ſacrilegia incurrere: fiducialiter promiſit, & ſacramento p̃ eo firmauit Dominica Eſto mihi, ſe omnia hęc cũ iuſtitia & authoritate eccleſijs auferre, nobiſq; & regno cum iuſtitia & authoritate reddere: noſtris itidem firmantib⁹, ſi hoc (vt præmiſſum eſt) ita compleſſet, quod tñ nullo modo fieri poſſe ſciebat: me quoq; (vti quærebat) inueſtituras eccleſiarũ reſignaturũ: ſicut in charta cõuentionis plenius poteris videre. Hæc eſt charta cõuentionis ei⁹ ad me: Dominus papa præcipiet epiſcopis præſentib. in die coronationis regis, vt dimittant regalia regno, quæ ad regnum pertinebant tempore Caroli, Henrici, & aliorum prædeceſſorum ei⁹, & ſcripto firmabit ſub anathemate, ne quis eorum vel p̃ſentium, vel abſentiũ, vel ſucceſſorum eorum, intromittant ſe vllo modo, vel inuadant eadem regalia, id eſt ciuitates, ducatus, marchias, comitat⁹, monetas, teloneum, mercatũ, aduocatias, omnia iura centurionũ, ideſt villicorum, turres & villas quæ regni erant, cum omnibus pertinẽtiis ſuis, militiam & caſtra. Nec ipſe regem & regnum ſuper his vlterius inquietabit, ſed priuilegio ſuo ſub anathemate cõfirmabit ne poſteri ſui inquietare præſumant: regem benigne & honorifice ſuſcipiet, & more prædeceſſorum ſuorũ catholicorum, ſcienter, non ſubtracto coronabit, & ad tenẽdum regnum cum his omnib. officii ſui auxilio adiuuabit. Si domin⁹ papa hæc regi nõ adimpleuerit; ego Petr⁹ Leonis iuro, quod tota potẽtia mea tenebo ad dominum regem. Obſides aũt niſi effugerunt, reddemus altero die poſt coronationem regis. Si per papam remãſerint, vt non coronetur, ſimiliter reddemus Dominico die quum rex ad proceſſionẽ venerit. Obſides dabo Gratianum filium meum, & filium Vizonis filii, & filium ſororis meæ, ſi eum habere potero. Hæc ſunt ſacramẽta ex parte domini papæ: Ego Petr⁹ Leonis iuro vobis, quia domin⁹ papa proximo die dominico adimplebit regi quod in charta conuentionis ſcriptum eſt. Hæc ſunt ſacramẽta ex parte regis: Ego comes Hermannus, ego comes Gotfridus; ego Volmarus, ego Adelbertus iuro vobis, quia dominus rex proxima 4 vel 5 feria, ita principes iurare faciet, & obſides dabit, ſicut in charta conuentionis ſcriptum eſt. Et ſic obſeruabũt domino papę, eo tenore ſi dominus papa proximo die Dominico ſic adimpleuerit regi per omnia, ſicut in charta conuentionis ſcriptum eſt. Ego vero vt oſtenderem nullam Eccleſiarum Dei diſturbationem ex velle noſtro procedere, in cunctorum oculis aſtantium & auribus hoc decretum promulgaui: Ego Henric⁹ Dei gratia, Romanorũ imperator Auguſtus, affirmando & beato Petro, omnibus Epiſcopis & abbatibus, & omnibus eccleſiis,

omnia quę anteceſſores mei reges, vel etiam imperatores eis conceſſerunt vel tradiderunt & quæ illi pro ſpe æternæ retributionis obtulerũt, do. Ego peccator pro timore terribilis iudicij vllo mõ ſubtrahere recuſo. Hoc decreto à me lecto & ſubſcripto, petij ab eo, vt ſicut in charta conuentionis eius ſcriptũ eſt, mihi adimpleret. Quum ergo ſupra dictæ poſtulationi inſiſterem, ſ. vt cũm iuſtitia & authoritate, promiſſa mihi conuentione, firmiter vniuerſis in faciem eius reſiſtentibus, & decreto ſuo palam hæreſim inclamantibus, ſ. epiſcopis, abbatibus tam ſuis quam noſtris & omnibus eccleſiæ filijs; hoc, ſi ſalua pace eccleſiæ dici poteſt, priuilegium proferre noluit. Paſchalis epiſcopus, ſeruꝰ ſeruorum Dei, dilecto filio Henrico regi & eius ſucceſſoribus imperatoribus, &c. Diuinæ legis inſtitutionibꝰ ſancitum eſt, & ſacris canonibus interdictum, ne ſacerdotes curis ſecularibus occupẽtur, neue ad comitatum, niſi pro damnatis eruendis, atq; pro alijs qui iniuriam patiuntur, accedant. Vnde & Apoſtolus Paulus inquit: Iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in eccleſia, illos cõſtituite ad iudicandum. In veſtri autem regni partibus epiſcopi vel abbates adeo curis ſecularibus occupantur, vt comitatum aſſidue frequentare, & militiam exercere cogantur, quæ nimirum aut vix, aut nullo modo ſine rapinis, ſacrilegijs, incendijs, aut homicidijs exhibetur. Miniſtri vero altaris, miniſtri curiæ facti ſunt: quia ciuitates, ducatus, marchionatus, monetas, turres, & cætera ad regni ſeruitium pertinentia à regibus acceperunt. Vnde etiam mos eccleſiæ intolerabilis inoleuit, vt electi epiſcopi nullo modo cõſecrationem acciperent, niſi prius per manum regiam inueſtirentur. Aliquando etiam viuis epiſcopis inueſtiti ſunt. His & alijs plurimis malis, quæ per inueſtituram plerunq; cõtigerant, prædeceſſores noſtri Gregorius VII, & Vrbanus II, felicis memoriæ põtifices excitati, collectis frequenter epiſcopalibus cõcilijs, inueſtituras illas manus laicæ damnauerunt; & ſi qui clericorum per eam tenuiſſent eccleſias, deponendos; datores quoque communione priuandos percenſuerunt, iuxta illud Apoſtolicorum canonum capitulum, quod ſe ita habet: Si quis epiſcopus ſeculi poteſtatibus vſus eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur & ſegregetur, omneſque qui illi communicant. Quorum veſtigia ſubſequentes & nos, eorum ſententiam epiſcopali concilio confirmamus. Tibi itaq; fili chariſſime, Henrice Rex, & nunc per officium noſtrum, Dei gratia Romanorum imperatori, & regno regalia illa dimittẽda præcepimus, quæ ad regnum manifeſte pertinebant tẽpore Caroli, Ludouici, Ottonis, & cæterorũ prædeceſſorum tuorum. Interdicimus ét, & ſub anathematis diſtrictione prohibemꝰ, ne quis epiſcoporum ſeu abbatum præſentium vel futurorum eadem regalia inuadãt, i. ciuitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, teloneum, mercatum, aduocatias, iura, centurionum & turres quæ regni erant, cum pertinentijs ſuis, militiam & caſtra; & ne ſe deinceps, niſi per gratiam regis de ipſis regalibus intromittant. Sed nec poſteris noſtris liceat, q poſt nos in apoſtolica ſede ſucceſſuri erũt, aut te, aut regnum ſuper hoc inquietare negotio. Porro eccleſias cum oblationibꝰ & hæreditarijs poſſeſſionibus, quæ ad regnum manifeſte pertinebant, liberas manere decreuimꝰ, ſicut in die coronationis tuæ omnipotenti Domino in conſpectu totius eccleſiæ promiſiſti. Oportet enim epiſcopos curis ſecularibꝰ expeditos, eccleſijs ſuis abeſſe diutiꝰ. Ipſi. n. iuxta Paulum Apoſtolum preuigilant, tanquam rationem pro animabus eorum reddituri. De traditione vero in nos vel in noſtros ſic ſe res hẽt. Vix portas ciuitatis ingreſſi ſumus, cum noſtris infra muri mœnia ſecure vagantibus, quidam vulnerati, alteri interfecti, omnes vero ſpoliati, aut capti ſunt: ego tamen quaſi proleui cauſa non motus, bona & tranquilla mente vſq; ad eccleſiæ beati Petri ianuas cum proceſſione perueni. Quod ſic geſtum fuiſſe, rei veritas multorum aſtipulata teſtimonijs qui interfuere.

Anno 1v, rex Natiuitatem Domini apud ciuitatem Florentiã celebrat, & poſt Paſcha à papa imperator conſecratur.

Anno 1112, imperator Natiuitatem Domini Goslariæ celebrauit. Adelbertus epiſcopus capitur.

Anno 1113, imperator Natiuitatem Domini, apud Erphesford celebrauit. Obijt Burchardꝰ abbas ſancti Iacobi, qui etiam fuit primus abbas in mõte ſancti Dyſibo-

SCRIP. REI GERMAN

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

di, cui succeſſit dominus Adelhunus, vir in omni opere ſtrenuus, & in vniuerſa morum probitate cõſpicuus, annis quindecim.

Anno milleſimo centeſimo decimo quarto imperator Natiuitatem Domini Babembergæ celebrauit, & poſt Epiphaniam apud Moguntiam nuptias fecit. Ludouicus de Thuringia capitur: Principes regni coniurant aduerſus regem.

Anno milleſimo centeſimo decimo quinto, imperator Natiuitatem Domini Goslariæ celebrauit, & poſt octauam Epiphaniæ, cum Saxonibus pugna facta multos ſuorum perdens, reuertitur, & Paſcha Moguntiæ celebrauit. Adelbertus Epiſcopus de captiuitate liberatur.

Anno milleſimo centeſimo decimo ſexto, imperator Natiuitatem Domini Spiræ celebrauit, & poſt octauam Epiphaniæ Adelbertus archiepiſcopus apud Coloniam, in feſto ſancti Stephani protomartyris, ab Ottone Babembergẽſi Epiſcopo cõſecratur. Imperator Italiam ſecundo intrauit. Theodoricus abbas ſancti Albani obiit, pro quo Bertolphus conſtituitur.

Anno milleſimo centeſimo decimo ſeptimo, in octaua ſancti Ioannis Euangeliſtæ terra motus bis inter diem & noctem tam terribilis per totum orbem terrarum factus eſt, vt multa ædificia corruerent, & homines vix effugerent: ſed maxime in Italia, vbi tam periculoſus & horribilis fuit, vt manifeſtum Dei iudicium ſuper ſe homines expectarent: quum per diuerſa loca Italiæ ciuitates, caſtella, villæ, cum hominibus inibi commorantibus ſubito ab hiatu terræ deperirent. Nam & montes ſciſſi ſunt, & flumina terra deglutiente exſiccata ſunt, vt qui vellent pedibus tranſire poſſent. Necnon fluuius Padus de alueo ſuo ſe erigens, in modum fornicis in altum ſe extulit, vt via pateret inter terram & aquam, & aperte daretur intelligi, quod elatis fluctibus mundo exitum minaretur. Et quum ſic diutius aqua penderet, tandem in ſemetipſam tanto ſonitu demittitur, vt murmur illius per aliquot miliaria audiretur. His tam mirandis, tamque tremendis ſignis circunquaque diuulgatis, & tribus diebus in ieiuniis & orationibus per totam Italiam, ab omnibus peractis: apud Cremonam quidam infantulus in cunis iacens, pannis obſitus, in primam loquendi vocem contra naturam os aperuit; matremq; ſuam eſcas parantem fratri ſuo maiori, qui plorando panem petiuerat, à corporis curis compeſcuit, afferens ſibi Dei genitricem Mariam ante tribunal Chriſti ſtantem, inſtantiſſimiſque precibus pro iudicio quod mundo propter peccata ſua dare intenderat, ipſi ſupplicantem: ac poſt hæc depoſuit eloquium vſque ad tempus humanæ conditioni congruum. Hæc autem tanta & tam horribilia mirabilia hi qui viderunt, pericula mortis vix euaſerunt; & non ſunt compuncti, nec gratias egerunt Deo pro euaſione ſua. Qui vero audierũt tam ſtupendum ſignum, non glorificauerunt Deum, ſed indurati in maliciis ſuis, maiora peccata prioribus addiderunt. Nam hoc eodem anno multa perpetrata mala, coniurationes iniuſtæ, incendia, homicidia, concremationes Eccleſiarum, & abſtractiones bonorum inibi Deo ſeruientium, ſed maxime in partibus Galliæ, vbi ciues contra ciues conſurgunt, & ſibi non conſentientes capiunt bona, diripiunt ciuitates, caſtella, domos, villas deſtruunt, incendunt, homines nõ humano, ſed pecudum more dilaniant, atque interimunt. Bis etiam hoc anno Eclipſis Lunæ facta eſt ſcilicet decimo ſexto Calendis Iulii, & tertio idus Decembris. Mirabile quoque ſignum decimo ſeptimo Calend. Ianuariis in cœlo apparuit, variis coloribus permixtum.

Anno milleſimo centeſimo decimo octauo, imperator de Italia reuertitur.

Anno milleſimo centeſimo decimo nono, obiit Obertus Leodienſis Epiſcopus, & Adelgas Magdeburgenſis Epiſcopus, & Henricus de Suchuende. Obiit & Ioannes papa, qui & Gelaſius, apud Cluniacum. ¶ Cui ſucceſſit Otto, qui & Calliſtus, Viennenſis archiepi-

ſcopus. Imperatoris & principum conuentus iuxta Moguntinum in feſtiuitate Petri & Pauli habitus. Remenſi ſynodo præſedit Calliſtus papa, Calendis Octobris. Volpertus abbas ſancti Albani conſtituitur.

Anno milleſimo centeſimo viceſimo, Dieggerus Metenſis Epiſcopus obiit.

Anno milleſimo centeſimo viceſimo primo, Fridericus Leodienſis Epiſcopus obiit, pro quo Adelberd frater Godfridi ducis conſtituitur.

Anno milleſimo centeſimo viceſimo ſecundo, Cyclus viceſimusquartus incipit, indictione decimaquarta. Generalis abſolutio banni per Lampertum tunc Oſtienſem Epiſcopum, poſt papam effectum & dictum Honorium. Cuno Argentinenſis Epiſcopus deponitur, & Bruno conſtituitur. Gebehardus in Wirzeburg Epiſcopus conſtituitur.

Anno milleſimo centeſimo viceſimo tertio, Bruno Spirenſis Epiſcopus obiit: cui Arnoldus ſucceſſit.

Anno milleſimo centeſimo viceſimoquarto, Brunus Treuirorum Epiſcopus obiit. Eclipſis Lunæ tertio nonas Februarii contigit.

Anno milleſimo centeſimo viceſimo quinto, Henricus quartus imperator, ſed huius nominis quintus rex, obiit: pro quo Lotharius dux Saxoniæ tertio Calendis Septembris Moguntiæ conſtituitur, & idibus Septembris Aquiſgrani coronatur à Friderico Colonienſi archiepiſcopo.

¶ Honorius, papa centeſimus quinquageſimusquartus poſt Petrum, ſedit annis quinque, menſibus duobus, & diebus octo.

Mathildis regina in Anglia ad patrem ſuum proficiſcitur, manum ſancti Iacobi ſecum deferẽs: per quod irreparabile damnum regno Francorum intulit.

Rege apud Ratisbonam in conuentũ principum inquirente, prædia iudicio proſcriptorum à rege ſi iuſte forifactoribus abiudicata fuerint, vel pro his quæ regno attinent commutata; vtrum cedãt ditioni regiminis vel proprietati regis: iudicatum, potius regiminis ſubiacere ditioni, quam regis proprietati. Legati pro confirmando rege Romam mittuntur, Gerhardus cardinalis Cameracenſis, & Virdunenſis, Epiſcopi.

Anno milleſimo centeſimo viceſimo ſexto, ¶ Romanorum 97 regnauit Lotharius.

Obiit Hartuinus Ratisbonenſis Epiſcopus, pro quo Cono Sigebergenſis abbas conſtituitur. Filius ducis Baioariæ ducatu Saxoniæ à rege donatur. Mortuo Magdeburgenſi archiepiſcopo rex ibidem curiam in Paſcha habuit. Arnoldus Spirenſis Epiſcopus obiit: pro quo Sigefridus conſtituitur. Northertus vir religioſus Eccleſiæ apud Vormatiam præficitur. Arnoldus Magdeburgenſis Epiſcopus occiditur. Rex dum Ottonem quem ducem ordinauerat, hyemis tempore Boemiam introducere vellet, Vdalricus qui terras illas occupauerat, ducatum ſibi defendere parabat. Sed dum miles ferro viam per ſyluam aperit, repente hoſtes ſuperuenientes ipſum Ottonem, alioſque multos fortes viros interficiunt. Adelbertus marchio capitur.

Anno milleſimo centeſimo viceſimo ſeptimo, rex Natiuitatem Domini Coloniæ celebrauit. Caſtrum Nurnbergenſe obſeſſum per duos menſes à rege & duce de Bohemia, ſed abſque effectu ſoluta eſt obſidio. Guillielmus princeps Burgundiæ, occiditur à ſuis. Carolus comes Flãdriæ, ſuper omnes ſui temporis principes iuſtitiæ mirabilis ſectator, coram altari, quum orationibus piis attẽtus eſſet, à ſuis hominibus occiditur. Rex Dominicæ Reſurrectionis feſtum Goslariæ celebrauit. Conradus de Zeringa coram pleriſq; Burgundionum optimatibus principatu Burgundiæ apud Spiram ciuitatem ſublimatur. Rex in feſto Pentecoſtes apud vrbem Merſeburg duci Bauarorum filiam ſuam iuxta regalem magnificentiam coniugio ſociauit. Obierunt hi: Theodoricus Monaſteriẽſis, Vdalricus Conſtantienſis, Ebhardus Argẽtinenſis, Perodelberus Leodienſis, & Godebaldus Traiectenſis, Epiſcopi.

Anno milleſimo centeſimo viceſimo octauo, rex Natiuitatem Domini Verzeberg celebrauit, vbi Embrichonem Epiſcopum conſtituit. Spira obſeſſa ab idibus

idibus Augusti vsque ad calēdas Nouēb. Leodiensis electus Alexander Moguntię inuestiturā suscepit à rege. Bernhard⁹ Podelbornensis Episcopus cōstituitur. Traiecti episcopus ordinatur Andreas ꝓpositus Leodiēsis. Rex Pascha Merseburg regio more celebrauit, vbi filium ducis Bohemię in sabbato sancto ad hoc ipsum directū de sancto fonte suscepit. Obiit Hēricus marchio de Staden: cuius marchiæ Vdo Franckenlauff præficitur. Lubaldus quoque marchio de Sceyre, vir corpore & animo præstās, defungitur. Marchio Tiebaldus rogatu ducis Baioariæ in gratiam regis recipitur. Adelhunus secund⁹ abbas in monte sancti Dysibodi defungitur 15 Iulii, cui successit Fulcardus abbas.

Anno 1129, Spira secundo obsessa ab idibus Iulii vsq; ad Calen. Ianuarias. Rex Natiuitatem Domini Vormatiæ celebrauit. Haluerstadēsis Episcop⁹, à suis canonicis Romæ inique accusat⁹, à legato papæ deponitur. Hēricus Virdunensis Episcopus à Matthæo Albanensi apostolico legato deponitur. Bruno Argentinensis Episcopus interuentu reginæ & Episcoporum quadriennio expulsus, gratiam regis consequitur. Conradus dux, frater Friderici ducis Sueuiæ, Treuirensem archiepiscopum apud Longobardiam cepit, & Parmensibus pro sexcentis libris tradidit. Rex Purificationem sanctissimę virginis Mariæ apud Altenam ciuitatem fecit, vbi Gisilbertum Traiectensis Ecclesiæ oppressorem decollare ipse fecit, quarto idus Ianuarii.

Anno 1130, Spira deditione subacta. Obiit Honorius 154 papa post Petrum. pro quo cōstituti sunt duo; id est Gregorius, qui dictus est Innocentius; & Petrus, qui cognominatus est Anacletus, fili⁹ cuiusdam potentis viri Romanorum Petri Leonis. Et apud Cluniacense cœnobium monachus Bertholdus Hiltinēsis episcopus obiit: pro quo Bernhardus magister scholarum constituitur. Volpertus abbas sancti Albani obiit: pro quo Vernherus constituitur. Burchardus Cameracensis Episcopus obiit. Vdo de Franckenlauff ab hominibus Adelberti comitis occiditur. Hermānus de Vinzenberg Burchardum de Lochenheim, virū regi fidelissimū, in colloquium vocās occidit. Ludouicus comitatū Thuringiæ, Hermanno iudicio sublatū, à rege suscepit. Castrum Nurmbergēse regi traditur. Dedicatum est altare sancti Stephani, quod in Australi parte noui monasterii situm est, à domino Adelberto Moguntinensi archiepiscopo, in honorem domini nostri Iesv Christi, & beatissimæ Mariæ, & omnium præcipue martyrum, & nominatim sancti Stephani protomartyris, Laurentii, Vincentii & Albani.

Anno 1131, rex Natiuitatem Domini Gandersheim transegit. Gerhardus cardinalis cū legatione apostolica superuenit; nunciās, dominum papam colloquium ipsius super omnia desiderare. Cōcilio Remensi præsedit Innocentius papa, 14 calend. Nouembris, pręsente Ludouico rege Franciæ: cuius filium adhuc paruulum Regem consecrauit. Rex autem Lotharius Leodium cum principibus totius regni, archiepiscopis, Episcopis, ducib⁹, marchionibus, palatinis, comitibus, & etiā cæteris nobilibus ad curiā condictam venit. Aduenientem ibi papam rex magnifice suscepit. Domin⁹ papa regem ad cōprimendam tyrannidem Petri Leonis apostolicæ sedis inuasoris Romam inuitabat, plenitudinem imperii in eadem Romana ciuitate, sicut decebat, offerens. Concilium Mogūtiæ habitum, præsente Lothario rege, præsidente Matthæo Albanensi cum Moguntinensi archiepiscopo, vbi Bruno Argentinensis Episcopus, præsentibus Augustense, Einstedense, Babenbergense, Wurtzeburgense, Spirense, Vormatiense, Episcopis, à clero & populo, super violentia, intrusione, & consecratione impetitus, in manus archiepiscopi & cardinalis Argentinensem reconsignauit Episcopatum. Obierunt archiepiscopi, Fridericus Colonienſis, & Meginherus Treuirensis.

Anno 1132, rex Natiuitatem Domini Coloniæ celebrauit, vbi cōstituti sunt archiepiscopi Brunus Colonienſis & Adelbertus, qui mox consecrati sunt à Vilielmo Prænestino, apostolici legato. Rex in Assumptione sanctæ Mariæ in Italiā expeditionem mouit. Conno Ratisbonensis Episcopus vita functus est.

Anno 1133, imperator de Italia reuertitur, consecratus ab Innocentio papa in Ecclesia Lateranensi. Eodem anno 4 nonis Augusti, 27 luna, Sol obscuratus est 7 hora diei, & tenebræ factæ sunt, ita vt stellæ in cœlo apparerent.

Anno 1134, Eberhardus Med. Episcopus obiit.

Anno 1135, imperator Natiuitatem Domini Spiræ celebrauit. Dedicatum est altare quod situm est ad Aquilonẽ in nouo monasterio, à domino Adelberto Moguntino archiepiscopo, in honorem Domini nostri Iesu Christi, & sanctæ Crucis, & præcipue sancti Petri apostolorũ principis, & omnium sanctorum.

Anno 1136, imperator secundo reuertitur in Italiam cum exercitu cõtra Ruggerum Siciliæ tyrannum. 5 idus Nouembris obiit piæ memoriæ Fulchardus, tertius abbas sancti Dysibodi. Cui successit dominus Conno, ordinatus 6 Cal. Ianuarii. Obiit diuæ memoriæ domina Iuda, quæ 24 annis in monte sancti Dysibodi inclusa, soror Megenhardi comitis de Spanheim. Hæc sancta mulier inclusa est Calen. Nouembris, & aliæ tres cum ea, scilicet Hildegardis, & Sumet vocabuli duæ; quas etiam quoad vixit sanctis virtutibus imbuere studuit.

Anno 1137, imperator in Italia rebus prospere & magnifice gestis reuertitur, & apud castrum quoddam Boariorũ ducis, 3 Cal. Decemb. defungitur. Corpus eius in saxo apud Lutheram ipsius monasterium sepelitur. Obiit Adelbertus Moguntinus archiepiscopus, 9 Calend. Iulii. Monasterium principale in Moguntia cum aliqua parte ciuitatis combustũ est.

Anno 1138, Conuentus principum apud Confluentiã vrbem factus est in cathedra sancti Petri, vbi Conradum Henrici imperatoris ex sorore nepotẽ Regem constituunt. Qui deinde mediæ Quadragesimæ dominico die à Dicuuino cardinale Aquisgrani ciuitate constitutus est. Dedicatum est altare Confessorũ in sanctuario noui monasterii, ad Aquilonarẽ plagam situm, à domino Siuardo Deblasensi, episcopo reuerẽdissimo, in honorẽ domini nostri Iesu Christi, & omnium Confessorum, sed nominatim sancti Clementis martyris & papæ, Gregorii papæ, sancti Martini & Nicolai, Episcoporum. Qui venerabilis prẽsul ab Ecclesia sua, iniuste expulsus, venit in Epscopatum Moguntinensem, quumque eo tempore prẽsule caruit, multas inibi Ecclesias & altaria licẽtia Moguntinẽsis Ecclesiæ consecrauit. Eodem anno, & eodẽ die dedicatũ est altare sancti Benedicti retro tũbam sancti Dysibodi positum à prædicto præsule, in honorẽ sancti Benedicti & omnium cõfessorum. Dedicatum est altare, in sanctuario ad australem situm ab eodem, in honorem Ioannis Euangelistæ, Margaretę, Agathæ, & Luciæ, & omnium sanctarũ virginũ. Acta sunt hæc sub domino Conone sancti Dysibodi quarto abbate.

¶ Romanorum 98, Conradus huius nominis tertius regnauit. Rex Pascha Coloniæ celebrauit. Inde ascẽdens 3 hebdomade post Pascha, Moguntiæ cum magno fauore cleri & populi susceptus est. Ibi Adelbertus, defuncti archiepiscopi ex fratre nepos communi omnium cõsensu, data à rege prẽceptione, Episcopus designatus est. Rex curiam apud Babenberg in Pentecoste habuit, vbi principes totius regni conuenerant; Saxones quoq; omnes, excepto duce Bauariæ Hẽrico, defuncti imperatoris Lotharii genero. Adelbertus Moguntiæ electus sabbato fuit, & postea presbyter ordinatus: sequẽti die, octauis videlicet Pentecostes, ab Ottone ipsius Ecclesiæ antistite Episcopus consecratur. Legati à rege ad Henricũ ducẽ Baioariæ directi, Ratisbonæ receptis regalibus regi occurrũt. Hoc eodem anno, die parasceue Paschæ, calẽdis Aprilis, post celebratas matutinas, mox à fratribus apertũ est sepulchrum sanctissimi patris nostri Dysibodi: præsentibus venerabilibus personis, domino scilicet Conone, ipsius loci quarto abbate; domino Gerardo abbate sancti Maximini charissimo, & domino Bernhelmo primo abbate in Spanheim, cum omni congregatione eiusdem Ecclesiæ, ab vno fratre sigillatim allatæ sunt foras eiusdẽ patris reliquiæ. Repertę sunt aũt in veteri monasterio, vbi reconditæ fuerãt à domino Villigiso archiepiscopo.

Anno 1139. rex Natiuitatem Domini Goslariæ celebrauit. Henricus dux Saxoniæ moritur, pro quo Adelbertus marchio ducatum suscepit, contra quẽ omnes pene principes Saxonum coniurant. Richniza imperatrix obiit. Reliquiæ sancti Dysibodi translatæ sunt Calen. Nouembr. à veteri Ecclesia in nouum monasterium, migrante vna omniũ consecratione sub præfato domino Conone abbate.

Anno 1140, Cyclus decennouaris incipit, indictione 3. Rex Purificationem sanctæ Mariæ apud Vormatiam transegit: & Pascha Virzeburg celebrat. Gebehar-

hardus Argẽtinẽſis Epiſcopus obiit. Otto Babinberg obiit. Adelbertus Mogũtinenſis Epiſcopus, à papa Innocentio vocatus Romam adiit, à quo & benigne ſuſcipitur. Caſtrum Vinsberg à rege obſeſſum: in qua obſidione Velph frater Henrici ducis cum rege in eodem loco bellum cõmiſit, in ſabbato 12 Caleñ. * & rex tandẽ victor extitit, multis prædicti Velfonis interfectis, & nõnullis captis; ac nõ longe poſt caſtrum cepit. Rex dedit abbatiam ſancti Maximini ſancto Petro.

Anno 1143, rex curiam apud Ratisbonam in Pentecoſte habuit, vbi nonnulli principes Saxonum adfuerunt. Adelbertus Moguntinus archiepiſcopus cum Saxonibus aduerſus regem coniurat, & non poſt longum moritur, 16 calẽdis Auguſti: pro quo Marcolphus conſtituitur.

Anno 1142, rex Paſcha Verzeberg celebrauit, & inde poſt feſtum tranſiens, Francenfort venit in Dominica Miſericordia: & ibi curiam habuit, vbi conuenerunt omnes pene principes Teutonici regni, vbi & Saxones in gratiam regis venerunt. Et filius Heinrici ducis ducatum Saxoniæ ſuſcepit, cuius matrem rex fratri ſuo Henrico marchioni ibidem copulauit, ac ducatũ Boariæ tradidit.. Marcolphus Moguntinenſis archiepiſcopus obiit, pro quo Henricus maioris domus præpoſitus conſtituitur, & à rege in Francenfort inueſtituram accepit, prẽſentib⁹ Cardinalibus Gregorio & Dicwino. Dedicata eſt capella in hoſpitali quinto Calendis Iunii, à domino Vigero Brandenburgenſi Epiſcopo, in honorem domini noſtri IESV CHRISTI, & ſancti Nicolai. Proxima die anni eiuſdem dedicata eſt capella in infirmaria ab eodem præſule, in honore beatæ Mariæ Magdalenæ, quarto Calendis Iunii.

Anno 1143, hyems dura. Adelbertus Treuirorũ archiepiſcopus, expulſis prioribus monachis de ſancto Maximino, & Cœleſtinus 155 papa conſtituit ibi abbatem Sigerũ nomine. Hoc anno, indictione 6, dedicatũ eſt nouum monaſterium in mõte ſancti Dyſibodi, & principale altare à domino Henrico Mogũtinenſi archiep. ſcopo in honorẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & gloriоſæ eius matris, & beati Ioannis Euangeliſtæ, ac beatiſſimi patris noſtri Dyſibodi confeſſoris atq; põtificis. Eodem anno & eadem die dedicatum eſt in veſtibulo monaſterii altare à præfato archiepiſcopo in honorem victoriоſiſſimæ crucis & ſancti Ioannis Baptiſtæ. Ipſo nihilominus anno vel die reconditæ ſunt reliquiæ ſancti Dyſibodi patris noſtri à ſupradicto pſule, 3 Cal. Octob intumulo lapideo retro principale altare poſitæ in locellis duobus plumbeis: altero eorũ ſcilicet minore oſſa continente, altero maiore cineres. Impoſitæ ſunt ipſo tumulo tria corpora ſanctarũ de collegio 11000 virginũ in loculis ligneis, & quædã de Thebea legione. Acta ſunt hæc domino Cunone cooperãte, eius loci 4 abbate.

Anno 1144, hyems valida & ventuoſa. ¶ Lucius papa conſtituitur.

Anno 1145, rex Paſcham apud Verzeburg celebrauit. ¶ Eugenius papa cõſtituitur. Cometa apparuit in Maio. Hoc anno Rohas à Saracenis capitur in ſacra nocte Natiuitatis Domini: quorum rex extitit quidam Sanguin nomine.

Anno 1146, capella ſanctæ Mariæ dicata eſt calend. Nouẽb. ab Henrico Moguntinenſi archiepiſcopo, in honorem Domini, & ſanctæ Crucis, & præcipue ad laudem beatæ Mariæ, & ſancti patris noſtri Dyſibodi, atq; Felicis papæ & martyris, & omniũ ſanctorum. Rex Natiuitatem Domini in Magdeburg celebrauit. Hoc anno terræmotus magnus eſt factus Moguntiæ vicibus quindecim.

Anno 1147, rex Natiuitatem Domini celebrauit Merſeburg, vbi Mogũtinus archiepiſcopus, & omnes pene principes Saxonũ aderant. Signum in palmis appa ruit. Etenim quũ Epiſcopus & omnis populus cleruſq; qui ad diem feſtum conuenerãt, aſtarẽt, quaſi iris in cœlo apparuit, ac in medio crucis oſtenſæ ſunt. Rex Paſcham Domini Babenberg celebrauit. Sigefridus Spiræ Epiſcopus obiit, pro quo Guntherus conſtituitur. Emercho Epiſcopus Verzeburgenſis de Græcia rediẽs, Aquileiæ moritur, ibique ſepelitur: pro quo Sigefridus conſtituitur. Eggebertus Babẽbergẽſis epiſcopus obiit; pro quo Eberhardus ordinatur. Conradus rex Vngariam intrat, ac ducem eorũ Vardis nomine bello petit, igne prędaq; vaſtat vniuerſa, & rebellem ducem obſides dare, ſibiq; iureiurando fidelitatem confirmare coarctat. Peſtilẽtia magna facta eſt. De naual i expeditione terræ ſanctæ quædã dicam: Hoc anno, in octaua Paſchæ, 5 Cal.

Maii, mouit exercitus à Colonia: & 14 calen. Iunii venimus in portũ Angliæ Derchimite, vbi erat comes de Areschot cũ 200 fere nauibus Anglicis & Flandricis, & 6 feria ante Rogationes nauigauim⁹ per 8 dies. In vigilia ascensionis passi maris tormenta, 8 demum die in portum Hispaniæ Gazzim saltem cum 50 nauibus appulimus, rursum in portum Viuer eiusdem litoris venimus. postea 6 feria ante Pentecosten, in portũ Galliciæ Thamara peruenimus. Et 8 Pentecostes nauigauimus: & 2 feria applicuimus ad alueum fluminis Dorius Portugaliæ. Exinde ad alueũ fluminis Tagi intrantes, 2 die apud Vlisbonam vigilia Petri & Pauli applicuimus. Circa beatæ Mariæ Assumptionem repulsi fumus ab hostibus. Circa Natiuitatem beatæ Mariæ turris lignea incepta, & circa medium Octobris perfecta, propugnaculum nobis fuit: tandem in ipsa nocte sancti Galli abbatis, lignis igne impositis, & murum 200 pedum irruerunt. Victoria tamen obtenta festo virginum 11000 Duo muti in exercitu cœperũt loqui, festo sancti Gereonis.

Anno 1148, Signum circa solem apparuit mirabile in mense Februario.

Anno 1149, Conradus rex ab Hierosolymis reuersus est, nihil dignum memoriæ referens.

Anno 1150, Sigefridus Wurzebergensis Episcopus obiit.

Anno 1151, Fames valida, ac mortalitas hominum.

Anno 1152, Hermannus comes de Vintenberg cum vxore sua interemptus est. In mense Ianuario magna inundatio aquæ in partibus Rheni fuit. Conradus rex obiit 15. Calend. Martii.

¶ Fridericus fratruelis Conradi regis regnauit.

Anno 1153, Signũ in Sole apparuit 7 calẽdis Februarii. Hẽricus archiepiscopus Moguntinensis in Pentecoste ex præcepto Eugenii papæ depositus est, & Arnoldus cancellarius electus est. Henricus Moguntinẽsis archiepisc. obiit Cal. Sep.

Anno 1154, Fridericus rex in Italiam proficiscitur. Magna inũdatio aquæ fuit. Trãslatio sancti Adelharii in Erphesford 11. Calend. Maii. Eugenius papa obiit. ¶ Huic Adrianus successit.

Anno 1155, Frideric⁹ Romæ ab Adriano papa imperator factus est. Bellum fuit inter Arnoldum archiepiscopum, & Hermannum Palatinum comitem. Dominus Cono, quartus abbas in mõte sancti Dysibodi, obiit 6 nonis Iulii: cui dominus Helingerus 5 successit, 16 calend. Augusti. Imperator de Roma reuertitur: R[illegible] Natiuitatem Domini Vormacię celebrauit, vbi Hermannus Palatinus comes, & Emicho comes de Linengen, & Gotfridus de Spanheim, & Henricus de Katzenelenboge, & Conradus comes de Kirberg, Henricus comes de Didissen, & alii ex parte prædicti Hermanni canes portauerunt: & sic dominus Arnoldus Episcopus ab excõmunicatione eos absoluit. Ex parte vero Episcopi canes portare quidem cœperunt: Ludouicus comes de Lohim, & Guilielm⁹ comes de Glisberg, & alii: sed ob reuerentiam archiepiscopi cessare ab imperatore iussi sunt.

Anno 1156, Arnoldus archiepiscopus, à quibusdam appellatus ad apostolicam pœnitentiam, Adrianum papam adiit: à quo honorifice susceptus apostolicam legationem promeruit, reuersusq; Moguntiæ honorifice suscipitur. Hoc ipso anno Fridericus imperator Agnetẽ principis Burgundiæ filiam vxorem duxit, repudiata priore legitima vxore apud Condistantiam, vnde in Ecclesia grauissimum exortum est schisma. Hermannus Palatinus comes obiit. Cui successit Conradus frater imperatoris ex patre.

Anno 1158, imperator Paschа Vormatiæ celebrauit, vbi pene omnes principes Teutonici regni conuenerunt, & in Longobardiam sequenti anno cũ rege se itu-ros iurauerũt. Post hęc ipso anno imperator effecerat arte, vt abbates, & præpositi, & meliores quidã de ministralibus Moguntinæ Ecclesiæ, fidẽ in manum regis & in manus quorundam amicorũ eius darẽt, vt quum suus Episcop⁹ Arnold⁹ quouis casu defecisset, alium non eligerẽt, nisi consilio eorum ipse medius interesset.

Anno 1158, imperator cum principibus Teutonici regni circa Pentecosten Longobardiã intrauit, & vrbem Brixiam cum aliis cepit, postquam Mediolanũ in manu valida, scilicet 5000 Teutonicorum obsedit. Discordes autem erãt Lõgobardi. Quũq; Mediolanenses se arcte obsessos viderent, imperatori ciuitatẽ seq; tradiderunt. Quidam ex clero Moguntinæ Ecclesiæ, scilicet Gotfridus abbas sancti Iacobi

Iacobi, & Burchardus præpositus sancti Petri cum alijs, omnesque simul Vrbani, maiores cum minoribus, episcopum suum Arnoldum nimis exosum cœperunt habere, & imperatorem aduersus eum sępe interpellauerunt; soli qui Silthouera dicuntur, partibus episcopi fauebant.

Anno 1159, Cyclus 11 decennoualis incipit, indict. 7. In Longobardia Cremona à Cæsare obsessa, adiuuantibus quibusdam etiam de Cremona. Aduersarij postremo Episcopi Moguntinensis post festum sancti Remigij synodum armata manu, vt eam exturbarent, ingressi, sed comitibus cum suis ad arma alacriter conuolātib⁹, turpiter redire sunt coacti. Qua de re post festum omniū sanctorum episcopus Longobardiā petit, super hoc imperatori querimoniam facere. Sed & aduersarij eius euntem haud segnes subsequūtur. Mens. Octob. obijt. Adrianus papa imperatorem pro coniugij discidio excommunicare disposuerat, sed mense Octo. morte præuentus est: pro quo duo constituti sunt, id est Orlandus, qui dictus est Alexander, Adriani sentētiam approbans; & Octauianus, cognominatus Victor, imperatori plurimum fauens.

Anno 1160, imperator iussit post 8 Epiphaniæ concilium Papiæ haberi, vbi Victor papa adfuit, & Alexander abfuit: quapropter Victor confirmatur, & Alexāder reprobatur. His ita gestis, Arnold⁹ præsul Moguntinus reuertitur, & in Natiuitate diui Ioānis Baptistæ, à Moguntinē-sib⁹ occiditur in monasterio sancti Iacobi: monasterium vero incendio & præda vastatur. Scelere pacto, sceleris authores cum clero licet coacto Rodolphum filium Conradi ducis de Zeringen episcopum substituerunt, postposita fide quam prius in manus imperatoris dederāt. Tēporibus Ottonis imperatoris hui⁹ nominis tertij præfuit ecclesiæ Mogūtinæ Vilegisus, archiepiscopus memoria dignus, qui ipsum Ottonē adhuc valde puerum & imperatorem educauit, & interim per 16 annos Romanum rexit imperium. Hic fecit crucem auream, & in monasterio sancti Martini posuit eā: patibulum erat cypressinum, laminis aureis & lapidibus pretiosis super intectum, & imago aurea vbi versus erat inscriptus:

Auri sexcentas tenet hæc crux aurea libras.

Huius imaginis alterum pedem Marcolphus episcopus tulit, & Romam pro pallio misit: alterum cum cruribus, Arnold⁹ episcopus accepit, & Hermanno comiti Palatino cum eo rebellauit.

Anno 1151, Totū quod residuum fuit, supra dictus Rudolphus cū beneplacito Moguntinensium sumpsit, & placaturus sibi & illis imperatorem, Longobardiam pergit, sed frustra perrexit: quia Conrad⁹ Palatinus alium nomine Christianū episcopum leuauit; & rex munera Rodolphi & aurum spreuit: Sicq; Moguntinenses cum suo episcopo delusi sunt.

Anno 1162, imperator in Longobardia res publicas agens, Christiano priore electo, interim neglecto, cum electione priorum Moguntinæ ecclesiæ, qui tunc inibi plures præsentes affuerunt, episcopum construit Moguntinæ sedi Conradum fratrem Ottonis Palatini. Mediolanum rursus à Cæsare obsessa, insimul etiam in breui capta; populus expulsus: murus in circuitu deiectus: ædes exceptis sanctorum templis solo tenus destructæ. Remoldus Colonienſis episcopus corpora trium Magorum, quæ adhuc incorrupta durant, clam auferens, secum ad Coloniā singulis in loculis transtulit, & in maiori ecclesia beati Petri cum tripudio populi collocauit. Imperator ad terras Teutonū reuertitur in pace.

Anno 1163, imperator Pascha Vormatiæ celebrauit, & in octaua cum principibus Moguntiæ curiam habuit: vrbani pene omnes, exceptis valde paucis ex infimis, & quibusdam qui ad Cæsaris gratiam prius venire meruerunt, de ciuitate fugerūt, ne inueniret eos illic Cæsar. Vnus quidam de tāta tuba sceleratorum Brunger nomine captus, & ante Cæsarē ductus capitalem sentētiam accepit. Gotfridus abbas sancti Iacobi imperatori præsentatus, vt se de obiectis pugnaret, inducias accepit: sed nō valens, pulsus est ab abbatia & patria. Monachi vero, in vna domo clausi iussu Cęsaris, qui ante obedientiarij erant, videntes in malo se positos, alij per fenestras, alij quocunq; ingenio fugam captabant, reliqui abire permissi sunt. Sicq; illo in loco diuina obmissa sunt. Murus etiam ciuitatis iubente Cæsare diruptus est.

Anno 1164, Cōradus Moguntinus electus confœderatus est Orlando, qui & Alexander, fide & iuramento: vnde & ab imperatore pulsus est episcopatu: cui

succeſſit Chriſtian, qui ante eum fuerat electus. Victor papa obijt.

Anno 1165, imperator Longobardiam cum valida manu intrauit, nihil dignum memoria peragens.

Anno 1166, Roma ab imperatore obſeſſa: innumerabilis multitudo Romanorum occiſa: maxima peſtilentia in exercitu imperatoris facta eſt.

Anno 1167, imperator de Longobardia vix clam egreſſus eſt.

Anno 1168, caſtrum Sarebrucha comitis Simonis iuſſu imperatoris confractum cum alijs tribus caſtris eiuſdem comitis.

Anno 1174, imperator cum maxima multitudine Longobardiam intrauit, circa Natiuitatem beatæ Mariæ.

Anno 1175, Cæſareani milites de Longobardia ſine effectu magnificētiæ vix & ægre repatriauerunt.

Anno 1176, rurſum Teutones ad auxilium imperatoris Longobardiam intrauerunt: ſed in ingreſſu pene omnes à Longobardis occiſi & capti ſunt, & pauci fugati. Monaſterium & clauſtrum ſancti Iacobi reædificari Moguntiæ inceptum eſt.

Anno 1184, imperator Pentecoſte Moguntiæ celebre & famoſum conuentum habuit: quo peracto in Italiam perrexit.

Anno 1189, ingens terræmotus media nocte 3 Cal. Mart. factus.

Anno 1190, Henricus filius Frederici imperatoris fit imperator.

Anno 1200, murus Mogūtinæ ciuitatis reparatur.

DODECHINI APPENDICIS AD MARIANI SCOTI CHRONICON FINIS.

SIGEBERTI GEMBLACENSIS COENOBITÆ CHRONOGRAPHIA.

Dicturi aliquid iuuante Deo de contemporalitate regnorum, primum pauca dicamus de origine singularum gentium, quatenus sequi poterimus vestigia maiorum, ducti per semitas historiarum. Ponemus igitur in prima linea regnum Romanorum, in secunda Persarum, in tertia Francorum, in quarta Anglorum, in quinta VVandalorum, in sexta Longobardorum, in septima VVisigothorum, in octaua Ostrogothorum, in nona Hunorum.

De Regno Romanorvm.

DE regno Romanorũ non aliud dicendum puto, nisi quod Propheta Daniel interpretatus est de quarto regno, quod sicut ferrum comminuit, domat & conterit omnia, sic ab origine sui tutuderit, domuerit, & contriuerit omnia pene mundi regna; nouissimo vero tempore, regnum illud quod in tibijs suis ferreis diutissime & firmissime sine aliqua lassitudine steterat, tandem ferro suæ fortitudinis cõmixto cum testa humanæ imbecillitatis, ex alto dominationis suæ gradu cũ fragore terribili labare cœperit. Hoc regnum primi Persæ impulerunt, qui semper cum Romanis pene ex æquo se habuerunt. Modo vero vallicante Reipublicæ statu eius fines vltro impetere non timuerunt; & insuper eos suis finib⁹ mutilare potuerunt, quãdo Iuliano apostata cæso, & exercitu miserabiliter subiugato, nimis fortunati facti sunt ex eorum infortunio. Ita regnum illud quod tanto tempore omnes pene mundi gentes prædæ & dominationi habuit, modo Dei omnipotentia miscente ei duplum in poculo quo cæteris miscuit, cunctis pene gentibus prædæ & ludibrio patuit: & qui olim cum alijs gentibus pro sola gloria certabant, modo saluti suæ vix satis consulere poterant. Nam quæcunq; gentes, aut minuendæ domo multitudinis causa, aut amore exercendæ suæ feritatis à patria sua exulabant, Romanum imperium incessebant; & de eius latissimo corpore velut partes quasdam sibi excindebant, & in eius sibi regnandi locum statuebant. Hoc in sequentibus clare apparebit.

De Regno Persarvm.

PORro regni Persarum originem altius repetere modo non videtur vtile; quia quæ huius regni fuerit antiquitas, quanta & quam potens huius antiquitatis nobilitas; satis recolet lector per antiquorum historias. Hoc tantum notabo, quia sæpe victoria abusi de Romanis, nunc autem recens cæso Iuliano, & exercitu Romanorum profligato, & finibus suis Romano imperio mutilato, & sic pro suo libitu pacis fœdere in viginti nouem annos composito, felicitatem suam non temperanter ferebant; & Sapore rege eorum insolentius agente, Christianis & Romanis omnibus modis infesti erant.

De Regno Francorvm.

ORiginem gentis nostræ regni scilicet Francorum, notificemus alijs ex relatu fidelium maiorum. Post illud famosum, & cunctis seculis & gentibus notum Troianæ ciuitatis excidium, victoribus Græcis cedẽtes reliquiæ Troianorum; pars eorum cum Æneа ad fundandum Romanum imperium ad Italiam perrexit; pars vna scilicet duodecim millia duce Antenore in finitimas Pannoniæ partes secus Mæotidas paludes peruenit. Ibiq; ciuitatem ædificauerunt, quam ob sui memoriam Sicambriam voca-

uerunt: in qua multis annis habitauerunt, & in magnam partem coaluerunt, & crebris incursibus Romanum solum incessentes, vsque ad Gallias ferocitatis suæ vestigia dilatauerunt. Hos adeo Romanis infestos Constans Cæsar, filius Magni Constantini, bello oppressit, & tandem Romano imperio subiectos aliquantulum à sua feritate mansueheri coegit. Post aliquot annos rebellantibus Alanis contra Valentinianum imperatorem, cum eos non posset imperator penitus debellare, eo quod eos intransibiles Mæotidis paludes tutarentur; proposuit Valentinianus, quod si qua gens has paludes intrare, & rebelles Alanos posset conterere, decē annis eos à tributis liberos redderet. Hac pactione Troiani illecti, & fortitudine & prudentia confisi, duce Priamo Mæotidas Paludes Romanis inuias ingressi, Alanorum gentem exterminauerunt, & ita Valentiniano satisfecerunt. Valentinianus eorum virtute delectatus, eos qui prius vocati erant Troiani, deinde Antenoridæ, postea etiam Sicambri, Francos Attica lingua appellauit, quod Latina lingua interpretatur Feroces. Alij Francos cognominatos dicunt à quodam eorum rege Francione, qui in bello fortissimus, dum cum multis gentibus dimicasset, in Europam iter direxit, & inter Danubium & Rhenū consedit, ibiq; progenies eius coaluit, nulliusq; iugum vsque ad id tempus suscipere voluit. Vndecunque ergo denominati sunt Franci: quantum altius colligere potuerunt historiographi, hic Priamus regnabat super eos tempore prioris Valentiniani. Nam ex ipso regis nomine recolentes nobilitatem illius Priami sub quo euersa est Troia: inde gloriabantur gentis suæ manasse primordia. Exacto decennio, cum exactores repeterent tributa à Francis, Franci pro superiori victoria insolescentes, & de viribus suis præsumentes, non solum tributa negare, sed etiam Romanis præsumunt rebellare. Romani collecto exercitu super Francos irruunt, & victos vsq; ad internicionem proterunt.

De Regno Britannorum.

NArrat antiqua Britannorum historia, quod Ascanius Æneæ Troiani filius de filio suo Sylvio nepotem habuerit nomine Brutum. Hi matrem suam nascendo, patrem vero venando, casu interfecit. Cuius parricidij causa tam exosum cum parentibus suis reddidit, vt de Italia pulsus in Græciam fugeret. Vbi exul cum esset, tanta cœpit probitate pollere, vt confluentibus ad eum Troianis qui ibi captiui habebantur, ducatum eorum sortiretur. Quorum fretus multitudine, & animatus consilio, petijt à Pandraso rege Græcorum libertatem eundi ad alias nationes. Rex autem ira permotus bello eos conterere voluit, sed nequaquam potuit. Nam victoria Bruto adeo prospera prouenit, vt plurimos de exercitu regis perimeret ipsumq; ex improuiso caperet. Regi autem mortem interminatus, nisi rogatis annueret, exegit ab eo filiam suam in cōiugium, auri & argenti copiam multam, naues, frumentum, cæteraque marino itineri necessaria. Qæsitis igitur ex regis imperio plusquam trecentis nauibus, & omni genere farris oneratis Troianis, auro & argento plurimo ditatis, Brutus filiam regis accepit, & salutato rege æquoreum iter aggressus est. Transierunt autem Africani & Mauritaniam, veneruntq; ad littora Tyrrheni maris, vbi quatuor generationes gentis suæ exules inuenerunt cum duce eorum Corineo. Quibus secum assumptis, direxerunt iter ad fines Aquitaniæ. Ibique eis exortum est cum Gallis grauissimum prælium, quibus eo tempore decem reges præsidebant. In quo congressu apparuit miranda fortitudo Corinei ducis, qui tam valide percussit consulem vnum in summo capite, vt eum dissecaret in duas partes, toto corpore diuiso.

Nepos autem Bruti Turonis, & ipse fortissimus miles, qui solo gladio sexcentos viros ibi peremit, hostium gladijs occisus est, deditque nomen Turoni ciuitati, quia illo in loco inhumatus fuit. Hanc ciuitatem Brutus dicitur postmodum construxisse, (vt Homerus testatur) finito illo certamine, vbi ex vtraq; parte multi sunt interfecti. Brutus cum suis ad naues transijt, cœptumq; iter aggressus tandem ad insulam destinatam peruenit. Erat autē nomen insulæ illius Albiō, & à solis gigantibus inhabitabatur, cum quibus certamen persæpe habuerunt.

Brutus vero de suo nomine insulam appellauit Britanniam, hominesque suos Britones vel Britannos. Dux autem Corineus terram quæ sorti suæ cesserat, Corineam vocauit,

vocauit, quæ modo Cornubia, vel à cornu Britanniæ, vel per corruptionem prædicti nominis appellatur. Porro exactis viginti quatuor annis, ex quo insulam ingressi sunt, mortuus est Brutus, relictis tribus filijs regni sui hæredibus. Qui sepulto patre distribuerunt inter se regnum patris, singuli partem suam de nomine proprio appellantes. Primus cui nomen erat Locrinus, mediam partem insulæ possedit quæ postmodum Leogria est appellata. Secundus qui Camber dicebatur, accepit partem illam quæ postea Cambria dicta est, & modo Guallia vocatur. Tertius cui nomen erat Albanicus, possedit terram quæ nunc Scotia dicitur, eique indidit nomen de nomine suo Albaniam. Regnauit autem Locrinus decem annis, & mortuus est. Et ita vsq; ad Iulium Cæsarem Britanni libera dignitate regnauerunt, sub cuius imperio Romanis tributarij facti sunt. Porro tempore Marci Antonini Veri, instantia Lucij Btitanniarum regis, per legatos Eleutherij papæ mysteria Christianitatis perceperunt, in qua aliqui eorum vsq; ad martyrij coronam prouecti sunt. Orta enim persecutione sub Diocletiano Cæsare, licet fides in pluribus deficeret, in alijs tamen nec frangi, nec mori potuit. Sed postquam Maximus tyrannus insulam Britanniæ militum præsidio euacuauit; irruerunt Picti, cæteræq; barbaræ nationes cum eis, populumq; imbellem, & terram totam in cæde & prædavastare cœperunt. Accessit huic malo & aliud, quod rex Wortigernus ad tutamen sui hostiumq; expugnationem inuitauit gentem Saxonum adhuc Paganorum. Nam cum aliquandiu strenue & fortiter eos tutati fuissent; dominandi cupiditate illecti, dignitates ciuium à rege petierunt, vt non iam opem ferre ciuibus, sed potius tyrānidem exercere in eos liberius possent. Quod Britanni præcauentes expulerunt eos, sed illi repulsi multiplicius redierunt, pacemque simulantes pene vniuersos principes eorum fraudulenter occiderunt. Prævalentes igitur ad tempus, ciuitates & castella occupauerunt: donec surgeret rex Aurelius Ambrosius, qui eorum ducem interfecit, ciuitates eis abstulit, & reliquias eorum effugauit. Post quem surrexit Vtherpendragon, Aurelij frater qui tenuit Arturum regem inuictum atque magnificum. Post hos sex reges de gente eorum regnauerunt, & tunc prævalentibus Anglis auxilio Africanorum aliarumq; gentium, Britones monarchiam insulæ & diadema regni amiserunt. Et alij quidem in minorem Britanniam, vbi eorum & genus & nomen permanet, alij vero in Galliam transfugerunt. Denuo cum redirent, regnum obtinuerunt: sed non multo post, vrgente eos diuina vltione per famem & mortalitatem, insulam alienigenis gentibus inuadendam, reliquerunt, & ab illo tempore Saxones, id est, Angli, Angliam de nomine eorum nuncupatam sub iugo tenuerunt.

De Regno Wandalorvm.

Wandali quoque, de Scythia oriundi, à Gothis victi, alienas terras inuadere cœperunt, qui suas retinere non potuerunt. Hos circa Danubium commorantes, rursum post multum tempus Giberich Gothorum rex bello victos inde exturbauit, & ad hoc perpulit, vt, quas quoquo modo habere videbātur relictis sedibus, Romano imperio se subderent, & à Constantino Magno locum habitandi sibi dari suppliciter petierent: quod & impetrauerunt, & Pannonias ab eo sibi delegatas per sexaginta annos pacifice inhabitauerunt. Vnde anno Arcadij tertiodecimo & Honorij euocati, instinctu Stiliconis rebellionem contra Rempublicam meditantis, infuderunt se per Gallias, iunctis secum Alanis; easque aliquandiu miserrime dilacerauerunt. Etiam inde eos expellebant Gothi, non quidem prospicientes Galliarum quieti, sed vacuefacientes patriam suæ rapacitati. Wandali Hispanias aggressi, nunc Hispanias, nunc Gallias multo tempore depopulati sunt: sed nec ibi à Gothis tuti esse potuerunt. Quippe quia Gothi nimis Italiam inquietabant, Honorius deliberato cum suis consilio Hispanias & Gallias, quas sibi à Wandalis & alijs gentibus præreptas dolebat, Gothis rata confirmatione donauit. Cum ergo Gothi à finibus sibi deputatis Wandalos alioſque hostes effugare maturarent, & Wandali vndique conclusi timore Gothorum æstuarent, populi peccatis facientibus, inopina & grata occurrit eis

felicitatis opportunitas. Nã inter Bonifacium & Ætium Romanos duces per inuidiam orta simultate, Bonifacius factus inferior cum dolorem suæ iniuriæ nollet vlcisci nisi damno & periculo reipublicæ; ad Hispanias transiuit, & Wandalos ad occupandam Libyam & Africam inuitauit. Quo cum peruolassent, ibi regnum suum multo tempore confirmauerunt, & diuina & humana sine aliquo respectu humanitatis vel diuinitatis perturbauerunt.

De Regno Winilorvm.

WInilorum qui postea patria lingua Longobardi à longis barbis vocati sunt, certam quidem originem legimus, sed certum originis eorum tempus non inuenimus. Nam reges regnasse super eos legimus, quorum etiam nomina didicimus, sed annos regni eorum per tempora distinctos non inuenimus. Hi in Scandinauia Scythiæ insula degentes, cum ita multiplicati essent, vt eos terra sua capere non posset, egressione tertiæ partis minuere multitudinem consilium habuerunt, & quinam exire deberent missa sorte quæsiuerunt. Ergo tertiã pars Winilorum, prout eos missa fors elegerat, ducibus Agion & Ibor de Scandinauia egressi, de loco in locum incerti, & vagabundi, & à multis sæpe bellis impetiti, viriliter, quia pro anima res erat illis, salutem & libertatem suam defendebant. Porro Agion & Ibor mortuis, regnauit primus super eos Agelmundus 33 annis, qui dum ageret se iusto securius, à Bulgaribus cum multis suorum est extinctus. Lamissio regnauit secundus, & post eum 40 annis regnauit Lethu tertius, Hidehoc quartus, Gudeoch quintus, eo tempore quo Odoacer regnabat in Italia; sextus Longobardorum rex fuit Claffo, septimus Tato, octauus Waltharithus, nonus Audobin qui Longobardos in Pannoniam duxit, decimus Alboin qui transductis in Italiam Longobardis, regnum eorum ibi firmissime stabiliuit.

De Regno Gothorvm.

AT Gothorum, qui apud antiquos Gethæ dicti sunt, quique postea diuisi duo extitere regna, id est Ostrogothorum & Wisigothorum fecerunt, talem originem fuisse cognouimus ex historia Iordanis. Isti Scandinauiam Scythiæ insulam primo incoluerunt: cuius possessione non contenti cum rege eorum Berich inde exierunt: & vicinas Scythiæ insulas & terras peragrantes, vicinas gentes bellis lacessebant, & terrore nominis sui finitimas gentes sibi subigebant. Post sub Filimere quinto rege suo ad vlteriora Scythiæ progressi, ad citeriores vsque ripas Danubij, terras Thraciæ, Daciæ, Mœsiæq; diu longe lateque sunt peruagati. Ibi per multa tempora, imo per multa secula in gentem magnam coaluerunt, & multas gentes victorijs suis applicantes, nomen & fortitudinem suam amplificauerunt, viribus vigentes, ingenio callentes, philosophiæ quoque studijs eruditi, natiuam barbariem exuentes, humanitate & honestate aliis barbaricis gentibus præminebant. Tempore autem Decij imperatoris, transito Danubio, cum Gniua rege suo grauiter incubabant Romano imperio. Qui à Decio impetiti bello, exercitu Romano protrito, ipsum Decium peremerunt cum filio Decio. Hac felicitate elati, & sæpe postea in congressu Romanis ducibus superiores effecti toti orbi Romano erant terrori. Isti adhuc trans Danubium constituti, tempore Valentis imperatoris cœperunt ciuili bello inter se collidi. Athalaricus dux vnius partis, cum præualuisset Fritigerno duci alterius partis, Fritigernus à Valente auxilium petit; Christianum se fieri promittit. Valens auxilium mittit, eosque in sectam Arianorum Arrianus ipse inducifecit. Anno tertio decimo Valentis, Huni qui & ipsi in Scythia potenter debacchabantur atque ferociter, nacti opportunitatem ex intestina Gothorum simultate, fines eorum ex improuiso inuadunt, eosque bello victos aut sibi subiugant aut captiuitate excruciant, aut patria eliminant. Ita Gothi qui multas gentes subdiderant suo seruitio, Hunorum subduntur dominio, & nimis eorum potentiam adaugent, dum omnes qui Gothis seruiebant, per Gothos Hunorum parent principatui. Taliter Huni qui omni pene Scythia principatu & fortitudine cunctis præeminebant. Gothi victi, partim se Danubio transito ingesserunt finibus Romani imperij, & à Valente petierunt terram ad inhabitandum sibi dari. Qua re impetrata, cum aliquan-

aliquandiu se continuissent ab omni armorum insolentia; tandem Romanorum auaritia coacti, & Dei familiaris inopia, in ipso imperii sui sinu gratia concitauerunt prælia. Quibus Valens imperator occurrens, bello victus ab eis, & igni crematus iusto Dei iudicio, reipublicæ nimiam intulit incommoditatem, hostibus vero auxit elationem. Hi ergo Gothi qui Romano imperio incubabant, Wisigothos, id est occidentales se Gothos nominabant, & per multos annos occidentaler Romanorum fines vsque ad ipsas vlteriores Hispanias infestabant, vbi etiam postmodum in regnum coaluerunt. Porro Gothi qui in patrio solo trans Danubium sub Hunnorum domino remanere passi sunt, regulos quidem suæ gentis habuerunt, & sese Ostrogothos, id est Orientales Gothos, appellauerunt, qui & ipsi postea per Theodoricum regem suum à Zenone imperatore Italiæ regnum dono acceptum per multos annos tenuerunt. Ita Gothi, quasi duobus capitis sui cornibus Orientem & Occidentem ventilantes acerrime, duo ex se regna creauere, scilicet Wisigothorum in Hispania, & Ostrogothorum in Italia.

De Regno Hvnnorvm.

DE Regno Hunnorum, quod in omni pene Scythia tenebat principatum, ipsa gentis barbaries me silere faceret, nisi illud famosum Galliarum & italiæ excidium me loqui cogeret, quando per Attilam eorum regem iudicium Dei se longe lateque effudit, quem quasi gladium limatum & exacutum de vagina suæ indignationis super peccatrices gentes Deus destrinxit. De eorum ergo origine quæ in antiquorum leguntur historiis, aperiam paucis. Filimer Getharum rex, Gandarici Magni filius, qui post egressum Scandiæ insulæ iam quinto loco tenens principatum Getharum, cum terras Scythiæ cum sua gente introiit, reperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas Gethico sermone Alrunnas dicunt, easque habens suspectas de medio suo proturbat, longeque ab exercitu suo fugatas in solitudine coegit errare. Quas syluestres homines quos nonnulli Faunos Ficarios vocant, per desertum vagantes dum vidissent, & earum complexibus se in coitum miscuissent, genus hoc ferocissimum edidere. Quod fuit primum inter Mæotidas paludes minutum, tetrum, atq; exile quasi hominum genus, nec alia voce notum, nisi quod humani sermonis imaginem assignabat: & quos bello forsitan minime superabant, vultus sui terrore nimium pauorem ingerentes, terribilitate fugabant, eo quod erat eis species pauēdæ nigredinis, & velut quædam (si dici fas est) deformia ossa, non facies, habensque puncta magis quam lumina. Quorum animi fiduciam toruus prodit aspectus. Qui etiam in pignora sua primo die nata desæuiunt. Nam maribus ferro genas secant, vt antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur subire tolerantiam. Hinc imberbes senescunt, & sine venustate ephebi sunt, quia facies ferro sulcata, tempestiuam pilorum gratiam cicatrice absumit. Exigui quidem forma, sed arguti, moribus expediti, & ad equitandum promptissimi, scapulis latis & ad arcus sagittasq; parati, ceruicibus firmi, & superbia semper erecti. Hi vero sub hominum figura viuunt beluina sæuitia. Tali ergo stirpe procreati Hunni, cunctis vicinis gentibus erant horrori & formidini. Horum potentiam auxit victoria de Gothis, manentibus trans ripas Mæotidis paludis, qui in Scythia pollebāt gloria singularis potentiæ & fortitudinis. Quam victoriam hoc modo adepti sunt: Venatores Hunnorum sequentes vestigia ceruæ Mæotidas paludes transeuntis, quas imperuias hactenus esse putabant, Scythicam regionem diligenter explorant: explorata omnia Hunnis nuntiant, ad transeundum eos animant. Horum ducatu paludibus transitis, velut quidam turbo subito incubuerunt gentibus Scythicis, easq; omnes subiugauerunt sibi, ipsosque Gothos cæteris imperitantes aut præminentes expulerunt sedibus suis. Hoc felicitatis successu Hunni, inter cæteras Scythiæ gentes elati per victoriam de Gothis, per annos fere octoginta laborauerunt ad concussionem & ruinam mundi. Ab hac ergo eorum victoria vsque ad mortem Attilæ regnum eorum in hoc opere annotabimus.

De Cæteris Regnis.

EXtra has & aliæ gentes fuerunt, quæ Romanum imperium dilacerauerunt, id est, Gepidæ, Turcæ, Alani, Bulgari, & aliæ plures, quæ omnes ab Aquilonis plaga exierunt, vt super hoc fortasse videatur dictum per Prophetam, ab Aquilone pandetur malum super vniuersam terram.

ORdiamur ergo telam narrationis nostræ ab anno Domini tricentesimo octogesimo primo, quo anno post mortem Valentis, Valentinianus minor, & Gratianus, filii maioris Valentiniani, incipientes simul regnare, regnauerunt annis sex. Ab hoc anno Sapor, qui diu imperauerat Persis, imperauit annis vigintiocto. Ab hoc anno Britanni sub imperio Romano fuerunt annis triginta tribus, super quos regnabat Maximus tyrannus. Ab hoc anno Wandali cum rege suo Modigisilo, per Gallias crudeliter debacchati sunt, an. triginta trib. Super Francos in Sycambria commorantes regnabat Priamus. Alii scribunt periisse eum in bello, quo (vt diximus) Franci nimis attriti sunt ab exercitu prioris Valentiniani, & de Sycambria exire compulsi. Fritigernus qui super Wisigothos aliquandiu regnauerat, ab hoc anno tribus annis regnauit. Ostrogothis in patrio solo sub Hunnorum dominio remorantibus præerat Winitharius: eisq; ab hoc anno vsque ad mortem Attilæ per annos plus minus octoginta præfuerunt reguli gentis suæ. Balamber Hunnis imperabat, qui & post eum Mundzuch pater Attilæ, Octar & Rugila fratres eius, Bleda, & Attila frater eius, ab hoc anno vsque ad mortem Marciani imperatoris regnauerunt, annis plus minus octoginta.

¶ *Anno ab Adam 5576 secundum Dionysium, anno vero Domini 381 secundum Dionysium, Olympiade 280, anno quarto post mortem impij Valentis, imperant Gratianus & Valentinianus, Sapor, Priamus, Britanni, Modigisilus, Fritigernus, Winitharius, Balamber.*

THEO-

Roman.	Perſ.	Franc.	Britan.	Wand.	Wiſigoth.	Oſtrogot.	Hunn.	Anni domini.
Grat.	Sapor.	Priamus.	Britan.	Podigiſ.	Fritiger.	Winith.	Balam.	
1	1	1	1	1	1	1	1	

THeodoſius, à Gratiano magiſter militum ordinatus, incredibili celeritate & mira felicitate deuictis multis barbaris gentibus, laſſam rempublicam in Orientis partibus reparauit. 381

Clarebant eo tempore: Damaſus Romæ 13 papatus annum agens; Didymus Alexandrinus, qui à quinto ætatis anno lumine captus, quamuis eſſet elementorum ignarus, tamen in literarum ſcientia etiam philoſophus mirabilis; Hieronymus totus diuinæ ſcripturæ incumbens; Gregorius Niſenus; Gregorius Nazianzenus; Martinus Turonenſis archiepiſcopus; Ambroſius Mediolanenſis; Rufinus Aquileienſis presbyter; Miletius Antiochenus Epiſcopus, per hoc clarior, quod Theodoſius in ſomnis præuidit, ſe ab eo indui chlamyde imperiali, & diademate coronari; in Ægypto Pachoniſus abbas.

2	2	2	2	2	2	2	2	382

Gratianus valde religioni fauet, & per omnia reipublicæ promptus Theodoſium conſortem imperii facit.

Paula inter nobiles Romanorum matronas prænobilis abrenunciat mundo.

Ciuitatem quam Antoninus Pius cum filio Aurelio condidit, & Sommonobriam ab adiacente flumine appellauit, Gratianus imperator ſuo dominio mancipatam, mutato nomine, Ambianis ab ambitu fluminum fecit vocari.

Pſalterium quod ſecundum Septuaginta interpretes in omnibus Eccleſiis cãtabatur, Hieronymus correxit. Quo iterum vitiato, pſalterium nouum compoſuit, quod & à Septuaginta interpretum editione non multum diſcordaret, & cum Hebraico multum concordaret. Quod vt omnibus clarum fieret; pſalterium diſtinxit per aſteriſcum, id eſt ſtellam *, & per obelum id eſt virgam iacentem; docens ea quæ continentur ſub aſteriſco vſq; ad duo puncta, in Hebræo haberi, & à Septuaginta prætermiſſa eſſe; ea vero quæ cõtinẽtur ſub obelo vſq; ad duo pũcta, in Hebraico nõ haberi, ſed à Septuaginta addita eſſe, iuxta Theodonis duntaxat translationem. Hoc Pſalterium Damaſus papa rogatu Hieronymi in Gallicanis Eccleſiis cantari inſtituit, & propter hoc Gallicanum vocatur, Romanis pſalterium ſecundum Septuaginta retinentibus ſibi, propter quod Romanum vocatur. Hæc duo pſalteria cum non ſufficerent ad proponenda teſtimonia de Chriſto contra Iudæos, qui non recipiunt niſi ea quæ habentur in Hebræo; addidit & tertium quod vocatur Hebraicum, pro eo quod rogatu Sophronii viri ſapientis tranſtulit illud de Hebraica veritate in Latinum, verbo ad verbum. Quod pſalterium, & alia Hieronymi opuſcula, idem Sophronius de Latino in Græcum tranſtulit.

Eo tempore præfecturam Gallicam miniſtrabat vir illuſtris Fauſtinianus, qui genuit filium quem ob amorem & memoriam beati Firmini martyris Firminum vocauit, Ambianenſium tempore poſteriori Epiſcopum.

Theophilus Alexandriæ Epiſcopus cyclum de obſeruatione Paſchæ per centum annos digeſtum, quem laterculũ vocauit, ab hoc anno inchoauit, hoc eſt à primo conſulatu Theodoſii.

Damaſus papa inſtituit rogatu Hieronymi dicere in Eccleſia, in fine pſalmorum, Gloria patri, &c. Sicut erat, &c. Et inſtituit etiam, in Eccleſia pſalmos nocte dieque cantari.

Vt autem chori in duas partes diuiſi, ipſos pſalmos alternatim cantarent, iam tempore Conſtantij imperatoris in eccleſia Antiochena inſtituerãt pri-

Anni Domini.	Roman.	Perſ.	Franc.	Britan.	Wand.	Wiſigoth.	Oſtrogot.	Hunn.

mi Flauianus & Diodorus, viri probatæ vitæ & doctrinæ : quod inde ad terminos totius orbis vſque peruenit.

383 | 3 | 3 | 3 | 3 | 3 | 3 | 3 | 3 |

Maximus in Britannia per tyrannidem imperium inuadit.

Maximus iſte ex imperatorio genere deſcenderat, & Magni Conſtantini conſanguineus fuit: vnde & partem imperii ſibi competere calumniabatur. Qui cum Britanniæ factus fuiſſet rex; cœpit ſæuire, atque tyrannidem contra Romanum imperium exercere.

Baſilius Cæſarienſis, qui gemina philoſophia & ſanctitate claruerat: cui Deus apparens ad preces eius eum docuit, vt propriis verbis ſanctum ſacrificium conſecraret: cui reuelatum eſt, quod Mercurius miles & martyr Iulianum imperatorem peremerit: qui iuuenem qui ob amorẽ virginis ſibi per diabolum conciliatæ negauerat Chriſtum, Chriſto reconciliauit, palam altercatus cum diabolo: qui impetrauit à Deo, vt ſanctus Effrem Syrus Græce loqueretur: qui peccata peccatricis ſcripta & ſignata orando obliterauit; his & multis aliis clarus, dum medicus Hebræus imminere ſibi mortem per tactum venæ reuera pronunciaret, mortem orando in craſtinum diſtulit, & ita medicum cum ſuis ad Chriſtum conuertens, feliciter moritur.

Damaſus papa inuidioſe de adulterio accuſatus, purgatur à 44 epiſcopis: accuſatores vero eius de Eccleſia expelluntur.

Apollinaris Laodiceæ epiſcopus, conuerſus in hæreſim ſui nominis, à Damaſo papa damnatur: quia dicebat, q; Chriſt⁹ nat⁹ ſolã carnẽ, non animã, ſuſceperit; aut ſi ſuſceperit, non rationalem ſed tantũ viuificalem animã ſuſceperit; ſed potentia deitatis ſuſceptæ carni pro anima fuerit; & ipſa caro nõ de Maria ſuſcepta ſit: ſcilicet ea caro & Verbum vnius ſubſtantiæ fuerint.

Poſt Fritigernum ſecundus apud Wiſigothos regnat Athanaricus anno vno, qui confœderatus Theodoſio, & ab eo Conſtantinopolim inuitatus, mox quintodecimo die ex quo venerat, ibidem obiit.

384 | 4 | 4 | 4 | 4 | 4 | 1 | 4 | 4 |

Damaſus papa decreuit, ne quid contra Epiſcopos præſumant archidiaconi, qui dicuntur chorepiſcopi, id eſt regionum vel villarum Epiſcopi.

Maximus Pictos & Scotos Britanniam incurſantes ſuperat.

Wiſigothi ſub Theodoſio imperatore ſine rege fuerunt annis 14.

Winitharius rex Oſtrogothorum pro libertate contra Hunnos rebellat in Gothia.

Ambroſius Epiſcopus libros de Spiritu Sancto ad Gratianum imperatorem ſcribit.

Corpus Pauli Conſtantinopolitani epiſcopi, ſub Conſtantio in exilio ab hæreticis pro Chriſto ſuffocati, Conſtantinopolim refertur cum gloria à Theodoſio imperatore.

385 | 5 | 5 | 5 | 5 | 5 | 1 | 5 | 5 |

In Gallia ſanctus Romanus Blauienſis obiit.

Theodoſius Arcadium filium Auguſtum facit.

Iuſtina, mater Valentiniani, Arriana, in Ambroſium, & omnẽ ſanctam Eccleſiam catholicam execrabili odio deſæuit.

Francis poſt Priamum Priami filius Marcomirus, & Somno filius Antenoris, principantur annis 34. Quorum ducatu Franci Sycambria egreſſi confedere ſecus Rhenum in oppidis Germaniæ.

Winitharius Hunnos in bello ſuperat.

386 | 6 | 6 | 1 | 6 | 6 | 2 | 6 | 6 |

Maximus in Gallias tranſit: partem Galliæ ſibi ſubditã Britonibus tradidit, vnde vſq; ad hunc diem minor Britannia appellatur. Maximus quoq; apud

Roman.	Perſ.	Franc.	Britan.	Wand.	Wiſigoth.	Oſtrogot.	Hunn.	Anni Domini.

apud Treuerim ſedem imperij ſui ſtatuit, & Gratianum imperatorem Lugduni perimit, fratrem vero eius Valentinianum ſimulato pacis fœdere per triennium Italia expellit.

Secunda ſynodus vniuerſalis 150 patrum congregatur Conſtantinopoli, iubente Theodoſio, & annuente Damaſo papa. Quæ Macedonium, negantem Spiritum Sanctum Deum eſſe, condemnans, conſubſtantialem Patri & filio Spiritum Sanctum eſſe docuit, dans ſymboli formam, quam tota Græcorum & Latinorum confeſſio in Eccleſia ad miſſas ſolennibus diebus decantat. Hic decretum eſt, vt Conſtantinopolitanus, tanquam nouæ Romæ epiſcopus, poſt Romanum pontificem habeat priuilegium.

Priſcillianus in Hiſpania Epiſcopus, condens hæreſim ſui nominis, Eccleſiam perturbat. Hic perſonas ſanctæ Trinitatis confundebat; dicens eundem eſſe patrem quem filium & ſpiritum ſanctum. Carnium eſcas pro immundis habebat. Coniuges viros à nolentibus fœminis, fœminas à nolentib. viris, ſeparabat. Opificium omnis carnis, nõ Deo bono & vero, ſed malis angelis aſſignabat. Animas eiuſdẽ naturæ & ſubſtantiæ cuius eſt Deus, eſſe dicebat, & eas ad agonẽ quendã ſpontaneũ, non tamen in terris exercendũ, per ſeptẽ cœlos, & per quoſdã principatus gradatim deſcendere, & in malignũ principẽ incurrere, à quo mũdum iſtum factũ eſſe dicebat. Atq; ab hoc principe per diuerſa carnis corpora ſeminari, homines vero fatalibus ſtellis colligatos, corpusq; noſtrum ſecũdũ duodecim ſigna cœli compoſitum eſſe dicebat; cõſtituẽs Arietẽ in capite, Taurũ in ceruice, Geminos in humeris, Cãcrũ in pectore, Leonẽ in manib. Virginẽ in vẽtre, Librã in vmbilico, Scorpiũ in coxis, Sagittariũ in virili, Aquarium in veſica, Capricornumq; in tibiis, Piſces in plantis. Super his auditus in conciliis epiſcoporum, Romã petit, ibiq; à ſanctis Damaſo & Ambroſio repudiatus, in Galliis quoq; in ſynodo Burdegalenſi à ſancto Martino aliisq; hæreticus iudicatus, vbi ſe damnandum intellexit, imperatorem Maximum appellat. A quo auditus, & epiſcopatu pulſus, Treueris ab Euodio præfecto perimitur cum multis ſuis ſequacibus; edicente imperatore, vt ſectæ huius complices in Hiſpania perimerentur.

Paula Romæ præponens Bethlehem, ibi cum filia Euſtochio ancillatur Chriſto, & ſancte viuendo multas ad æmulationem ſanctitatis inuitat.

Itachius & Vrſatius epiſcopi, accuſatores Priſcilliani, cõcione Eccleſiæ priuantur ab epiſcopis nephas eſſe dicentibus, cuiuſcunq; modi hominem epiſcoporum accuſatione necari, maxime imperatore, & aliquibus Epiſcopis Itachium & Vrſatium defendentibus, & hac de cauſa ſanctus Martinus à Maximo moleſtatur, quia nolebat communicare Itachianis. Vix tamen obtinuit, vt Priſcillianiſtæ non occiderentur.

Theodoſius ſolus annis 11 imperat.

Balamber rex Hunnorum Winitharium in bello perimit, poſt quem ſecundus apud Oſtrogothas regnauit Hummundus annis duobus.

1	7	2	7	7	3	1	7	387

Syricius Romanæ Eccleſiæ 36 præſidet.

Hic conſtituit hæreticum pœnitentem per impoſitionem manus ſacerdotalis ab eccleſia eſſe recipiendum.

Hic Manichæos Romæ inuentos exiliauit.

Ambroſius Epiſcopus ritum canendi antiphonas in Eccleſia primus apud Latinos tranſtulit à Græcis, apud quos hic ritus iam inoleuerat ex inſtituto Ignatii Antiocheni epiſcopi, & Apoſtolorũ diſcipuli, qui per viſionem in cœlum raptus vidit & audiuit, quomodo angeli per antiphonarum recitationem hymnos ſanctæ Trinitati canebant.

Franci Quintinum, & Heraclium, Romanorum duces, cum omnibus pene ſuis iuxta Treuerim delent.

Anni Domini.	Roman.	Perſ.	Franc.	Britan.	Wand.	Wiſigoth.	Oſtrogot.	Hunn.
	2	8	3	8	8	4	2	8

In Ægypto Ioannes anachorita ſanctitate & prophetiæ ſpiritu claret.

388

Corpora Geruaſii,& Protaſii, martyrum, Mediolani ab Ambroſio reperta ſunt.

Oſtrogothis regnat Horiſmuth annis duobus.

3	9	4	9	9	5	1	9	

389

Valentinianus imperator Maximum fugiens Conſtantinopolim venit,& à Theodoſio paterne ſuſcipitur.

Pictorum & Hunnorum ducibus Gnamo & Melga, regnum Britanniæ incurſantibus ac deuaſtãtibus, quia rectore & defenſore carebat, ex quo Maximus omnes bellicoſos viros ſecum abduxerat, nunciata eſt Maximo regni ſui tanta calamitas. At ille miſit Gratianum municipem cum duabus legionibus, vt Britonibus ferret auxilium. Qui cum hoſtibus præliati fugauerunt eos in Hyberniam.

Auguſtinus cum eſſet Manichæus, per Ambroſium ad rectam fidem conuertitur, & relictis ſcholis baptizatur.

4	10	5	10	10	6	2	10	

390

Maximus tyrannus ab Ambroſio excõmunicatus, quia corrigi noluit à Theodoſio Aquileiæ in bello perimitur,& Valẽtinianus imperio reſtituitur. Alia hiſtoria dicit, Maximum Romæ ab amicis Gratiani eſſe interfectum.

Gratianus municeps, audita nece Maximi, cepit diadema regni. Exinde tantam tyrannidem exercuit in populo, vt cateruatim irruentes in eum interficerent illum.

Oſtrogothi ſine rege fuerunt annis 40.

5	11	6	11	11	7	1	11	

391

Theodoſius imperator immane facinus quod commiſit quando Theſſalonicæ ſeptem millia ciuium fecit occidi, in vltionem iudicum in ſeditione occiſorum; imitabili publicæ pœnitentiæ exẽplo diluit, ab Ambroſio Ecclefia expulſus,& humili ſatisfactione reconciliatus.

Gregorius Nazianzenus Epiſcopus obiit.

Ambroſius poſt Hilarium Pictauenſem hymnos in Eccleſia canendos primus compoſuit.

Claudianus gentilis poeta Romæ claret.

6	12	7	12	12	8	2	12	

392

Caput Ioannis Baptiſtæ à Theodoſio imperatore Conſtantinopolim translatum eſt, quod cum Valens imperator olim illuc voluiſſet transferre, vehiculum in quo ſanctum caput ferebatur, nullo modo moueri potuit.

7	13	8	13	13	9	3	13	

393

Terribile in cœlo ſignum columnæ per omnia ſimile apparuit.

In Hiſpania Prudentius Lyricus poeta claruit.

8	14	9	14	14	10	4	14	

394

Hieronymus librũ illuſtriũ virorũ hic finit. Gennadius ab hinc incepit.

Alexandriæ iuſſu Theodoſii templa idolorũ à Theophilo epiſcopo deſtruuntur,& euerſo famoſo Serapis fano martyriũ ibi cõſecratur,& in eo oſſa Ioannis Baptiſtæ recõduntur, quæ hoc modo Alexandriam translata fuerũt.

Apoſtata Iuliano imperante, & contra Chriſtum furente, pagani oſſa Ioannis Baptiſtæ in vrbe Samaria ſepulti, effracto ſepulchro, extrahentes, diſpergebant per agros ea, quæ rurſus collecta igni cremabant,& ſanctos cineres puluerí immixtos per aera diſpergebant. Sed quidam monachi ex Hieroſolymis immixti furentibus paganis, quotquot potuerunt oſſa collegerunt, & ad abbatem ſuum Philippum Hieruſalem detulerunt. Philippus ea Athanaſio Epiſcopo miſit Alexandriam.

San-

| Roman. | Perſ. | Franc. | Britan. | VVand. | VVisigoth. | Ostrogoth. | Hunn. | Anni Domini.

Sanctus Patricius Scotus in Hibernia cum ſuis ſororibus venditur, vbi cum eſſet regis portarius, angeli ſæpe alloquio fruitur.

| 9 | 15 | 10 | 15 | 15 | 11 | 5 | 15 |

Hieronymo ſacras ſcripturas veteris teſtamenti de Hebraica veritate in Latinam linguam vertente, editio 70 interpretum quæ tenebatur à cunctis & Græcis & Latinis, cœpit in ſecundis haberi. Quod cum contra inueteratum vſum eccleſiæ fieri, quamuis ſancti & docti viri ægre ferrent; prævaluit tamen authoritas Hebraicæ veritatis, poſtquam patuit, quantum ab ea diſcrepent 70 interpretes. 395

Arſenius Romę claret, qui vſque ad XL ætatis annum in aula imperatorum glorioſe militans, ex ſenatore fit monachus, & per annos quinquaginta quinq; in eremo ſanctitatis exemplo omnibus mirabilis enituit.

| 10 | 16 | 11 | 16 | 16 | 12 | 6 | 16 |

Hoc tempore in caſtello Iudææ Emaus natus eſt puer perfectus, ab vmbilico & ſurſum diuiſus, ita vt haberet duo pectora & duo capita, & vnuſquiſque proprios ſenſus: & vnus edebat, & non alter: vnus dormiebat, & alter vigilabat: nonnunquam inſimul dormiebant: inſimul ludebant ad alterutrum: & flebat vterq;, & percutiebant ſe inuicem. Porro vixerunt annis ferme duobus, & vnus quidem mortuus eſt, alter vero ſuperuixit diebus quatuor. 396

Valentinianus imperator nimia auſteritate Arbogaſtis magiſtri militum ad vitæ tædium perductus, laqueo vitam finiuit. Eugenius auxilio Arbogaſtis tyrannizat.

Corpora Abacuc & Micheæ Prophetarum reuelantur.

Didymus abſq; oculis anno ætatis 85, Alexandriæ obijt.

| 11 | 17 | 12 | 17 | 7 | 13 | 7 | 17 |

Theodoſius Eugenium & Arbogaſtem in bello perimit, & ipſe nõ multo poſt obijt, poſt quem filij eius Arcadius & Honorius imperant annis 13. 397

Corpora Nazarij & Celſi martyrum Mediolani ab Ambroſio reperta & leuata ſunt.

| 1 | 18 | 13 | 18 | 18 | 14 | 8 | 18 |

Conſtantinopolis iram Dei formidans, igne ſuper nubem terribiliter fulgente, ad pœnitentiam conuerſa euaſit. 398

Rufinus magiſter militiæ orientalis rebellans, à Stilicone magiſtro militiæ occidentalis perimitur.

Gildo comes Africæ rebellans, conſueta ſtipendia Romanis ſubtraxit: quem non multo poſt Stilico interficiens, Africam ad ius priſtinum redegit.

Wiſigothi, rupto cum Romanis fœdere, Alaricum ſuper ſe regem creant, qui regnauit annis 15.

| 2 | 19 | 14 | 19 | 19 | 1 | 9 | 19 |

Anaſtaſius Romanæ eccleſiæ 37 præſidet. 399

Sanctus Martinus ſecundum quoſdam obijt hoc anno.

Florebant in eccleſia hoc tempore ſancti & docti viri: Ioannes Chryſoſtomus Conſtantinopoli epiſcopus, ſanctitate quidem & ſcientia clarus, ſed in facundia ſua ſeuerior & liberior iuſto: Donatus Epiri epiſcopus, qui ingẽtem draconem expuens in ore eius interfecit, quem octo iuga boum vix trahere potuerunt ad cremandum.

In Hiſpania Oroſius hiſtoriographus clarus habetur.

In Aquitania Seuerus, qui vitam ſancti Martini & multa alia ſcripſit, in ſenecta à Pelagianis ſeductus, ſilentium vſq; ad mortem tenuit, tacendo corrigens quod loquendo peccauit.

In Gallia Seuerinus Agrippinenſis agnoſcitur.

Seruatius quoque, decimus Tungrenſis Epiſcopus, Domini noſtri Ieſu

Anni Domini.	Roman.	Perſ.	Franc.	Britan.	Wand.	Wiſigoth.	Oſtrogoth.	Hunn.

Chriſti conſanguineus, non ſolum ex eo q̃ voluntatem Dei patris faciebat, ſed ẽt ſecundum carnem. Qui natus quidẽ in Perſide, filius fuit Eminiu, cuius pater fuit Eliud frater Elizabeth, quæ peperit Ioannem Baptiſtã: Mater vero Eliud & Elizabeth Eſmeria ſoror fuit Annæ, q̃ genuit Mariã matrẽ Domini.

	3	20	15	20	2	20	10	20

400 Romanorum prouincias hinc Wiſigothi, inde Hunni grauiter incurſant.

Romæ celebrato gladiatorio ludo, Thelematius monachus, increpãs populum attentius ſpectaculo inhiantẽ, lapidatur à populo. Vnde offenſus Honorius imperator gladiatorium ludum edicto ſuo in perpetuum remouit.

	4	21	16	21	21	3	11	21

401 Imperatores zelum patris Theodoſij ſecuti, in toto orbe Romano templa idolorum deſtrui iubent.

Hieronymus, & Rufinus presbyter Aquileienſis, orta inter ſe ſimultate pro quæſtionibus ſcripturarum, libros inuectiuarum, ſatis quidem luculento, ſed nimis mordaci ſermone, in alterutrum ſcribunt.

	5	22	17	22	22	4	12	22

402 Sanctus Martinus, ætatis anno octogeſimo primo, epiſcopatus vero ceſimo ſexto, obijt hoc anno ſecundum Proſperum, qui ſcripſit eum obijſſe anno quinto Arcadij & Honorij, imo ſecundum Seuerum, qui ſcribit in vita eius, eum poſt mortem Priſcilliani 10 annos vixiſſe.

	6	23	18	23	23	5	13	23

403 Ambroſius Mediolanenſis obijt, cuius vitam Paulinus Nolanus epiſcopus ad Auguſtinum epiſcopum deſcribit.

Hic Paulinus, Nolę poſtmodum epiſcopus, cum eſſet innumerabilium prædiorum dominus; admirabili exemplo venditis omnibus, religionem expeditus elegit. Cui Theſaria ex coniuge ſoror facta, æquatur beatæ vitæ teſtimonio & merito. Hic ſe epiſcopum pro captiuo filio pauperis viduæ in ſeruitutem barbari addixit, ſed diuinitus prodit⁹ quis eſſet, multos captiuos libertati reſtituit.

Hoc tempore in Italia Siſinnius, Martyrius, & Alexander à gentilibus martyrizantur. Quorum corpora cum Mediolanum deferrentur, cæcus per ea illuminatur; dicens, ſe illuc per viſum directum eſſe ab Ambroſio epiſcopo dicente, ſe in horum martyrum conſortio deputatum eſſe.

Stilico pacem fratrum imperatorum interturbare volens, Alaricum regem Gothorum fecit ordinari magiſtrum militum.

	7	24	19	24	24	6	14	24

404 Innocentius Romanæ eccleſiæ 38 præſidet. Hic decreuit pacis oſculum ad miſſas dari, ſabbato ieiunium celebrari, oleo ad vſus infirmorum ab epiſcopo conſecrato licere vti, non ſolum presbyteris, ſed omnibus etiam Chriſtianis in ſuam ſuorumq; neceſſitatem vngendo.

In Britannia Pelagius execrabili doctrina eccleſiam Chriſti maculare nititur, dicens, hominem ſine gratia poſſe ſaluari ſuis meritis, vnumquemq; ad iuſtitiam propria voluntate regi, infantes ſine peccato originali naſci, & tam inſontes eſſe quam inſons fuit Adam ante præuaricationem, nec ideo baptizandos eſſe, vt à peccato ſoluantur, ſed vt per adoptionem in regnum Dei admittantur, qui etſi non baptizentur, eſſe tamen eos ex regno Dei, æterna & beata vita: Adam ſolo ſuo peccato læſum eſſe, eum mortuum eſſe nó ex culpæ merito, ſed ex cõditione naturæ, qui moriturus fuiſſet, etiamſi non peccaſſet. Dicebat etiam irritas eſſe orationes quæ fiunt ab eccleſia, ſiue pro fidelibus ſiue pro infidelibus. Hunc, & Celeſtium, & Iulianum, complices eius, Innocentius papa damnauit. Hieronymus quoque, & Auguſtinus, & alij eos vt fidei hoſtes armis veritatis impugnabant.

Orien-

| Roman. | Perſ. | Franc. | Britan. | Wand. | Wiſigoth. | Oſtrogot. | Hunn. | Anni Domini.

Orientales etiam grauiter exagitat mota de Deo quæſtio, vtrum Deus ſit corpus, & humanum ſchema habeat, an ſit incorporeus, & ab humano ſchemate omnino alienus: ſimplicioribus Deum corporeum, & ab humano ſchemate eſſe aſtruentibus, alijs hoc deſtruentibus.

| 8 | 25 | 20 | 25 | 25 | 7 | 15 | 25 | 405

Romæ Alexis nobiliſſimi Romanorum vita mirabilis declarata eſt, qui prima nuptiarum nocte ſponſam relinquens, pro Chriſto peregrinatus eſt per 17 annos. Et tandem apud Ediſſam Syriæ vrbem, imagine ſanctæ genitricis Mariæ eum diuulgante, inde quoq; fugit, & ad portum Romanum non ſponte appulſus, à patre ſuo vt pauper accipitur. Ibiq; nulli cognitus, decem & ſeptem annos agens, tenore vitæ ſuæ in charta deſcripto, obijt & diuina voce manifeſtatus, totam Romam ſtupore & gaudio affecit.

Ioannes Chryſoſtomus Eudoxiam vxorem Arcadij imperatoris multoſq; ſacerdotum infeſtos habens, epiſcopatu pellitur & exiliatur: ſed populo pro hoc tumultuante reuocatus, ſecundo exiliatur: ſed terræmotu regiam vrbem grauiter concutiente, à ciuibus reuocatur.

| 9 | 26 | 21 | 26 | 26 | 8 | 16 | 26 | 406

Pachomius abbas centeſimum decimum annum agens, in virtutibus conſummatur.

Arcadius imperator oſſa Samuelis Prophetæ à Iudæa Conſtantinopolim tranſtulit, tam hilariter occurrentibus populis, ac ſi eum viuentem cernerent.

Paula Bethlehem obijt, cuius vitam Hieronymus ſcribit.

Auguſtinus in eccleſia philoſophatur: cuius librorum, tractatuum, & epiſtolarum, numerus plus quam ad mille triginta extenditur, multis numero non comprehenſis.

| 10 | 27 | 22 | 27 | 27 | 9 | 17 | 27 | 407

Ragadaiſus Scytha cum ducentis millibus Gothorum à Scythia veniens, Italiam inuadit. Ex hoc murmur multum blaſphemantium infremit in Chriſtum. Chriſtianitatis tempora culpantes, fælicitatem gentium attollũt, inter quos præcipue Symmachus orator furebat, qui etiam ſcriptis epiſtolis ſuis aiebat de idololatria, & de repetenda ara Victoriæ. Quorum latrantium ora iniecto eis veritatis oſſe obſtruxerunt, Auguſtinus libro de ciuitate Dei, & Oroſius hiſtoria ſua. Prudentius quoque poeta luculento metrici operis libello blaſphemias Symmachi refellit.

| 11 | 28 | 23 | 28 | 28 | 10 | 18 | 28 | 408

Auguſtinus apud Hipponem Africæ, & Hieronymus apud Bethlehem Iudææ per epiſtolas inter ſe vſque ad ſimultatem diſceptant de quibuſdam ſcripturæ capitulis; maxime de eo quod dicit Paulus, ſe Petro in faciem reſtitiſſe, quia reprehenſibilis erat. De quo Hieronymus ſcripſerat, quia Paulus Petrum non reuera ſed ſimulate reprehenderit. Auguſtinus contra dicebat, quod cum reuera, non ſimulate reprehenderit.

Multis vrbibus vaſtatis, Radagaiſus à Romanis concluſus interijt cum omnibus ſuis.

Sdigerdis imperat Perſis, annis 34.

| 12 | 1 | 24 | 29 | 29 | 11 | 19 | 29 | 409

Ioannes Chryſoſtomus vrgentibus inimicis epiſcopatu abdicatus, ab Arcadio exilio relegatur, ibiq; non multo poſt moritur.

Innocentius papa & Occidentales epiſcopi pro Ioannis præiudicio ab Orientalium ſe communione ſuſpendunt.

Iram Dei pro morte Ioannnis nimia grandinis tempeſtas, Conſtantinopoli incumbens, & mors Eudoxiæ Auguſtæ ſubſecuta intentat.

| 13 | 2 | 25 | 30 | 30 | 12 | 20 | 30 | 410

| Anni Domini. | Roman. | Perf. | Franc. | Britan. | Wand. | Wisigoth. | Ostrogoth. | Hunn. |

Arcadius Orientalis imperator, timens filio suo octenni puero Theodosio, eiq; tutorem Sdigerdem Persarum regem testamento designans, morte obijt. Sdigerdes tutelam pueri benigne suscepit, & pacem firmissimam cum Romanis fecit, mediante Marutha Mesopotamiæ episcopo. Is Maruthas, & apud Persas, & apud Romanos, omnibus modis clarissimus habebatur.

Vticæ terra septem diebus mugitum dedit.

Vtilico regnum Honorij affectans filio suo Eucherio, reipublicæ perniciosus efficitur, barbaras gentes ipse alias regno immittens, alias consensu suo fouens, vnde modo solito grauis earum, & maxime Wandalorum rabies per Gallias exarsit.

Honorius post Arcadij mortem cum fratruele suo Theodosio regnauit annis quatuordecim.

| 411 | 1 | 3 | 26 | 31 | 31 | 13 | 21 | 31 |

Atticus Constantinopolites Episcopus claret.

Wandali duce Croseo Gallias peruagati, multas vrbes & ecclesias subuertunt. Croscus tandem à Mariano præside Arelati captus, & per victas vrbes ignominiose retractus, ad mortem tormentatur.

Sub hoc turbine inter multos martyrizantur Sedunensis Florentinus, & Hilarius, Desyderius Lingonensis cum Vincentio archidiacono, Antidius Vesontiensis episcopus.

De hoc Antidio legitur, quod aliquando tertia feria post Palmas, transiens pontem Duuij fluminis, vidit agmen dæmonum gesta sua principi suo referentium, & inter eos Æthiopem in manu sandalium perferentem ad iudicium, quod Romanum præsulem cuius hoc erat, per septem annos impugnatum tandem ad lapsum traxerit. Qui vocãs ad se Æthiopem, & in virtute Dei & sanctæ crucis super eum ascendens; eo vectante, Romam venit feria quinta, hora celebrandi officij, & dæmone pro foribus expectante, Papæ rem retulit, negantem per sandalium ad pœnitentiam mouit: & Missa vice eius celebrata, & parte Chrismatis à se consecrati assumpta, dæmone reuectante, ad ecclesiam suam redijt sabbato sancto, hora celebrandi officij.

Romæ fœmina, Giganteæ magnitudinis, de parentibus mediocris staturæ nata, multis stupori erat.

| 412 | 2 | 4 | 27 | 32 | 32 | 14 | 22 | 32 |

Alaricus rex Wisigothorum per Italiam debacchatus, mandat Honorio imperatori, vt aut secum bello congrediatur, aut Gothis in regno suo locum ad habitandum largiatur. Honorius Gallias furori gentium vndiq; expositas eis concessit.

| 3 | 5 | 28 | 33 | 33 | 15 | 23 | 33 |

Wandali Gallias quas per tot annos lacerauerunt, relinquentes timore Gothorum, cum Alanis & Suerijs Hispanias occupant, ibique fere 30 annis habitauerunt.

Alaricus, facto fœdere cum Honorio, cum ad Gallias sibi datas rendederet; Stilico ipso sancto die Paschæ ex improuiso super eum irruit, & primo impetu victor, postea à Gothis turpiter vincitur.

Honorius cognito, Stiliconem esse tantorum malorum incensorem, & vitæ suæ insidiatorem, eum cum filio eius Eucherio occidit.

Alaricus rupto fœdere Italiam repetit, ipsam Romam accipit, & in ea multa incendit, multos affligit; à sanguine tamen & cæde temperat, & ad sanctorum limina confugientibus indulget; tertia die sponte Roma egreditur, ad Siciliam nauigare contendens, naufragium patitur, & non multo post apud Consentiam vrbem subita morte defungitur.

Capta est autem Roma 9 Cal. Septemb. anno 1164 conditionis suæ.

His

| Roman. | Perſ. | Franc. | Britan. | VVand. | VVisigoth. | Oſtrogoth. | Hunn. | Anni Domini.

His diebus apud Africam in Vticenſi littore dens gigantis inuentus eſt tam ingens, vt ſi minutatim in modulos noſtrorum dentium concideretur, centum dentes inde fieri poſſent.

Interim, Wandalis Gallias incurſantibus, congreſſi Franci Modigiſilum regem cum viginti millibus Wandalorum extinguunt, & ſuprema forte interitio Wandalorum fuiſſet, niſi reliquijs eorum Alanorum Reſplendial ſubſidio veniſſet.

Britannorum vires hac tempeſtate nimijs hoſtium irruptionibus nimis erãt attenuatæ: & quia à Romanis vndiq; bello laborantibus nihil ſubſidij habere poterant, ſubtrahunt ſe ab eorum dominatione, & per annos circiter 78 multum calamitatibus laborauerunt. Inito autem conſilio, duxerunt Lundonienſem archiepiſcopum ad regem minoris Britanniæ Aldroenum, vt eis ſuccurreret. At ille tradidit eis fratrem ſuum Conſtantinum cum armata militum manu: ſicq; Conſtantinus erectus eſt in regem, regnauitq; 10 annis. Habuit autem tres filios, Conſtantem qui monachus factus eſt, Aurelium Ambroſium, & Vtherpendragon.

Wandalis poſt Modigiſilum Modigiſili filius Gundericus regnat in Hiſpanijs, annis 16.

Wiſigothorum tertius regnat Athanulphus, annis 3.

Franci ſæpe Gallias inceſſentes, diripiunt primo; & ſecunda irruptione incendunt vrbem Treuerim, quam condidit Treber, filius Nini Aſſyriorum regis, profugus à facie nouercæ ſuæ Semiramidis, & à ſuo nomine Treuerim nominauit.

| 4 | 6 | 29 | 1 | 1 | 1 | 24 | 24 | 414

Athanulphus Romam rediit, quod reliquum erat abradit: inter cæteros Placidiam quoq; ſororem Honorij imperatoris captiuam abducit, eamq; ſibi vxorem ducit.

Honorius imperator, quia in Deo ſperauit affectu optimæ religionis, liberauit eum Deus à multis in ſe vndiq; inſurgentibus tyrannis. Siquidem in Britannijs Gratianus, in Gallijs Conſtantinus, & Conſtans filius eius, ex monacho Cęſar factus, item poſt eos in Gallijs Gerontius, & Maximus Saluſtius, Iouinus Sebaſtianus in Africa, Heraclianus Romæ, Tertullus & Attalus ille quem Gothi capta Roma imperatorem ludicro creatum vno die imperiali ſchemate ſibi miniſtrare fecerunt, hic inquam non iam ludicro, ſed ſerio imperatorem affectans, (& hi omnes in tyrannidem inuaſerunt) diuerſis locis, diuerſis temporibus à militibus Honorij capti aut extincti perierunt.

Notandum vero, quod tres primi reges quidem Britanniæ fuerunt ſibi ſuccedentes, Gratianus videlicet, Conſtantinus & Conſtans, ſed ideo tyranni, vt arbitror, appellantur, quia Romano imperio ſubiectionem minime exhibebant, vel quia ipſum imperium inuadere nitebantur.

| 5 | 7 | 30 | 2 | 2 | 2 | 25 | 35 | 415

Maximus Taurinenſis epiſcopus claret, qui in homilijs componendis & in eccleſia declamandis ſtuduit eleganter.

Hiſpaniæ Wandalorum ferro, fame, peſtilentia, morſibus beſtiarum grauiter laborant.

Valentia Galliarum ciuitas à Gothis capta eſt.

Prædeſtinatorum hæreſis hoc tempore cœpit ſerpere, qui ideo Prædeſtinati vocantur, quia de prædeſtinatione & diuina gratia diſputantes, aſſerebant, quod nec pie viuentibus proſit bonorum operum labor, ſi à Deo ad mortem prædeſtinati fuerint; nec impijs obſit, quod improbe viuant; ſi à Deo prædeſtinati fuerint ad vitam. Quæ aſſertio & bonos à bonis auocabat, & malos ad mala prouocabat. Hæc hæreſis ex libris Auguſtini male intellectis initium ſumpſiſſe dicitur.

Anni Domini.	Roman.	Perſ.	Franc.	Britan.	VVand.	VVisigoth.	Oſtrogoth.	Hunn.
	6	8	31	3	3	3	26	36

416 Honorius imperator, ſopitis in Africa hæreticis, pacem reddit eccleſijs.

Perempto à ſuis Athanulpho Wiſigothorum rege, Sigericus regnat anno vno.

Iudæus quidam, cum quæſtus cauſa ſæpe in multis hæreticorum eccleſijs baptizatus fuiſſet, venit etiam ad eccleſiam orthodoxorum, ſub eadem intentione baptizandus, & cum baptizari deberet, aqua fontis ſubito diſparuit, & iterum allata aqua & fonte repleto, iterum atq; iterum aqua diſparens, virtutem Dei & Iudæi perfidiam oſtendit.

7	9	32	4	4	1	27	37

417 Zoſimus Romanæ eccleſiæ 39 præſidet. Hic decreuit ceream ſabbato ſanctæ Paſchæ per eccleſias benedici.

Quidam Occidentales vltimo anno cycli decennoualis pro emboliſmo communem annum tenentes, ac per hoc in Paſcha celebrando aberrantes diuino miraculo ad veritatem reuocantur. In vna enim Italiæ eccleſia, vbi annuatim ſabbatho ſancto Paſchæ hora baptizandi ſolebat aqua diuinitus manare, & ſtatim ex ſeſe redire, nullo deductorio penitus apparente, nunc temporius iuſto, id eſt 8 Calendas Aprilis, Paſcha celebrantes aqua non emanans expectatione totius diei ac noctis fefellit, legitimo autem die Paſchæ hora baptizandi aqua ſolito emanans 10 Calendas Maij Paſcha debere celebrari oſtendit.

Corpora ſanctorum, Stephani protomartyris, Nicodemi, Gamalielis & Abibon, Luciano presbytero reuelata ſunt: & corpus quidem protomartyris Stephani Ioannes epiſcopus à Caphargamala Hieruſalem tranſtulit, quod poſt aliquot annos inde leuatum à Iuliana matrona. Quæ corpus Alexandri viri ſui ſepulti iuxta corpus protomartyris leuare volens, pro corpore viri ſui corpus protomartyris leuauit, & multa miraculorum gloria illuſtratum Conſtantinopolim detulit.

Perempto à Wiſigothis Sigerico, regnat Wallia annis duobus.

8	10	33	5	5	1	28	38

418 Oroſius presbyter rediens à Hieronymo, ad quem miſſus fuerat ab Auguſtino, pro diſcenda quæſtione de origine animæ, reliquias protomartyris Stephani ad Africam detulit, cum hiſtoria inuentionis eius, quam gratia miraculorum proſequente vbique Deus mirificauit. Vnde plura Auguſtinus, multo plura ſcripſit Euodius.

Honorius, pacto fœdere cum Gothis, Aquitaniam tradit eis.

Wallia Placidiam ab Athanulpho captam reddit Honorio fratri. Honorius eam dat vxorem Conſtantino comiti, ex quo Placidia Valētinianum genuit, qui poſt Honorium regnauit.

9	11	34	6	6	2	29	39

419 Simeone & Marcomiro Francorum ducibus defunctis, Franci in commune deliberant, vt & ipſi ſicut aliæ gentes regnum habeant: & filium Marcomiri ducis Pharamundum ſibi regem ordinant, qui regnauit annis 11.

10	12	1	7	7	3	30	40

420 Bonifacius Romanæ eccleſiæ 40 præſidet. Contra hunc Bonifacium ordinato Eulalio, & pro hoc diſſidente Eccleſia; ambo iuſſu Honorij Auguſti vrbe egrediuntur, & ſic reprobato Eulalio, iuſſu Auguſti Bonifacij quia prior ordinatus fuerat, ſedi Apoſtolicę reſtituitur. Hic decreuit vt nulla mulier, aut monacha, pallam ſacratam altaris contingeret, aut lauaret, aut incenſum poneret: & vt ſeruus, vel obnoxius curiæ, aut cuiuslibet rei, non fiat clericus.

11	13	2	8	8	4	31	41

421 Hieronymus, per quinquaginta ſex annos libris ſuis confectis, ita pectore

præ

Roman.	Pers.	Franc.	Britan.	Wand.	Wisigoth.	Ostrogot.	Hunn.	Anni Domini.

præ laboribus deiecto vt lecto surgere nequiret, nisi apprehenso manibus fune qui adhoc de trabe pendebat, obiit apud Bethleem, anno ætatis suæ 98.

| 12 | 14 | 3 | 9 | 9 | 5 | 32 | 42 | 422 |

Franci vti cœperunt legibus, & legem Salicam dictauerunt, per quatuor gentis suæ proceres, electos de pluribus his, appellatos nominibus, Vsogast, Bosogast, Salagast, Widigast. In villis Germaniæ Salechaim, Bodochaim, Wingehaim, hi quatuor proceres per tres mallos causarum origines conuenientes solicite tractantes, de singulis discutiēdo, sicut lex Salica declarat, iudicare decreuerunt. Wandali, Alani, Sueui, regiones Hispaniarum ad habitandum inter se trifariam compartiti, & in tribus regnis diuisi, colliduntur inter se intestino bello.

| 13 | 15 | 4 | 10 | 10 | 6 | 33 | 43 | 423 |

Honorius Constantium virum sororis suæ Placidiæ in imperium asciscit, qui octauo imperii mense obiit. Æstimo hunc esse Constantinum, quem Beda dicit in Galliam ab Honorio missum.

Britannis subiectionem Romano imperio repromittentibus subsidium mittit Honorius, & Hispanis Wandalorum bello laborantibus. Sed id frustra fuit.

| 14 | 16 | 5 | 11 | 11 | 7 | 34 | 44 | 424 |

Honorius, tricennalibus suis de pompa capti Maximi tyranni Rauennæ celebratis, obiit.

Theodosius vtrique regno imperat annis tribus.

Wallia rex Wisigothorum Wandalos in Hispaniis prosequutus debellat.

Constantino rege Britonum defuncto Wortegirnus consul Gemusseorum Constantem ex monacho in regem sublimauit, & vice episcopi ipse capiti eius diadema imposuit. Affectabat enim regnum sibi vsurpare, sed Constans qui legitime non poterat regnare quolibet modo, aut depositus, aut peremptus fuisset. Nam fratres illius adhuc pueri erāt, Ambrosius & Vtherpendragon, & ad regni gubernaculum nondum idonei. Romani autem ad opem ferendam Britonibus vltra non reuersuri, suaserunt ei murum construere ab Oriente in Occidentem, inter Deiram & Albaniam, vt hostium accessus detineret: peritiamque armorum tradiderunt, eo quod patria militibus esset euacuata.

| 1 | 17 | 6 | 12 | 12 | 8 | 35 | 45 | 425 |

Ioannes Hunnos regno immittit, & eorum auxilio ad tyrānidem intēdit. Wandali Mauritaniam inuadunt.

Hoc tempore Theonistus episcopus ab hæreticis pulsus est vrbe sua Philippis cum discipulis suis, Albano, Yrso, Tabraham: ex quibus Albanus apud Moguntiam Galliæ ciuitatem, reliqui vero in diuersis locis Italiæ pro Christo martyrizantur.

| 2 | 18 | 7 | 13 | 13 | 9 | 36 | 46 | 426 |

Celestinus Romanæ Ecclesiæ 41 præsidet. Hic constituit vt psalmi Dauid ante sacrificium canerentur antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat: nisi tantum epistola beati Pauli & sanctum Euangelium recitabatur. Ex hoc instituto excerpti de psalmis, Introitus, Gradalia, Offertoria, ante sacrificium communionis inter communicandum cum modulatione ad Missam in Ecclesia Romana cantari cœperunt.

Theodosius per Ardaburium ductu angeli Ioannem tyrānum opprimit. Romæ inter Ætium & Bonifacium ex rei militaris gratia orta inuidia reipublicæ parturit dispendia.

| 3 | 19 | 8 | 14 | 14 | 10 | 37 | 47 | 427 |

Theodosius Valentinianum Placidiæ amitæ suæ ex Constantio filium

Anni Domini.	Roman.	Perſ.	Franc.	Britan.	Wand.	Wiſigoth.	Oſtrogot.	Hunn.

imperatorem facit, eumque cum Placidia matre Romam ad imperandum mittit; & regnauerunt ſimul annis 24.

Carthago permiſſa eſt muro circumdari.

Caſſianus de Eccleſia Conſtantinopolitana à Ioanne Chryſoſtomo eiectus, & in Maſſiliam Galliæ presbyter ordinatus, multa ſcripſit. Inter quæ etiam compertas in Ægypto vitas patrum, doctrinasq; & regulas datis ad plurimos libris exponit.

428	1	20	9	15	15	11	38	48

In Britannia Timotheus quidam, continentiæ & religionis imagine multis illudens, eos in errorem ſuæ hæreſis induxit; dicens Chriſtum verum quidem Deum, & verum hominem de virgine Maria natum fuiſſe, ſed mentiens dicendo, quod diuina natura conuerſa ſit in humanam naturam.

Romani Hunnos à Pannonia fugant, quam per quinquaginta tenuerant annos.

429	2	21	10	16	16	12	39	49

Bonifacius Africam cui præerat, ſolicitat ad rebellionem.

Gundericus rex VVandalorum capta Hiſpali, cum impie elatus manus in Eccleſiam ipſius ciuitatis extendiſſet, mox Dei iudicio à dæmone correptus interiit: cui Genſericus frater in regno ſuccedens, regnauit annis 48. Hic (vt fertur) de fide catholica in Arrianam ſectam apoſtatauit.

430	3	22	11	17	1	13	40	50

Clodius, filius Pharamundi, rex crinitus, regnat ſuper Francos annis decem & octo. Ex hoc Franci crinitos reges habere cœperunt.

Auguſtinus in Epiſcopatu Hipponenſi Heraclium ſibi ſubſtitui fecit.

VValamer Oſtrogothorum regnum ſuſcipiens, regnauit annis 31. Huius frater fuit Theudemer, de quo ortus eſt Theodericus rex Italiæ.

431	4	23	1	18	2	14	1	51

Clodius Thoringiam inuadit, & in Diſpargo caſtello Thuringorum aliquandiu habitauit.

Perempto Conſtante rege Britonum, factione (vt putatur) VVortegirni conſulis, inuaſit regnum ipſe VVortegirnus, cum parem ſibi nullum videret.

Interea Saxones cum tribus nauibus exeuntes à Germania, applicuerunt in partib. Cautiæ, regiq; aduentus ſui cauſam aperientes, cum gaudio ſuſcepti ſunt ab eo. Irruentibus vero more ſolito ab Albuna hoſtibus, pugnamque acerrimam ex vtraque parte committentibus, rex victoriam obtinuit auxilio Saxonum ſtrenue dimicantium. Quorum probitatem inermis cum rex expertus fuiſſet, dedit eis poſſeſſiones in terra ſua, magnamq; familiaritatem & confidentiam apud eum adepti ſunt.

432	5	24	2	19	3	15	2	52

Celeſtinus papa ad Scotos in Chriſtum credentes Palladium mittit primum epiſcopum. Poſt quem ad eoſdem ab eodem Celeſtino miſſus eſt ſanctus Patricius, genere Brito, filius Conches ſororis ſancti Martini Turonenſis, qui in baptiſmo quidem dictus eſt Suchat, à ſancto Germano Magonius, à Celeſtino vero Patricius; à quo archiepiſcopus Scotorum ordinatus, per 60 annos ſignis, ſanctitate, doctrina, excellens totam inſulam Hiberniam conuertit ad Chriſtum.

Neſtorius, Conſtantinopoli epiſcopus factus, fit actor hæreſis ſeparantis in Chriſto hominem à Deo, dicens purum hominem non Deum de Maria natum, & à Iudæis crucifixum.

VVandalos qui olim timore Atanulphi exceſſerant à Galliis, VVallia rex Gothorum expellere parat etiam ab Hiſpaniis.

433	6	25	3	20	4	16	3	53

Tertia

Roman.	Perſ.	Franc.	Britan.	Wand.	Wiſigoth.	Oſtrogoth.	Hunn.	Anni Domini.

Tertia ſynodus vniuerſalis Epheſina prima ducentorũ Epiſcoporum iuſſu Theodoſii iunioris Auguſti edita eſt, quæ Neſtorium duas perſonas in Chriſto aſſerentem iuſto anathemate condemnauit, oſtendens manere in duab. naturis vnam Domini noſtri IESV Chriſti perſonam.

In Hiſpaniis viginti millia ferme militum contra Wandalos pugnantium cæſa.

Genſericus odia Gothorum veritus,& ſimul à Bonifacio inuitatus, cum Wandalis & omnibus eorum familiis ad Africam transfretauit, eamque inuadens & dilacerans,multam multo tempore cladem Romanis intulit.

In Gallia cum Supthar rex Hunnorum Burgundiones nimis opprimeret; illi in Deum Chriſtianorum ſpem ſuam ponentes,ſe baptizari petierunt. Et ſtatim Hunnis congreſſi,pauci multa millia eorum peremerũt, & ſic rabiem ipſorum refrenauerunt.

7	26	4	21	5	17	4	54	434

Sixtus Romanæ Eccleſiæ 42 præſidet.

Romani in Africa VVandalis congreſſi ſuperantur.

Bonifacius conflictu cum Ætio habito, victor quidem ſed moriturus diſcedit.

In Britannia dux Saxonum Hengiſtus,conſiderans animum regis ad amorem ſui ſuæque gentis inclinatum, dedit ei hoc conſilium tanquam ſalutiferum,vt legatos dirigerent in Germaniam, & legiones militum inuitarẽt, quatenus multiplicato exercitu ſuo facilius inimicis ſuperuenientibus reſiſtere poſſent. Quod cum rex gratanter accepiſſet,petiit ab eo Hengiſtus dignitatem ſublimioris ordinis,conſulatum ſcilicet,aut principatum, aut alterius dignitatis officium,ſed minime impetrauit. Deniq; poſtulauit tantum terræ ſpacium ſibi dari,quantum vna corrigia poſſet ambiri, vt ibi promõtorium ædificaret. Cui cum rex acquieuiſſet,accepto ille corio tauri, incidit illud in longiſſimam corrigiam,& loco quem præuiderat circumducens,intra ambitum illius conſtruxit caſtellum,appellauitq; illud caſtellum corrigiæ.

8	27	5	22	6	18	5	55	435

Ætius conferens ſe ad Kugilam regem Hunnorum, eius auxilio regreditur ad Romanum ſolum.

Sixtus papa à Baſſo criminatur, & iuſſu Valentiniani imperatoris Romæ congregata ſynodo coram 56 Epiſcopis ſynodico iudicio purgatur: Baſſus vero damnatus proſcribitur,& non multo poſt à Deo percuſſus, ipſius Sixti manibus honorifice ſepelitur.

Germanus Antiſſiodorenſis,Lupus Trecaſſinus,Eucherius Lugdunenſis, Hilarius Arelatenſis,Epiſcopi,in Galliis clarent.

9	28	6	23	7	19	6	56	436

Ætius in gratiam recipitur.

Rugila rex Hunnorum, fœderatus Romanorum, moritur, eique Bleda ſuccedit.

Rex Britonum VVortegirnus accepit vxorem filiam Hengiſti ducis Saxonum, pulcherrimam quidem, ſed paganam, patriq; illius dedit prouinciam Cautiæ. Cuius rei cauſa exoſum eum reddidit proceribus & filiis ſuis.

Hengiſtus autem cum voluntate & conſilio regis iterum miſit in Germaniam,tantamq; multitudinem inuitauit,vt ipſis Britonibus terrori eſſent & ſuſpicioni. Qui cum regi diſſuaderent retinere gentem paganam, rex autem nollet eos audire, deſeruerunt illico VVortegirnum, filiumque VVortunerum regem fecerunt.

Tempore hoc Germanus Antiſſiodorenſis,& Lupus Trecaſſinus, peten-

| Anni Domini. | Roman. | Perſ. | Franc. | Britan. | Wand. | Wiſigoth. | Oſtrogot. | Hunn. |

tibus Britannis, in Britanniam diriguntur, vt hæreſim Pelagianam quæ ibi ante aliquot annos pullularat, confutarent, & rectam fidem Apoſtolica auctoritate ſolidarent, atque vt Chriſtianitatem quæ ibi per ſocietatem paganorum corrupta fuerat, reſtaurarent.

Interim hoſtibus inſulam ex more incurſantibus, animans omnes ad reſiſtendum Germanus & ipſe dux factus, iam in procinctu poſitis hoſtibus, elato clamore Alleluya incipiens, & ſuis ſecum clamantibus idem hoſtes vertit in fugam, & incruentam obtinens victoriam ab imminenti periculo eripuit patriam.

437 | 10 | 29 | 7 | 24 | 8 | 20 | 7 | 1 |

Galliſa citeriore ab Attone principe in rebellationem commota, conſpirauere in Bagaudam omnia pene Gallorum ſeruitia.

Cyrillus Alexandrinus epiſcopus ab hoc anno orditus, cyclum de ordinatione Paſchæ per nonagintaquinque annos ſumma breuitate collegit, infra quem omnes Paſchalis obſeruationis varietates comprehendi notauit.

Filius VVortegirni VVortunerus, ſublimatus in regno, commiſit prælia multa cum paganis qui patrem eius adiuuabant, victoriamq; obtinuit, adeo vt cõgeret eos inſulam hoſpitem deſerere, & ad natale ſolum redire. Deinde renouabat Eccleſias, poſſeſſiones ciuibus ereptas reſtituebat, imperante ſancto Germano & adiuuante. Cuius bonitati diabolus inuidens, incitauit animum nouercæ illius, vt per aliquem familiarem ſuum donis corruptum daret ei venenum mortiferum. Quo hauſto cum mortem ſibi ſentiret imminere, diuiſit theſauros ſuos. Hortansq; milites pro patria fortiter cõtra hoſtes præliari, iuſſit pyramidem æream fieri, & in portu quo Saxones applicare ſolebant locari, & ſuper eam corpus ſuum ſepeliri, vt viſo tanti viri ſepulchro, territi hoſtes ad propria redirent. Sed aliter actum eſt, quia ſepultus eſt in vrbe Trinouantum quæ modo Lundonia appellatur. Poſt obitum vero illius reſtitutus eſt in regnum V Vortegirnus.

438 | 11 | 30 | 8 | 25 | 9 | 21 | 8 | 2 |

Apud Perſas hoc tempore Chriſtianitas dilatata eſt. Nam Maruthas Epiſcopus legatione ad eos functus filium Sdigerdis regis orando à dæmonio liberauit. per quod maior quidem gloria fidei accreuit, at contra ab inimicis Dei grauior in Chriſtianos perſecutio exarſit.

Eudoxia Auguſta, vxor Theodoſii, Hieroſolymam ex voto properauit, & inde reliquias protomartyris Stephani, & duas catenas quas angelus de manibus Petri apoſtoli diſiecit, Dei nutu attulit, eisq; adiuncta catena qua etiam Romæ Petrus vinctus fuit, triadem fecit, & inde cum conſilio Romani prætulis ſolennitatem ſancti Petri quæ dicitur ad vincula, Romæ inſtituit calendis Auguſti: ideo maxime, vt populũ reuocaret à gẽtilis ſuperſtitionis pompa, quam adhuc ſolennizabat in hac die ciuitas ex ritu gentili pro victoria Octauiani Auguſti, de Antonio & Cleopatra Calendis Auguſti collata.

Diabolus Iudæos in ſpecie pſeudoprophetæ Moſen ſe eſſe mentientis ſeduxit, & promittens ſe in terram promiſſionis eos reducturum, ad mare trãsfretandum adduxit, ibiq; eorum multos multis modis perire fecit. Quæ res multis eorum hoc periculo erutis credendi in Chriſtum cauſa fuit.

439 | 12 | 31 | 9 | 26 | 10 | 22 | 9 | 3 |

Rex VVortegirnus coniugis ſuæ precibus deuictus mandauit Saxonibus, vt redirent in Britanniam, priuatim tamen & cum paucis. At illi congregato maximo armatorum exercitu reuerſi ſunt, paucisq; cum fœdere condicto, fraudulenta proditione peremerunt quadringentos & eo amplius barones ſiue conſules, qui inermes conuenerant ad colloquium nominatim. Quo facto re-

Roman.	Perſ.	Franc.	Britan.	Wand.	Wiſigoth.	Oſtrogot.	Hunn.	Anni Domini.

&o regem ligatum compulerunt iurare, quicquid ab eo exigebant: eoq; ſecedente in Cambriam, ipſi ciuitates & caſtella obtinuerunt.

Wallia, rex Gothorum, Wandalos inſectans, etiam in Africa eos perſequi diſponit, ſed morte præuẽtus obiit, eique in regnum Theodericus ſucceſſit, & 14 annis regnauit.

13	32	10	27	11	1	10	4	440

VVandali inuaſam Africam deuaſtant omnibus modis.

Sub hoc turbine tribulationis ſanctus Auguſtinus migrauit ad Dominum 13 menſe obſidionis ſuæ vrbis, anno ætatis ſuæ 73, clericatus vel Epiſcopatus 40. Qui tanta ſcripſit, vt nullus libros eius omni tempore vitæ ſuæ non ſolum ſcribere, ſed nec legere quidem valeat.

14	33	11	28	12	2	11	5	441

Leo Romanæ Eccleſiæ 43 præſidet. Hic in homiliis declamandis multum valuit. Hic in canone miſſæ addidit, Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam. Hic quoties rogabatur ab aliquibus, vt eis aliquorum apoſtolorum vel martyrum reliquias daret, conſueuit ad corpora, vel memorias apoſtolorum vel martyrum quorum reliquiæ petebãtur, Miſſas celebrare in ipſorum honore. Et ſic brandeum altaris quo conſecratum corpus Domini inuoluerat, particulatim diuidebat, & pro reliquiis apoſtolorum vel martyrum dabat. Vnde ſi ab aliquibus dubitabatur, cultello pannos illos pungens ſanguinem eliciebat; ſic palam cunctis faciens, quod in conſecratione myſteriorum Chriſti ſanguis, apoſtolorum, vel martyrum qui pro illo effuſus eſt, intret per diuinam virtutem in pannos illos, & ideo merito illos dari pro reliquiis ſanctorum, in quorum honore conſecrati ſunt.

Bellum contra Burgũdiones memorabile exarſit, quo tota pene gens cum rege ſuo per Ætium victa concidit.

Corpora Priſci, aliorumq; cum eo apud Antiſſiodorum paſſorum, Germano epiſcopo diuinitus reuelantur.

15	34	12	29	13	3	12	6	442

Defuncto Sdigerde, Gauraranes filius eius Perſis imperat annis 38.

In Galliis principibus ſeditionis attritis, & Battone capto, quieſcit Bagaudarum commotio.

16	1	13	30	14	4	13	7	443

Gauraranes fœdus cum Romanis à patre initum diſſoluit, & prouincias Romanorum incurſat.

Portione Africæ conceſſa ad habitandum Genſerico à Romanis, conuenit inter VVandalos & Romanos pax magis neceſſaria quam vtilis.

17	2	14	31	15	5	14	8	444

Corpus Ioannis Chryſoſtomi in exilio defuncti tandem Conſtantinopolim refertur, inſtantia Proculi epiſcopi, & iuſſu Theodoſii imperatoris, cum lachrymis orantis, vt veniam daret Arcadio patri ſuo, & Eudoxiæ matri, qui eum exiliauerant. Et per hoc finita eſt diſſenſio, quæ adhuc erat in Eccleſia pro eiuſdem Ioannis damnatione.

Conſtantinopoli per quatuor menſes terræmotu terra fluctuante, quidam coram omnibus orantibus ſublatus in aera à diuina virtute, admonitus eſt à diuina voce, vt factis litaniis canerent omnes, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere nobis, nihil aliud apponentes. Quo facto ceſſauit terræmotus.

Romani duce Littorio cum VViſigothis pugnant miſerabiliter.

18	3	15	32	16	6	15	9	445

Clodius rex Francorum, miſſis exploratoribus de Diſpargo caſtello vſque ad Vrbem Cameracum, tranſiit Rhenum, & protrito multo Romano-

Anni Domini. | Roman. | Perſ. | Franc. | Britan. | Wand. | Wiſigoth. | Oſtrogot. | Hunn. |

rum populo citra Rhenum vſque Ligerim fluuium habitantium Carbonariam ſyluam ingreſſus, vrbem Tornacum obtinuit, & inde vſque ad vrbem Cameracum properauit. Vbi pauco tempore reſidens, Romanos ſi quos ibi inuenit, peremit, & exinde ad Somenam fluuiũ perueniens omnia occupauit.

Theodoricus rex Wiſigothorum Hiſpanias occupat.

Rex Wortegirnus, conſilio inito cum ſapientibus quid agere deberet, ad tutamen ſui iuſſit conuenire artifices, vt ei turrim fortiſſimam conſtruerent. Sed cum opera eorum tellus abſorberet, ſuaſum eſt ei vt hominem ſine patre quæreret, & eius ſanguine lapides & cæmẽtum aſpergi præciperet, quaſi hoc facto fundamentum ſtare potuiſſet. Inuentus igitur adoleſcens, cui nomen erat Merlinus, cum matre ſua adducitur coram rege, quæ profeſſa de ſpiritu in ſpecie hominis ſe illum concepiſſe. Merlinus autem multa obſcura reuelauit, multa prædixit ventura. Aperuit enim ſub fundamento lacum, ſub la-cũ duos latere dracones, quorum vnus rubeus populum Britonum, alter vero albus gentẽ Saxonũ deſignaret, & quis in cõflictu ſuo alteri præualeret. Prædixit Aurelium Ambroſium, deuicto Hengiſto & combuſto Wortegirno, regnaturum, fratremq; eius Vtherpendragon in regno ei ſucceſſurum, & vtrumq; veneno periturũ. Arturo vero quem aprũ cornubiæ vocat, prophetauit, quod Eccleſiæ Dei ſuccurreret, quod inſulas Occidentales ſibi ſubiugaret, quod Gallicanas prouincias poſſideret, quod Romano exercitui terribilem ſe exhiberet, & quod exitũ dubium haberet. Prænũciauit, quod archiepiſcopatus Lundoniarũ transferendus eſſet in Doroberniã, quæ modo Cantuaria nominatur, & quod Eboracenſis archiepiſcopus beatus Samſon cum ſeptem epiſcopis ad Armoricanam tranſierit regionem, quæ modo minor Britannia nominatur. Prophetauit etiam, q; ſub Normannorum dominio redigenda eſſet Anglia, & alia plura quæ vix intelligi poſſunt, donec apparere incipiant. Solet enim ſpiritus Dei per quos voluerit, myſteria ſua loqui, ſicut per Sibyllam, ſicut per Balaam, cæterosque huiuſmodi.

446 | 19 | 4 | 16 | 33 | 17 | 7 | 16 | 10 |

Gautaranes in Perſide perſecutionem in Chriſtianos excitauit, quam per 30 annos grauiter exercuit. Porro Theodoſius quamuis ſæpe feliciter Perſas viciſſet, pacem tamen amplecti voluit, vt perſecutio ceſſaret à Chriſtianis.

Genſericus dolo Carthaginem capit, & omnem Africam ſibi ſubiiciens, lachrymabili clade potentiam Romani regni deiecit. Hic nihil penſi, neque ſancti habens, & infeſtus cunctis, maxime nobilitati & religioni, omnia diuina & humana exinaniuit, epiſcopum & omnẽ clerum eccleſiæ Carthaginenſis expulit, loca ſancta aut ſuorum habitacula fecit, aut Arrianis tradidit, & Catholicos vbique perſequi iuſſit.

Hoc loco ponunt quidam Anglos veniſſe in Britanniam, & Ambroſium Aurelium ab hinc regnare cœpiſſe. Sed verius videtur, eos multo ante veniſſe quam ille regnaret, cum ipſe rex Wortegirnus eos inuitatos receperit, tantoq; tempore ſecum detinuerit, vt de eorum ſocietate Chriſtianitas corrupta fuerit, & pro eorum odio ipſe de regni ſolio depoſitus fuerit, filiusq; illius ſubrogatus ei fuerit, illoque mortuo ipſe in regno reſtitutus ſit.

447 | 20 | 5 | 17 | 1 | 18 | 8 | 17 | 11 |

Bledæ Hunnorum regi, cum fratre Attila peruaganti Orientale imperium, dat Theodoſius pro receſſu ſex millia librarum, pollicitus ei annuum mille librarum tributum.

Apud Epheſum 7 fratres à Decio imperatore pro Chriſto tormentati, in ſpelunca ſe clauſerunt, & facta oratione ibi obdormierunt, & poſt annos ſuæ dormitionis circiter 192 ore ſpeluncæ quod in ſuo tẽpore Decius obſtruxerat pa-

| Roman. | Perſ. | Franc. | Britan. | Wand. | Wiſigoth. | Oſtrogot. | Hunn. | Anni Domini.

rat patefacto diuinitus à ſomno ſurgunt. Et aſſerta fide noſtræ reſurrectionis coram Theodoſio imperatore, de qua multum dubitabatur, iterum dormiunt in Chriſto. Nomina autem eorum hæc ſunt quæ in baptiſmo acceperunt, Malchus, Maximianus, Martinianus, Dionyſius, Ioannes, Serapion, Conſtantinus.

Ambroſius Aurelius Wortegirno incenſo prælium cum Saxonibus committit, Hengiſtum ducē captum perimit, cæteros intra ciuitates includit, miſericordiam poſcentibus donat, & terra eis iuxta Scotiam delegata, fœdus pacis cum eis confirmat. Deinde reuocat ciues, regnū diſponit, leges ſopitas renouat, eccleſias reformat, præſules ſtatuit, atque ſepulturam conſulum qui in proditione ceciderant, per induſtriam Merlini miris lapidibus conſtruit.

| 21 | 6 | 18 | 2 | 19 | 9 | 18 | 12 | 448

Merouæus filius Clodij ſuper Francos regnat annis 10, à quo nimis vtili rege Franci Merouingi cognominati ſunt.

Germanus Antiſſiodorenſis cum Seuero Treuerenſi epiſcopo iterum ad Britanniam miſſus, renaſcentem Pelagianam hæreſim confutat.

| 22 | 7 | 1 | 3 | 20 | 10 | 19 | 13 | 449

Bleda rex Hunnorum fraude fratris Attilæ perimitur, eiq; ſuccedens ipſe Attila, totus in excidium orbis animo fertur.

Remigius Remenſis naſcitur, prænuntiatus ex nomine per Montanum monachum. Quo nato idem Montanus, quia cæcus erat, de lacte Ciliniæ matris eius oculos ſuos liniens, illuminatus eſt.

| 23 | 8 | 2 | 4 | 21 | 11 | 20 | 1 | 450

Noua iterum Orienti conſurgit ruina, quia ſeptuaginta non minus ciuitates deprædatione Hunnorum vaſtantur.

Germanus Antiſſiodorenſis in Italiam profectus, Rauennæ moritur, cuiuſq; eiuſcum multa miraculorum gratia Antiſſiodorum refertur.

| 24 | 9 | 3 | 5 | 22 | 12 | 21 | 2 | 451

In Africa exardeſcentibus Wandalis, cum ita libros diuinos exurerent, & de ſacris pallijs ac veſtibus veſtes ſibi facerent, Valerianus epiſcopus octogenarius nolens diuina ſacramenta prophanis tradere, à rege Genſerico omni vrbe & domo excluſus, reliquum vitæ vſque ad mortem nudus ſub nudo aere exegit.

Placidia mater Valentiniani Romæ defuncta eſt.

Theodoſius imperator obijt, cui ſuccedens Marcianus imperat annis ſex, cum quo Valentinianus annis quinque.

| 1 | 10 | 4 | 6 | 23 | 13 | 22 | 3 | 452

Inſtantia Leonis papæ iubente imperatore Marciano congregata & habita eſt quarta vniuerſalis ſynodus ſexcentorum & triginta epiſcoporum apud Chalcedonē, in qua Eutychem Conſtantinopolitanum abbatē pronunciantem verbi Dei & carnis vnam eſſe naturam, eiuſq; defenſorem Dioſcorum, Alexandrinum quondam epiſcopum, vna patrum ſententia præiudicauit. Neſtorium etiam, Conſtantinopolitanum quondam epiſcopum, olim in Epheſina ſynodo damnatum, iterum anathematizans cum reliquis hæreticis damnauit; prædicans eadem ſynodus Chriſtum Deum ſic de virgine natum, vt in eo & diuinæ & humanæ naturæ ſubſtantiam eſſe fateamur. Hic decretum eſt, vt mater domini Maria non ſolum Chriſtotocos, ſed etiam Theotocos credatur & appelletur, propter blaſphemias Neſtorij mentientis, eam non Deum ſed hominem purum genuiſſe.

Terræmotus pene aſſidui, & ſigna plurima in cœlo oſtenduntur. Veſpere ab Aquilone cœlum efficitur rubens, vt ignis, intermixtis per igneum rubo-rem clarioribus lineis, in haſtarum ſpeciem deformatis. Luna obfuſcatur,

Anni Domini. | Roman. | Perſ. | Franc. | Britan. | Wand. | Wiſigoth. | Oſtrogoth. | Hunn. |

cometes apparet, & multa alia quæ non eſſe otioſa oſtendit inſtans rerum conſequentia.

| 2 | 11 | 5 | 7 | 24 | 14 | 23 | 4 |

453 Attila Hunnorum rex Walameris Oſtrogothorum regis, & Ardarici Gepidarum regis, & multarum aquilonarium gentium ſibi ſubiectarum, auxilio fultus, à Pannonijs egreſſus Occidentale imperium inuadit cum quingentis millibus armatorum. Et primo per totas Gallias per eos tanta efferbuit Dei indignatio, vt nullam omnino ciuitatem, caſtellum, vel oppidum, aliqua à furore eorum potuerit tutari munitio. Poſtremo Aureliam vrbem eis obſidentibus, ad ſubſidium Galliarum aduolauit patricius Romanorum Ætius, fultus & ipſe Theodorici Wiſigothorum regis, & Merouei Francorum regis, aliarumq; gentium copijs militaribus. Conſerto prælio in campis Catha launicis, pugnatum eſt vſq; ad diremptionem noctis. Ætius ſuperior quidem receſſit, Attilam tamen non vſq; ad internicionem deleuit. Cæſa ſunt ibi centum octoginta millia pugnatorum, inter quos etiam cecidit Theodericus rex Wiſigothorum.

Attila reſumpta ſpe rex Ætij diſceſſu repatriauit, mature rediturus ſuppleto exercitu.

Nicaſius Remenſis Epiſcopus cum Eutropia ſoroze ab Hunnis martyrizatur.

Auctor Metenſis epiſcopus captiuatur, ſed Hunnis cæcitate percuſſis, cum captiuis ſuæ vrbis relaxatur.

Hoc excidium Gallijs impendere Seruatius Tungrenſis longe ante in ſpiritu præuiderat, & Romæ à Petro Apoſtolo hoc iudicium Dei ineuitabile fore didicerat, ideoq; relicta Tungrenſi vrbe quæ euertenda erat, ad Traiectum ſedem epiſcopalem tranſpoſuit.

Pullulante intra Gallias Arriana hæreſi quæ inæquales credens eſſe perſonas ſanctæ Trinitatis, dicebat filium minorem eſſe patre, ſpiritum vero ſanctum minorem patre & filio, dominus errantes corrigit, oſtendens plano miraculo Deum in tribus perſonis vnius & æqualis eſſe ſubſtantiæ, nec debere ab indignis de diuinitate tractari. Nam Vaſatenſi vrbe ab Hunnorum obſidione liberata per diuinum auxilium, cum Epiſcopus pro gratiarum actione Miſſam populo celebraret, reſpiciēs ſurſum vidit deſuper altare, quaſi de camera templi cadere æqualiter tres guttas æqualis magnitudinis cryſtallo clariores, quæ ſimul defluentes, & in vnum coniunctæ, quaſi vnam gemmam pulcherrimam effecerunt. Quam cum in medio crucis aureæ & gemmatæ poſuiſſent, aliæ gemmæ ceciderunt. Seorſum vero poſita infirmis dabat ſanitatem, adorantibus vero imaginem ſanctæ crucis augebat deuotionem, quia pijs & mundis clara, & immundis obſcura videbatur.

Omnibus bellis famoſius fuit bellum, quod candidatus ſanctarum vndecim millium virginum exercitus bellauit, duce ſancta virgine Vrſula, quæ filia vnica Nothi nobiliſſimi Britannorum principis, cum nondum nubilis à filio cuiuſdam feriſſimi tyranni ad nuptias expeteretur, & patrem ſuum ſuper hoc anxiari videret qui Deum metuebat, ſi filiam Deo iam deuotam nubere cogeret, & tyrannum timebat, ſi ei filiam denegaret; diuinitus inſpirata nutanti patri ſuaſit, vt tyranno aſſentiretur, ea tamen illi propoſita conditione, vt ipſe & tyrannus decem virgines genere, forma, & ætate electas ſibi traderent, & tam ſibi quam ſingulis illarum mille virgines ſubſcribe rent, & comparatis ad numerum ipſarum vndecim trietibus inducias triennij ſibi darent ad exercitum virginitatis ſuæ, nouo vſa conſilio, vt aut difficultate propoſitę conditionis animum eius à ſe auerteret, aut hac opportunitate omnes coæuas ſuas ſecum Deo dicaret. Et ex hoc condicto virginibus, trietibus,

| Roman. | Perſ. | Franc. | Britan. | Wand. | Wiſigoth. | Oſtrogot. | Hunn. | Anni Domini.

trieribus,& ſumptibus comparatis,per triennium belli præludia cunctis mirantibus, tandem ſub vno die agente vento ad portum Galliæ qui Ticla dicitur,& inde Coloniam appulſæ ſunt, ibiq; ex angeli monitu Romam tendentes,ad vrbem Baſiliam nauibus, à Baſilia Romam vſq; pedibus profectæ, eodem eundi tenore Coloniam ſunt reuerſę.ab Hunnis vndiq; obſeſſam. A quibus cunctæ martyrizatæ,nouo & mirabili modo triumpharunt,& Coloniam ſanguine & ſepultura ſua clariorem reddiderunt.

Thuriſmodus filius Theoderici regnum Wiſigothorum ſuſcepit, & annis tribus regnauit.

| 3 | 12 | 6 | 8 | 25 | 1 | 24 | 5 |

Attila Italiam aggreſſus, omnes pene eius ciuitates aut diruit, aut diripuit aut incendit. Ad eum Leo papa venit,& non ſolum ſalutem,ſed etiam vt rediret, obtinuit. Rex Attila requiſitus à ſuis, cur ei fuiſſet tam placabilis,reſpondit ſe non eum fuiſſe reueritum, ſed ſenem quendam venerabilem euaginato gladio ſibi mortem minitantem, niſi eius in omnibus expleret voluntatem. 454

| 4 | 13 | 7 | 9 | 26 | 2 | 25 | 6 |

Attila Wiſigothos debellare aggreſſus, à Thuriſmodo victus,redijt inglorius. 455

Marciano imperatori apparens dominus in ſomnis, arcum Attilæ fractum eſſe oſtendit,nec id vanum fuit. Eadem quippe nocte Attila in nuptijs ſuis crapulatus,erumpente per apoplexiam ſanguine de naribus in lecto eſt ſuffocatus.

Hernac filius eius poſt eum regnat annis ſex.

Valentinianus imperator Ætium patricium interficit.

| 5 | 14 | 8 | 10 | 27 | 3 | 26 | 1 |

Thuriſmodus rex Wiſigothorum à fratribus ſuis Friderico & Theodorico iugulatur. 456

Theodericus frater eius,in regnum ei ſuccedens, regnauit annis 13.

Filij Attilæ dum contendunt de regno, ſubiectæ Hunnis gentes ab Hunnorum ſe excutiunt iugo.

Conſilio Maximi tyrannidem meditantis Valentinianus imperator à Tranſilla milite Ætij perimitur.

| 6 | 15 | 9 | 11 | 28 | 1 | 27 | 2 |

Genouefa virgo Pariſienſis multa ſanctitate claret per Gallias. 457

Maximus tyrannidem arripuit, Eudoxiam relictam Valentiniano vi rapuit.Illa Genſericum ex Africa inuitat,vt ſe à Maximo eripiat.

Genſericus Romam capit, omnia diripit. Vt tamen ab igne, cæde, & ſupplicijs hominum abſtineret,Leo papa ab eo obtinuit.

Per quatuordecim dies Roma deſpoliata,Genſericus Eudoxiam cum duabus filiabus & multo populo captiuat, & Campaniæ vrbes omni vaſtationis genere exterminat: Inter Hæc Paulinus Nolanus epiſcopus, dum pro captiuo filio viduę ſe vicarium in ſeruitutem barbari ſubijcit,omnes captiuos ſuæ vrbis recepit.

Maximus tyrannus à populo membratim diſcerpitur.

Auitus à Romanis imperator conſtituitur.

Theodericus rex Wiſigothorum Sueuos in Hiſpania vicit & regno eorum deſtructo,regnum ſuum eo vſq; extendit.

His Marciani temporibus, Ioannem Baptiſtam caput ſuum duobus monachis reuelaſſe,quidam ſcribunt.

Ardarico regi Gepidarum, qui primus à ſeruitio Hunnorum reſiliuit, Hernac filius Attilæ bellum indixit.Cum quo Ardaricus conflixit, eoq; cum

Anni Domini. | Roman. | Pers. | Franc. | Britan. | Wand. | Wisigoth. | Ostrogoth. | Hunn. |

triginta Hunnorum millibus peremptо, Hunnos grauiter afflixit. Sicq; recepta libertate gentis suæ, & terris eorum inuasis, cæteris gentibus exemplum dedit repetendæ libertatis.

Super insulam Britanniæ stella miræ magnitudinis apparuit, cuius radio globus igneus draconi similis adhærebat. Ex cuius ore duo radij procedebāt, quorum vnus vltra Galliam se extendebat, alter vero versus Hiberniam tendens, in septem minores radios terminabatur.

Eo tempore, occiso Aurelio Ambrosio rege, interrogatus Merlinus vates à fratre regis Vther de stellę significatione, dicit eum illo sydere & igneo draconе signatum, per radium vero de ore draconis procedentem & Gallias respicientem, figurari filium ei potentissimum nasciturum; altero autem radio portendi filiam, cuius filij & nepotes regnum Britanniæ succedenter essent habituri. Vther autem, audita morte fratris sui, cœpit diadema insulæ; duosque dracones ex auro iubens fabricari ad instar ignei draconis, obtulit vnum in ecclesia, altero autem in prælijs pro signo vtebatur, & ex eo tempore cognomentum accepit Vtherpendragon, id est caput draconis. Saxones vero post mortem Aurelij, à pactione fœderis soluti, inuaserunt ciuitates & promontoria, & ab Albania vsq; Eboracum omnia vastabant. Cum quibus rex præliatus fugam cum suis iniit. sed nocturno tempore illos aggressus superauit, captisque eorum ducibus Octa & Cosa, cæteros Saxones dissipauit. Post hæc amauit rex vxorem cuiusdam ducis, habuitque rem cum ea, de qua genuit celeberrimum illum Arturum, & filiam nomine Annam.

Mortuo Marciano, succedens Leo regnauit annis 16. Hic super synodo Chalcedonensi singulorum patrum singulas sententias requisiuit, & quia omnium vnam cognouit, eam fideliter tenuit. Hic cum Walamere Ostrogothorum rege fœdus pepigit, & Theodericum fratruelem eius puerum obsidem accepit.

Hucusq; Prosper Chronicam suam perduxit.

| 1 | 16 | 10 | 12 | 29 | 2 | 28 | 3 |

458 Meroueo Francorum rege mortuo, Hildericus filius eius regnauit an. 26.

Hernac filius Attilæ Hunnorum rex Ostrogothos, quasi refugas damnationis suæ bello repente super Walamerem irruit, à quo victi Hunni, in vltimas Scythiæ partes fugere sunt compulsi.

Mortuo Auito, Maiorianus imperat annis 4.

Symeon qui 40 annis inclusus in columna stetit, mira sanctitate Antiochiæ claruit. Qui inter cætera monebat, ne quis per Dei aut sancti alicuius nomen, imo per nomen Symeonis iuraret, promittens impunitatem in sè peieranti se à Deo postulaturum.

| 2 | 17 | 1 | 13 | 30 | 3 | 29 | 4 |

459 Ostrogothi duce Theudemere Sueuos bello vincunt, & Hunnimundum regem eorum capiunt, sed eum liberum remittunt.

| 3 | 18 | 2 | 14 | 31 | 4 | 30 | 5 |

460 Romani Biorgum Alanorum regem cum exercitu suo in Venetia extinguunt.

Dinzich filius Attilæ Hũnorum rex Ostrogothos iterum bello prouocat, à quibus Hunni ita sunt deuicti, vt eis postea semper Ostrogothi fuerint terrori.

| 4 | 19 | 3 | 15 | 32 | 5 | 31 | 6 |

461 Occiso Maioriano, Seuerus imperat annis quatuor.

Hildericum insolenter & luxuriosè se agentem Franci regno deturbant. Qui data aurei medietate amico suo Widiomaro, quod esset signum reintegrationis suæ, si aliquando intercederet reconciliato, apud Basinum regem Thuria-

| Roman. | Perſ. | Franc. | Britan. | Wand. | Wiſigoth. | Oſtrogot. | Hunn. | Anni Domini.

Thuringorum latuit annis 8. Franci vero Egidium ducem Romanorum regem ſibi præficiunt.

Hunnimundus rex Sueuorum, fultus Scyrorum auxilio, Oſtrogothos aggreditur, in quo bello rex Walanier perimitur. Cui ſuccedens frater eius Theudemer, regnat annis 11.

Hunni regno ſuo diminuto, tum ex gentium ſubiectarum diſſenſione, tum ex pugnandi infelicitate, regnauerunt quidem, ſed non in priori fortitudine: donec longo poſt tempore à Carolo Magno victi, cum ipſo ſuo nomine diſperiere. His abhinc filij Attilæ, & poſt eos Zeliobes, regnauerunt annis 58.

Apud Tholoſam vrbem Galliæ ex eius medio tota die ſanguis largiſſimo fluxit riuo, quod Gothi pro portento ſuæ perditionis acceperunt.

| 5 | 20 | 4 | 16 | 33 | 6 | 1 | 1 | 462

Hilarius Romanæ eccleſiæ 44 præſidet. Hoc iubente, Victorius cyclum magni anni ſcribit.

Theudemer Sueuos & Scyros in vltionem fratris occiſi vſque ad interneionem debellat.

| 6 | 21 | 5 | 17 | 34 | 7 | 2 | 2 | 463

Theudemer glaciali via tranſito Danubio, etiam ibi Sueuos proterit.

Pictor quidam cum Saluatorem ſecundum ſimilitudinem Iouis pingere voluiſſet, aruit manus eius. Quem culpam confeſſum ſanauit Gennadius, Epiſcopus Conſtantinopolitanus.

| 7 | 22 | 6 | 18 | 35 | 8 | 3 | 3 | 464

Theudemer filium ſuum Theodericum à Leone Auguſto ſibi remitti gratulatur.

Eliſeus propheta, qui duplici Heliæ ſpiritu plenus, multis in vita claruit virtutibus, & mortuus mortuum hominem ſupra corpus ſuum caſu iactatum ſolo corporis ſui attactu reſuſcitauit, & multo tempore in Samaria vbi ſepultus eſt multis claruerat miraculis, vt (præteream cætera) etiam dæmones ibi frementes variarum ferarum vocibus ab inuaſis fugarentur corporibus, Alexandriam transfertur.

| 8 | 23 | 7 | 19 | 36 | 9 | 4 | 4 | 465

Seuero mortuo, Antemius imperat annis 4.

Theodericus adoleſcens annorum 18, tranſito Danubio ſuper Sarmatas irruit, & regem eorum Barbach perimit, & cum bellicis manubijs victor ad patrem redijt.

| 9 | 24 | 8 | 20 | 37 | 10 | 5 | 5 | 466

Seruandus tyrannidem meditans ab Antemio perimitur.

Vtherpendragō rex Britonum diuturna infirmitate vexatur, & principes Saxonum Octa & Coſa quos tenebat in vinculis, cum cuſtodibus carceris fugerſit in Germaniam commouerunt q; innumerabilem armatorum manum, & reuerſi ſunt inſulam vaſtaturi. Rex autem infirmitate decubans, ducē beli poſuerat generum ſuum: ſed ignauia ciuium atq; ſuperbia plurimum quidem eis nocebat, hoſtib⁹ autem maiorem audaciam atque fortitudinem miniſtrabat. Cumque dubia inter eos alternaret victoria, vt rex hoſtes ſua pugna deterreret, ſe deferri ad prælium iuſſit. Qui poſitus in vehiculo, & ad bellum delatus, ſuos quidem animauit, ſed hoſtibus riſum fecit, quod ſemimortuus homo ad pugnam veniſſet. Cōgreſſu inito, Britones victoriam obtinuerunt, Saxonumq; duces Octam & Coſam interfecerunt. Tunc rex hilaris effectus, tanquam ſanitatem recepiſſet, erexit ſe, & ait: Vocabant me ſemimortuum Ambrones iſti, ſed malo ſemimortuus eos ſuperaſſe, quam incolumis ſuperati. Præſtantius eſt enim mori cum honore, quam cum pudore viuere.

Anni Domini.	Roman.	Perſ.	Franc.	Britan.	Wand.	Wiſigoth.	Oſtrogoth.	Hunn.
	10	25	9	21	38	11	6	6
467	Simplicius Romanæ eccleſiæ 45 præſidet. Hic damnauit Petrum Alexandrinum epiſcopum Eutychianæ hæreſis accuſatum. Romanus tyrannidem meditans, ab Antemio perimitur. Genſericus rex Italiam aggreſſus, nauali bello à Romanis vincitur.							
	11	26	10	22	39	12	7	7
468	Antemio & genero ſuo Ricimere Patricio Romæ contendentibus de imperio, interim Olybrio ad imperandum à Leone Auguſto tranſmiſſo, Recimer Antemium perimit. Mamertus epiſcopus Viennenſis claruit, qui litanias ante Aſcenſionem Domini inſtituit, hac de cauſa quod terræmotus in vrbe Vienna eccleſias domoſque euertebat, & ferias luporum aliarumque ſyluaticarum beſtiarum toto anno per vrbem vagantium homines deuorabat, adhæc palatium regis die ſancto Paſchæ cœleſti igne conſumptum, ad cladem multum terroris addebat. Qui litaniarum ritus à Viennenſe eccleſia in omnes Galliarum eccleſias decurrit.							
	12	27	11	23	40	13	8	8
469	Olybrio imperij ſui menſe 7 mortuo, Lucerius imperat. Egidius cum Francos opprimeret grauius iuſto, perpendens Widiomarus Francos pœnitere ſuper electo Hilderico, reuocat eum, clam miſſo diuiſi auirei ſigno, egitq; vt electo Egidio ille reſtitueretur in regno. Baſina vxor Baſini regis Thuringorum relicto viro ſuo ad Hildericum venit, quam ille vxorem ducit, & ex ea Clodoueum genuit. Theoderico Wiſigothorum rege à fratribus ſuis iugulato, Eoricus regnauit annis 19.							
	13	26	12	24	41	1	9	9
470	Nepos patricius Lucerio expulſo, & epiſcopo Salonis eo ordinato, imperium arripuit. Eoricus rex Wiſigothorum, Gallias occupare niſus, Riothimum regem Britonum, ad defenſionem Galliarum Romanis auxilio venientem, bello contriuit. Quis autem fuerit Riothimus iſte, hiſtoria Britonum nomine dicit, quæ regum ſuorum nomina & geſta per ordinem pandit. Nam ſi fidem narrationi illius hiſtoriæ prębeamus, huic loco inſerẽdi actus Arturi celeberrimi regis, qui poſt patrem ſuum Vtherpendragon regnũ Britanniæ adeptus eſt. Sed in alijs hiſtorijs nullam de eo mentionem inuenimus, & hæc ipſa Britonum hiſtoria ſupputationem annorum, quibus Arturus & multi alij regnauerunt, vel aperte non dicit, vel omnis tacet. Nec dubia pro veris affirmam, nec hiſtoricam narrationem, quæ nuper de Britannico in Latinum tranſlata eſt, lectori ſubtrahimus. Multa eim inter hiſtoricos variare conſidero, diuerſitatem nõ ſolum in annis, ſed etiam in geſtis atque nominibus perſonarum, vt quod iſte fecerit, alius feciſſe vel dixiſſe aſſeratur, & quod hoc anno euenerit, in alio anno eueniſſe dicatur, & res geſta quæ hoc modo ab vno hiſtorico deſcribitur, ab alio multum diſſona ratione narretur. Mortuo igitur Vtherpendragon rege, ſublimatus eſt in regno filius eius Arturus, cuius mirabiles actꝰ etiam linguæ perſonant populorum, licet plura eſſe fabuloſa videantur. Qui multa probitate pollens, cunctis ſe amabilem exhibebat, quia cum virtute animi etiam mira liberalitate affluebat. Porro aduerſus Saxones, Scotos, & Pictos vario conflictu decertans, tandem conclauſit eos quodam in ſaltu, ſed illi arboribus pro munimento contra Britonum tela vtebantur. Quod videns Arturus, iuſſit arbores per multa loca incidi, & in circuitu nemoris poni, vt liberos exitus non habentes fame ibi deficerent. Vnde cogente neceſſitate ad hoc compulſi ſunt, vt licentiam peterẽt redeundi							

| Roman. | Perſ. | Franc. | Britan. | Wand. | Wiſigoth. | Oſtrogoth. | Hunn. | Anni Domini.

redeundi in patriam ſuam, omnia relicturi, & tributa cum obſidibus reddituri. Sed in reditu poſiti pactionem ruperunt, & retroactis velis inſulam depopulari cœperunt. Arturus vero congregato exercitu proceſſit contra hoſtes in prælium, accinctus gladio nomine Caleburno, & auream galeam ſimulachro draconis inſculptam capiti ſupponens, clypeumq; in quo imago ſanctæ Dei genitricis erat impicta, humeris imponens, lanceam quoque quæ Ron vocabatur, aſſumens. Cumq; pugna valida vtrinque fieret, Arturus impetu facto in hoſtes, occidit ex eis ſolo Caliburno gladio 470 viros, cæteros autem in fugam conuertit, principibus eorum proſtratis.

| 14 | 29 | 13 | 25 | 42 | 2 | 10 | 10 |

Eoricus Burgundiones victos ſibi ſubegit; Aruernos etiam, Arelatum, & Maſſiliam, Galliarum vrbes inuaſit, ad occupandas prouincias Romanorum, animatus conſilio Genſerici qui verſute agebat, vt orientem Oſtrogothi, Occidentem Wiſigothi vaſtarent, vt occupatis aliis imperatoribus, ipſe in Africa regnaret ſecurus. 471

Remigius fit Remorum epiſcopus.

Saracenis Ægyptum incurſantibus hoc tempore, negotiatores Venetiæ corpus ſancti Marci Euangeliſtæ ab Alexandria tranſtulerunt Venetiam.

| 15 | 30 | 14 | 26 | 43 | 3 | 11 | 11 |

His diebus ſanctus Perpetuus Turonenſis Epiſcopus, cernens ad ſepulchrum ſancti Martini fieri miracula multa, fecit magnam baſilicam fabricari iuxta cellulam in qua corpus ipſius quieſcebat: eamque in eius nomine dedicans, tranſtulit in illam ſanctum corpus ipſius, præmonente pariter & adiuuante quodam veneranda canitie formoſo, qui nec prius viſus fuerat, nec poſtea comparuit. 472

Oreſtes patricius nepotem regno expulit.

Theudemer rex Oſtrogothorum moritur, & Theodericus filius eius regno ſubſtituitur.

Rex Arturus Scotos & Pictos obſidet, & fame affligit, ſed Epiſcopis cum clero & reliquiis ſanctorum miſericordiam poſcentibus veniam donat. Deinde ciuitates ſibi ſubditas viſitans, eccleſias à paganis deſtructas renouat, præſules ſtatuit, ac religioſos cœtus virorum ac mulierum exornat: proceres quoque ſuis honoribus reſtituit.

| 16 | 31 | 15 | 27 | 44 | 4 | 1 | 12 |

Oreſtes Auguſtulum filium ſuum regnare conſtituit, & fœdus cum Genſerico rege facit. Interim Odeacer cum multa multarum gentium multitudine ab extremis Pannoniæ finibus Italiam petit, qui per Noreiam iter faciens, beati Seuerini cuius nomen tunc ibi celebrabatur, benedictionem petiit, & ab eo ventura ſibi didicit. 473

Odeacer, Oreſte victo apud Papiam obſeſſo, capto & occiſo, Italiam ſubdit iuri proprio.

Leone imperatore mortuo, Zenon imperat annis 19.

Arturus parata claſſe Hiberniam petit, illato bello regem captum dedi-
tioni cogit, & ſubiugata Hibernia, Islandiam inſulam debellatis habitatoribus ſuo domino ſubiicit. Quo audito, rex Godlandiæ, & rex Orcadum vltro venerunt, & Arturo ſponteam deditionem fecerunt.

| 1 | 32 | 16 | 28 | 45 | 5 | 2 | 13 |

Auguſtulus imperium deponit, quod Odoacer arripiens 14 annis nullo inquietante obtinuit. 474

Zenon imperator Theodericum regem Oſtrogothorum conſulem ordinarium facit, quæ poſt imperialem dignitatem prima eſt dignitas, & equeſtrem ſtatuam auream ante regiam illi collocat,

Anni Domini.	Roman.	Pers.	Franc.	Britan.	Wand.	Wisigoth.	Ostrogot.	Hunn.
475	2	33	17	29	46	6	3	14

Franci post Wandalos & Alanos, post Gothos & Hunnos incessunt Gallias, non tantum vt eas habeant direptioni, sed vt sibi sint perpetuæ habitationi. Qui capta Colonia Agrippina, fugato de bello duce Ægidio, multos Romanorum occidunt.

| 476 | 3 | 34 | 18 | 30 | 47 | 7 | 4 | 15 |

Franci Treuerim ciuitatem super Mosellam capiunt.

Hæresis Acephalorum exorta est, impugnantium tria capitula synodi Chalcedonensis, sine nomine authoris, ob quod Acephali, id est sine capite, vocati sunt.

| 477 | 4 | 35 | 19 | 31 | 48 | 8 | 5 | 16 |

Gensericus Rex Wandalorum, successione regnàndi inter filios suos ordinata, vt fratri morienti frater superstes sine controuersia filiorum succederet, moritur. Cui succedens Honoricus filius eius, regnauit annis octo.

| 478 | 5 | 36 | 20 | 32 | 1 | 9 | 6 | 17 |

Eugenius Carthaginensis episcopus, & omnis clerus eius contra Arrianam hæresim Wandalorum fortiter pro Christo agonizant.

| 479 | 6 | 37 | 21 | 33 | 2 | 10 | 7 | 18 |

Odoacer rex Italiæ Pheletum regem Rugorum bello oppressum extinguit.

Huic Pheleto & vxori eius Gisæ sanctus Seuerinus hæc ventura prædixerat, quia eos à malis compescere non poterat.

In Africa rex Wandalorum Honoricus multos orthodoxos diuersi ordinis, diuersæ ætatis, vsque ad quatuor millia nongentos septuaginta sex in exilium trusos, diuersis in locis, diuersis temporibus, diuersis pœnis, ad mortem excruciauit.

Exterminatis Rugis, Longobardi Rugilam, id est Rugorum patriam, inuadunt, quibus tunc temporis quintus rex Gudeoch principabatur. Quia ergo Longobardorum mentionem fecimus, quorum tempora propter ignoratam historicæ narrationis distinctionem nondum attingimus, iam nunc narrationem eorum ordiamur, & paulatim ad plenam & distinctam eorum historiam ascendere nitamur.

Horum, vt diximus, post Ibor & Agion primus fuit rex Agelmundus, secundus Lamissio, sic dictus quod à lama, id est voragine, fuit extractus. Nam mater eius septem vno partu enixa, cum eos in piscinam proiecisset, & rex Agelmundus iter faciens eos hasta reuolueret, is hastam eius firmiter tenuit, & ab eo nutritus eo virtutis processit, vt in regno ei succederet, & necem eius in Bulgaros vltus sit. Lethu tertius, Hildeoch quartus, Gudeoch quintus fuit. Ex quo ergo in Rugilam profecti sunt vsque ad annos 40, talis fuit rerum gestarum eorum consequentia. Sub Gudeoch & filio eius Classone sexto rege, in Rugila habitauere. Sub Tattone septimo rege in campis Affeld habitauere, vbi tertio anno Rodulpho Herulorum rege à Tattone perempto, & regno Herulorum destructo, Longobardorum potentia creuit. Tattonem Waceho perimit, & ipse octauus regnauit, filiumque suum Waltharith successorem regni reliquit.

| 480 | 7 | 38 | 22 | 1 | 34 | 3 | 11 | 8 | 19 |

Audouachrius dux Saxonum nauali hostico Andegauis populatur.

Carthagine liberatus abbas cum fratribus sex, à rege Honorico carcere, catenis, igni, & vectibus martyrizantur.

Persis imperat Euades annis 41.

| 481 | 8 | 1 | 23 | 2 | 35 | 4 | 12 | 9 | 20 |

Ægidius dux in Galliis moritur. Siagrius filius eius substituitur.

Audouachrius Andegauis & alias vrbes sibi subigens obsides accipit.

Hildericus

| Roman. | Pers. | Franc. | Britan. | Long. | Wand. | Wisigoth. | Ostrogot. | Hunn. | Anni Domini.

Hildericus rex, & Audouachrius, confœderati, Alemannos sibi subiugant.

Hildricus rex Andegauis incendit, & Paulum comitem vrbis perimit.

Famis tempore in Burgundia, senator Eclicius quatuor millia pauperes sustentans, cœlestis promissionis vocem audiuit.

| 9 | 2 | 24 | 3 | 36 | 5 | 13 | 10 | | 21 | 482

Felix Romanæ ecclesiæ 46 præsidet. Hic Achatium episcopum Constantinopolitanum damnauit, assentientem Petro Alexandrino damnato.

Arturus rex Norguegiam & Daciam suæ ditioni subegit, deinde transit ad Galliam. Porro historia illius dicit hoc factum fuisse sub Leone imperatore, & quendam Follonem tribunum Galliarum cum Arturo singulare certamen habuisse, hoc pacto, vt cui victoria proueniret, ipse alterius regnum obtineret. Victoque illo Follone, cæterisque ducibus Galliarum subactis, Parisiis curiam Arturum tenuisse, statumque regni pace & lege confirmasse, virisque nobilibus prouinciarum dignitates legasse, & ita post nouem annos in Britanniam rediisse.

| 16 | 3 | 25 | 4 | 37 | 6 | 14 | 11 | 22 | 483

In Africa Honorius rex Wandalorum in ecclesiam Dei grauius solito efferatus, omnes Africæ episcopos quasi ad synodum conuocat, & fugatis & exiliatis 444 episcopis catholicis, ecclesias clausit, aut Arrianis dedit, plebemque variis suppliciis affligit. Lætum vero episcopum incendio concremauit. Eugenium quoq; Carthaginis episcopum cum clericis suis plusquam quingentis cruciatos multis modis exiliauit.

| 11 | 4 | 26 | 5 | 38 | 7 | 15 | 12 | 23 | 484

Hilderico rege mortuo, Clodouæus filius eius regnat annis triginta. Hic duxit vxorem Clotildem filiam Chilperici regis Burgundionum, quem Gundobaldus rex eius frater peremerat, vxoremque eius matrem scilicet Clotildis, ligato ad collum eius saxo aquis immerserat.

| 12 | 5 | 1 | 6 | 39 | 8 | 16 | 13 | 24 | 485

Honoricus rex Wandalorum iudicio Dei percussus, scatens vermibus mirabiliter expirauit, post quem Gunthamundus annis nouem regnat.

| 13 | 6 | 2 | 7 | 40 | 1 | 17 | 14 | 25 | 486

Clarent in Galliis Remigius Remensis, & Patricius frater eius Suessonensis episcopus, & Vedastus post Atrebatensis episcopus, in Africa Fulgentius episcopus Rupensis, in Italia Germanus Capuanus, & Ephiphanus Ticinensis.

| 14 | 7 | 3 | 8 | 41 | 2 | 18 | 15 | 26 | 487

Gelasius Romanæ ecclesiæ 47 præsidet. Hic Manichæos Romæ inuentos in exilium deportari fecit, & codices eorum incendit. Hic tractatus & hymnos composuit, hic inter cætera sacramentorum præfationes & orationes cauto & limato sermone fecit.

Zenon imperator regnum Italiæ donat Theoderico Ostrogothorũ regi.

Hic Theodericus Trapsilam Gepidarum regem, & Busam Bulgarorum regem, bello victos extinguit.

Gunthamundus rex ab exilio reuocat Eugenium episcopum.

| 15 | 8 | 4 | 9 | 42 | 3 | 19 | 16 | 27 | 488

Theodericus cum iam sedecim annis Ostrogothorum regnum tenuisset, à Mœsia egressus Italiam petiit, & Odoacrem Italiæ regem bis sibi congressum bis in fugam vertit, & Papiæ inclusum obsedit triennio.

Hoc tempore facta est inuentio cryptæ sancti Michaelis archangeli in monte Gargano, vnde & eius memoria singulis annis celebri festiuitate in ecclesiis Dei recolitur.

Anni Domini.	Roman.	Perſ.	Fran.	Long.	Britan.	Wand.	Wiſigoth.	Oſtrogot.	Hunn.

Eorico Wiſigothorum rege mortuo, regnat poſt eum filius eius Alaricus viginti annis.

489 | 16 | 9 | 5 | 10 | 43 | 4 | 1 | 17 | 28 |

Barnabas Apoſtolus, qui apud Salaminam Cypri à Barieu mago & à Iudæis pro Chriſto igne crematus eſt, corpus ſuum quod à Ioanne Marco conſobrino ſuo in crypta occultatum adhuc latebat, reuelatione ſua inuenirí fecit. Cum quo etiam euangelium Matthæi, ipſius Matthæi manibus Hebraice ſcriptum, quod erat ſimul reconditum, inuenitur. Quod euangelium ipſe Barnabas ex doctrina Apoſtolorum ſecum ſemper ferre ſolebat, & vbicunque inueniebat infirmos, ponebat illud ſuper illos: & tam fide Barnabæ quam merito Matthæi omnes ſanabantur.

Clodouæus rex Francorum Sueſſionis Siagrio duci Romanorum congreditur. Siagrius Toloſam ad Alaricum fugit, à quo Clodouæo repoſcenti remiſſus occiditur. Clodouæus vero quicquid Galliarum ſub iure erat Romanorum, ad ius Francornm transfert.

490 | 17 | 10 | 6 | 11 | 44 | 5 | 2 | 18 | 29 |

Auitus Vienenſis epiſcopus claruit, qui Gallias ab Arriana hæreſi defendit. Hic metrice de conditione mundi libros compoſuit.

Solennis Cartonenſis epiſcopus claret, qui in prædicando Chriſtum Francos non ſegniter inſtituit.

Idacius, Lemicæ Hiſpaniarum vrbis epiſcopus, Chronica ſua à primo Theodoſii conſulatu inchoata hucuſque perduxit.

Gennadius epiſcopus librum ſuum de illuſtribus viris hucuſq; perduxit.

In Mineo Hiſpaniæ fluuio piſces capti ſunt, in quorum ſquamis videbatur inſcripta æra præſentis anni.

491 | 18 | 11 | 7 | 12 | 45 | 6 | 3 | 19 | 30 |

Anaſtaſius Romanæ eccleſiæ 48 præſidet. Huic Achatium damnatum reuocare volenti, multi Romanorum non communicabant.

Hoc loco quidam ponunt initium regni Anglorum. Sed in hac re multum diſſonant eccleſiæ, cum ſecundum præfatum libellum de regibus Britonum adhuc regnaret Arturus, totius Britanniæ monarchiam tenens vſque ad Dominicæ incarnationis annum 542, quando vltimum ei bellum fuit contra Modredum nepotem ſuum, vbi & lethaliter vulneratus fuiſſe dicitur.

Britanni non valentes amplius virtutem ferre Anglorum, vt victi conceſſere in ius & nomen eorum. Et primus de genere Anglorum Elli, & ſecundus Celim, alter alteri mortuo ſuccedendo, regnauerunt apud eos per annos 70.

Sanctus Patricius, ſecundus Hiberniæ archiepiſcopus, anno ætatis ſuę 122 in Chriſto quieuit.

Odoacer à Theoderico in fide ſuſceptus, ab eo perimitur, & Theodericus Italia potitur, & depoſito priuato induitur regali ſchemate, & regnat in Italia annis 32.

492 | 19 | 12 | 8 | 13 | 1 | 7 | 4 | 1 | 31 |

Gunthamundus rex in Africa eccleſias catholicorum, à patruo ſo Hunerico vel auo Genſerico clauſas, aperuit, & omnes Dei ſacerdotes, petente Eugenio Carthaginenſi epiſcopo, ab exilio reuocauit.

Achatius epiſcopus Conſtantinopolitanus diuino nutu percutitur.

Zenone imperatore mortuo, Anaſtaſius imperat annis 25, vel (vt quidam volunt) 27.

493 | 1 | 13 | 9 | 14 | 2 | 8 | 5 | 2 | 32 |

Symmachus Romanæ eccleſiæ 49 præſidet, ordinato contra eum per conten-

| Roman. | Perſ. | Fran. | Long. | Britan. | Wand. | Wiſigoth. | Oſtrogoth. | Hunn. | Anni Domini.

contentionem Laurentio. Quæ res graue diſſidium eccleſiæ diu vſq; ad ipſa protraxit homicidia, donec tandem hanc altercationem compreſſit Theoderici regis quamuis Arriani potentia: hoc æquitatis iudicio obtinente, vt Symmachus papa eſſet, quia prior ordinatus fuerat, eique pars maxima faueret. Pro cuius diſſenſionis culpa animam Paſchaſij diaconi qui pertinacius Laurentio fauerat, alias magnæ ſanctitatis vir Germanus, Capuanus epiſcopus, inuenit in thermis in igne purgatorio poſitam. Hic Symmachus conſtituit omni die dominico vel natalitio martyrum Gloria in excelſis Deo ad Miſſas cantari, quem hymnum Teleſphorus ſeptimus à Petro papa, nocte tantum Natalis Domini ad Miſſas à ſe in ipſa nocte inſtitutas cantari inſtituit, & in eo ad angelorum verba quæ ſequuntur adiecit.

| 2 | 14 | 10 | 15 | 3 | 9 | 6 | 3 | 33 |

Gunthamundo Wandalorum rege defuncto, Traſamundus frater eius regnauit poſt eum annis 26. 494

| 3 | 15 | 11 | 16 | 4 | 1 | 7 | 4 | 34 |

Clodouæus Thuringiam ſibi ſubiugat. 495

Theodericus rex omnes vicinarum gentium reges & principes aut amicitia, aut affinitate ſibi conciliat, & pacifice agens in locis celeberrimis regalia habitacula ædificat.

Florebant hoc tempore Launomarus Cartonenſis, fundator cœnobij Curbionenſis, & Maximus Aurelianenſis, fundator cœnobij Miriacenſis, cuius diſcipuli fuerunt Carilefus & Auitus abbates.

| 4 | 16 | 12 | 17 | 5 | 2 | 8 | 5 | 35 |

Clodouæus rex regnum Francorum vſque Sequanam dilatauit. 496

Aliqui Romanorum, ſubornatis falſis teſtibus in criminantes Symmachũ papam latẽter Laurentium in papatum ſubintroduxerunt. Pro quo ſchiſmate dirimendo, rex Theodericus epiſcopum Petrum contra Canones viſitatorem ſedis Apoſtolicæ inſtituit.

| 5 | 17 | 13 | 18 | 6 | 3 | 9 | 6 | 36 |

Clodouæus regnum Francorum vſque Ligerim amplificat. 497

Symmachus papa in Conſilio 115 epiſcoporum ſe purgat de obiecto crimine, & damnatis Petro & Laurentio, ipſe quidem ſedi ſuæ reſtituitur, contentio autem vſque ad cædes & homicidia intra & extra eccleſiam diu protrahitur.

| 6 | 18 | 14 | 19 | 7 | 4 | 10 | 7 | 37 |

Clodouæus rex caſtrum Meledunum capit. 498

Traſamundus rex Vvandalorum in Africa clauſis catholicorum eccleſiis, ducentos viginti epiſcopos exiliauit, erga quos Symmachus papa manum ſuæ liberalitatis exercuit beneuole.

Hac perſecutione Fulgentius epiſcopus, ſanctitate, ſapientia & ſcientia, ſtylo & facundia, præclarus, multa ab Arrianis pro vera fide perpeſſus, diutino in Sardiniam exilio maceratur.

Clotildis regina orthodoxa Clodouæum regem à gentilitatis errore auocare conabatur, ſed fruſtra conari videbatur.

| 7 | 19 | 15 | 20 | 8 | 5 | 11 | 8 | 38 |

Clodouæus rex Alemannis bello congreditur, ibique laborante exercitu, voto ſuſcipiendi Chriſtianiſmi ſe obligare cogitur. Sicq; perempto Alemannorum rege, & Alemannia ſub tributo redacta, baptizatus à ſancto Remigio Remorum epiſcopo, exemplo & edicto ſuo perduxit ad fidem Chriſti populum Francorum. 499

| 8 | 20 | 16 | 21 | 9 | 6 | 12 | 9 | 39 |

Collatis à Clodouæo rege multis prædiis eccleſiæ Remenſi, Remigius, 500

Anni Domini.	Roman.	Perſ.	Franc.	Long.	Britan.	Wand.	Wiſigoth.	Oſtrogot.	Hunn.

multa eorum parte data eccleſię Laudunenſi, ſedem epiſcopatus ibi eſſe conſtituit, primumque illic epiſcopum Genebaudum conſtituit, & eundem in fornicationem cum ſua quõdam vxore prolapſum, ſed ſeptennali pœnitentia purgatum, & de reclusione diuino iuſſu eductum ſedi ſuæ reſtituit.

501 | 9 | 21 | 17 | 22 | 10 | 7 | 13 | 10 | 40 |

Clodouæus rex Gundebaudo regi Burgundionum congreſſus, eo victo Burgundiam redegit ſub tributo.

502 | 10 | 22 | 18 | 23 | 11 | 8 | 14 | 11 | 41 |

Symmachus patricius rempublicam illuſtrat, & cum eo gener eius Boetius vir conſularis, conſpicuus in vtraque lingua, eruditione omnium liberalium artium, quas pene omnes à Græco in Latinum tranſtulit & expoſuit.

503 | 11 | 23 | 19 | 24 | 12 | 9 | 15 | 12 | 42 |

In Africa Olympus quidam, dum in balneis ſanctam trinitatem blaſphemaret, ignito iaculo cœlitus veniente viſibiliter combuſtus eſt.

504 | 12 | 24 | 20 | 25 | 13 | 10 | 16 | 13 | 43 |

Conſtantinopoli dum Deuterus Arrianus epiſcopus Barbam quendam baptizaret, & male diſtinguens trinitatem diceret, Baptizo te Barba in nomine patris per filium in ſpiritu ſancto; aqua diſparuit.

505 | 13 | 25 | 21 | 26 | 14 | 11 | 17 | 14 | 44 |

Alamindarus rex Francorum ab Orthodoxis baptizatus, cum eum vellent Eutychiani ſeducere, refellit eos hac fabuloſa inductione; dicens quod literas acceperit, Michaelem archangelum mortuum eſſe. Illiſque reſpondentibus, hoc impoſſibile eſſe, quod Angeli ſint impaſſibilis naturæ. Quomodo ergo, inquit, ſecundum vos nudus crucifixus eſt Chriſtus, niſi duarum naturarum eſſet, quandoquidem nec Angelus mortuus eſt?

506 | 14 | 26 | 22 | 27 | 15 | 12 | 18 | 15 | 45 |

Clodouæus & Alaricus reges confœderantur.

Quintianus Rutenenſis epiſcopus, & Maxentius Pictauienſis abbas, clarent in Gallia.

507 | 15 | 27 | 23 | 28 | 16 | 13 | 19 | 16 | 46 |

Vitalianus inſtinctu populi inſurgit in imperatorem Anaſtaſium propter Eutychianam hæreſim, Deo & hominibus exoſam.

508 | 16 | 28 | 24 | 29 | 17 | 14 | 20 | 17 | 47 |

Hormiſda Romanæ eccleſiæ 50 præſidet. Hic clerum compoſuit, & pſalmis erudiuit. Hic reſpectu apoſtolicæ humanitatis Græcos conuictu hæreticorum maculatos abſoluit per ſuos nuntios.

Alaricus rex Clodouæo regi inſidias molitus, fœdus violat.

509 | 17 | 29 | 25 | 30 | 18 | 15 | 21 | 18 | 48 |

Clodouæus rex, ſignis diuini auxilij animatus ad bellandum. Turonis quippe tranſiens, equum ſuum ſancto Martino miſit, quem centum ſolidis redemptum recipere non potuit. Miſſis aliis centum ſolidis, recepit, credens illum bonum eſſe in auxilio, qui tam carus erat in negotio. Inſuper accepto victoriæ præſagio à clericis cantantibus, Præcinxiſti me virtute; ad bellum Alarico Wiſigothorum regi congreditur, eoque perempto, quicquid Galliarum Wiſigothi poſſidebant ad partes Francorum tranſtulit, & inuadens Toloſam, ſedem regni Gothorum, vſque ad Pyrenæos montes regnum Francorum dilatauit. Fertur autem muros Ecoleſinæ vrbis ante faciem eius corruiſſe.

Amalricus filius Alarici, fugiens in Hiſpaniam, regnat ibi annis 16.

Sigiſmundus mortuo patre ſuo Gundebaudo regnat in Burgundia.

Gibrianus Scotus, cum fratribus & ſororibus in Galliam peregrinatus, vrbem Remenſem vita & morte ſua illuſtrat.

Fauſtus, ſancti Benedicti diſcipulus, & ab eo cum Mauro in Gallias hoc anno

| Rom. | Perſ. | Fran. | Log. | Brit. | Wand. | Wiſigot. | Oſtrogot. | Hun. | Anni Domini.

anno tranſmiſſus, ſcribit in vita illius Mauri, ſanctum Benedictum claruiſſe temporibus Iuſtini ſenioris, & Hilderici Wandalorum regis, addens quod eo tempore rex Theodericus Symmachum patricium, & Ioannem papam occiderit. Scribit quoque, eundem Benedictum hoc eodem anno quo Maurus ad Gallias tendebat, obiiſſe 12 Calen. April. hora diei quaſi tertia, quod eo anno in ſabbato Paſchę proueniens, primum Paſcha fuiſſe demonſtrat. Seque dicit in Gallias veniſſe tempore regis Theodeberti nepotis Clodouæi regis. Quia ergo ille ſcripſit quæ viderat, quomodo hoc conſequentiæ hiſtoriarum conueniat, qui valet aduertat, qui aduerterit exponat.

| 18 | 30 | 26 | 31 | 19 | 16 | 1 | 19 | 49 | 510

Clodouæus rex ab Anaſtaſio imperatore codicellos de conſulatu, & coronam auream cum gemmis, & tunicam bracteam accepit, & ex ea die Conſul & Auguſtus eſt apppellatus. Ipſe vero rex miſit Romam ſancto Petro coronam auream cum gemmis, quæ regnum appellari ſolet.

| 19 | 31 | 27 | 32 | 20 | 17 | 2 | 20 | 50 | 511

Theodericus rex Italiæ, Ibba comite ſuo contra Francos miſſo, 30 millia occidit eorum, in vindictam necis Alarici generi ſui.

| 20 | 32 | 28 | 33 | 21 | 18 | 3 | 21 | 51 | 512

Prima ſynodus à Francis iuſſu Clodouæi regis Aurelianis habita eſt, in qua decernuntur multa eccleſiæ vtilia.

Genouefa virgo Pariſienſis octogenaria tranſit ad Dominum.

| 21 | 33 | 29 | 34 | 22 | 19 | 4 | 22 | 52 | 513

Sanctus Arnulphus, ſancti Remigij baptiſmo filius, in Gallia claret, qui poſt multos in prædicando Chriſtum agones martyrizatur in ſylua Pariſiorum Aquilina, & à Scariberga coniuge quondam ſua tumulatus eſt.

| 22 | 34 | 30 | 35 | 23 | 20 | 5 | 23 | 53 | 514

Clodouæus rex, regno Francorum per omnes Gallias dilatato, & legitime & pacifice confirmato, moritur, & ſepelitur Pariſijs in baſilica ſancti Petri Apoſtoli, quam ipſe & regina Clotildis ædificauerant.

Clotharius vero filius eius, compartito regno cum fratribus ſuis Theoderico, Clodomire, & Hildeberto, regnauit annis 50. Sororem eius Clotildem Amalricus rex Wiſigothorum duxit vxorem.

| 23 | 35 | 1 | 36 | 24 | 21 | 6 | 24 | 54 | 515

Rex Burgundiæ Sigiſmundus, qui monaſterium Agaunenſium conſtruxerat, filium ſuum Sigericum perimit, malo nouercæ illius vſus conſilio. Qui competenti pœnitentiæ ſe adiacens, & martyribus Agaunenſibus ſe totum deuouens, quod dignus fuerit venia, teſtatur crebra poſt mortem eius per eum multis conceſſa ſanitatum gratia, & per eum febricitantibus indulta curatio.

Hoc tempore, in Alexandria multi vtriuſq; ſexus arrepti à dæmone repente quaſi canes latrabant.

| 24 | 36 | 2 | 37 | 25 | 22 | 7 | 25 | 55 | 516

Theodericus rex frater Lotharij Clochilaicum regem Danorum Gallias vaſtantem perimit.

| 25 | 37 | 3 | 38 | 26 | 23 | 8 | 26 | 56 | 517

Anaſtaſius imperator fulmine à Deo percuſſus interijt, poſt quem Iuſtinus ſenior annis 10 regnauit.

Boetius annitente ſibi Symmacho, cum authoritatem Romani ſenatus cõtra Theodericum regem Italiæ tueri nititur, ab ipſo exiliatur, ibiq; librum de conſolatione philoſophiæ edidit.

| 1 | 38 | 4 | 39 | 27 | 24 | 9 | 27 | 57 | 518

Theodericus rex, frater Lotharij, ab Ermenfrido rege Thuringorum ad

Anni Domini.	Rom.	Perſ.	Fran.	Lõg.	Britan.	Wand.	Wiſigot.	Oſtrogot.	Hun.

perimendum fratrem illius Baldericum pactione medietatis regni illius inuitatus, Baldericum regem perimit.

Virgo Dei Brigida obijt in Scotia.

519	2	39	5	40	28	25	10	28	58

Ioannes papa Romanæ eccleſiæ 51 præſidet.

Watheone Longobardorum rege defuncto, filius eius Waltarith regnauit annis ſeptem.

520	3	40	6	1	29	26	11	29	59

Clodomeris frater Lotharij regis, & fratres eius inſtinctu Clotildis matris ſuæ inſurgunt in Sigiſmundum & Godemarum filios Gundebaudi regis, ad vindicandam necem auiæ ſuæ, & aui ſui Gilperici regis. In congreſſu Sigiſmundus capitur, Godemarus fuga elabitur.

Traſamundus rex Wandalorum Hildericum filium ſuum ex Eudoxia filia Valentini imperatoris à Genſerico captiuata, aſtringit ſacramento, ne catholicis in regno ſuo conſuleret. Qui patre mortuo antequam regnum ſciperet, omnes catholicos ab exilijs iuſſit reuocari, & Epiſcopis eccleſias reformari. Sicq; ſuſcepto regno regnauit annis octo, euolutis 74 annis, ex quo Genſericus auus eius ſtatum eccleſiæ in Africa prophanauit.

Bello orto inter Romanos & Perſas, Chuades rex Perſarum Zeliobem regem Hunnorum, venientem cum 20 millibus auxiliari ſibi contra Romanos, immiſſo exercitu occidit, & totum pene eius exercitum deleuit, ſuſpectum eum habens, quod vtrinq; munera acceperit, & à ſe contra Romanos, & à Romanis contra ſe.

Ab hinc regnum Hunnorum annotare ceſſabo, qui omnis gentis illius reges Kaganos vocatos lego, & nullam diſtinguendi proprietatem inuenio.

¶ *Regnum Hunnorum finitur.*

521	4	41	7	2	30	1	12	30

Chuade Perſarum rege mortuo, Kabades poſt eum regnauit annis 16.

Clodomiris rex, Sigiſmundo rege cum vxore & filijs perempto, iterum congreſſus cum fratre Godemaro perimitur ab eo.

Boetius longo exilio fatigatus, à Theodorico Gothorum rege Italiæ perimitur.

522	5	1	8	3	31	2	13	31

Vt ſcribit Fauſtus, hac ætate, ſcil. tempore Iuſtini ſenioris, & Hilderici Wandalorum regis, reuera floruit ſanctus Benedictus. Sed nec de vita nec de morte eius procedit ratio ſecundum Dionyſij cyclum.

Zatus rex Lazorum Conſtantinopoli baptizatur, & à Iuſtino imperatore ſuſceptus muneratur.

Symmachus exconſul à Theodorico rege Italiæ perimitur.

523	6	2	9	4	32	3	14	32

Felix Romanæ eccleſiæ 52 præſidet. Hic Gregorij papæ atauus fuit.

Iuſtinus Arrianos vbiq; exterminari edicit, ad quod edictum deducendum Ioannes papa à rege Italiæ Theoderico Arriano & Arrianorum defenſore Conſtantinopolim miſſus, ante portam vrbis cæcum illuminauit, & compos petitionis ad Theodericum reuerſus, Rauennæ ab eo in carcere excruciatus fame defecit, cui ſucceſſit prædictus Felix. Poſt dies autem nonaginta Theodericus ſubito defunctus, à quodam ſancto eremita viſus eſt nudus & diſcalciatus, à Ioanne papa & Symmacho patricio in olla Vulcani eſſe detruſus.

Athalaricus Theodorici ex filia nepos, in regno Italiæ & Oſtrogothorum ſuccedens regnat annis 8.

7 | 3

Roman.	Pers.	Franc.	Long.	Britan.	Wand.	Wisigoth.	Ostrogot.	Anni Domini.
7	3	10	5	33	4	15	1	524

Theodericus rex, reposcens ab Ermenfrido rege pactũ, cum fratre Clothario insurgit in eum, eoq; post nimiam stragem suorum de bello fugato, & non multo post mortuo, totam Thuringiam sibi subdunt. Captiuatam inter alios Radegundem, filiam Bertharij regis, olim à fratre Ermenfrido perempti, Clotharius rex suo sociauit matrimonio.

| 8 | 4 | 11 | 6 | 34 | 5 | 16 | 2 | 525 |

Almaricus rex Wisigothorum cum vxorem suam Clotildem tractaret indigne, eo quod Arrianæ sectæ secum inseruire nollet, perimitur in Hispania à fratre Clotildis Childeberto.

Theuda regnat post eum annis 17.

| 9 | 5 | 12 | 7 | 35 | 6 | 1 | 3 | 526 |

Clotharius cum fratre Childeberto Augustidunum Burgundiæ vrbem obsidens, cunctam fugato Godemaro Burgundiam occupat.

Acephalorum hæresis abdicatur, qui dicunt Paulum Apostolum in epistolis præcepisse, fœminas diaconas debere fieri, quia eas commemorat post diaconos, & dicuntur Acephali sine capite, quia author huius erroris nescitur.

Kabades rex Persarum dolens filiũ suum Pharsuasan in Manichæorum sectam inductum, omnib⁹ Manichæis quasi à se numerandis tractis in vnum, immisso exercitu occidit multa millia eorum.

Inter Thurismodum regem Gepidarum, & Audohin regem Lõgobardorum conserto prælio, Albuinus filius Audohin Thurisindum filium Thurismodi extinguit, & victoria Longobardis cedit. Thurismodus præponens fidem iræ & dolori, eidem Albuino postea ad se sub fide venienti, dedit arma filij sui Thurisindi, ab eo perempti. Waltarith Lõgobardorum rege mortuo, Audohin regnat annis 17.

| 10 | 6 | 13 | 1 | 36 | 7 | 2 | 4 | 527 |

Bonifacius papa Romanæ ecclesiæ 53 præsidet.

Iustinus, Iustiniano suo ex sorore nepote in regno substituto, moritur. Hic Iustinianus imperat annis 38.

Hic Persas ab irruptionibus in partes Romanorum per Bilisarium repressit.

Audohin Longobardos in Pannoniam duxit, in qua habitauerunt annis 42.

| 1 | 7 | 14 | 2 | 37 | 8 | 3 | 5 | 528 |

Cassiodorus senator post monachus, Arator poeta, Priscianus Grammaticus, Victor Capuanus Episcopus, qui cyclos Paschales scribens Victorij errores redarguit; Gregorius Lingonensis, Nicetius Treuerensis, Domitianus Tungrensis florent.

Gilemer perimens Hildericum regem annis 5, regnat post eum super Wandalos, qui tantæ crudelitatis fuit, vt nec parentibus parceret.

| 2 | 8 | 15 | 3 | 38 | 1 | 4 | 6 | 529 |

Corpus Antonij monachi diuina reuelatione inuentum, & Alexandriam est delatum.

Sanctus Benedictus, cum de loco cui Sublac⁹ vocabulum erat, ad montem Cassinum transmigraret, ad omne biuium duo ei angeli occurrebant, viam qua ire deberet præmonstrantes. Huius admirabilem vitam virtutibus plenam sanctus papa Gregorius scribit in libro Dialogorum tertio, vbi etiam testatur eum non aliter vixisse quam docuit.

| 3 | 9 | 16 | 4 | 39 | 2 | 5 | 7 | 530 |

Ioannes Romanæ ecclesiæ 54 præsidet.

Anni Domini.	Roman.	Pers.	Franc.	Longob.	Angl.	Wand.	Wisigoth.	Ostrogot.

Franci extorquent de manu Athalarici, quicquid Galliarum auus eius Theodericus rex Italiæ tenuerat.

In Africa quidam orthodoxi Episcopi, linguis sibi excisis radicitus à Wandalis, postmodum clare loquendo multis miraculo fuere. Quod miraculum vnus eorum auxit, qui in elationem versus, statim priuatus diuino dono obmutuit.

| 531 | 4 | 10 | 17 | 5 | 40 | 3 | 6 | 8 |

Athalarico rege Italiæ & Ostrogothorum mortuo, Amalsiunda mater eius Theodatum, Theoderici patris sui ex sorore nepotem, asciscit secum in regnum.

Clodoaldus filius Clodomiris regis, fratribus suis impie à patruo suo Lothario olim extinctis, mundanam nobilitatem transferens ad nobilitatem diuinæ seruitutis, in clericali gradu præeminet exemplo sanctitatis.

Sanctus Vedastus primus Atrebatensis episcopus ordinatur à sancto Remigio.

| 532 | 5 | 11 | 18 | 6 | 41 | 4 | 7 | 1 |

Hoc anno expletus est à Christi natiuitate magnus annus annorum quingentorum triginta duorum. Ab hoc etiam anno Dionysius abbas orditur cyclum suum cyclorum quinque decennouenalium. Et quia secundus annus operis huius concordare debet in ratione computi primo anno natiuitatis Christi, debet tricesimus quintus cyclus Dionysij concordare in ratione computi tricesimo tertio anno natiuitatis Christi, sc. vt 14 luna Aprilis occurrat 9 Calend. April. in quinta feria, Passio Christi octauo Calen. April. in sexta feria, Resurrectio sexto Calen. April. in Dominica die. Sed quia non ita occurrit, sed luna 14 April. occurrit eo anno 12 Calen. April. in prima feria. Dominica vero dies Paschæ in quinto Calē. April. ideo improbatur, quia repugnat Euangelicæ veritati.

Iustinianus imperator libros legum Romanorum abbreuiauit in vno volumine, quod Iustinianum vocatur.

| 533 | 6 | 12 | 19 | 7 | 42 | 5 | 8 | 2 |

Agapetus Romanæ ecclesiæ 55 præsidet.

Theodatus rex reginam Amalsiundam imperatorię tutelæ commissam exiliat, eaque non multo post in balneo strangulata immissu Theodati, solus super Ostrogothos anno vno regnat. Qui sciens pro hoc se iram imperatoris incurrisse, Agapetum papa Constantinopolim misit pro impetranda huius facti impunitate. Agapetus inueniens ibi Anthemium Constantinopolitanum episcopum Eutychianæ esse hæresis; excommunicato eo & exiliato, Menam fecit ibi substitui. Agapetus ibi moritur, Romamq; refertur.

Iustinianus imperator Constantinopoli ecclesiam Sanctæ Sophiæ incomparabili opere ædificat.

Bilisarius patricius à Iustiniano imperatore ex iussu Dei ad Africam liberandum de manu Wandalorum missus, noctu cum plaustris rusticorum vehem introeuntib⁹ ingressus, Carthaginem cepit, pecunias infinitas recepit, Gilimerem ex fuga ad deditionem reductum imperatori Constantinopolim duxit. Sic regnum Wandalorum destructum est. Sic tandem illa Wandalica rabies cum ipso nomine funditus extincta est.

¶ *Regnum VVandalorum finitur.*

| 534 | 7 | 13 | 20 | 8 | 43 | 9 | 1 |

SYluerius, 56 Romanæ ecclesiæ, à Theodato substituitur.

Bilisarius contra Theodatum mittitur. Theodatus à Gothis extinguitur. Witigis in regno substituitur. Bilisarius Neapolium exterminat, Romam

| *Romano.* | *Perſar.* | *Francor.* | *Longobard.* | *Anglor.* | *Wiſigoth.* | *Oſtrogot.* | *Anni Domini.*

Romam fugientibus Gothis intrat. Witigis Romam obſidet. Fames Italiam vrget. Witigis capitur, & imperatori dirigitur.

Syluerius quia Anthemium reuocare noluit, exiliatus defecit.

Eldepadus ab Oſtrogothis rex ordinatus regnat anno vno.

Theodericus abbas diſcipulus ſancti Remigij, & Theodulphus abbas diſcipulus ipſius Theoderici, in Francia clarent.

| 8 | 14 | 21 | 9 | 44 | 10 | 1 | 535

Vigilius papa Romanæ eccleſiæ 57 præſidet.

In Gallijs clarent fratres vterini, vno & eodem die nati, & pontifices conſecrati, Medardus ad titulum Nouiomenſem, Gildardus ad Rotomagẽſem, & vno die abſoluti à ſeculo, & aſſumpti à Chriſto.

Germanus quoque Pariſienſis. Porro ſanctus Medardus ſedem epiſcopalem quæ prius erat Liermandus, propter eiuſdem ſubuerſionem tranſtulit Nouiomum. Ipſe etiam poſt deceſſum ſancti Eleutherij Tornacenſis epiſcopi regendam ſuſcepit Tornacenſem eccleſiam, & poſt eum ſucceſſores eius annis multis, vſq; ad tempus Eugenij papæ tertij, & demum Simonis epiſcopi, qui obijt anno Domini 1148.

In Italia clarent epiſcopi, Sabinus Canuſinus, Caſſius Narnienſis, Fulgentius Vtricolenſis, Cerbonius Populonij.

Eldepado mortuo Erarius regnat anno vno.

| 9 | 15 | 22 | 10 | 45 | 11 | 1 | 536

Erario perempto, Totila, qui & Balduilla, ſuper Oſtrogothos regnat annis 10, qui mox Italiam inuadit, & à ſancto Benedicto Caſſinenſi futura ſibi audit. Multa, inquit, mala facis, multa mala feciſti, iam aliquando ab iniquitate compeſcere. Et quidem mare tranſiturus es, Romam ingreſſurus, 9 annis regnabis, decimo morieris. Hoc anno quidam dicũt eundem ſanctum Benedictum obijſſe, & Maurum diſcipulum eius in Galliam veniſſe.

| 10 | 16 | 23 | 11 | 46 | 12 | 1 | 537

Theodericus rex frater Lotharij obijt. Theodebertus filius eius ei ſuccedit.

Hoc tempore in vna vrbium Ciliciæ quidam Theophilus vicedominus tam prudenter & vtiliter ſecundas partes eccleſiaſticæ diſpenſationis ſub Epiſcopo agebat, vt mortuo epiſcopo omnium ore dignus epiſcopatu eſſe acclamaretur. Qui contentus vicedominatu alium ordinari maluit epiſcopum, à quo à vicedominatu iniuſte amotus ad tantam impatientiam eſt delapſus, vt, conducto ſibi Hebræo quodam mago, per eum opem ad dignitatem ſuam recuperandam expeteret à principe dæmoniorum. Et ab eo iuſſus abnegare Chriſtum filium Dei, eiuſq; matrem Mariam, cum omni Chriſtianiſmi propoſito, & ipſam abnegationem ſcripto firmare, & ſcriptam ſignare, & ſignatam ſibi tradere, eius ſe ſeruitio addixit. Qui in craſtinum recuperato vicedominatus honore, non multo poſt ad ſe reuerſus per dies 40 omni pœnitendi modo ſe affligens, primo piam dei matrem Mariam ſibi reconciliauit, eaque ſibi apparente abrenunciãs diabolo, Chriſtumque verum Dei filium, verumque Deum & hominem, ex Maria virgine natum, & omne Chriſtianiſmi propoſitum confitens, per eam etiam Chriſti filij eius gratiam recepit. Et ad indicium indultæ ſibi veniæ rurſum ei dormienti apparens Chriſti mater, etiam ſcriptum abrenunciationis quod ſignatum diabolo dederat, repoſuit ſuper pectus eius. Quo Theophilus recepto, in craſtinum Dominicaſcilicet die, coram epiſcopo & omni eccleſia pandens ordinem rei, omnes ad ſtuporem & laudem Dei & genitricis ſuæ Mariæ commouit, & in eodem loco quo ſibi pia Chriſti mater apparuit, perſtans, ibidem poſt triduum mortuus & ſepultus eſt.

Anni Domini.	Romanor.	Persar.	Franco.	Longobar.	Anglor.	Wisigoth.	Ostrogot.
	Apud Persas regnat Cosdroe annis 37.						
538	11	1	24	12	47	13	2

Cosdroe fines Romanorum incursat.

In Campania Italiæ Benedictum iuniorem sanctitate clarum rex Totila pro Christo persequens, cum eum cum cella sua comburere voluisset, nec valuisset, in clibanum ardentem eum proiecit. Qui inde die altero illæsus, etiam vestibus illæsis, exiuit.

539	12	2	25	13	48	14	3

Iustinianus imperator duos Bulgarorum reges Thraciam depopulantes occidit cum multis millibus Bulgarorum.

540	13	3	26	14	49	15	4

Cosdroe Antiochiam capit.

Childebertus rex cum fratruele Theodeberto in fratrem Lotharium insurgit. Sed matre eorum satis agēte Clotilde apud Deum, ne inter fratres fieret ciuile bellum, horrenda tempestate coerciti, cum super Lotharium ne signum quidem apparuerit horroris huiusmodi, reddunt se fraternæ paci.

541	14	4	27	15	50	16	5

Cosdroe iam quarto Romanos infestantem Belisarius compellit redire inefficacem.

In diuersis Galliarum locis diuersa signa visa sunt. Cometes apparuit die sancto Paschæ. Cœlum ardere visum est. Verus sanguis ex nube defluxit in vestimentis hominum. Domus cuiusdam abintus sanguine respersa apparuit, & secutę variæ clades, & malæ valetudines cum pustulis & vesicis populos afflixerunt.

542	15	5	28	16	51	17	6

Constantinopoli mortalitate magna insurgente, statuta est solennitas Purificationis beatæ Mariæ, quæ Græce Ὑπαπαντὴ id est obuiatio, dicitur, eo quod die illo Symeon obuiauerit oblato in templum Domino; & ita mortalitas illa cessauit.

Belisarius ad Africam remissus, Guntharith super reliquias Wandalorum regnantem cum suis extinguit.

Lotharius & Childebertus fratres, obsessa in Hispanijs Cæsaraugusta, ciuibus Deum adorantibus, & circumlata Vincentij martyris tunica, accepta ab eis pro munere ipsius martyris stola, redeunt, acquisita Hispaniæ parte maxima.

Maurus in Gallia claret, sancti Benedicti discipulus.

Vsq; ad hoc tempus historia Britonum perducit narrationem suam de rege Arturo. Refert enim, eum post celeberrimā illam curiam in vrbe legionum habitam, in qua omnes reges insularum Occidentalium & duces Galliarum fuerunt, maximū duxisse exercitum in fines Burgundiæ aduersus Lucium principem Hispaniarum, sub Leone imperatore reipublicę procuratorem, & in eundo quendam immensum gigantem singulari pugna deuicisse, deinde vtrarumq; partium legiones in pago Lingonensi ad præliandum cōuenisse. Postea narrat quod Arturus iuga alpium transcendere, & Romam inuadere voluerit, sed interim audiens Modredum nepotem suum diadema Britanniæ per tyrannidem corripuisse, Britāniam remeauerit, atq; in vltimo prælio quod cum illo habuit, post neces fere omnium ducum ipse lethaliter vulneratus fuerit, & in insulam quandam ad sanandum deportatus, relicto regni successore cognato suo Constantino. Ipse vero Arturus iuxta Merlini vaticinium dubium habet exitum, quia vtrum viuat an mortuus fuerit, nemini certum esse æstimatur. Porro hæc omnia, vt supra diximus, nullam fidei authoritatem videntur habere, si cum cæteris historijs conferantur.

Theuda

| Roman. | Perſ. | Francor. | Longobar. | Anglorum. | Wiſigoth. | Oſtrogot. | Anni Domini.

Theuda Wiſigothorum rege à ſuis perempto, Theudegiſillus regnat poſt eum annis duobus.

| 16 | 6 | 29 | 17 | 52 | 1 | 7 | 543

Vigilius papa quia ſecundum ſuam promiſſionem noluit Anthemium reuocare, Conſtantinopolim mittitur ignominioſe.

Totila rex Oſtrogothorum capta Roma habitauit aliquandiu cum Romanis, quaſi pater cum filiis, manſuefactus (vt creditur) ſancti Benedicti monitis.

Audohin mortuo, Albuinus filius eius regnauit ſuper Longobardos in Pannonia annis 25.

| 17 | 7 | 30 | 1 | 53 | 2 | 8 | 544

Herculanus Peruſinus epiſcopus à Totila rege ſecto capite martyrizatur, poſt mortem vero corpori caput eius vnitum inuenitur.

Totila Siciliam inuadit, Narſes vero eunuchus Romanorum patricius ordinatur, & contra Totilam deſtinatur.

Theudegeſilo inter conuiuandum à ſuis perempto, Agilan regnat ſuper Wiſigothos annis nouem.

| 18 | 8 | 31 | 2 | 54 | 1 | 9 | 545

Narſes Albuino regi Longobardorum confœderatur.

Obiit ſanctus Remigius Remorum epiſcopus.

| 19 | 9 | 32 | 3 | 55 | 2 | 10 | 546

Vigilius papa exiliatur. Narſes patricius auxiliantibus ſibi Longobardis Totilam regem perimit.

Oſtrogothorum gente vſque ad internicionem deleta, regnum Oſtrogothorum penitus deſtruitur. Ita illud regnum Gothorum, quod (vt ait Iordanus) per annos circiter duo millia quadringẽtos durauerat, defecit in Oſtrogothis, ſed Wiſigothis in Hiſpania regnantibus incolume remanſit. Theias tamen regnum Oſtrogothorum reſuſcitare niſus, regnat annis duobus.

| 20 | 10 | 33 | 4 | 56 | 3 | 1 | 547

Conſerto prælio inter Chunimundum regem Gepidarum & Albuinum regem Longobardorum, corruerunt vtrinque 60 millia eorum; vbi Albuinus Chunimundum peremit, & ex teſta capitis eius poculum ſibi ad bibendum fecit, filiamque eius captiuam vxorem ſibi accepit.

Hunnis vero terras Gepidarum inuadentibus, deſtructum eſt regnum Gepidarum penitus.

| 21 | 11 | 34 | 5 | 57 | 4 | 2 | 548

Theodebertus rex per ſe & per ducem ſuum Bucellinum Italiam belli vario euentu inquietare non deſiſtit, & ab Italia & à Sicilia aut ſpolia aut tributa accipit.

Theias rex à Narſete perimitur, & cum eo Gothorum reliquiæ extirpantur.

¶ *Oſtrogothorum regnum finit.*

| 22 | 12 | 35 | 6 | 58 | 5 | 549

NArſes patricius Sindual regem Britonum, ex amico ſibi rebellem, bello victum & captum ſuſpendit. Sed de hoc rege hiſtoria Britonum nihil refert, niſi forte eadem perſona diuerſo nomine nuncupetur, & ibi taceatur quod hic habetur. Poſt Conſtantinum quippe qui Arturo ſucceſſit, regnaſſe dicitur Aurelius Cunanus, & poſt eum VVortiporius.

Agericus Virdunenſis epiſcopus claret.

| 23 | 13 | 36 | 7 | 59 | 6 | 550

Theodebertus rex obiit, cui Theobaldus filius eius ſuccedit.

Anni Domini.	Romanorum.	Persarum.	Francor.	Longob.	Anglorum.	Wisigoth.

Arboris quæ dicitur Sambucus, flores, grana & fructus, in flores, grana, & fructus vitis transformantur.

| 551 | 24 | 14 | 37 | 8 | 60 | 7 |

Quinta synodus vniuersalis Constantinopoli celebratur, in qua epistola quæ ibi dicitur erroris plena, reprobatur, & Theodorus personam mediatoris Dei & hominũ in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur.

¶ *Hucusque Iordanis episcopus historiam contexuit.*

| 552 | 25 | 15 | 38 | 9 | 61 | 8 |

Pelagius Romanæ ecclesiæ 58 præsidet. Hic insimulatus de morte Vigilij papæ, tenens sancta Euangelia & crucem iureiurando publice satisfecit.

Hoc tempore in Oriente puer quidam Iudæorum filius, cum à coæuis suis Christianorum filiis ad hoc adductus fuisset, vt in ecclesia sanctæ matris Domini nostri Iesu Christi corpus & sanguinem Christi perciperet, propter hoc à patre suo proiectus in fornacem ardentem, illæsus inde à Christianis extractus est, asserens quod mulier quę in illa ecclesia puerum tenens depicta erat, pallio suo flammas ignis à se euentilasset.

| 553 | 26 | 16 | 39 | 10 | 62 | 9 |

Agilan cum insolenter in suos ageret; Athanagildus, auxiliantibus sibi Romanis, eo perempto, regnauit annis 22.

| 554 | 27 | 17 | 40 | 11 | 63 | 1 |

Clotildis regina moritur.

Hyems niue & glacie ita exasperatur, vt volucres & feræ indomitæ manu capi possent.

| 555 | 28 | 18 | 41 | 12 | 64 | 2 |

Bucellinus, & Amingus, duces Francorum à Narsete perimuntur.

Quasi species lanceæ in cœlo apparuit à Septentrione in Occidentem.

| 556 | 29 | 19 | 42 | 13 | 65 | 3 |

Theodebaldus rex obiit.

Lotharius rex Francorum rebellantes contra se Saxones, & auxiliantes eis Thuringos, graui pugna & excidio perdomuit.

Obiit sanctus Medardus Nouiomensis & Tornacensis, in cuius transitu cœlum apertum est, & diuina ante eum micuerunt luminaria spatio duarum horarum. Cuius corpus rex Lotharius transferri fecit ad vrbem Suessionensem; promittens, quod super eum decentissimam basilicam ædificaret, & ibi religiosorum virorum conuentum statueret. Quod opus ipse quidem cœpit, sed filius eius Sigebertus adimpleuit.

| 557 | 30 | 20 | 43 | 14 | 66 | 4 |

Radegundis regina, vxor quondam Lotharij regis, mutata veste claret sanctitatis nobilitate.

| 558 | 31 | 21 | 44 | 15 | 67 | 5 |

Gregorius filius Gordiani senatoris Romæ adolescit, qui sex monasteriis in Sicilia fundatis, & septimo Romæ in domo sua, ex prætore vrbano factus monachus, sapientia & scientia, doctrina & sanctitate claruit.

Terræmotus terribilis nimis per decem dies factus est.

| 559 | 32 | 22 | 45 | 16 | 68 | 6 |

Childeberto rege mortuo, monarchia regni Francorum cedit fratri eius Lothario.

| 560 | 33 | 23 | 46 | 17 | 69 | 7 |

Hoc tempore Iudæus quidam imaginem Saluatoris de ecclesia furtim deponens, eam telo transfixit, & eam clam ad domum suam deferens cum eam

| Romanorum. | Persarum. | Francor. | Longobardor. | Anglorum. | Wisigothor. | Anni Domini.

eam vellet flammis exurere, se sanguine imaginis cruentatum videns, præ stupore eam abscondit: quam Christiani requirentes, & per vestigia sanguinis inuenientes, eam sanguinolentam receperunt, Iudæum vero lapidauerunt.

Miserabilis in Italia mortalitatis pestilentia.

| 34 | 24 | 47 | 18 | 70 | 8 | 561

Hoc tempore in Scotia Brendanus claruit. Qui fortunatas insulas septennali nauigatione perquirens, multa miraculo digna vidit, à quo Machutes qui & Maclouus regulariter educatus, & ipsius nauigationis socius, in Britannia sanctitate & miraculis claruit. Qui à Britannis exacerbatus eorum maledictis, transiuit ad Gallias, & sub Leuntio Saxonum episcopo multo tempore virtutibus claruit. Britannos vero propter suam maledictionem variis cladibus addictos, data rursum benedictione absoluit, & sanauit.

Anglorum in Britannia Edilbertus tertius regnat annis quinquaginta quinque.

Super Britones autem post Wortiporium regnauit Inalgo, qui iuxta historiam eorum sex insularum comprouincialium monarchiam bellando conquisiuit. Post quem regnauit Cathericus, in cuius tempore dispersi sunt Britones, & regni diadema perdiderunt multis annis.

| 35 | 25 | 48 | 19 | 1 | 9 | 562

Constantinopoli quidam imperatorem extinguere moliti, extinguuntur: cuius criminis Bilisarius quoque accusatus, ab imperatore absoluitur.

In Gallia mons super Rhodanum fluuium multis diebus dans mugitum, tandem ab alio monte sibi vicino discissus, cum ecclesiis & domibus, hominibus & bestiis, in Rhodanum præcipitatus est.

| 36 | 26 | 49 | 20 | 2 | 10 | 563

Lotharius rex Chramnum filium suum diu contra se rebellantem, & multa mala in regno suo facientem, in Britannia persequutus, ei eiusq. auxiliario duci Britonum Chonobro bello occurrit: & Chonobrum quidem peremit, Chramnum vero captum igni, cum vxore & filiabus, consumi fecit.

| 37 | 27 | 50 | 21 | 3 | 11 | 564

Ioannes Romanæ ecclesiæ 59 præsidet.

Lothario rege Francorum mortuo, Chilpericus filius eius compartito regno cum fratribus suis, Heriberto, Guntranno, & Sigeberto, regnat annis 23. Et ipse quidem Chilpericus Suessionis sedem regni habuit, Heribertus Parisios, Guntrannus Aureliam, Sigebertus vero Metas.

| 38 | 28 | 1 | 22 | 4 | 12 | 565

Iustiniano imperatore mortuo, Iustinus iunior imperat annis 12.

Multa signa in Sole & Luna apparuerunt.

| 1 | 29 | 2 | 23 | 5 | 13 | 566

Narses patricius, accusatione Romanorum patriciatu degradatus, & quia eunuchus erat exprobrante sibi Sophia Augusta, vt iret in gynæcium diuidere pensa cum puellis, respondens talem se eidem orditurum telam, qualem ipsa dum viueret deponere non posset, inuitat Longobardos ad possidendam Italiam.

Sanctus Columbanus presbyter veniens de Scotia, clarus habetur in Britannia.

Samson Dolensis archiepiscopus, consanguineus sancti Maclouii, & successor Samsonis Maglorius, qui de transmarina Britannia ad cismarinam transierant Britanniam, clarent sanctitate & doctrina.

| 2 | 30 | 3 | 24 | 6 | 14 | 567

Sigebertus rex Hunnos, partes Francorum depopulantes, in Thuringia bello deuincit.

Anni Domini.	Romanorum.	Persarum.	Francor.	Longobard.	Anglorum	Wisigoth.

Chilpericus frater eius interim terminos illius incursat, & Remos vrbem occupat.

Hastæ igneæ in cælo visæ sunt portendentes irruptionem Longobardorum in Italiam. Basolus abbas, & Syndulphus presbyter, & Reclusus, in Francia clarent.

| 568 | 3 | 31 | 4 | 25 | 7 | 15 |

Albuinus rex, Saxonibus aliisq; gentibus sibi ascitis, & Pannonia ex condicto commendata amicis Longobardorum Hunnis, ad Italiam contendit cum omnibus Longobardorum familiis, ibique regnat sex annis.

Sigebertus rex desertas Saxonum terras peruadit, easque Sueuis ad habitandum tradit. Hanc mali nouitatem noua in cœlo signa multo ante tempore portenderant.

| 569 | 4 | 32 | 5 | 1 | 8 | 16 |

Sigebertus rex fratri suo Chilperico repugnat, & Suessionis sedem regni eius occupat. Theodebertum filium eius ibi captum exiliat, ipsum Chilpericum prælio victum fugat, & terminos suos ab eius insolentia liberat. Ipse vxorem ducit Brumam, filiam Athanagildi regis Wisigothorum, quæ & Brunichildis dicta est.

| 570 | 5 | 33 | 6 | 2 | 9 | 17 |

Sanctus Vedastus obiit.

Italia à Longobardis nullo subsistente peruasa atteritur, insuper fama & pestilentia consumitur.

Armenij fidem Christi su scipiunt.

| 571 | 6 | 34 | 7 | 3 | 10 | 18 |

Sanctus Amandus nascitur.

Hunni iterum Sigeberto congressi, & magicis artibus pene victoriam adepti, recedunt, Sigeberto in omni vita sua confœderati.

| 572 | 7 | 35 | 8 | 4 | 11 | 19 |

Gregorius Turonensium episcopus ordinatur: clarus habetur in omnibus.

Longobardi, Papia post triennij obsidionem per deditionem accepta, & præter Romam & Rauennam pene tota potiti Italia, dominantur ibi cum potentia.

| 573 | 8 | 36 | 9 | 5 | 12 | 20 |

Inter Romanos & Persas pugna commissa, Romanis cedit victoria.

Heribertus rex moritur.

Hispani & Franci de Pascha celebrando dissentiunt, Hispanis 12 calendas Aprilis, Francis vero 14 calendas Maij Pascha celebrantibus. Sed Francos recte celebrasse per hoc diuinitus claruit, quod fontes in Hispania quii in sabbato sancto Paschæ ad baptizandum sponte diuinitus repleri solent, non in Hispanorum, sed in Francorum Pascha repleti sunt.

| 574 | 9 | 37 | 10 | 6 | 13 | 21 |

Apud Persas Hormisda regnat annis 17.

Albuinus rex Longobardorum ab armigero suo perimitur, fraude vxoris suæ, cuius patrem Chunimundum Gepidarum regem ipse olim in bello peremerat, & ex testa capitis eius sibi pateram ad bibendum fecerat. Quam cum vno die ei porrigeret dicens, Bibe cum patre tuo, illa fœmineo furore accensa, illum ab armigero ipsius in lecto perimi fecit.

| 575 | 10 | 1 | 11 | 1 | 14 | 22 |

Cleb subrogatus regno Longobardorum regnat annis 2.

Benedictus Romanæ ecclesiæ 60 præsidet. Ab hoc Gregorius ad prædicandum Anglis abire permissus, sed populo tumultuante retractus, septimus leuita est ordinatus.

Atha-

| *Romanorum.* | *Persarum.* | *Francor.* | *Longobard.* | *Anglorum.* | *Wisigoth.* | *Anni Domini.*

Athanagildo rege Wisigothorum mortuo, Lewigildus cum fratre suo Lewa, & post solus, regnat annis 16.

Fortunatus poeta veniens ab Italia, claret in Gallia.

| 11 | 2 | 12 | 2 | 15 | 1 | 576

Cleb mortuo Longobardi sub ducibus fuerunt annis 10. Fame Romam vrgente, multi Romanorum se Longobardis dederunt.

| 12 | 3 | 13 | 1 | 16 | 2 | 577

Iustino imperatore mortuo, Tyberius regnat annis 6. Hic, missa ab Ægypto frumenti copia, Romam liberat ab inedia.

Chilpericus rex Francorum fratrem suum Sigebertum nimis, & per se, & per filium suum Theodebertum vrget, plus quam ciuili bello.

| 1 | 4 | 14 | 2 | 17 | 3 | 578

Sigebertus rex fratri suo Chilperico pugna congreditur, ibique Theodebertus filius Chilperici perimitur. Francis vero pro Chilperico sibi exoso, Sigebertum super se regem leuare volentibus à duobus pueris, à Fredegunde Chilperici vxore immissis, Sigebertus perimitur. Brunichildis vxor eius cum filio Chilgeberto, vel Childeberti filiis, regnum gubernans propter insolentiam morum adeo intolerabilis erat Francis, vt merito crederetur Sibyllam de ea vaticinatam esse. Veniet (ait) Bruma de partibus Hispaniæ, ante cuius conspectum gentes vel gentium reges peribunt, ipsa vero calcibus equorum dirupta peribit. Quæ quamuis ita esset insolens, tamen Dei ecclesias honorabat. Plura etiam sanctorum cœnobia fundauit, & ædificia admirandi operis construxit, vt miraculo fuerit tanta ab ea fieri potuisse.

Sanctus Germanus Parisiensis obiit.

Duces Longobardorum vrbes & ecclesias exterminantes indiscrete, subiugant sibi quod supererat Italiæ.

| 2 | 5 | 15 | 3 | 18 | 4 | 579

Tiberius quia liberalis in pauperes fuit, liberalitatem eius Deus iuuit, dum multos thesauros ei inuenire fecit.

Chilpericus rex Brunichildem relictam Sigeberti cum filiis exiliat.

Menas solitarius in Italia claret.

| 3 | 6 | 16 | 4 | 19 | 5 | 580

Hormisda rex Persarum, incursans prouincias Romanorum ignominiose victus à Romanis, proposuit edictum, ne rex Persarum per se vltra exeat ad prælium.

Ignis per cœlum discurrere visus est.

| 4 | 7 | 17 | 5 | 20 | 6 | 581

Pelagius Romanæ ecclesiæ 61 præsidet. Hic obsidentibus Romam Longobardis ordinatur absque iussione principis. Hic decreuit, quotidianam sacramentorum præfationem ad missas nouem tantummodo præfationibus secundum antiquum Romanorum ordinem esse commutandam, scilicet in Natali Domini, in Apparitione, in Pascha, in Ascensione, in Pentecoste, de sancta Trinitate, de Apostolis, de sancta Cruce, de ieiunio Quadragesimali. Ab hoc Gregorius Constantinopolim apocrisarius directus, hortatu Leandri Hispalensis episcopi libros Moralium in Iob composuit, & ibidem Eutychiũ Constantinopolitanum episcopum male de resurrectione dogmatizantem, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, ventis aereque subtilius esse futurum, in præsentia imperatoris Tiberij confutauit, & illo non multo post mortuo penitus extinxit.

Duces Longobardorum Gallias aggrediuntur, & vario bellandi genere nunc Fraci, nunc Longobardi inter se colliduntur.

Anni Domini.	Romanorum.	Persarum.	Francor.	Longobard.	Anglorum.	Wisigoth.

Hospitius famulus Dei in Gallia claret, qui etiam aduentum Longobardorum prædixerat.

582	5	8	18	6	21	7

Saxones in Italia à Longobardis recedentes, & terras suas in Germania repetere nitentes, à gētibus à Sigeberto illuc immissis, vsque ad viginti millia eorum cæsis, sero destiterunt à bellis.

Winnochus Brito veniens de Britannia, sanctitate claret in Gallia.

Lupi Burdegalem vrbem ingressi, neminem metuentes, deuorauerunt canes.

583	6	9	19	7	22	8

Ermiuigildus, Lewigildi regis Wisigothorum filius, filiam Sigeberti regis in vxorem duxit, per quam ad orthodoxam fidem conuersus, iram patris sui Lewigildi Arriani incomparabiliter incurrit.

Turonis verus de fracto pane sanguis effluxit.

Tiberio imperatore in amentiam incurrente, & non multo post mortuo, Mauricius imperat annis 21.

584	1	10	20	8	23	9

Persæ Armeniam prædiis, incendiis, captiuitate episcoporum ac populorum perturbant, ecclesiam tamen 48 martyrum, apud Armeniam sub Licinio passorum, nullo modo incendere potuerunt.

Chaianus rex Anarorum, id est Hunnorum, pacem cum Mauricio imperatore soluit.

585	2	11	21	9	24	10

Mauricius imperator per prætorem suum contra Persas fortiter agit.

Antiochia diuinitus subuertitur, hoc modo: Quidā ciuis illius adeo eleemosynis & hospitalitati deditus, vt nullo vnquam die sine paupere aut hospite comederet, cum vno die vsque ad vesperam vrbem circuisset, vt pauperem vel hospitem inueniret, offendit virum seniorem in veste alba cum duobus sociis stantem in medio ciuitatis, & inuitans eum ad hospitium, hoc responsum accepit ab eo, Non poteras o homo Dei cum nostro Symeone hanc vrbem saluare, ne subuerteretur? & hoc dicto sudariū quod in manu tenebat, excussit super vnam medietatem vrbis; statimq; ipsa medietas cum habitaculis & habitatoribus subuersa est. Et volens adhuc excutere super aliam medietatem vrbis vix ab illis duobus sociis suis multa prece flexus est, vt parceret residuæ vrbis medietati. Sicque virum qui hoc aspiciebat, attonitum consolatus ex saluatione domus suæ, discessit, & vltra non comparuit.

Guntrannus Francorum rex in venando fessus, dum in gremio armigeri sui dormiret iuxta riuum aquæ, vidit armiger de ore regis paruum animal exire, cui volenti riuum transire nec valenti, armiger gladio trans riuum posito, viam ei eundi & redeundi parauit. Quo iterum in os eius intrante, rex expergrectus est, & stupefactus dicit se per somnium per pontem ferreum transisse, & sub quodam monte multos thesauros vidisse. Vbi cum perrexisset, secundum fidem somnij thesauros magnos inuenit, eosq; acceptos sanctæ ecclesiæ vsibus delegauit.

586	3	12	22	10	25	11

Lewigildus rex Wisigothorum filium suum Ermiuigildum hostili persequens animo, eum damnat exilio. Hoc tempore etiam Miro rex Galliciæ moritur.

Longobardi Aucthari regē sibi statuerunt, eumque ob dignitatem Flauiū appellauerunt, à quo omnes Longobardorum reges Flauij sunt appellati.

587	4	13	23	1	26	12

Chilpericus rex Francorum immissu suæ vxoris Fredegundis perimitur. Lotha-

Romanorum.	Persar.	Francor.	Longobard.	Anglorum.	Wisigoth.	Anni Domini.

Lotharius filius eius infans quatuor mensium in regno sublimatus, regnauit annis 44.

| 5 | 14 | 1 | 2 | 27 | 13 |

Childebertus rex à Mauricio imperatore pro expellendis ab Italia Longobardis pecuniam accepit, sed id frustra fuit; quia nunc confœderatus eis redijt; nunc eis congressus inferior eis cessit, nunc etsi superior eis fuit, ab expulsione tamen eorum munimen ciuitatum eum prohibuit. 583

| 6 | 15 | 2 | 3 | 28 | 14 |

Lewigildus rex Wisigothorum Ermiuigildum filium suum, quia Arrianæ communi participare noluit, nocte sancta Paschæ in carcere securi occidit. 589

Childebertus Lotharij exercitui congressus, victus euasit.

| 7 | 16 | 3 | 4 | 29 | 15 |

Rex Longobardorum Aucthari vxorem ducit Theudelindam filiam Garibaldi regis Baioariorum. 590

Nimiæ pluuiæ inundant, vt omnes dicerent quia aquæ diluuij superundarent: & tanta clades fuit, vt nullus grauiorem à seculo fuisse meminerit. Magnus etiam draco in modum validæ trabis, cum innumerabili serpentium multitudine per Tyberim in mare descendit, à quibus suffocatæ bestiæ maris, & ad littus proiectæ, putredine aerem corruperunt.

| 8 | 17 | 4 | 5 | 30 | 16 |

Hormisdam regem Persarum, à Persis excæcatum, filius eius Cosdroe occidit, & ad Mauricium imperatorem confugit: eiusque virtute Persas debellans, regnum Persarum accepit, & annis 38 regnauit. 591

Lewigildo rege Wisigothorum mortuo, Recharedus filius eius regnat annis 15. In Italia facto vltra fidem pene diluuio omnium, post multam confusionem rerum subsecuta est per cladem inguinariam immedicabilis mortalitas hominum, quæ primum percussit papam Pelagium. Post quem Gregorius ad Papatum electus, interim dum imperatoris assensus expectatur, instituit per septiformem litaniam placare iram Dei, & in procedendo octoginta hominibus hac plaga percussis tandem ira quieuit.

| 9 | 1 | 5 | 6 | 31 | 1 |

Gregorius Romanæ ecclesiæ 62 præsidet. Hic inter cætera pietatis opera animam Traiani Romanorum quondam imperatoris, quamuis pagani, à pœnis inferni liberari miserando & plorando à Deo obtinuit. 592

Hic inter multa quæ vtilia ecclesiæ fecit & instituit, antiphonarium regulariter centonizauit, & vtiliter compilauit. Kyrieleyson à clero ad Missas cantari præcepit, Alleluya ad Missas extra Quadragesimam dici fecit. In canone hostiæ tria verba superaddidit, Diesq; nostros in tua pace disponas, atq; ab externa damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Orationem quoq; Dominicam post canonem super hostiam censuit recitari.

Aucthari rege Longobardorum mortuo, Longobardi permissa Theudelindæ reginæ optione sibi virum & Italiæ regem eligendi, præfecerunt sibi regem Agilulfum, qui regnauit annis 25.

| 10 | 2 | 6 | 1 | 32 | 2 |

In Gallia quidam in sylua cedens ligna, adeo à muscis infestatus est, vt per biennium amens fieret. Deinde sub religionis habitu exhibebat se pseudoprophetam, deinde magum; deinde etiam sanitates desuper infirmos faciēs, Christum se esse dicebat, & pro Christo se adorari iubebat; nolentes se adorare, cum populo qui ei multus adhærebat, impetebat hostiliter. Qui postea à quodam fideli occisus est, & ita sequaces eius dispersi sunt. 593

Recharedus rex Wisigothorum terminos Romanorum inquietat.

| Anni Domini. | Romanorum. | Persarum. | Francor. | Longobardor. | Anglor. | Wisigothor. |

Hoc tempore regnabat in Hibernia insula Philtanus & in Scotia regnabat Brendinus, cui frater erat nomine Adelphius: de cuius Adelphij filia quæ vocata est Gelgehes, genuit rex Hiberniæ Philtanus sanctum Fursęum, & fratres eius Foillanum & Vltanum.

¶ *Hucusq; Gregorius Turonensis historiam Francorum digessit.*

	11	3	7	2	33	3
594						

Tunica Domini nostri Iesu Christi in ciuitate Zaphat, non longe à Hierosolyma, confessione Symeonis Iudæi inuenta, & eb Episcopis Gregorio Antiocheno & Thoma Hierosolymitano, & Ioanne Constantinopolitano, Hierusalem in loco vbi crux Christi veneratur, est posita.

Gaugericus Cameracensis episcopus claruit.

	12	4	8	3	34	4
595						

Reuharedꝰ rex Wisigothorum synodo 62 episcoporum apud Toletum cōgregata, ibiq; Arriana hæresi abdicata, & anathematizata, se cum tota Wisigothorum gente confirmat in fide catholica.

Thassilo à Childeberto ordinatus rex Baioariorum, deuictis Sclauis obtinuit triumphum.

Constantinopoli puer nascitur quadrupes, & alter duos vertices habēs, quæ prodigia portendunt aduersa locis in quibus nascuntur.

	13	5	9	4	35	5
596						

Agilulphus rex Longobardorum in Romanos insurgit, sed agente Theudelinda regina non multo post cum eis fœdus inijt. Huic reginæ Gregorius papa libros dialogi sui misit.

His diebus irruentes Longobardi in Cassinum montem diripuerunt omnia quæ in monasterio sancti Benedicti inuenire potuerunt, neminem vero tenere valuerunt, sicut idem familio suo dominus promiserat, vt si res gentibus traderet, animas seruaret. Monachi autem fugientes Romam pertierun, codicem regulæ à beato Benedicto editum, & pondus panis atque mensuram vini secum deferentes.

Sol à mane vsque ad meridiem minoratus est, vsque ad tertiam sui partem.

	14	6	10	5	36	6
597						

Gregorius papa, quod ipse olim facere intenderat, Augustinum cum alijs ad prædicandum destinat in Angliam.

Guntrannus rex sanctitate clarus dormit in Christo. Regnum eius cessit fratrueli eius Childeberto.

	15	7	11	6	37	7
598						

Recharedus rex Wisigothorum regibus Francorum confœderatur, cuique soror Childeberti regis vxor datur.

Sanctus Columbanꝰ abbas & presbyter, doctor Scotorum & Pictorum, obijt, qui posteris suis multa sanctitatis monumenta reliquit, præterquam quod rustica simplicitate Pascha dominico die debere celebrari neque didicit neq; docuit.

Marculfus abbas Baiocensis sanctitate claret in Gallia.

	16	8	12	7	38	8
599						

Edilbertus rex Anglorum qui Cantuarij vocantur, prædicante Augustino, cum gente sua baptizatur. Porro gens Anglorum qui Mercij dicuntur, & gēs Nordanimbrorum, qui quod ad aquilonarem partem Humbri fluminis habitent, ita vocantur, sub regibus Edilfrido & Elle nondum audierant verbum vitæ.

	17	9	13	8	39	9
600						

Sanctus Goar veniens ex Aquitania claret in Gallia.

Augustinꝰ ab Etherio Arelatensi episcopo cōsecratur Anglorū episcopus. Childe-

| Romanorum. | Persarum. | Francor. | Longobardor. | Anglor. | Wisigot. | Anni Domini.

Childebertus rex Francorum moritur, cui Theodebertus & Theodericus filij eius subrogantur.

| 18 | 10 | 14 | 9 | 40 | 16 | 601

Contentio inter Romanam ecclesiam, & arrogãtiam Ioannis episcopi Constantinopolitani, vniuersalis patriarchæ nomen sibi vsurpantis, sub Pelagio papa concepta, & à Gregorio iam inde non leniter exagitata, non antea quiescere potuit, quam Ioannes ipse subita morte obijt.

Hunni cum Francis fortiter bellant in Thuringia. Fredegundis regina moritur. Agilulfus Theoderico confœderatur. In Nylo Ægypti flumine visa sunt animalia humanæ formæ, vir scilicet & mulier vsque ad lumbos supera quam extantes, qui ab hominibus per Deum adiurati, à mane vsq; ad nonam se videndos præbuerunt.

| 19 | 11 | 15 | 10 | 41 | 11 | 602

Augustinus episcop⁹ Anglorum, habita synodo cum Britonum & Scotorum episcopis, quia sacerdotes & monachos inuenit aduersarios æquitatis, quos voluit habere socios prædicationis; terruit eos vaticinio futuræ super eos calamitatis.

Sanctus Columbanus ex Hibernia in Burgundiam venit ibiq; permissu Theoderici regis cœnobium Luxonium ædificare cœpit.

| 20 | 12 | 16 | 11 | 42 | 12 | 603

Mauricius imperator se cum suis à Foca interficiendum diuinitus prædixit, & malorum penitus ea sibi retaliari per se & per seruos Dei instanter exposcit.

Theodericus rex auiam suam Brunichildem ab Austrasijs electam recepit.

| 21 | 13 | 17 | 12 | 43 | 13 | 604

Mauricius imperator cum vxore & filijs à Foca perimitur, & imperat Focas annis 8.

Orientales Angli cum rege suo Sigeberto, per Mellitum episcopum conuertuntur ad Christum.

Per Augustinum archiepiscopum translata est dignitas archiepiscopatus quæ prius Londini erat, ad Cantuariensem ecclesiam.

| 1 | 14 | 18 | 13 | 44 | 14 | 605

Gregorius dialogographus obijt.

Cognita morte Mauricij, grassantur per Romanorũ prouincias hinc Persę, & inde Hunni.

Lotharius & Theodericus prælio inter se colliduntur, in quo plus quam 30 millia cæsa referuntur, Theodericus tamen victoria potitur. In hoc prælio angelus Domini, euaginatum gladium super populum tenens, visus est.

| 2 | 15 | 19 | 14 | 45 | 15 | 606

Sabinianus Romanæ ecclesiæ 63 præsidet.

Hoc tempore, pauper quidam cum à nautis eleemosynam peteret, nec acciperet, dicente nauclero, Desiste eleemosynam petere à nobis qui nihil præter lapides habemus; cum subiecisset pauper, Omnia ergo vertantur in lapides: quicquid manducabile in naui erat, in lapides conuersum est, colore & forma rerum earundem permanente. Fame Romam aggrauante, Romani Gregorio papę iam defuncto derogantes, quod thesauros ecclesiæ sua nimia liberalitate dissipasset, cum non adesset persona in quam exardescerent, memoriam nominis illius in libris eius delere volebant. At per hoc libros Gregorij papæ Romanis exurere volentibus, obstitit Petrus diaconus, prodens se spiritum sanctum in columbæ specie super caput Gregorij tractantis sedẽtem vidisse sæpius, idque confirmans iurisiurandi sacramento: mox moriens ex condicto, fidem fecit suo testimonio.

Anni Domini.	Romanorum.	Persarum.	Francor.	Longobardor.	Anglorum.	Wisigot.
	Post Recharedum apud Wisigothos regnauit Bethericus annis 7.					
607	3	16	20	15	46	1

Sabinianus papa, cum & ipse liberalitati Gregorij prædecessoris sui derogaret & sub hoc obtentu manum egenis subtraheret, Gregorius cum per visum ter pro culpa tenaciæ & huius derogationis increpatum, quod non resipiscceret, etiam quarto horribiliter increpans & comminans, in capite percussit. Quo ille dolore vexatus, non multo post mortem obijt: post quem Bonifacius Romanæ ecclesiæ 64 præsidet. Hic obtinuit apud Focam imperatorem, vt ecclesia Romana caput esset omnium ecclesiarum, quia ecclesia Constantinopolitana scribebat se esse primam omnium ecclesiarum. Hic in concilio 62 Episcoporum decreuit sub anathemate, vt nullus, viuente Episcopo ciuitatis suæ, de altero eligendo audeat loqui, aut partes sibi facere, sed tertio die depositionis eius fiat licenter à clero & populo electio sacerdotis.

Theodericus & Theodebertus, fratres & reges, Wascones sibi subiugant.

608	4	17	21	16	47	2

Corpus sancti Victoris Thebæi apud Solodorum cum sancto Vrso passi inuenitur.

Secundus famulus Dei in Italia claret.

Desyderius Viennensis Episcopus à Theoderico exiliatur.

609	5	18	22	17	48	3

Augustinus Anglorum primus episcopus moritur, eiq; Laurentius substituitur.

Bonifacius Romanæ ecclesiæ 65 præsidet. Hic Pantheon Romę à Foca imperatore impetratum vertit in ecclesiam sanctæ Mariæ, & omnium martyrum, & in Calendis Nouembris ibi instituit solennitatem omnium martyrum, quæ postea crescente religione Christiana decreta est fieri in honore omnium Sanctorum.

610	6	19	23	18	49	4

Persæ Romanorum prouincijs grauiter incubant.

Agilulphus Longobardorum rex Mantuam, Cremonam, & aliqua Italiæ castella capit.

611	7	20	24	19	50	5

Alexandriæ Ioannes episcopus claruit, qui ob eximiam in Christum liberalitatem nomen eleemosynarij habere meruit.

Post Cathericum regem quem rex Africanorum Guermundus expugnauit, & in Wallias fugere compulit, postquam Britones diuina desolatione dispersi, alij quidem in minorem Britanniam, alij in Occidentales insulæ partes, id est in Gallias, cum ecclesiasticis personis & sanctorum reliquijs secessissent; tandem resumptis viribus leuauerunt super se regem Caduanum. Qui cum in terram regis Edelfridi pugnaturus intraret, & ille ei ad bellum occurreret; vtriusq; exercitus consilio pax inter eos facta est.

612	8	21	25	20	51	6

Heraclius ad imperatorem electus, Foca peremptо & cremato igniб, regnauit annis triginta.

Desyderius Viennensis episcopus, consilio Brunschildis à Theoderico rege lapidibus obrutus martyrizatur.

613	1	22	26	21	52	7

Virtus & nomen sancti Ioannis baptistæ miraculis declaratur apud urbem Gallię Mauriennam, de reliquijs corporis ipsius diuinitus illustrata, hoc modo. In ea olim mulier, sancto Baptistæ nimis deuota, expetebat ab eo donari sibi aliquid de membris eius; & in hac orandi instantia per triennium persistens, cum alter quiuis iam posset desperare, ipsa spem in Deo ponens, iurauit

| Romanorum. | Persar. | Francor. | Longobard. | Anglorum. | Wisigoth. | Anni Domini. |

iurauit se non manducaturam, donec quod petebat acciperet; & sic septem diebus ieiunans, septima tandem die desuper altari pollicem miri candoris apparere videns, læta donum Dei accepit. Ad quod adorandum tres episcopi venientes, cum de hoc sancto pignore partem elicere vellent, tres sanguinis guttas ex eo stillare in linteo suppositio stupuerunt, & singuli singulas se meruisse lætati sunt.

Persæ à Romanorum insecutione non desistunt.

Betherico Wisigothorum rege mortuo, Sisebodus regnat annis viginti nouem.

| 2 | 25 | 27 | 22 | 53 | 1 | 614 |

Deusdedit Romanæ ecclesiæ 66 præsidet. Hic constituit secundã Missam in clero. Hic etiam secundum instituta maiorum suorum decreuit, vt si qui viri vel mulieres suos ipsius filios quocunque modo de sancto lauacro susciperent, separentur ab inuicem; vel si quis vir commatrem suam, vel si qua mulier compatrem suum, à primo dono spiritꝰ sancti, quod est pabulum salis sacrati, vsque ad septimum donum spiritus sancti, in coniugium duxerit, separentur; mulier tamen maritalem dotem recipiat, & post expletum annum alteri si vult nubat.

Sanctus Columbanus à Theoderico rege instinctu Brunichildis auiæ expellitur Francia, qui post relicto Gallo discipulo suo in Alemannia cœnobium Bobium construxit in Italia.

Sanctus Amandus Elnonensis per Gallias miraculorum & prædicationis grãtia clarescebat.

Allowinus etiam, qui & Bauo, per eum ex prædone conuersus, & Gandaui solitarie reclusus, sanctitatis exemplum erat omnibus.

| 3 | 24 | 28 | 23 | 54 | 2 | 615 |

Edilfredus rex Nordanimbrorum regem Scotorum Ean cum omnibus pene suis in bello extinguit. Hęc calamitas Scotis contigit secundum vaticinium Augustini episcopi, qui interminatus Scotos ab Anglis fore perimendos, qui Anglos ad vitam æternam cõuerti ægre ferebant: in monachos quoque Scotorum ira Dei sæuiente, qui cum rege suo ad bellum hoc ex more exeuntes, vt rege armis pugnante ipsi orando pro eo pugnarent, perempti sunt ab Anglis mille ducenti, tantum quinquaginta per fugam elapsis.

Clodesindis Metensis claret, quæ sponsum fugiens, velamine capitis misso sibi à Deo per angelum, se & sua Deo delegauit.

| 4 | 25 | 29 | 24 | 55 | 3 | 616 |

Persæ Syriam incursantes Damascum capiunt.

Edilbertus rex Cantuariorum obijt, post quem Cabaldus filius eius regnat annis 22. Radualdus autem rex Orientalem Anglorum Edilberto mortuo illam super Anglos regnandi potentiam quartus accepit, vt sub nutu eius alij Anglorum reges regnarent. Edilfrido quoq; Nordanimbrorum rege à Radualdo rege perempto, Eduinus, Nordanimbrorum regnum suscepit. Refert autem historia Britonum, quod Eduinus fuerit filius Edilfridi regis, & coætaneus Caduallonis filij Caduam regis Britonum, & cum eo nutritus in minori Britannia apud regem Salomonem; deinde mortuis parentibus vterque iam adultus redierint, pacẽq; inter se aliquandiu habuerint; postmodum pro regno discordia inter eos exorta pugnam inierint, & Eduinus quidem victor Caduallo in minorem Britanniam fugere compulsus fuerit.

Hunni Longobardos in Italia debellant, & forum Iulij proditione captum dissipant Sanctus Lupus Senonensis episcopus claret, cui aliquando eucharistiam consecranti gemma à Deo in calice descendit.

| 5 | 26 | 30 | 25 | 1 | 4 | 617 |

Anni Domini.	Romanorum.	Persarum.	Francor.	Longobardor.	Anglor.	Wisigothor.

A Persis Palæstina bello premitur. Sancta quoque ciuitas capitur: in ea vsque nonaginta millia virorum perimuntur. Zacharias patriarcha captiuatur, crux ipsa Dominica sancta absportatur. Inter fratres Theodericum & Theodebertum reges instinctu auiæ eorum Brunichildis plusquam ciuile bellum oritur: pugnaque commissa post inæstimabilem stragem Theodebertus capitur.

Per Ealdbaldum & filios Siberti ad idololatriam Angli reuoluuntur.

Agilulfo Longobardorum rege mortuo, Adaloaldus filius eius regnauit annis 13.

| 618 | 6 | 27 | 31 | 1 | 2 | 5 |

Bonifacius Romanæ ecclesiæ 67 præsidet. Hic decreuit, vt nullus tractur violenter de ecclesia, Hic constituit, vt monachi in officio sacerdotalis gradus vtantur potestate ligandi atq; soluendi.

Theodericus rex Francorum moritur.

Ealbaldus rex Anglorum idololatriæ renunciat.

Clotharius rex filius Theoderici regis in bello captos occidit, Brunichildem quoque reginam vno pede & brachio mutilatam ad caudam equæ indomitæ religatam, membratim discerpi fecit; imputans ei, quod decem reges per eam fuissent extincti, & sic monarchia regni Frãcorum ad eum redijt.

Ioannes eleemosynarius obijt.

Eleutherius patricius, affectans Romanorum imperium, Romæ perimitur.

Persæ Ægyptum incursantes Alexandriam capiunt.

Hoc tempore terræmotus maior mens. Augusto fuit, & sequuta est clades in populo, percussio scilic. scabierum, ita vt nullus posset agnoscere mortuum suum.

| 619 | 7 | 28 | 32 | 2 | 3 | 6 |

Persæ Libyam incursantes Carthaginem capiunt.

Clotharius rex tributum 12 millium solidorum quod Longobardi Frãcis soluerant, relaxat Longobardis perpetuo sibi confœderatis.

Laurentius secundus Anglorum episcopus obijt.

| 620 | 8 | 29 | 33 | 3 | 4 | 7 |

Cosdroe rex Persarum pacem cum Romanis facere nullo modo admittit.

Anastasius Persa, ex mago Christianus & monachus, à Persis captus, post verbera, vincula & carceres, post diutinam appensionem per vnam manum, tandem abscisso capite cum alijs 70 martyrizatur.

Virgo Christi Fara claret in Francia. Cuius sanctitatem imitatus frater eius Faro, ex Comite clericus, & ex clerico factus Meldensium Episcopus claret.

| 621 | 9 | 30 | 34 | 4 | 5 | 8 |

Sigebodus rex Wisigothorum contra Romanos fortiter agit. Prouinciam, aliasq; ciuitates à Francis extortas, ad Wisigothorum ius redegit.

| 622 | 10 | 31 | 35 | 5 | 6 | 9 |

Honorius Romanæ ecclesiæ 64 præsidet.

Sanctus Columbanus obijt: discipulus eius Gallus in Alemannia claret.

| 623 | 11 | 32 | 36 | 6 | 7 | 10 |

Cosdroe successu elatus in effusione humani sanguinis, & maxime Christianorum vltra modum grassatur.

Heraclius imperator Hunnis confœderatur.

| 624 | 12 | 33 | 37 | 7 | 8 | 11 |

Heraclius ad Persas debellandos proficiscens, virilem Dei figuram in manibus accipiens, quam manus non depinxerat, sed in Iconia verbum quod omnia

| Romanorum. | Persarum. | Francor. | Longobardor. | Anglorum. | Wisigothor. | Anni Domini.

omnia format, atque componit, sine pictura formam, velut sine semine partum eduxit, Persidem aggreditur, eamque per sex continuos annos potenter depopulatur.

Eustasius abbas Luxouiensis, & Attila Bobien. post Columbanum clarent.

Mellitus tertius Anglorum episcopus obiit.

| 13 | 34 | 38 | 8 | 9 | 12 | 625

16 Pipinus filius Caroli Magni maior domus regis Clotharij principabatur: Pipino vero in disponenda republica comparabatur sanctus Arnulphus, filius Arnoldi filii Amberti, ex Blitilde filia primi Lotharij regis.

| 14 | 35 | 39 | 9 | 10 | 13 | 626

Heraclius imperator Persas leuibus præliis frequenter fundit.

| 15 | 36 | 40 | 10 | 11 | 14 | 627

Florebant in Galliis Austregisillus Bituricensis episcopus, & sub eo Sulpicius, Chunibertus Colonensis, & Ioannes Tungrensis. In Hispaniis Isidorus Hilpalensis tum sanctitate tum doctrina clarebat.

| 16 | 37 | 41 | 11 | 12 | 15 | 628

20 Heraclius Persas graui bello contriuit, in quo prætorem Persarum omnesque pene principes peremit, & Persidem peruagatus, miranda Persarum palatia combussit & deiecit.

Clotharius rex filium suum Dagobertum in regno ascitum Pipino & Arnulpho committit ad regnandum Austrasios.

Eduinus rex Nordanimbrorum à Paulino episcopo baptizatur, & post Radoaldum potentius cæteris super Anglos principatur.

| 17 | 38 | 42 | 12 | 13 | 16 | 629

Dagobertus iram patris sui Lotharij regis meritus, quia consiliarium eius cæsum & detonsum dehonestauerat, Parisios ad ecclesiam sancti Dionysij

30 confugit, & quia inde nullo modo extrahi potuit, locum illum semper cordi habuit.

Syrobis cum Persarum principibus contra patrem suum Cosdroen insurrexit, & pace cum Heraclio imperatore confirmata, patrem suum cum filiis ipsius peremit, & anno vno regnauit.

| 18 | 1 | 43 | 13 | 14 | 17 | 630

Heraclius Persis deuicta, & pace inter Romanos & Persas confirmata, rediit cum gloria.

Syrohi rege mortuo, Adesir regnauit anno vno.

Adaloaldo Longobardorum rege mortuo, Rotharith regnauit post eum

40 annis 16.

Erpualdus rex qui cum patre suo Rodoaldo à fide Christi apostatauerat, suasu Eduini regis cum gente sua idololatriæ abrenunciat.

Dagobertus rex Saxonibus bello concurrit, cui pater Lotharius rex accurrens auxilio, interfecto Berthoaldo duce Saxonũ, victoriam obtinuit, & peruagans omnem Saxoniam, nullũ omnino Saxonum mensuram gladij sui excedentem dimisit viuentem.

Hoc tempore Arabum siue Sarracenorum princeps erat Muhanmad, qui pseudopropheta ex orphano & inope per hæresis suæ præstigia ad regnum euectus est. Hic de progenie Hismaelis ortus, cum esset pauper & orphanus

50 ad quandam cognatam suam prædiuitem nomine Chadigam, primo vt mercenarius, deinde vt sponsus se coniungens, per eam ditatus est. Quæ cum ægre ferret epileptico, id est caduco illum morbo vexari, ille dicebat hoc non esse morbum, sed visionem archangeli Gabrielis se interim videre, & quia aspectum eius ferre non posset, mente defecta cadere. Hic communicabat Christianis & Iudæis, ex eorum scripturis suam pseudoprophetiam in ali-

| Anni Domini. | Romanorum. | Persarum. | Francor. | Longobard. | Anglorum | Wisgorh. |

quibus confirmans. Hic dicebat, quia hi qui inimicum occidunt, vel quiab inimico occiduntur, paradisum ingrediantur, paradisum vero esse carnalis cibi & potus, ibique esse fluuium vini, lactis & mellis, & mixturā fœminarum non præsentium, sed aliarum multo tempore futuram & affluentem voluptatem, & multa huiusmodi. Hic est Muhanmad, cui gentiles adhuc cultum deitatis exhibent. Hic in regno Sarracenorum quatuor prætores statuit, qui Amiræi vocabantur, ipse vero Ammiras dicebatur, vel Protosynbulus.

Obiit sanctus Bauo.

631 | 19 | 1 | 44 | 1 | 15 | 18 |

Heraclius imperator deuicta Persida Zachariam patriarcham cum captiuorum populo Hierusalem reducit: & sanctam crucem Domini reportans, cum regio schemate ornatus portam vellet intrare, per quam Iesus ad crucem subeundam exiuit, porta diuinitus clausa est, eiq; rursum admonitu angeli humiliato & discalciato porta vltro aperta est & ita cruce relata, celebritatem exaltationis eius annuatim dedicauit.

Apud Persas Hormisda regnat anno vno sub Sarracenis.

Lothario mediano Francorum rege mortuo, Dagobertus filius eius regnat annis quatuordecim.

632 | 20 | 1 | 1 | 2 | 16 | 19 |

Sarraceni qui hactenus fuerant sub Persarum regno, eos bello victos vertsute sub suo redigunt dominio.

Ab hinc pro rege Persarum titulandum est regnum Sarracenorum.

Terræmotus factus est per triginta dies, apparuit in cœlo signum in modum gladij, portendens imminentem Sarracenorum principatum.

Adunallo rex Britonum reuersus de minori Britannia cum multitudine militum, commisit prælium cum Peanda rege Merciorum, eumque deuictum cepit & suæ ditioni subdidit, subditumque duxit ad bellandum contra Eduinum regem Nordanimbrorum. Quem etiam cum superasset atque occidisset, occupauit prouincias & depopulatus est, & multam cædem fecit in terra.

Tunc etiam fides Christi in Anglia concussa est adeo, vt multi Christianitatem suam desererent, & idololatriam repeterent.

Muhammad Sarracenorum Ammiras moritur, post quem Ebubeher principatur annis tribus.

633 | 21 | 1 | 2 | 3 | 17 | 20 |

Seuerinus Romanæ ecclesiæ 69 præsidet.

Heraclius imperator incidens in hæresim Monothelitarum, id est vnam operationem in Christo credentium, confundit ecclesiam & imperium, contra malitiam eius pugnante perturbatione omnium rerum.

Inter Romanos & Sarracenos bellum implacabile oritur hac de causa, quia cum quidam spado imperatoris Heraclij distribueret togas militibus, cum inter alios etiam Sarraceni sub imperatore militantes ad accipiendam venirent, spadone indignanter eis dicente, Vix sufficit imperator dare militibus togas, quanto magis canibus istis: illi dolore & pudore incitati, totam Sarracenorum gentem ad rebellandum incitant. Ammiræi autem Sarracenorum Romanos aggrediuntur, & cum multis tres Ammiræi à Romanis perimuntur.

Sigebertus infans, filius Dagoberti, à sancto Amando baptizatur, vbi tacentibus cunctis, ipse infans 40 dierum Amen respondit, & Amandus Traiectensis episcopus ordinatur.

634 | 22 | 2 | 3 | 4 | 18 | 21 |

Romani & Sarraceni vario euentu confligunt. Successo-

| Romanorum. | Persarum. | Francor. | Longobard. | Anglorum. | Wisigoth. | Anni Domini. |

Successores Eduini regis ad idololatriam reuoluti, mox sunt à Ceduala rege perempti.

Dagobertus rex Sclauos bello deuicit.

| 23 | 3 | 4 | 5 | 19 | 22 | 635 |

Ioannes Romanæ ecclesiæ 70 præsidet.

Ebubeher Ammiras moritur, post quem Haumar annis 12 principatur.

Sarracenis Syriam infestantibus, Heraclius crucem sanctam Domini ab Hierusalem Constantinopolim transtulit. Hic dicit Beda in historia Anglorum, quod Oswaldus, filius Edilfrid regis, regno Nordanimbrorum post Edwinum suscepto, Ceduallam siue Cadwallonem regem Britonum peremerit, & quia fidem Christi tenebat super omnes Britanniæ reges, eminuerit, & quatuor linguarum gentes, scilicet Pictos, Scotos, Britones & Anglos sub ditione acceperit. Sed aliter se habet historia Britonum. Refert enim, quod Cadvvaldo iste rex Britonum Osvvaldum regem & præliando superatum fugauerit, & post occisionem ipsius Osvvaldi diu regnauerit, sicq; completis 48 annis in pace obierit, & à Britonibus in imagine ænea ad mensuram corporis illius fusa positus fuerit, & eadem imago super equum æneum erecta fuerit, atq; super portam Londoniarum ad deterrendos Saxones constituta, ecclesia quoque subtus ædificata.

Aidam episcopus, sancti Columbani discipulus, à Scotia veniens, apud Anglos clarebat sanctitate & doctrina.

Dagobertus rex Wascones bello deuincit.

| 24 | 1 | 5 | 6 | 20 | 23 | 636 |

Theodorus Romanæ ecclesiæ 71 præsidet.

Sarraceni, capta Damasco, Phœnicem & Ægyptum occupant.

| 25 | 2 | 6 | 7 | 21 | 24 | 637 |

Florebant in Francia hoc tempore tres fratres, Ado, Rado, Dado qui & Audoenus dictus est, qui suam erga Deum deuotionem ostenderunt, singuli singula cœnobia fundando, ex quibus Dado fuit referendarius Dagoberti regis. Referendarius autem dicebatur, ad quem publicæ conscriptiones referebantur, vt per eum anulo seu sigillo regis confirmarentur.

Hos ad hoc animarat Eligius aurifex, iamdudum in aula regis Lotharij clarus, qui etiam ex dono Dagoberti regis Solenniacum monasterium construxit, vbi sanctus Remaclus ex Aquitania veniens, se in Christi tyrocinio sub eo exercendum dedit. Sanctus vero Dado qui & Audoenus, intra Brigensem saltum cœnobium construxit quod Rasbacis dicitur, in quo sanctum Agillum primum abbatem præfecit.

Sancta Aurea claruit, quam Eligius monasterio virginum à se Parisiis constructo præfecit.

| 26 | 3 | 7 | 8 | 22 | 25 | 638 |

Sarraceni Hierusalem biennio obsessam capiunt.

Sanctus Amandus Tungrensis episcopatu posthabito verbi instat officio. Sub hoc sanctus Laudoaldus floruit, qui filium A priviri illustris Lanbertum, post episcopum & martyrem futurum, à puero imbuens in viam Dei induxit.

Remaricus abbas, & Georicus Metensium episcopus, clarent.

| 27 | 4 | 8 | 9 | 23 | 26 | 639 |

Sarraceni Syriam occupant.

Iudæi in Hispania Christiani efficiuntur. Sisebodus enim Gothorum rex gloriosissimus plurimas in Hispaniis prouincias Romanæ militiæ sibi bellando subiecit, & Iudæos in suo regno ad fidem Christi conuertit.

| 28 | 5 | 9 | 10 | 24 | 27 | 640 |

Anni Domini.	Romanorum.	Sarracen.	Francor.	Longobard.	Anglorum.	Wisigoth.

Sarraceni Antiochiam capiunt.

Dagobertus rex Sigebertum filium suum Austrasiis regem mittit, subtutela Pipini & Cuniberti episcopi.

Sanctus Arnulfus ex Maiore domus Metensium episcopus, & ex episcopo solitarius dormit in Christo. Clodulfus filius eius, post Metensis episcopus, sanctitatem patris imitatur.

Doda mater ipsius Clodulfi, Treueris inclusa Christo ancillatur, & Albs- 10
do Anglorum rege mortuo, Carcombertus filius eius post eum regnauit annis 25.

Hic in Anglia primus idola deorum destruxit, & fidem Christi dilatauit, & ieiunium Quadragesimale in Anglia legaliter obseruare edixit.

641	29	6	10	11	1	28

Sarraceni Persis iterum bello victis, fugato rege eorum Hormisda, totam Persidem sibi subiugant.

642	30	7	11	12	2	29

Heraclius imperator moritur, Constantinus filius eius substituitur, & quarto mense imperij sui à nouerca sua Marciana & Pyrrho patriarcha ve- 20
neno extinguitur, & Marciana cum filio suo Heraclona imperium arripuit.

Sisebodo Wisigothorum rege mortuo, Suitilan succedens regnauit annis duobus.

Dagobertus Saxonibus contra Winidos sibi auxiliantibus, annuum quingentarum vaccarum tributum eis indulget.

643	1	8	12	13	3	1

Heraclonas abscisso sibi naso, & Marciana mater eius abscisa sibi lingua, exiliantur. Et Constans, qui & Constantinus dicitur, filius Constantini regnauit annis viginti quinque. 30

Oswaldus rex Nordanimbrorum à Peanda Merciorum rege perimitur, cuius filius Oswij regnat post eum annis 27.

Dagobertus Wascones subigit.

Iudacail rex Britonum gratiam Dagoberti sibi redimit.

Virgo Christi Reginulfa sanctitate claret in Gallia.

644	1	9	13	14	4	2

Haumar Ammiras templum sibi in Hierusalem ædificat. Et quia nullo modo structura consistere poterat, suggestione Iudæorum crucem desuper montem oliueti tolli imperat, & sic structura templi stare potuit.

In Hispaniis Suintilane ob crudelitatem suam à Wisigothis reprobato, 40
Sisenandus per auxilium Dagoberti sublimatus in regnum, regnat annis 20.

645	2	10	14	15	5	1

Dagobertus rex Francorum moritur, de quo per visionem cuidam reuelatum est, quod anima eius ad iudicium rapta sit, & multis sanctis contra eam pro expoliatione suarum ecclesiarum reclamantibus, cum eam iam malian- 50
geli vellent ad pœnas inferni rapere, interuentu sancti martyris Parisiensis Dionysij, cui ipse maxime deuotus fuerat, à pœnis liberata est.

Clodouæus filius Dagoberti, regnauit post eum annis 17. Sigeberto fratre eius iam regnante in Austria, huius Clodouæi Maior domus fuit Erchinoaldus.

646	3	11	1	16	6	2

Sanctus Remaclus ordinatur Traiectensis episcopus.

Rodoaldus frater Ittæ, & auunculus sanctæ Gertrudis archiepiscoparum Treuerensem doctrina & sanctitate sua illustrat. Soror quoq; eius Seuera abbatissa in vrbe eadem à fratris sanctitate non degenerat.

Rotha-

| *Romanorum.* | *Sarracen.* | *Francor.* | *Longobardor.* | *Anglorum.* | *Wisigothor.* | *Anni Domini.*

Rotharith Longobardorum rege mortuo, Rodoaldus filius eius regnat annis quinque.

| 4 | 12 | 2 | 1 | 7 | 3 | 647

Pipinus Maior domus moritur, Grimoaldus filius eius in aula Sigeberti regis potenter principatur.

Persa quidam, simulans se velle adorare Haumar Ammiram Sarracenorum, infixo in ventrem eius gladio, peremit eum; cui Hothmen substitutus, annis decem principatur.

| 5 | 1 | 3 | 2 | 8 | 4 | 648

Martinus Romanæ ecclesiæ 72 præsidet.

Sarraceni Africam occupant.

Sigebertus rex Radulpho Turingorum duci bello concurrit.

Sanctus Fursæus in Hibernia claruit, qui peregrinationem pro Christo aggressus, ad Gallias vsque peruenit, & à Clodouæo rege honorifice susceptus, Latiniacum cœnobium fundauit. Quem non multo post fratres sui Foillanus & Vltanus pariperegrinandi voto secuti, per Gallias claruerunt, ex quibus Foillanus dono Gertrudis virginis Fossense monasterium postea fundauit, vbi etiam martyrio coronatus quiescit.

| 6 | 2 | 4 | 3 | 9 | 5 | 649

Eligius Nouiomi, Audoenus qui & Dado Rothomagi, clarent episcopi, & Philibertus de Herio insula, & Richarius Pontinensis, & Geremarus Flauiacensis abbates, Angadrisma quoque sacra virgo secus Beluacum, Ansegisus etiam filius sancti Arnulphi clarebat, cui Begga soror Grimoaldi nupserat.

| 7 | 3 | 5 | 4 | 10 | 6 | 650

Itta relicta Pipini, instinctu Amandi se & sua Deo deuouens, monasterium Niualense fundauit, eique filiam suam Gertrudem Deo dignam virginem præfecit.

Aubertus Cameracensis episcopus claret.

| 8 | 4 | 6 | 5 | 11 | 7 | 651

Rex Sigebertus de posteritate prolis desperans, duodecim monasteria hinc inde construxit Deo. In quibus Stabulaus & Malmudarium eminebant, cooperante sibi in his maiore domus Grimoaldo, & Traiectensium episcopo Remaclo. Qui Remaclus non multo post pertæsus secularium tumultuum, in ipso Stabulaus monachicæ vitæ assumpsit habitum.

His diebus multi vtriusque sexus in Galliis claruerunt, qui ad testimonium sanctitatis suæ in ædificandis Deo monasteriis operam suam impenderunt. Ex his in nostra vicinia tunc florebat sanctus Landelinus cõfessor Christi, qui & Morosus, ab Auberto Cameracensi episcopo ex prædone ad Christum retractus, & à beato papa Martino ad prædicandum ordinatus, fundator cœnobiorum Lobiensis Aluei, Waslaris, atque Crispiniensis, vbi corpore requiescit cum discipulis suis Adoleno & Domitiano; Gissenus Cellensis, Madelgarius dux, qui & Vincentius, Altimontensis & Senogensis, eiusque coniunx Waldetrudis Castrilocensis, sororque Waldetrudis Aldegundis Melbodiensis, & Trudo etiam Haspaniensis in tyronem Christi adolescebat. Præter hos & alij multi de Anglia vel Scoria in Galliis peregrinantes, verbum Dei seminabant, multumque fructum Deo faciebant, scilicet Etto, Bertuinus, Eloquius.

Cœnobium Floriacense à Leodepoldo abbate fundatur, & non multo post corpus sancti Benedicti abbatis ab Agilulfo monacho à castro Cassino delatum, illuc transportatur. Corpus vero sororis eius sanctæ Scholasticæ Cynoniannis transfertur.

Anni Domini.	Romanorum.	Sarracen.	Francor.	Longobard.	Anglorum.	Wisigoth.

Rodoaldo Longobardorum rege perempto, Ariperth regnat annis nouem.

652	9	5	7	1	12	8

Constantinus imperator à Paulo Constantinopolitano deceptus, exposuit typum contra fidem Catholicam, nec vnam nec duas voluntates aut operationes in Christo diffiniens esse confitendas, quasi nihil velle vel operari credendus sit Christus. Ob hoc Martinus papa congregata Romæ 105 episcoporum synodo, anathematizauit hæreticos episcopos, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum quoque præsentis persecutionis incentorem, ecclesiam aperta & occulta infestatione vexantem.

Sigebertus rex Hildebertum filium Grimoaldi maioris domus adoptat in filium & in regnum.

653	10	6	8	2	13	9

Constantinus imperator misso Exarcho ad Italiam, impugnat Dei ecclesiam. Iudocus regis Britonum filius spreto regno & mundo peregrinus & eremita in pago Pontiuo requieuit in Christo.

654	11	7	9	3	14	10

Ignis de cœlo cecidit, & timor magnus super homines venit, pestilentiaque grauissima tribus æstiuis mensibus grassata est, cunctis visibiliter apparente, bonum & malum Angelum noctu ciuitatem circuire. Et quoties iussu boni Angeli malus Angelus venabulo quod manu ferre videbatur, ostium cuiusq; domus percussisset, tot ex eadem domo sequenti die interibant.

Hoc tempore sanctus Foillanus Fossensis martyrizatur.

655	12	8	10	4	15	11

Sarraceni capta Rhodo famosum eius Colossum euetterunt, ex cuius ære nongenti cameli onerati sunt.

656	13	9	11	5	16	12

Constantinus imperator Sarracenis nauali pugna congressus, ignominiose vincitur. Sigebertus rex Austrasiorum moritur, Dagoberto filio suo admodum paruulo fidei Grimoaldi commendato, vt in regnum eius auxilio promoueatur.

Oswij rex Nordanimbrorum, facto Deo cœli voto, Peandæ Merciorum regi concurrit cum exercitu non multo, & inter nimiam Merciorum stragem ipsum regem Peandam perimit, gentemque Merciorum ad Christum conuerti fecit. Pictosque regno Anglorum subdidit.

657	14	10	12	6	17	13

Olympius Exarchus ad regendam Italiam ab imperatore Constantino missus, & Martinum papam occidere iussus, cum aliter non posset, tractauit vt inter missarum solennia, cum sibi ipse papa sanctam communionem porrigeret, illum spatarius suus perimeret, sed spatarius hora sanctæ communionis papam nullo modo videre potuit. Exarchus vero paulo post in Sicilia à Sarracenis turpiter victus, turpius periit.

Grimoaldus maior domus, domino suo Dagoberto Sigeberti filio attonso, per Didonem Pictauiensem episcopum in Scotiam directo, Hildebertum filium suum facit Austrasiorum regem.

Hothmen Ammira Sarracenorum perempto, Muhamas ex Aminireo Ammiras factus principatur annis 25.

658	15	1	13	7	18	14

Franci dolentes super infidelitate Grimoaldi contra filium Sigeberti captum eum præsentant Parisiis iudicio Clodouæi, quem Clodouæus vinculatum amara in carcere fecit morte consumi; filiumque suum iuniorem Hildericum regem fecit Austrasiorum.

Obiit

| Romanorum. | Sarrac. | Francor. | Longobard. | Anglorum. | Wisigoth. | Anni Domini.

Obijt Itta mater sanctæ Gertrudis.

Theodardo episcopo martyrizato, sanctus Lampertus, filius Apri comitis episcopatum Traiectensem illustrat gloria nobilitatis & gratia sanctitatis.

Atrebatis dum corpus sancti Vedasti transfertur ab Auberto episcopo, præsentibus Lamberto Tumgrensi, & Audomaro Teruanensi, alijsq; sanctis episcopis & abbatibus, Audomarus qui præ senio cæcus erat, dum precibus præsentium episcoporum & meritis sancti Vedasti illuminatus esset, ægre ferens, se liberatum esse à cæcitate quam pro salute sua sibi à Deo immissam elegaudebat, rursus ad votum suum excæcatus est.

| 16 | 2 | 14 | 8 | 19 | 15 | 659

Martino papa pro confessione fidei iussu Constantini exiliato, ibiq; defuncto, Eugenius 73 Romanæ ecclesiæ præsidet.

Constantinus Sclauiam sibi subijcit.

| 17 | 3 | 15 | 9 | 20 | 16 | 660

Muhamas Sarracenorum Ammiras cum Constantino imperatore firmat pactum, vt Sarraceni Romanis soluant tributum, scilic. per singulos dies nummata mille, & seruum & equum.

Clodouæus rex corpus sancti Dionysij Parisiensis discooperiens, minus religiose licet cupide, os brachij eius fregit, & rapuit, moxq; in amentiam perpetuam incidit.

Ariperth Longobardorum rege defuncto. Godebertus & Bertharith filij eius annum agunt, non tam in regno componendo, quam regno contendendo.

| 18 | 4 | 16 | 1 | 21 | 17 | 661

Vitalianus 74 Romanæ ecclesiæ præsidet.

Obijt sanctus Amandus Elnonensis.

Constantinus imperator Theodosium fratrem suum occidit.

Grimoaldus dux Taurinacium Godebertum, filium Ariperth regis Longobardorum, dolo perimit, & eius regnum arripit, sororemque Godeberti vxorem ducit, regnauitq; nouem annis.

Sanctus Niuardus Remensis Archiepiscopus, & Reolus successor eius, Bercharius quoq; martyr, qui fuit abbas primus Autiuillarensium, sancta etiam Bertha, martyr & abbatissa sanctitate clarent in Gallia.

| 19 | 5 | 17 | 2 | 22 | 18 | 662

Constantinus imperator Italiam petit, multasq; Longobardorum vrbes capit, Beneuentum obsidet, ibique Grimoaldus rex exercitum eius grauiter atterit.

Clodouæus rex Francorum obijt, & Lotharius filius eius succedit, & quatuor annis regnat. Huius Maior domus post Erchanoldum fuit Ebroinus.

Abhinc Francorum regibus à solita fortitudine & scientia degenerantibus, regni potentia disponebatur per Maiores domus, regibus solo nomine regnantibus. Quibus moris erat principari quidem secundum genus, & nil agere vel disponere, quam irrationabiliter edere & bibere, domique morari & Calendis Maij præsidere coram tota gente, & salutare, & salutari, obsequia & dona accipere, & rependere, & sic secum vsque ad alium Maium permanere.

Baltildis regina, mater Lotharij, Corbeiæ & Calæ monasteria Deo construxit.

| 20 | 6 | 1 | 3 | 23 | 19 | 663

Constantinus imperator impetium in vrbem Romam transferre nititur, sed à Constantinopolitanis ei resistitur.

| 21 | 7 | 2 | 4 | 24 | 20 | 664

Anni Domini.	Romanorum.	Sarracen.	Francor.	Longobardor.	Anglor.	Wisigoth.

Constantinus imperator Romam venit, de qua omnibus pene quæ ad ornatum vrbis erant ablatis, ad Siciliam vadit.

In Anglia inter Anglos & Scotos magna de obseruatione Paschæ fit disceptatio, mediante Oswij rege glorioso, qui etiam assensit Anglis Paschā celebrantibus more Romano.

Obijt sancta Gertrudis Niuellensis.

Sisenando Wisigothorum rege mortuo, regnat Chiutilan annis sedecim.

665	22	8	3	5	25	1

Obijt sanctus Eligius Nouiomensis episcopus.

Carconbertus rex Anglorum obijt, & filius eius Egbertus regnat post eum annis octo.

666	23	9	4	6	1	2

Lotharius rex Francorum moritur, & Theodericus frater eius ab Ebroino maiore domus in regnum sublimatur.

667	24	10	1	7	2	3

Theodericus rex propter insolentiam Ebroini à Francis repudiatur, & frater eius Hildericus qui in Austria regnabat, à cunctis ad regnandum euocatur. Porro Theodericus & Ebroinus tonsorantur, & Theodericus Parisijs in cœnobio sancti Dionysij, Ebroinus in Luxouio relegantur. Hilderici maior domus erat Vulfradus. Hic in parochia Wirdunensi super Mosam cœnobium sancti Michaelis archangeli fundauit.

668	25	11	1	8	3	4

Theodorus archiepiscopus & Adrianus abbas à Vitaliano papa in Angliam diriguntur.

669	26	12	2	9	4	5

Constantinus imperator, qui & Constans, omnibus suis exosus, Syracusis à suis in balneo est occisus.

Constantis filius Constantinus post patrem imperat annis 17.

Mirius quidam in Sicilia tyrannidem meditatus mox extinguitur.

670	1	13	3	10	5	6

Adeodatus 75 Romanæ ecclesiæ præsidet.

Oswi Nordanimbrorum rege defuncto, Egfridus filius eius regnat annis decem & quinque.

Grimoaldus rex Longobardorum, cum nono die post phlebotomiam accepto arcu columbam percutere nisus esset, vena brachij eius dirupta est, & supra ponentibus ei medicis venenata medicamina defunctus est. Atpertharith filius Ariperth regis diuinitus à peregrinatione reuocatus & à Longobardis in regno relocatus, regnat annis 17.

Hoc tempore claruit sanctus Præiectus Auernensis ciuis & Episcopus, qui etiam martyrizatus est ab ipsius vrbis primoribus in vltionem Hectoris Masilliensium patricij ab Hilderico Francorum rege perempti, propter iniustitias Auernensi ecclesiæ ab eo illatas.

In territorio Cameracensi virgo Dei Maxelendis pro voto virginitatis Harduinum amatorem suum fugiens, ab eo martyrizatur, qui mox excæcatus post triennium ab ea illuminatur.

671	2	14	4	1	6	7

Constantinus imperator fratres suos habens suspectos, ne conregnarent, ſ. nasos eorum abscidit.

Hoc tempore quidam in Britannia à morte resurgens, multa quæ vidit de locis pœnarum & purgatorij ignis loco enarrauit.

672	3	15	5	2	7	8

Sarraceni Siciliam inuadunt, & omnibus direptis Alexandriam redeunt.

Amatus

| Romanor. | Sarracen. | Francor. | Longobardor. | Anglor. | VVisigoth. | Anni Domini.

Amatus episcopus Senonensis à rege Theoderico graui & irreuocabili diu exilio tribulatur.

| 4 | 16 | 6 | 3 | 8 | 9 | 673

Egbertus rex Anglorum obijt, cui Lothere frater eius succedens regnauit annis 12.

Iris apparuit in cœlo mense Martio, & tremuit omnis caro, ita vt omnes dicerent, quod consummatio esset.

| 5 | 17 | 7 | 4 | 1 | 10 | 674

Theodorus in Anglia synodo habita constituit multa ecclesiæ vtilia. Hic Theodorus scripsit pœnitentialem librum mirabili & cauta discretione, distinguens modum singularum culparum.

| 6 | 18 | 8 | 5 | 2 | 11 | 675

Stolus Sarracenorum contra Constantinopolim applicuit, qui dum per aliquot annos Christianis inaniter concurrissent, in redeundo ex multa parte dimersi interierunt.

Cadwallone Britonum rege mortuo, successit Cadualladrus. Qui cum 12 annis regnasset, infirmatus est, & regibus Anglorum resistere non sufficiens, secessit in minorem Britanniam. Sed & cæteri Britones inter se discordantes, cum etiam mortalitas eorum gentem consumeret, necessitate compulsi in diuersas terrarum partes migrauerunt.

| 7 | 19 | 9 | 6 | 3 | 12 | 676

Sarracenis & Arabibus cum Romanorum exercitu congressis, occiduntur Sarracenorum 30 millia. Hildericus rex leuitate morum suorum accendit in se odia Francorum.

Sanctus Leodegarius Augustudunensis Episcopus ab eo in Luxouio reteruditur.

In Italia tantæ pluuiæ & tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum memorat, vt etiam homines & pecora fulgure interirẽt. Et nisi per litanias quas quotidie faciebant, Dominꝰ esset propitiatus, non potuissent homines triturare, vel in horreis frumenta retundere, intantum vt ex ipsis pluuijs denuo legumina renascerentur, & ad maturitatem deuenirent.

| 8 | 20 | 10 | 7 | 4 | 13 | 677

Donus Romanæ ecclesiæ 76 præsidet.

Ab Augusto per tres menses stella radijs cœlos penetrãs, à parte Orientis à galli cantu vsq; in mane apparebat, & maxima mortalitas à parte Orientis subsequuta est.

| 9 | 21 | 11 | 8 | 5 | 14 | 678

Balinicus architectus ab Heliopoli Syriæ ad Romanos confugit, ignemq; marinum adinuenit. Quo vsi Romani naues Sarracenorum exusserũt, & vna cum animabus prorsus incenderunt, & ita victoria potiti sunt.

| 10 | 22 | 12 | 9 | 6 | 15 | 679

Agatho Romanæ ecclesiæ 77 præsidet.

Inter Romanos & Sarracenos in 30 annos pax est confirmata, vt Sarraceni Romanis auri libras tria millia, & viros captiuos quinquaginta, & equos nobiles quinquaginta annuatim soluerent.

Bodilo Francus, quem Hildericus ligatum ad stipitem cædi præceperat, Hildericum in venatione exceptum cum Blitilde vxore eius prægnante interficit: & Theodericus regno restituitur.

Leudesius filius Erchonoaldi consilio Leodegari episcopi à Luxouio reuocati aliorumq; principum, Maior domus constituitur.

| 11 | 23 | 1 | 10 | 7 | 16 | 680

Ebroinus à Luxouio egressus vires resumit, insidiatores suos premit, su-

Anni Domini. | Roman. | Sarracen. | Francor. | Longobard. | Anglor. | Wisigothor. | Burg.

per Theodericum regem irruit, thesauros eius & ecclesię diripit, Leudesium maiorem domus perimit, Clodouæum quendam fingens esse filium Lotharij regis, regem sibi facit, ad eius sacramentum quos potest, pœnis, minis & blandimentis impellit.

Agatho papa suscepit diuinã iussionem principũ, vt suggessit, per quam releuata est quantitas quæ erat solita dari pro ordinatione pontificis faciendа: sic tamen vt si contigerit post eius transitum electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam vrbem secundum antiquam consuetudinem, vt cum eorum scientia & iussione debeat ordinatio prouenire.

Chintilano rege defuncto, Tolgan filius eius adhuc puer in regno Wisigothorum succedens, regnauit annis 4.

Gens Bulgarorum, quæ & ipsa à Scythia egrediens passim debacchabatur, per Thraciam Bathala duce grassatur. Quibus Constantini imperatoris occurrens exercitus, ab eis turpiter fugatus, grauiter est attritus: & adeo per Romanam rempublicam eorum inualuit excursus, vt imperator facta pace annua pacta eis præbere sit coactus.

Ab hinc igitur regnum Bulgarorum annotandum est, quorum rex Bathaias erat.

¶ *Regnum Bulgarorum.*

| 12 | 24 | 2 | 11 | 8 | 1 | 1 |

681 Sexta synodus vniuersalis Constantinopoli congregatur, in qua Gregorius Constantinopolitanus episcopus ab errore Monothelitarum reuocatur. Macarius vero Antiochenus, & cuncti duas voluntates & operationes in vna Christi persona negantes, anathematizantur. In hac synodo fuerunt episcopi 289.

| 13 | 25 | 3 | 12 | 9 | 2 | 2 |

682 Sanctus Leodegarius Augustudunensis episcopus ab Ebroino capitur, & cum fratre suo Gerino grauiter affligitur. Gerinus non multo post lapidibus obruitur.

In Italia tribus æstatis mensibus grauissima hominum mortalitas facta est.

Muhamas Sarracenorum Ammiras moritur, post quem Berith filius eius tribus annis principatur.

| 14 | 1 | 4 | 13 | 10 | 3 | 3 |

683 In Anglia claret Ediltrudis regina, quæ tribus nupta viris virgo permansit, cuius mortuæ corpus post vndecim sepulturæ suæ annos incorruptum inuentum est.

| 15 | 2 | 5 | 14 | 11 | 4 | 4 |

684 Leo iunior 78 Romanæ ecclesiæ præsidet.

Rauenna ecclesia censura imperatoris sub ordinatione sedis Apostolicæ restituta est, scilicet vt qui in ea electus fuerit episcopus, in vrbem Romanam veniat ordinandus.

Egfridus rex innoxiam Hiberniæ gentem grauiter depopulatur.

Tolgane à Wisigothis propter pueritiæ leuitatem reprobato, & in clericum tonsorato, Thintasindus regnat post eum annis 20.

| 16 | 3 | 6 | 15 | 12 | 1 | 5 |

685 Benedictus Romanæ ecclesiæ 79 præsidet.

Girith mortuo, Marhuam principatur Sarracenis anno vno.

Theodericus rex Ebroinum in gratiam recipit, eiusque consilio synodum episcoporum cogit, & in hac multos eorum ex sententia Ebroini episcopatu priuat, aliquos etiam eorum irreuocabili exilio damnat, sub tam procellosо domesticæ persecutionis tumultu.

Sanctus

| Romanor. | Sarracen. | Francor. | Longobar. | Anglor. | Wisigot. | Bulg. | Anni Domini.

Sanctus etiam Lambertus, à Traiectensi amotus episcopatu, in cœnobio Stabulaus monachicæ quietis expetit portum, ibiq; per septem annos habitauit secum.

Sanctus Leodegarius, diu ab Ebroino tormentatus, post famem & carceris squalorem, post oculorum euulsionem, post plantarum concisionem, post linguę & labiorum excisionem, tandem cōsummauit martyrium per capitis absciſſionem.

Ansegisus pater Pipini à Gunduino perimitur, quem inuentum & nutritum de sacro fonte susceperat, & ad maximos militiæ honores prouexerat.

Lothere rex Anglorum moritur, & Egfridus rex Nordanimbrorum à Pictis perimitur.

Picti, Scoti, & Britones Anglos nimis premunt, & libertate quam olim per Anglos perdiderant recepta, multam Angliæ partem inuadunt.

Post Lothere regnauit Edriach annis duobus.

Egtrido vero succedens frater eius Alfridus, regnauit annis 19.

Sanctus Amatus à Theoderico rege consilio Ebroini exiliatur.

Sanctus Quilianus Scotus, Wirtiburgensis episcopus, claret.

| 17 | 1 | 7 | 16 | 1 | 2 | 6 | 686

Ioannes Romanæ ecclesiæ 80 præsidet.

Begga relicta Ansegisi se & sua Deo mancipat, & monasterium Andenense fundat.

Constantino imperatore mortuo, Iustinianus filius eius imperat annis 10.

Sarracenis principatur Habdalan anno vno.

| 1 | 1 | 8 | 17 | 2 | 3 | 7 | 687

Conon Romanæ ecclesiæ 81 præsidet.

Sanctus Guthbertus Anglorum episcopus obijt.

Habdimelech Ammiras principatur Sarracenis annis 22.

Inter Iustinianum & Habdimelech pax conuenit, vt soluant Sarraceni Romanis mille numismata & seruum & equum singulis diebus.

Vulfrado maiore domus mortuo, Pipinus filius Ansegisi principatur in Austria cum duce Martino, quibus congressus Ebroinus victoria potitur, Martinus fugiens ab Ebroino perimitur.

Pertharith Longobardorum rege mortuo, Cuniperth filius eius regnat annis 12.

Edrich Anglorum rege mortuo, externi reges gentium regnum Angliæ disperdunt, & discinduntannis 4.

| 2 | 1 | 9 | 1 | 1 | 4 | 8 | 688

Sergius Romanæ ecclesiæ 82 præsidet. Hic in sacrario sancti Petri portionem magnam Dominicæ crucis inuenit. Consequentia missam celebrandi iam ad integrum composita ab Apostolis & Apostolicis viris. Epistolas quippe & Euangelia recitabat ecclesia ex antiquorum traditione, quæ digesta sunt in libro qui appellatur Comes, quem ad Constantinum Hieronymus scripsisse dicitur.

Alexander autem sextus papa, qui instituit aquam benedici & aspergi, qui & instituit oleum singulis annis benedici ab episcopo, & vetus propter nouitatem sacramenti incendi; hic inseruit memoriam Dominicæ passionis ad consecrationem Eucharistiæ. Et sicut de latere crucifixi Christi Iesu efflu-xit sanguis & aqua, ita aquam vino misceri in ipsa consecratione instituit, nec vinum sine aqua, nec aquam sine vino offerri debere decernens.

Sixtus primus, papa 7, hymnum Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus sabbaoth. Telesphorus 8 papa, qui Quadragesimæ ieiunium septem hebdomadibus ante Pascha instituit, hymnū angelicum: Gloria in excelsis: addidit.

| Anni Domini. | Roman. | Sarracen. | Francor. | Longobard. | Anglor. | Wisigot. | Bulg. |

Damasus 15 papa, Credo in vnum Deum solennibus diebus cantari instituit, ex decreto sanctæ secundæ vniuersalis synodi, à centum quinquaginta episcopis Constantinopoli celebratæ.

Celestinus 41 papa introitus, gradalia, offertoria, & communiones ex Psalmis modulari antiphonatim instituit.

Gelasius 47 papa collectas & præfationes composuit.

Gregorius 42 papa Kyrieleison, & Alleluya extra Quinquagesimam, & orationem Dominicam, per quam solam Apostoli consecrabant, post canonem consecrationis addidit.

Adhæc omnia hic Sergius hoc vltimum addidit, vt inter communicandum Agnus Dei à clero cantetur. Cõstituit etiam, vt in Annunciatione Domini in festiuitate quæ dicitur ὑπαπαντὴ Domini, in Natiuitate, & Assumptione sanctæ Mariæ, exeant litaniæ. Hic corpus primi Leonis papæ diuina reuelatione transposuit.

Innocentia & meritum sancti Leodegarij multis miraculis declarantur.

Imperator pacem cum Sarracenis factam soluens, mala eis intulit, & peiora ab eis pertulit.

Ebroinum maiorem domus Neustriæ Francos insolenter opprimentem Ermenfridus peremit, & ad Pipinum confugit.

Waratho pro Ebroino maior domus statuitur.

| | 3 | 2 | 10 | 2 | 2 | 5 | 9 |

689 Iustinianus pacem cum Bulgaribus pactam soluit, eisq; concurrens primo vicit, post ab eis exceptus vix euasit.

Cadualadrus rex Britonum diuino instinctu & suorum consilio reuocatus ab eo proposito quo Angliam repetere disponebat, Romam adijt, ibiq; non multo post vitam finiuit, cuius successores postmodum regibus Anglorum multis annis multa prælia intulerunt, sed tamen monarchiam Angliæ recuperare sibi non potuerunt.

Inter Pipinum & Gisfemarum filium Warathonis apud Nauinucum castrum pugna committitur. Nec multo post Gisfemaro diuinitus punito, Warathone quoque mortuo, Berthar ius gener Warathonis fit maior domus regiæ.

| | 4 | 3 | 11 | 3 | 3 | 6 | 10 |

690 Franci Berthario auersi affectant per obsides amicitiam Pipini, eumq; instigant contra principatum Bertharij.

Sanctus Audoenus Rothomagensis episcopus, sanctus Amatus Theodorus Archiepiscopus Anglorum obierunt.

| | 5 | 4 | 12 | 4 | 4 | 7 | 11 |

691 Theodericus rex cum Berthario & Pipino congressus vincitur, Bertharius à suis perimitur. Theodericus rex à Pipino capitur.

Pipinus sibi Neustriam subiugat, & sub Theoderico solus toti regno principando statum rerum meliorat. Sanctum quoq; Lambertum in Traiectensi præsulatu relocat.

Wicred filius Egberti regis, religione & industria confortatus, gentem Anglorum ab oppressione exterorum liberat, & 36 annis regnat.

Sanctus Remaclus obijt.

| | 6 | 5 | 13 | 5 | 1 | 8 | 12 |

692 Alahis dux fatigato Cuniperth regnum Longobardorum arripit, cui Cuniperth bello congressus eum perimit, regnumq; recipit.

Wilebrodus cum socis duodecim veniens ab Anglia, sanctitate claret in Gallia.

Sanctus Wandregisillus, qui & Wando, Ansegisi maioris domus ex Walchilo

| Romanor. | Sarracen. | Francor. | Longobard. | Anglorum. | Wiſigoth. | Bulg. | Anni Domini.

chiſo fratre nepos, hoc tempore claruit, qui cœnobia Fiſcannum & Fontinellam Deo conſtruxit.

| 7 | 6 | 14 | 6 | 2 | 9 | 13 | 693

Theodericus rex Francorum obiit.

Clodouæus filius eius regnat poſt eum annis 4.

Sarraceni Romanos grauiſſimo bello atterunt.

Eualdus albus, & Eualdus niger, presbyteri venientes ab Anglia martyrizantur in Gallia, & iuſſu Pipini ſepeliuntur in Agrippinenſi Colonia.

| 8 | 7 | 1 | 7 | 3 | 10 | 14 | 694

Pipinus Radbodum ducem Friſonum bello vicit, & Wilebrodum genti illi ad prædicandum dirigit.

Quiliani Wirteburgenſis epiſcopi diſcipulus Arnual, Adananus abbas, Adelinus & Wilfridus epiſcopi, clarent in Gallia.

| 9 | 8 | 2 | 8 | 4 | 11 | 15 | 695

Iuſtinianus imperator ſanctam ſextam ſynodum infirmare nititur, & Sergium papam in hoc ſibi reſiſtentem eccleſia deturbare fruſtra molitur.

Defectio Solis facta eſt hora diei tertia, ita vt quædam ſtellæ clare parerent.

| 10 | 9 | 3 | 9 | 5 | 12 | 16 | 696

Leo patricius Iuſtinianum regno priuat, eumque naſo & lingua truncatum exilio relegat.

Beda venerabilis presbyter & monachus, clarens in Anglia, triceſimum ætatis annum agit, & reliquum tempus vitæ legendo, tractando, & exponendo ſanctam ſcripturam, vtiliter exigit.

| 1 | 10 | 4 | 10 | 6 | 13 | 17 | 697

Mortuo Clodouæo, Hildebertus frater eius regnat poſt eum annis 18.

Wilibrodus à Sergio papa Clemens agnominatus, & ad prædicandum genti Friſonum epiſcopus conſecratus, ex dono Pipini principis ſedem epiſcopalem ſtatuit, in loco Vultabuch dicto, qui nunc Vultraiectum dicitur, à nomine gentis Vultarum & traiecto compoſitum, quaſi Vultarum oppidum. Nam Traiectum lingua Gallica oppidum dicitur.

Apud Wirziburch caſtrum Oſtrofranciæ ſanctus Quillianus cum diſcipulis ſuis Dolomanno & Tholmanno clam martyrizatur à Geilana vxore Gothberti principis Wirziburgenſium, quæ timebat ſeparari à viro ſuo, arguente eum Quilliano quod eam vxorem haberet. Quorum mors cum diu omnes lateret, Geillana & percuſſoribus martyrum à dæmonio arreptis, eorum confeſſione diuulgata eſt.

| 2 | 11 | 1 | 11 | 7 | 14 | 18 | 698

Sanctus Vrſinarius per interuentum Hildulphi principis Lobienſe cœnobium à Pipino principe ad regendum ſuſcepit.

Synodus Aquileiæ facta quintam vniuerſalem ſynodum à Iuſtiniano imperatore & Vigilio papa Conſtantinopoli celebratam ſuſcipere diffidit, quam Sergius papa ſalubriter redarguit, & ad concordiam reducit.

Sanctus Lambertus Pipinum principem increpare auſus, quod pellicem Alpiadem Plectrudi legitimæ vxori ſuæ ſuperduxerit, à Dodone fratre ipſius Alpiadis Leodij martyrizatur, & Traiecti tumulatur, eiq; ſanctus Hucbertus epiſcopus ſubrogatur.

Sancta Berga mater Pipini ad Dominum tranſit.

Abſimarus qui & Tyberius, Leone ab imperio pulſo, eique naſo abſciſo & in cuſtodia retruſo, imperat annis ſeptem.

| 1 | 12 | 2 | 12 | 8 | 15 | 19 | 699

Drogo filius Pipini dux Campanienſium moritur.

Anni Domini.	Romanor.	Sarracen.	Franc.	Longobard.	Anglor.	Wisigoth.	Bulg.

Grimoaldus frater eius à patre Pipino in aula Hildeberti regis maior domus statuitur, eique filia Rhatodi Frisonum ducis in vxorem desponde-
tur.
Mortuo Cuniperth Longobardorum rege, Linthperth filius eius puer in regnum succedit, Ansprandum habens tutorem.
Dodo interfector sancti Lamberti pessimo languore cruciatur, à vermibus consumitur, & ob intolerantiam fœtoris in Mosam fluuium dimergitur, omnesque huius culpæ complices infra annum diuinitus puniuntur. Percussor vero sancti martyris fratri suo congressus, alter ab altero perimitur.

| 700 | 2 | 13 | 3 | 1 | 9 | 16 | 20 |

Romani peruagantes Syriam perimunt ducenta millia Sarracenorum.
Regunbertus dux Thaurinensium Ansprandum tutorem regis Linthperthi bello superat, & anno vno regnat.
Terbellis Bulgaribus dominatur.

| 701 | 3 | 14 | 4 | 1 | 10 | 17 | 1 |

Mortuo Regumberto, Ariperth filius eius Ansprando in congressu victo, Linthperthum regem capit & perimit, Ansprandum in Baioariam fugere compellit, filiumque eius iuniorem Linthprandum ad patrem fugere permittit, & annis nouem regnat.
Flauius Chinthasindus senio confectus regnum Wisigothorum dimittit, regnatque post eum filius eius Flauius Recinsundus.

| 702 | 4 | 15 | 5 | 1 | 11 | 1 | 2 |

Ioannes Romanæ ecclesiæ 83 præsidet.
Iustinianus de exilio fugiens, ad Caianum regem Auarorum se contulit.

| 703 | 5 | 16 | 6 | 2 | 12 | 2 | 3 |

Sanctus Benedictus abbas Anglorum obiit.
Caianus pecunia corruptus à Leone imperatore, cum vellet Iustinianum ei prodere, Iustinianus ab eo ad Therbellem regem Bulgarorum fugit.

| 704 | 6 | 17 | 7 | 3 | 13 | 3 | 4 |

Ioannes Romanæ ecclesiæ 84 præsidet.
Alfrido Nordanimbrorum rege mortuo, Ofredus regnat annis 12.

| 705 | 7 | 18 | 8 | 4 | 14 | 4 | 5 |

Iustinianus auxilio Therbellis Bulgarorum regis imperium recipit, Leonemque & Tyberium vsurpatores imperij in medio circi iugulat, Callinicum patriarcham excæcatum exiliat, & in aduersarios tantam vltionem exercet, vt quotiens à naso sibi abscisso defluẽtem rheumatis guttam detergeret, totiens aliquem ex his qui contra eum conspirauerant, iugulari præciperet. Imperauit ergo secundo annis 7.

| 706 | 1 | 19 | 9 | 5 | 15 | 5 | 6 |

Sisinnius Romanæ ecclesiæ 85 præsidet.
Sclaui Italiam infestant.
Constantinus Romanæ ecclesiæ 86 præsidet.

| 707 | 2 | 20 | 10 | 6 | 16 | 6 | 7 |

Choret & Opha reges Anglorum Romam veniunt, ibiq; in monachis attonsi regi regum militauerunt.

| 708 | 3 | 21 | 11 | 7 | 17 | 7 | 8 |

Iustinianus imperator pacem cum Bulgaribus factam soluit, eisque congressus vix euasit.

| 709 | 4 | 22 | 12 | 8 | 18 | 8 | 9 |

Picti & Scoti catholicum Paschalis obseruantiæ ritum suscipiunt.
Habdimelech Ammiras Sarracenorum moritur, post quem Vlid annis septem principatur.
Childeberto monarchiam regni Francorum tenente, archangelus Michael

SCRIP RER GERM

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

| Romanor. | Sarracen. | Francor. | Longobard. | Anglor. | Wisigothor. | Bulg. | Anni Domini.

chael apparens Autberto Abrincatensi episcopo, monuit semel & iterum vt in loco maris qui propter eminẽtiam sui tumba vocatur, fundaret ecclesiam in memoriam sui, volens talem venerationem exhiberi sibi in pelago, qualis exhibetur sibi in monte Gargano. Interim taurus à leone furtim raptus, in illo loco religatur. Vnde episcopus tertio admonitus, vt illo in loco fundamentum iaceret, vbi taurum religatum inueniret, & sicut eum terram pedibus protriuisse videret, sic ecclesiæ ambitum duceret; ecclesiam in honore sancti Michaelis constituit, & ex illo tempore sicut in monte Gargano, ita etiam illo in loco quod modo dicitur, in periculo maris veneratio archangeli frequentari cœpit.

Adrianus abbas Anglorum obiit.

| 5 | 1 | 13 | 9 | 19 | 9 | 10 | 710

Iustinianus imperator fidem orthodoxam amplexus, Constantinum papam ad se Constantinopolim inuitat, eumq; venientem & redeuntem gloria Apostolico digna honorat.

Sanctus Hubertus cœlitus admonitus corpus sancti Lamperti à Traiecto Leodium cum magna miraculorum gloria refert, sedemque episcopalem in eandem vrbem transfert.

Ansprandus cum Baioariis Italiam tepetit, cum Ariperth confligit, eoque fugiente & in fluuium dimerso, regnum Longobardorum recipit.

Ansprando post tres menses mortuo, Liutprãdus filius eius regnat annis 32.

| 6 | 2 | 14 | 1 | 20 | 10 | 11 | 711

Sancta Oda, vxor Boggis ducis Aquitanorum, sanctitate claret in Gallia, quæ ecclesias Dei sua ditauit munificentia, & moriens in Leodicensi quieuit parochia.

| 7 | 3 | 15 | 2 | 21 | 17 | 12 | 712

Philippicus, qui & Bardanius, Iustinianum imperatorem iugulat, & post eum annis duobus regnat.

Constantinus papa, populusque Romanus, nomen, literas, & figuram Philippici hæretici imperatoris suscipere respuit.

| 1 | 4 | 16 | 3 | 22 | 12 | 13 | 713

Grimoaldus maior domus Leodij, ante altare sancti Lamberti orans, à Ranigario satellite Rabodi ducis Frisonum perimitur, & Theodoaldus filius Drogonis ab auo suo Pipino maior domus statuitur.

Sanctus Vlfinarus episcopus & abbas Lobiensis cœnobij obiit, eique sanctus Erminus succedit.

| 2 | 5 | 17 | 4 | 23 | 13 | 14 | 714

Gregorius Romanæ ecclesię 87 præsidet. Hic constituit vt tempore Quadragesimæ, quinta feria, ieiunium & celebritas missarum fieret in ecclesia, quod non fiebat antea.

Artheinius, qui & Anastasius, Philippicum priuans imperio & oculis, imperat annis duobus.

Petronax ciuis Brixianus, diuino instinctu & Gregorii papæ animatus hortatu, cœnobium sancti Benedicti apud Castrum Cassinum nobiliter seruiendum Deo aggregat, expletis plus centum decem annis, ex quo à Longobardis desolatum fuerat.

Pipinus princeps obiit, & filium suum ex Alpiade Carolum, Tutidem sine Martellum cognomento, principatus sui hæredem reliquit.

Plectrudis relicta Pipini Carolum priuignum suum captum in Colonia mancipat, & cum nepote suo Theodealdo maiore domus Principatum regni vsurpat.

| 1 | 6 | 18 | 5 | 24 | 14 | 15 | 715

Anni Domini.	Romanor.	Sarracen.	Francor.	Longobar.	Anglor.	Wisigoth.	Bulg.

Mortuo Hildeberto Francorũ rege, Clodouæus filius eius regnat annis 4.
Franci contra Theodaldum damnoso bello vtrinq; confligunt, eoq; victo Raginfredum maiorem domus Chilpericum regem statuunt.
Carolus de custodia nouercæ diuino nutu eripitur, moxque principatum suum de manu Raginfredi extorquere nititur, primoque Rathodum ducem Frisonum Raginfredo solatiantem aggressus, multum exercitus damnum consequitur.
Sanctus Ægidius veniens à Græcia sanctitate claret in Prouincia.

716 | 2 | 7 | 1 | 6 | 25 | 15 | 16 |

Theodosius Anastasium de imperio deponens, eumq; presbyterum ordinans, imperat anno vno. Qui cum fuisset iners & idiota, & publicorum negotiorum exactor, vi compulsus est ab exercitu imperium assumere.
Vlid Ammiras moritur, post quem Zuleymen annis tribus Sarracenis principatur.
Osted Nordanimbrorum rege mortuo, Conred regnat annis tribus.
Egbert veniens ab Hibernia, sanctitate & doctrina claret in Gallia.
Sanctus Germanus à Cirico transfertur ad episcopatum Constantinopolitanum.

717 | 1 | 1 | 2 | 7 | 26 | 16 | 17 |

Theodosius imperium deponit, post quem Leo 24 annis imperauit.
Gregorius papa Bonifacium à Britannia venientem ipsum consecrat, & per ipsum in Germania verbum Dei prædicat.
Romæ inundatio aquarum nimia nimis calamitosa facta est, sed Gregorio papa crebris litaniis Deum deprecante, post nouem dies repressa est.

718 | 1 | 2 | 3 | 8 | 27 | 17 | 18 |

Zuleymen Ammiras cum Ammiræis suis & stolo nauium pene trium millium Constantinopolim triennio obsidet.
Bulgares Sarracenorum 32 millia perimunt.
Carolus in pago Cameracensi apud Vinciacum dominico ante Pascha quod erat tertio calendis Aprilis, Chilperico & Raginfredo congreditur. Raginfredus victus in fugam conuertitur. Carolus eos vsque Parisios persequitur.
Ratholdus dux Frisonum prædicatione Wulfranni episcopi ad hoc adductus, vt baptizari deberet, cum vnum pedem in lauacro intrauisset, alterum pedum retrahens interrogauit, vbi nam plures suorum maiorum essent, in inferno an in paradiso? Et audiens plures esse in inferno, intinctum pedem extrahens, Satius est (inquit,) vt plures quam pauciores sequar. Et ita ludificatus à dæmone promittente, quod ei tertia die abhinc incomparabilia bona daret, ipsa tertia die subita & æterna morte periit.

719 | 2 | 3 | 4 | 9 | 28 | 18 | 19 |

Zuleymen Ammiras moritur, post quem Haumar principatur Sarracenis annis duobus.
Constantinopolitani instantia orandi & constantia præliandi fortiter resistunt Sarracenis.
Sarraceni fame, frigore, bello, pestilentia, sine numero pereunt.
Mortuo Clodouæo, Lotharius regnat annis duobus. Post Conred regnat Nordanimbris Ofrith annis vndecim.
Constantinus, filius Leonis imperatoris, dum baptizatur à patriarcha Germano, cacans in sancto lauacro magnum dat præsagium, quod futurus esset ecclesiæ Dei in scandalum.

720 | 3 | 1 | 1 | 10 | 29 | 19 | 20 |

Sarraceni obsidione Constantinopolis confusi desistunt, ipsis cum nauibus

| Romanorum. | Sarracen. | Francor. | Longobard. | Anglorum. | Bulgarorum. | Anni Domini.

bus suis partim marino igne cõsumptis, partim dimersis, partim igneæ grandinis tempestate vastatis: & ex tanta copia nauium vix quinque residuis potentia Dei cunctis innotuit populis. Infra ciuitatem vero trecenta hominum millia perierunt pestilentia.

Haumar Christianos persequens multos eorum Christi martyres fecit.

Chilpericus & Raginfredus Eudonem ducem Aquitaniæ auxilio sibi adsciscunt. Qui in congressu à Carolo victi vix fuga euadunt. Eudo rediens Chilpericum secum abducit.

Sarraceni ex Africa duce Habdirama, filio Muhamæ Ammiræi, in Hispaniam transfretant, eamque sibi vendicant. Ita regnum Wisigothorum & Sueuorum destructum est, & redactum sub Sarracenis, annis plus minus trecentis quadraginta sex euolutis, ex quo à Scythia expulsi ab Hunnis, ex quo vero, cedentibus Wandalis, & deuictis Sueuis, cœperunt regnare in Hispaniis, annis circiter ducentis quinquaginta sex euolutis. Regnum vero tertiæ partis Hispaniarum quod dicitur Gallicienſium, quod nec tunc Wisigothi, nec postea Sarraceni potuerunt subigere, adhuc viget incolume, & Dei protegente fide manet inexpugnabile.

¶ *Regnum Wisigothorum finitum est.*

| 4 | 2 | 2 | 11 | 30 | 21 | 721

Haumar Ammiras moritur, post quem Gizid Sarracenis principatur annis 3.

Mortuo Lothario rege, Carolus Chilpericum ab Eudone per legatos recipit, eumque sibi regem facit.

Ossa sancti Augustini Hipponẽsis episcopi olim trãslata ad Sardiniam, vastata modo à Sarracenis Sardinia, Linthprandus rex Longobardorum, dato magno pretio, transfert Papiam.

| 5 | 1 | 1 | 12 | 31 | 22 | 722

Leo imperator sæpe & multum laborauit, vt Gregorius papa perimeretur, sed frustra, Italis & Longobardis pro defendendo papa instanter imperatori resistentibus.

In Campania Italiæ frumentum combustum, & ordeum & legumina quasi pluuia de cœlo ceciderunt.

Carolus Raginfredum persequens Andegauis obsidet, eamque captam victo Raginfredo ad habitandum concedit, & totius regni principatum recipit.

Linthprandus rex Rauennam obsidet, classe Rauennatium captam ciuitatem destruit.

| 6 | 2 | 2 | 13 | 32 | 23 | 723

Carolus Saxones debellat.

Rigobertus episcopus Remensis à Carolo, suo in baptismate filio, ab episcopatu deponitur, pro eo quod illi contra Raginfredum eunti vrbem Remensem præ timore Raginfredi aperire noluit.

Eucherius quoque Aurelianensis episcopus pro simili causa episcopatu priuatus, & apud Sarcinium vicum Hispaniæ epulatus, in Cœnobio sancti Trudonis in sanctitate consummatus est.

| 7 | 3 | 3 | 14 | 33 | 24 | 724

Carolus Baioarios armis subiugat.

Iudæus quidam maleficus, promittens Gizid eum 40 annis principaturum, suadet vt in toto regno suo Dei sanctorumq; imagines deponi edicat. Qui spe diu regnandi seductus, edictum quidem proponit, ipse tamen mox obiit, post quem Eluelid principatur Sarracenis annis viginti.

| 8 | 1 | 4 | 15 | 34 | 25 | 725

Anni Domini.	Romanor.	Sarracenor.	Francor.	Longobardor.	Anglorum.	Bulgaror.

Leo imperator à quodam Beſer refuga fidei ſeductus, contra imagines Chriſti & ſanctorum eius bellum indicit, eaſque vbiq; deponi & incendi edicit: pro quo errore eum Gregorius papa ſcriptis multum quidem, ſed in vanum redarguit.

Carolus contra Lanfridum Alemannorum ducem dimicat, eoque victo Alemanniam ſibi ſubiugat.

| 726 | 9 | 2 | 5 | 16 | 35 | 26 |

Mortuo Chilperico, Carolus Theodericum ſibi regem facit, qui regnat annis 15.

| 727 | 10 | 3 | 1 | 17 | 36 | 27 |

Carolus Saxones debellat.

Conſtantinopolitani contra Leonem imperatorem pro depoſitione imaginum Dei tumultuantur, aliqui etiam pro hoc martyrizantur.

Carolus Sueuos & Baioarios debellat.

Wirech rex Anglorum obiit, filiumque ſuum Hildebertum hæredem regni relinquit.

Cormeſius Bulgaribus dominatur.

| 728 | 11 | 4 | 2 | 18 | 1 | 1 |

Carolus Ligeri tranſito Eudonem ducem Aquitaniæ bello victum fugat, & Aquitaniam grauiter deuaſtat.

Gregorius papa, quia Leonem imperatorem incorrigibilem vidit, Romam & Italiam & Heſperiam totam ab eius iure deſcire facit, & vectigalia interdicit.

| 729 | 12 | 5 | 3 | 19 | 2 | 2 |

Eudo dux, Carolo per omnia inferior, Sarracenos contra eum inuitat ab Hiſpania.

Sanctus Germanus Leoni imperatori pro impietate ſua auerſus, à ſede epiſcopali eſt deiectus.

Coctus Theberth Anglorum presbyter obiit, qui mira ſanctitate claruit.

| 730 | 13 | 6 | 4 | 20 | 3 | 3 |

Sarraceni cum omnibus famulis ſuis quaſi in Galliis habitaturi, Garunnam tranſeunt, omnia deuaſtant, eccleſias Dei cremant. Quibus Carolus Dei auxilio fretus bello concurrit, & ex eis trecenta octogintaque millia cum rege ſuo Abdirama peremit, & mille quingentos ſuorum amiſit.

Eudo quoque Carolo reconciliatus, caſtra Sarracenorum irrupit, & reliquias eorum contriuit.

Mortuo Oſtrich rege Nordanimbrorum, Cednulfus ei ſuccedit.

| 731 | 14 | 7 | 5 | 21 | 4 | 4 |

Gregorius Romanæ eccleſiæ 89 præſidet, qui & ipſe Leonem imperatorem erroris redarguit, & populum Romanum & vectigalia Heſperiæ ab eo auertit. Hic conſtituit, poſt primam commemorationem ſanctorum in canone Miſſæ à ſacerdote ita dicendum: Et eorum quorum ſolennitas hodie in conſpectu tuæ maieſtatis celebratur, Domine Deus noſter toto orbe terrarum, quam inſtitutionem in oratorio Romæ tabulis lapideis conſcribi fecit.

Ragnifredus rex moritur in Anglia.

Beda venerabilis presbyter, & monachus, ſanctitate & ſciẽtia clarus, obiit.

Carolus, Lugduno aliisque ciuitatibus captis, Burgundiam ſibi ſubiugat.

| 732 | 15 | 8 | 6 | 22 | 5 | 5 |

Conſtantinus filius Leonis imperatoris Irenen filiam Caiam Auarorum ducis vxorem ducit, quæ baptizata viro ſuo apoſtatante rectam fidem tenuit.

Carolus in Waſconia cum Eudone pugnat, eumque principatu & vita priuat.

Linth-

| Romanor. | Sarracenorum. | Francorum. | Longobardorum. | Bulgarorum. | Anni Domini.

Linthprandus rex de iure Romano pontificis multas vrbes & castella tulit.

Cednulfus Nordanimbrorum rex capitur, & in clericum tondetur, & post hoc in regnum remittitur.

| 16 | 9 | 7 | 23 | 6 | 6 | 733

Gregorius papa synodum nongentorum trium episcoporum Romæ congregat, & venerationem sanctarum imaginum confirmat, earumq; violatores generali sententia anathematizat.

Carolus, Waifero & Huualdo filijs Eudonis dimicando victis, Aquitaniam sibi subiugat.

| 17 | 10 | 8 | 24 | 7 | 7 | 734

Carolus Frisiam aggressus, Poponem ducem Frisonum cum multis peremit, & Frisiam sibi subiugat.

| 18 | 11 | 9 | 25 | 8 | 8 | 735

Carolus Auennionem Galliæ vrbem à Sarracenis dolo & consensu Maruntij prouinciæ ducis captam obsidet, eaq; fortiter recepta, Sarracenos vsq; ad internicionem delet.

Obijt sanctus Hubertus episcopus.

¶ *Abhinc regnum Anglorum annotare supersedeo, quia historias maiorum quas sequar, non habeo.*

| 19 | 12 | 10 | 26 | 9 | 736

Sarracenorum rege Athima obsesso intra Galliæ vrbem Narbonam à Carolo, Sarraceni ex Hispania cum alio rege Amoræi occurrunt subsidio. Qui congressi Carolo ambobus regibus peremptis, & ciuitate recepta eb eo, vltimo pene attriti sunt exterminio, eumq; insequentem fugientes residui demersi sunt in profundo.

| 20 | 13 | 11 | 27 | 10 | 737

Carolus Nemausum, Agathem, aliasq; Gothicæ regionis vrbes à Sarracenis inuasas capit, & solotenus destruit.

Sanctus Erminus Episcopus & abbas Lobiensis cœnobij obijt.

| 21 | 14 | 12 | 28 | 11 | 738

A relato vrbe Galliarum capta à Sarracenis, & omnibus circumquaq; demolitis, Carolus ascito sibi ad auxilium Linthprando rege Longobardorum eis occurrit, eosq; terrore nominis sui in fugam vertit. Sic Sarracenis qui totam pene Asiam, totam Libyam, multamq; partem Europæ inuaserant, Carolus Dei auxilio sua industria Francorumque fortitudine, omnem spem inuadendi Gallias abstulit.

Trasamundus dux Spoleti contra Linthprandum rebellans, ad Romanos confugit.

| 22 | 15 | 13 | 29 | 12 | 739

Carolus Mauricium prouincię ducem, qui inuitauerat Sarracenos, debellat, & Prouinciam sibi subiugat.

Linthprandus rex pro refugio Trasamundi Romam grauiter vexat.

| 23 | 16 | 14 | 30 | 13 | 740

Carolus Saxones tributarios sibi facit.

Signa in Sole & Luna & Stellis apparent.

| 24 | 17 | 15 | 31 | 14 | 741

Post Theodericum regem Francorum regnat Hildericus annis 9.

Leone imperatore mortuo, Constantinus filius eius imperat annis 35.

Pacato & dilatato regno Francorum, Carolus bellicosus princeps obijt, & filios suos Carlomannum, & Pipinum, principatus sui successores reliquit.

Constantinopolis terræmotu per integrum annum nimis grauatur.

Anni Domini.	Romanorum.	Sarracenorum.	Francorum.	Longobardor.	Bulgarorum.
742	1	18	1	32	25

Zacharias Romanæ ecclesiæ 89 præsidet. Hic quia Rempublicam à Longobardis perturbatam inuenit, statim beneuolentia sua bene omnia composuit, & cum Longobardis in 20 annos pacem firmauit. Hic libros dialogorum Gregorij de Latino in Græcum vertit.

Linthprandus rex Longobardorum moritur. Hildebrando quem ipse regem designauerat, à Longobardis reprobato, Rachis regnat post eum annis septem.

Pipinus princeps Hunaldo duci Aquitaniæ sibi rebellanti obuiat, Carlomannus vero Alemanniam deuastat.

Artabasdus contra Constantinum imperium arripuit.

Sanctus Bonifacius Archiepiscopus Moguntiæ cœnobium Fuldense in Bachonia sylua fundat.

743	2	19	2	1	16

Carlomannus Saxoniam petit, castrum Hoscoburch capit, Theodericum Saxonem pacis obsidem accipit.

Ogdilo dux Baioariæ rapta sorore Pipini contra eum rebellat, quem Pipinus pugna quamuis damnosa superat.

744	3	20	3	2	17

Constantinus Artabasdum capit, & ei multisque amicorum eius oculos eruit.

Eluelid Ammiras moritur, Girid Sarracenis anno vno principatur.

Cinis de cœlo cecidit.

745	4	1	4	3	18

Pipinus Theodoaldum filium Godefridi ducis debellat.

Girid perempto Hiscens principatur Sarracenis anno vno.

Petrus Damascenus episcopus, & Petrus Mauimenus in Syria martyrizantur à Sarracenis.

Persecutione post lapidationem Stephani protomartyris mota, Maximinus vnus de 70 Christi discipulis ad Gallias transiens, Mariam Magdalenam secum abduxit, & eam apud Aquensem vrbem cui præsidebat, sepeliuit defunctam. Aquensi vero vrbe à Sarracenis desolata, corpus ipsius Mariæ à Girando comite Burgundiæ ad cœnobium Viceliacum à se constructum transfertur, quanquam aliqui scribant, quod hoc apud Ephesum quiescat, nullum super se regimen habens.

746	5	1	5	4	19

Carlomannus frater Pipini regis, Romæ à Zacharia papa in monachum attonsus, primo in Soracte monte, in cœnobio quod ipse fundauit, deinde apud castrum Cassinum laudabili vita enituit.

Athalongus presbyter per illatam sibi cæcitatem admonit⁹ quærere corpora sanctorum Quilliani sociorumque eius, inuentis sanctorum corporibus visum recepit. Eaq; re sanctus Bonifacius Moguntiæ episcopus ab Athalongo ad se relata, castrum Wisiburch ad honorem Quilliani martyris, qui ad prædicandum ibi à papa Conone episcopus ordinatus fuerat, ibiq; mortis & quietis locum acceperat, episcopalis sedis priuilegio insigniri decreuit, primumq; ibi episcopum sanctum Burchardum ordinauit.

Muruhan principatur Sarracenis annis sex.

747	6	1	6	5	20

Pipinus Grifonem fratrem suum contra se rebellantem persequitur.

Sarraceni intestino bello colliduntur.

748	7	2	7	6	21

Pipinus Grifonem in Saxonia, & eius complices Thassilonem, Lanfridum, & Sindiger bello victos capit, & Thassilonem quidem Baioariæ ducem facit,

| Romanor. | Sarracenorum. | Francorum. | Longobardorum. | Bulgarorum. | Anni Domini.

facit, Grifoni vero in Neuſtria 12 comitatus concedit, quod illi non ſufficit, ſed ad Waiferum in Aquitaniam fugit.

In Calabria & Sicilia fit peſtilentia & mortalitas hominum nimia.

In veſtibus hominum & in velis eccleſiarum apparent cruciculæ, quaſi oleo deſignatæ.

| 8 | 3 | 8 | 7 | 22 | 749

Rachis Longobardorum rex, dum rupto fœdere Romam inquietare nititur, à Zacharia papa non ſolum à malo reprimitur, ſed etiam eius inſtinctu cum vxore & filijs Romam veniens monachus efficitur, cui Aiſtulfus frater eius ſubſtitutus, regnauit annis 7.

| 9 | 4 | 9 | 1 | 23 | 750

Hildericus rex Francorum in monachum tonſoratur, Pipinus vero princeps auctoritate Apoſtolica & Francorum electione à ſancto Bonifacio Moguntiæ archiepiſcopo in regem vngitur & conſecratur, & regnat annis 18, poſt annos circiter octoginta octo, poſtquã maiores domus cœperunt principari ſuper reges Francorum.

| 10 | 5 | 1 | 2 | 24 | 751

Pipinus rex contra Saxones pugnat. Idem Pipinus rex Galliarum eccleſias cantibus Romanæ auctoritatis ſuo ſtudio meliorauit.

Grifo frater Pipini perimitur, & Remigius eiuſdem Pipini regis frater Rodomenſis archiepiſcopus in Gallia claret.

| 11 | 6 | 2 | 3 | 25 | 752

Stephanus Romanæ eccleſiæ 90 præſidet.

Muruha Ammira perempto, Muhamad principatur Sarracenis annis quinque.

Aiſtulfo Longobardorum rege contra Romanos adeo exardeſcente, vt tributum exigeret ab vniuſcuiuſq; capite, Stephanus papa ad expetendum Pipini regis auxilium cogitur in Franciam venire. Cui in veniendo in vna noctium apparuit magnum ſignum in cœlo, globus ſcilic. igneus à parte Auſtrali, declinans à Galliæ finibus in partes Longobardorum. Mittitur etiam Carlomannus monachus ab Aiſtulfo ad fratrem ſuum Pipinum regem, ad perturbandam Apoſtolicam petitionem. Pipinus à Stephano papa cum filijs ſuis Carlomanno & Carolo in regem vngitur, & per eos generatio eorum in hæreditatem regalis ſucceſſionis in perpetuum benedicitur, & omnis alienigena ab eius inuaſione apoſtolico anathemate interdicitur.

Anſelmus vir illuſtris, cuius ſoror erat vxor Aiſtulfi regis, transfert corpus ſancti Sylueſtri papæ ad cœnobium Monantulam à ſe fundatum.

| 12 | 1 | 3 | 4 | 26 | 753

Pipinus Rex Italiam aggreditur: exercitus Aiſtulfi à Francis vincitur: Aiſtulfus pacem facere cũm Romanis ad nutum Francorum compellitur.

Carlomannus monachus oſſa ſancti Benedicti abbatis ab eccleſia Floriacenſi, vbi olim translata fuerant, tollere nititur, vt ea ad caſtrum Caſſinum referret, ſed miraculis à Deo oſtenſis, & Francis obſiſtentibus, ab incepto prohibetur.

Hoc tempore terræmotus terribilis factus eſt, quo vrbes, aliæ quidem ex toto, aliæ ex parte, ſubuerſæ ſunt, aliæ autem à montanis ad ſubiecta campeſtria cum muris & habitationibus ſuis integrę & ſaluæ, pluſquam ſex miliaria tranſmigrauerunt.

In Meſopotamia etiam terra dirupta vſq; ad duo milliaria, aliaq; terra minus alba & harenoſa de profundo aſcendit, & ex ea animal mulinum aſcendit incontaminatum, humana voce loquens, pronuncians incurſionem gentis ab eremo aduerſus Arabes.

Anni Domini	Romanor.	Sarracenorum.	Francorum.	Longobardorum.	Bulgarorum.
754	13	2	4	5	27

Carlomannus monachus Wiennæ moritur.

Sanctus Bonifacius Moguntiæ Archiepiscopus cum socijs suis in Frisia ab inimicis fidei martyrizatur,& in Fulda cœnobio, quod ipse in Thuringia fundauerat,honorifice tumulatur.

755	14	3	5	6	28

Constantinus imperator Constantinopoli synodum trecentorum triginta episcoporum congregat,in qua edicto promulgato de imaginibus Dei & sanctorum eius deponendis ecclesiam Dei nimis scandalizat, & contra orthodoxos tyrannizat.

Aistulphus rex rupto pacis fœdere, Romam obsidet. Pipinus rex Italiam repetens, cum Papiæ inclusum obsidet,& inuitum ad fœdus pacis repetendum compellit, & sancto Petro quæcunque sui iuris erant, restitui integre fecit.

Fulradus abbas sancti Dionysij Parisiensis corpus sancti Viti martyris à Roma Parisios transtulit.

756	15	4	6	7	29

Thassilo dux auunculo suo Pipino regi reconciliatur.

Aistulfus rex Longobardorum iudicio Dei percussus moritur, cui Desyderius substituitur,& regnat annis 18.

757	16	5	7	1	30

Paulus Romanæ ecclesiæ 9 1 præsidet.

Habdalas principatur Sarracenis annis 19.

Pipinus fortiter Saxonum munitiones irrumpit, & post multam stragem eos sub tributo redigit.

758	17	1	8	2	31

Waiferus filius Eudonis dux Aquitaniæ, rex Francorum iniuste vexando iram Pipini incurrit,eoq; Aquitaniam aggresso,fœdus victæ pacis init.

Walpertus abbas in Italia, Crodogandus Metensium episcopus, Pipini regis ex Landrada sorore nepos, clarent in Gallia, qui Gorziam cœnobium fundauit in Metensi parochia.

Corpus sanctæ Petronilæ,Petri Apostoli filiæ, à Paulo papa transponitur, in cuius marmoreo sarcophago ipsius Apostoli Petri manu sculptum legebatur: *Aureæ Petronilæ dilectissimæ filiæ.*

759	18	2	9	3	32

Habdala persequente,ecclesia Dei grauiter perturbatur.

Waifero à pacis fœdere auerso, Pipinus rex Aruernicum pagum depopulando premit,& multa castella ipsamq; vrbem Aruernis capit, & Blandinum vrbis comitem cum multis abducit.

Sanctus *Burgundia,qui etiam martyrij claruit gloria.

760	19	3	10	4	33

Pipinus Bituricas vrbem cepit,& captam munit.

Theleſis Bulgaribus dominatur.

761	20	4	11	5	1

Chilpingus Aruernensis,& Amingus Pictauensis, comites, congressi militibus Pipini,perimuntur cum multis.

Caput Ioanis Baptistæ in Edisseam ciuitatem transfertur.

762	21	5	12	6	2

A Constantino imperatore multi martyrizantur.

Theleſis Constantino imperatori congressus cum multo Bulgarorum damno & opprobrio vincitur,& ob hoc à Bulgaribus reprobatus, cum principibus gentis ab eis perimitur.

Sabinus

| Romanorum. | Sarracenorum. | Francor. | Longobardor. | Bulgarorum. | Anni Domini.

Sabinus post eum Bulgaribus dominatur.
Thassilo dux à rege Pipino omnino auertitur.
Turci à Caspijs portis erumpentes, Armeniam infestant. In quorum patria cum antiquo tempore pestilentia fuisset, suasu Christianorũ in modum crucis se totonderunt; & qa per hoc signum salus patrię reddita est, hunc tondendi ritum tenuerunt.
Waiferus diffidens suis rebus, muros vrbium Aquitaniæ subuertit solotenus, quos restaurans Pipinus, ad suorum tutelam fidis commisit principibus.

| 22 | 6 | 13 | 7 | 1 | 763

Pipinus rex Lemouicinam regionem cæde & incendio depopulatur.
Sabinus Bulgar cum Romanis fœdus inijt, pro quo à suis repudiatus ad imperatorem fugit.
Paganus Bulgaribus dominatur.
Gelu magnum à Calend. Octob. vsq; ad Februarium.
Stellæ subito visę de cœlo cecidisse, ita vt omnes exterruerint, vt putarent finem mundi imminere.

| 23 | 7 | 14 | 8 | 1 | 764

Chrodogandus episcopus corpora martyrum, Gorgonij, Naboris, Nazarij, Roma ad Gallias transtulit, & Gorgonium quidem in Coriza, Naborem in Hilliriaco, Nazariũ autem reposuit in cœnobio Lorisham, quod Canthur comes illustris à se fundatum Metensi ecclesiæ priori anno tradiderat.

| 24 | 8 | 15 | 9 | 2 | 765

Pipinus rex Agennum, Petragoram, & Engolismam vrbes Aquitaniæ deuastat, multamq; Aquitaniæ partem sibi subiugat.
Chrodogandus Metensium episcopus obijt.
Tempore Constantini imperatoris & Irenes vxoris eius in Syria, ciuitate Beryto quæ subiacet Antiochiæ, Iudæi imaginem saluatoris Domini nostri Iesu Christi inuenientes in domo cuiusdam Iudæi, ibi relictam à quodam Christiano eam iniuriose deposuerũt, & omnia opprobria quæ Iudæi Christo Iesu intulerunt, eius imagini inferebant, illudentes ei, in faciem conspuentes, criminose conuitiantes, eamq; percutientes, manus & pedes eius clauis cõfigentes, acetum & fel ei porrigentes, tandem latere eius aperto exiuit de eo sanguis & aqua. Quod illi supposita ampulla suscipiẽtes ad experimentum, vtrum fuerint vera miracula quæ Iesum fecisse audierant, omnes infirmos in synagoga sua collectos, hoc sanguine aspergebant: & à quocunq; languore detinebantur, omnes sanabantur. Vnde tandem Iudæi compuncti, ad Adeodatum ciuitatis episcopum omnes concurrerunt; eiq; re enarrata imaginem cum sanguine ei dederunt. Quibus baptizatis, episcopus sanguinem per ampullas diuisum longe lateq; dirigens. prædicabat magnalia Dei, obtestatus omnes, vt singulis annis, quinto Id. Nouembr. celebretur passio Dominicæ imaginis.

| 25 | 9 | 16 | 10 | 3 | 766

Constantinus imperator & Habdalas Ammiras pari vesania in Orthodoxos desęuiunt, multosq; eorum pro Christo perimunt. Constantinus insuper ægre ferens gloriam sanctorum miraculis coruscantium, etiam lipsana eorum vbiq; iubet effodi, & iactari in profundum.
In præsentia Pipini regis inter Græcos & Romanos celebratur synodus de sancta trinitate, & sanctorum imaginibus.
Pipinus rex Remistanium fratrem Eudonis, patruum scilicet Waiferi, qui à Waifero ad se & à se ad Waiferum transfugerat, captum à suis in bello suspendit in patibulo.

| Anni Domini. | Romanor. | Sarracenorum. | Francorum. | Longobardorum. | Bulgarorum. |

Rex Sarracenorum Amirmonon, ab Hiſpania, miſſis legatis, & muneribus datis & acceptis, affectat gratiam & amicitiam Pipini regis.

767 | 26 | 10 | 17 | 11 | 4 |

Pipinus vltimo exterminio Aquitaniam atterit, Santonas capit, ibiq; Waiferi matrem, ſorores & neptes captas ſecum abducit.

Romæ Paulo papa mortuo, Conſtantinus quidam ſubito ordinatur ſacerdos ex laico, & tyrannica ambitione papatu inuaſo eccleſiæ Dei magno fuit ſcandalo. Contra hunc Philippus à quibuſdam Romanorum papa conſtituitur, & non multo poſt deponitur.

768 | 27 | 11 | 18 | 12 | 5 |

Longa contentio inter Pipinum & Waiferum finitur, quia Waiferus à ſuis malorum pertæſis in gratiam Pipini perimitur, & non multo poſt Pipinus moritur. Carolus filius eius pro felicitatis magnitudine agnominatus eſt Magnus: compartito cum fratre ſuo Carlomanno regno, regnat poſt eum annis 47. Et Carolus quidem Nouiomi regiam accepit coronam, Carlomannus vero in vrbe Sueſſonica.

Conſtantino pſeudopapa per zelum fidelium ab eccleſia deturbato, oculiſque priuato, Stephanus Romanæ eccleſiæ 92 præſidet. Hic tam à Gallia quam ab Italia epiſcoporum ſynodum Romæ congregat, in qua omnia à Conſtantino ordinata reordinat, præter baptiſmum & chriſma: decernente ſynodo, vt epiſcopi ab illo conſecrati ad gradum quem ante hanc conſecrationem habebãt redirent, & ſi digni iudicarentur, iterum electi iterum conſecrarentur; presbyteri vero ac diaconi ab illo conſecrati ſimiliter ad priorem gradum redirent, & ipſi ſi digni eſſent, iterum quidem conſecrarentur, ſed ad altiorem gradum vel ordinem nunquam aſcenderent; laici vero ab illo in diaconos vel presbyteros ordinati omnino degradarentur, & in religioſo habitu perſeuerarent. Venerationem etiam ſanctarum imaginum confirmat, earumque prophanatores anathematizat. Conſtituit etiam, vt in omni die Dominico ad Miſſam GLORIA IN EXCELSIS DEO cantetur.

769 | 28 | 12 | 1 | 13 | 6 |

Humaldo in Aquitania rebellionem meditante, Carolus Aquitaniam petit, omneſq; Aquitanios & Waſcones in deditionem accipit. Hunaldum qui ad Lupum Waſconum ducem fugerat, à Lupo ſibi cum vxore remiſſum abducit, & ſic Aquitanicum bellum finit.

Deſyderius rex Longobardorum ſub obtentu orandi Romam ingreſſus, aliquos nobilium Romanorum captos excæcauit.

770 | 29 | 13 | 2 | 14 | 7 |

Conſtantinus imperator omnino à Deo auerſus, virum ſanctum Stephanum per quadraginta annos incluſum, etiam gentilibus reuerendum amara morte martyrizauit. Omnes ſibi ſubiectos iurare coegit ſuper ſanctæ crucis lignum, ne aliquam Dei ſanctorumque eius imaginem venerarentur, eos qui vigilias Deo agebant, eos qui eccleſijs aſſueti religioſe viuebant, eos qui Dei genitricem inuocabant, eos qui à iuramentis & immundicijs abſtinebant, eos qui reliquias ſanctorum penes ſe habebant, hos & huiuſmodi damnans patrimonijs priuabat, & omnibus modis cruciabat. Qui reuerentiores erant eorum, barbis cera & pice illitis eos amburebat, monachos vxores, & monachas vt viros ducerent, cogebat. Quod multi vitantes martyrium meruerunt: nec ſub alicuis gentilis perſecutione plures quàm ſub hoc martyrizati ſunt.

Thelerigus Bulgaribus dominatur.

771 | 30 | 14 | 3 | 15 | 1 |

Carloman-

| Romanorum. | Sarracenorum. | Francorum. | Longobardor. | Bulgarorum. | Anni Domini.

Carlomannus rex regis Caroli frater obiit. Pars regni eius partibus Caroli se vnit. Vxor eius cum filiis & Anthario Franco ad desyderium regem Italiæ confugit.

Hunaldus dux Aquitaniæ Romam quasi ibi perseueraturus venit. Qui ad Longobardos fugiens apostatauit, ibique non multo post lapidibus obrutus, male periit.

Constantinus imperator contra Bulgares nauali prælio pugnaturus, nauibus suis fere duobus millibus impetu Aquilonis contritis, totum pene amisit exercitum.

| 31 | 15 | 4 | 16 | 2 | 772

Adrianus papa Romanæ ecclesiæ 93 præsidet. Hic ad reprimendam rabiem hæreticorum, imagines Dei sanctorumque execrantium, nimis laborauit. & libro aduersus eos edito, multis scripturarum inductionibus roborato eorum errores infirmauit, fidemque rectam solidauit. Hic in offertoriis, & offertoriorum versibus, quod geminatum est geminauit.

Carolus rex ad Saxonicum bellum animum intendit, Heresburch castrum Saxonum capit, Hormensul fanum destruit, ibiq; siti laborante exercitu subito in torrente largissimæ aquæ effusæ sunt diuino nutu, votique compos Carolus obsides pacis accepit à Saxonibus.

| 32 | 16 | 5 | 17 | 3 | 773

Adrianus papa ad tuendas res ecclesiæ Carolum Romam accersit. Quo pergens Papiam obsidet, ibique relicto exercitu Romam peruenit, sanctam Resurrectionem ibi peregit, postea rediens Papiam cepit. Iterumq; Romam rediit, synodum constituit cum Adriano papa, aliisq; 153 religiosis episcopis & abbatibus, in qua Adrianus papa cum vniuersali synodo dedit ei ius eligendi Pontificem, & ordinandi apostolicam sedem, dignitatem quoq; principatus: insuper archiepiscopos & episcopos per singulas prouincias ab eo inuestituram accipere definiuit, & vt nisi à rege laudetur & inuestiatur episcopus, à nemine consecretur; omnesque huic decreto rebelles anathematizauit, & nisi resipiscerent bona eorum publicari.

| 33 | 17 | 6 | 18 | 4 | 774

Saxones rupto pacis fœdere Francorum fines premunt igne & cæde, sed tamen ecclesiam in Fritislar non queunt incendere, quam sanctus Bonifacius benedixit, eamque nunquam cremandam prædixit.

Carolus Saxoniam repetens, tripartito exercitu concurrit Saxonibus, eique victoria prouenit in omnibus.

Carolus rex offensus dissonantia ecclesiastici cantus inter Romanos & Gallos, iudicãs iustius esse de puro fonte, quam de turbato riuo bibere, duos clericos Romam misit, vt authenticum cantum à Romanis discerent, & Gallos docerent, & primo per hos Metensis ecclesia, & per illam omnis Gallia ad auctoritatem Romani cantus reuocata est.

Inter obsidendum rex Carolus diuiso exercitu multas vrbes vltra Padum comprehendit, inter quas Veronam capit, in qua Antharius Francus cum vxore Carlomanni & filius eius latens se cum eis regi dedit. Adelgisus vero Desyderij regis filius qui illuc fugerat, inde elapsus Constantinopolim fugit.

Obsidionem Papiensium pestilentia mortalitatis aggrauante, ciuitas regi Carolo aperitur.

Desyderius rex cum vxore & filia & cunctis principibus capitur, & perpetuo exilio ad Gallias à Gilfredo Laodicensiũ episcopo dirigitur. Quicquid per multa tempora Longobardi Romanis abstulerant, Carolus eis restituit. Regno vero Longobardorum destructo, totam Italiam sub iure regni Fran-

Anni Domini.	Romanorum.	Sarracenorum.	Francorum.	Bulgarorum.

corum redigit. Taliter Longobardi victi regnare destiterunt, post annos ducentos quatuor, ex quo in Italia regnare cœperunt.

¶ *Regnum Longobardorum finitur.*

| 775 | 34 | 18 | 7 | 5 |

Constantinus imperator contra Bulgares vadit, sed pax inter eos conuenit. Non multo post autem rupto à à Bulgaribus pacto, imperator eos eximprouiso aggressus, nobiliter de eis triumphauit.

Carolus rex Segeburch castrum Saxonum capit, ter cum eis confligit, & victor obsides pacis ab eis accepit.

| 776 | 35 | 19 | 8 | 6 |

Constantinus imperator plaga pessimi incendij diuinitus percutitur, & clamans, Adhuc viuus igni sum inextinguibili traditus, miserabiliter moritur, post quem filius eius Leo imperat annis quinque.

Habdalas etiam Ammiras moritur, post quem Mady Sarracenis imperat annis nouē. In Italia quibusdam rebellionem meditantibus, Italiam repetit. Potens rex Carolus vrbem Forum Iulij capit, & ducem eius Rotgandum rebellionis incentorem decollari præcipit, captaq; Taruisio vrbe cæteris maiestate sui nominis terrorem incutit.

Saxonibus Heresburch castrum obsidentibus, gloria Dei super ecclesiam apparuit omnibus, duobus scilicet scutis sanguineo colore flammantibus, quosdam motus vt in bello per aera dantibus.

Carolus Saxoniam velut tempestas proterit, munitiones irrumpit, & ad hoc eos impellit, vt & se & patriam ei dedant, & datis obsidibus se Christianos futuros spondeant.

| 777 | 1 | 1 | 9 | 7 |

Winthichindus dux Saxonum in Normanniam fugit. Saxones baptizati paciscuntur, vt ingenuitatem suam & omnia sua perdant, si vnquam a fidelitate Christi & regis desistant.

| 778 | 2 | 2 | 10 | 8 |

Carolus in Hispania Cæsaraugustam vastando delet, Pampilonam obtinet, eiusque captæ muris destructis, Wascones duosque Sarracenorum reguli os sibi subiicit, aliasque vrbes in deditionem accipit.

Saxones suasu Winthichindi Franciam atterunt, sed à Carolo victi, fuga sibi consulunt.

Thelericus Bulgar ad Leonem imperatorem fugit, quem baptizatum imperator patricium facit.

Tardamus Bulgaribus dominatur.

| 779 | 3 | 3 | 11 | 1 |

Leo imperator Syriam incursat.

Carolus rex in Saxonia Westphalos sibi subiugat.

Hilterandus dux Spoleti Carolo regi se subdit, eiusq; gratiam multis muneribus redimit.

| 780 | 4 | 4 | 12 | 2 |

Carolus rex Albiam fluuium transgreditur, ibique in eius gratiam Bardogauenses & Norduitæ baptizantur.

Thassilo dux Baioariæ contra Carolum regem rebellat hortatu vxoris suæ, quæ filia erat Desyderij regis, & exilium patris sui per maritum suum vindicare tentabat.

Obiit sanctus Sturmi primus abbas Fuldensis.

| 781 | 5 | 5 | 13 | 3 |

Leo imperator cum insaniret cupiditate circa pretiosos lapides, adamauit

| Romanorum. | Sarracenorum. | Francorum. | Bulgarorum. | Anni Domini. |

uit magnam ecclesiæ coronam, & accipiens portauit eam, & exierunt carbunculi in capite eius, & captus à febre mortuus est. Post quem vxor eius Irene cum filio eius Constantino imperat annis decem.

Mady Ammiras multos vtriusque sexus pro Christo martyrizat.

Carolus rex orationis causa Romam vadit, ibique filij eius vnguntur in reges, Pipinus super Italiam, & Ludouicus super Aquitaniam.

Thassilo dux Baioariæ ab Adriano papa Carolo regi reconciliatur.

| 1 | 6 | 14 | 4 | 782 |

Constantinopoli quidam laminam auream inuenit, & in ea virum iacentem cum hac scriptura: Christus nascetur ex virgine Maria, & credo in eum. Sub Constantino & Irene imperatoribus o Sol iterum me videbis.

Saxones rebellant, & à Carolo bello victi, seditiosos vsque ad quatuor millia quingentos ei tradunt, & obsides ei tribuunt.

| 2 | 7 | 15 | 5 | 783 |

Item Saxones rebellant, & à Carolo rege victi, pene vsque ad internicionem delentur.

| 3 | 8 | 16 | 6 | 784 |

Saxones & Frisones rebellant & vincuntur.

Westphali à Carolo Caroli regis filio debellantur.

| 4 | 9 | 17 | 7 | 785 |

Mady Ammiras moritur, post quem Moyses Sarracenis annis duob. principatur.

Carolus Saxoniam depopulatur.

Winthichindus & Albion duces Saxonum Carolo reconciliati baptizantur, & motus Saxonum reprimuntur.

| 5 | 1 | 18 | 8 | 786 |

Carolus rex Adulphum Senescalcum suum contra Britones mittit, & per eum multa Britonum castra & principes eorum capit.

Signum crucis in vestibus hominum apparebat.

| 6 | 2 | 19 | 9 | 787 |

Moyses Ammiras moritur, post quem Aaron frater eius Sarracenis annis 21 principatur.

Carolus rex Romam venit, & contra Heregisum Beneuenti ducem vadit. Heregisus muneribus & obsidibus datis gratiam eius redimit.

Bellum inter Francos & Auaros oritur.

Sanguis de cœlo & terra profluxit.

| 7 | 1 | 20 | 10 | 788 |

Thassilo dux Baioariæ contra Carolum regem reus maiestatis adiudicatur, vnde à Carolo attonsus, cũ filio eius Theodone in monasteriũ relegatur.

In Italia inter Græcos & Romanos pugnatur.

Secundo in Italia inter Francos & Auaros pugnatur.

Tertio, inter Auaros & Baioarios pugnatur.

Quarto, inter Auaros & Francos pugnatur, & in omnibus Carolus suis proueniſſe victoriam lætatur.

Instantia Tharasij patriarchæ Constantinopolitani & Adriani papæ, secundo apud Niceam vniuersalis synodus 350 episcoporum congregatur, in qua fides catholica, in præsentia Irenes & filij eius Constantini, cunctorum subscriptione roboratur, & hæresis execrantium imagines Dei in perpetuum abdicatur.

Coniuratio valida facta est ab Austrasiis contra Carolum regem, auctore Harderico: qua detecta multi aut membris truncantur, aut exiliantur.

| 8 | 2 | 21 | 11 | 789 |

Anni Domini.	Romanorum.	Sarracenorum.	Francorum.	Bulgarorum.

Carolus Coloniæ ſuper Rhenum pontes duos conſtruit & munit, & Sclauiam ingreſſus, eam ſibi ſubigit.

Adelgiſus filius Deſyderij regis, qui victo patre ſuo ad Græcos confugerat, animatus auxilio Græcorum ad Italiam venit, aut ad repetendum regnũ, aut ad inferendam vltionem, qui inito bello cum Francis, detentus ab eis, amara morte peremptus eſt.

| 790 | 9 | 3 | 22 | 12 |

Carolus rex honeſtati eccleſiaſticæ omnino intentus, legendi & pſallendi diſciplinam diligenter correxit. Perpendens enim iterum, Gallos à Romanis in cantando diſcrepare, Metenſes vero ſola naturæ leuitate paululũ quid diſſonare, per cantores rurſus ſibi ab Adriano papa à Roma directos, diſſonantiam cantus correxit. Circa pauperes etiam ſolicitus, non ſolus in regno ſuo, verum etiam trans maria in Ægypto, in Syria, in Africa, præcipue in Hieroſolymis, liberalitate eleemoſynarum Chriſtianis pauperibus ſolatiabatur, tranſmarinorum regum amicitias ob hoc expetens, maxime vt Chriſtianis ſub eis degentibus eſſet releuatio.

Alchinius de Britannia oriundus, magiſter delicioſus regis Caroli, ſcientia literarum præpollet in Gallia, cuius præcipue magiſterio ipſe rex omnes artes liberales didicit. Hic multa ſcripſit, inter quæ eminent libri de ſancta Trinitate ſcripti ad ipſum regem. Hic etiam iuſſu ipſius regis diuinam correxit hiſtoriam.

| 791 | 10 | 4 | 23 | 13 |

Conſtantinus matrem ſuam Irenem imperio priuat, ſoluſque annis 7 imperat.

Carolus rex regnum Auarorum terra marique impetit, eiſque in ſola fuga ſpem euadendi relinquit.

| 792 | 1 | 5 | 24 | 14 |

Hoc tempore in Flandria principabatur Lidericus Harledecenſis pater Ingerranni, qui genuit Andracum patrem Balduini ferrei, qui duxit Inditham filiam Caroli calui.

Conſtantinus imperator congreſſus Chardamo Bulgari, turpiter victus dehoneſtatur. Chardamus ſublato regio omni apparatu ditatur.

Pipinus Caroli regis ex concubina filius gibbo deformis, à quibuſdam Francorum primoribus promiſſione regni illectus, contra patrem coniuratuit. Vnde conuictus tonſoratur, & in Prumia cœnobio retruſus, vſque ad finem vitæ Deo militauit.

Complices vero coniurationis alij exiliantur, pauci perimuntur.

| 793 | 2 | 6 | 25 | 15 |

Feliciana hæreſis condemnatur, & in præſentia Adriani papæ ab ipſo Felice auctore abdicatur. Hæc hæreſis aſſerebat, filium Dei in diuina natura verum Deum eſſe, in humana vero natura nuncupatiuum, item in diuina natura verum eſſe filium Dei, in humana vero adoptiuum, vnam perſonam Dei & hominis diuidens in duas perſonas, ſcilicet veri filij, & adoptiui.

Saxones in fide Dei & fidelitate regis vacillant.

| 794 | 3 | 7 | 26 | 16 |

Conſtantinus imperator multos principum ſibi ſuſpectos oculis priuat.

Carolus rex non ſolum patria lingua, ſed etiam peregrinis linguis eruditus, barbara & antiquiſſima carmina quibus veterum regum bella & actus canebantur, ſcripſit & memoriæ mandauit. Inchoauit etiam Grammaticam patrio ſermone. Menſibus anni iuxta propriam, id eſt Teutonicam, linguam vocabula impoſuit, ventos etiam duodecim propriis nominibus appellauit, cum antea quatuor tantum cardinales venti nominarentur.

4 8

Romanorum.	Sarracenorum.	Francorum.	Bulgarorum.	Anni Domini.
4	8	27	17	795

Saxones virtute Caroli conterriti, reddunt se Christi & regis fidelitati.

Carolus rex Christianam religionem sancte ac pie colens, ecclesias Dei omnimodis honorabat, & ornabat sacris vasis ac vestibus, edicens, vt nec ianitoribus quidem liceret communi habitu in ecclesia ministrare. Extruxit etiam Aquisgrani basilicam plurimæ pulchritudinis, ad cuius structuram à Roma & Rauenna columnas & marmora deuehi fecit.

| 5 | 9 | 28 | 18 | 796 |

Leo Romanæ ecclesiæ 94 præsidet. Qui mox clauum confessionis sancti Petri cum vexillo Romanæ vrbis Carolo regi misit.

Withan rex Abroditorum à Saxonibus perimitur.

| 6 | 10 | 29 | 19 | 797 |

Henricus dux Foroiulianorum expoliato in Pannonia Auarorum principe Yringo, inæstimabilem thesaurum eius misit regi Carolo.

Thudin princeps Auarorum se & patriam suam Carolo regi dedit, & gratiam baptismi percepit.

| 7 | 11 | 30 | 20 | 798 |

Irene imperatrix suo erepto sibi imperio fœmineo dolore abusa, Constantinum filium suum oculis & imperio priuat, & sola annis quatuor imperat.

Thatin Hispanus, Barcinonæ præfectus, se Carolo regi dedit, & Barcinonam quæ ab illo desciuerat, reddit.

Adelphon rex Galliciæ regi Carolo multa munera mittit.

Carolus rex Saxones graui prælio vincit.

Sol obtenebratus est per dies 17.

| 1 | 12 | 31 | 21 | 799 |

Constantinus imperator moritur.

In Hispania Barcinona Sarracenis reddita à Caroli militibus est obsessa.

Leonem papam, celebritatem litaniæ maioris agentem, Romani capiunt, linguam ei oculosque euellunt. Cui voce & visu reddito diuinitus, iterum oculos & linguam eruunt radicitus, qui de manu eorum erutus, ad Carolum fugit.

Henricus dux Forumiulianorum à suis perimitur.

| 2 | 13 | 32 | 22 | 800 |

Gens Auarorum à fide deficit.

Carolus rex Leonem papam in sede Romana relocat, ipse quoque Romam properat, causas examinat, reos legaliter damnat, sicque omnes Romanorum motus sedat.

Baleares insulæ auxilio Francorum à Sarracenis defensantur.

Per Widonem Caroli ducem Britones vincuntur, & in deditionem recipiuntur.

Gerardus dux Baioariæ in Pannonia Auaris congressus perimitur, de quo in visione Wethini legitur, quod inter martyres annumeratus sit.

In mense Iulio contra naturam aspersa & gelu concreta bis fuit pruina, sed nihil fructibus nocuit.

| 3 | 14 | 33 | 23 | 801 |

Romani qui ab imperatore Constantinopolitano iam diu animo desciuerant, nunc accepta occasionis opportunitate, quia mulier exacato imperatore Constantino filio suo eis imperabat, vno omnium consensu Carolo regi imperatorias laudes acclamant, eumque per manum Leonis papæ coronant, Cæsarem & Augustum appellant, Pipinum vero filium eius regem Italiæ ordinatum collaudant.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Constantinop.	Sarracenorum.	Bulgarorum.

Barcinona capitur.

Amymurlim rex Persarum Carolo imperatori elephantem & munera multa mittit.

In Italia quoque Theate ciuitas à Francis capitur.

Sanctus Saluus episcopus veniens ab Aquitania ad Fiscum Voluntianas, à Winigardo filio Genardi procuratoris ipsius Fisci martyrizatur, & super eius corpore requirendo Carolus Magnus imperator diuinitus tertio admonitus, corpus quidem inuentum honorifice sepeliuit, interfectores autem eius graui pœna mulctauit, nec tamen per hoc in eos vltio diuina cessauit,

¶ *Immutato ordine regnorum, immutandus est etiam ordo titulorum, quia ab hinc sub vno comprehendendum est regnum Francorum & regnum Romanorum. Et Constantinopolitanum regnum distinguendum est à regno Romanorum.*

EX quo Byzantium Thraciæ ciuitas, à primo Constantino in nouam ampliata est, & in regiam vrbem exaltata, & translata in illam omnis Romanæ dignitatis gloria, in sedem Romani imperij dedicata, & noua Roma est appellata, euolutis annis circiter 468, diuiso à Constantinopoli Romano imperio, Carolus primus Francorum imperauit Romanis annis 13.

802	1	34	4	15	24

Carolus imperator per omne imperium suum legatos ad faciendum iudicium & iustitiam cunctis dirigit, & legis capitula 23 instituit.

Legati imperatoris Caroli ab Aaron Ammira venientes inter cætera munera corpora etiam Cypriani Carthaginensis episcopi & martyris, & Speciosi primi Scillitanorum martyrum, & caput Panthaleonis martyris in Franciam afferunt.

Nicephorus Irenem imperio depositam exilio relegat, & ipse Constantinopoli annis 8 imperat.

803	2	35	1	16	25

Irene imperatrix in exilio moritur.

Carolus imperator omnes Saxones trans Albiam morantes in Franciam transtulit, pagosque eorum Abroditis dedit.

In Italia ciuitates Ostona & Luceria contra Carolum sentientes in deditionem accipiuntur. Carolus per omne imperium suum iustitias facit, & legis capitula 29 instituit. Aaron Ammiras cum trecentis millibus contra Nicephorum imperatorem ascendit, quem non ferens Nicephorus turpe fœdus iniit, pactus se ei daturum annuatim tricena millia numismatum, & tria numismata in tributum capitis imperatoris, & tria pro capite filij sui.

804	3	36	2	17	26

Leo papa ad Carolum imperatorem in Franciam venit.

Nicephorus imperator fœdere cum Sarracenis soluto, multa incommoda contulit imperio suo.

Godefridus rex Danorum multa contra vicinas gentes abutens insolentia pacem ab imperatore Carolo expetit.

Auari, qui & Hunni, longo contra Francos bello perdomiti, adeo à fortitudine sua & potentia sunt diminuti, vt qui alios vltro solebant lacessere, iam nec se ab aliis valeant tueri, quia in hoc bello omnis eorum gloria & nobilitas periit, & quicquid pecuniæ & thesauri per tot secula orbem terrarum vincendo sibi congesserant, totum modo victoriæ Francorum cessit, & nullo vnquam bello tam multa spoliorum quantitate ditata fuit

805	4	37	3	18	27

Carolus imperator, indignantibus contra se imperatoribus Constantinopolita-

| Romanorum. | Francorum. | Constantinop. | Sarracenorum | Bulgarorum. | Anni Domini.

nopolitanis propter inuidiam imperatorij nominis à Romanis sibi depositi, magna patientia & magnanimitate eos tulit. Et quia suspectam habebant suam potentiam, crebris legationibus sibi eum firmissimo fœdere cõciliabant.

Auari non sufferentes infestationem Sclauorum, à Carolo imperatore inter Sabariam & Charantanum impetrauerunt habitandi locum, ibique sine regni nomine resederunt sub ditione Francorum.

Carolus filius imperatoris Caroli Bethemanos rebellantes deuicit, & Lethonem eorum ducem peremit.

| 5 | 38 | 4 | 19 | 28 | 806

Carolus in filios suos partitionem regni facit, & inde testamentum factum sua & Leonis papæ auctoritate roborauit.

Bethemani Sclauis auxiliantibus vbiq; grassantur, sed à Carolo imperatoris filio fortiter debellantur.

| 6 | 39 | 5 | 20 | 29 | 807

Chudmeid Ammiræus, missus ab Aaron ad excidendam Lichiam, cum venisset Myrrheam, nisus sancti Nicolai cõterere arcam, pro ea contriuit aliam, & pro temeritate incurrens Dei vindictam, subsequẽte ineuitabili tempestate classem amisit totam.

Rex Persarum Carolum imperatorem preciosis muneribus per legatos honorat.

Carolus imperator, per manum Pauli diaconi sui decerpens optima quæque de scriptis Catholicorum patrum, lectiones vnicuique festiuitati conuenientes per circulum anni in ecclesia legendas compilari fecit.

Sarraceni Sardiniam depopulantur, sed à Pipino rege Italiæ superantur.

Chrunnus Bulgaribus dominatur.

| 7 | 40 | 6 | 21 | 1 | 808

In Britannia Eardulphus rex Nordanimbrorum patria & regno pellitur, sed ad Carolum imperatorem veniens, per eum regno & patriæ restituitur.

Aaron Ammiras moritur, post quem Muhammad annis quinque principatur.

| 8 | 41 | 1 | 1 | 2 | 809

Pipinus rex Italiæ Venetiam bello sibi subigit, & non multo post Mediolani obijt, & Carolus imperator Venetiam Nicephoro reddit, qui Nicephorus nouis & iniustis legibus omnes suos exacerbat, & Dei iram in se exaggerat.

Godefrido Danorum rege mortuo, Hemingus filius eius pacem expetit ab imperatore Carolo.

Wachandus episcopatum Leodicensem suscipit, qui in Ardamna Andagium cœnobium construxit.

| 9 | 42 | 2 | 2 | 3 | 810

Carolus in tres partes regni sui tres exercitus misit, vnum trans Albiam qui Hilliones debellauit, vnum in Pannoniam qui reliquias Hunnorum & Sclauos compressit, vnum contra Britones qui eorum perfidiam contudit, & vbiq; sibi victoria prouenit.

Carolus filius eius maior natu obijt.

Carolus imperator rerum suarum hæredem Christum testamento facit, & quicquid in re mancipi habebat, in tres partes diuiso, tertiam eorum partem pauperibus & famulantibus palatio delegauit, duas vero partes in partes viginti vnam subdiuisit, & metropolitanis episcopis, qui totidem sibi subeãt distribuit, vt metropolis ecclesia tertiam assignatæ sibi partis haberet, & duas inter suffragantes episcopos diuideret.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Constantinop.	Sarracenorum.	Bulgarorum.

Nomina archiepiscopalium ciuitatum quæ erant sub Carolo:
Roma, Rauenna, Mediolanum, Forumiulij quæ & Aquileia, Gradus, Colonia, Moguntia, Iuuanum quæ & Salzburch, Treueris, Senonis, Vesontio, Lugdunum, Vienna, Rothomagus, Remi, Arelas, Tharentesia, Ebredunum, Burdegala, Turonis, Bituricæ.

Nicephorus imperator Bulgariam ingreditur, & quia victoriæ temperare nesciuit, à Bulgaris cum multo senatorij ordinis numero perimitur.

Stauratius filius eius post eum anno vno imperat.

811	10	43	3	1	4

Hemingus rex Danorum moritur, post quem duo inter se de regno contendentes bello colliduntur, in quo pene vndecim millia Danorum perimuntur.

Moguntiæ pōs quingentorum passuum longitudinis trās Rhenum, quem Carolus imperator per decem annos ingenti labore & mirabili opere de lignis construxerat, ita vt perpetuo durare posse videretur, ita tribus horis cōflagrauit, vt ne vna quidem hastula super aquam remaneret.

Stauratio depositio, Michael imperat post eum annis 2.

812	11	44	1	4	5

Carolus imperator Ludouico filio suo coronam imperialem imponit, & Bernardum filium Pipini regis Italiæ regem facit.

In Francia apud cœnobium Elnonense sanctus Amandus à Lanthario eleuatur, à depositione eius anno circiter 152. Cuius corpore adhuc integro inuento, cum eius capilli & vngues qui excreuisse videbantur, præciderentur, & de ore eius dentes adhibita forcipe extraherentur, sanguis inde profluxit, qui ad memoriam posterorum adhuc seruatur.

813	12	45	2	5	6

Carolus imperator per totas Gallias concilia super statu ecclesiarum abepiscopis celebrari edicit. Vnum fuit Moguntiæ, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabilonis, quintum Arelati.

Mahummad Ammiras fratri suo Habdalæ congreditur, à quo superatus eum sibi conregnare inuitus patitur, & hoc bello regnum Sarracenorum per aliquot annos discinditur.

Michael imperator Chrunno Bulgaro congressus, de bello victus fugit, & ex desperatione rerum monachus factus imperium deponit. Post quem Leo annis 8 imperauit.

814	13	46	1	1	7

Carolus imperator glorioſus regno & imperio suo pacato & dilatato, statu quoque ecclesiæ sancte & religiose ordinato, moritur & sepelitur Aquis, anno ætatis suæ 72. Qui pro magnitudine operum agnominatus est Magnus, cuius vitam Emardus descripsit, post quem Ludouicus filius eius imperauit annis 26.

815	1		2	2	8

Inter Ludouicum & Leonem imperatorem pax firmatur.

Hariolus rex Danorum patria & regno pulsus à filijs Godefridi, ad imperatorem Ludouicum veniens implorat opem recuperandi. Chrunnus successu lætatus, Constantinopolitanos incursat insolentius, & vsque ad portas vrbis vagatur crebris incursibus.

816	2		3	3	9

Stephanus Romanæ ecclesiæ 95 præsidet. Hic mox in Franciam venit, & Ludouicum imperatorem Remis coronauit.

Ludouicus imperator exercitum contra Danos mittit, & per eum obsides accipit.

| Romanor. | Francorum. | Constantinopol. | Sarracenorum. | Bulgarorum. | Anni Domini.

| 3 | | 4 | 4 | 10 | 817

Paschalis Romanæ ecclesiæ 96 præsidet.

Wascones ab imperatore Ludouico desistunt, sed ab eius exercitu edomiti cito resipiscunt.

| 4 | | 5 | 5 | 11 | 818

Cloamir rex Abroditarum ab Imperatore Ludouico deficit, & ad Danos transit.

| 5 | | 6 | 6 | 12 | 819

Ludouicus imperator Britones sibi subigit. Murmanus vero dux eorum qui nomen sibi regis vsurpauerat, ab eis perimitur.

Bernardus rex Italiæ conspirationis contra imperatorem factæ accusatur, & reus maiestatis adiudicatus primo oculis & regno dehinc vita priuatur. Harioldus in regnum Danorum à Ludouico remittitur.

6 | | 7 | 7 | 13 | 820

Cloamir rex Abroditarum, & Lupus rex Wasconum, damnati capitis ab imperatore Ludouico exiliantur.

Aquisgrani generali conuentu habito, per dispositionem imperatoris Ludouici episcoporumq; & abbatum aliqua capitula ad vsus Regularium monachorum addita sunt, & multa sanctarum scripturarum compilatione facta, clericorum & clericalium sanctimonialium regulæ constitutæ sunt.

¶ *Deficiente historiarum narratione, cessat etiam narratio de regno Bulgarorum & Sarracenorum.*

| Romanorum. | Francorum. | Constantinopolitan. |

7 PAschalis papa corpus sanctæ Cæciliæ virginis ipsa reuelante inuenit aureis velatum indumentis sanguine ipsius adhuc infusis, & ipsam & corpora sanctorum Valeriani sponsi eius, & Tiburtij, & Maximi, Vrbani quoque papæ, in ecclesiam à se eis ædificatam transposuit. | 8 | 821

Ludouicus imperator partitionem regni inter filios suos factam cõfirmat sacramentis optimatum suorum.

Leo imperator Græcorum perimitur in palatio suo, conspiratione optimatum suorum, & præcipue Michaelis domesticorum comitis, & ipse Michael imperauit annis nouem.

8 | In Thuringia cespes longitudine pedum quinquaginta, latitudine quatuor denum, altitudine sesquipedali sine manibus de terra præcisus & sublcuatus est, & vltra pedes viginti quinq; translatus est. | 1 | 822

In Saxonia tellus in modum aggeris limite vnius leucæ intumuit.

9 | Eleuatio Vrsinari confessoris Lobiensis celebratur. | 2 | 823

Drogo frater Ludouici imperatoris fit Metensium episcopus.

Lotharius filius imperatoris à patre in Italiam dirigitur, qui à Paschali papa consecratus, coronam regni, & imperatoris atque Augusti nomen accepit.

Romæ quidam nobilium perimuntur, pro eo quod proniores esse iusto viderentur ad fidelitatem Lotharij imperatoris. Quod crimen cum etiam in ipsum papam Paschalem intorqueretur, papa se apud imperatores excusat, & de hoc crimine coram populo & legatis imperatoris Romæ cum magno episcoporum numero se iureiurando expurgat.

Terræmotus factus est, multæ villæ & domus cœlesti igne cremantur, homines & animalia ictu fulminum exanimantur, fruges grandine vastantur, cum ipsa grandine veri lapides immensi ponderis cadunt, & hæc prodigia grandinis hominum mortalitas subsequitur.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Constantinopolitanorum.

In territorio Tullensi, villa Commerciaco, puella duodennis post sacram communionem in Pascha à sacerdote susceptam, primum per decem menses pane, deinde omni cibo & potu per triennium abstinuit, & post ad communem hominum vitam redijt.

824 | 10 | Eugenius Romanæ ecclesiæ 97 præsidet.

Corpora Sanctorum Seueri Rauennatis episcopi, & vxoris eius Vincentiæ, & filiæ Innocentiæ, ab Ortigario episcopo Maguntiam translata sunt.

In Gallia annte Solstitium æstiuale aere in tempestatem repente conuerso, ingens fragmentum glaciei cum grandine cecidit, cuius longitudo pedes quindecim, latitudo sex, crassitudo duos pedes habebat.

Legati Michaelis imperatoris inter cætera munera detulerunt Ludouico imperatori libros Dionysij Ariopagitæ, ab ipso conscriptos de hierarchia, id est sacro principatu, petente ipso Ludouico de Græco in Latinum translatos. Qui libri Parisijs in ipso sacri martyris festo missi cum gaudio suscepti sunt. Quod gaudium virtus sancti martyris auxit, decem & nouem ægrotis in ipsa nocte ibi sanatis.

Walchandus Leodiensis episcopus corpus sancti Hucberti transtulit à Leodio ad Andagium monasterium.

Rabbanus sophista, & sui temporis poetarum nulli secundus, fit abbas Fuldensis, qui multa de scripturis sanctis disseruit, qui etiam librum de laude sanctæ Crucis figurarum varietate distinctum difficili & mirando poemate composuit: Sergio papæ sancto Petro offerendum misit.

825 | 11 | Harioldus rex Danorum cum vxore & filijs & sua Danorum parte Maguntiæ baptizatur, & ab imperatore muneribus & parte Frisiæ in beneficium sibi data honoratur.

Hilduinus abbas sancti Dionysij, sacriq; palatij archicapellanus, Romam mittens, à papa Eugenio sancti Sebastiani corpus accepit, & Suessionis in basilica sancti Medardi collocauit, vbi dum adhuc inhumatum in loco in quo allatum est iaceret, tanta signorum & virtutum gratia in nomine eiusdem martyris enituit, vt à nullo mortaliũ vel enumerari vel enarrari possint, quorum quædam tanti stuporis esse dicuntur, vt humanam fidem excedant, nisi certum esset, Deum pro quo idem martyr passus est omnia facere posse.

826 | 12 | Corpora Marcelli & Petri martyrum de Roma sublata, & Franciam translata, multis signis clarificata sunt.

Corpus etiam sancti Gregorij papæ ad vrbem Suessionis translatum esse dicitur.

827 | 13 | Valentinianus Romanæ ecclesiæ 98 præsidet. Quo post quadraginta dies pontificij defuncto, Gregorius Romanę ecclesiæ 99 præsidet, qui etiam Quartus Leo dictus est.

Rabbanus abbas tractatus in libro Sapientiæ & ecclesiastico ad Orgarium archiepiscopum edit.

Amalarius librum de officijs ecclesiasticis ad imperatorem Ludouicum scribit.

Angelomus etiam ad eundem imperatorem tractatus in libros regum edit.

Anfegisus abbas Lobiensis edicta imperatoris Caroli magni & Ludouici filij eius ad ecclesiasticam legem pertinenti, in duobus æque libellis digessit.

828 | 14 | Italicus Ludouici imperatoris exercitus classe in Africam transuectus, conserto prælio magnam Afrorum stragem fecit.

In Vasconia annona de cœlo pluit frumento similis, sed grana breuiora habens.

Corpo-

| Romanorum. | | Francorum. | | Constantinopolitanorum. | Anni Domini.

Corpora sanctorum Valentini & Genesij, in Augiam monasterium transla-
lata sunt.

15 | Contra Ludouicum imperatorem commotio & simultas filiorum | 8 829
eius & optimatum exoritur.

Hoc anno qui est annus ab initio mundi quadrimillesimus sexingentesi-
mus octuagesimus octauus, finitur nouus annus magnus ab initio mundi qui
est annorum quingentorum triginta duorum.

16 | Apud Constantinopolim Theophilus imperat annis 15. | 9 830

Gregorius papa dolens, crebris Sarracenorum incursionibus vexari, &
vastari suburbium Romanæ vrbis circa ecclesiam Petri Apostolorum prin-
cipis, intendit illic vrbem nouam ædificare, ad quod consilio & auxilio impe-
ratorum animatus nouam fabricam cœpit.

17 | Sarraceni Siciliam incursantes, etiam Lypparim insulam deuastant | 1 831
vbi corpus Bartholomæi Apostoli quiescebat, quod olim loculo plumbeo
iniectum, & in mare mersum à paganis non ferentibus illud propter nimiam
signorum claritatem ab omnibus venerari, ab India vsq; ad hanc insulam vl-
tro delatum fuerat. Cuius ossa modo à Sarracenis huc illucque dispersa, & à
quodam monacho ipso reuelante collecta Beneuentum transferuntur.

Ludouicus imperator aduersantes sibi quosdam exauctorauit, alios exilia-
uit, alios bonis priuauit, ac per hoc filios & optimates suos magis cõtra se ex-
acerbauit.

18 | Gregorius papa in Galliam veniens, contra imperatorem cum filijs | 2 832
agebat.

Imperator vxorem suam Iudich quasi causam malorum abdicauit.

19 | Ludouicus imperator à suis desertus ac proditus, & in potestatem | 3 833
filiorum redactus, episcoporum iudicio arma deposuit, & ad agendam pœni-
tentiam inclusus est.

Sol & Luna per eclipsin deficiunt.

20 | Ludouicus imperator relaxatur, arma & imperium & vxorem ac- | 4 834
cipit, ac filium Lotharium in Italiam redire coegit.

21 | Monente Gregorio papa, & omnibus episcopis assentientibus, Lu- | 5 835
douicus imperator statuit, vt in Gallia & Germania festiuitas omnium san-
ctorum in Calen. Nouemb. celebraretur, quam Romani ex instituto Bonifa-
cij papæ celebrant.

Hoc tempore reliquiæ Viti martyris à Parisijs ad Corbeiam Saxoniæ trãs-
feruntur, vnde ipsi Franci testati sunt, quod ab illo tempore gloria Franco-
rum ad Saxones translata sit.

Ebdo Remorum archiepiscopus deponitur, alijq; multi qui cum eo in de-
iectionem Ludouici imperatoris conspirauerunt, damnantur & exiliantur.

22 | Gregorius papa consummatam nouæ vrbis fabricam solenniter de- | 6 836
dicauit, eamque vrbem Leonianam appellauit, vel à Leone tertio huius no-
minis papa qui huius operis fundamenta olim gesserat, vel à seipso quia & i-
pse Leo Quartus dictus est.

23 | Nortmanni Gallias grauiter infestant, Dorestatum vastant, Ando- | 7 837
uerpum oppidum & Witlam emporium situm iuxta ostium Mosæ incen-
dunt, à Frisonibus tributum accipiunt.

Sarracenis ad deprædandum vsque ad portum Romanum venientibus,
Romani instantia Leonis papæ auxiliantibus sibi etiam Neapolitanis eos
bello excipiunt, & cooperante diuinitus sibi graui turbine ventorum vsq; ad
internicionem pene victos delent.

24 | Cometes in signo Libræ apparet. 838
Normanni Walchaum insulam vastant, & tributum exigunt. | 8

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Constantinopolitanorum.
839	25 | Ludouicus imperator filio suo Lothario sub fide ad se venienti re- conciliatur, eiq; dignitatem imperij & regni tribuit coronam.		| 9
	Cometes in signo Arietis apparet, & per aliquot dies plurimi instar stella- rum igniculi per cœlum discurrere videntur.		
840	26 | Ludouicus imperator moritur, & Lotharius solus imperium vsur- pans imperat annis 15.		| 10
841	1 | Carolus & Ludouicus filij imperatoris, dolentes se à fratre suo Lo- thario debita regni parte priuari, contra eum insurgere parant.		| 11 10
842	2 | Cometes in signo Aquarij apparuit.		
	Tribus fratribus de regni partitione discordantibus, conseritur inter eos pugna in pago Antissiodorensi apud villam Fontanedum, & tanta cædes vtrinque facta est, vt nulla ætas meminerit tantam stragem hominum fuisse factam in gente Francorum. Et ita eorum vires ibi attenuatæ sunt, vt iam nec suos terminos ab externis tueri possent, victoria tamen Carolo & Ludouico prouenit.		
843	3 | Fratribus nondum de bello desistentibus, consilio optimatum tan- dem de pace agitur, & de parte singulorum 40 primorum accipiuntur, qui in vnum conuenientes regnum æqualiter diuiderent, & ita pax in annum se- quentem induciatur.		| 13
	Ludouicus interim pergens in Saxoniam, validissimam libertorum con- spirationem dominos suos opprimere volêtium fortiter compescuit, auctо- ribus factionis capitali sententia damnatis.		
	His temporibus floruit Theodulphus abbas Floriacensis, postmodum E- piscopus Aurelianensis, de quo refertur quod illos versus quos in die Palma- rum singulis annis ecclesiæ Galliarum decantare in vsu habent, ipse compo- suerit, id est, Gloria laus & honor. Quos cum ipse, Ludouico imperatore se- cus domum in qua exul detinebatur, apud Andegauum transeunte, decan- taret, audiens imperator, & misertus illius iussit eum absolui.		
844	4 | Sergius Romanæ ecclesiæ centesimus præsidet. Ad cuius electio- nem confirmandam Ludouicus filius imperatoris Lotharij à patre missus, ab eodem papa in regem Longobardorum vnctus est.		| 14
	Mauri Beneuentum occupant.		
	Descripto in tres partes regno fratres ad vrbem Galliæ Virdunum con- ueniunt, & inter se pacificantur: & datis & acceptis inuicem sacramentis, quisque ad descriptas sibi partes regni tuendas reuertuntur. Carolus accepit Occidentalia regna à Britannico Oceano vsque ad Mosam fluuium, in qua parte ex tunc & modo nomen Franciæ remansit. Ludouico Orientalia regna cesserunt, omnis scili. Germania vsq; ad Rheni fluenta, & aliquæ trans Rhe- num ciuitates, cum adiacentibus pagis propter vini copiam. Lotharius qui maior natu erat, & imperator appellabatur, omnia Italiæ regna tenuit cum ip- sa Roma, nec non prouinciam & mediam partem Franciæ inter Scaldim & Rhenum, quæ mutato nomine ab eo denominatur Lotharingia. Post factam ergo diuisionem Carolus regnat in Francia annis 34, Ludouicus frater eius in Germania annis 33.		
845	5 | 1 | Ludouicus rex Germaniæ Abroditos à se deficere molientes, bel- lo perdomuit, occiso rege eorum, eorumq; terram & populum sibi diuinitus subiugatum, per duces ordinauit. Apud Cõstantinopolim Michael & Theo- dora imperant annis vndecim.		| 15
846	6 | 2 | Nortmanni regnum Caroli grauiter infestant, & vsq; Parisios | 1 nauigio veniunt, cum Frisonibus tribus prælijs confligunt, in primo victi, in duobus victores existunt.		
	Ludouicus quatuordecim duces Boemanorum cum suis baptizari fecit.		
			Carolus

SCRIP RER GERM

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

| Romanorum. | Francorum. | Constantinopolitanorum. | Anni Domini.

Carolus cum Britonibus infeliciter pugnat.

7 | 3 | Leo quintus Romanæ ecclesiæ centesimus primus præsidet. Hic | 2 decreuit, vt dum missarum sacra sollennia celebrantur, nullus ex laicis in presbyterio stare vel sedere vel ingredi præsumat, nisi tãtum sacra plebs, quę ad ministrationem sacri officij constituta est. Decreuit etiam, vt octauæ Assumptionis sanctæ Mariæ in ecclesia Romana celebrarentur, quod antea non fiebat. 847

8 | 4 | Rabbanus abbas Fuldensis ordinatus Moguntiæ archiepiscopus, | 3 celebrata synodo Moguntiæ iussu Ludouici regis, multa ecclesiæ vtilia decreuit. 848

Quædam pseudoprophetissa dicens instare diem iudicij, Moguntiam sollicitabat, ita vt etiam aliquos sacri ordinis ad se inclinaret. Quæ ab archiepiscopo correpta, confessa est se per suggestionem cuiusdam presbyteri quæstus causa hoc fecisse.

9 | 5 | Godescalcus hæreticus à Rabbano archiepiscopo rationabiliter | 4 (vt multis visum est) conuincitur, sed tamen in suo perseuerat errore. 849

Sancta Helena imperatrix à suo filio Constantino Magno, primo huius nominis imperatore, Romæ in ecclesia sanctorum Marcellini & Petri martyrum in Mausoleo purpureo sepulta, ad Franciam à Thaogiso monacho transfertur, & in diœcesi Remensi magna Francorum veneratione excolitur.

10 | 6 | Franci à Boemanis graui prælio vincuntur, cui bello spiritus ma- | 5 lignus se præfuisse per os arrepticij publice protestatus est, & per se & per suos socios spiritus scilicet superbiæ & discordiæ egisse, vt Franci terga verterent. 850

11 | 7 | Reliquiæ sancti Hermetis martyris per Lotharium imperato- | 6 rem in Gallias mittuntur, & apud Indam monasterium honorifice condun- 851
tur.

Fames valida Germaniam attriuit, vt etiam pater filium suum deuorare voluerit, quo tempore Rabbanus archiepiscopus multam beneuolentiam pauperibus exhibuit.

12 | 8 | Carolus rex Francorum filios fratris sui Pipini regis Pipinum & | 7 Carolum regnum inquietantes, capit, & in monachorum attonsos monaste- 852
rium trudit.

13 | 9 | Normanni per mare Britannicum ostia Ligeris ingressi vrbem | 8 Nannetum inuadunt, episcopum sabbato sanctæ Paschæ baptismum cele- 853
brantem trucidant, clerum & populum perimunt, inde Andegauum, deinde Turonos occupant, & vt tempestas omnia diruunt, templum etiam sancti Martini incendunt.

14 | 10 | Fama est hunc Ioannem fœminam fuisse, & vni soli familiari tan- 854
tum cognitam, qui eam complexus est, & grauida facta peperit, papa existēs. Quare eam inter pontifices non numerant quidam, ideo nomini numerum non facit.

Hincmarus Remorum archiepiscopus in Francis claret, qui vitam sancti Remigij scripsit.

Benedictus Romanæ ecclesiæ centesimus secundus præsidet. Hoc conspiratione malignorum deposito, Anastasius præsulatum inuadit, sed Anastasio à legatis imperatoris Lotharij deiecto & in carcerem truso, Benedictus honorifice relocatur.

Normanni qui per viginti annos Franciam nimis attriuerant, in patriam suam reuersi, intestino inter se bello vsque ad internicionem delentur, vt de regia stirpe eorum nullus nisi puer vnus remaneret.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Constantinopolitanorum.
855	15 | 11 | Terræmotus acris insolita commotio, turbines, tempestates grandines, fulmina multa, multis modis incommoda hominibus inferunt. Quidam etiam homo igne cœlesti consumptus est, veste illæsa manente. Lotharius imperator partito inter filios regno, abrenunciat seculo, & in Prumia monasterio habitu monachi susceptо nō multo post dormiuit in Domino. Ludouicus filius eius olim à Sergio papa in regem vnctus, imperat annis 21. Lotharius vero frater eius Lotharingiam tenet.		
856	1 | 12 | Maginradus eremita martyrizatur. Rabbanus egregiæ vitæ & scientiæ archiepiscopus obiit.		Apud Constantinopolim Michael solus imperat annis 13.
857	2 | 13 | Nicolaus Romanæ ecclesiæ 103 præsidet, cuius ordinationem Ludouicus imperator sua præsentia roborauit. Coloniæ orta tempestate populo in basilicam sancti Petri confugiente, subito fulmen instar ignei draconis basilicam scidit ac penetrauit, & tres homines diuersis quidem locis, sed vno ictu in mortem deiecit, alios etiam sex eodem impetu semiuiuos reliquit.		
858	3 | 14 | Franci super crudelitate Caroli regis sui apud Ludouicum fratrem eius expostulant, & eum ad regnandum super se contra Carolum inuitant. Quod ille inconsulte aggressus, turpiter alienis excessit finibus. In parochia Moguntina malignus spiritus euidens nequitiæ suæ dedit indicium. Nam primo lapides iaciendo, & parietes domorum quasi malleis pulsando, inde manifeste loquendo, furta etiã prodendo, discordias inter vicinos seminando, homines inquietabat. Denique animos omnium contra vnum hominem commouit, quasi propter eius peccata cæteri talia paterentur, cuius fruges in vnum coaceruatas incendit, qui vbicunque intrasset, statim domus illa exurebatur, vt iam eis nisi in agris locus manendi nullus esset. Propter hoc presbyteris litanias agentibus, & benedictam aquam spargentibus, inimicus lapides iaciendo, multis cruentatis, tandem aliquãdiu quieuit. Presbyteris recedentibus, inimicus flebiliter vlulans, tandem presbyterum quendam nominatim exprimens, se quando aqua benedicta spargebatur, sub cappa illius quasi familiaris sui latuisse professus est, accusans eum cum filia procuratoris concubuisse. Sic per triennium institit, donec ibidem cuncta ædificia incendio consumeret.		
859	4 | 15 | Ludouicus rex Germaniæ plurima prælia contra Sclauos strenue gessit, & capto principe eorum Rastrix nomine propter violatam fidem oculos ei eruere iussit. Principibus Caroli regis inter se discordantibus, Britones destitutam auxilio terram inuadentes, vsque Pictauis omnia vastando veniunt, quos redeuntes rex Carolus persequutus, Britanniam intrat. Et pugna cõserta, Franci vincuntur, Britones in sede eorum grassantur.		
860	5 | 16 | Numeneus rex Britonum dum instaret regnum Francorum depopulari, visum est ei assistere sibi sanctum Maurilianum Andegauensis vrbis olim episcopum, à quo in capite baculo percussus itam Dei morte persensit. Hoc tempore Leuculfus dux Saxonum pater Ottonis ducis, auus autem Henrici regis, corpus sancti Innocentij papæ à Roma in Saxoniam transtulit.		
861	6 | 17 | Herispous filius Numenæi rex Britonum Carolo regi confœderatur, & numeratus eius se dominationi subdit.		
862	7 | 18 | Lotharius rex Lotharingiæ Waldradam pellicem superducens coniugi suæ Tetbergæ, consentientibus sibi archiepiscopis Gunthario Colonien-		

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

| Romanorum. | Francorum. | Constantinopolitanorum. | Anni Domini.

lonienſi,& Tetgaudo Treuerenſi magnam ſibi calamitatem parauit.

8 | 19 | Hucbertus abbas,& dux frater Tetbergæ reginæ,pro repudio | 7 | 863
ſororis ſuæ contra Lotharium inſurgit.

Guntharius & Thetgaudus archiepiſcopi Romæ à papa Nicolao pro adulterio Lotharij regis examinati , cum & ſuis ſynodalibus geſtis quæ præferebant,& ſuorum ore etiam conuicti fuiſſent, epiſcopatu & ſacris gradibus exordinati,anathematizati ſunt , eisque tamen laicalis communio conceſſa eſt.

9 | 20 | Excommunicata pellice Waldrada à legato apoſtolico,videns | 8 | 864
Lotharius rex etiam ſibi excommunicationem intentari, Thetbergam vxorem ſuam recipit,ſed non multum id profuit, quia non multo poſt repudiata vxore pellicē recepit, nec vltra vllo correptionis modo ab ea ſeparari potuit.

10 | 21 | Corpora ſanctorum Euſebij & Potentiani martyrum,dono Ni-|9 | 865
colai papæ ad Gallias translata, in monaſteriis voto religioſorum ſancto Petro collatis honorifice tumulantur.

Rex Bulgarorum ad Chriſtianiſmum cum ſua gente conuerſus, miſſis ad eum à ſede apoſtolica ſacri ordinis miniſtris, acceptis etiam à rege Ludouico ſubſidiis,adeo in fide ſolidatur, vt nō multo poſt filio maiore in regnum ordinato, ipſe abrenuntians ſeculo monachus factus ſit. Sed cum filius eius iuueniliter agens ad gentilitatis cultum vellet redire, militiæ cingulo & culturegio reſumpto filium perſecutus cepit, & oculis eius effoſſis eum in carcerem truſit,& filio iuniore in regnum locato, ſacrum habitum recepit, & in eo vſque ad finem vitæ perſeuerauit.

11 | 22 | Heriſpoo à ſuis perempto,Solomon filius eius ſuper Britones | 10 | 866
regnat,& Carolo contra ſe venienti confœderatur.

Normanni Galliam repetentes Nannetis, Andegauis,Pictauis,& Turonis terminos depopulantur. Quibus occurſantes dux Aquitaniæ Ranulfus, & Robertus fortis marchio,dum ipſi incaute præliantes perimuntur , cæteri à Normannis vt oues à lupis aceruatim ſternuntur.

12 | 23 | Sarracenis Beneuentanam regionē incurſantibus,Ludouicus | 11 | 867
imperator viriliter occurrit, ad cuius auxilium Lotharius frater eius properans,multa quidem prælia cum eo ſtrenue geſſit, ſed exercitu ſuo propter intemperiem aeris morbis & morſibus aranearum nimis grauato,cum multo ſuorum diſpendio rediit.

13 | 24 | Adrianus Romanæ eccleſiæ 104 præſidet. | 12 | 868

Cometes manifeſte apparet.

Michael Græcorum imperator, ſenſu diminutus, adeo mente excedebat,vt familiares ſuos iuberet occidi,quos tamen ad ſe rediens,ſibi præſentari exigebat.

14 | 25 | Baſilius quem Michael imperator pauperem ex familia vnius | 13 | 869
abbatis ſibi aſciuerat,& cubicularium factum ad tantos honores prouexerat, vt alter ab imperatore appellaretur,ſæpe ab imperatore per inſaniam occidi iuſſus,timens ne tali occaſione occideretur, elegit magis ipſe imperatorem interficere,quam ab eo interfici,& imperauit annis decem & ſeptem.

Corpus ſancti Mauri,qui fuit diſcipulus ſancti Benedicti, aſportatum à Glantifolio in Burgundiam propter timorem Normannorum transfertur ad Foſſatenſe cœnobium,quod conſtruxit ſanctus Babolenus,ſancti Columbani diſcipulus.

15 | 26 | Lotharius rex Romam ad Adrianum papam ſe excuſatum vadit, | 1 | 870
à quo dum pro comprobatione innocentiæ ſuæ ad examinationem corporis & ſanguinis Domini, tam ipſe quam optimates regni inuitati fuiſſent, &

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Constantinopolitanorum.

ipſe & omnes qui corpus Domini noſtri cum eo temere accipere præſumpſerunt, infra ipſum annum perierunt, ipſo ſtatim in redeundo Placentiæ defuncto.

871 16 | 27 | Coloniæ celebrata ſynodo ad dedicationem eccleſiæ à tribus | 2
Lotharingiæ metropolitis, Liutperto Maguntino, Bertulfo Treuerenſi, Willeberto Colonienſi, cum ab eis maior eccleſia quæ eſt ſancti Petri, deberet dedicari, præcedente nocte auditæ ſunt voces malignorum ſpirituum, 10
inter ſe dolentium & conquerentium, ſe à poſſeſſis diu ſedibus debere expelli.

Carolus rex Francorum defuncto fratruele ſuo Lothario, dum Lotharingiam ſolus vſurpare nititur, per moderantiam & induſtriam Ludouici fratris ſui Germanorum regis ad hoc attractus eſt, vt æqualiter inter ſe regnum fratruelis diuiderent.

Ab exercitu Ludouici Germanici vario euentu varia bella contra Sclauos geruntur.

872 17 | 28 | Carolum regem Francorum domeſtica calamitas in filiis ſuis | 3 10
afflixit.

Siquidem Carolomannum in clericatu vſque ad diaconatus officium proiectum, ipſe pater cepit & excæcauit, pro eo quod ad apoſtaſiam conuerſus, & omni genere nocendi regnum perturbans, alter quidam Iulianus effectus erat.

Porro alter filius eius Carolus, dum inconſulte voluiſſet experiri expertam cuiuſdam Albuini militis fortitudinem, & ſolus ſoli congreſſus fuiſſet, ab eodem Albuino ignorante quis eſſet peremptus eſt.

Baſilius imperator Græcorum inter cætera munera mittit Ludouico regi Germanorum cryſtallum miræ magnitudinis, mire auro gemmisq; ornatum, cum parte non modica ſanctæ crucis. 20

873 18 | 29 | Ioannes Romanæ eccleſiæ 105 præſidet. Ad hunc Ioannes Ro- | 4
manæ eccleſiæ diaconus vitam primi Gregorij papæ ſcribit, in quatuor libelis laudabiliter editam.

Adalgiſus dux Beneuentanorum à Græcis ſeductus, contra Ludouicum imperatorem rebellat, & multas Italiæ vrbes ab eo deſciſcere facit, cui imperator viriliter repugnans Beneuentum & Capuam capit. Sed dolis Adalgiſi perſuaſus exercitum dimittere, ita ab eo eſt circumuentus, vt non poſſet euadere, niſi turpi fœdere facto compulſus iuraſſet Adalgiſo, ſe nunquam in vita ſua Beneuenti fines intraturum. Ob hoc Adalgiſus à ſenatu Romano reus maieſtatis, & hoſtis publicus adiudicatus: & bello contra ſe decreto in Cor. 40
ſicam fugit.

Carolus iunior Ludouici Germanorum regis filius à dæmonio grauitor in præſentia patris & optimatum eius vexatur, & in ipſa vexatione confitetur hoc ſibi ideo contigiſſe, quia cõtra patrem ſuum conſpirationem facere moliebatur.

874 19 | 30 | In Italia Brixæ tribus diebus & tribus noctibus ſanguis de cœ- | 5
lo pluiſſe narratur.

Normanni à regno Ludouici Germanorum regis tributum exigentes, ab exercitu eius grauiter cæſi vincuntur.

Locuſtæ in Galliam depopulantur innumerabiles, cæteris locuſtis maiores, ſena alarum regimina, ſex pedes, duos dentes lapide duriores habentes, vt caſtrorum acies turmatim volantes, duces cum paucis itinere vnius diei mittentes ad metenda loca venturæ multitudini, circa horam nonam ad locum præuiſum venientes, ibique ſolis ortum expectantes, per ſpacium vnius diei aerem velabant, ipſum ſolis radium obnubilantes, ore lato, extenſo inte-

| Romanorum. | | Francorum. | Constantinopolitanorum. | Anni Domini.

so inteſtino, omnia viridia in herbis & arboribus vaſtabant, ſpacium diurni itineris quatuor aut quinque millibus extendentes. Hoc miſerabili ſpectaculo vſq; ad mare Britannicum peruenientes tandem flatu ventorum in profũdum maris dimerſæ ſunt, ſed æſtu Oceani ad littus reiectæ ex putredine ſua aere corrupto multos perire fecerunt. Secuta fames valida multos conſumpſit, inedia vt pene tertia pars hominum conſumpta ſit.

10 20 | 31 | Hyems ſolito aſperior & prolixior, nix & gelu à calendis Nouembris vſq; ad vernale æquinoctium. | 6 | 875

Ludouico regi Germanorum apparuit in ſomnis genitor ſuus, olim imperator, adiurans eum per nomen ſanctę trinitatis, vt eum eriperet à tormentis quibus detinebatur, vt æternam requiem habere mereretur. Ob hoc ad diuerſa monaſteria eleemoſynis deſtinatis obnixe filius ſuccurrebat patri, vnde datur intelligi, quod licet idem imperator multa Deo & hominibus placita feciſſet, plura tamen contraria in regno ſuo fieri conſenſit, in quibus grauiora videbantur, quod hæreſi Nicolaitarum non reſtitit, & monita Gabrielis archangeli duodecim capitulis comprehenſa, quæ Emarchus ei legenda

20 & obſeruanda obtulit, ſeruare non ſtuduit.

Normanni vrbem Andegauis, quaſi in ea habitaturi, cum ſuis omnibus occupant, ad quam oppugnandam Carolus aſcito Salomone Britonum rege multis diebus eam obſedit. Sed cum Normanni ad deſperationem adducti fuiſſent, rex multo exercitu, pecunia ab eis accepta, egreſſum eis annuit, eiſq; hoc pacto peiora faciendi locum dedit.

21 | 32 | Cometes ſolito rutilantior apparuit. | 7 | 876

Subita & nimia aquarum inundatio facta eſt in Iunio, ita vt in Saxonia villa quædã longe à torrentibus & fluminibus remota in momento cum hominibus & beſtiis, & arboribus, & ædificijs, cum eccleſia & altari, penitus ab-

30 ſorpta ſit, vt nullum habitationis remanſerit veſtigium.

Ludouicus imperator in Italia moritur, & patruus ſuus Carolus rex Francorum Romam pergit, & Ioanne papa & Romanis per munera ſibi conciliatis, imperator creatur, & imperat annis duobus. Sed ei ſtatim à Ludouico fratre ſuo bellum paratur, quod ſe inconſulto ſolus imperium fratruelis vſurpauerit.

Britones, rege ſuo Salomone mortuo, pro contentione regnandi inteſtino inter ſe bello colliduntur, ſicque inuiti ceſſant à Galliæ exterminio.

Carolus imperator poſt adeptum imperium vltra ſe elatus, conſuetudines Francorum vilipendens, Græcas glorias & inſolitos habitus affectabat,

40 & talari Dalmatica indutus, & deſuper balteo accinctus pendente vſque ad pedes, capite vero inuoluto velamine ſerico & diademate ſuperimpoſito procedebat. Et cum eſſet lepore timidior, & hoſtes fugere quam fugare paratior, fratrem ſuum Ludouicum laceſſebat, minatus tantas copias ſe conducturum, vt ab equis flumine exhauſto, ipſe per aridum alueum Germaniæ regnum intraret.

1 | 33 | Henricus monachus vitam Germani Antiſſiodorenſis heroico metro in ſex libellis luculenter exaratam Carolo imperatori obtulit. | 8 | 877

Ludouicus regnans in Germania moritur, relinquens tres filios ſuos hæredes, Ludouicum iuniorem, & Carolum qui non multo poſt imperauit, Car-

50 lomannum patrem Arnulfi imperatoris.

Carolus imperator de morte fratris ſui gauiſus, iniuſtitiam quam contra fratrem conceperat, contra filios fratris perficere paratus, cum quinquaginta & ab eo amplus hominum millibus regnum eorum aggreſſus, Coloniam vſque venit. Filiis Ludouici alias occupatis, Ludouicus iunior, legatione ad patruum miſſa, rogabat ea quæ pacis ſunt. Quod cum impetrare non poſſet,

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Constantinopolitanorum.

eum viriliter bello excepit, eumque victum cum nimio exercitus damno & multo dedecore fugere compulit.

Ingruente in Germania pecorum pestilentia, dum canes vndique collecti cadaueribus incumberent, ita disparuerunt, vt nec viui nec mortui reperirentur.

878 | 2 | 34 | Carolus imperator Romam secundo profectus Bosoni germano vxoris suæ neptem suam, filiam Ludouici imperatoris, vxorem dedit, & data ei prouincia in regem eum coronauit, vt etiam regibus imperare videretur. Qui audiens fratrueles suos Carlomannum & Carolum contra se exercitum adducere, pauore solutus reditum parat, & inter redeundum à quodam Sedechia Iudæo male potionatus Mantuæ moritur. Filius eius Ludouicus cognomento Balbus secundus, post diuisionem regnat in Francia annis duobus, iunior vero Carolus filius Ludouici Germanorum regis imperium adeptus est, annitentibus sibi quibusdam nobilium Romanorum, Ioanne autem papa satagente imperium transferre ad Ludouicum Balbum, filium recens defuncti Caroli imperatoris.

879 | 1 | 1 | Ioannes papa iniuriatus à Romanis, ita vt etiam in custodia teneretur, pro eo quod Carolo non fauebat, in Franciam veniens cum rege Ludouico Balbo pene annum moratus est.

Normannorum plusquam quinque millia à Francis in Gallia cæsa sunt.

Hoc tempore clarebat Milo monachus sancti Amandi, qui vitam sancti Amandi metrice composuit, & librum de sobrietate ad Carolum Caluum scripsit. Sub Hoc Milone adolescebat etiam nepos eius Hubaldus, qui in septem liberalium artium peritia clarus, egregie præter cætera in Musica claruit, & de multis sanctis cantus dulci & regulari modulatione composuit.

880 | 2 | 2 | Sol hora diei nona ita obscuratus est, vt stellæ in cœlo apparerent.

Rex Francorum Ludouicus Balbus moritur, vxorem suam ex se grauidam relinquens. De regno eius Francis varie sentientibus, aliis illud filiis Ludouici Balbi ex concubina deberi iudicantibus, aliis Bosoni Prouinciæ regulo ad illud iniuste inuadendum assentientibus, aliis vero illud regno Germaniæ resociare volentibus, nascitur interim ex legitima vxore Ludouici Balbi filius, qui ex nomine aui Carolus nominatus est. Filij tamen Ludouici Balbi ex concubina, Ludouicus & Carlomannus dicti, interim regnum Francorum inter se diuidentes, regnat annis quinque, & Bosonem semper persecuti sunt.

In sylua Francica Carbonaria plus quam nouem millia Normannorum à Francis cæduntur.

881 | 3 | 1 | Carolus imperator fratre suo Carlomanno defuncto, & non multo post Ludouico altero fratre suo immatura morte præuento, post claras de inimicis victorias regnum Germaniæ obtinuit.

882 | 4 | 2 | Carolus Romæ à papa Ioanne in imperatorem benedicitur.

Normanni adiunctis sibi Danis Franciam & Lotharingiam peruagantes, Ambianum, Attrebates, Corbeiam, Cameracum, Taruennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachatensium, omnemque circa Scaldim fluuium terram, monasteria sanctorum Walarici & Richarij ferro & igni deuastant. Inde Wal fluuium ingressi, totam Batauiam, palatium etiam Neomagi, incendunt.

Eodem anno Godefridus & Sigefridus reges Normannorum cum inæstimabili multitudine iuxta Mosam in loco Haslon consedentes, Leodium, Traiectum, Tungros, Coloniam Agrippinam, Bonnam, cum adiacentibus castellis comburunt, Aquis in Palatio equos stabulantes, opidum & palatium

| Romanorum. | | Francorum. | | Constantinopolitanorum. | Anni Domini.

tium incendunt, præterea monasterium Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prumiam. Sacri ordinis in vtroq; sexu ministri, vbi poterant opportunius, latebant, & sanctorum corpora & pignora locis tutioribus abscondebant. Ad hæc mala Hug filius Lotharij ex Waldrada pellice in Lotharingia, & Boso supra scriptus, in Burgundia tyrannizabant.

5 | 3 | Normanni vrbem Treuerim incendunt, & Metas vsq; perueniunt, i- | 14 | 883
10 biq; conserto prælio Christianos vincunt. In hoc prælio Gnalo Metensium episcopus cæsus est.

6 | 4 | Carolus imperator, & Gallis & Germanis ad auxiliandum re- | 15 | 884
gno euocatis, Normannos obsidet. Cum quo Godefridus rex facto fœdere, vt sibi Frisia prouincia, & Gila filia Lotharij regis vxor daretur, baptizatus est, & ab imperatore de sacro fonte susceptus, Sigefrido quoque rege nimis munerato, eos à regno suo recedere fecit. Qui mox Franciam repetẽtes, post multas incursiones à Carlomanno rege Francorum duodecim millia argenti probati pro tributo exigunt, & sic in duodecim annis pacem promittentes mare repetunt.

20 Hoc tempore Radulphus quidam corpus sancti Calixti papæ & martyris à Romana vrbe in Franciam transfert, qui Calixtus ieiunium quatuor temporum celebrari instituit.

7 | 5 | Carlomanno rege Francorum mortuo, cuius frater Ludouicus | 16 | 885
iam priori anno obierat, Normanni Franciam repetunt, dicentes se cum rege Francorum tantum, non cum Francis pacis pepigisse pactum. Hinc compulsi Franci, Carolum imperatorem ad auxiliãdum sibi inuitantes, Franciam ei subijciunt. Qui contra Normannos apud Louanium castrametatos semel & bis exercitum misit, sed nihil dignum fecit. Regnauit ergo Carolus etiam
30 in Francia annis quinque.

Hyncimarus Remorum archiepiscopus obijt.

8 | 1 | Marinus Romanæ ecclesiæ 106 præsidet.

Hug filius Lotharij regis ex Waldrada pellice paternum Lotharingiæ re- | 17 | 886
gnum rebellando assequi sperãs, Godefrido Normãnorum cui soror sua Gila nupserat, medietate affectati regni promissa persuadet, vt ab imperatore imperiales fiscos ad libitum suum sibi addi peteret, per hoc vtrinque imperatorem circumuenire putans, si daret, Normãni hostes regni in visceribus regni immitterentur, si negaret, iustam rebellandi causam habere videretur. Ad hoc tractandum iussu imperatoris Henrico duce, & Godefrido in Batauiam
40 ex condicto conuenientibus, inter agendum Godefridus cum suis perimitur, nec multo post etiam Hug ab Hẽrico excæcatur, & nouissime in monachum Prumiæ attondetur. Apud Constantinopolim Basilio imperatore mortuo Leo filius eius imperat annis 18.

9 | 2 | Normanni à Louanio exeuntes, Parisios obsidẽt, contra quos Hen- | 1 | 887
ricus dux exercitum ducens dum incaute equitat, in foueam quam Normanni factam quisquilijs operuerant, lapsus trucidatur.

Hug dux & abbas miræ potestatis & prudentiæ moritur.

10 | 3 | Agapetus Romanæ ecclesiæ 107 præsidet. Hic in aliquibus libris non | 2 | 888
50 annumeratur.

Carolus imperator cum Normannos nequiret expellere, tandem facto fœdere concessit eis regiones, quæ erant vltra Sequanam, quarum incolæ contra se rebellabant, quæ pars Franciæ à Normannis Normannia appellata est.

11 | 4 | Adrianus Romanæ ecclesiæ 108 præsidet. | 3 | 889

Carolus imperator zelatus vxorem suam pro eo, quod plus iusto familiariter ageret cum Lutwaldo Vercellensi episcopo, repudiat. Episcopus

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Constantinopolitanorum.

protestatur, in concione se nunquam cum ea coisse, illa vero se virginem esse gloriata, accepto repudio monasterium petijt.

890 | 12 | 5 | Carolus imperator corpore & animo deficiens, ab optimatibus | 4
regni repudiatur, & Arnulphus filius Carlomanni regis fratruelis eius in regnum sublimatur, & regnat annis 12. Hic Arnulphus patruo suo, ex imperatore etiam necessarijs egenti, fiscos in Alemannia delegauit, qui sequenti anno obijt.

Romanum imperium & regnum Francorum misere discerpitur. In Italia nempe Berengarius, & Wido de regno contendunt. Franci vero neglecto Carolo Ludouici Balbi puero vix decenni regem sibi præficiunt Odonem filium Roberti ducis, quem à Normannis occisum supra diximus.

Radulphus autem corona sibi imposita, rex Burgundionum statuitur, quod regnum multo tempore durauit.

¶ *Regnum Burgundionum incipit.*

891 | 1 | 1 | BAsilius Romanæ ecclesiæ 109 præsidet. Hic in aliquibus libris | 5
non inuenitur.

Normani Parisios expugnare non valentes, Burgundiam aggrediuntur, & Senones vrbem oppugnant, sed non expugnant.

In Italia Sarraceni castrum quoddam Fraxinetum occupantes, magnæ exitio Italiæ esse cœperunt.

892 | 2 | 2 | Normanni à Senonibus Parisios repetunt, & inde repulsi per Macronem fluuium Trecas vrbem incendunt, & vsq; Viridunum & Tullum vrbes cuncta depopulantur. | 6

Wido Berengarium bis victum ex prælio fugat.

Odo rex Danos super Auxonam fluuium bello vincit.

893 | 3 | 3 | Arnulfus rex Zuendebaldo duci Maharensium ducatum Boemanorum addens, & Boemannos per hoc sibi infestos fecit, & Zuendebaldo per adiectionem potentiæ, materiam contra se rebellandi dedit. Ad quem debellandum cum non sufficeret, gentem Hungarorum Deo inimicam regno immisit, eorumque auxilio Zuendebaldum deuicit, & tributarium fecit. | 7

Sanctus Waldricus in Baioaria nascitur.

894 | 4 | 4 | Normanni iterum à Parisijs repulsi, fines Britonum incessunt, & primo victores, postea à Britonibus vincuntur, in duobus prælijs duodecim millibus suorum peremptis. | 8

Odone rege per consilium Francorum in Aquitania demorante, Francci puerum Carolum duodennem Ludouici Balbi filium in regnum paternum reuocant, & Remis à Fulcone archiepiscopo in regē benedici faciunt, & oritur longa concertatio inter eum & Odonem. | 9

895 | 5 | 5 | Stephanus Romanæ ecclesiæ 110 præsidet.

Normanni Lotharingiam repetentes, circa Leodium cum Christianis pugnant & vincunt.

Sunderoldus Moguntiæ Archiepiscopus à Normannis Wormaciæ martyrizatur.

Arnulphus rex audita cæde suorum à Baioaria contra Normannos pugnaturus, properat cum valido exercitu, quos supra fluuiū qui Tilia dicitur, pedestri prælio adorsus, tantam ex eis stragem fecit, vt ex innumerabili multitudine vix superesset, qui ad classem aduersum nuntium ferret.

Normannorum residui transuadata Mosa Ribuariam & Arduennam vastando peruagantes trans mare recedunt.

Claruit

| Romanorum. | | Francorum. | | Constantinopolitanorum. | Anni Domini.

Claruit hoc tempore Remigius Antissiodorensis in exponendis scripturis diuinis & humanis studiosus.

Hoc tempore claruit in Burgundia Berno ex comite abbas Gigniacensis cœnobij à se fundati, qui etiam ex dono auiæ comitissæ cõstruxit Cluniacum cœnobium in cellam Gigniacensem.

6|6| Arnulphus rex Zuendebaldum filium suum ex concubina facit re- | 10 | 896
gem Lotharienſium.

Carolus rex opem Arnulphi regis contra Odonem implorat, ad cuius auxilium rex Arnulphus exercitum misit, sed parum commodi contulit.

Carolus rex Hundeum regem Normannorum baptizari fecit, eumque de sacro fonte suscepit.

7|7| Arnulphus rex à Berengario Italiæ interpellatus ad auxilium sui | 11 | 897
contra Widonem Zuẽdebaldum filium suum cum exercitu misit in Italiam, sed Wido viriliter agens, & primores exercitus donis corrumpens, eos ineffi-
caces redire fecit.

8|8| Arnulphus rex Longobardiam potenter ingressus, Pergame- | 12 | 898
num vrbem armis capit, cuius comitem Ambrosium ante portam vrbis laqueo suspẽdens, cæteris vrbibus terrore incusso ad obsequelam suam omnes adduxit.

Odo musicus ex clerico Turonensi monachum profitetur sub Bernone abbate.

9|9| Odo rex Francorum moritur, obtestans primates, vt Carolum in | 13 | 899
regno reciperent.

Carolus regno Francorum toto recepto, regnauit annis 27.

Apud Triburias celebrata synodo contra laicos, qui auctoritatem episcopalem minuere tentabant, plura super statu sanctæ ecclesiæ decreta sunt.

10|1| Formosus Portuensis episcopus Romanæ ecclesiæ 101 præsidet, | 14 | 900
contra voluntatem quorundam Romanorum, qui Sergium diaconum Romanæ ecclesiæ facere voluerant, sed non prævaluerant.

Hic Formosus cum aliquando in sinistram suspicionem venisset Ioannis papæ, timore eius fugiens, episcopatum Portuensem reliquit, & quia reuocatus à papa redire noluit, anathematizatus est, & tandem ad satisfaciendum papæ in Gallias veniens, vsque ad laicalem habitum degradatus est, iurans se non amplius Romam intraturum, nec episcopatum suæ vrbis repetiturum, confirmans etiam propriæ manus scripto se in laicali communione perseueraturum. Post à Marino successore Ioannis in episcopatu contra datum sacramentum restitutus, non solum Romam intrauit, sed etiam Romanæ ecclesiæ papatum suscepit, propter quod cum multo scandalo multa per multos annos quæstio & controuersia agitata est in ecclesia, alijs eius & ab eo ordinatorum consecrationem irritam esse debere præiudicantibus, alijs econtra qualiscunque fuerit Formosus, tamen propter sacerdotalis officij dignitatem & fidem eorum qui ordinati fuerant, omnes consecrationes eius ratas esse debere saniori consilio iudicantibus, præsertim cum ipse Formosus à Marino papa absolutus fuerit à periurio. Ab hoc Formoso Arnulphus rex inuitatus, Romam venit, sed non admissus, Romam Leonianam obsedit. Lepusculo forte versus vrbem fugiente, & exercitu cum clamore nimio sequente, Romani timentes se de muro proijciunt, & hostibus per factos aceruos murum ascendendi locum faciunt. Sic capta Roma, illos qui papam iniuriauerant decollari fecit, & à papa in imperatorem benedicitur.

Fulco Remorum archiepiscopus perimitur à Winemaro satellite Bal-

Anni Domini	Romanorum.	Francorum.	Constantinopolitanorum.

duini Flandrensium comitis, pro eo quod abbatiam sancti Vedasti Attrebatis à Carolo in beneficium acceperat, quam Balduinus iam per aliquot annos quamuis nullo concedente inuaserat.

901 11|2|Vuido rex Arnulphum imperatorem se vsquequaq; persequentem|15 non ferens, quippe cui nec vrbes nec castra munita natura resistere poterãt, dum se fugiendo tutaretur, imperator vxorem eius obsedit, quæ iam rebus suis diffidens, per vnum familiarem imperatoris multa pecunia correptum ei 10 poculum mortiferum dedit. Quo hausto, per triduum excitari non potuit apertis oculis, nil loqui aut sentire valens, quæ res eum repedare coegit, quem recedentem Vuido persecutus, à Deo percussus obijt.

902 12|3|Bonifacius Romanæ ecclesiæ præsidet. |16

Arnulphus imperator longa ægritudine dissolutus, vel (vt quidam ferunt) afflictus à minutis vermibus quos pediculos vocant, adeo in corpore eius scaturientibus, vt à nullo medicorum minui possent, moritur, & Ludouicus filius eius post eum regnat annis decem.

Stephanus Romanæ ecclesiæ 113 præsidet, mensibus quatuor. Hic primum à Formoso papa episcopus Anaguinæ ecclesiæ ordinatus, ipsum Formosum persequitur, & ordinationes eius omnes irritas esse debere decernit, & alia horribilia dictu in eum fecit. Legitur enim, quia ipse & nõ Sergius corpus Formosi à sepulchro in cõsilio protractum, & papali veste exutum, laicali induit, & abscisis duobus digitis dexteræ manus eius in Tyberim præcipitari fecit.

Romanus Romanæ ecclesiæ 114 præsidet.

In Italia pro Vuidone filius eius Lambertus contra Berengarium regnat.

903 1|4|Theodorus Romanæ ecclesiæ 115 præsidet. Hic contra Stephanum|17 papam sentiens, reconciliauit ordinatos à Formoso, quos Stephanus per vim 19 Romæ intus & non foris exordinauerat, nec tamen præsumpserat eos iterum consecrare. His reconciliatis, Theodorus papa libros abrenunciationis reddidit, & igni cremari præcepit.

Ioannes Romanæ ecclesiæ 116 præsidet. Hic etiam ad confirmandam Formosi ordinationem, quam Stephanus deposuerat, synodum 74 episcoporum præsentibus Francorum archiepiscopis & rege, apud Rauennam statuit, & coram eis combusta est synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat.

Lamberto filio Widonis mortuo Berengarius regno potitur.

Hungarorum gens barbara, quæ quibusdam clusis remota, nec ad meridianam plagam, nec ad occidentalem exeundi antea habuerat facultatem, per Arnulphum ruptis clusis emissa, quæ Arnulpho veniente aliquantulum temperauerat rabiei suæ, modo eo mortuo per totam Galliam, Germaniam Italiamq;, vt fera tempestas, diffunditur.

Zuendebaldus rex à Lothariensibus in bello perimitur, in qua conspiratione & bello quicunq; vulneratus est, aut mortem non euasit, aut nunquam sanari potuit.

Francone Leodiensium episcopo mortuo, Stephanus episcopus subrogatur, vir sanctitate & scientia clarus, qui vitam & passionem sancti Lamberti martyris ad Hermannum archiepiscopum vrbanius edidit, cantum quoque nocturnum de eodem martyre, cantum quoque de sancta trinitate, & de inuentione Stephani protomartyris, dulci & regulari modulatione composuit.

Conradus Comes pater Conradi, qui post Ludouicum regnauit, perimitur in bello à comite Alberto. 2|5

| Romanorum. | Francorum. | Constantinopolitanorum. | Anni Domini.

2|5 |Benedictus Romanæ ecclesiæ 117 præsidet.
Ludouicus rex conserto cum Hungaris prælio miserabiliter vincitur. |18 904
Apud Constantinopolim Leone imperatore mortuo, Constantinus filius eius, & Alexander frater ipsius Leonis, imperant anno vno.
3|6 Leo Romanæ ecclesiæ 118 præsidet. Hunc post triginta dies ordinatio- |1 905
nis suæ Christophorus presbyter suus capiens, & in carcerem trudens, per inuasionem Romanæ ecclesiæ 119 præsidet.
Hungari superioris anni victoria elati regnum Ludouici sub tributo redigunt.
Apud Constantinopolim Alexandro imperatore mortuo, Constantinus imperat annis 39.
4|7 |Hungari victos Græcos sub tributo redigunt.
Apud Græcos Romanus humilis quidem genere, sed quia Leonem se- |1 906
rocem occiderat, expertæ fortitudinis habitus, & per hoc à Leone imperatore dux naualis exercitus constitutus, volens fieri tutor Constantini imperatoris qui admodum puer erat, tutorē à patre illi deputatum, & omnes principes palatij ad se extra vrbem arte euocatos capit, & palatio eliminat, & fatuentes sib officijs curialibus honorat. Focas autem qui terrestrem exercitum contra Symeonem Bulgarorum regem duxerat, hoc nuntio perterritus, fugit à bello, & omnes fugere fecit; sic quod animos & vires Bulgaribus addidit Græcos acrius debellandi, & ipse à Romanis captus oculis priuatur.
5 |8 | Sergius Romanæ ecclesiæ 120 præsidet. Iste est Sergius diaconus | 2 907
propter Formosum à papatu reprobatus, qui ab eodem Formoso episcopus factus, ad Francos tamen se contulit, & eorum auxilio Christophorum inuasorem capiens & in carcere trudens, latenter Romam ingressus papatum inuasit & Romanos minis & terroribus perpulit, vt omnes ordinationes Formosi irritas haberent, & in vltionem suæ repulsæ (quod dictu nephas est) Formosum sepulchro extractum in sede pōtificatus sacerdotaliter indutum decollari præcepit. Et insuper tribus digitis abscisis, in Tyberim iactari fecit, & omnes quos ille ordinauerat, iniuste exordinauit. Quem à piscatoribus inuentum, & in basilica Apostolorum principis loculo deportatum, quędam sanctorum imagines adorasse, & venerabiliter salutasse, palam omnibus visæ sunt.
Apud Grecos Romanus pater Basileos factus, vt securius ageret, matrem Constantini imperatoris vxorem duxit, suam vero filiam ipsi Constantino despondit.
Hungari Bulgaros victos tributarios sibi faciunt.
6|9| Romanus impetrato à principibus, vt etiam indumenta imperialia & |3 908
diadema imperij acciperet, non iam tutor imperatoris, sed super imperatorem imperator videbatur esse, & etiam Christophorum filium suum in imperio ascitum, Constantino imperatori in procedendo præferebat, sed Christophorus non multo post obijt.
7|10|Hungaris etiam Italiam depopulantibus, rex Berengarius bello cō- |4 909
gressus miserabiliter vincitur. Romanus imperator Græcorum Bulgaros Græcos fortiter debellantes facto fœdere mitigauit.
8|11|Sarraceni ex Africa à rege suo missi in Italiam, vt Apuliam & Calabri- |5 910
am contra Romanum imperatorem rebellantes sub ditione illius redigerēt, pugnando Apulis & Calabris fortiter debellatis, Romam versus gyrantes, Garelianum occupant montem, ibique munitione sibi facta multas Italiæ vrbes debellauerunt.
Adelbertus quidam ex primoribus Austrasiorum per septennium Lu-

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Constantinopolitanorum.

douico regi rebellis, dolo Hatonis Moguntini Archiepiscopi ad regem deductus decollatur.

Regino abbas Prumiensis Chronica sua, à natiuitate Dominiinchoata, vsq; ad hunc annum perduxit.

911 | 9 | 12 | HVngari Germaniam vastant. | 6 |
Ludouicum filium Bosonis ex filia Ludouici imperatoris ab Italiensibus à Burgundia inuitatum in regno Berengarius excipiens bello, iurare eum compulit, vt si redire permitteretur, non vltra in Italiam rediret.

912 | 10 | 13 | Ludouicus rex Germaniæ moritur, qui propter tyrannorum in Italia insolentiam & multam malorum ingruentiam non meruit imperialem benedictionem, cui succedens Conradus regnauit annis 7, qui & ipse caruit benedictione imperiali.

Ordo Cluniacensis incipit.

Berno abbas moriturus, Odonem olim musicum constituit abbatem Cluniacensis cœnobij ea conditione, vt ecclesia Cluniacensis solueret annuatim ecclesiæ Gigniacensi censum duodecim denariorum.

913 | 1 | 14 | Ludouicus ab Italiensibus ad regnandum reinuitatus, tam cito | 8
oblitus iuramenti in Italiam cõtra Berengarium vadit, & eo expulso regnum vsurpat.

914 | 2 | 15 | Contra Conradum regem potentiores regni principes rebellionem meditati, scilicet Arnoldus de Baioaria, Burchardus de Sueuia, Euerardus de Francia, Gilebertus de Lotharingia, & horum omnium præcellentior, Henricus dux de Saxonia & Thuringia, tam sapientia quam fortitudine regis ad gratiam eius reducuntur. | 9

Solus Arnoldus ad Hungaros cum vxore & filijs fugiens, vsq; ad mortem regis ibi mansit.

915 | 3 | 16 | Ludouicus Veronæ captus, & Berengario à custodibus vrbis auro corruptis in vrbem immisso, oculis priuatur. | 10

Hungari Berengario confœderati, Alemanniam vastãt, & à Baioarijs & Alemannis grauiter cæduntur.

916 | 4 | 17 | Carolus rex Francorum regnum Lotharingiæ recepit. | 11

Sarraceni à Fraxineto & Gareliano monte exeuntes, Calabriam & Apuliam, Beneuentum, Romanorum quoq; vrbes ita occupant, vt vnamquamque mediam Romani, mediam Sarraceni tenerent, & grauissime Italiam premebant. | 12

917 | 5 | 18 | Anastasius Romanæ ecclesiæ 121 præsidet.

Dando Romanæ ecclesiæ 122 præsidet.

Hungari Alemanniam totam deuastantes, vsq; Fuldam peruenerunt.

918 | 6 | 19 | Romanus Græcorum imperator filios suos Stephanum & Constantinum cum domino suo Constantino imperare instituit, ipso Constantino imperatore opere manuum suarum, picturam scilicet pulchre exercendo, sibi victum quærente. | 13

Hatonem Moguntinum episcopum cuius dolo olim Adelbertus perierat, rex Conradus sollicitat etiam contra Henricum Saxonum ducem, propter potentiam ipsius sibi suspectum. Ad quod cum iam torquem auream episcopus fabricasset, quæ collo ducis secum conuiuãtis mitteretur, dolo proditus frustratus est, & post triduum morbo & angore, vel (vt alij dicunt) fulminis ictu interijt. Complices etiam consilij à duce patria eliminati sunt.

Missio

| Romanorum. | Francorum. | Constantinopolitanorum. | Anni domini.

Missō autem exercitu à rege contra Henricum, tanta cæde Saxones debachati sunt in eos, vt à mimis declamaretur, vbinam esset tantus ille infernus, qui tantam cæsorum multitudinem capere posset.

Hungari per Alemanniam in Alsatiam, & vsque ad Lotharingiam perueniunt.

7|20| Ioannes Rauennas episcopus Romanæ ecclesiæ 123 præsidet. | 14 | 919

Conradus rex moriens coram principibus regni regem designat Henricū, filium Ottonis Saxoniæ ducis. Hic ergo regnat annis decem & octo.

1|21| Henricus rex contra Arnoldum ab Hungaris regressum cum | 15 | 920 exercitu in Baioariam profectus, cum virtute & sapientia sua ad gratiam suam inflexit.

Robertus dux frater Odonis regis appetens regnum Francorum, contra Carolum inquietabat Franciam, eiusque instinctu omnes pene primores Franciæ aduersabantur Carolo.

2|22| Stephano Leodicensi episcopo defuncto, Richarius vir catholi- | 16 | 921 cus à Carolo per auctoritatem papæ Romæ ordinatur episcopus, repudiato Hilduino, qui, pecunia data duci Gisleberto, ambiebat ab eo sibi dari episcopatum.

Hoc tempore clarebat inter nobiles Lotharingię sanctus Wicbertus, qui Gemmelacense cœnobium fundauit, qui diuitiis, nobilitate & potentia clarus cingulum mundanæ militiæ deponens, cingulo sanctæ religionis in monachico habitu se accinxit.

Ziptinæus dux Boemiæ, ad Christi fidem conuersus, iuste & religiose in Boemia principatur, & post eum Watizlaus filius eius iustitia & sanctitate præclarus, cui frater suus Bolizlaus nimis aduersabatur.

3|23| Hungaris Franciam, Alsatiam, Alemanniam, Saxoniamq; de- | 17 | 922 populantibus, Henricus rex iuxta vrbem Mersburch congressus, vouens Deo pro adipiscenda victoria se hæresim simoniacam de regno suo eraditaturum, inæstimabili cæde eos vsq; ad internicionem pene deleuit.

Rex Henricus, quoscunq; fures, aut latrones, aut sicarios manu fortes & bellis aptos esse videbat, indulta eis venia agros & arma dabat, & legionem ex eis faciens ad debellandos barbaros exponebat, edicens omnino vt ciuibus parcerent tantummodo.

Carolus rex Francorum cum auxilio Lothariensium iuxta vrbem Suessionum pugnans contra Robertum fratrem Odonis regis, qui contra se regnum Francorum inuadebat, eum cum multis peremit, & se & Franciam Henrico regi submittit, eiq; in pignus perpetui fœderis & amoris mittit manum pretiosi martyris Dionysii Parisiensis, auro gemmisq; inclusam.

4|24| Reges Henricus & Carolus apud Hunnā confœderantur, Ca- | 18 | 923 rolusq; reddit Henrico regi regnum Lotharingiæ, episcopis & comitibus vtrinque iurando rem confirmantibus.

Sanguis Domini crucifixi venit in Angliam, forte ille sanguis, qui de imagine Domini fluxit, cum secundo Dominus in imagine sua à Iudæis priora pateretur.

Africani qui per munitionem Gareliani montis totam Italiam laniabant, per militiam Ioannis papæ & per auxilium Romani Græcorum imperatoris, conserta cum eis pugna ita atteruntur, vt ne vnus quidem superfuerit, qui non aut trucidaretur, aut caperetur, multis testantibus Apostolos Dei Petrum & Paulum in illo bello visos fuisse ad auxilium Christianorum.

5|25| Rex Henricus pacem cum Hungaris in nouem annis firmat. | 19 | 924

Carolus rex Francorum à comite Heriberto captus, in custodiam Peronæ truditur ob necem Roberti ducis ab eo perempti.

Anni domini.	*Romanorum.*	*Francorum.*	*Constantinopolitanorum.*

Rodulphus rex Burgundionum ab Italiensibus ad regnandum contra Berengarium inuitatus, conserta cum Berengario pugna, eoque victo & expulso, regnum Italiæ tribus annis tenuit.

925 6|26| Rex Henricus vrbem Sclauorum Brennaburch capit, & victis | 20
Sclauis tributum imponit.

Rex Henricus agrarios milites recensens, vt octo eorum in agris, nonus vero in vrbe moraretur, vt octo in agris & sibi & nono laborarent, nonus vero in vrbe tertiam partem omnium frugum illorum reseruaret in ædibus à se ad hoc extructis, vt in bello nihil alicui eorum deesset, vrbesq; rebus & viris plenæ essent.

Berengarius Rex ab Italiensibus impie perimitur.

Hungari Salardo duce Italiam peruagantes Papiam obsident, & incendunt.

926 7|27| Carolus rex Francorum sub custodia Heriberti exul & martyr | 21
moritur.

Radulphus regnat in Francia annis duobus.

Simeon Bulgar, qui ex philosopho monachus, ex monacho miles factus, dominabatur Bulgaris, Græcos grauiter atterit, sed Romanus Græcorum imperator eius insaniam facto fœdere mitigauit.

927 8|1| Post mortem Caroli regis, nolentibus Lotharingis Henrico re- | 22
gi subesse, quidam Lotharingius nomine Christianus, simulata infirmitate Gigebertum ducem ad se dolo euocatum cepit, regique misit, vt per eum Lotharingiam sibi subiugaret. At vero inspecta industria & potentia Gilleberti, filiam suam Gerbergam ei despondit, & eum iterum Lotharingiæ præfecit.

Ludouicus filius Caroli regis, insidiantes sibi fugiens, per mare transit in Angliam. Mater enim eius filia fuerat regis Anglorum.

Rodulphus rex ab Italiensibus repudiatur, & Hugo comes Arelatensium in regnum subrogatur.

928 9|2| Rex Hugo quosdam Italiensium suspectos sibi, consilio & virtu- | 23
te Samsonis comitis circumuentos, sibi substrauit.

Raherius Lobiensis monachus, vir nimiæ simplicitatis, sed experientia liberalium artium nominatus, cum Hilduino qui in Lotharingia episcopatum Leodicēsem olim ambierat, in Italiam ad Hugonem regem profectus, Veronæ episcopus ab Hugone constituitur, Hilduino Mediolani archiepiscopo ordinato.

Rex Henricus Gana vrbem Dalmatiæ capit, & Dalmatis tributum imponit.

Ludouicus in Franciam reuersus, & licet ærumnose tamen in regno restitutus, regnat annis 27.

929 10|1| Lanceam mirandi operis, & clauis Iesu Christi crucifixi sanctificatam, quæ dicitur primi & Magni Constantini imperatoris fuisse, donatam Rodulpho regi Burgundionum & Italię à Samsone comite; rex Henricus precibus, minis, muneribus, addita etiam parte prouinciæ Sueuorum, à Rodulpho comite extorquet, & hanc ad insigne & tutamen imperii posteris relinquit.

930 11|2| Ioannes papa à militibus Widonis marchionis captus, & in cu- | 25
stodiam trusus, ceruicali super os eius posito pessime strangulatus est, in cuius loco alter Ioannes 124 subrogatus est, frater Alberici Romam expulso Hugone regentis. Alibi legitur hoc in loco Leo papa resedisse.

Wenzeslaus princeps Boemiæ à rege Henrico in Praga vrbe obsessus, se & vrbem regi dedit, & impositam Boemiæ multam tributi pecuniam soluit.

12|3|Hen-

| Romanorum. | | Francorum. | Constantinopolitanorum. | Anni Domini.

12 | 3 | Henricus rex reges Normannorum & Abroditarum Christianos facit. | 26 | 931

Redarij vsq; ad ducenta millia hominum conspirantes contra Henricum regem rebellant, & regnum eius grauiter infestant, & vicinas gentes ad rebellandum animant, sed à ducibus regis Bernardo & Thietmaro graui bello victi omnes pene moriuntur, aut fugientes in mare vicinum demerguntur. Et hoc facto vicinæ gentes à rebellione deterrentur.

13 | 4 | Arnoldus dux Baioariorum in Italiam contra Hugonem regem veniens, à Veronensibus suscipitur, & cum Hugone confligens vincitur | 27 | 932

Raherius episcopus à rege Hugone episcopatu pulsus, quia Baioariis fauerat, Papiæ exiliatur, vbi & librum de suis ærumnis luculenter edidit. Scripsit & alia multa legentibus vtilia.

14 | 5 | Stephanus Romanæ ecclesiæ 125 præsidet. | 28 | 933

Beneuentani contra Græcos bellum agentes, quotquot Græcorum capiebant eunuchizabant.

15 | 6 | Hungari tributum à Saxonbus repetentes, ab exercitu regis Henrici occiduntur aut capiuntur, eisq; vsque ad internicionem deletis tributum quod repetebatur Deo pro gratiarum actione in ecclesiis & pauperibus exoluitur. | 29 | 934

Otto filius regis Henrici vxorem duxit filiam Eadmundi regis Anglorum.

16 | 7 | Ioannes Romanæ ecclesiæ 126 præsidet. | 30 | 935

Rex Henricus Danos qui per piraticam Frisones incursabant, vincit, & tributarios facit, & Chuipiam regem eorum baptizari fecit.

In Genuensi vrbe fons sanguinis largissime effluxit, portendens forte vrbis ipsius imminentem ruinam, quia ab eodem anno ab Africanis cum classe illuc venientibus capta, cunctis ciuibus (exceptis paruulis & mulieribus) captis & occisis, etiam thesauris suis est vacuata.

17 | 8 | Leo Romanæ ecclesiæ 127 præsidet. | 31 | 936

Rodulphus rex Burgundiæ moritur.

Inger rex Russorum sciens, exercitus Græcorum esse ductos contra Sarracenos, & ad insularum custodias dispersos, ad expugnandam Constantinopolim cum mille & eo amplius nauibus venit; adeo de victoria iam securus, vt qui Græcos non occidi sed capi præciperet. Quibus imperator Romanus cum paucis viriliter occurrens, circumcirca Græco igni iniecto pene omnes cum nauibus exussit, paucis euadentibus, omnesque captiuos decollari iussit.

18 | 9 | Hoc anno prodigia apparuere. Sol sereno cælo obscuratur, per fenestras vero domorum radios quasi sanguineos emittebat. Hominis cuiusdam sinistra manus ferro amputata, post annum pene ad integrum ei dormienti restituta est, cui pro signo miraculi quasi sanguinea linea loco coniunctionis notabatur. | 32 | 937

Henricus rex moritur. Qui licet in vincendis inimicis gloriosus fuerit quia tamen pacificus erat, nullam operam dedit, vt effugatis ab Italia tyrannis, qui quasi conductitij mercenarij alter ateri succedentes imperium dilaniabant, benedictionem imperialem accepisset; post quem Otto filius eius ex Matilda filia Theoderici regis Saxonum imperauit annis 36. Mons vero vbi rex Henricus sepultus est, postea flammas in multis locis euomebat.

Obiit dominus Odo, primus abbas Cluniacensis, Succedit ei Adamarus.

1 | 10 | Contra Ottonem imperatorem rebellauit Euerardus comes pa- | 33 | 938

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Constantinopolitanorum.

latij, & Gislebertus dux Lotharingiæ, qui Gerbergam sororem ipsius imperatoris vxorem habebat. Hungari per Austrasiam & Alemanniam multis ciuitatibus igne & gladio consumptis, Wormatiæ regno transito vsque ad Oceanum Gallias vastant, & per Italiam redeunt.

Princeps Boemiæ Wenzeslaus, vir sanctus, à fratre suo Boizlao occiditur, ambitione percipiendi principatus seducto, in cuius vltionem rex Otto bellum Biozlano indixit, & longa inter eos concertatio per 14 annos protracta est.

939 | 2 | 11 | Stephanus Romanæ ecclesiæ 128 præsidet. Euerardus & Gislebertus Henricum fratrem imperatoris obsessum capiunt, eumq; fallacia sua ab imperatoris fidelitate seiunctum factioni suæ applicant, suggerentes ei regnum magis competere illi in patris regno nato, quam Ottoni ante regnum nato.

Hungari à Saxonibus grauiter cæduntur. Otto imperator interim à Baioariis sibi resistentibus rediens, Euerardum exiliat, iterumque Baioarios aggressus omnes sibi subdit præter vnum filium Arnoldi. Rex Otto constituit vrbem Magdeburch, quæ & Parthenopolis, id est virginum ciuitas, dicitur. Italiam vexat hæresis Anthropomorphitarum, id est corporeã formam Deum habere dicentium, contra quam Raherius Veron. episcopus & verbis & scriptis reclamabat.

940 | 3 | 12 | Otto imperator in Lotharingiam vsque ad Capræmontem venit. Berengarius iunior, Berengarij senioris ex filia nepos, timens regem Hugonem se persequentem, pro eo quod contra eum regnum Italiæ affectaret, ad Hermannum Sueuorum ducem, & per eum ad Ottonem regem fugit.

Rex Otto Boizlaum bello superat, at Boizlaus pro victoria securus, circumueniens principem militiæ regis cum multis trucidat, rex vero Boemiã deuastat.

941 | 4 | 13 | Ludouicus rex Francorum Lotharingiam inuadens vsque ad Alsatiam venit, ductu Euerardi Gisleberti. Rex Hugo misso sibi Græco igne ab imperatore Græcorum Fraxinetum oppugnat, & nauibus Sarracenorum exustis illud expugnat, & inde eos fugat. Tagmarus frater Ottonis regis ab eo ad hostes eius transit, & inter cætera mala Heresburch castrum regis capit, ibique à rege conclusus, telis intrà ecclesiam confossus interiit.

942 | 5 | 14 | Marinus Romanæ ecclesiæ 129 præsidet. Ad hunc sanctus Waldricus Romam veniens ab eo cognouit, se futurum episcopum Augustæ Vindelicorum, quod post annos quindecim factum est. Gislebertus & Euerardus cum Henrico fratre imperatoris iuxta Rhenum contra imperatorem bellum parantes, milites imperatoris offendũt, & multi cum paucis congressione facta victi terga dederunt, Henrico interim in alio Rheni littore ante clauos Domini lanceæ suæ infixos in oratione prostrato, in brachio insanabiliter vulnerato. Otta dissensione inter principes de varietate legis, vtrum deberent auis superstitibus filij filiorum post parentes defunctos hęreditare, an exhæredatis fratruelibus deberet hæreditas ad patruos redire; ex regis Ottonis omniumque principum sententia cognitio veritatis cõmissa est gladiatorio iudicio, cessitque victoria his qui censebant, fratrum filios debere cum patribus hæreditare.

943 | 6 | 15 | Rex Otto obsedit Brisagam oppidum Alsatiæ, quod Ludouicus rex per milites Euerardi & Gisleberti tenebat, in qua obsidione suasu Friderici Moguntini episcopi qui animo iam ab imperatore defecerat, multi ab imperatore defecerunt: eaque re aliis territis, solus rex interritus manet. Interim fideles regis, Vdo videlicet, & Conradus frater Hermanni Sueuorum

| Romanorum. | | Francorum. | Constantinopolitanorum. | Anni Domini.

rum ducis, Euerardum & Gislebertum prædando regno secure intentos iuxta Rhenum inopinate aggressi acerrime debellant. Euerardo gladiis perempto, Gisleberto autem Rheni vndis submerso, cæterorum vix aliquis fugit qui non aut trucidaretur, aut caperetur. Hoc nuntio infideles regis corde franguntur, & Ludouicus Alsatia discedit, & rex & fideles eius cum ipso gratulantur. Vxorem Gisleberti Gerbergam, sororem scilicet Ottonis imperatoris, Ludouicus rex duxit vxorem, filiam vero Gisleberti neptem suam imperator Bertaldo duci Baioariorum despondet, & ducatus eius Ottoni datur.

Ademarus Cluniacensium abbas substituit sibi abbatem Maiolum.

7 | 16 | Otto dux Lotharienſium obiit, Conradus gener regis Ottoni | 39 succeſſit. Stephanus & Constantinus imperatores, filij Romani imperatoris, ægre ferentes, se iusta patris sui seueritate à iuuenili leuitate coerceri, depositis in palatio insidiis, ignorante altero Constantino Leonis imperatoris filio, patrem de palatij solio deponunt, & tonso ei (vt moris est) capite ad vicinam insulam in qua cœnobitæ philosophantur, transmittunt. Sol horribilem eclipsin passus est feria sexta, hora diei tertia, quo die in Hispania Addaram rex Sarracenorum à Radamiro Christianissimo rege Gallitiæ in bello superatus est. In Italia cometa miræ magnitudinis apparuit, portendens famem quæ secuuta est. 944

Rex Otto corpus Innocentij martyris in vrbem Magdeburch transfert.

8 | 17 | Otto imperator Lotharingiam sibi subiugauit, resistente sibi solo | 1 Metensium episcopo Adelberone, fratre ducis Friderici. Stephanus & Constantinus videntes post patris sui depulsionem, Constantinum filium Leonis imperatoris ab omnibus sibi præferri, & se iam vix in seculis haberi, cum deliberarent, hoc quod de patre fecerant etiam de Constantino facere, publicato eorum consilio per diabolum incentorem huius consilij, cum ad conuiuium ex condicto consedissent, & de prioratu sedendi inter se consulto decertarent, dato signo à viris Constantini ambo fratres solio deturbantur, & tonsis capitibus ad idem monasterium ad quod patrem transmiserant, & ipsi ad philosophandum cum monachis transmittuntur. Ita euacuato palatio abusiuis imperatoribus, ipse Constantinus, & Romanus filius eius ex filia Romani imperatoris, imperant annis *16*. Rex Otto Burgundiam sibi subiugat. 945

Barbaros occasione intestini belli vndique irruentes, Gero comes fortiter ac frequenter debellat. Regi Francorum Ludouico Hugo comes Parisiensis nimis aduersatur. Hic Hugo filius fuit Roberti tyranni in bello Suessonico perempti à Carolo rege.

9 | 18 | Agapetus Romanæ ecclesiæ 130 præsidet. Henricus imperator | 2 in vrbe Meresburch à fratre obsessus, proiectis armis ad pedes eius procidens, & misericordiam eius implorans, in custodiam includitur. Fridericus autem archiepiscopus Moguntiæ à ciuibus excluditur. Rex Otto multos cõtra se rebellare molientes capit aut occidit. Mortuo Bertaldo duce rex Otto fratri suo Henrico dat ducatum Baioariæ, & sic eum reprimit à rebellione. 946

10 | 19 | Berengarium à Sueuia in Italiam reuersum videns rex Hugo ab | 3 Italiensibus se deserto recipi, Lotharium filium suum, vt saltem Berengario conregnet, Italiensium fidei commendat: ipse Arelatum vnde venerat repetit. 947

11 | 20 | Rege Hugone mortuo Lotharius filius eius in Italia solo nomine regnat. Berengarius actu & potestate rex, & cunctis acceptus per Italiam tyrannizat. Dux Baioariæ Henricus Aquileiam in Italia capit, Hungaros | 4 948

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Constantinopolitanorum.

bis superat, Ticinum transit, & cum multis manubiis redit. Ludouicus rex Francorum à ducibus suis circumuentus, à Normannis capitur & consilio Hugonis Lugdunum missus, publicæ custodiæ traditur, Carlomannus vero maior filius eius à Normannis abductus Rothomagi moritur.

949 12 | 21 | Tapis rex Hungarorum in Italiam veniens decem modios | 5 nummorum à Berengario pro reditu accepit. Rex Otto 32 legionibus Franciam ad liberandum Ludouicum aggreditur. Ludouicus metu à custodia relaxatur.

Rex Otto Lugdunum capit, Hugonem intra Parisios concludit, Remos capit, Hugonis nepote qui episcopatum vsurpauerat, expulso legitimum episcopum restituit, vsq; Rothomagum potenter accedit, & castellis ac vrbibus quas ceperat, Ludouico redditis, in Saxoniam redit.

950 13 | 22 | Per loca Galliæ & Germaniæ plurimi & magni terræmotus fa- | 6 cti sunt. Rex Otto in Boemia contra Boizlaum proficiscitur, Boizlaus vero regi reconciliatur, eiq; tandem feliciter subiicitur. Rege Ottone secundam expeditionem in Franciam parante, Hugo virtutem eius non ferens, ei iuxta fluuium Charum occurrit, & pacto pacis secundum nutum regis facto, manus ei dedit.

951 14 | 23 | Moguntia ab Ottone imperatore obsessa est. Fridericus archie- | 7 piscopus captus, & in custodiam trusus, non multo post per indulgentiam regis relaxatus est. Rex Otto filium suum Luidulfum, natum ex filia regis Anglorum, testamento post se regem designat.

952 15 | 24 | Lidulphus filius imperatoris Ottonis, instinctu Conradi ducis | 8 cum eo contra patrem suum rebellauit, Remesburch cepit, & multas alias vrbes & principes à patre ad seauertit. Rex illum intra Moguntiam conclusum obsedit.

853 16 | 25 | Bellum fuit super Mosam inter Conradum & Raginerium Ba- | 9 | 30 ginoensium comitem. Mortuo Wigfrido Colonienſium archiepiscopatum suscepit vir glorioſus Bruno, frater Ottonis imperatoris, qui quantus qualisue fuerit apud Deum & homines, lector ediscat in vita ipsius, quam Rogerus luculenter scripsit. Huius studio translata sunt à Roma Coloniam corpora sanctorum Elisij, Patrocli, Priuati, Gregorij, cum baculo sancti Petri.

954 17 | 26 | Rex Otto vxorem secundam ducit, relictam Ludouici Italo- | 10 rum regis, & per eam Papiam accipit. Raherius bis episcopatu Veronensi depulsus. Leodicēsis episcopus per Brunonem archiepiscopum ordinatur post Farabertum.

955 18 | 27 | Lidulfo ad gratiam patris sui reducto, Conradus dux (Dei & | 11 imperatoris transfuga) ad Hungaros se transferens, eos in Lotharingiam vsque ad Carbonariam syluam perduxit, & virtute Dei apud Lobias contra eos ostensa, vltra prodire prohibiti impune redeunt. Berengarius rex Italiæ in Germaniam ad regem Ottonem venit, eique suis suique filij manibus datis, se ei commitit.

Ludouico Francorum rege mortuo, Lotharius filius eius ex Gerberga sorore imperatoris regnauit annis 31.

A Baioariis contra Sclauos prospere pugnatur.

956 19 | 1 | Ioannes Romanæ ecclesiæ 131 præsidet. In Italia lapis miræ ma- | 12 | 30 gnitudinis tonitru & tempestate turbulenta de cœlo iactus, ingens miraculum videntibus præbuit.

Templa plærisque in locis valida tempestate concussa sunt. Vtriusque ordinis sacerdotes ictu fulminis interierunt, & plura horrenda dictu portenta monstrata sunt. Friderico Moguntiæ archiepiscopo mortuo, Guillelmus filius

| Romanorum. | Francorum. | Constantinopolitanorum. | Anni Domini.

filius Ottonis imperatoris substituitur. Raherio ab episcopatu Leodicẽsium electo, Baldricus annitente auunculo sub Raginerio comite Montense episcopus substituitur.

20 | 2 | Lidulphus filius imperatoris Ottonis in Italia moritur. Hungaris iterum regnum Ottonis imperatoris ductu Conradi ducis depopulantibus, imperator eos bello excepit, Conrado ab Hungaris ad eum pœnitendo refugiente & orante Deum, vt pro pœna perfidiæ suæ in ipso bello ab Hungaris perimeretur. Quo bello in tantum sunt Hungari victi & attenuati, vt vltra iam nec mutire ausi fuerint. In tantum quippe contriti sunt, vt nullus aut rarus eorum euaderet. Conradus tamen secundum votum suum ibi occubuit. | 13 | 957

Tres reguli Hungarorum in bello capti, suspendio perierunt. Bruno archiepiscopus ducatum Lotharienſium post Conradum adeptus, cœnobium sancti Panthaleonis Coloniæ construxit. Henricus dux Baioariæ, frater regis Ottonis moritur. Henricus filius eius ei succedit.

21 | 3 | Bruno archiepiscopus plures Normannorum cum principibus eorum baptizari fecit. Wigmānus à facie regis Ottonis trans Albiā fugiens, Sclauos in regnum eius conduxit, quos rex fortiter debellauit, occiso regulo eorum, cum multis & septingentis captiuis capite cæsis. | 14 | 958

Obijt sanctus Gerardus fundator Bromensis cœnobij.

22 | 4 | Bruno archiepiscopus & archidux Lotharingiæ, secundas partes in regno fratris sui potenter & industrie administrās, Raginerium Montensem comitem, qui Longicollus cognominabatur, apud Valentianas euocatum cepit, & irreuocabili exilio damnauit, pro eo quod regnum bellis inquietabat, vel quod verius fuisse dicitur, pro eo quod mortuo Gisleberto duce consanguineo suo, ea quæ Gislebertus vxori suæ Gerbergæ sorori imperatoris in dotem contulerat, violenter ei auferre præsumebat. Bonis Raginerij ad fiscum publicatis, filij eius Raginerus, & Lambertus ad Lotharium Francorum regem confugerunt. Prodigiosa res multos terret, & à vitijs coërcet, notis crucis in veste plurimorum apparentibus, quorundam autem vestibus quasi lepra sordentibus. | 15 | 959

23 | 5 | Hoc tempore per industriam Ottonis imperatoris meliorato imperij & ecclesiæ statu, multa monasteria & cœnobia ad laudem Dei & honorem sanctorum, aut restaurantur, aut ampliantur, aut ædificantur. | 16 | 960

24 | 6 | Gallia & Germania iam bene pacatis, intendens imperator Otto etiam Italiam pacare, præsertim ad hoc eum anxie euocantibus Ioanne papa cæterisq; Italiæ episcopis vt eos liberaret de manibus tyrannorum Berengarij, Adelberti filium suum Ottonem, puerum septennem, Aquisgrani die sancto Pentecostes in regem inungi fecit: eoque commendato archiepiscopis fratri Brunoni & filio Guilielmo ad Italiam tendit. Apud Constantinopolim Romano imperatore defuncto, Nicephorus imperat annis decem. | 17 | 961

25 | 7 | Sanctus Wicbertus fundator Gemmelacensis cœnobij apud Gorziam, vbi Deo militabat propter amorem feruentis ibi sanctæ religionis, in Christo dormiuit. Corpus eius relatum est ad cœnobium Gemmelacense. | 1 | 962

26 | 8 | Otto imperator Italia peruagata, & tyrannis Italiæ maiestate nominis sui ita exterritis, vt in locis natura munitis laterent, aut Sarracenorum patrocinia quærerent, Romæ à Ioanne papa in imperatorem benedicitur, tyranni ab Ioanne papa & Romanis abiurantur. Eo repatriante Adelbertus à papa Ioanne à Fraxineto Romam reuocatur, sed imperatore redeunte refugiunt. | 2 | 963

Anni Domini. | Romanorum. | Francorum. | Constantinopolitanorum.

Collecto à tota Italia episcoporum concilio, Ioannes papa de nefarijs causis infamatur. Qui tertio euocatus, dum se excusatum venire cunctatur, post multa tandem eo à cunctis præiudicato, Leo adhuc laicus electione omnium & consensu imperatoris papa substituitur. Sic leo præsidens Apostolicæ sedi fecit ordinationes, & ea quæ erant Apostolica. Nec longum Romani altera fide apud imperatorem, papam recipiunt Ioannem. Ille synodo collecta Leonem deposuit, & eius gesta cassauit. Statutum quoque est publico omnium iudicio, synodum à Leone habitam, nec nominandam synodum, sed prostibulum fauens adulteris. Quicunque ergo eo ordinante erant damnati, iussi sunt suam ipsorum proscriptionem præsentare in charta hæc cõtinente verba: Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit. Et sic depositi remanserunt in illis gradibus si quos habuerant, non à Leone ordinatis. Si qui autem digni iudicantur, vt non accepta prius consecratione ordinentur, indicto illis eodem decreto, quod & damnatis à Constantino Neophyto. Romani igitur à Papa Ioanne pecunia illecti, imperatorem cum paucis Romæ morantem subito aggressi, ita ab exercitu imperatoris sunt attriti, vt nisi ab imperatore & à papa Leone milites imperatoris à cæde reuocarentur, vsque ad internicionem Romani delerentur. Quibus per Leonem imperatori reconciliatis, post abscessum imperatoris Leo papa insidias sibi parari sentiens, ad imperatorem fugit. Ioannes autem papa se cum vxore cuiusdam oblectans, à diabolo in tempore percutitur, ac sine viatico dominico moritur. Romani vero contra iuramentum quod imperatori fecerant, se nunquam electuros papam sine eius & filij eius Ottonis consensu, Benedictum sibi papam statuunt.

Benedictus Romanæ ecclesiæ 132 præsidet. Imperator autem Roma obsessa, Romanos cæde & fame adeo afflixit, vt Leonem papam se recepturos promitterent. Sic Benedictus reiectus, non solum papatu, sed etiam sacerdotio à Leone exordinatur.

Leo Romanæ ecclesiæ 132 præsidet.

964 27 | 9 | Hoc tempore ecclesia sancti Quintini martyris, quæ est in insula super fluuium Somene sita, cœnobium monachorum paucorum facta est. Procedente vero tempore, crescente numero fratrum, & aucta possessione redituum, etiam abbatia esse cœpit. In quo loco adhuc extant duo putei, in vno quorum caput ipsius martyris, in altero corpus, angelo reuelante, inuentum fuerat à venerabili matrona Romana nomine Eusebia, quæ pro munere eiusdem officij lumen oculorum quo antea priuata fuerat, per eundē martyrem recepit. Et hæc inuentio anno à passione ipsius martyris 55 euenit, qui passus est martyrium anno Domini 332. Sed postquam præfata mulier religiosa sancti martyris corpus inuenit, atque in superiori loco præeminētis oppidi quod antiquitus Augusta Viromandorum vocabatur, collocauit, labentibus multis annorum curriculis, sepulchrum eiusdem martyris vbinam haberetur, cunctis erat incertum. Denique sancto Eligio Nouiomensi ecclesiæ pontificante, facta inquisitione de eiusdem martyris corpore, sub præsentia ipsius episcopi inuentus est loculus, in quo pretiosus ille thesaurus seruabatur. Et hæc secunda inuentio sub sancto Eligio facta est anno ab incarnatione Domini 657, non absque diuinæ virtutis magno miraculo. Nam cum beatus episcopus nocturno tempore multis luminaribus accensis quæsitum loculum inueniret, & fossorio quod manu tenebat perforaret, tāta subito odoris suauissimi fragrantia, tantaq; supernæ lucis claritas circumquaq; emanauit, vt & præsentes odore mirifico replerentur, & absentes ortum diei aduenisse suspicarentur.

Adelberone Metensium episcopo mortuo, Deodericus consobrinus Ottonis

| Romanorum. | | Francorum. | | Constantinopolitanorum. | Anni Domini.

Ottonis imperatoris episcopus subrogatur. Hic (vt legitur) inspiciēs primas literas nominum omnium Metensium Episcoporum, quas angelus Domini dicitur dedisse sancto Clementi primo Metensium episcopo, & notans alias auro, alias argento, alias viliori metallo, pro meritorum qualitate esse annotatas, cum videret etiam literam sui nominis argento esse prænotatam, dixisse fertur, se in episcopatu tanta bona fore facturum, vt ipsa nominis sui litera merito deberet auro annotari. Cuius bonæ intentionis initium ostenditur in cœnobio sancti martyris & leuitæ Vincentij, fundato in ipsius vrbis insula.

Arnulpho sene Flandrensium comite mortuo, Lotharius rex Francorum grauiter Flandrias infestat & vastat.

28|10| Ioannes Romanæ ecclesiæ 124 præsidet.

Otto imperator Pentecosten Aquisgrani celebrauit, concurrentibus ibi à | 4 | 965
Francia fororibus suis, regina videlicet Francorum Gerberga, matre Lotharij regis & Caroli ducis, & Hawide vxore Hugonis Parisiorum comitis, quorum filius fuit Hugo qui postea regnauit in Frācia: vbi omnis illa regalis prosapia tanto ad inuicem congratulationis iubilo est affecta, vt in omni vita eorum vix aliquid gaudij huic lętitiæ potuerit ęquiparari. Bruno dux & archiepiscopus in Franciam pergens ad pacificandos nepotes suos Lotharium regem, & filios Hugonis vbi Compendium venit, febre correptus Remis redit, ibiq; quicquid in re mancipi habuit, per testamentum ecclesijs sanctorum delegato mortuus est, & corpus eius à Deoderico Metensium episcopo Coloniam refertur.

Otto Italiam repetit.

29|11| Guillelmus archiepiscopus filius imperatoris Moguntiæ mo- | 5 | 966
ritur.

Hoc tempore, Danis qui Christum Iesum & idola simul colebant, cum Popone clerico in conuuio altercantibus super cultura Dei & Deorum, Danis asserentibus Christum Iesum esse quidem Deum, Deos vero maiores & antiquiores esse, illo Popone econtra affirmante, Iesum Christum solum verum Deum esse, vnum in substantia, trinum in personis; rex Danorum Araldus condixit clerico, vt fidem propositam à se probaret testimonio veritatis. Quod annitente clerico, ingentis ponderis ferrum valde ignitum manibus illius ferendum imponitur. Quod cum clericus vsque ad placitum omnium tulisset absque vlla læsione, rex penitus abiecta idololatria, se suosque ad colendum verum solum Deum conuertit, clericus vero ad episcopatum promotus est.

30|12| Wichmannus diu contra Ottonem imperatorem rebellis à Mi- | 6 | 967
sacha Sclauorum regulo imperatoris amico & milite perimitur. Hoc tempore Bulgaribus dominabantur filij Simeonis, Petrus, & Baianus, quorum Baianus in arte magica adeo valebat, vt quotiens vellet, lupus vel quælibet fera fieri videbatur.

31|13| Otto iunior à patre euocatus Romam, à Ioanne Papa in impera- | 7 | 968
torem benedicitur.

Otto imperator Beneuentanos duces potentia sua ad subiectionem sui inflexit.

Otto imperator in terra Saxonica venas auri & argenti primus industria sua aperuit.

32|14| Quidam comes Ottonis imperatoris, ei familiaris, Romæ ante | 8 | 969
oculos omnium à diabolo arreptus, ita vt seipsum dentibus discerperet, iussu imperatoris ad papam Ioannem adductus, vt catena sancti Petri collo eius circundaretur. Dum à fallacibus clericis semel & bis alia catena furenti adhiberetur, nec quicquam remedij proueniret, vbi nihil virtutis inerat,

Anni Domini. | Romanorum. | Francorum. | Constantinopolitanorum.

tandem vera sancti Petri catena allata, & collo furentis circundata; diabolus spumans, & multum clamans abscessit. Qua catena Deodericus Metensis episcopus arrepta, cum diceret se eam nisi manu eius abscissa nō dimissurum, tandem imperator sedato litigio à papa Ioanne obtinuit, vt annulum huius catenæ exsectum episcopus mereretur.

Imperator Otto dum partem exercitus ad Græcos misisset, vt vxorem filio suo Ottoni acciperent, Græci super eos irruunt, castra diripiunt, plures occidunt, plures capiunt, & Constantinopolim mittunt. Ad hoc dedecus vindicandum imperator Otto eminentiores ex suis in Calabriam mittit, qui Græcos aggressi plures occidunt, plures truncatis naribus dehonestant, & per Apuliam & Calabriam à Græcis tributum exigunt. Constantinopolitani audientes à suis male pugnatum esse in Calabria, cōtra imperatorem suum Nicephorum insurgunt.

Theodericus Metensium Episcopus imperatori sanguine, dilectione, ac familiaritate cæteris deuinctior, dum in Italica expeditione per triennium sub eo militaret, multa corpora & pignora sanctorum de diuersis Italiæ locis quocunque modo potuit collegit. Primum à Marsia sanctum Elpidium confessorem, cuius socium Eutychium episcopum ipse imperator iam sustulerat, ab Amiternis Eutychetem martyrem cum reliquijs Maronis & Victorini sociorum eius, à Sulginis Felicianum episcopum & martyrem, à Petrusio Asclepiotatum martyrem, à Spoleto Serenam martyrem cum Gregorio Spoletano martyre, à Corduno pignora Vincentij martyris & leuitæ, ab Hispania olim à duobus monachis Capuam, à Capua vero illuc deportata, à Meuania alterum Vincentium Episcopum & martyrem, à Vincentia Leontium episcopum & martyrem, à Florentia Mineatem martyrem, ab vrbe Tudertina Fortunatum episcopum & confessorem, à Corfinio Luciam Syracusanam virginem & martyrem, à Foroaldo duce Spoletanorum olim à Syracusis illuc translatam, à Sabinis partes corporum Proti & Hyacinthi martyrum. Hæc omnia cum parte catenæ sancti Petri Apostoli, cum capillis eiusdem, & sanguine sancti Stephani protomartyris, & parte cruciculæ sancti Laurentij martyris, à papa Ioanne sibi donata, cum alijs multis sanctorum pignoribuss præsul Deodericus in Galliam hoc anno transtulit, & in ecclesia sancti Vincentij martyris à se in insula vrbis constructa locauit.

970 | 34 | 16 | Apud Constantinopolim Nicephorus imperator timens à filijs suis imperio expelli, quia senex erat, volebat eos eunuchizare, quorū mater regina, quia nullo alio modo poterat eos liberare, suasit Ioanni Nicephorum occidere & imperare. Ioannes itaq; occulte cum fun ibus intrauit palatium, & occiso Nicephoro imperauit annis 6.

971 | 35 | 17 | Benedictus Romanæ ecclesiæ 135 præsidet.

Otto imperator Romæ Ottoni comparatori suo, neptem Ioannis Constantinopolitani imperatoris Theophaniam nomine, à Ioanne papa coronatam in legitimo matrimonio sociauit.

Rogerus ordinatur Episcopus Leodiensium. Hic vrbem muro circumcinxit, ædificijs honestauit, maiorem ecclesiam corpore sancti Lamberti insignitam à fundamentis renouauit, cœnobium sancti Ioannis Euangelistæ in insula fundauit.

972 | 36 | 8 | Donus Romanæ ecclesiæ 136 præsidet.

Otto senior imperator obijt, cuius vitam Windichildus monachus descripsit, qui etiam historiam Saxonum vsque ad hunc annum conscripsit.

Otto secundus imperat annis decem.

Raginerius

Romanorum.		Francorum.		Constantinopolitanorum.	Anno domini.

Raginerius & Lambertus, filii Raginerii Longicolli, paulatim resumptis viribus à Francia redeunt, & cum Garnero & Ramnoldo qui comitatum patris eorum occupauerant, bello apud Peronam confligunt, eosque cum multis perimunt, & super Hannam fluuium castello Buxide munito Lotharingiam infestant.

Wenceslaus princeps Boemiæ à fratre suo Boizlao propter præripiendum principatum interfectus, vrbem Pragam vbi requieſcit, multis miraculis illustrat.

1 | 19 | Bonifacius Romanæ ecclesiæ 137 præsidet. | 3 | 974

Raherius de quo dictum est hoc monostichon, *Veronæ præsul, sed ter Raherius exul*, apud Lobias moritur.

Contra Ottonem imperatorem rebellat patruelis eius Henricus dux Baioariæ.

Otto imperator castellum Buxidis obsidet, captum diruit, captos in eo exiliat: nec tamen Raginerius à rebellione desistit.

2 | 20 | Benedictus Romanæ ecclesiæ 138 præsidet. | 4 | 975

Otto imperator Henricum ducem sibi subiugat.

Maiolus abbas Cluniacensis sanctitate & religione claret.

Gelu magnum à calendis Nouembris vsq; ad æquinoctium vernale.

3 | 21 | Otto imperator contra Sclauos proficiscitur. | 5 | 976

Filii Raginerii Longicolli auxilio Francorum, & maxime Caroli postea ducis fulti, lacessunt bello Godefridum & Arnulphum comites, qui post Warnerum comitatum Montensem inuaserant; montem Castrilocum obsident. Multis vtrinq; in conflictu fusis, obsidio remota est, victoria anceps, datur tamen palma comitibus.

Obiit sanctus Waldricus Augspurgensis episcopus, cuius vita qualis fuerit, mox miraculorum gloria patefecit.

4 | 22 | Gens Leuticiorum ad idololatriam reuoluitur. | 6 | 977

Sanctus Wictech Pragensis episcopus, cognomento Adelbertus, sanctitate & doctrina apud Winidos claret, qui apud Brutios martyrizatus, multis miraculis glorificatur.

Filii Raginerii, vt pro se viriliter agerent, animati Francorum auxilio & affinitate (Raginerius quippe Hawidam, Hugonis filiam postea regis, Lambertus vero Herbergam filiam Caroli ducis duxere vxores) in terram patrum suorum relocati sunt.

Ducatus Lotharingiæ datur Carolo, fratri Lotharii regis Francorum, multis insuper conducto beneficiis, vt & ipse ab insolentiis desistat, & fratris sui Lotharii motibus obsistat.

Ab hinc de Constantinopolitano imperio taceatur.

5 | 23 | PAcato vndique regno, cum Otto imperator Aquisgrani moratur, Lotharius rex Francorum subito ad inuadendam Lotharingiam contendit, & cedente imperatore, quia ad pugnam imparatus erat, rex post multam vastationem repatriauit. Quem cum inæstimabili exercitu imperator prosecutus, condicto die scilicet calendis Octobris Franciam intrauit, quam vsque ad calendas Decembris peruagatus, fines Remensium, Laudunensium, Suessionum, & Parisiensium, diuersa cæde vastauit, ecclesiis tantum Dei omnium immunitate concessa: in redeundo tamen circa Asonam fluuium partem impedimentorum amisit. De his quidam reclusus prædixit, quod omes huius mali incentores ante septennium morerentur. 978

Anni domini.	Romanorum.	Francorum.
	6| Igneæ acies visæ sunt in cœlo per totam noctem, quinto calendas Nouembris.	24
979	Hoc anno complentur mille anni à natiuitate Christi, secundum veritatem euangelii, qui secundum cyclum Dionysii anno ab hinc 21 finiuntur, sicq; in anno Dominicæ passionis veritati Euangelicæ contradicitur.	
980	7| Otto Imperator, Lotharius, & rex, conuenientes super Carum fluuium pacificantur, datis inuicem sacramentis, & rex Lotharius Lotharingiam abiurat.	25
	Otto Imperator Italiam petit.	
	Corpora sanctorum Laudoaldi, Adriani, Amantii, & aliorum, à Wantreshouo Hasbaniæ vico transferuntur Gandauum cum miraculorum gloria.	
981	8| Otto Imperator Apuliam & Calabriam Italiæ prouincias ad ius regni Græcorum appendentes transferre ad Imperium Romanum conatur, maxime propter affinitatem quam per vxorem suam Theophaniam cum imperatore Græcorum habebat.	26
982	9| Græci infensi, quod imperator Otto prouincias Græcorum inuaderet, conducto sibi Sarracenorum auxilio, imperatori in Calabria bello congrediuntur, in quo bello omnes Romanorum copiæ vsque ad internicionem pene deletæ sunt. Imperator natando nitens euadere à nautis ignorantibus eum capitur, & à quodam eorum qui negotiator Sclauorum erat, agnitus nec proditus, per illum re delata ad imperatricem & Deodericum Metensium episcopum, qui in ciuitate Rhosan rei euentum præstolabantur, difficulter per Sclauum & episcopum liberatur: nautis quippe ad pecunias pro eo redimendo allatas inhiantibus imperator ascenso equo vix euasit. Omnibus pro infortunio reipublicæ animo consternatis, sola imperatrix fœminea & Græca leuitate insultabat eis, quod ab exercitu suæ nationis victi essent Romani, ac per hoc cœpit primatibus exosa haberi.	27 28 29 30
983	10| Otto imperator, tædio & angore animi deficiens, Romæ moritur: & de imperatore substituēdo inter primates dissentitur, aliis filio ipsius Ottoni imperium deberi certantibus, aliis odio imperatricis à filio eius imperium transferre volentibus ad Henricum ducem filium Henrici, qui fuit frater primi Ottonis. Hic Henricus ipsum Ottonem puerum factiosè raptū in custodiam tenet, sed principes puerum de manu Henrici extorquentes, in regno sublimant, & regnauit annis 19.	28 29 30
984	1| Ioannes Romanæ ecclesiæ 139 præsidet.	40
	Lotharius rex Francorum ad inuadendam Lotharingiam rursum laborans, vrbem Virdunum & Godefridum ipsius vrbis comitem capit.	
	Ioannes Romanæ ecclesiæ 140 præsidet.	
	Theodoricus Metensium episcopus obiit, & secundum prophetiam viri Dei vix aliquis principum qui in bello Calabrico euasit, diu superuixit. Episcopatum Metensem suscepit Adelbero, vir sanctus & nobilis, filius Friderici ducis.	
985	2| Lotharius rex, videns Ottonem imperatorem virtute militum suorum proficere, vrbem Virdunum & Godefridum comitem reddit.	30 31
986	3| Ioannes Romanæ ecclesiæ 141 præsidet.	1
	Lothario rege Francorum mortuo, Ludouicus filius eius regnat in Francia anno vno.	
987	4| Ludouico Francorum rege mortuo, Francis regnum transferre volentibus ad Carolum ducem fratrem Lotharii regis, dum ille rem ad concilium defert, regnum Francorum vsurpat Hugo, filius Hugonis Parisiensis ex Hawide, sorore primi Ottonis imperatoris, & regnauit annis nouem.	1

Herluinus

| *Romanorum.* | | *Francorum.* | *Anni Domini.*

Herluinus primus abbas Gemmelacensis moritur.

5 | Carolus dux regnum Francorum ex paterna & auita successione sibi debitum contra Hugonem regem nepotem suum repetit, eumque bello perurgens, Laudunum vrbem capit. Hugo autem rex Carolum in Lauduno obsidet, sed secundo obsidionis mense obsessi prosilientes castra obsidentium incenderunt, & ipse rex Hugo plurimis suorum peremptis turpiter fugiens vix euasit. | 1 | 988

6 | Inundatio aquarum frequens, ac diutina vltra solitum, æstas postea feruentissima, pluribusq; pernitiosa, vnde & fruges minoratæ sunt. | 2 | 989

Carolus dux montem acutum expugnat, Sueßionis vsque vastando peraccedit: inde Rhenum aggreditur, & Laudunum cum multa præda reuertitur.

Siccitas magna vernalis, vnde & satio primitiua impedita, & fames ingens secuta est.

Nix nimia decidit, imber postea continuus, qui autumnalem sationem omni modo denegaret.

Fertur annonam pluisse de cœlo in Asbanio, alij etiam piscículos paruos de cœlo pluisse ferebant.

7 | Carolus dux Remos occupat, archiepiscopum quem Hugo rex præfecerat, & quosdam primates capit, & Lauduno relegat. | 3 | 990

8 | Carolus dux moritur, Otto filius eius succedit ei in ducatu Lotharienßium. | 4 | 991

9 | Remis synodo totius Franciæ congregata, Arnulphus nepos Caroli ducis, quem ipse Carolus episcopum Remis substituerat, omnium iudicio exordinatus damnatur, & Adelgarius presbyter qui vrbem prodidit, & portas Carolo aperuit, insolubiliter excommunicatur. Gerbertus vero substituitur episcopus, sed quibusdam causam ventilantibus, non potuisse degradari Arnulphum absque scientia & auctoritate papæ Romani. | 5 | 992

Gerbertus depositus ad Ottonem imperatorem se contulit, quem imperator receptum, primo cum Rauennæ archiepiscopum, & postea constituit papam Romanum, vnde est eius illud monostichon.

Transit ab R Gerbertus ad R fit papa vigens R.

10 | In Burgundia Odilo Aruernæ oriundus ex clerico Bruiatensi monachum professus in Cluniacensi cœnobio post Maiolum præficitur ipsi cœnobio, quod per annos 56 miro religionis feruore rexit & prouexit, qui egregie præter cætera pietatis insignia, non solum vitæ exemplis, sed etiam miraculis in vita sua claruit. Qui cum reprehenderetur, quod in peccantes miserricordior iusto esse videretur. Si damnatus sum (inquit) malo damnari de misericordia, quam de duritia. | 6 | 993

Otto in imperatorem benedicitur.

11 | Florebant hoc tempore in scientia literarum in Lotharingia Herigerus abbas Lobiensis, Adelbodus episcopus Vltraiectensis; in Francia, Fulbertus episcopus Carnotensis, Abbo abbas Floriacensis, qui super calculum | 7 | 994

12 | Victorij commentatus est. | 8 | 995

13 | Gregorius Romanæ ecclesiæ 142 præsidet. | 9 | 996

Hugone Francorum rege mortuo, Robertus filius eius in Francia regnat annis 34.

14 | Heribertus ordinatus Colonienßium episcopus multa sanctitate claret. | 1 | 997

Clarebat etiam hoc tempore inter Gallos Ausfridus. Qui cum fuisset comes Bratuspantium, non minus iustitia quam potentia secularí famosus, de-

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.

positio militiæ cingulo tonsoratus in clericum, eo prouectus est vt ordinaretur episcopus Vltraiectensis ecclesiæ.

998 15 | Ioannes Romanæ ecclesiæ 143 præsidet mensibus 10. Post quem | 2
Gerbertus, qui & Syluester 144, qui & ipse inter claros scientia literarum egregie claruit. Quidam tamen transito Syluestro isto, Agapetum papam hoc in loco ponunt: quod non otiose factum esse dicitur, quia is Syluester non per ostium intrasse creditur, quippe qui à quibusdam etiam nigromantiæ arguitur. De morte quoq; eius non recte tractatur, à Diabolo enim percussus dicitur obisse; quam rem nos in medio relinquimus, à numero enim paparum videtur excluſus. Vnde lector quæso, vt hic & alibi si qua dissonantia te offenderit de nominibus vel annis vel temporibus paparum, non mihi imputes, quia non visa sed audita vel lecta scribo.

Hoc tempore quidam religiosus ab Hierosolymis veniens, in Sicilia reclusi cuiusdam humanitate aliquandiu recreatus, didicit ab eo inter cætera quod in illa vicinia essent loca eructantia flammarum incendia, quæ loca vocantur ab incolis *Olla Vulcani*, in quibus animæ defunctorum luant diuersa pro meritorum qualitate supplicia, ad ea exequenda deputatis ibi dæmonibus, quorum se crebro voces, iras, & terrores, sæpe etiam eiulatus audisse dicebat plangentium, quod animæ de manibus eorum eriperentur per eleemosynas & preces fidelium, & hoc tempore magis per orationes Cluniacensium orantium indefesse pro requie defunctorum. Hoc per illum abbas Odillo comperto, constituit per omnia monasteria sibi subiecta, vt sicut primo die Nouembris solennitas omnium sanctorum agitur, ita sequenti die memoria omnium in Christo quiescentium celebretur. Qui ritus ad multas ecclesias transiens, fidelium defunctorum memoriam solennizari fecit. | 3 | 30

999 16 | In Italia Crescens, patriciatu Romanorum arrepto, contra Ottonem imperatorem rebellat.

1000 17 | Anno Iesu Christi millesimo secundum computationem Dionysij | 4
multa prodigia sunt visa.

Terræmotus factus est permaximus. Cometes apparuit 19 calendis Ianuarij circa horam nonam aperto cœlo, quasi facula ardens cum longo tractu fulguris instar illabitur terris, tanto splendore, vt non modo qui in agris erant, sed etiam in tectis irrupto lumine ferirentur. Qua cœli scissura sensim euanescente, interim visa est figura quasi serpentis, capite quidem crescente cum cœruleis pedibus.

1001 18 | Otto imperator Romæ Crescentem patricium bello aggreditur, | 5 | 40
sed victus Crescens & ex fuga retractus capitur, viliq; iumento auersè impositus circunducitur, & paulatim membris truncatus, ad vltimum ante vrbem suspenditur.

1002 19 | Otto imperator degens Romæ dum cum Romanis se remissius agit, tractans qualiter iura regni & ecclesiæ ad antiquum statum reformaret, Romani per hoc ad contemptum eius adducti, subito contra eum conspirant, & aliquot militum eius peremptis, eum in palatio obsident. Vnde per industriam Henrici ducis Baioariæ & Hugonis marchionis Italiæ simulato pacto vix extractus, Roma decedit cum Syluestro papa. Et quia vxor Crescentis imperatorem spe regnandi ad amorem sui pellexerat, dolens pro eius decessu venenum ei misit, quo ille consumptus inter remeandum in Italia moritur.

Milites transalpini corpus imperatoris defuncti cum insignibus imperij ad Galliam referentes, crebris Italorum incursibus lacessiti, armis sibi viam parant. Sed cum iam res in tuto esse putaretur, dux Baioariæ Henricus iniuriato

| Romanorum. | | Francorum. | Anni Domini.

iniuriato Heriberto Colonienſium archiepiſcopo, à cuius ore omnes pẽdebant, inſignia regni ab eo violenter extorſit, quaſi iure hæreditario ſibi competentia. Erat quippe filius Henrici ducis, qui fuit genitus de Henrico fratre primi Ottonis imperatoris.

Henricus ergo dux conciliatis ſibi animis quorundam principum regni vngitur in regem à Willigiſo Moguntino archiepiſcopo, & imperauit annis 22.

1 | Ioannes Romanæ eccleſiæ 145 præſidet. | 7 | 1003
Abbo Floriacenſis abbas in Waſconia martyrizatur.
Ioannes Romanæ eccleſiæ 146 præſidet.
Henricus imperator potentiores regni viros, bellũ ſibi concitare volentes, celeriter deuincit, & reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui dicuntur Winidi, tributarios ſibi facit.

2 | Gerardus Cameracenſis epiſcopus, & Adelbodus Vltraiectenſis epiſcopus, magni in eccleſia & in palatio habentur. | 8 | 1004
Henricus imperator Babenbergenſem eccleſiam epiſcopalis ſedis honore ſublimat, & quia liberis carebat, eam omnium rerum ſuarum hæredem facit. Vnde Deodericus Metenſium epiſcopus dolens, dotem & patrimonium ſororis ſuæ Chunigundis imperatricis delegari ab imperatore Babenbergenſi eccleſiæ, rebellat.

3 | Cometes horribili ſpecie huc illucque iactans in auſtrali patre viſus eſt. | 9 | 1005
Mortuo Ottone duce, ducatus Lotharingiæ datur comiti Godefrido, filio Godefridi Ardennenſis.
Hilpericus librum de ratione computi hoc anno ſcripſit, vt apparet ex argumento ad inueniendos annos Domini per indictiones. Si vis (inquit) ſcire quot ſint anni incarnati Chriſti, ſexaginta ſex ordines indictionum qui fluxerunt ab eius incarnatione, multiplica per quindecim, fiunt nongenti nonaginta. His adde duodecim, quia tertia indictione natus eſt Chriſtus, adde etiam indictionem præſentis anni, id eſt tertiam, & ecce habes hoc anno annos Chriſti 1005.

4 | Fames & mortalitas tam grauiter per totum pene orbem inualuit, vt ſepelientium tædio viui adhuc ſpiritum trahentes obruerentur cum mortuis. | 10 | 1006

Caſtrum Valentianas ſitum in marchia Franciæ & Lotharingiæ, quod Balduinus comes Flandrenſium inuaſerat, imperator Henricus obſidet, concurrentibus ad auxilium eius Roberto rege Francorum, & Richardo comite Normannorum.

5 | Henricus imperator quia de obſidione Valentianenſi inefficax redierat, contra Balduinum profectus caſtrum Gandauum inuadit, & depopulata terra, aliquot primores Flandrenſium capit: vnde Balduinus perterritus imperatori ſatisfacit, Valentianas redit, datisque obſidibus cum ſacramento fidelitatis manus eis dedit. Poſtea imperator ſeditione ſuorũ coactus, Valentianas Balduino comiti beneficiauit, vt ſibi contra motus ſuorum auxilio eſſet, poſtea ei etiam Walachras addidit. | 11 | 1007

6 | Baldricus Leodicenſium epiſcopus ordinatur. Burchardus quoq; fit Warmacenſis epiſcopus, qui in ſcripturis ſtudioſus magnum illud canonum volumen edidit, ſcripturarum ſententiis vndiq; compilatis defloratum, collaborante ſibi in hoc magiſtro ſuo Olberto abbate, viro vndecunque doctiſſimo. | 12 | 1008

7 | Sergius Romanæ eccleſiæ 147 præſidet. | 13 | 1009
Eclipſis Solis facta eſt hora diei ſecunda.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.
	Normanni Frisiam infestantes Tilæ oppidum incendunt.	
	Henricus imperator Metis vrbem obsidet propter Deodericum fratrem vxoris suæ contra se rebellantem, qui episcopatum ipsius vrbis vsurpauerat. Dux enim Moselanorum Deodericus post fratrem suum Alberonem dato episcopatu Metensium filio suo adhuc puero, tutorem ei substituit ipsum Deodericum. Qui puero vrbe excluso,& episcopatu vsurpato,ipsum etiam Deodericum ducem bello capit. Vrbe ergo per obsidionem pene desolata, tandem pax conuenit.	
	Bruno episcopus martyrizatur.	
1010	8 | Normanni Frisiam repetunt,& multis cæsis Vltraiectum oppidum incendunt.	14
	Gens Hungarorum hactenus idololatriæ dedita, hoc tempore ad fidem Christi conuertitur per Gislã sororem imperatoris,quæ nupta Hungarorum regi ad hoc sua instantia regem adduxit,vt se & totam Hungarorum gentem baprizari expeteret,qui in baptismo Stephanus est vocatus. Cuius merita per Hungariam multa miraculorum gloria commendat.	
1011	9 | In Lotharingia iuxta montem Castrilocum fonticulus aquæ multis saluberrimus in sanguinem conuersus est, quod probauit mulier, quæ faciem suam ex huius fontis aqua lotam ostendit multis sanguinolentam.	15 16
1012	10 | Benedictus Romanæ ecclesiæ 148 præsidet.	
	Albertus Gemmelacensis ecclesiæ ordinatur abbas, vir moribus, religione,scientia,bonis doctisque viris aut conferendus,aut præferendus.	
	Henricus imperator Godefridum ducem cum exercitu in fines Bratuspantium mittit,ad obsidendum castrum Louanium,sed inefficax rediit.	
1013	11 | Henricus imperator Italiam petens,vt subueniret suis quos Græci premebant,circa Beneuentum,Salernum, & Capuam debacchantes, Troiam ciuitatem capit.	17
	Baldricus episcopus cum in villa Hugardis dicta castellum muniret, Lambertus comes Louanienſis eum aggreditur, & episcopus Lamberto vincente,multis suorum captis & occisis,graui atteritur infortunio.	
	Terræmotus factus est maximus circa meridiem 14 calendas Decemb.	
1014	12 | Henricus rex in imperatorem benedicitur.	18
	Baldricus episcopus in insula Leodicensi cœnobium sancti Iacobi Apostoli fundauit.	
	Dux Godefridus Gerardum comitem multis modis regnum inquietantem bello vicit,in quo filio eius cum multis occiso, complices eius deterruit.	
1015	13 | Hoc tempore sanctus Guicteth, qui & Adelbertus, Pragensis episcopus apud Bruchuos martyrizatur.	19
	Comitatus Beluacensis datur Rogero episcopo.	
	Dux Godefridus comitatum Montensem depopulatur, quem Ragineriusc um patruo suo Lamberto Louanienſi insecutus, apud Florinas pugnam conseruit,vbi plus quam quadringenti viri occisi sunt, & ipse Lambertus occubuit, vbi res mira contigit. Cum Lambertus spem victoriæ iam haberet, (habebat quippe phylacterium à collo vsque ad pectus pendens, sanctorum reliquiis refertum, quorum patrocinio se in periculis tutum fore credebat) instante ei termino vitæ, phylacterium illud à collo eius exiliens super tumulum campi exiliuit, & mox comes antea inuictus perimitur. Quidam militum phylacterium accipiens in caliga abscondit, sed coxa eius & crure intumescente rem prodidit, & phylacterium domino suo Etheloni fratri ducis dedit.	
1016	14 | Symeon Syracusis Siciliæ oriundus,& postea monachus in monte Sina	20

| *Romanorum.* | | *Francorum.* | *Anni Domini.*

Sina hoc tempore clarebat, qui Hierosolymam veniens longam pro Christo peregrinationem susceptt, & cum Popone Treuerorum archiepiscopo ad Gallias veniens, Treueris in altitudine turris inclusus est. Ibiq; post multas hominum persecutiones, post multas dæmonũ tentationes, beato fine quieuit, cuius merita frequens miraculorum gloria declarauit.

15 | Cometes solito mirabilior in modum trabis maximæ per quatuor | 21 | 1017
menses apparuit.

Golbodus in episcopatu Leodicensi Baldrico succedit.

16 | In Frisonia Deoderico comite filio Arnulphi Gandauensis debel- | 22 | 1018
lante Frisones in vindicta patris sui ab eis occisi, Godefridus dux ad eum debellandum ab imperatore mittitur, & conserto prælio repente voce (nescitur vnde) emissa, Fugite Fugite, cunctis fugientib. multi à paucis Frisonibus perimuntur, dux vero capitur.

17 | Dux Godefridus, impetrata Frisonibus totius iniustitiæ impunita- | 23 | 1019
te, à captiuitate soluitur, & non multo post moritur. Frater vero eius Gothelo in ducatu substituitur.

18 | Rodulphus rex Burgundiæ insolentia Burgundionum irritatus, | 24 | 1020
regnum Burgundiæ Henrico imperatori dare tractat, sed eum ab hac intentione reuocat simulata Burgundionum satisfactio.

Benedictus papa in Galliam ad Henricum imperatorem venit.

19 | Henricus imperator Coloniæ Natale Domini celebrans, Heribertum archiepiscopum olim à se iniuriose tractatum humili satisfactione placat, cui reconciliatus archiepiscopus prædixit se propediem moriturum, & non multo post mortuus magnis cœpit clarere virtutibus.

Pilegrinus ei in episcopatu succedit.

Durandus fit Leodicensium episcopus, quod quasi fabula in theatro mũdi fuit, quod vir ex humilimo & pauperrimo seruilis conditionis genere dominis suis carnalibus dominabatur.

20 | Aquisgrani conuentu generali & synodali per aliquot dies celebrato, | 26 | 1022
tanta siccitas & intemperies aeris excãduit, vt multi præ nimio ardore deficerent, multa etiam animalia subito interirent, pauimento & marmoreis columnis tãto sudore madẽtibus, vt aqua esse respersa crederetur à nescientibus.

21 | Henricus imperator & Robertus rex Francorum super Carum flu- | 27 | 1023
uium apud Euasium conueniunt, de statu ecclesiæ regni & imperij tractaturi, & condicto, vt super his confirmandis etiam papam Romanum simul ambo Papiæ opportune conuenirent. Imperator & regem, & suos multos etiam, qui tantum ad demirandam imperatoriam maiestatem conuenerant, tanta liberalitate donauit, vt opibus regum Persarum aut Arabum posset comparari imperatoris munificentia.

In Pascha eclipsis Solis facta est.

22 | Ioannes Portuensis episcopus, frater Stephani papæ nuper defun- | 28 | 1024
cti Romanæ ecclesiæ 149 præsidet.

Hoc tempore in Gallia Beluacensi vrbe inclytus Rogerus decessit episcopus, qui inter alia beneficia dedit ecclesiæ sancti Petri cui præsidebat, Alliacum in Normannia, & Montiacum in Vermandensi patria. Comitatum quoque eiusdem vrbis ab Oddone Campanensi comite impetrauit, dato ei pro commercio castro Syncerrio in Bituricensi territorio sito, quod sibi patrimonij iure competebat.

Henricus imperator, consulentibus sibi principibus super substitutione regni, designans Conradum virum egregij generis & egregiæ libertatis, quippe qui nunquam se submiserat alicuius seruituti, moritur. Huius vitam Adelbodus episcopus Vltraiectensis scribit.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.
	Cono dux præpotens cum ad imperium aſpirare vellet, repudiatur inſtinctu Abbonis Moguntini archiepiſcopi, & aliquorũ regni primatum, & Conradus ad imperium ſublimatus imperauit annis quindecim.	
1025	1 | Ioanni papæ Stephanus frater ſuus apparens dixit, ſe infernalibus pœnis cruciari, ſed ſperare ſe interuentu Odilonis abbatis Cluniacenſis veniam poſſe conſequi, pro quo Odilo tandiu orando laborauit, donec ſibi reuelaretur, ſe pro illo eſſe exauditum.	29
	Raginardus Leodicenſium ordinatur epiſcopus, qui Leodij in monte publico cœnobium ſancti Laurentij inſtituit, eique Stephanum virum ſanctæ memoriæ abbatem primum præfecit.	
1026	2 | Robertus rex Francorum ad inuadendam Lotharingiam animum intendit, ſed cito ab hoc conatu deſiſtit.	30
	Gothelone duce qui propter priuatum odium grauabat regnum Conradi, & aliis principibus ad pacis vnitatem adductis, regi proſperitas & regno accreuit tranquillitas	
1027	3 | Conradus rex filium ſuum adhuc puerum Henricum in regnum ſublimat Aquis. Ipſe autem Romæ in Paſcha in imperatorem conſecratus, quorundam Italorum contra ſe ſæuientium motus compeſcit.	31
	Florebat hoc tempore eccleſiaſtica religio per abbates nominabiles in Francia quidem, & in Burgundia, per Odilonem Cluniacenſem pietate inſignem, per Guillelmum Diuionenſem ſeueritate reuerendum, in Lotharingia, per Richardum Virdunenſem pia grauitate & graui pietate diſcretum, per Poponem Stabulenſem, per Heliam Colonienſem, per Osbertum & Stephanum Leodicenſes, per Bernonem Angienſem.	
1028	4 | Claruit hoc tempore in Italia Guido Aretinus, multi inter muſicos nominis. In hoc enim poetis præferendus, quod ignotos cantus etiam pueri facilius diſcunt per eius regulam, quam per vocem magiſtri, aut per vſum alicuius inſtrumenti: dum, ſex literis vel ſyllabis modulatim appoſitis ad ſex voces, quas ſolas regulariter muſica recipit, hisque vocibus per flexuras digitorum leuæ manus diſtinctis, per integrum diapaſon ſe oculis & auribus ingerunt intentæ & remiſſæ eleuationes, vel diſpoſitiones earundem ſex vocum.	32 30
1029	5 | Conradus imperator, rebellantibus Sclauis, ad eos debellandos proficiſcitur.	33
	Hoc etiam anno idem Conradus imperator rebellantibus Hungaris ad eos debellandos proficiſcitur.	
1030	6 | Roberto rege Francorum mortuo, Henricus filius eius regnat in Francia annis 30.	34 40
	Hoc tempore iuſſu Conradi imperatoris regali & ſynodali conuentu apud Triburias inter cætera epiſcopi hoc capitulum decernere voluerunt, vt ſi quando ieiunium primi menſis cueniret infra hebdomadam, qua caput ieiunij in quarta feria conſtat, amborum ieiuniorum celebritas vnius officij expletione compleretur. Sed Gerardus Cameracenſis & pauci cum eo huic multorum decreto contradicentes, obtinuerunt, vt ieiunium primi menſis in altera hebdomada in qua habetur officium, celebretur ſecundum antiquã conſuetudinem.	1 50
1031	7 | Sanctus Bardo ordinatur Moguntiæ archiepiſcopus.	
	Robertus & Richardus minuendæ domo multitudinis cauſa, hoc tempore à Normannia Franciæ digreſſi Apuliam expetunt, & Italis inter ſe diſſidentibus dum alteri contra alterum auxilium præſtant, hac opportunitate Italos callide & fortiter debellant, & ſucceſſus vrgendo ſuos nomen ſuum dilatant, & futuræ proſperitatis ſibi viam parant.	8 | Ecli-

SCRIP RER GERM

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

| Romanorum. | | Francorum. | Anni Domini.

8 | Eclipsis Solis facta est circa meridiem 3 Calend. Iulij. | 2 1032

Istiusmodi decretum à Franciæ episcopis datum est seruari subiectis sibi populis. Vnus eorum dicit, cœlitus sibi delatas esse literas quæ pacem monerent renouandam in terra. Quam rem mandauit cæteris, & hæc tradenda dedit populis. Arma quisque non ferret, direpta non repeteret, sui sanguinis vel cuiuslibet proximi vltor minime existens percussoribus cogeretur indulgere, ieiunium in pane & aqua omni sexta feria seruarent, & in sabbato à carne & liquamine abstinerent, soloque hoc contenti ieiunio in omnium peccatorum remissionem nullam sibi scirent aliam adijciendam pœnitentiam, & hæc seruare sacramento firmarent. Quod qui nollet, Christianitate priuaretur, & exeuntem de seculo nullus visitaret, nec sepulturę traderet. Alia quoque importabilia quam plura dedere mandata, quæ oneri visa sunt replicare. Hanc mandatorum nouitatem, cum multi cupidi nouarum rerum libentius iusto amplecterentur, Gerardus Cameracensis episcopus qui solus Lotharienſium appendebat ad parochiam Francorum, nullius hortatu potuit adduci ad hæc suscipienda, sed singula capitula refellebat; dicens, genus humanum ab initio trifariam esse diuisum, in orantibus, pugnatoribus, agricultoribus, & vnum duorum, & duos vnius egere auxilio, ideo debere arma ferri, & rapinas reddi pro authoritate legis & gratiæ, vltorem percussi vel occisi non exacerbari cogendo, sed secundum Euangelium ei reconciliari, ieiunium in sexta vel septima feria, nec omnibus vnum esse imponendum, quia non est vna omnibus possibilitas, nec omnes hoc vno ieiunio contentos esse, quia non est vna omnium pœnitendi qualitas, hæc sacramento firmare, vel sacramenti violationem periurio augere non esse vtile, his contradicentes excommunicari, infirmis visitationem vel mortuis sepulturam negari esse detestabile, sufficere authentica patrum decreta, & super his neglectis impositum congruenter pœnitentiæ modum.

9 | Benedictus Romanæ ecclesiæ 150 præsidet. | 3 1033

Frederico Mosellanorum duce mortuo, quia mares filios non habebat quibus ducatus competeret, Gothelo dux impetrato ab imperatore etiam Mosellanorum ducatu, in Lotharingia potentius principatur.

10 | Burgundionibus non desistentibus à consueta contra regem suum insolentia, rex Rodulphus regnum Burgundiæ Conrado imperatori tradidit, quod à tempore Arnulphi imperatoris per annos plus quam centum triginta gentis suę reges tenuerant, sicque Burgundia iterum redacta est in prouinciam. | 4 1034

11 | Odo Campanienſis regnum Rodulphi regis auunculi sui à Conrado imperatore nepote suo repetens, vt sub eo regat Burgundiam, efflagitat. | 5 1035

Henricus rex, filius Conradi, vxorem ducit filiam regis Anglorum.

12 | Odo contra imperatorem rebellans Lotharingiam incursat, castella oppugnat, vrbem Leucorum quæ Tullus dicitur, obsidet, & in nullo temperat furori suo. | 6 1036

13 | Hermannus Coloniæ ordinatur archiepiscopus. | 7 1037

Odo Barum castrum obsidet & capit.

Gothelo dux ægre ferens insolentiam Francorum cum Lotharingis, occurrit Odoni & conserto prælio apud Barum Odo perimitur, & Francorum exercitus graui cæde attritus à Lotharingia fugere compellitur.

14 | Normanni in Apulia copijs suis à Normannia paulatim abductis, ad inuadendam Apuliam fortitudine sua & Italorum imbecillitate animati, castellis & vrbibus aut dolo aut virtute captis, in Apulia potenter agunt, vicinisq; gentibus terrorem sui nominis incutiunt. | 8 1038

Anni Domini. | Romanorum. | Francorum.

Henricus Louanienſis comes domi ſuæ perimitur à captiuo Hermanno, eiq; ſuccedit filius eius Otto, cui immatura morte præuento ſucceſſit patruus eius Baldricus, qui & Lambertus.

In Apulia erat quædam ſtatua marmorea, circa caput ſuum æreum habens circulum in quo erat ſcriptum, *Calendis Maij oriente Sole habebo caput aureum.* Quod quidam Sarracenus à Roberto Viſcardo duce Normannorum captus quid portenderet intelligens, in Cal. Maij oriente Sole diligenter notato termino vmbræ illius ſtatuæ infinitum theſaurum effoſſa ibidem humo reperit, quem pro ſua redemptione eidem duci obtulit.

1039 15 | In menſe Aprili octauo Idus viſa eſt in cœlo inter Auſtralem & Orientalem plagam ignea trabs miræ magnitudinis, quæ currens per Solem ad occaſum vergentem viſa eſt in terram cadere, cuius veſtigia diu videri potuerunt. | 9

Conradus imperator Italiam adit, vt rebellionem meditantes debellaret. Et quia omnes Longobardi coniurauerant, vt non paterentur quemlibet dominum qui aliud quam ipſi vellent contra ſe ageret, quoſdam epiſcopos in vincula coniecit, & quia Epiſcopus Mediolanenſis fuga lapſus eſt, imperator ſuburbia Mediolani incendit. Die vero Pentecoſtes, cum imperator in parua eccleſia ſecus vrbem coronaretur ad Miſſam, tam grauia fuerunt tonitrua & fulgura, vt aliqui mente excederent, aliqui exhalarent. Bruno vero epiſcopus qui Miſſam canebat, & ſecretarius imperatoris cum aliis tribus dixerunt, ſe inter Miſſarum ſolennia vidiſſe ſanctum Ambroſium imperatori indignando comminantem. Tunc imperator Italia diſceſſit.

Pridie Idus Maij eclipſis Solis fuit, & pridie Non. Iunij imperator obijt. Poſt quem Henricus filius eis imperauit annis 17.

1040 1 | Henricus imperator vadit ad debellandum Odelricum Boemanorum ducem, ſed Boemanis viriliter reſiſtentibus inefficax redit. | 10 30

1041 2 | Henricus imperator per orationes ſanctorum virorum auxilio Dei ſibi procurato, ſuperioris anni infortunium vltus, Odelricum ducem Boemiæ ſuperat. | 11

1042 3 | Inter Hungaros bello inteſtino moto, Petrus rex ab eis depulſus regno auxilium Henrici imperatoris interpellat, qui potenter ei patrocinans Hungariam deuaſtat. | 12

Wato ex clero ſancti Lamberti, vir ſpiritu ſapientiæ & ſcientiæ & feruore religionis inſignitus ordinatur Leodicenſium epiſcopus. | 13 40

1043 4 | Apud Conſtantinopolim Conſtantinus monachus imperat.

Henricus imperator iterum Hungariam ingreſſus, cum paucis Abbonem regem de bello fugauit, & lanceam inſignem regis recepit. Petrum vero quem Abbo expulerat, Hungarorum regno reſtituit, & Hungariam ſibi tributariam fecit.

1044 5 | Fames valida Galliam & Germaniam affligit. Cothelo dux obijt, cuius filius Godefridus, dum ei ducatus Moſellanorum denegatur, altero ducatu repudiato contra imperatorem rebellat. | 14

1045 6 | Godefridus hortatu quorundam Dei fidelium ad recuperandam imperatoris gratiam adductus, ab imperatore capitur, & cuſtodiæ mancipatur, ſed filium ſuum obſidem dans relaxatur. Quo defuncto in obſidatu, ad rebellandum graſſatur. | 15 50

Benedictus qui ſimoniace papatum Romanum inuaſerat, cum eſſet rudis literarum, alterum ad vices eccleſiaſtici officij exequendas ſecum papam Sylueſtrum 151 conſecrari fecit. Quod cum multis non placeret, tertius ſuperducitur Gregorius 152, qui ſolus vices duorum impleret. 7|16|In-

| *Romanorum.* | | *Francorum.* | *Anni Domini.*

7 | Instinctu Godefridi comes Flandrensis Balduinus contra impera- | 16 | 1046
torem rebellat.

Romæ vno contra duos, & duobus contra vnum de papatu contendentibus, rex Henricus contra eos Romam vadit, & eis canonica & imperiali censura depositis, Suidigerus Babenbergensis episcopus qui & Clemens, Romanæ ecclesiæ 153 præsidet, & ab eo rex Henricus in imperatorem benedicitur, iurantibus Romanis, se sine eius consensu nunquam papam electuros.

Theoderico Metensium episcopo defuncto succedit Adelbero fratruelis eius, vir magnæ prudentiæ & sanctitatis.

Ecclesiæ sanctæ Gertrudis Mingelensis, quæ ante aliquot annos post negligentiam & incuriam effusi sanguinis Domini concremata, in nouam reædificata benedicitur, præsente Henrico imperatore.

8 | Damasus Romanæ ecclesiæ 154 præsidet.

Nix tanta in Occidente cecidit, vt syluas frangeret. | 17 | 1047

Godefridus palatium Neomagi incendit, & irreparabiliter destruit.

Vrbem quoq; Claborum quæ Virdunus dicitur, cum maiori sanctæ Mariæ ecclesia incendit.

Franco scholasticus Leodicensium, & scientia literarum & morum probitate claret, qui ad Hermānum archiepiscopum scripsit librum de quadratura circuli, de qua re Aristoteles ait: Circuli quadratura si est scibile, scientia quidem nondum est, illud vero scibile est.

9 | Bruno Leucorum episcopus, qui vocatur Leo Romanæ ecclesiæ | 18 | 1048
155 præsidet. Hic cum ad capessendam sedem Apostolicam Romam tenderet, audiuit voces Angelorum canentium, dicit Dominus: Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Hic de multis sanctis cantus composuit, & multa fecit & scripsit ecclesiæ vtilia. Hic cum in papatu pauperem leprosum ante fores offendisset, eum fotum diligenter in lecto suo collocauit, quem cum reserato ostio non inuenisset, in paupere se Christum suscepisse obstupuit.

Viri religiosi & illustres sanctitate in Christo dormiunt: Odilo abbas Cluniacensis, cui Hugo succedit; Popo Stabulensis; Guatho episcopus Legiensis; Olbertus sanctæ memoriæ abbas Gemmelacensis.

Guathoni Deoduinus in episcopatu succedit.

Albertus qui ducatum Mosellianorum Godefrido negatum susceperat, à Godefrido perimitur. Ducatum eius Gerardus de Alsatia, alterum vero ducatum Fridericus obtinet.

10 | Leo papa in Gallias veniens, vt motus imperij à Balduino & Go- | 19 | 1049
defrido concitatos sedaret, Godefridum quidem imperatori reconciliauit. Balduino pertinacius agente, cōtra eum imperator exercitum duxit, sed tandem Balduinus flexus condicto die Aquis imperatori satisfecit.

Leo papa in Germania & Gallia synodis habitis statum ecclesiæ meliorauit.

11 | Leo papa dum Normannos à Romanorum terminis deturbare sat- | 20 | 1050
agit, multam calamitatem incurrit, quia cum multis etiam ipse capitur. Sed tamen relaxari noluit, nisi etiam suis relaxatis.

Sanctus Theobaldus inter nobiles Francorum non infimus, hoc tempore clarebat, qui mundo & semetipso abnegato, secutus Christum in Vincentia vrbe Venetiæ reclusus, duodecimo cōuersionis suæ anno beato fine quieuit. Qui quam accepte seruierit Deo, post mortem eius miraculorum prodidit magnitudo. Ossa eius in Gallias translata, multam multis in locis venerationem meruerunt.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.
	Bardo Moguntiæ episcopus obijt, cui sanctitas per multam miraculorum gratiam patuit.	
1051	12 | Balduinus Flandrensis inuaso Hagionensi comitatu contra imperatorem rebellat.	21
	Francia turbatur per Berengarium Turonensem qui asserebat, eucharistiam quam sumimus in altari, non esse reuera corpus & sanguinem Christi, sed figuram corporis & sanguinis Christi. Vnde contra eum multum à multis & verbis & scriptis disputatum est, inter quos Dominus abbas de cruce sancti Leufredi contra eum de corpore & sanguine Christi elegantem edidit librum. Lanfrancus etiam vir sanctitate & scientia eximius, prior monasterij Beccensis, postmodum vero ex abbate Cadomensi archiepiscopus Cãtuariensis, contra errorem illius per dialogum disputauit.	10
1052	13 | Rex Hungarorum ab imperatore Henrico dissentit, pro quo reco-ciliando Leo papa ad imperatorem venit, sed amicis discordiæ interturbantibus id frustra fuit.	22
	Leo papa Gerardum Leucorum supra se quintum episcopum, sanctitate vitæ mirabilem, synodo habita per auctoritatem Apostolicam, decreuit in numero sanctorum confessorum in ecclesia solenniter habendum.	10
1053	14 | Balduinus comes terminos Lotharingiæ incursans, Honum oppidum incendit.	23
	Godefridus iterum rebellat, quia ducta vxore Bonifacij marchionis iussu imperatoris à Longobardia expellitur.	
	Græcis in hæresim multiformem declinantibus, auctore Michaele patriarcha Constantinopolitano, & Leone archidiacono Bulgarorum Episcopo, Leo papa errores eorum redarguens, scripsit contra eos librum firmis scripturarum testimonijs roboratum.	
	Nicetas autem monachus Constantinopolitanus, qui agnominabatur Pictoratus, scripsit contra Romanos librum plenum erroris & stultitiæ, prætitulatum de azymo, de sabbato, de nuptijs sacerdotum.	30
1054	15 | Leo papa per epistolam ad imperatorem Constantinum scriptam animum eius sibi concilians, apocrisarios suos, Humbertum videlicet cardinalem, episcopum Syluæ candidæ, Petrum Amalfitanorum Archiepiscopum, Fredericum quoque septimum leuitam & cancellarium, dirigit Constantinopolim, ad confutandas Græcorum hæreses: qui vt Simoniaci donum Dei vendebant, vt Valesij hospites suos castratos etiam ad episcopatum promouebant, vt Arriani rebaptizabant Latinos baptizatos in nomine sanctæ trinitatis, vt Donatistæ in sola Græcia orthodoxam esse ecclesiam iactabant, vt Nicolaitæ nuptias sacerdotibus concedebant, vt Seueriani maledictam dicebant legem Moysis, vt Pneumatomachi professionem Spiritus sancti à symbolo abscindebant, vt Nazareni Iudaismum obseruabant, paruulos morientes ante octauum à Natiuitate diem baptizari, mulieres in partu vel menstruo periclitantes communicari, vel si paganæ essent baptizari, prohibebant, Latinos vocabant azymitas, & eos nimis persequentes eorum ecclesias claudebant, de fermentato sacrificabant, in filijs suis Romanam ecclesiam anathematizabant, eique ecclesiam Constantinopolitanam præponebant. Ab imperatore ergo benigne habiti, Nicetam monachum ante eum vicerunt, adeo vt librum quem contra Romanos scripserat anathematizaret & incenderet. Michaele patriarcha nolente eis colloqui, charta excommunicationis coram clero & populo super altare sanctæ Sophiæ posita recedunt. Michael chartam ipsam corrumpens populoque legens, illos ab imperatore reuocatos ad synodum absente imperatore conuocauit, vt à populo lapidarentur. Quod imperatore prohibẽte Michael commouit populũ contra eum,	24 40 50

| Romanorum. | | Francorum. | Anni Domini.

tra eum, ſed conuictus chartã excommunicationis falſaſſe, Michael omneſq; ſui à gratia imperatoris remoti ſunt. Humbertus vero epiſcopus Syluæcandidę hæc deſcripſit, & ſcripta Nicetæ monachi & Leonis Alchidrani Bulgarorum archiepiſcopi confutauit, quæ de Latino in Græcum translata iuſſu imperatoris Conſtantini à Græcis recepta ſunt.

Henricus imperator filio ſuo Henrico puero quinquenni in regem ſublimato Aquis contra Balduinum proficiſcitur, qui Scaldim fluuium Balduino fugiente trãſiens omnia depopulatur, & inſuper apertis ſibi clauſulæ portis multam cædem inimicorum facit, & vltra progreſſus Lambertum comitem Balduini ſatellitem cum multis perimit, multos etiam Frãdrenſium primates exercitum ſuum proſequentes concludit intra vrbem Tornacum, & obſeſſos capit.

Leo papa moritur, qui cuius meriti apud Deum fuerit, cunctis patuit, cum multis ad ſepulchrum eius Romæ miraculis oſtenſis Deus eum clarificarit.

Bellum apud mortuum mare.

Gebehardus Eiſtedenſis epiſcopus, qui & Victor, Romanæ eccleſiæ 156 præſidet.

16 | Anno ordinatur Coloniæ archiepiſcopus, imperatore in Italia con- | 25 1055
ſtituto. Milites eius, Sclauis & Luticianis bello congreſſi, multi capiuntur aut perimuntur.

Balduinus Flandrenſis cum Godefrido auunculum ſuum Fredericum ducem intra Androuerpum obſidet, ſed concurrentibus Lotharingis ab oppugnatione deſiſtit.

17 | Victor papa in Gallias veniens glorioſe ab imperatore ſuſcipitur, | 26 1056
& eo præſente non multo poſt imperator Henricus moritur, & poſt eum filius eius Henricus imperat annis 50.

1 | Coloniæ generali conuentu habito, Balduinus & Godefridus me- | 27 1057
diante papa Victore ad gratiam regis & pacem reducuntur, & omnes bellorum motus ſedantur.

2 | In Friſonia captis ab imperatore Henrico aliquibus caſtellis, Friſo- | 28 1058
nes à rebellione refrenantur.

Fredericus filius Gothelonis ducis, ex clerico ſancti Lamperti ſeptimus leuita Romanæ eccleſiæ, quia exoſus erat imperatori Henrico pro odio fratris ſui Godefridi ducis, poſt legationem Conſtantinopolitanam apud Caſſinenſes monachus, & poſtea abbas factus, alteratus nomine Stephani Romanæ eccleſiæ 157 præſidet.

Paderbrunna Germaniæ ciuitas combuſta eſt cum maiori eccleſia. In monaſterio autem monachorum Scotus quidam monachus Paternus nomine multo tempore recluſus, qui etiam hoc incendium ſæpe prædixerat propter propoſitum recluſionis exire nolens, ſe comburi paſſus eſt.

3 | Benedictus Romanæ eccleſiæ 158 præſidet. | 29 1059

In pago Bracatenſi iuxta Tornacum multitudines colubrorum altrinſecus congregatæ, prodigioſo prælio inter ſe concurrunt, & multis vtrinque occiſis, victa pars fugiens in cauo arboris ſe abſcõdit. Altera pars vincẽtium more inſequens cum ſibilo circumſtrepebat, donec circumiecto ab hominibus igne omnes crematæ ſunt.

4 | Gerardus Florentiæ epiſcopus, qui & Nicolaus, Romanæ eccleſiæ | 30 1060
159 præſidet.

Henricus rex Francorum obijt.

Philippus filius eius poſt eum regnat annis 49.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.
1061	5 | Marianus chronographus claret, qui à Scotia in Gallias veniens, Co- | 1 loniæ factus monachus, primo apud Fuldam, postea apud Moguntiam re- clusus est.	
1062	6 | Anno episcopus Colonien sis, concilio primorum regni indigne fe- | 2 rentium, per Agnetem matrem imperatoris Henrici non viriliter gubernari puerum, violéter & industrie captum sub tutela sua accepit, & imperij regi- men à matre eius amouit, & de hac re coram cunctis ratione reddita, gratiam Domini sui imperatoris recepit, & per ipsum filium ad gratiam matris eius redijt. At imperatrix necessitatem vertens in voluntatem, vt obstrueret os lo- quentium de se iniqua, non solum honore regni, sed etiam honore seculi re- iecto, Romam ad limina Apostolorum se contulit, ibique vsq; ad finem vitæ omnibus bonis exemplo & miraculo fuit.	
	Hoc tempore claruit Lanfrancus prior monasterij Beccensis, ad cuius eximiam doctrinam de Burgundia conuolauit Anselmus, vir postmodum multa virtute & sapientia adornatus, & ei in prioratu successit sub viro egre- gio Herluino abbate primo, qui ipsum monasterium Beccense de proprio fundauit suo.	
1063	7 | Alexander Lucensis episcopus Romanæ ecclesiæ 160 præsidet, con- | 3 tra quem Cadelo Parmensis episcopus papatum ambiens, magno scandalo ecclesiæ fuit, quia longa inter eos concertatio etiam vsque ad homicidia pro- rupit.	
	Hoc anno finitur magnus cyclus annorum 532, continens cyclos decen- nouenales 28. Qui ad omnem rationem Paschalis computi omnino vti- lis, ab æuo in æuum in semetipsum sine errore reuoluitur. Sed hoc in eo re- prehensibile videtur, quod annis Dominicæ incarnationis ei inconsidera- te præscriptis, discordat à veritate Euangelij in anno Dominicæ passionis, præferens 14 lunam Aprilis eo anno in prima feria fuisse; quod omnino fal- sum est, quia secundum fidem Euangelij eo anno luna 14 Aprilis fuit in quinta feria, & in sexta feria luna 15 octauo Calendas Aprilis Dominus pas- sus est.	
	Exercitus multus à Gallijs in Hispanias ad debellandos Sarracenos pro- ficiscitur, sed omni regione à Sarracenis vastata, vrgente fame inefficax re- uertitur.	
1064	8 | Cyclus magnus annorum 532 bis à Natiuitate Christi exactus, tertio | 4 incipit.	
	Godefridus rex Anglorum obijt, eiq; Araldus succedit. | 5	
1065	9 | Friderico duce mortuo Gerardus ducatum recepit.	
	Multi vsq; ad septem millia orandi voto Hierosolymam petentes ab A- rabibus in parasceue in quodam castello obsessi sunt, & tot occisi aut vulne- rati, vt de septem & eo amplius millibus vix duo millia reuersi sint.	
1066	10 | Cometes apparuit in tota Paschali hebdomada.	
	Harwich rex Nordanimbrorum cum mille pene nauibus venit in Angli- am regnaturus; & in vrbe Eboraca plus quam mille laicos, centum presbyte- ros de Anglis occidit: cui Araldus rex Anglorum cum septem legionibus su- perueniens, eum cum multis occidit. Interim Guillelmus comes Norman- norum cum Francis in Angliam intrat, & conserto cum Anglis prælio Aral- dum cum multis millibus perimit, & regnat in Anglia annis viginti sex.	
1067	11 | Obijt sanctus Theobaldus, in Vincentia vrbe Venetiæ inclusus. | 7 | 1	
	Cono qui & Conradus, primicerius Colonien sis ab imperatore Henri- co ad suscipiendum archiepiscopatum Treuerorum missus, capitur à comi- te Treuerorum Deoderico, & à satellitibus eius in syluam ductus, de rupe tertio præcipitatur, & adhuc illæsus gladio transuerberatur, corpusque eius	

folijs

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | Anni Domini.

foliis syluæ obtegitur. Quod à rustico inuentum ad villam defertur & sepelitur: inde à Deoderico Virdunensi episcopo transportatum ad Tollegiũ monasterium multis statim miraculis à Deo glorificatur.

His temporibus Beluacensi ciuitate suo destituta antistite, Guido decanus custosque ecclesiæ sancti Quintini Virdunensis, & archidiaconus Laudunensis constituitur Beluacensis episcopus, & à Geruasio Remensi metropolitano consecratur. Qui grauiter ferens carere se præsentia Quintini martyris, in eius honore & memoria ædificauit ecclesiam, haut longe à mœnibus Belloacæ vrbis.

Romæ duobus de papatu contendentibus, Mantuæ synodus colligitur, & mediante Annone Colonienſe archiepiscopo, Alexander se iureiurando de Simonia expurgans, in sede Apostolica subrogatur. Cadelo vt Simoniacus repudiatur.

12 | 8 | Deodericus comes Treuerorum de martyrizato Cononeapud Deum & homines reus, exiliatur ab imperatore, & susceptа peregrinatione Hierosolymam eundi, quid de eo & de omnibus qui in comitatu eius pergebant actum sit, adhuc nescitur. | 2 | 1068

Hinc Francis, hinc Scotis Angliam incursantibus, Angli fame consumuntur, multi eorum humanis carnibus vescuntur.

13 | 9 | Guido episcopus Beluacensis duobus annis perfectam dedicauit ecclesiam in honore aduocati sui Quintini martyris, quarto nonas Octobris. | 3 | 1069

Fluminibus glaciali rigore constrictis, imperator Henricus terram Luticinianorum ingressus, eos nimia cæde prostrauit, terram eorum nimium depopulatus.

14 | 10 | Gerardus dux Mosellanorum moritur, moritur etiam dux Godefridus. Gerardo filius eius Deodericus, Godefrido succedit filius eius Godefridus gibbosus, etsi corpore exiguus, tamen animo eximius. | 4 | 1070

Hungari contra Salomonem regem suum rebellionem meditantur, sed terrore Henrici imperatoris, cuius soror nupserat Salomoni, refrenantur.

15 | 11 | Godefridus dux vlteriores Frisones bello aggressus, eos pene ad internicionem delet. | 5 | 1071

Treueris in ecclesia sancti Paulini, confessoris, in crypta subterranea inuenitur corpus eiusdem sancti Paulini, quod olim à Frisia vbi exulauerat reportatum, ibi à Felice episcopo catenis ferreis fuerat suspensum, & iuxta eum multa corpora sanctorum: ad dexteram scilicet eius Palmatius consul, & Patricius Treuerorum; ad sinistram Thyrsus vnus de principibus Thebææ legionis, cum multis Thebæorum in hac vrbe à Rictiouaro martyrizatus; ad caput septem senatores vrbis, Maxentius, Constãtius, Crescentius, Iustinus, & tres fratres, Leander, Alexander, Soter; ad pedes Hormisda, Papyrius, Constans, Iouianus. Et cum multi alij ibi iacerent, horum tantummodo nomina, & tempus, & dies passionis, aureæ literæ in pariete scriptæ signabant, eosque omnes sub Rictiouaro passos fuisse docebant.

16 | 12 | Balduino iuniore Flandrensium comite defuncto, Robertus frater eius consensu Flandrensium contra Arnulphum fratruelem suũ Flandrias occupat. | 6 | 1072

Arnulphus autem cum Philippo Francorum rege occurrit patruo suo Roberto, & pugna conserta Arnulphus perimitur, Philippus rex fuga liberatur, & multis occisis hinc Richildis Arnulphi mater, illinc Robertus capitur, & altero pro altero relaxato bellum inter eos vario euentu protrahitur.

17 | 13 | In hoc anno duobus magnis annis à 15 anno Tyberij Cæsaris | 7 | 1073

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

reuolutis, omnia ſecundum curſum Solis & Lunæ concordant illi anno quo baptizatus eſt Chriſtus Ieſus, id eſt octauo idus Ianuarij die Dominico Epiphaniæ. Initium ieiunij eius in ſecunda feria, tentatio eius 15 calendas Martij in ſexta feria.

Duobus fratribus Ruſſorum regibus de regno contendentibus, alter eorum à conſortio regni pulſus interpellat Henricum imperatorem, ſe & regnũ Ruſſorum ei ſubmittens, ſi eius auxilio reſtitueretur. Sed id fruſtra fuit, quia grauiſſima in imperio Romano orta diſſenſio monebat magis ſua tueri quam aliena acquirere. Saxones enim multis & magnis iniuriis & iniuſtitiis ab imperatore affecti, contra eum rebellant, ad quos debellandos imperator inſtanter intendit.

Hildebrandus archidiaconus Romanorum, qui & Gregorius, Romanæ eccleſiæ 161 præſidet.

1074 | 18 | 14 | Gregorius papa celebrata ſynodo Simoniacos anathematizauit, vxoratos ſacerdotes à diuino officio remouit, & laicis Miſſam eorum audire interdixit, nouo exemplo & (vt multis viſum eſt) inconſiderato præiudicio contra ſanctorum patrum ſententiam qui ſcripſerunt, quod ſacramenta quæ in eccleſia fiunt, baptiſmus ſcilicet, chriſma, corpus & ſanguis Chriſti, ſpiritu ſancto latenter operante eorundem ſacramentorum effectum, ſeu per bonos ſeu per malos intra Dei eccleſiam diſpenſentur. Tamen quia Spiritus ſanctus myſtice illa viuificat, nec meritis bonorum diſpenſatorum amplificantur, nec peccatis malorum attenuantur, vnde eſt hic qui baptizat: Ex qua re tam graue oritur ſcandalum, vt nullius hæreſis tempore ſancta eccleſia grauiori ſchiſmate ſciſſa ſit, his pro iuſtitia, illis contra iuſtitiam agentibus, aliis à Simonia non declinantibus, aliis notam auaritiæ honeſto nomine prætexentibus, dum hoc quod ſe gratis dare iactant, ſub charitatis nomine vendunt, vt de Montanis dicit Euſebius, ſub nomine oblationis artificioſius munera accipiunt. Porro continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam modo cauſa quæſtus ac iactantiæ ſimulantibus, multis incontinentiam peritio aut multipliciori adulterio cumulantibus, ad hoc hac opportunitate laicis inſurgentibus contra ſacros ordines, & ſe ab omni eccleſiaſtica ſubiectione excutientibus, laici ſacra myſteria temerant, & de his diſputant, infantes baptizant, ſordido humore aurium pro ſacro oleo & chriſmate vtentes, in extremo vitæ viaticum Dominicum & vſitatum eccleſiæ obſequium ſepulturæ à presbyteris cõiugatis accipere paruipendũt, decimas presbyteris deputatas igni cremant, & vt in vno cætera perpendas, laici corpus Domini à presbyteris coniugatis conſecratum, ſæpe pedibus conculcauerunt, & ſanguinem Domini voluntarie effuderunt, & multa alia contra ius & faſta in eccleſia ſunt, & hac occaſione multi pſeudomagiſtri exurgentes in eccleſia, prophanis nouitatibus plebem ab eccleſiaſtica diſciplina auertunt.

1075 | 19 | 15 | Henricus imperator Saxones grauiſſimo prælio vicit, eoſque iterata expeditione perurgens, cunctos eorum principes, epiſcopos, duces, comites, cæteroſque potentes ad deditionem coegit.

Hungari contra imperatorem rebellant, regemque ſuum Salomonem regno deturbatum ſub diutina cuſtodia excruciant.

Anno Archiepiſcopus Colonienſis obiit, qui parochiam ſuam rebus & monaſteriis à ſe fundatis ampliauit, inter quæ præeminet cœnobium Segebergenſe.

1076 | 20 | 16 | Gregorius papa totus in Henricum imperatorem inuehitur, & quoſcunque poteſt ab eo verbis & ſcriptis auertit, animum etiam Agnetis matris ipſius ab eo alienat.

Hoc

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | Anni Domini.

Hoc anno qui est decimus tertius annus primi decennouenalis cycli in repetito magno anno Dionysij duobus magnis annis à passione Domini reuolutis, omnia quæ ad cursum Solis & Lunæ spectant anno Dominicæ passionis concordant, vnde apparet, quod Dionysius non recte annos Domini cyclo suo annexuit. Quia enim ab anno Domini 532 cyclum suum orditus est, nimirum intendit Christum fuisse natum anno 2 prioris magni anni; ac per hoc hic annus, anno Dominicæ passionis concordans, debuisset esse magni cycli annus, non tertiusdecimus, sed tricesimus tertius, quia is fuit annus passionis Domini, & per hanc consequentiam Solaris & Lunaris cursus concordant Euangelicæ veritati. Dionysius posuit natiuitatem Christi 21 annis tardius quam debuit.

Richarius in Frisonia Godefridum ducem perimit.

Balduinus puer, frater Arnulphi occisi, ad Donengium bellauit contra exercitum patrui sui Roberti, quem pugnando deuicit.

Gelu magnum & glacies validissima à calendis Nouembris vsque in medio Aprilis.

| 21 | 17 | Henricus imperator coacto Wormaciæ concilio 24 episcoporum & multorum primatum regni decerni iubet, omnia decreta & facta Hildebrandi papæ irrita esse debere: ibiq; omnes præter paucos Hildebrandum abiurant, eumq; papatu abdicandum esse iudicant. Hildebrandus contra imperatorem excommunicat, sub hoc obtentu, vt primates regni quasi iusta ex causa excommunicato regi contradicant. | 11 | 1077

Dominica Palmarum circa horam sextam sereno cœlo stella apparuit.

Principibus Saxonum qui in deditione imperatoris erant relaxatis per eos quibus commissi fuerant, Saxones rebellant instinctu Hildebrandi papæ. Ipse papa occurrens imperatori in Longobardia sub falsa eum pace abiurio cumulantes imperatorem abiurant, & Rodulphum ducem Burgundionum super se regem statuunt, corona ei à papa missa cui erat inscriptum: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.*

Hunc Sigefridus archiepiscopus Moguntiæ in regem benedixt, & facta à Moguntinis seditione contra eos, Rodulphus cum archiepiscopo noctu aufugit. Hildebrandus papa omnes aduersantes imperatori absoluit ab infidelitate & periurio.

Imperator alpium aditibus contra se munitis vbiq; omnes eorum insidias frustratus, per Aquileiam venit Ratisponam, & Rodulphum adorsus eum fugere compulit, & iterata expeditione Sueuiam depopulatur.

| 22 | 18 | Henricus imperator Sueuiam peruagatus castella frangit, omnia depopulando inimicis suis formidinem, amicis addit fortitudinem, & multos qui ex desperatione rerum à se defecerant, ad se trahit. | 12 | 1078

Germanus episcopus Hildebrando papæ ad animam confœderatur, ac per hoc imperatori rebellis Metensi vrbe pellitur. Ab hoc tempore cœpit reflorere in ecclesia beati Quintini Beluacensi canonicus ordo, primum ab Apostolis, postea à beato Augustino episcopo regulariter institutus, sub magistro Iuone, venerabili eiusdem ecclesiæ præposito, postea Carnotensium episcopo.

| 23 | 19 | Hoc anno inceptum est cœnobium sancti Saluatoris, in insula quæ dicitur Aquincinctus, à viris illustribus Sichero videlicet atque Gualtero, qui Anselmum de Ribodimonte nobilissimum virum adeunt, & ab eo insulam quia sui erat iuris, deposcunt. At Anselmus sine dilatione gratis quod petebatur concessit. | 13 | 1079

Hoc tempore in Oriente Turci super Arabes & Sarracenos inualuerunt,

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

& Armeniam & Syriam incursantes, multas vrbes & ipsam Antiochiam capiunt.

Henricus imperator in Pentecoste conuentu habito Moguntiæ, decreuit Hildebrandum à papatu esse deponendum, & Longobardiam petens, Guibertum Rauennæ episcopum pro Hildebrando papam designat.

1080 24 | 20 | Hildebrandus papa quasi diuinitus reuelatum sibi prædixit, | 14 hoc anno falsum regem esse moriturum: & verum quidem prædixit, sed fe- 10 fellit eum de falso rege coniectura, secundum suum velle super Henrico rege interpretata. Rex enim Henricus Saxonibus graui prælio congreditur, & in congressu falsus rex Rudolphus cum multis Saxoniæ principibus extinguitur.

Moguntia magnum terræmotum persensit calendis Decembris.

Claret in Anglia Lanfrancus, doctrina & probitate conspicuus, ex abbate Cadomensi ordinatus Cantuariæ archiepiscopus. Eo tempore florebat in Normannia Anselmus Beccensis monasterij abbas eximius, & pro sua sanctitate & sapientia plurimum nominatus.

Hoc etiam tempore in cœnobio sancti Medardi pollebat signis & virtuti- 20 bus vir beatissimus Arnulphus, qui pro miro sanctitatis feruore propositum reclusionis eligens, & arcta nimis abstinentia seipsum affligens, prophetiæ gratiã diuinitus accepit, & ex recluso abbas huius monasterij factus ad ipsam reclusionem pro contemptu mundi à desiderio internæ quietis postmodum rediit. Suessonico autem pontifice defuncto, electus est ad episcopatum, & iussu papæ Gregorij à sedis Apostolicæ legato Hugone Lugdunẽsi archiepiscopo in præsulem est consecratus.

1081 25 | 21 | Regis Dagoberti tempore sanctus præsul Vrsinarus in Flandren- | 15 si prouincia prædicans, sub honore sancti Petri Apostoli ipso sibi reuelante ecclesiam Maldenburgensem oppido ædificauit & consecrauit, quam Deus multis miraculis vsquequaque glorificauit. Inter quæ illud tam mirabile quam inauditum antea extitit, quod hoc anno Dominici nocte natalis contigit. Campanarium præfatæ ecclesiæ vehementi vento flante à suis locis euulsum, & ad terram penitus fuit inuersatum, ita in aere pendens & ruinam sui minitans, vt semper casurum & cuncta vicinia confracturum cerneretur. Sed cum per sex noctes & dies id tractaretur à populo, qualiter hinc inde extractis machinis sursum erigeretur, & vtrumque loco suo relocaretur, pridie calendas Ianuarij circa noctis medium aduenies virtus diuina, totam ecclesiam intus & foris impleuit luce ignea, & campanarium ad terram reclinatum, totum simul erexit, ac firmissime locis suis relocauit, & campanas ibi dependentes mox sonare compulit.

Eadem die surdi & claudi, cæci & paralytici, celerrimam in loco illo adepti sunt medelam. Nec solum illo die sed prolixiori tempore diuinæ virtutis tanta permansit copia vt de longe & de prope confluentibus æ grotis, parata cœlitus præstaretur medicina.

Magnus terræmotus cum graui terræ mugitu factus est sexto calendas Aprilis, prima hora noctis, portendens fore imminens malum, quod in toto orbe insonuit, & vnde terra dolet & doluit. Henricus enim imperator ad debellandum papam Hildebrandum Italiam petit, contra quem papa vrbibus & castellis munitis se ad rebellandum accingit, eumque Romam hostiliter ad- 50 euntem non recipit.

Henricus autem imperator expugnatis vrbibus & castellis, quæ contra se pro Hildebrando erant, Romam Leonianam obsident.

In Gallia Hermannus miles Hermanni episcopi corona sibi imposita, post Rodulphum in Saxonia tyrannidem exercet.

Marianus

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | Anni Domini.

Marianus Scotus Chronicam suam à Christi Natiuitate inchoatam, vsque ad hunc annum perduxit, qui erat ætatis suæ annus 56, multum laborans errorem corrigere de annis Domini, qui inuenitur in cyclo Dionysij, altrinsecus autem secundum veritatem Euangelij.

27 | 23 | Hoc anno Henricus imperator Roma Leoniana capta Ro- | 17 | 1083
mam obsidet. Condicto inter imperatorem & papam die ad causam inter eos discernendam, cum pax dissimulante papa inter eos non conueniret, Romani & multi Italiæ episcopi à papa descisc unt, qui fugiens ad Normannos se contulit.

28 | 24 | Romani imperatorem Henricum recipiunt in vrbe, & eorum | 18 | 1084
iudicio Hildebrandus papatu abdicatur, & Guibertus Rauennæ archiepiscopus in sedem Apostolicam inthronizatus, Clemens nominatur.

Bruno natione Teutonicus ex vrbe Colonia, literis apprime eruditus, Remensis ecclesiæ canonicus, & scholarum magister, relicto seculo eremum Carthusiæ fundat, propositumque monasticæ conuersationis satis arduum instituit. Huius sancti propositi cooperator & æmulator episcopus beatæ memoriæ Hugo Gratianopolitanus episcopus, ab eodem Brunone habitum monachicum sumpsit, cunctisq; ibi habitantib. insigne exemplum præbuit.

Henricus rex patricius Romanorum constituitur, & à Clemente papa in imperatorem benedicitur.

Comes Montensis Balduinus vxorem ducit Idam.

29 | 25 | Henricus imperator Moguntiæ regali & synodali conuentu | 19 | 1085
coacto exigit ab omnibus, vt Hildebrandi depositionem & Guiberti ordinationem sub scripto approbent, cui aliqui manu & ore fauentes, corde tamen Hildebrando adhærebant.

Hermannus Metensis sibi absenti abiudicato episcopatu iterum vrbe pellitur. Imperator in episcopatu Metensium alterum mercenarium suppositit, sed oues Christi non audiuerunt voces alienorum.

Imperator Saxones aggreditur. Illi pacem petunt & impetrant, pacti quod omnibus pro hac rebellione proscriptis sua restituantur. Quod quia factum non est, iterum rebellant, incentore præ cunctis Egberto comite imperatoris consanguineo.

Gualcherus ex clero sancti Lamberti in Anglia episcopus Anglorum odiis innocens impetitur, & in celebrando Missam ab eis quasi alter Stephanus papa martyrizatur.

Hildebrandus papa, qui & Gregorius septimus, apud Salernum exulans moritur. De hoc ita scriptum reperi. Volumus vos scire qui ecclesiasticæ curæ soliciti estis, quod Dominus Apostolicus Hildebrandus, qui & Gregorius, nunc in extremis positus ad se vocauit vnum de duodecim cardinalibus, quem multum diligebat præ cæteris, & confessus est Deo, & sancto Petro, & toti ecclesiæ, se valde pecasse in pastorali cura, quæ ei ad regendum commissa erat, & suadente Diabolo contra humanum genus odium & iram concitasse. Postea vero sententiam quæ in orbe terrarum effusa est, pro augmento Christianitatis cœpisse dicebat. Tunc demum misit prædictum confessorem ad imperatorem & ad totam ecclesiam, vt optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat, & tam cito induebat se Angelica veste, & dimisit ac dissoluit vincula omnium bannorum suorum imperatori, & omni populo Christiano, viuis & defunctis, clericis & laicis, & iussit suos abire de domo Deoderici, & amicos imperatoris ascendere.

30 | 26 | Saxones vrbem Wirzburch obsidentes, vt episcopum ipsius | 20 | 1086

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Alberonem expulsum à ciuibus sedi suæ restituant, Henricus imperator aggreditur. Sed exercitus eius diuinitus exterritus cessit, & ceciderunt ex eis plusquam quatuor millia, à parte Saxonum quatuordecim tantum occisis.

Hoc anno nimia aquarum inundatio multis in locis damno & periculo fuit. Nam & in Italia diluuies tanta fuit, vt rupes liquefactæ plures villas ruina sua destruerent.

Cassinensium abbas Desiderius, qui & Victor, 162 contra Clementem fit papa, sed dysenteria dissolutus non multo post moritur.

Anselmus Lucensis episcopus Hildebrandi papæ cooperator indefessus apud Mantuam exulans moritur, qui in Hieremiam & in Psalmos tractatus edidit, & doctrinam Hildebrandi libro luculento confirmauit, cuius sanctitas miraculis declarata est.

Domesticæ aues, pauones, gallinæ & anseres, se à domibus extrahentes, omnes fiunt syluaticæ.

1087 | 31 | 27 | Inter imperatorem & Saxones vario euentu sæpe pugnatur. | 21

Venetianis meditantibus auferre corpus sancti Nicolai à Myrrhea Lyciæ à Turcis desolata, præoccupauerunt eos Barenses ciues numero 47, ab Antiochia Myrrheam venientes, qui à quatuor tantum monachis ibi inuentis extorserunt ostendi sibi tumbam sancti. Qua effracta, ossa sancti Nicolai in olei liquore natantia integro numero extraxerunt, & Barum cum gloria detulerunt. Facta est autem hæc translatio anno 745 à depositione sancti Nicolai.

Sanctus Arnulphus ex abbate sancti Medardi postmodum etiam ad pontificatum ciuitatis Suessonicæ promot⁹, pro pacis reintegratione inter Flandrenses Flandriam venit, atque in vico nomine Aldenburch ecclesiam sancti Petri iam diuinis miraculis illustratam, cœnobium monachorũ fecit, ordinem regularis vitæ instituit, tandemq; in eodem monasterio & finem vitæ & sepulturam secundum quod ipse prædixerat, accepit.

Pisces in aquis moriuntur.

1088 | 32 | 28 | In Hispania rex Galliciæ Ausul Sarracenos fortiter debellat, & | 22

Toletum maximam eorum vrbem per aliquot annos obsessam, tandem expugnat, & cultum Christianitatis in ea dilatat.

Odo ex monacho Cluniacensi episcopus Ostiensis, contra imperatorem & Guibertum 163 fit papa, & vrbanus nominatur. Hinc in ecclesia scandala, & in regno augescunt dissidia, dum alter ab altero dissidet, dum regnum & sacerdotium dissentit, dum alter alterum excommunicat, alter alterius excõmunicationem aut ex causæ aut ex personæ præiudicio contemnit, dumq; alter in alterum excommunicandi authoritate magis ex suo libitu, quam ex iustitię respectu abutitur, authoritas illius qui dedit potestatem ligandi ac soluendi, omnino despicitur. Nimirum (vt pace omnium bonorum dixerim) hæc sola nouitas (non dicam hæresis) nec dum in mundo emerserat, vt sacerdotes illius qui dixit regi Apostata, & qui regnare facit hypocritã propter peccata populi, doceant populum, quod malis regibus nullam debeãt subiectionem, & licet ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec periuri dicantur qui contra regem senserint, imo qui regi paruerit pro excommunicato habeatur, qui contra regem fecerit à noxa iniustitiæ & periurij absoluatur.

1089 | 33 | 29 | Godefrido Godefridi Gibbosi ex sorore nepoti tandem datur | 23

ducatus Lotharingiæ.

Annus pestilens maxime in Occidentali parte Lotharingiæ, vbi multi sacro igne interiora consumente computrescentes, exesis membris instar carbonum

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | Anni Domini.

bonum nigrescentibus, aut miserabiliter moriuntur, aut manibus ac pedibus putrefactis truncati miserabiliori vitæ reseruantur, multi vero neruorũ contractione distorti tormentantur.

34 | 30 | Henricus imperator ad debellandos aduersantes sibi Italiam petit | 24 | 1090

Hermandus tyrannus à Saxonia Lotharingiam repetens ad concitandos regni motus laborat, qui dum muro castelli cuiusdam incaute approximat, iacto de turri saxo in capite percutitur & moritur.

Metis corpus sancti Clementis primi episcopi ab Apostolis illic ordinati inuentum leuatur.

In Saxonia Egbertus comes dum fideles imperatoris bello insequitur, & ipse perimitur.

Sterilitas frugum terræ augescit, & fames paulatim irrepit.

35 | 31 | Henricus imperator in Italia castella & munitiones aduersantium sibi expugnat, Mantuam quoq; obsidet & capit. | 25 | 1091

36 | 32 | Incentoribus Saxonici belli omnibus pene peremptis, Saxones pertæsi malorum composita inter se pace, quiescunt ab omni motu bellorum. | 26 | 1092

Dominus Iuo, sancti Quintini Beluacensis præpositus, à papa Vrbano cõsecratus, fit Carnotensis episcopus.

Guillelmus Anglorum rex vir singularis censuræ & seueritatis obijt, Guillelmus filius eius ei succedit.

37 | 33 | Conradus filius imperatoris Henrici in Italia se ad patris sui aduersarios contulit, & multis se à patre ad filium vertentibus, hæc res priores patris victorias multum obfuscat, & vires eius attenuat. | 1 | 1093

Iaculum ignitum à meridie ad Aquilonem per cœlum ferri visum est calend. Augusti, prima hora noctis.

38 | 34 | Dominus Girardus Cameracensis ecclesiæ episcopus obijt, cui Gualcherus succedit, sed ipso postea ab episcopatu expulso, Manasses ordinatur episcopus. | 2 | 1094

In Gallia & Germania grauis hominum mortalitas facta est.

In Italia qui ad imperatorem ab hostibus eius se transtulerant, eo ad Galliam reuerso, omnes pene ad hostes eius rursum transeunt, & munitiones ab eo expugnatas contra eum muniunt.

Pontificante in vrbe Laudunensi Eluiando, mulier quædam in proximo manens, habebat genetum iuuenili specie decorum, quem multa diligentia pro amore filiæ suæ accurabat: vnde & orta turpis suspicio de muliere & genero suo inter vicinos homines valde eam turbauit. Quæ impatienter ferens famam suam hominis opprobrio turpari, iniuriæ suæ causam in eum retorsit, & clandestina machinatione vt occideretur à duobus pueris procurauit. Postmodum vero ad pœnitentiam facti homicidij conuersa, cuidam presbytero per confessionem peccatum suum reuelauit. Sed elapso aliquanti temporis spatio, presbyter idem cum ea litigans, malum quod fecerat, ei in faciem exprobrauit. Quo audito, parentes hominis occisi properantes, nunciauerunt vicedomino Landunensi. Iubente vicedomino, vocata mulier venit, & qualiter hominem occidisset nequaquam celauit. Iudicatum est igitur, eam ignibus debere concremari, sed prius ducta ad ecclesiam beatæ Dei genitricis Mariæ peccatum suum coram Deo & hominibus ex ordine narrauit, & sic meritis & precibus sanctissimæ virginis Mariæ seipsam fideliter commendauit. Deinde missa in ignem incendium nullatenus sensit, sed diuina protegente gratia, consumpto igne ipsa permansit illæsa. Quod factum cognati hominis occisi non di-

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

uinæ virtuti aſcribentes, ſed fragilem potius lignorum materiam cauſantes, iterum ſuccendunt ignem circa eam fortioribus lignis, ſed nihil profecerunt. Iterato enim miraculo, ſeruauit eam Deus incolumem ab exuſtione ignis ad laudem ſui nominis, ſuæque genitricis gloriam & honorem. Egreſſa igitur ex incendio non ſolum carne, ſed etiam veſte & carne illæſa, ad eccleſiam ſanctæ Dei genitricis omni populo applaudente ducta eſt, & poſt laudes Deo redditas volente Deo paucis diebus tranſactis, tranſijt ab hoc ſeculo.

1095 | 39 | 35 | Elimandus bonæ memoriæ Laudunenſis epiſcopus obijt. Iu- | 3
gelrandus ſuccedit Elimando.

Fames diu concepta grauiſſime ingrauatur, & fit annus calamitoſus, multis fame laborantibus, pauperibus per furta & incendia ditiores grauiter vexantibus.

Cum valido ventorum turbine etiam terræmotus factus eſt media nocte, quarto Id. Septembris.

Rex Anglorum à fratribus ſuis belle ſollicitatur in Normannia & Anglia.

In multa terrarum parte pridie Non. Apri. circa diluculum ſtellæ complures ſimul de cœlo in terram cecidiſſe viſæ ſunt, inter quas vnam maximam labi in terram cum quidam in Francia ſtuperet, & notato loco vbi labi viſa eſt, cum aquam ibi fudiſſet, fumus cum feruoris ſono inde exiret, magis ſtupuit.

Henricus comes Louanienſis perimitur.

In comitatu Namucunſi panem ſubcinericium quaſi ſanguine infectum vidimus.

Rex Hungarorum moritur.

Vrbanus per Burgundiam & Franciam habitis concilijs Hildebrandi decreta renouat & confirmat, Philippum regem Francorum qui viuente vxore ſua ſuperduxerat alterius viuentis vxorem, excommunicat.

Hoc anno ſacro igne multi accenduntur, membris inſtar carbonum ni-greſcentibus.

1096 | 40 | 36 | Eclipſis Lunæ facta eſt tertio Idus Februarij, rurſum ſeptimo | 4
Idus Auguſti eclipſis Lunæ facta eſt.

Occidentales populi dolentes, loca ſancta Hieroſolymorum à gentibus prophanari, Turcos etiam terminos Chriſtianorum iam multa ex parte inuaſiſſe, innumerabiles, vna inſpiratione moti, & multis ſignis ſibi oſtenſis alij ab alijs animati, duces, comites, potentes, nobiles & ignobiles, diuites, pauperes, liberi & ſerui, epiſcopi, clerici, monachi, ſenes & iuuenes, pueri & puellæ, omnes vno animo nullum vllo angariante vndique concurrunt, ab Hiſpania, à Prouincia, ab Aquitania, à Britannia, à Scotia, ab Anglia, à Normannia, à Francia, à Lotharingia, à Burgundia, à Germania, à Longobardia, ab Apulia, & ab alijs regnis virtute & ſigno ſanctæ crucis ſignati & armati, vltum ire parant iniurias Dei in hoſtes Chriſtiani nominis. Et quanto quiſque hactenus ad exercendam mundi malitiam erat pronior, tanto nunc ad exercēdam vltro Dei militiam fit promptior, firmiſſima pace interim vbique compoſita. Et primo Iudæos in vrbibus in quibus erant aggreſſi, eos ad credendum in Chriſtum compellunt, credere nolentes bonis priuant, trucidant, vrbibus eliminant. Aliqui Iudæorum zelo tenendæ patriæ legis ducti, ſe mutuo trucidant, alij ad tempus ſe credere ſimulantes, poſt ad Iudaiſmum reuoluuntur.

Eminebant in hoc Dei hoſtico dux Lotharingiæ Godefridus, & fratres eius Euſtachius & Balduinus, Anſelmus de Ribodimonte, Balduinus com s

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Anni Domini.

comes Montensis, Robertus comes Flandrensis, Stephanus comes Blesensis, Hugo Magnus frater Philippi regis Francorum, Robertus comes Normannorum, Raymundus comes sancti Ægidij, Baiamundus dux Apuliæ, & Tancredus nepos eius. Horum omnium curam Apostolica authoritate suscepit vir eximius Hamarus Podiensis episcopus, eisq; consilio & doctrina vsque ad captam Antiochiam plurimum proficuus fuit. Huius etiam viæ incitator Petrus quidam eremita fuit, qui vsq; ad captam Hierusalem in multis vtilis cum exercitu Dei perseuerauit.

41 | 37 | Cometes in Occidente apparuit, tota prima hebdomada Octobris. | 5 | 1097

Nimia aquarum inundatione autumnalis satio impeditur, & sterilitas frugum terræ sequitur.

Exercitus Dei aggressus terminos paganorum viriliter agit, primumq; eius fuit bellum ad Pontem Pharphar fluminis non. Calend. Mart. vbi multi Turcorum occisi sunt. Secundum eis bellum fuit apud Niceam tertio Non. Martij, in quo etiã pagani victi sunt. Capta ergo Nicea, capta Laodicea, cum essent plus quam trecenta millia armatorum in exercitu Christianorum, tanta ei omnium rerum suppetebat copia, vt aries vno nummo, bos vix duodecim nummis venderetur.

Lanfranco Cantuariensi archiepiscopo defuncto, Anselmus abbas Beccensis pro sua sanctitate & doctrina non solum in Normannia, sed etiam in Anglia iam celeberrimus succedit in præsulatu. Qui licet à rege Guillelmo & principibus terræ, totiusque ecclesiæ conuentu susceptus honorifice fuisset: multas tamen molestias & tribulationes postmodum sub ipso rege passus est pro statu ecclesiæ corrigendo. Nam reges Angliæ hãc iniustam legem iam diu tenuerant, vt electos ecclesiæ præsules ipsi per virgam pastoralem ecclesijs inuestirent.

42 | 38 | Obsessa Antiochia in tantum attenuati sunt Christiani propter omnium rerum penuriam, vt in tanto exercitu vix centum boni equi inuenirentur, & tamen quamuis ex desperatione rerum multi se subtraxerint, multi etiam repatriauerint, nono obsidionis mense capta Antiochia Christiani à paganis versa vice obsessi tanta fame afflicti sunt, vt vix aliqui ab humanis carnibus abstinerent: sed confortati à Deo per inuentam eius lanceam à tempore Apostolorum non visam, ipsa lancea eos præcedente obsessi cum obsessoribus concurrerunt 4 Calendas Iulij, & hoc tertio bello victoriam adepti sunt. Quartum bellum eis fuit in Romania, Calendis Iulij, & ibi Turci victi sunt. | 6 | 1098

Commissa Antiochia duci Baiamundo, Christiani propter vitandum tædium, & famem, & maxime propter discordias principum, proficiscuntur in Syriam, & expugnatis Marra & Barra vrbibus Sarracenorum, & multis regionum castellis, tanta ibi rursum fame affecti sunt, vt corpora Sarracenorum iam fœtentia comedere compulsi sint.

Conradus Vltraiectensis episcopus feria quarta Paschæ post Missam à se celebratam à quodam suorum in domo sua perimitur. In episcopatu Lingonensi situm noscitur esse cœnobium nomine Molismus, fama celeberrimum, religione conspicuum. Hoc à sui exordio magnis sub breui tempore diuina clementia suæ gratiæ muneribus illustrauit, viris illustribus nobilitauit, nec minus amplum possessionibus quam clarum virtutibus reddidit. Cæterum possessionibus virtutibusque diuturna non solet esse societas. Hoc quidam ex illa sancta congregatione, viri nimirũ sapientes altius intelligentes elegerunt potius studijs cœlestib⁹ occupari, quam terrenis implicari

Anni Domini. | Romanorum. | Francorum. | Anglorum.

negotijs. Vnde & mox virtutum amatores de paupertate fœcunda virorum cœperunt cogitare. Simulque aduertentes, ibidem etsi sancte honesteque vi-ueretur, minus tamen pro sui desiderio atque proposito ipsam quam profes-si fuerant regulam obseruari, loquũtur alteruti um quod singulos monet, pa-riterq; inter se tractant, qualiter illum versiculum adimpleant, *Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea.* Quid plura? Vnus & viginti monachi vna cum patre ipsius monasterij beatæ scilicet memoriæ Roberto egressi, com-muni consilio, communi perficere nituntur assensu, quod vno spiritu conce-perũt. Igitur post multos labores ac nimias difficultates, quas omnes in Chri-sto pie viuere volentes pati necesse est, tandem desiderio potiti, Cistercii-um deuenerunt, locum tunc scilicet horroris & vastæ solitudinis. Sed milites Christi loci asperitatem ab arcto proposito quod iam animo conceperant, non dissidere iudicantes, vt vere sibi diuinitus præparatum tam gratum ha-buere locum quam charum propositum. Hoc igitur anno ab incarnatione scilicet Domini 1098, venerabilis Hugonis Lugdunensis Ecclesiæ Archiepi-scopi, sedis Apostolicæ tunc legati, & religiosi viri Walterij Cabilonensis E-piscopi nec non & clarissimi principis Odonis Burgũdiæ ducis freti consilio, authoritate roborati, inuentam eremum in abbatiam construere cœperunt, præfato abbate Roberto ab illius diœcesis episcopo videlicet Cabilonensis suscipiente curam virgamque pastoralem, cæteris sub ipso in eodem loco fir-mantibus stabilitatem. At vero post non multum temporis factum est, vt i-dem abbas Robertus requirentibus eum monachis Molismensib⁹, papæ Vr-bani secundi iussu, Walterij Cabilonensis episcopi licentia & assensu, Mo-lismum reduceretur, & Albericus vir religiosus & sanctus in ipsius loco sub-stitueretur. Hoc sane inter vtramq; ecclesiam sequestro pacis gratia retento, & Apostolica authoritate confirmato, vt ex eo iam tempore neutra earum v-triuslibet monachum ad habitandum sine commendatione regulari susciperent. Quo facto nouum monasterium noui patris sollicitudine & industria in breui & non mediocriter Deo cooperante in sancta conuersatione profecit, opinione claruit, rebus necessarijs creuit.

Multis in locis quinto Calend. Octobris cœlum quasi ardere visum est nocturno tempore, & sequuta est animalium pestilentia, & segetes nimio im-bre & aurigine corruptæ sunt.

1099 43 | 39 | Christianis Turcas fortiter debellantibus, eorumque vrbes | 7 & castella sibi bellando vendicantibus, contigit apud quoddam munitissi-mum castrum nomine Archas, à Hierusalem octo mansionibus situm, mul-tos eorum perire, cum quibus & Anselmus de Ribodimonte lapide percus-sus in capite occubuit, hoc solummodo post acceptum vulnus ter verbum repetens: Deus adiuua me. Erat autem vir prudentissimus, & exercitui satis vtilis, atque erga beatum martyrem Quintinum adeo deuotus, vt singulis an-nis solennitatem eiusdem martyris die suo clericis vndecunque congregatis contra se celebrari faceret, eisque post peractum officium copiosam refectio-nis mensam pararet. Exercitus autem Dei diuino monitu in interiora profe-ctus, larga Dei manu refollicatus est, quia ciues & castellani illius regionis legatos cum multis donarijs ad eos præmittebant, parati etiam oppida vel vrbes eis tradere. A quibus Christiani securitate accepta, & indicto vrbibus tributo interim, etiam multis eorum qui se subtraxerant ad eos apud Ty-rum recurrentibus, tandem peruenerunt Hierusalem. Eaque obsessa cum laborarent pro victus & maxime pro aquæ penuria, omnes ex communi decreto nudis pedibus quotidie orando circuibant vrbem. Octauo ergo ta lis humiliationis die, obsidionis autem tricesimo nono capta est Hieruſa-lem, Idibus Iulij, in sexta feria: & in templo Salomonis & in porticu eius

Christia-

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | | Hierosolymorum. | Anni Domini.

Christiani cum paganis quinto bello conserto tanta in eos cæde debacchati sunt, vt in sanguine occisorum equitarent vsque ad genua equorum. Cumq; ordinatum esset, qui Hierusalem deberent retinere, iam principibus de repatriando agentibus; ecce rex Sarracenorum ad debellandos eos venit Ascalonia cum centum millibus equitum, & quadringentis millibus peditum. Quibus cum occurrisset exercitus Domini, in quo non plus quam quinque millia equitum & quindecim millia peditum erāt, Deo pro seruis suis ad se reclamantibus pugnante & nube eius ab æstu Solis defendente, Sarraceni solo Christianorū impetu territi, omnes proiectis armis fugerunt. Et in hoc sexto bello quarto Calend. Aug. facto cæsa sunt centum millia Sarracenorum, in porta vero Ascaloniæ suffocati sunt ad duo millia. Eorum qui in mari perierunt, & qui inter spineta syluarum consumpti sunt, numerus nescitur. Duce autem Godefrido electo ad principandum remanentibus in Hierusalem, cęteri principes repatriant.

Capta est Hierusalem post annos circiter quadringentos sexaginta, ex quo sub Heracliano imperatore secunda vice capta possessa est à Sarracenis.

44 | 40 | Guibertus & Vrbanus, qui de papatu Romano contendebant, moriendo finem faciunt suæ contentionis. | 8 | 1 | 1100

Raginerus, qui & Paschalis, Romanæ ecclesiæ 164 præsidet.

Godefridus dux Lotharien sum, & princeps Hierosolymitanorum moritur. Balduinus frater eius in regno ei succedit.

Guillelmus rex Anglorum moritur, eique succedit in regno frater eius Henricus.

Robertus comes Flandrensis ab Hierosolymis repatrians, detulit secum brachium sancti Georgij martyris, quod ecclesiæ Aquicinensi transmisit.

45 | 41 | Conradus filius Henrici imperatoris adhuc patri rebellis, in Italia moritur. | 1 | 1 | 1101

Henricus imperator Henricum Lengburgensem aduersantem sibi debellat, & expugnatis eius castellis eum ad deditionem cogit, sed imperator ei multa summa gratiam suam redimenti, etiam ducatum Lotharingiæ donat.

46 | 42 | Roberto Flandrensium comite inquietante vrbem Cameracum, Henricus imperator cōtra eum proficiscitur, & aliquibus eius castellis expugnatis, asperitate instantis hyemis redire compellitur. | 2 | 2 | 1102

47 | 43 | Henricus imperator sedatis Saxonum motibus, pacem in quadriennium constituit. | 3 | 3 | 1103

Legiæ generali conuentu habito, Robertus comes Flandrensium in gratiam imperatorum recipitur.

48 | 44 | Hierosolymitæ Accaron vrbem capiunt. | 4 | 4 | 1104

49 | 45 | Vigilia Natalis Domini, terræmotus magnus factus est in Hierosolymis. | 5 | 5 | 1105

Hierosolymitę innumerabilem paganorum multitudinem glorioſa victoria conterunt.

Filius imperatoris Henrici à patre auersus quoscunq; potest ab eo auertit, & sub obtentu meliorandæ Reipublicæ & restaurandæ ecclesiæ in eum insurgit.

Duo orbes in modum Solis forma & lumine quotidiano Soli similes apparuerunt, omnium colorum specie radiantes ad instar arcus cœlestis.

50 | 46 | Quarto Non. Februa. stella per diem visa est in cœlo ab | 6 | 6 | 1106

| Anni Domini. | Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Hierosolymorum. |

hora tertia vsq; ad horam nonam, quasi cubito distans à sole.

Henricus imperatoris filius contra ius naturæ & fas legum in patrem insurgens, quam indigne eum tractauerit, declarat epistola ex ore ipsius patris scripta ad Philippum regem Francorum.

Pridie Id. Febr. apud Barum Italiæ stellæ visæ sunt in cœlo per diem nunc quasi inter se concurrentes, nunc quasi in terram cadentes.

Toto pene mense Februario cometes apparuit. Imperatore Henrico moriente Leodij, filius eius Aquisgranum venit, & volens venire Leodium contra patrem suum, quinta feria Dominicæ cœnæ præmisit suos præoccupare pontem apud Vinsatum, ne quis venienti sibi obstaret. Sed militibus patris concurrentibus ad occupandum pontem, milites filij à ponte repelluntur, alijs eorum captis, alijs in Mosam dimersis, alijs occisis, inter quos etiam Bruno comes occisus est. Sicque filius contra patrem veniens rediit inglorius.

Colonienſibus fidem imperatoris seruantibus, & eorum Archiepiscopo filium imperatoris contra patrem suum animãte, Colonia obsessa oppugnatur, sed non expugnatur. Interim Henricus imperator Leodij moritur, eique succedit filius æquiuocus eius.

Dux Henricus, qui ab imperatore ad filium eius animo transiens, eum cõtra patrem suum consilio suo armauit, & à filio ad patrem rediens partes filij debellauit, mortuo imperatore se vt reum maiestatis filiore gis dedit, & ab eo captus custodiæ traditur, de qua ipse per industriam suam euasit. Ducat⁹ eius datur Godefrido Louanienſi comiti.

1107 | 1 | 47 | Henricus ex dux affectans repetere ducatum, occupat oppidum Aquisgrani contra Godefridum ducem. Sed hoc non ferens Godefridus, oppidum Aquense violẽter irrupit, oppidanos à facie Henrici exterruit, aliquos potentes comites & multos nobiles cepit. Ipse Henricus cum filijs suis vix fuga euasit, vxorem eius capere dux indignum duxit, comites & honoratiores eorum quos ceperat per conditionem sub se militandi sibi conciliatos, ad fidelitatem suam adduxit. | 7 | 7

Bellum apud Tenechebray inter Henricum regem Anglorum & fratrem eius Robertum comitem Normannorum, vbi rex Henricus victoriam adeptus, pene omnes principes Normãniæ aut occidit aut cepit, & sic Normanniam obtinuit.

Albericus abbas Cistercij supernæ vocationis brauium, ad quod ibidem per nouem annos non in vacuum cucurrit, decimo apprehendit. Cui successit Dominus Stephanus homo natione Anglicus, religionis, paupertatis, disciplinæque regularis ardentissimus amator, fidelissimus æmulator. In huius vere diebus verum esse patuit, quod scriptum est, Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. Nam pusillus grex hoc solum plangeret, quod pusillus esset, hoc solum inquam metuerent, & metuerent vsque ad desperationem pene Christi pauperes, suæ se non posse relinquere paupertatis hæredes. Vicinis quippe hominibus vitæ quidem in eis honorantibus sanctitatem, sed abhorrentibus austeritatem, & ita resilientibus ab eorum imitatione quibus appropinquabant deuotione; Deus cui facile est de exiguis magna, de paucis facere multa, multorum præter spem ad ipsorum imitationem excitauit corda, ita vt in cella probandi nouitiorum tam clerici quam laici & ipsi secundum seculum nobiles atque potentes triginta pariter cohabitarent. Ex qua cœlica visitatione tam subita, tam læta, lætari non immerito iam tandem cœpit sterilis, quæ non pariebat, quoniam multi facti sunt filij desertæ. Nec cessauit ei Deus in dies multiplicare gentem, magnificare lætitiam, donec tam suis, quam de filijs filiorum

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | | Hierosolymorum. | Anni Domini.

filiorum suorum viginti infra annos circiter duodecim de solis patribus monasteriorum tanquam nouella oliuarum in circuitu mensæ suæ læta mater conspiceret. Non enim arbitrata est incongruum, si sancti patris Benedicti cuius amplectebatur instituta, imitaretur & exempla. Porro à principio cum nouos in ramos nouella cœpisset pullulare plantatio, venerabilis pater Stephanus sagacitate peruigili miræ prouiderat discretionis scriptum, tanquam putationis ferramentum, ad præcidēdos videlicet schismatum surculos, quicunque succrescentes mutuæ pacis exorturum præfocare poterant fructum. Vnde & scriptum illud chartam charitatis competenter voluit nominari, quod ea tantum quæ sunt charitatis, tota eius series redoleat, ita vt pene nil aliud vbique sui prosequi videatur, quod nemini quicquam debeatis, nisi inuicem diligatis. Quæ quidem charta sicut ab eodem patre digesta, & à præfatis 20 abbatibus confirmata, sigilli quoque Apostolici authoritate munita est, largius continet ea quę diximus, sed nos summam tantum eorum hic breuiter perstringemus.

Abbas Cistercij & fratres eius non immemores sponsionis suæ regulam beati Benedicti in loco illo ordinatam vnanimiter statuerunt tenere, reiicientes à se quicquid regulæ refragabatur, foricos videlicet & pelliceas, estamina, caputia quoque & femoralia, pectinia, & coopertoria stramina lectorum, ac diuersa ciborum in refectorio fercula, sagimen etiam & cætera omnia quę puritati regulæ aduersabantur. Sicq; rectitudinem regulæ supra cunctum vitæ suæ tenorem ducentes, tam in ecclesiasticis quam in cæteris obseruationibus regulæ vestigiis sunt adæquati seu confirmati. Exuti ergo veterem hominem, nouum se induisse gaudebant, & quia nec in regula, nec in vita sancti Benedicti eundem doctorem legebant possedisse ecclesias, vel altaria, seu oblationes & sepulturas, vel decimas aliorum hominum, seu furnos, molendina, aut villas, vel rusticos, nec etiam fœminas monasterium eius intrasse, nec mortuos ibidem excepta sorore sua sepelisse; ideo hæc omnia abdicauerunt dicentes, Vbi beatus pater Benedictus docet, vt monachus à secularibus actibus se faciat alienum, ibi liquido testatur, hoc non debere versari in actibus vel cordibus monachorum, qui nominis sui etymologiam hæc fugiendo sectari debent. Decimas quoque aiebant à sanctis patribus (qui organa erant Spiritus sancti, quorumq; statuta transgredi sacrilegium est) committere in quatuor partitiones distributas, vnam scilicet episcopo, alteram presbytero, tertiam hospitibus ad illam ecclesiam venientibus, seu viduis & orphanis, siue pauperibus aliunde victum non habentibus, quartam restaurationi ecclesiæ. Et quia in hoc cōputu personam monachi, qui terras suas possidet, vnde & per se & per pecora sua laborando viuat non reperiebant, idcirco hæc veluti aliorum ius iniuste sibi vsurpare detrectabāt. Ecce huius seculi diuitiis spretis cœperunt noui milites Christi cum paupere Christo pauperes inter se tractare, quo ingenio, quoue artificio, seu quo exercitio in hac vita se hospites & pauperes superuenientes, quos vt Christum suscipere præcipit regula, sustentarent. Tuncque definierunt se conuersos laicos barbatos licentia episcopi sui suscepturos, eosq; in vita & morte excepto monachatu, vt semetipsos tractaturos & homines etiam mercenarios, quia sine adminiculo istorum non intelligebant se plenarie die nocteq; præcepta regulæ posse seruare, suscepturos quoq; terras ab habitatione hominū remotas, & vineas, & prata, & syluas aquasq; ad faciendos molendinos, ad proprios tamen vsus & ad piscationem, & equos pecoraq; diuersa necessitati hominum vtilia, ad exercendas agricultoras instituissent, decreuerunt vt prædicti conuersi domos illas regerent, nō monachi, quia habitatio monachorum secūdum regulam debet esse in claustro ipsorum. Quia etiam beatum Benedictum, non in ciuitatibus, nec in ca-

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Hierosolymorum.

ſtellis, aut in villis, ſed in locis à frequentia populi ſemotis, cœnobia conſtruxiſſe ſancti viri illi ſciebant, idem ſe æmulari ꝓmittebant. Et ſicut ille per duodenos monachos monaſteria conſtructa adiuncto patre diſponebat, ſic ſe facturos confirmabant.

1108 2 | 48 | Henricus imperator contra Robertum Flandrenſium comitem vadit, & pacto pacis magis vtrinque ſimulato quam compoſito pene ineffícax redit. | 8 | 8

Baiamundus dux Apuliæ contracto vndecunque exercitu accingitur ad inuadendum Conſtantinopolitanum imperium.

1109 3 | 49 | In parrochia Legienſi porca enixa eſt porcellum habentem faciem hominis. | 9 | 9

Natus etiam pullus gallinæ quadrupes.

Imperator Henricus contra Hungaros vadit, ſed facto pacto redit.

Philippus rex Francorum obiit. Ludouicus filius eius poſt eum regnat annis 28.

Obiit etiam Anshelmus archiepiſcopus Cantuariæ, qui nonnulla opuſcula ſcripſit vtilia, ſicut deſcriptio vitæ eius commemorat.

Obiit etiam Hugo vir ſanctus abbas Cluniacenſis, cui ſuccedit Pontius.

Hoc anno ſacro igne multi acenduntur, membris inſtar carbonum nigreſcentibus.

1110 4 | 1 | In menſe Iulio Cometes apparuit, radios dirigens ad auſtrum, multis conficientibus hoc ſigno portendi futuram regis Henrici quinti expeditionem Italiam verſus. | 10 | 10

Sanctus Guibertus fundator Gemelacenſis cœnobij, quem Deus multis miraculis per annos duodecim clarificauerat, aſſenſu generalis ſynodi ab Oberto Legienſi epiſcopo eleuatur, cum mirabili concurſu & gaudio populorum.

1111 5 | 2 | Henricus rex Romam vadit, propter ſedandam diſcordiam quæ erat inter regnum & ſacerdotium, quæ cœpta à papa Gregorio ſeptimo, qui & Hildebrandus nominatus eſt, & exagitata à ſucceſſoribus eius, Victore, & Vrbano, & præ omnibus à Paſchali, magno ſcandalo erat toti mundo. Rex autem vti nolens authoritate & conſuetudine & authoralibus priuilegiis imperatorum, qui à Carolo magno, qui poſt de regibus Francorum imperauit Romanis, iamque per trecentos & eo amplius annos imperauerant ſub 63 apoſtolicis, dabat licite epiſcopatus & abbatias, & per annulum & per virgam. Contra hanc maiorum authoritatem cenſebant papæ ſynodali iudicio, non poſſe nec debere dari per virgam vel per annulum epiſcopatum aut aliquam eccleſiaſticam inueſtituram à laicali manu. Et quicunque itaque epiſcopatum aut aliam eccleſiaſtici iuris inueſtituram accipiebãt, excommunicabantur. Propter hanc præcipue cauſam rex Romam tendebat, & ſi qui Longobardorum quoquo modo ei reſiſtere volebant, potenter eos protere-bat. In reconciliatione autem quæ facta eſt inter imperatorem & papam, (nã ipſum papam cum epiſcopis & cardinalibus ceperat) die Paſchæ Henrico imperatorem coronato poſt lectum Euangelium tradidit ei papa ante altare Apoſtolorun Petri & Pauli in oculis omnium principum priuilegium de inueſtitura epiſcopatuum vel abbatiarum, tam per annulum quam per virgam, ſcilicet vt regni eius epiſcopis vel abbatib. libere præter violentiam & Simoniam electis, inueſtituram virgæ & annuli conferat, poſt inueſtitionem vero canonice conſecrationem accipiat ab epiſcopo, ad quem pertinuerit.

Confirmatio pacis inter Apoſtolicum & imperatorem dum in celebratione Miſſæ traderet ei corpus & ſanguinem Domini noſtri IESV Chriſti, Domine imperator, hoc corpus Domini natum ex Maria virgine, paſſum in cruce

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | | Hierosolymorum. | Anni Domini.

cruce pro nobis (sicut sancta & apostolica tenet ecclesia) damus tibi in confirmationē veræ pacis inter me & te. Datū est idibus Aprilis, indictione quarta.
6 | 3 | Deo peccatis hominum offenso, multa eueniunt hoc anno. | 12 | 2 1112

In monte Castriloco ecclesia sanctæ Waldetrudis cum toto pene oppido arsit.

Ecclesia sancti Michaelis de periculo maris fulgurata, diuinitus arsit cum ædificiis appendentibus sibi.

Waldricus episcopus Laudunensis, ciues ipsius vrbis à sacramento perperam iurantes communitatis reuocare nisus, à seditiosis ad arma concurrēti bus (quod dictu nephas est) gladio cōfossus interiit, feria quinta hebdomadæ Paschalis, septimo calēd. Maij in litania maiore. Tumultuante etiam impetu confusæ multitudinis domus episcopi succēditur. Vnde etiam ipsa mater ecclesia sanctæ Mariæ, & ecclesia sancti Ioannis Baptistæ in abbatia monialium cū aliis ecclesiis omnibus ex vicino appendentibus concremantur. In authores seditionis à rege Francorum tam seuere est vindicatum, vt tam præsentes quam futuros à simili scelere deterrere posset exemplum. Sed & antequam ista gererentur, violata fuerat eadem ecclesia sanctæ Dei genetricis proditione & homicidio cuiusdam nobilissimi militis nomine Gerardi, qui erat dominus castri quod vocatur Charisiacus, quem in oratione positum ante sacram Christi imaginem homines ipsius episcopi facta coniuratione occiderunt.

Ante hos dies natus ibidem fuerat puer geminus, à clune duo superius scilicet habens capita, duo vsque ad renes cum suis brachiis habens corpora, qui baptizatus triduo quoque vixit.

Sigebertus Gemblacensis monachus descriptor præcedentium in hoc libro temporum obiit, cui nos illa quæ sequuntur fideli narratione subiecimus.

7 | 4 | WAldrico Laudunensi à suæ vrbis ciuibus nequiter perempto, Hugo Aurelianēsis ecclesię decanus substituitur. Quo | 13 | 3 1113
post 7 menses mortuo, vir illustris Bartholomæus ad episcopatum Laudunciæ ciuitatis prouehitur. Cuius industria & episcopalis ecclesia quæ incensa fuerat, in breui reparata iterū consecratur, & ciuitatis ac prouincię desolatio ne subleuata, in multis locis in quibus antea nunquam fuerat religionis feruor, & Dei cultus fundatur, & inde in multas ac remotas etiam transmarinas regiones propagatur.

Incipit ordo Cisterciensis.

BErnardus iuuenis egregius scientia, moribus, & genere clarus vir, postmodum magnæ virtutis exemplar futurus, Castellione castro Burgundiæ oriundus cum germanis fratribus & aliis comitibus multis Cistercij habitu religionis induitur, & miro religiositatis feruore conuersatur.

In pago Bracatensi circa Tornacum nix tanta cecidit nono calendas Maij, vt etiam syluas fregerit.

Balduinus rex Hierusalem cum Rogero comite Antiochiæ cōtra Turcos vadit. Sed Rogero cum exercitu suo iuxta quendā fluuium residente, rex cum suis processit, vt aduentum Turcarum exploraret. Turcæ vero montem quendam occupantes, insidias per quatuor loca collocauerant, singulis insidiis quatuor millibus equitum deputatis, à quibus rex insperato vndiq; interceptus, mille quingentis suorū interfectis, miserabili fuga est liberatus. Ascalonitæ cognoscentes abesse regem Balduinum, cum graui multitudine Hierusalem assiliunt, sed non prævalentes inefficaces redeunt. Turci cœnobium in monte Thabor situm funditus euertunt, monachos interficiunt, & omnia sibi diripiunt.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Hierosolymorum.

Rex Hierusalem Balduinus vxorem duxit relictam Rogeri ducis Siciliæ.

Apud Rauennam & Parmam, ciuitates Italiæ, in agris & intra mœnia sanguis pluit Iunio mense.

1114 8 | 5 | In ciuitate Beluacensi à Conone sedis apostolicæ legato | 14 | 4 concilium celebratur. Hic est Cono vnus ex illis religiosis, qui eremiticam vitam apud truncum Berenger primo duxerunt, & Arroasiani ordinis authores extiterunt, qui ordo vsque hodie floret & crescit.

Henricus imperator cum magna optimatum suorum & totius regni gloria, Natalem Domini celebrat Moguntiæ, ibiq; vxorem ducit Matildam filiã regis Anglorum. Post Iuonem, qui vita atque doctrina sua Cartonensem ecclesiam illustrauit, quiq; inter cætera opera sua illud volumen quod decreta Iuonis dicunt, vtiliter compilauit; Gaufridus vitæ merito ac prudentia venerabilis Carnotensem ecclesiam rexit. In Remensi quoque metropoli post Manassem illustrem virum, exturbato inuasore Geruasio, Radulphus successit, qui Viridis cognomen habuit.

1115 9 | 6 | Lambertus bonæ memoriæ Attrebatensis episcopus obiit. | 15 | 5 A tempore sancti Vedasti vsque ad istum Attrebatensis ecclesia proprio viduata præsule, Cameracensi episcopo erat subiecta. Robertus succedit in episcopatu Lamberto. Clareuallis fundatur. Idibus Nouembris in suburbio Antiochiæ, noctu terra dehiscens tres molas & adiacentes domos cum habitatoribus absorbuit.

1116 10 | 7 | Hoc tempre Nobertus loci & ordinis Præmonstratensis | 16 | 6 fundator, de partibus Lotharingiæ oriundus, genere, diuitiis, atque facundia ipsis etiam summis principibus familiaris atque notissimus, diuino feruore succensus, postposita seculi pompa repente ad votum suum diaconus & presbyter simul ordinatus, paupertatis Christi tunica induitur, & verbo prædicationis feruentissime instans, baiulans sibi crucem, nudum nudus Christum sequitur: quorundam etiam religiosorum moribus exploratis, arctioris vitæ propositum & tunc temporis inauditam districtionem arripit, & per aliquantum temporis nudis incedens pedibus, etiam brumali rigore, verbum Dei spargens, multos ab errore conuertit.

1117 11 | 8 | Anshelmus Laudunicæ ciuitatis magister nominatissimus, | 17 | 7 literarum scientia clarus, vir morum honestate & consilij maturitate venerabilis obiit, qui vtili studio inter cætera opera in Psalterium glossas marginales atque interlineares ordinauit.

1118 12 | 9 | Mense Ianuario, tertio nonas ipsius, feria quarta, in aliquibus | 18 | 8 locis, sed non vsquequoque terræmotus accidit, alias clementior, alias validior, adeo vt quarundam vrbium partes cum ecclesiis subruisse dicantur.

Mosa etiam fluuius iuxta abbatiam quæ dicitur Sustula, quasi pendens in aere fundum suum visus est deseruisse. Hoc ergo anno Leodiũ ciuitas multis plagis attrita est: mense enim Maio quinto nonas eiusdem, dum in maiori ecclesia vesperas celebrãt, subito tonitru cum terræmotu omnes ad terrã strauit, & fulmen à læua templi ingressum, non modicas crustas de muro hac illac disiecit, deinde turrim ingrediẽs, multas trabium partes diffidit. Subsecutus fœtor intolerabilis, adeo vt multo aromatum odore vix potuerit expelli.

Item Iunio mense, 7 idus ipsius mensis, circa horam nonam, nubes pluuiæ subito rupta à monte qui dicitur Roberti, subiectã sibi partem ciuitatis penitus oppressam pessundedit, adeo vt multas domos diueret, & immensam annonam perderet, & matrem duos infantes altrinsecus in brachiis amplexam necaret, & alios octo homines diuersis in locis opprimeret. Pulsantib. vespertis sabbato quidem, dum caput lauat puero manus, rubent sanguine fluido.

A calendis etiam Iulij circa horam sextam turbo nimis vehemens & obscurus

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | | Hierosolymorum. | Anni Domini.

ſcurus ciuitatem operuit, & nubes ex abrupto ſciſſa ita omne tectum maioris eccleſiæ deuicit, vt & imbribus pateret, & totum pauimentū perfunderet. Illico à parte Aquilonis fulmen ingrediens quendam clericum retro altare ſanctorum Coſmæ & Damiani in pulpito legentem, & alterum ante crucifixum orantem, tertium de ſcriptorio eccleſiæ proximo egredientem, in ipſo eccleſiæ ingreſſu extinxit. Ante fores quoque eccleſiæ quendam laicum extinxit. Sexto idus Iulij ab hora tertia vſq; nonam, quatuor turbines à quatuor plagis cœli, vrbem circulauerunt, ventus etiam magna vi intonuit, in vrbem multo imbre alluit.

Tertio nonas Auguſti primo noctis conticinio quaque terrarum cum tonitrua audirentur, & fulgura ſæpius micarent, in vrbe Leodio amplius ipſe turbo deſæuit, ita vt homines è ſtratis exilientes eccleſias triſti cœtu complerent, & tota nocte ſupplicationibus intenderent. Summo vero auroræ diluculo à parte Orientis ignis cum ingenti flāma circulauit tantus, vt omnes diuinitus cremari extimuerunt. Poſt hoc magnus turbo erūpens ab Occidente ipſum ignem viſus eſt aliquantulum obſcuraſſe, iterum aūt quaſi victor ignis cum flamma recaluit, & iterum turbine reuertente paululum delituit. Tertio etiam ipſe ignis recaluit, & tertio nihilominus turbine victº cecidit. Hoc ſpectaculum à ſummo mane vſque ad horam tertiam vehementer terruit.

Monſtrum quoddam Nammuti natum eſt, cui par nūquam vel raro viſum eſt, videlicet biceps infantulus. Qui hoc vidit teſtis eſt populus. Hic tam ſexu duplex, quam cæteris ſimplex erat compage corporis. Tertio idus Decembris ad mediam noctē lucentibus ſtellis, cœlo ſereno, 14 luna eclipſim paſſa eſt, & contracto orbe multis coloribus, ſed maxime ſanguineo pene integra hora ſuffuſa eſt. Tertiodecimo calendas Ianuarij prima hora noctis, igneæ acies à Septentrione in orientē in cœlo apparuerunt, deinde per totum cœlum ſparſæ plurima noctis parte videntibus miraculo & ſtupori fuerunt.

Paſchalis papa moritur, ſuccedit Ioannes Romanæ eccleſiæ cancellarius, & appellatur Gelaſius: at imperator quia electioni nō interfuerat, Hiſpanum quendam nomine Burdinum ei ſuperordinauit.

Balduinus ſecundus rex Hieruſalem moritur, frater Godefridi ducis Lotharingiorum, & primi regis Hieroſolymitarum, qui Godefridus princeps nobiliſſimus, cum in regem conſtitutus fuiſſet, nunquam tamen in ea ciuitate, in qua Dominus ſpinis coronatus eſt, diadema portare conſenſit. Fuerunt autem filij Euſtachij comitis de Bolonia ex Ida ſorore Godefridi gibboſi ducis Lotharingorum, quibus de medio factis, tertius regnat Balduinus filius Hugonis comitis de Reiteſta.

Ventus vehementiſſimus in vigilia Natalis Domini per totam diem & noctem durat.

Gelaſius papa indicto Remis concilio, tranſgrediēs alpes in Gallias venit, & per Burgundiam, & Gothiā quæ prouincia ſancti Ægidij dicitur, agit ſynodales cauſas, ad quem vir Dei Nobertus nudis vt erat incedens pedibus acceſſit, eique animi ſui propoſitum pandens, licentiam & authoritatem ſeminandi vbique verbum Dei ab eo accepit.

Henricus imperator ab Italia in Lotharingiam repatriat, & ſecundum illud, Qui à multis timetur, neceſſe eſt vt multos timeat, coniuratos in ſe regni principes, modo minis, modo blanditiis, modo vi, modo ſatisfactione ad pacem inuitat.

13 | 10 | Gelaſius papa Cluniaci moritur & ſepelitur. 19 | 9 | 1119

Guido Viennenſis archiepiſcopus, Stephani Burgundionum comitis germanus, in papam eligitur, & Calixtus vocari deſignatus, Cluniaci benedicitur. Concilium quoque à prædeceſſore ſuo indictū Remis, ab eo mediante Octobri menſe celebratur.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Hierosolymorum.
	Balduinus Flandriarum comes Calixti papæ de sorore Clementia nepos, Gwillelmum filium Roberti Normannorum comitis à fratre suo Henrico Anglorum rege captiuati, Normanniæ potenter resistere volens post occupatam magnam eiusdem Normanniæ partem in capite vulneratus obiit, sicque deficiente naturali prole, Carolus Roberti ex sorore nepos, consobrinus Balduini defuncti, & Canuti Danorum regis filius Comes substituitur.		
1120	14 | 11 | Dum pro reconciliatione regni & sacerdotij legatione nunc à rege ad papam vadit, nunc à papa ad regem redit, lux pacis inter eos turbatur, & imperator cum sibi fauentibus excommunicatur.	20 | 10	
	Vir Dei Nobertus à papa Calixto Bartholomæo Laudunēsi episcopo specialiter commendatus, cum ei ecclesia beati Martini à prædicto episcopo offerretur, tum propter vrbis viciniam, tum quia eiusdem ecclesiæ clerici prælati & vitæ eius austeritatem horrebant, eam reliquit, & ab episcopo diuersis eiusdem prouinciæ locis religioni congruentibus sibi ostensis, tandem diuinitus in loco Præmonstrati resedit, ibiq; solitarius religiosam vitam agere cœpit, & tempore Quadragesimæ ad colligendos socios solus egressus, ante Pascha cum tredecim sociis rediit, & cum his in Præmonstrato loco secundum canonicæ institutionis normam ad tenorē regulæ beati Augustini Deo militare cœpit. Ordo Præmonstratensis incipit.		
1121	15 | 12 | Papa Calixtus Romam proficiscens, ab omni senatu & populari turba glorioſe susciptur, & in sede apostolica confirmatur.	21 | 11	
	Burdinus pseudopapa Sutrij positus, dum peregrinos Romam euntes vel redeuntes deprædatur, tandem vt vilissimus apostata capitur, & in monachū tondetur. Maior ecclesia episcopi Monasteriensis, eo quod ipsum repudiasset ab ipso episcopo & duce Saxoniæ cum tota ciuitate exuritur. Mortuo Lamberto Nouiomensi episcopo, Simon Ludouici regis Francorum patruelis successit in eius loco. In Præmonstratensi ecclesia cuidam fratri altius de ineffabili trinitate (quæ Deus est) cogitanti in matutinis dæmon astitit, & e tribus gestans capita apparuit, trinitatem se esse contestans, & ob fidei suæ meritum trinitatis visione eum dignum esse affirmans. Sed frater inimici dolum agnoscens, conuitiando eum recedere à se compulit.		
1122	16 | 13 | Terræmotus in secunda hebdomada Aduentus Domini sabbato hora tertia, alias clementior, alias inclementior accidit.	22 | 12	
	Noberto apud Ningellam verbum Dei prædicante, & puellam dæmoniacam coram adductam exorcizante, dæmon irridens cantica canticorum à principio vsq; ad finem per os puellæ edidit, & ad verbum in Romana, deinde in Teutonica lingua interpretatus est. Sed Dei seruo arctius insistente, tandem egressus est.		
1123	17 | 14 | Optimates regni cum episcopis Henricum imperatorem conuenientes Deo sibi propitio id elegerunt saluberimo consultu, vt interipsum & apostolicum controuersia de inuestituris ecclesiarum tandem finiretur. Legantur inde Romam ex parte imperatoris Bruno Spirensis episcopus, & Arnulphus abbas Fuldensis, interim Henricus imperator Pascha Domini Aquisgrani celebrat, deinde Leodium contendit. Hic querela apud eū facta de insolentia cuiusdam Gothuini, castrum eius quod mons Falconis dicitur, annitente sibi Godefrido duce obsidet, capit, incendit & destruit.	23 | 13	
	Ecclesia Haunonensis cum omnibus appendiciis suis seditione aduocati sui cum tota villa arsit, saluo tamen thesauro & bibliotheca.		
	Turonis etiam seditione orta inter clericos & laicos, ecclesia sancti Martini penitus arsit.		
	Donnus papa, visa & recepta legatione imperatoris, pertæsus & ipse valde dissonantiæ inter eos diutinæ, libenter assentit. Et tam consultu totius Ro-		

SCRIP
RERV
GERM

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | | Hierosolymorum | Anni Domini.

Romani senatus, q̃ etiam episcoporum Italicorum mittuntur, ex latere Apostolici vnus episcopus, & duo cardinales, ad ordinandam rem tanti negotij. Mense Septembri in Natiuitate beatæ Mariæ, Henricus imperator cum episcopis & optimatibus regni venit Wormatiam, vbi occurrerunt ei legati sedis Apostolicæ. Diu (vt fit in tantorum negotiorum confessu) euentilata ratione, tandem ratione, tandem gratia antiquæ charitatis, reintegratur inter imperatorem & apostolicum Dei ordinatio.

Concilium Romæ celebratur, pax inter regnum & sacerdotium reformatur, & ius inuestiturarum episcopalium ab imperatore exfestucatur.

Noberto ad quærendas sanctorum reliquias Coloniam veniente, & suis indicto ieiunio orationibus instante, vna de numero vndecim millium virginum nomẽ suum & locum vbi iacebat specialiter designans, in crastino solenniter leuata, & cum alijs Sanctorum reliquijs ad locum Præmonstratum est ab eo translata. Sequenti vero die apud sanctum Gereonem in oratione pernoctans, mane facto in medio ecclesiæ vbi nullum apparebat sepulturæ vestigium, effodi præcepit, & corpus sancti Gereonis integrum absq; cerebro honorifice & diligenter collocatum inuenit, sicut & de ipso legebatur quod pars capitis, & non totum caput abscissum fuit, quod cum honore & reuerẽtia à clero & populo eleuatum est, & inde pars viro Dei donata est. Inde Præmonstratum rediens, & quadraginta iam clericos cum multis laicis secum habens, professionem eos facere secundum Apostolicam institutionem & canonicam regulam beati Augustini docuit, & ad voluntariam paupertatem & promptam obedientiam, cæteraq; militiæ spiritualis instrumenta, eosdem diligenter instituit. Cui non multo post quidam comes de Westphalia Godefridus cum vxore sua conuersionis gratia se contulit, & tria loca in allodio suo, castrum videlicet & Campembergensem locum, Clostatensem, Warlamensem, diuino cultui per eum mancipauit. Cuius exemplo compunctus comes Theobaldus homini Dei se familiarissimum fecit, & eius monitis atque consilio multa postmodum erga pauperes vel quoslibet religiosos liberalitate atq; munificentia vti cœpit.

18|15| Obijt bonæ memoriæ papa Calixtus, cui succedit Lambertus, |24|14 qui & Honorius Ostiensis episcopus, ad quem proficiscens pater Nobertus, & ab eo honorifice susceptus, & quæ flagitabat digne consecutus, Partheno- 1124
polis se futurum episcopum diuinitus agnouit: & rediens cum in die Paschæ apud Herbipolim in populi frequentia Missam celebraret, cæca mulier ipso post sumpta mysteria in oculis eius sufflante visum recepit. Vnde quidam diuites compuncti, se & sua Deo reddiderunt, & ecclesiam ibidem ædificantes, diuino cultui per manum prædicti patris eam mancipauerunt. Inde Præmõstratum rediens, in ecclesia beati Martini quæsita est in suburbio Lauduni, quendam de suis dominum videlicet Gualterum abbatem primum consecrari fecit, cuius industria Deo cooperante eadem ecclesia tam im temporalibus quam in spiritualibus intantum est in breui multiplicata, vt famam bonæ opinionis & propagines sanctæ plantationis in exteras ac longinquas iam extenderit regiones, videlicet in Neruiam, in Flandriam, in Angliam, in Wasconiam, in Gothiam, in Hispaniam, in Burgundiam, quas omnes prouincias per eandem domum bono iam videmus odore respersas. In Viuariensi etiam ecclesia de fratribus suis abbatem tunc ordinari fecit, vbi cum ad introitum fratrum malignus spiritus hominem quendam inuasisset, & eum per biduum vexasset, per virum Dei expulso dæmone curatus est.

In castro nihilominus Antuerpiensem ecclesiam ordinandam hac de causa suscepit. Oppidani castri illius à quodam hæretico Tandemo seducti, paulatim à fide & bonis moribus desciuerant, quia idem

Anni Domini. | Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Hieroſolymorum.

hæreticus nimiæ ſubtilitatis, cum tamen eſſet laicus, ſed multis etiam diſertis clericis in ſermone acutior, ſacri ordinis miniſtros & epiſcopalẽ ac ſacerdotalem gradum nihil eſſe dicebat, corporis & ſanguinis Chriſti perceptionem ſumentibus ad ſalutem prodeſſe negabat, & in precioſo apparatu & veſtibus deauratis incedens, triplici funiculo crinibus intortis, verbis perſuaſibilibus & conuiuiorum apparatibus ſuos, qui eum circiter tria millia armati ſequebantur, illiciebat, & per eos in reſiſtentes ſibi cædibus ſæuiebat, credebãtei, & reuerebantur eum, in tantum, vt aquã in qua corpus lauiſſet, biberent, & pro reliquijs aſportarent, cum tñ tantæ incontinentiæ & impuritatis eſſet, vt filias in matrum præſentia, ſponſaſq; maritis intuẽtibus, corrumperet, & hoc opus ſpirituale eſſe aſſerebat, qui tandem poſt multos errores & multas cædes dum nauigaret àquodam presbytero percuſſus in cerebro, occubuit. Sed nec poſt eius mortem error ipſius tam facile extirpari potuit, propter quod à clericis loci illius eccleſia cum aliquantis redditibus per manum epiſcopi Norberto ordinanda datur, ſperantibus quod per eius ſalutarem doctrinam hæreſis illa de medio tolleretur; quod & factum eſt, ſiquidem ipſo prædicante, compuncti viri & mulieres corpus Dominicum, quod in ciſtis & foraminib⁹ per decem annos & amplius repoſuerant, attulerunt, & per eius doctrinam paulatim ad ſanctam fidem reſipuerunt. Radulpho Remorum Archiepiſcopo obeunte, Ramaldus ſuccedit in præſulatu Remenſis eccleſiæ.

Venetiani nauali exercitu Aſcalonem obſidentes, accepta ab Aſcalonitis pecuniæ taxatione recedunt, & Tyrum aliquandiu obſeſſam in deditionem accipiunt.

Henricus imperator, congregata exercitus infinita multitudine, fines regni Francorum irrumpere diſponit. Sed Ludouico Francorum rege cum infinito nihilominus exercitu in occurſum eius properante, cõſilio principum & epiſcoporum ab inutili propoſito deſiſtit, & hoc factum eſt menſe Aug.

Henricus imperator Montionem caſtrum capit, & Ramaldum eius comitem ſecum captum adducit.

Balduinus rex Hieroſolymorum à Sarracenis præuentus capitur. Quare mer.te excedentes vndiqueuerſum euocati ad 40000 conglomerantur, vt Chriſtianos à finibus ſuis exterminent, & apud Aſcalon impedimenta ſua cõmendent. Chriſtiani vero in arcto poſiti, nihil ſpei niſi in Deum habentes, exemplo Niniuitarũ vtriq; ſexui ieiunium indicunt. Pueris etiam, lactẽtibus infantibus, vniuerſo quoque pecori, pabula negantur; dies pugnæ indicitur. Procedunt Chriſtiani cum militibus & peditibus vix ad 3000 æſtimati: principes gradiuntur in fronte, ſcilicet patriarcha vexillo offerens crucem Chriſti, abbas olim Cluniacenſis Pontius, præferens lanceam transfixam in latere Chriſti, epiſcopus Bethlehemites, ferens in pixide lac ſanctæ Mariæ virginis. Sarraceni vero quaquauerſum effuſi ex omni latere in orbem circumcingũt Chriſtianos, ne quis poſſit euadere. Dum ita in promptu hærent Chriſtiani, vident Deo ſibi auſpice ſplendorem ſciſſo aere ſuper paganos ſubito cecidiſſe, ſed non proſperum, ſed ſatis nociuum quamuis hunc ipſi Sarraceni non viderint. Illico enim omni virium robore eneruati, paſſim fugientes cæduntur, non ſolum à viris, ſed etiam à pueris & à fœminis, perierunt in bello ieptem millia, ſubmerſi ſunt in aquis quinq; millia, omnes vero Chriſtiani incolumes reuerſi, ſummum & dulce ἀπρίκτον reboant Deo in excelſis.

1125 19 | 16 | Hyems ſolito acerbior, & aggeſtu niuis ſæpius decidentis nimis horrida & importuna. Multi enim pauperũ infantes & mulieres nimietate frigoris defecerunt. In multis viuarijs piſces abſorpti ſub glacie perierũt, glacies enim adeo ſpiſſa erat & valida, vt vehicula onuſta ſuper eam ducerentur, & quaſi ſuper ſolum equitaretur. In Brachbanto anguillæ innumerabiles | 25 | 15

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | | Hierosolymorum. | Anni Domini.

biles propter glaciem à paludibus exeuntes (quod dictũ mirum est) in fœnilibus fugientes latuerunt, sed ibi etiam præ nimietate frigoris deficientes, cõputruerunt. Mortalitas quoq; animaliũ maxima fuit. Hyemi successit intemperies aeris, nunc niue, nunc pluuia, nunc gelu, alternatim satis noxia vsq; in medio Martio. Postea diutino frigore & pluuia aeris incõstantia vix tandem arbores floruerunt Maio mense, vix tandem gratia herbarum & graminum reuiguit nitore, imber vero singulis mensibus assidue deciduus sata agrorum pene absorpsit. nam siligo & auenæ prouentum suum satis sunt ementitæ.

Multi quoq; sacro igne aduruntur.

Tyrus Hebræa lingua Sor dicta, vrbs Phœnicis maxima & antiqua, in corde maris sita, Sidoniorum colonia, negotiatio maris, emporium totius orbis, vaticinatione Prophetarũ celebrata, & carminib⁹ poetarũ inclyta, olim quidem insula, sed à Nabuchodonosor, vel ab Alexandro propter expugnationẽ multis in breui freto aggeribus comportatis, terra continens facta, pridem à Nabuchodonosor expugnata & partim captiuata, & postea ab Alexãdro penitus destructa vsq; ad solũ, & dirupta, sed iuxta Prophetas post 70 annos remũdi à Christianis terra mariq; obsessa capitur, & Christi imperio subiugatur.

Fames permaxima grassatur in Gallia, in qua Caroli inclyti marchionis Flandrię liberalis enituit munificentia, qui innumerabilibus diuersis in locis pauperibus quotidiana ministrabat victus stipendia.

| 17 | Hyems asperrima 6 hebdomad. continua & valde noxia. | 26 | 16 | 1126

Fames valida, vbiq; magna multitudne vtriusq; sexus pereunte.

In Hasbania ignobilis mulierecula monstrum bis gemini corporis est enixa, auersis vultibus & corporib⁹ sibi cohærens, ante quidem effigies hominis integro corporis membrorumq; ordine distincta, retro vero facies canis similiter corporis & membrorum proprietate integra.

In Brachbantho villa Nerisca alia mulier enixa est quatuor masculos vno partu.

In Gemblacensi parochia, dum paterfamilias dominica die mixturam segetum præ penuria famis moleret in vsus familiæ, subito iusta Dei indignatione arsit farina cum putoris nigredine, ad exemplum posteris ne quis præsumat simile.

Ecclesia sancti Dionysij sita in Brochorensi sylua 7 Cal. Maij, primo noctis crepusculo cum omnibus appendicijs & tota villa penitus arsit, saluo tamen thesauro & armario.

Henricus Imperator Leodij Pascha Domini celebrat, inde Aquis contendens, morbo dracunculi qui sibi erat natiuus, molestari cœpit, propter quod & ibi aliquot dies remoratus est. Deinde quasi Pẽtecostem celebraturus Vltraiectum venit, & tandem feria quinta in Pentecoste vitam cum regno amisit. Corpus eius eiectis intestinis sale respersum Spiram relatum est. De hoc autem imperatore quædam dicuntur, quæ fabulosa esse didicimus. Fertur namq;, quod se quasi mortuum finxerit, & occulte suorum præsentiam fugiens, peregrinationem aggressus fuerit, & ad vltimum monachus factus Cluniaci fuerit. Reuera autem (vt dicitur) quidam erat valde similis eidem imperatori, & viribus corporis plurimum valens, qui moanchatum Cluniaci suscipiens, Henricum imperatorem se esse firmissime asserebat.

Rex Hierusalem Balduinus data redemptione à Sarracenis dimittitur.

Mense Augusto legati apostolicæ sedis, & archiepiscopi cum Episcopis & optimatibus imperij ex condicto conuenientes Moguntiæ, consultant sibi & toti Romano imperio de substituendo rege.

Lotharius dux Saxonum vir sapiens & industrius, & ecclesiastico iuri

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Hieroſolymitorum.

deuotus præpotens diuitijs & victorijs omnium aſſenſu eligitur. Hic menſe Septembri cum eiſdem legatis & duobus Archiepiſcopis & octo epiſcopis & multis abbatibus, & cum eminentioribus aulæ regalis primatibus, Aquigranum veniens, dominica die Id. Septem. à Friderico archipræſule Colonienſi in regem benedicitur & vngitur, omni clero & populo feſtiuum *inuiuicem* acclamantibus.

1127 1|18| Hyems acerrima, vermibus etiam periculoſa. |27|17

Rex Lotharius, in Bohemones vadens quorundam ſuorum principum traditione magnam ſtragem militum paſſus eſt, quingentis videlicet & quadraginta occiſis. In Syria hoc anno exercitus Dei bis congreſſus eſt Sarracenis: in primo prælio de paganis ceciderunt duo millia quingenti, de Chriſtianis ſolummodo 15: in ſecundo autem ineruentã victoriam habuerunt Chriſtiani. Sed quamuis plurima pars eorum oppetierit, tamen auxilio Dei reuigorati abſque numero hoſtes contriuerunt & vicerunt.

Carolus comes Flandrenſis proditione quorũdam optimatum ſuorum quibus pro zelo iuſtitiæ exoſus erat, Brugis in eccleſia ſancti Donatiani martyris orans, interfectus eſt, ſed horrenda animaduerſione vindicatus eſt. Proditores enim cum capti fuiſſent, aut exterminati exilio, aut percuſſi gladio, aut patibulo affixi, aut præcipitio eliſi, aut duello conuicti, & rotis alligati, vix aliquo euadente omnes perierunt.

Poſt mortem Liſiardi Epiſcopi Sueſſorum ſit Epiſcopus Ioslenus, vir magni conſilij.

Cameraci quoque poſt Burcardum Hermannus epiſcopatum tenuit, quo poſt triennium extruſo, Liethardus ei ſucceſſit, qui & ipſe poſt quatuor annos repudiatus Nicolaum ſucceſſorem habuit.

Parthenopolitanæ ciuitatis archiepiſcopo defuncto, cũ clerici & ciues eiuſdem vrbis coram imperatore Luithero ad eligendum archiepiſcopũ apud Spiram conueniſſent, nutu domini Gerardi Romanæ ſedis legati, qui poſtea factus eſt papa, & Luci Alberonis Metenſis primicerij, qui poſtea factus eſt Treuerorum archiepiſcopus, Norbertum Præmonſtratæ eccleſiæ patrem, qui pro quibuſdam cauſis eo forte aduenerat, in paſtorem eligunt, & regali proſequente conuenientia ad ſacerdotium præfatæ vrbis prouehunt.

1128 2|19| Hoc anno multi de pago Sueſſonico ſacro igne accenſi, ad eccleſiam beatæ Dei genitricis Mariæ in ciuitate Sueſſorum ſitam conuenerunt, ibiq; diebus paucis miſericordiam Dei & beatæ virginis ſuccurſum præſtolãtes (ſicut pleni⁹ refert libellus eorundem miraculorum) ſalutem ipſius meritis & precibus conſecuti ſunt, ita vt intra quindecim dies centum & tres nominatim ab hoc igne reſtinguerentur, & tres puellæ diſtortæ ſanitati redderentur. Facta ſunt ibi & deinceps & alia multa miracula, inter quæ duo tuerunt eminentiora: vnum ſcilicet de naſo mulieris & labio diuinitus reformato: aliud de puero in viſione ante Deum rapto, vbi dominam noſtram virginem Mariam ſe vidiſſe aſſeruit propopuli ſalute ſupplicãtem, & hoc reſponſum benigne à filio accepiſſe, Mater tu es maris ſtella, fiat ſicut vis. Sed dum queritur beata virgo ſuper domo ſua quæ vilis & abiecta erat, præ cæteris iterum à filio ſuo audiuit, quod trans mare & de trans Rhenũ faceret pecuniam afferri, vnde domus eius ædificaretur, & in oculis omnium reſpiciẽtium illuſtris appareret, cui⁹ viſionis tam in claritate operis q̃ in copia oblationum tot ſunt teſtes hodie, quot videre volunt. Prędixit etiam idem puer paulo poſt ſe moriturum, & vix vnum menſem ſuperuixit. Sed mirum valde de hoc puero erat, quod omnem hiſtoriam veterem rhythmice depromebat, textum vero euangelij & actus Domini ita recenſebat, ac ſi in libro legeret, & acta ab alijs pnunciaret, qui ẽt cum hoc clauſis oculis diceret, laicis & illiteratis vix loqui digna-

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | | Hierosolymorum | | Anni Domini. |

dignabatur, quasi eorum ignorantiam pertæsus, qui tam profunda intus audierat.

Mortuo Balduino rege Hierosolymorum successit Fulco.

Lauduni in ecclesia sancti Ioannis consilio regis & principum monialibus quæ male infames erant eiectis, & monachis in earum locum substitutis, Drogo religione & facundia venerabilis à Bartholomæo episcopo primus abbas ordinatur, qui postmodum à papa Innocentio Romę Ostiensis episcopus cardinalis consecratur.

3 | 20 | Philippus puer Ludouici Francorum regis filius, Remis in | 29 | 1 | 1129
regem vngitur die Paschæ, 8 Calen. Maij, patre præsente.

In Præmonstratensi ecclesia Norbertus archiepiscopus successorem sibi dominum Hugonem, qui ab initio paupertatis suæ socius fuerat, ordinari fecit abbatem, sed ad Autuerpiensem atque Floressiensem ecclesiam ad regimen fratrum nominatos patres destinauit.

In ecclesia quoque sanctæ Mariæ apud Magdeburch expositis clericis secularibus sui ordinis fratres collocauit.

Cœnobium Vrsicampi fundatum est à nobilissimo præsule Nouiomẽsi domino Simone, qui Hugonis magni filius fuit. Frater autem Radulphi comitis, & regis Ludouici fratruelis, adducto conuentu monachorum à Clarevalle, & domino Valeranno primo abbate ordinato, qui primus ex nobilioribus personis Clareuallem sua conuersatione illustrauit.

4 | 21 | Honorio papa defuncto, factis partibus Gregorius & Pe- | 30 | 2 | 1130
trus de Leone ad papatum eliguntur, & Gregorius Innocentij, Petrus Anacleti nomine alterantur. Sed Petro ob parentelæ suæ fortitudinem apud sanctum Petrum commorante, Innocentius Roma egressus in Gallias profiscitur, & Gallicana sibi adhærente ecclesia, cõcilijs celebratis, primo Remis, secundo Pisis in papatu confirmatur, & Petrus ab omnibus Galliæ & Germaniæ episcopis anathematizatur.

Ioannes piæ memoriæ Morinorum episcopus obijt, eique Millo abbas sancti Iudoci ex ordine Præmonstratensi succedit.

Roberto quoq; Attrebatensi episcopo defuncto, Aluisus abbas ordinatur episcopus in eius loco.

Thomas de Marla in suo proprio conductu negotiatores dolo capiens, à rege Ludouico cum exercitu impetitur, & à Rodulpho Viromandorum comite in vltionem Henrici fratris sui vulneratus & captus, Lauduni moritur.

5 | 22 | Philippus puer nuper in regem vnctus, dum in ciuitate Pa- | 31 | 3 | 1131
risijs equo vehitur, porcus equi pedibus se forte submittens, equum super ipsum præcipitem dedit, & de eius subita & miseranda morte Francis luctum induxit tertio Id. Octobris.

Ecclesia sancti Medardi Suessionis ab Innocentio papa consecratur.

Consilio Remis habito, præsente Francorum rege Ludouico, filius eius Ludouicus in regem consecratur à papa Innocentio, octauo Calendas Nouembris.

Sub his temporibus ordo canonicus Præmonstratensis, & monasticus Cisterciensis, quasi duæ oliuæ in conspectu Domini, pietatis lumen & deuotionis pinguedinem mundo ministrabant, & quasi vites fructiferæ regionis palmites circumquaq; propagabant, & per omnes fere Christiani orbis terminos, bonæ opinionis paulatim odore diffuso, nouas abbatias vbi antea Dei cultus non fuerat, construebant. Vnde etiam in Syriam & Palęstinam de Præmonstrato fratres missi, nonnullas abbatias ædificauerunt.

Eratq; circa hæc tempora pulchra ac decora facies ecclesiæ, diuersorũ ordinum ac professionum circumdata varietate, dum hinc Præmonstraten-

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Hierosolymorum.

ses, hinc Cistercienses, inde Cluniacenses monachi, tum & diuersi habitus & professionis sanctæ moniales, & mulieres Deo deuotæ, in continentia atque paupertate sub obedientiæ iugo regulariter viuentes, feruore religionis inuicem prouocarent, & noua certatim diuersis in locis monasteria fundarent. Cum his etiam monachi Carthusienses & ipsi paulatim pullulabant, qui præ cæteris continentes pesti auaritiæ, qua plurimos sub religionis habitu laborare videmus, terminos posuerunt, dum certum numerum hominum, animalium, possessionum, quem eis prætergredi nullo modo liceat, statuerunt, & ipsi singulas singulis cellulas habentes, ac raro vel ob Dei cultum, vel ob mutuum in charitate solatium conuenientes, perfectius mori mundo, & cæteris tanto diligentius quanto secretius viuere Deo elegerunt. Adhæc ēt milites templi Hierosolymitani, fratres quoque de hospitali sub religioso habitu continenter viuentes, vbique se multiplicando diffundebant, & quę poterant, vel de laboribus proprijs, vel de fidelium eleemosynis ad opus Deo militantium in infirmorum quorumque ac pauperum Hierosolymam petebant sed præsules ecclesiarum ac principes seculi promptissime annuebant, vel etiam sponte offerebant terras, prata, nemora, & cætera quæ monasterijs ædificandis necessaria erant.

Ecclesia pene sanctæ Mariæ in episcopatu totaq; pene ciuitas Nouiomensis incendio conflagrauit, iusto (vt fertur) infortunio, quia summum pōtificem Innocentium verbis irrisorijs multi illorum exhonorauerunt.

Clareuallis duo cœnobia vna die producit, scilicet Longipōtum & Rieuallem, & post paucos menses Vacellas.

1132 6 | 23 | Fara castrum à Ludouico Francorum rege obsidione cingitur à Non. Maij vsque ad 7 Id. Iulij, nec tamen capitur. Tandem affinitatis confœderatione pacem inierunt. Iulgelrannus quippe eiusdem castri dominus neptem Radulphi comitis ex sorore accepit in coniugium. | 32 | 4

Obijt vir sanctus Hugo Gratianopolitanus, episcopus, cuius religiosam admodum vitam conscripsit Gigo prior Carthusiæ.

1133 7 | 24 | Eclipsis Solis facta est quarto Nonas Augusti, feria sexta, hora sexta. | 33 | 5

Luitherius imperator expeditionem in Italiam parat, & cum episcopis & archiepiscopis ac nominatissimo abbate Clareuallis Bernardo papam Innocentium Romam deducens contra Petrum Leonis qui monasterium sancti Petri munierat, eum in episcopo Lateranensi à sede pontificali potenter collocat, ipsum vero Luitherium Innocentius papa ibidem in imperatorem consecrat.

1134 8 | 25 | Norbertus archiepiscopus vir potens in opere & sermone, multorum monasteriorum fundator, & sanctæ religionis eximius propagator, Innocentij papę catholici æquissimus fautor, Petri vero schismatici iustissimus execrator, cum imperatore Luitherio ab expeditione Italica regressus in ciuitatem suam, non multo post infirmitate corripitur, & in ea per spatium quatuor mensium laborans, episcopatu sapienter ac fideliter ministrato per annos octo, astantibus fratribus data benedictione moritur. Cum de sepultura inter clericos maiores ecclesiæ, & fratres sanctæ Mariæ contentio fieret, res ad imperatorem delata est, & eiꝰ præcepto in ecclesia sanctæ Mariæ cum filijs & fratribus quos in Christo genuerat, & Christo ædificauerat, sepultus est, cuius extitit in Christo dormitio octauo Id. Iulij. | 34 | 6

1135 9 | 26 | Monasterium de Prato fundatum est sub primo abbate Petro, prima plantatio quam protulit pater Walerannus ex propria domo. | 35 | 7

Henricus obijt rex Angliæ, vir in regni sui administratione singularis seueritatis atq; censurę, cui Stephanus de sorore nepos in regnum succedit, sed

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | | Hierosolymorum. | Anni Domini.

sed magna parte regni mutilatus, non multo post totam Normanniam amisit. Filia enim regis Henrici Matildis, quæ primo nupserat Henrico imperatori, postmodum Giffrido comiti Andegauensi, ope regis Francorum Ludouici, Normanniæ ducatum occupat, & in ipsa Anglia magnas ei molestias atque calamitates suscitat, quem etiam bello postmodum cepit, sed pro comite Roberto fratre suo, à regina Angliæ capto, eum relaxauit.

Ventus nimius quinto calendas Nouembris fuit, qui turres & ædificia multa diruit.

10 | 27 | Mare terminos suos egressum, inopinate submersit cum | 1 | 8 | 1136
habitatoribus suis partem Flandriarum.

11 | 28 | Siccitas tanta fuit in Francia, quantam nemo qui tunc vi- | 2 | 9 | 1137
ueret, se vidisse, vel ab antecessorib. suis audisse testaretur, ita vt fõtes, & putei, quidam etiam fluuij siccarentur.

Imperator Luitherus secundam facit expeditionem in Italiam.

Comes Pictauiensis Wilhelmus ad sanctum Iacobum in Gallicia orationis causa proficiscitur, & in sexta feria parasceue in ecclesia beati Iacobi moritur, & ante altare sepelitur. Qui moriturus proceres suos quos secum habebat, contestatur, vt filia sua maior Alienordis Ludouico iuniori Francorum regi cum Aquitaniæ ducatu vxor traderetur, quam prædictus Ludouicus apud Burdegalam optimatibus regni præsentibus iungit sibi nuptiis quam solennibus, cuius pater Ludouicus, intra eundem fere mensem apud Parisios defunctus, in ecclesia sancti Dionysij ante corpus ipsius est sepultus, calendis Augusti, 28 anno regni sui.

Luitherius imperator post subactam Romanæ ecclesiæ infidelitatem Apuliam rediens in patriam suam moritur, & Conradus qui ante ipsum imperium affectauerat, Henrici imperatoris de sorore nepos, ad regnum proue-
hitur.

1 | 1 | Obiit Drogo bonæ memoriæ Ostiensis episcopus, vir reli- | 3 | 10 | 1138
gione ac sapientia clarus.

Petrus Leonis qui per schisma præsulatum Romanæ sedis contra Innocentium inuaserat, & ecclesiæ Dei magno scandalo iam per octo annos fuerat, Dei iudicio percussus obiit, & ab eo ordinatos degradari, nec vltra ad sacros ordines promoueri, Innocentius papa decreuit.

Hoc tempore venerabilis vitæ Alexander, primus abbas mortui maris, se & domum suam tradidit abbati Vrsicampi.

His temporibus quidam pseudoimperator in partibus Alemanniæ surrexit, qui per aliquot annos apud Solodorum in reclusione viuens, egressus inde imperatorem Henricum se esse mentiendo dixit. Et cum multos seducendo sibi allexisset intrantium, vt pro eo etiam graues pugnæ & homicidia fierent, aliis eum recipientibus, aliis seductorem palam profitentibus, tãdem declarata eius falsitate Cluniaci in monachum attonsus est.

2 | 2 | Ramaldo Remorum archiepiscopo defuncto, ecclesia Re- | 4 | 11 | 1139
mensis per biennium fere pontifice caruit, & tandem hoc anno Sanson de clero ecclesiæ Cartonensis Remensem præsulatum suscepit.

Habitaculum seruorum Dei in loco qui dicitur ad montem Dei construitur.

Florebat hoc tempore Gallicana ecclesia per viros religione ac sapientia illustres, Milonem Morinensem episcopum, humilitatis virtute præcipuum, Aluisum Attrebatensem liberalitate atque consilio & facundia clarũ, Godefridum Lingonensem, Hugonem Antissiodorensem, Ioslenum Suessionensem, Giffridum Carnotensem, Albericum Bituricensem archiepiscopũ, scientia literarum atque consilij prudentia clarissimum.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Siculorum.	Hierosolymorum.

Inter hos etiam alios multos tunc claros scientia viros Bernardus abbas Clareuallensis, vir opinatissimæ religionis, eminentissime clarebat, qui multorum miraculorum patrator, & verbi Dei feruentissimus prædicator, atque plurimorum monasteriorum fundator, animarum lucra maxima Deo adhibebat, adeo vt magistri scholarum cum magno clericorum comitatu etiã de longinquis regionibus ad eius optabile magisterium confluentes, centenario vel ampliori nouitiorum numero domum probationis implerent, & vno die Quadragesimæ monachi fierent.

1140 3|3|5| Senonis parente rege Ludouico episcoporum & abbatum religiosorum fit conuentus contra Petrum Abaelardum, qui quadam prophana verborum vel sensuum nouitate ecclesiam scandalizabat, qui ab eis interpellatus, cum esset responsurus, de iustitia veritus, audientiam apostolicæ sedis appellauit, & sic euadens non multo post Cabilloni ad sanctum Marcellum obiit.

Inter regem Ludouicum & comitem Theodebaldum simultatis germen pullulat, pro eo quod comes cum rege in Aquitanicam expeditionem proficisci detractat.

Cœnobium sanctæ Mariæ de Frigido monte à piæ memoriæ Valeranno, primo abbate Vrsicampi, fundatum est, & sub electo patre Manasse.

Hugo Parisiensis sancti Victoris canonicus, religione & literarum scientia clarus, & in septem liberalium artium peritia nulli sui temporis secundus, obiit. Qui inter multa quæ vtiliter scripsit, etiam librum de Sacramentis valdè necessarium duobus voluminibus comprehensum edidit. In cuius libri volumine secundo quiddam mirabile intexuit de quodam peregrino, quem diabolus, in specie sancti Iacobi apparens, ad hoc seduxit, vt propria manu se interficeret. Cumque eum diabolus secum traheret, sanctus Iacobus superueniens eripuit eum de manu illius, & multa ei ostendẽs, ante iudicium Dei statuit, atq; vt denuo vitæ redderetur, obtinuit. Petẽte etiam rege Ludouico, explanauit hierarchiam sancti Dionysij martyris, multis obscuritatib. plenam.

1141 4|4|6| Rogerus de Sicilia post occupatum Calabriæ & Apuliæ principatum papam Innocentium bello capit, & facta cum eo qualicunque pace, vt ab eo in regem coronaretur, obtinuit. Sicq; primus de Normannorum genere regis sibi nomen vsurpauit, & postmodum etiam in Africa nonnullas ciuitates siue prouincias occupauit.

Castrum Bullonium quod Ramaldus comes iniuste tenuerat, capitur ab episcopo Leodij.

Imperator Constantinopolitanus Antiochia aliquandiu obsessa, pacem tandem cum principe fecit, & ciuitatem intrauit. Sed venationi insistens, dũ arcum vehementius intendit, toxicata sagitta à semetipso vulneratus in sinistra manu obiit, captis ante nonnullis Turcorum præsidiis, & post eum filius Emanuel imperium sumpsit.

Orta dissensione inter papam Romanum, & Francorum regem Ludouicum, ecclesia Gallicana turbatur. Defuncto enim Alberico Bituricensi archiepiscopo, missus est Petrus à papa Innocentio eidem ecclesiæ pastor consecratus, sed à rege Ludouico repudiatus, eo quod sine eius assensu fuerit ordinatus, in ciuitatem minime recipitur. Cuius partes quia propter reuerentiam seu voluntatẽ papæ comes Theobaldus fouere videbatur, simultas quæ sopita putabatur, inter regem & ipsum cœpit repullulare.

1142 5|5|7| Radulphus Viromandorum comes vxorem suam dimittit, & sororem reginæ Petronillam ducit, propter quod instantia comitis Theobaldi mittitur Romanæ sedis Iuo legatus, qui & Radulphum comitem excommunicauit, & episcopos, Laudunensem Bartholomæum, Noviomen-

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Siculorum. | Hierosolymorum. | Anni Domini.

uiomensem Simonem, & Petrum Syluanectensem, qui diuortium illud fecerant suspendit.

Obiit pater Valerannus abbas Vrsicampi, fundator duarum abbatiarum, excepta tertia quam sibi adoptauit in filiam.

6 | 6 | 8 Ludouicus rex Vitriacum castrum Comitis Theobaldi | 2 | 15 1143
capit, vbi igne admoto ecclesia incensa, & in ea mille trecentæ animæ diuersi sexus & ætatis sunt igne consumptæ, super quo rex Ludouicus misericordia motus ploraſſe dicitur, & hac de causa peregrinationem Hierosolymitanam aggressus à quibusdam æstimatur. Castrum vero Odoni Campaniēsi contulit, nepoti comitis Theobaldi, qui patrocinium ab ipso sibi ereptum per regem Ludouicum hac occasione recuperare voluit.

Obiit papa Innocentius, cui succedit Wido castellanus, Celestini nomine alteratus.

Obiit etiam Fulco rex Hierosolymorum. Qui dum venationi insistens leporem insequitur ex improuiso sibi apparentem; equus cui insidebat, se super eum præcipitem dedit, ipsumque vita & regno priuauit, post quem filius eius Balduinus cum matre regnat.

Pax reformatur inter papam & regem Ludouicum.

Ventus vehemens 14 calendas Februarij horribili impetu monasteria domosque subruit, arbores annosas terræ coæquans.

7 | 7 | 9 | Celestinus papa quinque mensibus & dimidio papatus | 3 | 1 1144
functus officio decedit, eique Lucius ex Gerardo cancellario papa factus, succedit.

Mediante abbate Clareuallis, simultas quæ inter regem Ludouicum & Comitem Theobaldum incanduerat, sopitur.

Inter regem Angliæ, & fautores Matildis Henrici regis filiæ varia sorte confligitur, & regnum illud quod præ cæteris aliquandiu quietum manserat & opulentum, ferro, flamma, fame, misere discerpitur.

8 | 8 | 10 | Edissa Mesopotamiæ ciuitas, in qua erant corpora Apo- | 4 | 2 1145
stolorum Thomæ & Thaddæi, & quæ idololatriæ sordibus nunquam fuerat polluta, ex quo ad Christianismum primitus est conuersa, à Turcis obsessa capitur. Vbi episcopo ciuitatis decollato, & sanctis locis prophanatis, & in eis multis nec dicendis abominationibus perpetratis, multa millia diuersi sexus & ætatis trucidantur, diuersis modis cruciantur, captiui abducuntur, & seruituti addicuntur, vnde Christianis metus & tristitia, Christi nominis inimicis fastus creuit & audacia. Et hæc quidem malorum initia.

Lucius papa senatores Romanorum contra ecclesiam erectos in Capitolio obsidet, sed inde per Iordanem Petri Leonis perturbatus, infirmitate correptus, infra annum pontificij sui moritur, cui succedit abbas sancti Anastasij Bernardus, Clareuallensis patris Bernardi in conuersione filius, & papa vocatur Eugenius, contra quem Romani Iordanum patricium & senatores erigentes, eum ab vrbe deturbant, qui transalpinando in Gallias venit.

9 | 9 | 11 | Rex Francorum Ludouicus captæ à Turcis Mesopota- | 5 | 3 1146
miæ zelo accensus, literis, etiam Eugenij papæ animatus, atque (vt alij putant) Vitriacensis incendij conscientia compunctus, apud Viceliacum affixo sibi crucis signo cum principibus regni & multitudine innumerabili transmarinam peregrinationem aggredi proponit. Interim abbas Clareuallis à papa Eugenio per Gallias missus sua prædicatione animos fidelium ad aggrediendam viam Domini cōmonebat, cui etiam Dei gratia ad signa facienda comes efficax erat.

Ecclesia Tornacensis, quæ per annos circiter 600 à tempore beati Medardi sub episcopo Nouiomensi sine proprio fuerat sacerdote, hoc anno pro-

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Siculorum.	Hierosolymorum.

prium episcopum cœpit habere, Anshelmo abbate sancti Vincentij Laudunensis à papa Eugenio Romæ consecrato, & eidem ciuitati in episcopum destinato.

Fames permaxima grassatur in Gallia, in qua ecclesiarum Christi enituit liberalis munificentia, quæ insustentationem pauperum multa expenderunt modiorum millia. Quo tempore in Lingonensi parochia apud Moriandum, vbi paupereres innumeri quotidiana stipe alebantur, quidam homines occidisse & eorum carnes coctas vendidisse deprehensus, à pauperibus patibulo est appensus.

Apud Nornicum Angliæ ciuitatem Iudæi crucifixerunt puerum quendam Christianum nomine Willelmum, quem etiam foras ciuitatem ab eis sepultum diuina lux (vt ferunt) super eum emicans declarauit, sicq; à fidelibus inuentus honorabiliter est in ecclesia positus.

1147 | 10 | 10 | 12 | Conrado rege in purificatione sanctæ Mariæ Frankenefort constituto, abbas Clareuallensis tã regi quã cunctis fere regni principib. crucis affixit signum, & socij peregrinationis multiplicãtur super numerum. | 6 | 4

Naualis Dei exercitus ex Anglia, Flandria, atque Lotharingia collectus, secundo idus Aprilis de Tredemunde portu Angliæ cum ducentis fere nauibus profectus, 4 calendas Iulij in vigilia apostolorum Vlysiponam applicuit, & eam post 4 mensium obsidionem per multas cædes & multam macerationem Dei virtute & sua industria cepit. Et cum de ipsis tantum essent tredecim millia hostium, ducenta millia, & quingenti superantes ingressi, cum hymnis ecclesiam dedicantes, episcopum ibi & clericos ordinauerunt. Ad corpora ibi occisorum tres muti recuperauerunt loquendi vsum.

Conradus rex mense Maio cum multitudine innumerabili & virtute incomparabili peregrinationem aggressus, transito prospere Bosporo, dum ad expugnandum Iconium inconsulte diuertit, consumptis terræ germinibus & deficientibus victualibus, suis fame afflictis, redit; & prosequentibus eos Turcis, multa millia suorum amittit.

Rex Francorum Ludouicus 3 calendas Iunij in Pentecoste peregrinationem aggressus, cum infinitis & expeditis suorum millibus per Hungariam profectus, transito Bosporo occursu Conradi regis excipitur, qui multis suorum ob inopiam repatriantibus, paucis comitantibus, à Francis benigne susceptus, & cum eis aliquandiu est profectus, sed ab imperatore Græcorum à Tyathira reuocatus, nauibus eius Hierosolymam est euectus.

Eclipsis Solis fuit octauo calendas Nouembris, die Dominica, ab hora secunda vsque ad horam quintam.

1148 | 11 | 11 | 13 | Franci per deserta Syriæ dolo & astu Græcorum, & crebro assultu Turcorum, detrimenta maxima patiuntur, & fame nimia cruciati quidam equorum & asinorum carnibus vescuntur. Sic cum multo labore & damno multis fame pereuntibus, vix tandem Seleuciam venerunt, & inde Antiochiam & Palæstinam nauibus petierunt. | 7 | 5

Manuel rex Græcorum nuncios regis Siciliæ, quos ad eum pro exequendo pacis fœdere miserat, detinuit mancipatos carcere, vnde iratus Rogerus, misso nauali exercitu Corinthum spoliauit, cum quibusdam aliis ciuitatibus & castellis in Græcia, & infinitam sumens diuersi generis paludamentorum & vestis pretiosæ substantiam cum auri & argenti copia, captiuauit de Græcis nonnulla millia. Cepit etiam insulam Curfolium & in eius portu ædificauit forte præsidium. Citeriores Hispani capiunt Almariam, & sequenti anno Tortosam insignes ciuitates Sarracenorum.

Aluisus Attrebatensis episcopus, vir honestæ vitæ & scientia clarus, apud Philippolim obiit.

Simon

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Siculorum. | Hierosolymorum. | Anni Domini.

Simon quoque glorioſus Nouiomenſis pontifex apud Seleuciam diem claudit, cui ſuccedit Balduinus Bolonienſis abbas Caſtellionis.

A papa Eugenio Remis 11 calendas Aprilis concilium celebratur, in quo hæreticus quidam de Britannia adductus damnatur, qui ſe prophetam vel magnum quemlibet, & nomini ſuo alludens (Eon enim dicebatur) eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſeculum per ignem, ſe eſſe dicebat, & de ſuis quoſdam quidem angelos, alios autem apoſtolos faciebat, & propriis angelorum ſeu apoſtolorum nominibus appellabat. Qui in concilio damnatus, ſub cuſtodia Remenſis archiepiſcopi non multo poſt defunctus, vita pariter caruit & memoria.

Contra Gislebertum quoque Pictauorum epiſcopum, qui cum eſſet ſcholarum magiſter nominatiſſimus, multa quidem vtilia ſcripſerat, ſed quodammodo noua ſubtilitate verborum in ipſis ſuis ſcriptis ſcandalizabat eccleſiã, multa ſunt dicta & diſputata, vnde & quædam quæ defendere non præſumpſit vel non potuit, ab ipſo ſunt damnata.

Lauduni 4 non. Iulij factis tonitruis in monaſterio ſancti Vincentij, monachis diurni officij curſum complentibus, duo ex eis ſubito fulminis ictu corruentes expirauerunt, alij quidem tacti vel territi conualuerunt. Fulmine etiam altaris linteum adurente, & ſacrarium penetrante, & de magna cruce partem quoque clauſtralis oſtij aſportante, tota domus repletur horrore.

In aliis etiam locis hominibus ſeu hominum ædificiis vel animalibus fulmine pereuntibus, mala quæ ſolito grauiora Chriſtianis contingere ſunt ſignata, dicunt etiam Hieroſolymis in templo domini ſiue in monte oliueti fulminaſſe & eius infortunij hoc præſagium fuiſſe.

In territorio Gebennenſi lupus quidam, corporis magnitudine & animi ferocitate aliis diſſimilis, homines deuorauit, & plus quam 30 animas diuerſi ſexus & ætatis vita priuauit. In aliis etiam locis hoc anno lupi ſimiliter noſcũtur operati.

Hildefonſus comes ſancti Ægidij cum nauali exercitu Palæſtinam applicuit, & cum magnum quid facturus ſperaretur, reginæ (vt aiunt) dolo male potionatus apud Cæſaream Palæſtinæ moritur. Filius eius adoleſcens quoddam caſtrum comitis Tripolitani patruelis ſui ingreditur, ſed dolo eiuſdem cum ſorore à Turcis captiuatur.

Obſeſſa per triduum Damaſco à Francis, Germanis, Hieroſolymitanis, captis iam muris exteriorib. qui hortos ambiebant, cum in breui ciuitas capienda putaretur, dolo (vt aiunt) principum Palæſtinorum obſidio remouetur. Factaq; diſceſſione, rex Francorum & imperator iterum condicto die ad obſidendam Aſcalonem cum ſuis Ioppe conueniunt, ſed Hieroſolymitis minime iuxta condictum occurrentibus, imperator Conſtantinopolim nauibus euehitur, rex, ſuis repatriantibus, cum paucis Hieroſolymis per annum moratur.

Rogerus rex Siciliæ exercitum naualem direxit ad fines Africæ, captaque inſigni ciuitate quæ dicitur Africa Suilla, Affax, Clipea, aliisq; caſtris plurib⁹, archiepiſcopum Africę qui ſub ſeruitute Romã venerat cõſecrandus, ad ſedẽ ſuam remittit liberum. Sanctę memorię Malachias Hybernorum epiſcop⁹, & apoſtolicæ ſedis legatus, voluntate Dei finem vitæ ſortitus, apud Clareuallem (ſicut ipſe præelegerat & prædixerat) locum ſepulturæ accepit, cui ſucceſſit Chriſtianus abbas Mellifontis, vir plurima ſanctitate præditus, qui eiuſdem ſancti viri archidiaconus extiterat, & primus abbas de ordine Ciſtercienſi in Hyberniam ab abbate Clareuallis ſacræ memoriæ Bernardo fuerat deſtinatus.

12 | 12 | 14 | Papa Eugenius in Italiam regreſſus, cum Romanis vario euentu confligit. | 8 | 6 | 1149

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Siculorum.	Hieroſolymorum.

Conradus & Manuel imperatores conuenientes in Græcia, expeditionem parant contra Rogerum de Sicilia. Sed exercitibus profligatis ob famem & aurarum intemperantiam, Conradus tanquam rediturus repatriauit in Alemanniam.

Henricus Ludouici Francorum regis germanus, contempto mundi ſchemate, pro Chriſto in Clareualle indutus monachali ſchemate, prouehitur ad epiſcopatum ciuitatis Beluagicæ.

Eclipſis Lunæ fuit vndecimo calendas Aprilis circa horam nonam noctis, ſabbato ante ramos palmarum, & ventorum intemperies ſecuta eſt per quatuor continuos dies.

In quarta autem feria ventus maximus & nimia fuit pluuiarum inundatio. Qua die in territorio Neomorum iuxta Gandauum ſacerdos miſſa celebrata fulmine ictus occubuit, & in territorio Remenſi quidam clericus tempeſtate periit. Tonitrua, fulgura, grandines & tempeſtates hoc anno hominibus intulerunt incommoda.

Ludouicus rex Francorum à Palæſtina nauigans vt in patriam rediret, Græcorũ naues incurrit. Cumq; ab eis imperatori Curſolium obſidenti præſentandus deducitur, Georgius dux nauium regis Siciliæ eos aggreditur, ſiquidem vaſtatis & ſpoliatis Græcorum prouinciis, vſque ad ipſam vrbem regiam Conſtantinopolim accedẽs, ſagittas aureas in palatium imperatoris fecerat, & incenſis ſuburbanis de fructu hortorum regis violenter tulerat, vnde rediens naues Græcorum incurrit, captum Ludouicum regem eripuit, ſed captos regis obtentu dimittit.

Interim Manuel, recepto in deditionem Curſolio, Siculorum naues per ſuos inſequitur, & captis nonnullis nauibus rex fuga liberatur, & à rege Rogero nec non & papa Eugenio honorifice ſuſcipitur atque deducitur.

Raymundus princeps Antiochiæ, vir cunctis Chriſtiani nominis inimicis terribilis, calendis Auguſti contra Turcos egreſſus, multis ſuorum captis & occiſis, in inſidiis eorum & ipſe miſerabiliter eſt interfectus. Turci caput eius circumferentes, omnia fere caſtra vel ciuitates quæ ſui iuris erant, in deditionem recipiunt, præter Antiochiam. Qui cum & ipſam nimis infeſtarent, rex Hieroſolymorum Balduinus contra eos egreditur in Syriam, eisque pertinacibus in redeundo Sarracenorum munitionem circa Damaſcum capit, & Damaſcenos in triennium tributarios facit.

Milites templi Gazam antiquam Palæſtinæ ciuitatem reædificant, & turribus eam munientes, Aſcalonitas grauiter infeſtant.

1150 | 13 | 13 | 15 | Bartholomæus Laudunenſis epiſcopus 38 anno ſui epiſcopatus contẽpto mũdi ſchemate, Fuſinaci induitur monachali ſchemate. Qui cum ſederet aliquando cum cæteris monachis ad collationem, aſpexit quendam monachũ tardius atq; lentius aliis aduenientem, nigrumq; paruulum iuxta eum gradientem, atque per cucullam eum tenentem: quod cum abbati retuliſſet, didicit ab eo quod monachus ille valde negligens eſſet. | 9 | 7

Habitis per Franciam conuentibus, annuente etiam papa Eugenio, vt abbas Clareuallis Hieroſolymam ad alios prouocandos mitteretur, grandis iterum ſermo de profectione tranſmarina celebratur, ſed per Ciſtercienſes monachos totum caſſatur.

1151 | 14 | 14 | 16 | Lauduni fit epiſcopus Waltherus abbas ſancti Martini & Godeſcalcus abbas de monte ſancti Martini Attrebati. Illuſtres religione & prudentia viri obeunt, Sugerius abbas ſancti Dionyſij, Ramaldus Ciſtertij, Odo ſancti Remigij. | 10 | 8

Epiſcopi obeunt moribus & ſcientia clari, Hugo Antiſſiodorenſis, & Ioſlenus Sueſſionenſis.

Gilfri-

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. || Siculorum. | Hierosolymorum. | Anni Domini.

Gifridus comes Andegauorum, post simultates habitas cum rege Ludouico facta pace, infra vnius mensis spacium obijt.

Obijt etiam nobilis & religiosus princeps & pauperum pater comes Theobaldus. Multi quoq; nobiles hoc anno moriuntur.

Hanc optimorum virorum migrationem forte significauit, quod in pago Suessonico eodem anno accidit. Cum enim hyemali gelu terra vehementer induruisset, cespes plurimæ longitudinis & latitudinis de terra subito auulsus, longe ad alium locum est translatus.

15 | 15 | 17 | Conradus Teutonicorum rex obijt. Qui cum quin- | 11 | 9 | 1152
decim annis regnauerit, benedictionem tamen imperialem non habuit, cui Fridericus dux nepos eius succedit.

Adalbero Treuerorum Archiepiscopus, vir magnanimus & singularis censuræ, obijt.

Terræmotus fuit in partibus Italiæ.

Rex Francorum Ludouicus zelotypię spiritu inflammatus, iurata consanguinitate vxorem suam repudiat, quam quia contra eius voluntatem Henricus dux Normannię ducit, magna inter eos simultas excandescit. Hac quippe occasione ducatum Aquitaniæ amisit rex, æmulus autem illius eum obtinuit.

Regina Hierosolymorum iusto familiarius ad inimicos Dei se habente, filius eius Balduinus rex contra eam insurgit. Et obsessis captisq; eius munitionibus, in vrbem sanctam intrare ab ipsa secundo prohibitus, tandem violenter ingreditur, eamque in arce obsidens, facta pace Neapolim ei dimittit, reliquam regni partem sibi retinet.

Massamuti (quos quidam Moabitas dicunt) post vsurpatum Mauritaniæ regnum, regemque patibulo affixum, etiam regem Bulgiæ occidentes, regnum eius inuadunt, ipsamq; Siciliam, Apuliam, Romam quoq; se inuadere minantur.

Illustris vir Radulphus comes Viromandorum obijt.

Eugenius Papa cum Romanis pace facta vrbem ingreditur, ibique cum eis hoc anno primitus commoratur.

1 | 16 | 18 | Rex Fridericus expeditionem parat in Italiam.

Obijt Papa Eugenius, cui succedit Anastasius. | 12 | 10 | 1153

Rex Francorum Ludouicus cum nimio exercitu Normanniæ fines aggressus castrum Vernum in deditionem recipit.

Interim dux Normanniæ in Angliam contra regem Stephanum fortiter agens, tandem cum eo pacem facit, ita vt viuente rege post eum secundus in Anglia mortuo succedat.

Rex Hierosolymorum regni integritate potitus, Ascalonem Palæstinę caput post longam obsidionem non sine graui damno, & multa suorum profligatione, tandem cepit. Fertur autem, quia complures ex militibus templi, qui ciuitatem se posse capere putabant, ingressi & mox trucidati à paganis fuissent, cæteri obsessores ante crucem Domini se prostrauerunt, & diuinum adiutorium cum multis supplicationibus implorauerunt, & mox exaudiri meruerunt. Nam ciuitatenses diuina virtute exterriti, cum se non posse vltra resistere sensissent, vrbem Christianis tradiderunt, cum suis abire permissi.

Venerandæ memoriæ Bernardus abbas Clareuallis, post claros actus & multarum animarum lucra, post multa fundata monasteria & plurima miraculorum signa exhibita, beato fine quieuit. Ex cuius discipulis cum plures ad archiepiscopatum vel etiam papatum promoti fuerint, ipse tamen nunquam Episcopus siue Archiepiscopus esse voluit, licet atq; inuitatus & multoties & multis in locis.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Siculorum.	Hieroſolymorum.

Vrbem Cameracum poſt multorum ciuium captionem Theodericus Flandriæ comes recepit.

Vir religioſus Walterus, Laudunenſis epiſcopus, multarum fundator abbatiarum, migrat ad Dominum, & Præmonſtrati ſepelitur, vbi quondam pro Chriſto paupertatis ſumpſit habitum, cui ſuccedit Galterus Laudunenſis decanus.

1154 2 | 17 | 19 | Princeps vtilis & ſtrenuus, & actibus clarus, Rogerus rex | 13 | 11 Sicilię, poſt inſignes de Sarracenis victorias & terras eorum occupatas, obijt, nec inferiorem ſe filium Guillelmum regem & victoriarum ſucceſſorem derelinquit.

Regem Babyloniorũ quidam de ſuis principibus interficit, & inde cum infinita theſaurorum copia fugiens, à militibus templi occiditur, & capto filio eius, omnis illa opulenta & incomparabilis ſupellex eorum cedit vſibus.

Guillelmus rex Siciliæ miſſo nauali exercitu vrbem Taneos in Ægypto vaſtat & ſpoliat, vnde magnę opes auri & argenti ac pretioſæ veſtis copia multa deducitur. Sed inde reuertentes ſtolum imperatoris Gręcorum offendunt, & cum eſſet de Græcis circiter 140, naues Siculæ numero pauciores eos vincunt, ſpoliant & capiunt, & infinitæ opum diuerſarum copiæ Siculis inde proueniunt.

Maſſamuti in Italia Puteolis caſtrum ſpoliant, quos rex Siciliæ per ſuos nauibus perſequens capit & exterminat.

Rex Fredericus tranſalpinando in Italia fortiter agit, aduerſantium ſibi caſtra deijcit.

Rex Francorum Ludouicus Henricum ducem Normanniæ ad pacem recipit, qui in breui mortuo rege Stephano Angliam intrat, & regni integritate potitus, pacem antiquam reformat.

Robertus de Botua, vir omni plenus nequitia, nepotum ſuorum caſtra ingreſſus, doloſe tyrannidē exercet in terra. Qui ſpiritu etiam zelotypiæ ſuccenſus, quendam hominem ſuum ſatis fidelem cum alio viro & vna muliere intra domunculam comburendos iubet includi. Illi vero inſtar antiquorum puerorũ domo ardente, & flamma ſuper capita eorum in modum lutrium cidæ nubis volitante, illæſi permãſerunt. Quos foras egreſſos cum perſequerentur, iniquus ille miniſter cui dominus ſuus hoc facinus iniunxerat, & euaginato gladio vnum ex eis ferire voluiſſet, repente quædam inuiſibilis perſona retro eum per comam capitis apprehendit, & cum equo cui inſedebat in terram præcipitem dedit. Vnde & mox ad ſanctum Iacobum ſe iturum eſſe ſpopondit, ſed & illi quos propria conſeruauit innocentia, gratiam Dei non in vacuum accipientes, vitam ſuam in melius mutauerunt.

Obijt papa Anaſtaſius, & epiſcopus Albanenſis Nicolaus, papa fit Adrianus

Luna paſſa eſt eclipſin 11 Calendas Iunij, in poſterioribus partibus Geminorum.

1155 3 | 18 | 20 | In partibus Burgundiæ 25 Calend. Februarij tertia | 14 | 12 feria ter in vna nocte fuit terræmotus, quo etiam diuerſa ædificia dicuntur fuiſſe ſubuerſa.

Moritur etiam Gislebertus epiſcopus Pictauenſis, vir religioſus, & multiplicis doctrinæ, qui pſalmos & epiſtolas Pauli luculenter expoſuit.

Ludouicus rex Francorũ gratia orationis perrexit ad ſanctum Iacobum de Gallicia, & ab imperatore Hiſpaniarum ſocero ſuo fauorabiliter in Hiſpaniam ſuſceptus eſt.

Henricus dux Normannorum, 7 Idus Decembris in Angliam transfretans, cum magno tripudio clericorum & laicorum exceptus, & 13 Calendas Ianuarij die dominica ante Natiuitatem Domini apud Weſt monaſterium ab omni-

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Anni Domini.

ab omnibus electus, & in regem vnctus à Theobaldo archiepiscopo Cantuarien si. Affuerunt & episcopi & omnes Anglici regni, Rogerius archiepiscopus Eboracensis, Richardus episcopus Lundonensis, Henricus Wintonien sis, Robertus Lincolien sis, Gualterus Cestren sis, Gislebertus Herefordensis, Robertus Baten sis, Ioannes Wingornien sis, Robertus Exouien sis, Hilarius Gestren sis, Goscelinus Salesberien sis, Gualterus Roffen sis, Nigellus Helien sis, Willhelmus Norwincēsis, Adalulphus Carlinen sis. Affuerunt & de Normannia, vir religiosus ac timens Deum, Hugo Archiepiscopus Rothomagen sis, Philippus Baiocen sis, Arnulphus Lexouien sis, Herbertus Abrincacen sis, Episcopi. Affuerunt comites regni illius, & regni Francorum, Theodericus comes Flandren sis, & alij plures.

Facta est eclipsis Lunæ Dominica ante Natalem Domini.

4 | 19 | Rex Henricus cœpit reuocare in ius proprium vrbes, castella, villas quæ ad coronam regni pertinebant, castella nouiter facta destruendo & expellendo de regno maxime Flandren si, & deponendo quosdam imaginarios & pseudocomites, quibus rex Stephanus pene omnia ad fiscum pertinentia minus caute distribuerat. | 1 | 1156

Factus est terræmotus 15 Calend. Martij, maxime in Burgundia, adeo, vt ter in nocte festiuitatis sanctæ Priscæ virginis sentiretur apud Cluniacum: & quoddam castellum quod erat desertum, haud procul à Cluniaco situm absorptum iret in abyssum, & spacium in quo castellum fuerat, repleretur aqua inæstimabilis profunditatis.

Natus est Lugdoniæ pridie Ca. Mar. feria secunda, tertius filius Henrici regi Anglorum, ex vxore sua regina Alience, & vocatus est Henricus.

Henricus rex Anglorum exhæredauit Wilhelmum Peurel de Notingueham, causa beneficij quod fuerat propinatū Ramulpho comiti Cestriæ. In consortio huius pestis plures participes & consci extitisse dicuntur.

Hoc anno frequenter terræmotus per totam Quadragesimam accidit in Burgundia.

Octauo & decimo Calen. Maij, feria quinta, etiam apud montem sancti Michaelis terræmotum sensimus ante Solis ortum.

Mortuo Roberto Exouien si episcopo, successit Robertus decanus Salesberiæ.

Mortuus est Balduinus de Rediuers, & succedit Richardus filius eius.

Dominica post octauas Paschæ videlicet 4 Idus Aprilis, Henricus apud Warengefort, fecit optimates Anglici regni iurare fidelitatem Wilhelmo primogenito suo de regno Angliæ, & si idem puer immatura morte occumberet, Henrico fratri suo.

Sopita discordia quæ erat inter regem Anglorum Henricum, & Rogerium filium Milonis de Gloeceſtria propter turrem Gloeceſtriæ; Hugo de mortuo mari vir arrogantissimus, & de se præsumens, muniuit castella sua contra regem. Illico rex Henricus obsidet omnia castella ipsius, id est Bruge, Wigemore, Clerberi, quorum vltimum post aliquantulum temporis cepit & destruxit.

Quintodecimo Calendas Iulij, prima hora noctis, eclipsis lunæ accidit.

Mense Iulio nonis eiusdem Hugo de mortuo mari pacificatus est cum rege Henrico, redditis castellis Brugæ & Wigemore.

Garnerius abbas maioris monasterij moritur, & succedit Robertus natione Brito.

Mortuo Rogerio filio Milonis de Glocceſtria, successit ei Waltherius frater eius in paternam hæreditatem tantum, nam comitatum Herefort & ciuitatem Glocceſtriæ rex Henricus retinuit in manu sua.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Fridericus rex Alemannorum Romam perrexit, & ab Adriano papa contra Romanorum voluntatem receptus, & in ecclesia beati Petri in imperatorem ab eo est constitutus. Volens autem vltra progredi scilicet in Apuliam, (condixerant enim sibi per legatos suos ipse & Emanuel imperator Constantinopolitanus, qui duxerat vxorem eius, vt venientes ex diuersis partibus pessundarent regnum Apuliæ & regem eius Willermum) mutata eius voluntate in patriam suam se recepit. Nec tamen Willermo regi Apuliæ bellum defuit. Nam Robertus de Baseuilla comes qui erat cognatus eius, & Richardus de Ling, comes Andriæ, putantes regem mortuum cum nõ esset, (ægrotauerat enim, sed tamen postea conualuit) per regnum Apuliæ grauiter debacchati sunt.

Circa festum sancti Michaelis Henricus rex Anglorum habito concilio apud Wincestrum de conquirendo regno Hyberniæ & Guillelmo fratri suo dando cum optimatibus suis tractauit. Quod quia matri eius imperatrici non placuit, intermissa est ad tempus illa expeditio.

Henricus episcopus Wintonensis clam, præmisso thesauro suo per abbatem Cluniacum, absq; licentia regis & quasi latenter recessit ab Anglia. Illico rex Henricus omnia castella eius pessundedit.

1157 | 5 | 20 | Henricus rex transfretaturus apud Dontam mare intrauit, & | 2 appulit apud Wisant.

In Purificatione sanctæ Mariæ fuit Rothomagi, & insequenti hebdomada locutus est cum rege Francorum Ludouico in confinio Normanniç & Franciæ. Inde rediens Rothomagum venerunt ad eum Tetricus Flãdrensis comes & vxor eius amita ipsius regis, & Gaufridus frater eius, sed Gaufrido non suscipiente ea quæ illi à rege offerebantur, recessit in Andegauensem pagum: & rex Henricus è vestigio illum subsequutus est.

Circa hoc tempus inundatione Tyberis facta non modica, Romæ in quadam insula eiusdem fluminis in ecclesiola antiqua inuentum est in quodam sarcophago corpus beati Bartholomæi Apostoli totum integrum, excepto corio quod remansit Beneuenti, quando Otto imperator capta eadẽ ciuitate corpus prædicti Apostoli transtulit Romam sicut tabulę æreæ demonstrant scriptæ literis Græcis & Latinis, quæ repertæ fuerunt in corpore Apostoli.

Repertum est etiam in eadem ecclesia corpus Paulini Nolani episcopi.

Gaufridus frater Henrici regis Anglorum, expulso Hoello comite Britanniæ, cepit Nanneticam ciuitatem consentientibus ciuibus.

Guillelmus rex Siciliæ ciuitatem Barum funditus euertit, præter ecclesiam sancti Nicolai, quia ciues illius Græcis fauentes nequissime contra ipsum conspirauerant.

Græcos etiam terra & mari idem rex superauit, & de spolijs eorum locupletatus est, & ea quæ perdiderat castella & ciuitates in ius proprium reuocauit. Exhæredauit etiam comitem de Baseuilla cognatum suum, quia abipso desciuerat. Nihilominus cum papa Adriano pacem fecit, concedendo ei cõsecrationes episcoporũ regni sui & ducatus, sicut antiquitus eas habuit ecclesia Romana, vnde discordia fuerat inter patrem suum regem Rogerium, & Innocentium & Eugenium, Romanos pontifices. Idem vero Apostolicus concessit ei regnum Siciliæ, & ducatum Apuliæ, & principatum Capuæ.

In octauis Pentecostes Hugo Rothomagensis archiepiscopus, & Rotrocus Ebroicensis, & Richardus Constantiensis, & Herbertus Abrincensis, episcopi, apud Moritonium leuauerunt corpus beati Firmati.

In pago Parisiensi cappa Saluatoris nostri monasterio Argentoilo reuelatione diuina reperta est inconsutilis & subrufi coloris, quam sicut literæ quæ in ea repertæ indicabant, glorioſa mater illius fecit, dũ adhuc puer esset.

Tertio

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Anni Domini.

Tertio Calend. Iun. feria 4, vigilia Aſcenſionis Domini circa meridiem per dimidiam fere horam circulus maximæ latitudinis apparuit in circuitu Solis, ignei & cærulæi coloris.

Obijt Wilhelmus primogenitus filius Henrici regis Anglorum, & ſepultus eſt Radingis ad pedes Henrici regis proaui ſui.

Obijt nihilominus Adalulphus primus epiſcopus Decarloi.

Obijt etiam Gislebertus Degant, & Simon iuuenis filius comitis Simonis cum careret terra, dono regis Henrici accepit filiam eius vnicam cum honore eius.

Henricus rex Anglorum cepit caſtrum Mirebellum & Chuionem longa obſidione. Londinium vero eſt redditum, quando pacificatus eſt cum eo Gaufridus frater eius, hac conditione interpoſita, quod rex daret ei ſingulis annis mille libras Anglicæ monetæ, & duo millia librarum Andegauenſium. Et ita Deo fauente diſcordia quæ diu durauerat inter eos, men. Iul. ſopita eſt.

Mortuo Alano epiſcopo Redonenſi, ſucceſſit ei Stephanus abbas ſancti Florentij, vir literatus & eloquens.

Obijt etiam Iugelbandus Archiepiſcopus Turonenſis, & ſucceſſit ei Gotho Brito epiſcopus ſancti Briocci.

Conradus comes de Richemont veniens de Anglia in minorem Britanniam, obſedit vrbem Redonenſem, & cepit fugato Eudone vicecomite vitrico ſuo.

Hoc anno fulgura & tempeſtates menſe Iulio frequenter in Normannia acciderunt, vnde in pluribus locis meſſis perijt, & homines fulgurati interierunt. Subſequuta eſt abundantia pluuiæ, quæ cepit medio menſe Auguſti, quæ impediuit & collectionem meſſium, & ſubſequẽtem ſeminũ ſparſionem, ex qua iugi inundatione pluuiarum quæ diu durauit, multæ turres & eccleſiæ & antiquæ maceriæ, in Normannia & Anglia corruerunt.

Radulphus de Fulgerijs cepit in quodam conflictu Eudonem vicecomitem de Porrehoit, & hac de cauſa maior pars Britannorum receperunt comitem Conauum in ducem Britanniæ, excepto Ioanne Dolenſi, qui adhuc pro viribus Conauo & coadiutoribus eius reſiſtit.

Fridericus imperator Alemannorum ducit filiam Wilhelmi comitis Maſcouenſis, & cepit cum ea ciuitatem Veſontionem, & alias multas quas pater eius tenuerat de duce Burgundiæ. Pars tamen honoris illius quædam remanſit Ramaldo comiti patruo eiuſdem puellæ.

6 | 21 | Venerabilis Petrus Cluniacenſis abbas Calend. Ianuar. ingreſ- | 3 | 1158
ſus eſt viam vniuerſæ carnis.

Guillelmus rex Siciliæ nauali expeditione per admiralios ſuos cepit Sibyllam ciuitatem Metropolim, ſitã inter Africam & Babylonem. Eſt autem eadem ciuitas caput regni inſulæ Gerx, in qua idem rex habitatores immiſit Chriſtianos, & eis achiepiſcopum præfecit.

Sabbato infra octauas Paſchę in Abrincatino, villa quæ vocatur Landa Aronis, circa meridiem quaſi de terra emergens turbo maximus quæque proxima inuoluit & rapuit. Ad vltimum quaſi quædã columna rubei & cærulei coloris ſub turbine aſcendente in ſublime ſtetit, & videbantur & audiebantur quaſi ſagittæ & lanceæ in ipſa columna defigi, licet non appareret intuentibus quis eam agitaret: & in turbine qui ſtabat ſuper columnam, apparebant quaſi diuerſæ ſpecies volucrum in eodem volitantium.

Subſequuta eſt illico in eadem villa mortalitas hominum, inter quos & dominus villę occubuit. Nec ſollum in villa, ſed etiã in multis locis Normanniæ & finitimarum regionum mortalitas hoc anno graſſata eſt.

Monachi clauſtrales Cluniaci tumultuaria electione imo intruſione quẽdam ſemilaicum Robertum Groſſum cognatum comitis Flandriæ, pro

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

parentela sua elegerunt, reclamantibus maturioribus viris & honestis personis, quæ de eodem monasterio ad pastoralem curam assumptæ fuerunt.

Obijt Girardus episcopus Sagiensis.

Henricus rex Anglorum post octauas Paschæ apud Barbe fluuiũ transiuit in Angliam, & Malchonius rex Scotorum reddidit ei quicquid habebat de dominio suo, id est ciuitatem Carluith, castrum Baembure, nouum castrum super Tynam, & comitatum Lodoensem, & rex reddidit ei comitatum Huntedome.

Similiter Wilhelmus filius Stephani regis, qui erat comes ciuitatis Constantiarum, id est Moritonij, & in Anglia comes Furreiæ, id est de Warenna, propter filiam Terrici, Guillelmus de Warenna quã duxerat, reddidit ei Penetesel, & Noruuich, & quicquid tenebat de corona sua, & munitiones proprias tam in Normannia quam in Anglia, & rex fecit eum habere quicquid Stephanus pater eius habuit, in anno & die quo rex Henricus auus eius fuit viuus & mortuus.

Hugo Bigotus castella sua regi reddidit.

Terricus comes Flandrensis, & vxor eius amita Henrici regis Anglorũ perrexerunt Hierusalem, & dimiserunt Philippum filium suum, & totam terram suam in manu Henrici regis Anglorum.

Circa festiuitatem sancti Ioannis Baptistæ, rex Hẽricus præparauit maximam expeditionem, ita vt duo milites de tota Anglia tertium pararent ad opprimendum Gallensem terra & mari.

Agareni ciuitatem Almariam in Hispania super Christianos quam amiserant obsidione, cum nonnullis castellis iterum ceperunt, fugato Auosorio imperatore Hispaniarum. Mors ipsius imperatoris subsequuta est prę dolore & pudore eiusdem fugæ, & discordia inter filios suos facta est.

Deposito Roberto abbate Cluniacensi, & mortuo & socijs suis in reditu à Roma, Hugo prior Clausstrensis factus est abbas Cluniacensis.

Ruptis inducijs quæ erant inter Balduinum regem Hierosolymitarum, & Loratini filium Sangum regem, Alauriæ, propter prædam Sarracenorum quam rex Balduinus inconsulte ceperat, pagani obsederunt ciuitatem Abilinam, quæ antiquitus dicta fuit Cæsarea Philippi, & omnes vicos destruxerunt præter principalem munitionem. Sed tamen aduentu viuificæ crucis & exercitus Christianorum, recedentibus perfidis ad tempus iterum venerũt, & regem Balduinum qui iam copias sui exercit⁹ dimiserat, nihil minus quam insidias sperantem imparatum inuenerunt, & trucidatis multis ex militibus templi, qui soli cum eo remanserant, idem rex vix cogi potuit, vt recederet. Hunc casum Christianorum terræmotus subsecutus est maxime in transmarinis partibus. Stolus etiam Amiralij Babyloniæ per mensem vnum obsedit Accaron, cum anno præterito, & de Babylone, & de Damasco rex Hierusalem habuisset tributum.

Amalricus comes Ioppe frater regis Balduini duxit filiam Goscelini de Tornaissel, qui quondam fuerat, antequam eam Agareni cepissent, comes Rages quam moderni nunc Rohais vocant.

Henricus rex Angliæ subiectis ad libitum Wallensibus. & restitutis terris & munitionibus baronibus suis, quas tempore Stephani regis Wallensis super eos ceperant, extirpatis nemoribus & vijs patefactis castrum Ronelent firmauit & dedit illud Hugoni de bello campo, & aliud castrum scilicet Beesumgemerce fecit, & inter hæc duo castra vnam domum militibus templi.

Mense Septembri natus est Henrico regi Angliæ filius, & vocatus est Richardus.

1158 | 7 | 22 | Fredericus imperator Alemannorum post Pascha transiens al- | 4 pes ob-

| *Romanorum.* | *Francorum.* | *Anglorum.* | *Anni Domini.*

pes, obsedit vrbem nobilissimam Mediolanum, & post longam obsidionem reddita vrbe & obsidibus datis, processit vlterius ad oppressionem (si posset) Willelmi regis Siciliæ.

Mortuo Seuche rege maiore Hispaniarum, successit ei filius suus natus ex filia Garsiæ regis Nauarrorum.

Moritur etiam Gaufridus archiepiscopus Burdegalensis vir religiosus, & verbi Dei seminator egregius.

Decessit nihilominus Theobaldus episcopus Parisiensis.

In festiuitate sancti Ioannis Baptistæ, Henricus rex Anglorum militaribus armis accinxit apud Carluid Willelmum filium regis Stephani, comitem Moritonij & de Warenna, quem comitatum habet propria filia comitis de Warenna quam duxerat. Qui Willelmus mortuus fuerat in expeditione Hierosolymitana.

Anno ab incarnatione Domini 1157, 15 calendas Iulij, processit conuentus cum abbate suo Richardo de Blosseuilla à Mortuo mari missus à domino Stephano tunc abbate Mortui maris, & venit in hunc locum qui dicitur Botum, situm in territorio Rothomagensi. Multis namque precibus Matildis imperatrix filia magni Henrici regis Angliæ, & mater illustris Henrici regis Angliæ, à prædicto Stephano abbate Mortui maris obtinuit, vt conuentus inde mitteretur ad construendam abbatiam Cisterciensis ordinis, ad laudem & honorem Dei, & beatæ Mariæ, omniumque sanctorum.

*Mortuo Gaufrido comite Nannetensi, fratre Henrici regis Anglorum, mense Iulio, Henricus rex mense Augusto transfretauit in Normanniam, & locutus cum rege Francorum Ludouico super Ettam fluuium de pace & de matrimonio contrahendo inter filium suum Henricum & filiam regis Francorum Margaritam, & præstitis hinc inde sacramentis, rex Anglorum venit in Argentomagum, & in festo Nauitatis Mariæ virginis ibidem iussit submoueri exercitum totius Normanniæ, vt essent apud Abrincas in festiuitate sancti Michaelis ituri super Conanum ducem Britanniæ, nisi redderet regi ciuitatem Nanneticam quam inuaserat.

Exinde rex, euocatus à rege Francorum, cum paucis venit Parisios, & inæstimabili honore à rege Ludouico, & Constantia regina, & à proceribus regni exceptus est, gaudentibus Francis & de pace duorum regum, & de aduentu tanti hospitis tripudiantibus. Ipse autem magnifice & dapsiliter se agens circa omnes, & maxime circa ecclesias & pauperes Christi, nusquam in aliqua ecclesia cum processione voluit susceipi, licet à rege Francorum imo pene ab omnibus & precibus & obsecrationibus, vt id ageret, cogeretur. Inde rediens filiam regis Francorum secum adduxit, & eam ad custodiendum & nutriendum Roberto de Nouoburgo fideli suo tradidit.

Mense Septembri, nono calendas Octobris, natus est filius Henrico regi Anglorum, & vocatus est Gaufridus.

In festiuitate sancti Michaelis venit Conanus comes Redonensis, & sui Britanni cum eo, Abrincas, & reddidit regi vrbem Nannetis cum toto comitatu Mediæ, valente (vt fertur) 60 millia solidorum Andegauensis monetæ. Inde venit rex ad montem sancti Michaelis, & audita Missa ad maius altare, concessit ecclesias pontis Vrsonis sancto Michaeli, & abbati, & monachis eiusdem loci. Præsente Roberto abbate, & Radulpho priore, & pluribus aliis, ipsa die perrexit ad pontem Vrsonis, & diuisit ibi ministris suis, & ordinauit quomodo castrum illud reædificaretur: inde discedens cum manu armata, perrexit ad recipiendum vrbem Nannetis. Qua accepta & disposita ad libitum, paucis interpositis diebus cum innumerabili exercitu tertia feria obsedit castrum Toarci, & sexta feria eiusdem septimanæ cepit.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Post aliquantulum temporis perrexit obuiam Ludouico regi Francorum, venienti gratia orationis ad montem sancti Michaelis de periculo maris, quē ex quo intrauit in ducatum Normanniæ deduxit, & suis impensis decentissime procurauit.

In festiuitate vero beati Clementis die Dominica venerunt vterque rex ad montem beati Archangeli, & cum magno tripudio tam clerici quam populi itum est regi Francorum obuiam. In ipsa autem processione, excepto cōuentu monachorum, & clericorum, & plebe innumera, fuerunt duo summi pontifices, vnus archiepiscopus & alter episcopus, & quinq; abbates. Audita Missa redierunt Abrincas, deducente illum rege, & innumeris regiis muneribus tam illum quam suos vsque ad fines sui ducatus prosequente.

Mense Decembri concordati sunt rex Henricus, & comes Blesensis Theobaldus, cognatus eius, hoc modo: Comes Theobaldus cognatus regis reddidit regi duo castra, Ambazium, & Fractam vallem & Rotrocus comes Moritoriæ sororius eius (siquidem vnam sororem eius Odo dux Burgundiæ, aliā prædictus comes Rotrocus, qui vsitatius dicitur comes Particensis, tertiam Willelmus Goiet) hic, inquam, Rotrocus reddidit Henrico duci castra, Regimolinas & Bonummolinum, quæ erant dominia ducis Normanniæ, sed post mortem regis Henrici Rotrocus comes pater huius Rotroci occupauerat ea. Rex autem Henricus concessit eidem Rotroco Bellismum castrum, & ille fecit regi propter hoc homagium.

Eodem anno inuenta sunt trium Magorum corpora, qui salutarem nostrum infantem adorauerunt in Bethlehem, in quadam veteri capella iuxta vrbem Mediolanum, & præ timore Friderici imperatoris Alemannorum qui eandem vrbem veniebat obsidere, leuata & in ciuitate posita.

Balduinus rex Hierosolymitanus cepit super paganos Cæsaream magnam Palæstinæ, haud procul sitam ab Antiochia. cepit etiam castrum Harenæ, quod commendauit Remaldo de sancto Walerico.

1160 8|23| Rex Henricus egit solennitatem Natalis domini cum regina Alienora apud Cæsarisburgum, quæ paulo ante transfretauerat in Normanniam.

Henricus rex Anglorum, & Raymundus comes Barcinonum, apud castrum Blauiam amicitiæ fœdus datis sacramentis hoc pacto inierunt, quod Richardus filius regis filiam comitis tēpore opportuno esset ducturus, & rex ducatum Aquitaniæ illis exactis nuptiis concessurus: siquidem hic Raymundus est vir præpotens & diues, vtpote qui regnum Arragonum habebat ex hæreditate coniugis suæ, ex paterna autem hæreditate comitatum ciuitatis Barcinonæ. Vt enim aliquantulum ad transacta redeamus, Sanctio rex Arragonum genuit tres filios, qui sibi vicissim successerunt, Sanctionem, Aufortium, Remelium. Duobus vero primogenitis sibi inuicem succedentibus, & absq; filiis decedentibus, nē regnū illud ab extraneis occuparetur, Remelium monachum etiam iam senem licentia Romani pontificis à monasterio abstractum regem fecerunt, & vt hæredem haberet, Matildem matrem Willelmi vicecomitis Toarci illi associauerunt, ex qua genuit vnam filiam quam Raymundus prædictus comes duxit, de qua nata est ista puella quam filio regis diximus copulādam, & filius eius primogenitus Arragonum rex futurus: siquidem ipse comes quamuis haberet regnum Arragonum, & posset rex fieri si vellet, omnino recusauit regnum, reseruans filio suo quod accipiebat ex materna genealogia.

Hoc etiam anno sicut & præcedenti Fridericus imperator Alemannorum vrbem Mediolanensem obsedit, quia rebellauerant aduersus eum iidem Mediolanenses; Papiæ & Placentiæ turres deiecit, & fere omnem Longobardiam ad libitum sibi subiecit.

Median-

Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Anni Domini.

Mediante autem quadrageſima, rex fecit ſubmoueri exercitus totius Normanniæ, Angliæ & Aquitaniæ, ac cæterarum prouinciarum quæ ſibi ſubditæ ſunt, quia Raymundus comes Egroij nollet ei reddere ciuitatem Tholoſæ, quã rex requirebat ſicut hæreditatem vxoris ſuę Alienoræ reginæ: ſiquidẽ Robertus comes Moritonij, vterinus frater Wilhelmi regis qui regnũ Angliæ ſubiugauit, habuit vnum filium nomine Wilhelmum, qui ei ſucceſſit, & apud Tenerchebray à rege Anglorum primo Henrico in bello captus eſt, & tres filias, quarum vnam duxit Andreas de Vitreio, aliam Guido de Laual, tertiam comes Tholoſanus frater Raymundi comitis ſancti Egroij, qui in expeditione Hieroſolymitana viriliter ſe habuit. Genuit autem ex ea comes Tholoſanus vnam ſolummodo filiam, quam Guillelmus comes Pictauenſis, & dux Aquitanorum, mortuo patre prædictæ puellę, cum hæreditate propria, ſcilicet vrbe Tholoſa & comitatu Tholoſano duxit vxorem, ex qua genuit idem Willelmus filium Willelmum nomine qui ei ſuccedit, qui pater fuit Alienoræ reginæ Anglorum. Si quis autem requirit, quomodo poſtea comes ſancti Egroij habuit ciuitatem Tholoſam, nouerit quod prædictus Willelmus comes Pictauenſis inuadiauit eandem ciuitatem Raymundo comiti ſancti Egydij patruo vxoris ſuæ propter pecuniam quam idem Guillelmus in expeditione Hieroſolymitana exponit, vnde idem Raymundus in libro eiuſdem expeditionis nunc comes ſancti Ægydij, nunc comes Tholoſanus vocatur. Quo mortuo habuit eandem vrbem Auforſius filius eius, qui apud Hieruſalem mortuus eſt, eodem tempore quo Ludouicus rex Francorum gratia orationis illuc perrexerat. Similiter etiam Raymundus filius eius, qui ei ſucceſſit, qui habuit in coniugio Conſtantiam ſororem Ludouici prædicti regis Francorum, relictam ſcilicet Euſtachij comitis filij Stephani regis Anglorum. Rex igitur Henricus iturus in expeditionem prædictam, & conſiderans longitudinem & difficultatem viæ, nolens vexare agrarios milites, nec Burgenſem, nec ruſticorum multitudinem, ſumptis 60 ſolidis Andegauenſibus, in Normannia de feudo vniuſcuiuſque loricæ, & de reliquis omnibus tam in Normannia quam in Anglia ſiue etiam aliis terris ſuis ſecundum hoc quod ei viſum fuit, capitales barones ſuos cum paucis ſecum duxit, ſolidarios vero milites innumeros. Ad illam vero expeditionem cum reliquis transmarinis venit Malconius rex Scotiæ, & à rege Henrico cingulo militiæ ibidem accinctus eſt. Durauit autem expeditio illa fere per tres menſes. Et quamuis rex Henricus cepiſſet vrbem Cadurcũ, & maior pars ducatus Tholoſani ſibi eſſet ſubdita vi vel timore, vrbem tamen Tholoſam noluit obſidere, deferens honorem Ludouico regi Francorum, qui eandem vrbem contra Henricum regem Angliæ muniuerat, & die ac nocte volens ferre auxilium Raymundo ſororio ſuo cuſtodiebat. Vnde graues inimicitiæ inter ipſum & regem Anglorum ortæ ſunt, cum videret ſibi regem Francorum nocere, de cuius auxilio plurimum confidebat. Remittit itaque rex Henricus comitem Theobaldum qui ei fauebat, vt inquietaret regnum Franciæ. Sed Henricus epiſcopus Beluacenſis, & comes Robertus domin⁹ Dorcaſini caſtri, fratres regis Francorum, ei reſtiterunt, & in margine ducatus Normanniæ aliquos flamma & rapina vexauerunt. Normannis ſibi talionem reddentibus.

Menſe Iulio Robertus de Nouoburgo, dapifer & iuſtitia totius Normanniæ, aduerſa valetudine tactus, gibbum cameli depoſuit, videlicet innumeras diuitias eccleſiis & monaſteriis & pauperibus diuidens, & ad vltimum in monaſterio Becci quod præ omnibus diligebat, habitum monachi ſumens per vnum menſem ibi pœnitentiam fructuoſam egit, & tertio calendas Septembris hominem exuit, ſepultus in capitulo Becci quod ipſe propriis ſumptibus mirifice ædificauerat.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Mortuo venerabili Milone episcopo Taruanensi, electus est Milo archidiaconus eiusdem ecclesiæ Canonicus regularis, sicut decessor eius fuerat. Quem cum Samson archiepiscopus Remensis vellet sacrare, clerici ciuitatis Bolonię qui diu sub episcopo Taruanensi fuerant, volentes amodo suum proprium episcopum habere, sicut antiquitus habuerant, prohibuerunt archiepiscopum sub appellatione Apostolica, ne eum sacraret, nisi tantummodo ad titulum Taruanensis ecclesiæ. Quod prædictus electus refutans, insacratus contra illos clericos Romam perrexit, & ibi sacratus est.

Magister Bernardus Brito Cancellarius ecclesiæ Carnotensis factus est episcopus Cornubiæ in minori Britannia.

Magister etiam Petrus Lombardus Parisiensem episcopatum adeptus est, conniuente Philippo eiusdem ecclesiæ decano fratre regis Francorum, qui (vt dicunt) electionem suam concessit eidem Petro.

Calendis Septembris mortuo Adriano papa, electi sunt duo & consecrati Rollandus cancellarius, presbyter cardinalis tituli sancti Marci, vir religiosus, vocatus Alexander tertius, papa videlicet cētesimus septuagesimus quartus, & Octauianus presbyter cardinalis tituli sanctæ Mariæ in Cosmidum, dictus Victor tertius. Hic per potentatum & parentes suos nobiles papatum inuasit.

Rogerius regis eleemosynarius factus est episcopus Sagiensis.

Galterus episcopus Cistrensis obiit.

Obiit etiam Robertus episcopus Exouiensis, vir religiosus, & timens Deum.

Terricus comes Flandrensis rediit de Hierusalem, & vxor eius Mabiria remansit cum abbatissa sancti Lazari de Bethania, inuito coniuge suo.

Mense Octobri Henricus rex Anglorum, munita ciuitate Cadurcorum, & commendata Thomæ cancellario suo, & dispositis custodibus ac auxiliariis in locis opportunis, confidens de auxilio Raymundi Berengarij comitis Barcinonæ, & Trecheuel comitis Neumansi, & Willelmo de Montepessulano & aliorum suorum fidelium, rediit in Normanniam. Inde perrexit cum valida manu in pagum Beluacensem, & destruxit munitissimum castellum Guerberei; excepta quadam firmitate, quam ne caperēt homines regij, ignis & fumus prohibuit. Villas multas combussit & destruxit.

Simon comes Ebroicensis tradidit Henrico regi Anglorum firmitates suas quas habebat in Francia, scilicet Rupem fortem, Montem fortem, Esparlonem, & reliquas. Quod magno detrimento fuit regi Francorum, cum non posset libere procedere de Parisiis Aurelianis vel Stampis propter Normannos, quos rex Henricus posuerat in castellis comitis Ebroicensis. Hac de causa treuiæ captæ sunt inter duos reges à mense Decembri vsque ad octauas Pentecostes.

In reditu expeditionis Tholosæ mense Octobri obiit Wilhelmus comes Moritonij. Discessit autem absq; liberis, & retinuit Henricus rex comitatum in manu sua.

1161 9 | 24 | Rex Henricus egit Natiuitatem Domini apud Falesiam, exinde | 6 eadem regina transfretauit in Angliam.

Calendis Ianuarij terræmotus accidit in pago Constantino, castro sancti Laudi circa horam primam.

Hardoinus decanus Cenomannensis factus est archiepiscopus Burdegalensis, cum prædecessor eius vix anno & dimidio vixisset.

Matilde imperatrice aduersa valetudine percussa, dapsiliter pereunte consilio filij sui Henrici regis Anglici, diuitias suas ecclesiis, monasteriis, & pauperibus distribuit.

Ecclesia

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | Anni Domini.

Ecclesia Baiocensi igne combusta, Philippus episcopus in eius restauratione iterum viriliter laborat.

Maio mense pax facta est inter reges Henricum Angliæ & Ludouicum Franciæ, renouatis prioribus pactis, & confirmatis & pacificatis qui partes vtrorumque adiuuerunt.

Matthæus filius comitis Flandriæ inaudito exemplo duxit abbatissam Rummesiæ, quæ fuerat filia Stephani regis, & accepit cum ea comitatum Bolonien sem.

Mense Iulio Henricus rex Anglorum congregauit omnes episcopos Normanniæ, & abbates, & barones apud Nouum mercatum, & Ludouicus rex Francorum adunauit suos Beluaci, & ibi tractatum est de receptione papæ Alexandri & refutatione Victoris, & consenserunt Alexandro, reprobato Victore.

Mense Septembri obiit Herbertus episcopus Abrincensis, & sepultus est in ecclesia beatæ Mariæ Becci, sicut prædecessor eius Richardus de Bellisago.

Prædicto mense regina Alienora Anglorum transfretauit in Normanniam iussu regis adducens secum Henricum filium suum, & filiam Matildem.

Mortuus est Philippus, frater Ludouici regis Francorum, decanus sancti Martini Turonis.

Mortua est Constantia regina Franciæ labore partus, superstite filia cuius causa mors sibi acciderat.

Mense Octobri, rex Anglorum & rex Francorum collocuti, pactum pacis mutuæ confirmauerunt; & Henricus filius Henrici regis Anglorum fecit homagium regi Francorum de ducatu Normanniæ qui est de regno Franciæ.

Paucis interpositis diebus, Ludouicus rex Francorum duxit filiam comitis Theobaldi senioris. Nec mora, Henrico filio regis Henrici Angliæ desponsata est apud Nouumburgum Margarita filia regis Franciæ, & Henricus rex Anglorum cepit tria castella munitissima, scilicet Gisorz, Neafliam, Nouum castellum, sita super flumen Eptæ in confinio Normanniæ & Franciæ, quia pepigerant inter se ipse & rex Francorum, quatenus inito matrimonio filiorum suorum rex Henricus haberet illas munitiones, quę ad ducatum Normannię pertinent. Quo audito, rex Franciæ grauiter tulit, ipse & sororij sui, scilicet Hēricus, Theobaldus, Stephanus. Exinde hi tres comites coadunatis viribus suis cœperunt firmare munitionem Caluimontis, quæ erat de feudo Castriblesensis, vt exinde pagum Turonicum infestarent. Rex vero Henricus, quia illud castrum erat de Casamento Hugonis, filij Supplicij de Ambasia, quod tenebat de comite Theobaldo, caput autem sui honoris scilicet Ambasiam tenebat de rege Hērico, rex (inquam) Henricus percepto exinde nuncio non expectatis sociis suis illuc properauit, volens impedire opus illius castri, per quod licentius, si perfectum esset, discurrerent per terram suam. Audito autem aduentu regis Anglorum, comes Theobaldus discessit à Caluomonte, munita firmitate & custodibus dispositis. Rex vero Henricus obsedit prædictum castrum & illico cepit, in quo erant 35 milites, & quater viginti seruientes, & reddidit eandem munitionem Hugoni de Ambasia, qui aduersabatur pro posse suo comiti Theobaldo, quia in carcere prædicti comitis Sulpicius ipsius Hugonis pater nequiter extinctus fuerat. Exinde rex Henricus, munitis turribus Ambasiæ & Fractæuallis, & dispositis custodibus, egit festum Natalis Domini cum Alienora regina Cenomanensi.

| 25 | Henricus rex munitiones comitis Mellenti & aliorum baronum suorum in Normannia in manu sua cepit, & fidelibus suis commendauit. In margine etiam ducatus Normanniæ fere omnia sua castella & maxime | 7 | 1162

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Giſorz meliorauit vel renouauit. Parcum & manſionem regiam fecit. Fecit circa fuſtes plantatos apud Chiuilleium iuxta Rothomagum domum leprosorum. Iuxta Cadomum mirabilem ędificauit aulam, & cameras ante turrem Rothomagi nihilominus renouauit, & non ſolum in Normannia, ſed etiam in regno Angliæ, ducatu Aquitaniæ, comitatu Andegauiæ, Cenomãniæ, Turonenſi, caſtella, manſiones regias, vel noua ædificauit, vel vetera emendauit, caſtellum etiam in villa quæ Amandiuilla, ſuper Vire fluuium ædificauit.

Archardus abbas ſancti Victoris Pariſienſis factus epiſcopus Abrincenſis.

In capite ieiunij apud Cenomannos Hugo archiepiſcopus Dolenſis cæcitate debilitatus, præſentibus Hẽrico regi Anglorum, & duobus legatis Romanæ eccleſię, Henrico de Piſis, & Wilhelmo de Papia, reddidit archiepiſcopatum, quem fere per ſex annos tenuerat, & in cuius reparatione plurimum laborauerat.

Theobaldus archiepiſcopus Cantuariæ ſecunda feria Paſchæ obiit.

Poſt Paſcha rex Anglorum Henricus, & Ludouicus Francorum primo in Vilcaſino, poſtea in Dunenſi pago, inſtigante eos ad diſcordiam comite Theobaldo, congregatis exercitibus ſuis, alterutrum terras ſuas defendendo vel fere incominus venerunt. Inde datis induciis, poſt feſtum ſancti Ioannis Hẽricus rex Anglorum perrexit in Aquitaniam, & inter alia quæ ſtrenue geſſit, Caſtellionem ſupra vrbem Agennum, caſtrum ſcilicet natura & artificio munitum, obſedit, & infra vnam ſeptimanam in feſtiuitate ſancti Laurentij admirantibus & perterritis Waſconibus cepit.

Regina Alienora apud Donnum Frontem filiam peperit, quam Henricus presbyter cardinalis & legatus Romanæ eccleſiæ baptizauit, & Achardus epiſcopus Abrincenſis, & Robertus abbas de monte ſancti Michaelis, de periculo maris cum multis aliis de fonte ſuſceperunt, & vocata eſt Alienora de nomine matris ſuæ.

1163 11|26| Rex Henricus egit Natiuitatem apud Baiocas.

Mortuo Sanctione archiepiſcopo Remenſi, Henricus frater regis Francorum epiſcopus Beluacenſis ſucceſſit.

Prima Dominica Quadrageſimæ rex Henricus congregauit epiſcopos, abbates, barones totius Normanniæ apud Rothomagum, & querimoniam faciens de epiſcopis, & eorum miniſtris, & vicecomitibus ſuis iuſſit vt concilium Iuliæbonæ teneretur. Iuliabona in Caletenſi pago iuxta Sequanam eſt ſedes regia, à dominis Normannorum multum amata & frequentata. Hanc Iulius Cæſar, ex cuius nomine Iulia vocatur, cõdidit, deſtructa vrbe Caleto, ex cuius veteri vocabulo tota regio ſita inter Sequanã & mare adhuc vocatur.

Primus Richardus dux Normannorum, & ſecundus Richardus filius eius, apud Fiſcanum leuati de tumulis ſuis in quibus ſeparatim iacebant, poſt altare ſanctæ trinitatis honeſtius ponuntur. Huic translationi Henricus rex Anglorum interfuit, & epiſcopi Normanniæ, & dedit illi eccleſiæ ſyluam de Hogis.

Comes Robertus de Baſeuilla aduerſus Wilhelmũ cognatum ſuum regẽ Siciliæ rebellat in Apulia, & multis coadiutoribus ſecum adunatis, maiorem partem maritimarum ciuitatum ſibi conciliat.

Fredericus imperator Alemannorum vrbem Mediolanum, quam per tres annos obſederat, neceſſitate famis afflictam capit & deſtruit, reſeruatis tantummodo matrice eccleſia, & quibuſdam aliis.

Diſcordia inter regnum & ſacerdotium adhuc perdurante, propter ſchiſma Octauiani quem rex Romanorum Fredericus ſecum in Italia habebat, Alexander papa Romanus confidens de regibus, Francorum Ludouico, & Anglorum Henrico, qui deuote ſuper Romanam eccleſiam ſauent & venerantur,

Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Anni Domini.

tur, ad cismontanos marina expeditione circa Pascha venit apud montem Pessulanum, & in Prouincia debita honorificentia susceptus est.

Mortuo Harduino Archiepiscopo Burdegalensi, apud montem Pessulanum, dum ibidem iniuria Domini papæ moraretur, Episcopus Lactorensis ei successit.

Fame, mortalitate, cismontani maxime in Aquitania laborant.

Ramaldus de Castellione, princeps Antiochiæ, dum incaute in terram Agarenorum intrat, multis suorum occisis vel captis ipsemet capitur.

Mense Iunio in Britannia minori, scilicet in Recello, sanguis pluit, & de ripis cuiusdam fontis ibidem effluxit, nec non etiam de pane.

Guillelmus rex Siciliæ transiens de Sicilia in Apuliam cum magno exercitu, Roberto de Baseuilla fugato cum complicibus suis, ciuitates & castella quæ à se defecerant, recuperat.

Leupus rex Valentiæ & Musciæ, licet gentilis & Agarenus, munera ingentia in auro, & serico, & in alijs speciebus, & in equis, & camelis, mittit Henrico regi Anglorum, grandia & ipse ab eodem recepturus.

Raymundus Berengerius comes Barcinonensis, vir omnibus bonis plangendus, moritur, relicto filio Auforsio qui factus est rex Arragonum: quod regnum ei acciderat ex materno genere.

Federicus imperator Alemannorum, & Ludouicus rex Francorum cum super fluuium Sagonnam qui antiquitus Arar vocabatur, de pace tractaturi cõuenire debuissent, repente mutato animo propter schisma Octauiani cuius partes imperator adiuuabat, infecto negotio ad propria redierũt. Exinde paruo spatio temporis interiecto, Ludouicus rex Frãcorum, & Henricus rex Anglorum, super Ligerim apud Tociacum conuenientes, Alexandrum papam Romanum honore congruo susceperunt, & vsi officio stratoris pedites dextra læuaque frenum equi ipsius tenentes, eum vsque ad præparatum papilionem perduxerunt. Quo mediante, Deo fauente, pax inter eos firma restituta est.

Henricus rex ordinatis, & compositis rebus & castellis suis in Normãnia, Aquitania, Andegauis, & etiam in Wasconia, in aduẽtu Domini venit Barbefluuium, volens si posset transfretare ante Natalem Domini, sed vento prohibente egit Natalem Domini cum regina Alienora apud Cæsarisburgum.

Fanuel imperator Constantinopolitanus duxit Constantiam Boamundi vxorem, & Boamundus, tertius frater prædictæ puellæ factus est princeps, vitrico suo in captiuitate remanente Rayualdo.

12 | 27 | Mense Ianuario rex Henricus transiuit in Angliam, ipse & regina, & cum magno gaudio susceptus est ab omnibus fere proceribus patriæ, qui eum in littore expectabant. Iam enim Henricus filius eius præcesserat, & sicut in Normannia fecerat, sic in Anglia homagia & fidelitates baronum & militum suscepit. | 9 | 1164

Rotrocus episcopus Ebroicẽsis, & Rayualdus de sancto Valerico, in Normanniam recognoscere missi sunt iussu regis per episcopatus regales reddit⁹ & consuetudines, ad regem & ad Barones pertinentes.

Philippus etiam Baiocensis moritur, qui fuit vir prudens & astutus in augmẽtandis & renouandis rebus ecclesiæ, & multum ibi profecit. Sed sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.

Bellum Roberti de Monte forti cum Henrico de Essessa pro fuga prælij contra Valenses, in quo idem Henricus defecit, & hæreditatus factus est monachus Radingis, Valenses subditi sunt regi Henrico ad libitum.

Falconius rex Scotiæ fecit homagium Hẽrico filio regis Anglorum, & dedit regi obsides, scilicet Dauid fratrem suum iuniorem, & quosdã de filijs baronum suorum de pace tenenda, & pro castellis suis quæ rex volebat habere.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Menſe Martio obijt tertius Balduinus rex Hieruſalem, vir per omnia plangendus, & ſucceſſit ei Amalricus frater eius. Huic Balduino à ſuperna clemẽtia conceſſum eſt, vt Aſcalonem caperet & Agarenos expelleret, & ſeruitio diuino manciparet, quod nec Dauidi propter ſanctitatem ſuam nec Salomoni propter ſapientiam & diuitias ſuas, nec Ezechieli propter iuſtitiam ſuam, nec alicui antea regum, permiſſum fuerat.

In octauis Pentecoſtes Alexander papa tenuit concilia Turonis, in quo excommunicauit Octauianum cum alijs ſchiſmaticis & complicibus ſuis.

1165 | 13 | 28 | Apud Rothomagum tertio Calendas Februarij obijt Wilhelmus frater Henrici regis, & ſepelitur in eccleſia ſanctæ Mariæ.

Circa octauas Paſchæ rex Henricus fecit dedicari eccleſiam beatæ Mariæ Radingis, & per tres dies regaliter procurauit conuentum monachorum & hoſpites, data etiam dote non minima eidem eccleſiæ.

Hamelinus naturalis frater regis Henrici duxit comitiſſam de Varenna, relictam Wilhelmi comitis Moritonij filij Stephani regis. Hæc fuit filia tertij comitis Guillelmi de Varẽna, qui cum Ludouico rege Franciæ perrexit Hieruſalem, & ibi obijt, ſuperſtite ſola prædicta comitiſſa.

Valenſes Henrico regi fidem non ſeruantes terras promiſſas latrocinando infeſtant, agente quodam regulo eorum vocato Riz, & alio eiuſdem peruerſitatis homine nomine Oeno, prædicti Riz auunculo.

Richardus de Hummer, Coneſtalus Henrici regis, conuocatis baronibus Normanniæ & Britanniæ, menſ. Auguſto cepit caſtrum Gonbore in Britannia in manu regis, quod Radulphus de Fulgerijs habuerat poſt mortem Iohannis de Dol.

Eodem menſe ſanguis pluit in Rethel in epiſcopatu Dolenſi.

Obijt Hugo venerabilis Archiepiſcopus Rothomagenſis, 4 Id. Octobris. Hic vir magnæ literaturæ iucunde multa edidit, viduis & orphanis & alijs pauperibus largus extitit. Rexit autem eccleſiam Rothomagenſem honeſte & viriliter annis fere 30.

Obijt illuſtris comes Galerannus Mellenti, qui multa bona contulit eccleſiæ beatę Marię de Voto, quæ ſita eſt in territorio Caletenſi, in terris, in ſyluis, in vineis, & redditibus.

Amalricus rex Hieruſalem, conductus ab Amiralio Babylonico, cum exercitu perrexit in adiutorium illius liberare quãdam ciuitatem ipſius nomine Barbaſtam, quam Salegon Seneſcallus Noradin fraude occupatam cõtra ipſum tenebat. Obſeſſa igitur per aliquantulum temporis tandem capta eſt, & Amiralio reſtituta ciuitas. Firmatis autem inter eos amicitijs, & redditis multis captiuis, duplicato etiam tributo, (nam antea dabat Amiralius regi ſingulis annis triginta millia aureorum) rex ad propria redijt. Nam capto cauſtro eorum nomine Hareuc, capto etiam Boamundo iuniore principe Antiochiæ & multis interfectis, Belinas Habilina poſtmodum à Sarracenis peruerſa eſt.

1166 | 14 | 29 | Henricus rex Anglorum in Quadrageſima in Normanniam tranſiens, in octauis Paſchæ apud Giſorz cum rege Francorum locutus eſt, inde Rothomagum Philippum comitem Flandrenſem conſobrinum ſuum regaliter excepit.

Venerunt ad eum ſimiliter legati Frederici imperatoris Alemannorum, Ramaldus ſcilicet archiepiſcopus Colonienſis, cancellarius ipſius, & multi alij magni potentatus viri, requirentes eum ex parte imperatoris, vt daret vnam filiarum ſuarum Henrico duci Baioariæ filio Conradi, qui ante Fredericum imperauerat, & aliam filio ſuo licet adhuc puerulo. Exactis itaque ſacramentis & datis, rex poſtea miſit ſuos in Alemanniam qui ab imperatore & ſa-

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Anni Domini.

& satrapis suis eadem sacramenta de conuentionibus quæ inter eos conuenerant, acciperent.

Rotrocus episcopus Ebroicensis fit archiepiscopus Rothomagensis.

Regina Anglorum Alienora, euocata à rege, venit in Normanniam, adducens secum filium suum Richardum, & filiam Matildem. Redeunte vero rege in Angliam, & cum multo apparatu bellico super Valenses eunte, regina remansit in partibus cismarinis.

Alexander papa Romanus relinquens Senonem, in qua fere duos annos moratus fuerat, veniens ad montem Pessulanum nauali subuectione perrexit ad terram Wilhelmi regis Siciliæ, licet insidiæ piratarum imperatoris Alemanniæ ei in mari non deessent.

Mense Augusto Ludouico regi Francorum ex vxore sua nascitur filius, & vocatus est Philippus.

Regina Alienora mense Octobri Andegaui peperit filiam, & vocata est in baptismate Ioanna.

Falconius rex Scotiæ, religiosus iuuenis, obijt, & successit ei Wilhelmus frater eius.

15|30| Henricus rex, munitis confinijs inter Anglos & Valenses, & castellis & militibus dispositis, in Quadragesima transfretauit in Normãniam. |12 1167
Deinde locutus cum rege Francorum ea quæ ad pacem sunt, audito etiam quod rex Francorum statuisset de thesauris & redditibus suis, similiter & omnium hominum, tam clericorum quam laicorum qui in sua ditione erant, singulis annis vsque ad quadriennium de singulis viginti solidis singulos denarios mittere Hierusalem ad defensionem Christianitatis, idem rex fecit duplicari in omni potestate sua redditum primi anni, reliquis annis permanentibus ad solutionem vnius denarij per singulos viginti solidos.

Obijt etiam Wilhelmus rex Siciliæ, & successit ei Wilhelmus filius eius.

Wilhelmus Talauacius comes Sagiensis, & filius eius Ioannes, & item Ioannes nepos eius, filius Guidonis primogeniti sui comitis Pontini, concesserunt regi Henrico castrum Alenceium, & Rocam Mabirit cum eis quæ ad ipsa castella pertinent. Et forsitan ideo prædictas munitiones perdiderunt, quia malas consuetudines ipsi & eorum intercessores diu ibi tenuerant, quas rex Henricus statim meliorati præcepit. Quia vero optimates Cenomannici comitatus & Britanniæ regionis, antequam rex transfretaret, minus obtemperauerant præceptis reginæ, & (vt dicitur) sacramento se obligauerant vt se comitem defenderent, si aliquis eorũ grauaretur; rex ad libitum suum eos & castella eorum tractauit, & congregatis exercitibus suis fere de omni potestate sua circa mare castrum Felgerarium obsedit, cepit, & funditus deleuit. Inde præloquuto quodam imaginario connubio de Gaufrido filio suo & Constantia Conani comitis Britanniæ & de Richemont, comes Conanus concessit regi quasi ad id opus filij sui totum ducatum Britanniæ, excepto comitatu de Gigunix, qui ei acciderat per auum suum comitem Stephanum. Rex vero accepit dominium fere ab omnibus baronibus Britanniæ apud Theas. Inde venit Rhedonis, & per ciuitatem illam quæ caput est Britanniæ, totum illum ducatum Saisant. Et quia nunquam viderat Combort neque Dol, postquam in manus eius venerant in transitu illa vidit. Causa vero orationis ad montem sancti Michaelis veniens apud Genetrum illa nocte hospitatus est.

Illuc veneruntad eum Wilhelmus rex Scotiæ, & ipse insularum, Ninam, & aliarum triginta vnius, quæ sunt inter Scotiam & Hiberniam & Angliam. Illas 32 insulas tenet rex insularum tali tributo de rege Northwegiæ, quod

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

quãdo rex innouatur, rex insularum dat ei decem marcas auri, nec aliquid facit in tota vita sua, nisi iterum alius rex ordinetur in Northwegia. Huius regis insularum venit legatus ad regem Anglorum prædictus Episcopus. Est enim prædictus rex consanguineus regis Anglorum ex parte Maltildis imperatricis matris suæ.

1168 16 | 31 | In Natali Domini fuit rex Henricus Pictauis, & venit ad eum | 13
Henricus filius eius de Anglia. In Quadragesima locutus fuit rex Anglorum 14
cum comite sancti Ægidij apud Magnum montem.

Post Pascha duxit exercitum militum in Auernicum pagum & vastauit terram Wilhelmi comitis, qui data fide pepigerat stare iustitiæ in præsentia Domini regis nepoti suo, quem exhæredauerat iuniori videlicet comiti Auernensi. Sed inueteratus ille dierum malorum rupta fide transtulit se ad regem Francorum, & seminauit discordias inter eos. Sed & de collectione pecuniæ deferendæ Hierusalem, quæ adunata fuerat Turonis, quam rex Anglorum volebat mittere per suos nuncios, vtpote sumptam in suo comitatu, rex autem per suos, quia ecclesia Turonensis sua est, suggestione Iocij archiepiscopi Turonensis, magna discordia inter Henricum regem Anglorum & 15
Ludouicum regem Francorum mota est.

Combusta est ciuitas Turonensis cum principali ecclesia.

Almaricus rex Hierusalem, euocatus ab Amiralio Babyloniæ cui confœderatus erat, obsedit Alexandriam quæ caput est Ægypti, & cepit & reddidit eam Amiralio, qui pepigit ei singulis annis tributum de eadem ciuitate quinquaginta septem millibus, quos habet de Babylone. Idem etiam rex duxit vxorem neptem Manuel imperatoris Constantinopolitani cum infinitis thesauris.

In octauis Pentecostes rex Anglorum & rex Francorum in Vilcasmo locuturi de pace conuenerant, sed primoribus regis Francorum exacerbantibus leuitatem regis Ludouici, nihil profuerunt. Congregauerunt itaq; vterq; 16
infinitum exercitum de omni potestate sua, & alterutrum castella sua munierunt. Cum autem rex Francorum aliquantas villulas in Marcia inter Meardantem & Paceium combussisset; rex Henricus irritatus licet multum deferret Ludouico, Caluum montem castrum munitissimum in quo rex Francorum congregauerat expensas & victualia ad opus belli, & plurimas villas in circuitu illius combussit. Quo audito rex Francorum grauiter tulit, & collectis viribus suis latos fundos quos sanctus Audoenus habebat, in Vilcasmo scilicet Vadum Nigasij, & alias villas combussit.

Andelicium etiam Burgum optimum, qui erat proprius beatæ Mariæ 17
& Archiepiscopi Rothomagensis, nonnulla etiã quæ pertinebant ad ecclesiam sanctæ Trinitatis Rothomagensis vastauit, sed non defuit festinata vindicta.

Eadem namq; die multi de exercitu eius, cum redirent ad castra, siti, Solis feruore, puluere, formidine deficientes expirauerunt. Sic etiam patri pridem ipsius acciderat. Nam initurus certamen cum Henrico seniore rege Anglorum, in quo inferior fuit præcedente nocte, in eodem loco hospitatus fuerat, & Franci qui à ferocitate teste Valentiniano, Romanorum imperatore vocati sunt, Ecclesiam beatæ Mariæ Andeliaci stabulum equorum suorum 18
fecerant, vnde alios eorum cepit, alij vero vix fuga elapsi sunt.

Mense Augusto treuiæ sumptæ & iuratæ inter reges Henricum & Ludouicum vsque ad Pascha.

Inde perrexit rex Henricus in Britanniam, & subdidit sibi omnes Britannos, etiam Leonenses.

Nam Guihuminarius, filius Henrici vicecomitis Leonensis, cuius filiam comes

| Romanorum. | Fratrum. | Anglorum. | Anni Domini.

comes Eudo habebat in coniugium, datis obſidibus ſubmiſit ſe regi, terrore exanimatus, cum videret caſtrum ſuum munitiſſimum combuſtũ & captum, & alia nonnulla vel capta vel reddita.

Cum adhuc moraretur rex in Britannia, audiuit nuncium de morte matris ſuæ Maltildis imperatricis. Deceſſit autem quarto Idus Septembris Rothomagi, & ſepulta eſt Becci. Theſauros infinitos pius filius diſtribuit eccleſijs, monaſterijs, leproſis & alijs pauperibus pro anima illius. Fecit autem prędicta imperatrix monaſterium de Voto in Calatenſi pago iuxta Iuliam bonam, & poſuit ibi monachos Ciſterciẽſes; fecit & monaſteria canonicorum, vnum iuxta Cæſarisburgum, & aliud in ſylua de Gonfer; ad pontem etiam lapideum ſuper Sequanam Rothomagenſem faciendum à ſe multam ſummam pecuniæ dimiſit.

Iocius Archiepiſcopus Turonorum recordatus eſt cum rege Anglorum.

Regina Alienora transfretauit in Angliam, ducens ſecum filiam ſuam Matildem.

In vigilia Natalis Domini duæ ſtellæ ignei coloris, quarum vna erat magna, altera parua, apparuerunt in Occidente, & erant quaſi coniunctæ, poſtea diſiunctæ ſunt, longo ſpacio apparere deſiuerunt.

Natus eſt Ioannes filius regis Anglorum.

17 | 32 | Ad Natalem Domini fuit rex Henricus Argentomagi, & tenuit ibi magnam curiam in noua aula ſua. | 14 | 1169

Martildis filia regis Henrici cum infinita pecunia & apparatu maximo ducta eſt in Alamanniam ad ſponſum ſuum Henricum ducem Saxoniæ & Baioariæ, quorum ducatum vnum habebat ex patre ſuo, & alterum ex matre. Pater ipſius fuit Henricus, qui fuit natus ex filia Lotharij imperatoris, qui ante Conradum imperauerat. Hic Henricus ſcil. iunior, qui filiam regis Anglorum duxit, ſuper paganos ſcilicet Sclauos & Vindelicos tantum acquiſiuit, quod fecit ibi tres epiſcopatus.

Obijt Terricus comes Flandrenſis, cui ſucceſſit Philippus filius eius, qui iam diu comitatum illum rexerat, cum pater illius iter Hieruſalem frequentabat.

Pictaui & Aquitani ex maiori parte, id eſt comes de Marcha, comes Engolimenſium, Hannericus de Lizennio, Robertus & Hugo frater eius de Syleio, & alij multi voluerunt rebellare contra regem, & incendijs & rapinis pauperum incumbentes, circumquaque graſſabãtur. Quod rex audiens impiger aduolat, & eorum inſaniæ obſiſtens Lizen nouum caſtrum munitiſſimum cepit, captum muniuit, & villas & municipia eorum deſtruit. Munitis caſtellis & militibus & victui neceſſarijs, relicta ibi regina cum comite Patricio Salesbernienſi auunculo Rotroci comitis Patricicẽſis; in octauis Paſchæ inter Paceium & Medantium in Normannia locuturus cum rege Francorum, & iniurias ſuas ab eo expoſtulaturus, acceſſit: ſiquidem Pictaui ad regem Francorum venerãt, & obſides ſuos contra regem Anglorum cuius proprij erant, ei dederant. Vnde cum hinc inde grandis altercatio fieret, nec rex Francorum obſides quos contra iuſtitiam ceperat, reddere vellet, inducię datæ vſque ad octauam beati Ioannis. Circa vero octauas Paſchæ dolo Pictauienſium occiſus eſt comes Patricius. & ſepultus eſt apud ſanctum Hilarium. Succeſſit ei filius natus Guillelmi comitis Pontini, matre comitiſſa de Warenna.

Antequam treuiæ datæ eſſent, rex Anglorum ſubmouerat Eudonem vicecomitẽ de Porrehoit, qui quatenus vmbratico nomine comes vocabatur, & cui tanta bona contulerat, vt ad ſeruitium & adiutorium ſuum veniret, quod ipſe renuit, & quidam alij de Britannis & confœderati, ſcilicet Oli-

| Anni Domini. | Romanorum. | Francorum. | Anglorum. |

uerus filius Oliueri de Dinan, & Rollandus consobrinus eius. Rex itaq; non immerito aduersus eos iratus, à capite scilic. ab Eudone incipiens vastauit & combussit eius terram, destructo inprimis castello Locellini quod habebat præcipuum, comitatum etiam de Boerech abstulit ei, cuius caput est ciuitas Vanecensis quam rex in manu sua cepit, (eius portum Cæsar mirifice extollendo collaudat in libro quem scripsit de bello Gallico) dimidium etiam Corbiæ ei abstulit. Obsedit etiam castellum Abrai, captum muniuit. Vastata itaq; tota Eudonis terra, & ad libitum suum redacta, ad terram Dinanensem appropinquans castrum Hedde à Gaufrido de Monte forti sibi redditum muniuit, & Tintiniacum euertit. Inde Becherel munitionem Rollandi de Dinam firmissimam per aliquot dies obsidens, adhibitis machinis cepit & muniuit. Tum vero castrum in quo Rollandus maxime confidebat, quia natura & arte munitissimum, obsedisset, nisi breuitas termini eundi ad colloquium regis Francorum eum vrgeret. Terra itaq; Rollandi tradita rapinis & incendijs, circa Recem flumen eandem regit in vlterioribus. Nam transito amne per Lehum descendens, & aliqua perfundans, monachis Leunnensibus pepercit. Dinam vero circumiens quædam destruxit, quædam intacta reliquit. In pago Aleterst eadem gessit.

In octauis sancti Ioannis ventum est ad feritatem Bernardi, vbi de pace inter reges tractatum est, & infecto negotio discessum est. Nã Britones sicut & Pictaui obsides regi Francorum dederant, & fide interposita pactionem acceperant, quod rex Francorum sine ipsis regi Anglorum non concordaretur. Vnde & ipsi Britanni conuentibus quibusdam, Cenomanensi item, per quorum terram latenter transierunt, colloquio interfuerunt. Munitis autem marchis ex vtraq; parte continuata est decertatio vsque ad Aduentum Domini. Rex vero Henricus caute agens cognatum suum Matthæum comitem Boloniæ sibi pacificauit, spondens ei se daturum per annum maximam partem pecuniæ pro calumnia relaxanda comitatus Moritonij. Habebat enim filiam regis Stephani, qui fuerat comes Moritonij.

Cum autem idem Matthæus ad auxilium regis Anglorum veniret, Ioannes comes Pontini non permisit eum transire per terram suam, vnde necessitate cogente, nauali subuectione ad regem multis expeditis militibus accessit. Quod rex audiens rogatu eiusdem Matthæi cum bellico apparatu in terram Ioannis perrexit, & Iuniacensem pagum Vulcano tradens, quadraginta & eo amplius comburens villas, voluntati suæ satisfecit.

Rex Francorum veniens latenter ad quoddam municipium Normanniæ cognominatum Chesuebrut, illud combussit, & quatuor milites in eo cepit. Quo comperto rex Angliæ illum insequutus est, multos cepit milites, inter quos etiam Senescallum Philippi Flandrensium comitis aduncatus est. Tradidit etiam castellum Hugonis de Nouocastello flammis & incendijs, vocatum Brudroles, vt combustum nomen ex re haberet. Hoc etiam fecit Nouocastello per milites suos, ipso tamen absente.

Vastata est similiter terra comitis Particensis, ex maiore parte ipso agente.

Venit ad Curiam regis Henrici Anglorum, Saxonum & Baiocorum dux Henricus gener eius, & magnis ab eo honoratus muneribus in sua redit.

1170 | 18 | 33 | Henricus egit Natalem Domini Argentomagi. | 15 | 16

In Epiphania Domini concordati sunt rex Francorum & rex Anglorum.

Henricus filius regis Anglorum fecit homagium regi Francorum socero suo de Andegauensi comitatu, & de Cenomanensi, & de ducatu Britanniæ, quem rex concessit eidem genero suo. Nam de Normannia ei fecerat ante

Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Anni Domini.

ante homagium,& conceſſit ei rex Francorum,vt eſſet Seneſcallus Franciæ, quod pertinet ad feudum Andegauenſe.

Richardus filius Henrici regis Anglorum fecit homagium regi Francorum de ducatu Aquitaniæ.

In Purificatione beatæ Mariæ fuit filius regis Anglorum Pariſiis, & ſeruiuit regi Francorum ad menſam,vt Seneſcallus Franciæ. Hanc Seneſcalciam vel(vt antiquitus dicebatur) Maioratum domus regiæ Robertus rex Francorum dedit Gaufrido Griſogonellæ comiti Andegauenſi propter adiutorium quod ei impendit contra Ottonem imperatorem Alemanniæ, dedit etiam ei quicquid habebat in epiſcopatu Andegauenſi.

Poſtea vero cum Gaufridus comes Particenſis, & Dauid comes Cenomanenſis eſſent rebelles Roberto regi Francorum,prædictus rex Gaufrido Griſogonella ferente ſibi auxilium, obſedit munitionem Moritoniæ, & cepit. Et quia Dauid comes Cenomanenſis euocatus à rege ad eum venire contẽpſit,dedit rex Gaufrido Griſogonellæ homagium illius, & ipſam ciuitatem, & quicquid habebat in epiſcopatu Cenomanenſi.

Henricus filius regis Angliæ fecit homagium Philippo filio regis Francorum.

Henricus rex Anglorum locutus eſt cum Ludouico rege Francorum apud ſanctum Germanum in Leia.

Gaufridus filius regis Anglorum fecit homagium Henrico fratri ſuo de ducatu Britanniæ,iubente patre eorum.

Rex Henricus perrexit in Quadrageſima Waſconiam , & deſtructis multis caſtellis quæ contra eum erant , vel munitis, comites Engoliſmenſium & de marcha ſibi pacificauit , & multos alios qui non erant tanti nominis.

Gaufridus filius regis Anglorum menſe Maio venit Rhedonis. Et Stephanus Rhedonenſis,& Ausbertus Aletenſis,epiſcopi,& Robertus abbas ſancti Michaelis de Monte, & aliæ religioſæ perſonæ, receperunt eum cum ſumma veneratione in eccleſia ſancti Petri. Ibi accepit homagia baronum Britanniæ.

Rex Henricus fecit foſſata alta & lata inter Franciam & Normanniam ad prædones arcendos.

Menſe Auguſto pacificatis fere omnibus in Pictauienſi pago Waſconia, Henricus rex venit in Normanniam, & euocati Britanni properauerunt ad eum.

Calina ciuitas Siciliæ terræmotu concuſſa & proſtituta eſt, & multi in ea perierunt.

Combuſta eſt Fiſcanenſis eccleſia quarto calendas Iulij, quarta feria poſt octauas Pentecoſtes.

Rex Henricus fecit caſtrum munitiſſimum,& burgum pergrande iuxta Gahiam de Malafre,quod vocatum eſt Bellueeieiz.

Cum Rogerius Malabranchia dolo cepiſſet vrbem Bitrienſen,quam ciues ipſius contra eum tenebant, omnes tam viros quam mulieres vel ſuſpendio vel alio tormento morti tradidit, & nouis habitationibus illam inhabitandã tradidit: ſiquidem prædicti ciues dominum Wilhelmum Trencheuel,patrem Rogeri Malebranche in quadam eccleſia cum filio ſuo paruo crudeliter occiderant.

Rex Henricus fecit molendina & piſcatorias Andegauis in flumine Meduane.

Cum Wilhelmus Goeth obiiſſet in itinere Hieruſalem, & Comes Theobaldus vellet habere in manu ſua montem mirabilem, & alias firmitates quæ

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

fuerant Wilhelmi Goeth, de quibus fatus erat Heruæus de Vienna, qui habebat in coniugio primogenitam filiam Wilhelmi Goeth, natam ex vna sororum comitis Theobaldi: videns prædictus Haruæus se non posse resistere comiti Theobaldo, cum rex etiam Francorum adiuuaret partem comitis Theobaldi, vt pote sororij eius; idē Heruæus, intercurrente magna pecunia, & quibusdam pactionibus, tradidit Henrico regi Anglorum montem mirabilem, & aliud castrum, scilicet sanctum Anianum in Biturico: vnde discordia redintegrata est inter regem & comitem.

1171 1934 | Ad Natalem Domini fuit rex Henricus in Britannia apud Nannetum. Robertus archidiaconus Nanneti consensu regis factus est episcopus Nanneti post Bernardum auunculum suum. In Quadragesima excessit mare limites suos, vnde messes quæ prope illud seminatæ erant, in multis locis perierunt à fluctibus absorptæ. | 16

Ossa cuiusdam gigantis in Anglia per alluuionem detecta sunt, cuius corporis longitudo (vt ferunt) 50 pedum erat.

In eadem Quadragesima transfretauit rex Henricus in Angliam, non tamen sine discrimine. Submerso in mari Gisleberto Abrincensi, Fulco Peraienel, qui habebat primogenitam sororem eius, successit ei.

Vicecomites per Angliam qui exactionibus & rapinis populum afflixerant, à rege correcti sunt.

Post Pentecostem rex Henricus, euocato filio suo Henrico in Angliam, fecit eum coronari in regem cum magna cleri populique lætitia, Lundoni apud Westimost. Hunc inunxit Rogerus archiepiscopus Eboracensis. Nam Thomas Cantuariensis circa mare per continuum fere sexennium in Galliis morabatur. Huic consecrationi interfuerunt Gislebertus Lundenensis, Gocelinus Salesberiensis, Valterus Rosensis, Richardus Cistrensis, Bartholomæus Exonensis, Hugo Dunelinensis, episcopi. Rogerus Vingornensis, in Normannia morabatur: Henricus Vingornensis, & Guillelmus Noruicensis, in infirmitate præpediti non affuerunt. Nam Ardelulfus Carlinensis & Robertus Herefordensis, & Robertus Batensis, & Robertus Licolensis & Hilarius Ciceſtrensis, & Nigellus Eliensis, episcopi dormierant in Domino, & adhuc cathedræ eorum vacabant. Interfuerunt vero de Normannia Henricus Baiocensis, & Rogerius Sagiensis, episcopi, qui cum eo venerant in Angliam. Quidam moleste ferunt, quod archiepiscopus Eboracensis vnxerit in regem Henricum iuniorem. Sed nouerint, quod primus Wilhelmus qui Angliam armis subegit, ab Alueredo religiosissimo viro Eboracensi archiepiscopo inunctus & sacratus est. Cantuariensis archiepiscopus intra insulam Britanniæ manet, Stigando scilicet à papa excommunicato.

Margarita filia regis Francorum, vxor Henrici iunioris regis, in Angliam transiit, nec tunc tamen fuit coronata, quia rex iam coronatus erat, & episcopi discesserant.

Ioannes comes Aucensis moritur, & succeſſit ei filius eius Henricus, quem genuerat ex filia Wilhelmi de Albinero, quem vocant comitem de Arundel. Hic duxit Elixam reginam relictam Henrici senioris regis Angliæ, ex qua genuit Wilhelmum primogenitum suum, & Godefridum, & istam comitissam, vxorem Ioannis comitis Aucensis de quo sermo est.

In die Apostolorum Petri & Pauli, terræmotus horribilis factus est in transmarinis partibus, quo corruit ciuitas Tripolis, pars Damasci, Antiochiæ plurimum. Agareni etiam non fuerunt expertes huius tribulationis. Nam Halapre quæ est caput regni Loradin, & quædam aliæ ciuitates Sarracenorum, non euaserunt hanc pestem.

Mortuo Wilhelmo comite Niuernensi vltra mare Matthæus frater Philippi

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Anni Domini. |

lippi comitis Flandrensis, comes Boloniæ, duxit vxorem eius, sororem scilicet comitissæ Flandrensis. Hi itaque duo fratres duas duxerunt sorores, filias Rodulphi comitis Viromandorum, neptes Alienoræ reginæ Anglorum ex sorore, callide agentes in retinendo terram Radulphi de Parrona per quemlibet fratrum. Hic Matthæus prius habuerat filiam regis Stephani: & susceptis ab ea duabus filiabus, rediit ad religionem vnde inuita recesserat.

Circa Augustum rex Henricus rediit in Normanniam, relicto Henrico iuniore in Anglia. Rex Henricus fecit pacem inter comitem Theobaldum & Heruæum de Vienna.

Mense Septembri rex Henricus infirmatus est pene ad mortem apud Moram de Ger: sed miseratione diuina & supplicatione seruorum Dei quibus se humiliter commendabat, sopita aduersa valetudine sanitatem refouit.

Ægidius Rothomagensis archiadiaconus electus est ad episcopatum Ebroicensem. Richardus archidiaconus Constantiensis ad Abricatensem.

Alienora filia regis Anglorum Henrici ad Hispaniam ducta est, & ab Anifruso imperatore solenniter desponsata. Huius imperatoris illa pars Hispaniæ quæ Castella vocatur, regnum est. Huius imperij caput ciuitas Tolletum est. Prædicto regi propter infirmam ætatem (nondum enim adimpleuerat quindecim annos) aduersantur duo reges, Feruandus Galliciæ patruus eius, & Anifrusus Nauarriæ auunculus eius, mortuo Roberto, filio Roberti comitis Cloecestriæ. Dederat etiam ante idem rex Hugoni comiti Cestriæ cognato suo filiam comitis Ebroicensis cognatam suam ex parte patris sui.

Vrbs Cenomanensis flagrauit incendio. Cella sancti Victurij combusta est, sed Deo adiuuante in melius restaurata est.

Henricus rex Anglorum perrexit causa orationis ad Rocam Amatoris, qui locus in Cadulcensi pago montaneis & horribili solitudine circumdatur.

Dicunt quidam, quod beatus Amator, famulus beatæ Mariæ, & aliquando baiulus & nutricius Domini fuit, & assumpta piissima matre Domini ad æthereas mansiones, ipse Amator præmonitus ab ea ad Gallias transfretauit, & in prædicto loco vitam eremiticam transegit. Quo transeunte, & in introitu oratorij beatæ Mariæ sepulto, locus ille diu ignobilis fuit, excepto quod vulgo dicebatur, ibi beati Amatoris corpus requiescere, licet ignoraretur vbi esset.

Anno ab incarnatione Domini 1166, quidam indigena huius regionis ad extrema veniens præcepit familiæ suæ, diuina forsitan inspiratione, vt in introitu corporis sui glebam sepelirent. Effossa itaque terra corpus beati Amatoris integrum reperitur, & in ecclesia iuxta altare positum integrum, illud peregrinis ostendunt: & ibi fiunt miracula multa, & antea inaudita per beatam Mariam. Ad hunc ergo locum (vt diximus) rex Henricus causa orationis veniens, quia appropinquabat terræ inimicorum suorum, congregata multitudine armatorum tam equitum quam peditum, ad orationem perrexit, munitus sicut ad prælium, nulli malum inferens, omnibus & maxime pauperibus in eleemosynis largiter prouidens.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus transfretauit in Angliam.

Stephanus comes de Sanceorre, frater comitis Theobaldi, perrexit Hierusalem, ferens secum pecuniam, quam rex Francorum Ludouicus fecerat colligere in adiutorium Hierosolymitanæ ecclesiæ.

Odo dux Burgundiæ nepos eius perrexit cum eo.

| 35 | Ad Natalem fuit rex Henricus ad Bur iuxta Baione. | 17 | 1172 |

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Annus millenus centenus septuagenus
Primus erat, primus quo ruit ense Thomas.
Quinta dies Natalis erat, flos orbis ab orbe
Pellitur, & fructus incipit esse poli.

Agareni cum multis millibus armatorum venerunt ab Africa in Hispaniam.

Hamo episcopus Leonensis crudeliter per concilium (vt dicunt) Guihomari fratris sui vicecomitis Leonensis, & Iunioris Guihomari nepotis sui, occisus est.

Conanus dux Britanniæ moritur, & tota Britannia & comitatus de Gippewis, & honor Richemundiæ per filiam comitis Conani, quæ desponsata erat Gaufrido filio regis, in dominio regis Henrici transierunt.

Hannericus abbas sancti Audoeni moritur.

Henricus rex venit in Quadragesima ad pontem Vrsonis, & ibi per quindecim fere dies demoratus est. Hoc etiam fecit in Rogationibus, & in Pentecoste, cum Guihomarus venit ad eum, & reddidit se ei & sua Castella, perterritus multitudine militum, & aliorum armatorum quos rex illo direxerat ad eum comprimendum, nisi regis voluntati obediret.

Sequenti anno canonizatus est sanctus Thomas à papa Alexandro, & præceptum fuit, vt natalis eius dies festiuus ab omnibus celebraretur, maxime ab Anglis.

Castrum pontis Vrsonis combustum est.

Vrbs Norwicius similiter combusta est cum episcopali ecclesia & officinis monachorum.

Humbertus comes Morieunt misit abbatem sancti Michaelis de Dusa ad Henricum regem Angliæ, proponendo matrimonio inter Ioannem filium regis & filiam suam, offerens ei totam terram suam. Fuit enim idem comes filius Amati comitis, & ditissimus in possessione vrbium & Castellorum, nec aliquis potest adire Italiam nisi per terram ipsius.

Theobaldus comes Carnotensis plures Iudæorum qui Blesis habitabant, igni tradidit: siquidem cum infantem quendam in solennitate Paschali crucifixissent ad opprobrium Christianorum, postea in sacco positum in fluuium Ligerim proiecerunt. Quo inuento, eos conuictos de scelere (vt supra diximus) igni tradidit, exceptis illis qui fidem Christianam receperunt, Hoc etiam fecerunt de sancto Wilhelmo in Anglia apud Norethuitz tẽpore Stephani regis: quo sepulto in ecclesia episcopali multa miracula fiunt ad sepulcrum eius. Similiter factum est de alio apud Clouescestrum tempore Henrici regis secundi. Sed & in Franciæ castello quod dicitur Pontizare, de sancto Ricardo impij Iudæi similiter fecerunt: qui delatus Parisios in ecclesia sepultus multis miraculis coruscat. Et frequenter (vt dicitur) faciunt hoc in tempore Paschali, si opportunitatem inuenerint.

Obiit Wilhelmus Talauacius comes Pontini, & successit ei Ioannes nepos suus in comitatu Pontini, ex Guidone primogenito suo. In terra vero quam tenebat de rege Angliæ, in Normannia & in Cenomanensi pago successit ei Ioannes comes filius eius. Item duxit filiam comitis Heliæ fratris comitis Gaufridi Andegauensis & ducis Normannorum.

Rex Henricus senior fecit inuestigari per Normanniam terras, quas rex Henricus auus eius possidebat die qua obiit. Fecit etiam inquiri, quas terras, & quas syluas, & quæ alia dominia barones & alij homines occupauerant post mortem regis Henrici aui sui: & hoc modo fere duplicauit redditus ducatus Normanniæ.

Riz rex Walensium pacificatus est cum rege Anglorum Henrico. Rex

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | Anni Domini.

Rex Oenus auunculus eius præterito anno obierat: & filij eius regi Henrico subditi sunt.

Margartiæ vxor regis Henrici transfretauit in Normanniam.

Mense Iulio rex congregauit barones suos apud Argentonium: & cum ibi tractaretur de profectione sua in Hiberniam, legati comitis venerũt ad eum, dicentes ex parte comitis, quod traderet ei ciuitatem Duneliam & Waltre-
10 fordiam, & alias firmitates quas habebat causa vxoris suæ, quæ fuerat filia regis Duneliæ, qui iam obierat. Rex itaque audito hoc nuncio mandauit comiti, quod traderet ei terram suam in Anglia & Normannia, & planam terram in Hibernia, quam acceperat cum vxore sua: & concessit, ei vt esset Conestabilis vel Senescallus totius Hiberniæ.

Venerabilis Henricus episcopus Wintoniensis, & abbas Glastronensis decessit è vita. Iste scilicet episcopus multa bona fecit ecclesiæ Wintonienſi in ornamentis auri, & argenti, & sericarum vestium: diuitias etiam suas eccle-
siis & pauperibus larga manu distribuit.

Ad augmentum etiam virtutum suarum per aliquantulum temporis an-
20 te mortem suam lumine corporali priuatus fuerat.

Mense Augusto rex transiuit in Angliam: & aggregatis tam militibus, quam sumptibus qui ad tantam expeditionem necessarij erant; vigilia beati Lucæ Euangelistæ transiuit in Hiberniam. Quam autem prospere transfretauit, applicuit, receptus fuit, literæ quas ad regem Henricum filium suum misit indicant.

21 | 36 | Henricus rex iunior ad Natalem fuit ad Bur iuxta Baioc: & | 18 quia tunc primum tenebat curiam in Normannia, voluit vt magnifice festi-
uitas celebraretur. Interfuerunt episcopi, abbates, comites, barones, & multa
o multis largitus est. Et vt appareat multitudo eorum qui interfuerunt, cum Wilhelmus de sancto Ioanne Normanniæ procurator, & Wilhelmus filius Hamonis Senescallus Britanniæ qui venerat cum Gaufrido duce Britanniæ domino suo, comederent in quadam camera, prohibuerunt ne quis miles comederet in eadem camera qui non vocaretur Wilhelmus. Et electis aliis de camera remanserunt centum & decem milites qui omnes vocabantur Wilhelmi, exceptis plurimis aliis eiusdem nominis qui comederunt in aula cum rege. 1173

Henricus dux Saxonum & Baiaorum, gener Henrici regis Anglorum, perrexit Hierusalem cum magno comitatu militum, & magna ibi incepisset, & perfecisset forsitan incepta, nisi rex & templarij obstitissent. Thesauros
40 tamen quos secum portauerat, larga manu distribuit pauperibus & ecclesiis sanctæ terræ.

Post Pascha rex audiens duos legatos Albertum & Theodericum ex parte domini papæ A. ad se missos, pro causa piæ memoriæ Thomæ quondam Cantuariensis archiepiscopi; cum esset in Hibernia, citissime venit de Hiber-
nia in Angliam, de Anglia in Normanniam, & præmissis ab eo honorabilibus personis, locutus est cum eis primo Sanigueij, postea Abrincæ, tertio Cadomi, vbi causa illa finita est, sicut literæ publicę testantur quę inde factæ sunt, & à multis personis quæ illuc conuenerant, retinentur.

Rex Henricus locutus est cum rege Francorum, & misit filium suum re-
50 gem iuniorem in Angliam, vt Margarita filia regis Franciæ vxor eius consecraretur in reginam. Hanc inunxerunt ex consilio regis Franciæ, Rotrodus archiepiscopus Rothomagensis, & Ægidius episcopus Ebroicensis, & coronauerunt regem & vxorem eius.

Circa festum sancti Michaelis, congregauit rex episcopos Normanniæ & Britanniæ, & venit ipse, & legati Abrincenses, tractaturi de ecclesiasticis ne-

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

gotiis, sed obsistente regis infirmitate parum profecerunt. Huius conuentus causa venerunt vsque ad montem ad nos honorabiles personæ multæ, inter quas fuerunt religiosissimi viri dominus Stephanus Cluniacensis, & dominus Benedictus Clusinus, abbates. Mutua vice societatem suam nobis & sibi nostram impendimus, sicut literæ eorum quæ à nobis habentur, & nostræ quæ ab ipsis asportatæ sunt testificantur. Hoc etiam fecerat nobis pię memoriæ Wilhelmus Vizeliacensis abbas in capitulo Vizeliacensi. Et cum his tribus ecclesiis scilicet Cluniacensi, Dusensi, Vizeliacensi, habemus spiritualem societatem, & multum nobis & illis placentem.

Circa festum sancti Martini venit iunior rex cum vxore sua ex Anglia, & locuti sunt cum rege Francorum ipse apud Gisorz, ipsa vero apud Caluum mõtem; quos rex lætissimè suscepit, sicut filios suos.

1174 | 22 | 37 | Rex Henricus cum regina Alienora egit Natalem Domini | 19 apud Chinonum regaliter. Iunior vero rex cum vxore sua Margarita eandem festiuitatem apud Bonamuillam celebrauit. Exinde sequutus est patrem suum in Andegauënsem pagum, moraturum in illis partibus vsque ad Purificationem beatæ Mariæ, quando rex debebat loqui cum rege Arragonensi, & cum comite de Morienna, & cum comite de sancto Ægidio pro causa Tholosæ.

Wilhelmus abbas Radingis, factus est episcopus Burdegalensis.

Comes de sancto Ægidio pacificatur cum rege Angliæ de Tholosa, facto ibi homagio. Et Richardo filio suo duci Aquitanorum promisit, ei se daturum equos magni precij quotannis Quadragesimæ. Et si necesse habuerit, inueniet ei vnoquoque anno ad seruitium suum per 40 dies centum milites.

In Quadragesima, quia rex Henricus senior remouerat à concilio & familiaritate filij sui Asculphum de sancto Hilario, & alios equites iuniores, ideo ille iratus recessit à patre, & venit Argentonium, & recessit inde noctu pergens ad regem Francorum, nescientibus ministris suis quos pater suus seruitio suo deputauerat. Quem sequutus est comes Roberti Bellenti, relinquens castella sua sine custodibus, quæ rex Henricus occupauit. Comes etiam Cestriæ Hugo à sancto Iacobo Gallicienſi rediens, sequutus est eum, & Wilhelmus Patric senior, & tres filij eius, & multi alij minoris nominis. Quorum omnium domos, & virgulta, & syluas rex euertit. Similiter regina Alienora, & filij eius, Richardus comes Pictauensis, & Gaufridus comes Britanniæ alienati sunt ab eo.

Feria quarta ante cœnam Domini prior Cantuarienſis, & aliæ personæ honestæ, venerunt ad sanctam Barbaram in episcopatu Lexouiensi ad regem Henricum, & ad legatos Romanos Albertum & Theodericum, & elegerunt Rogerum abbatem Becci ad archiepiscopatum Cantuariensem. Ille vero prætendens infirmitatem suam, noluit acquiescere electioni eorum. Qui inde redeuntes in Angliam, conuocatis episcopis & aliis religiosis personis, elegerunt in archiepiscopum priorem de Dituria, monachum suum. Richardus etiam archidiaconus Pictauensis electus est ad episcopatũ Vintonensem; Gaufridus filius regis Henrici naturalis archidiaconus Lincolienſis. Gaufridus Lidel archidiaconus Cantuarienſis ad Elienſem, Robertus Foliot archidiaconus Lincolienſis ad Herefordenſem, Rudulphus Lombardus archidiaconus Salesbergenſis ad Batenſem, Gocelmus decanus Ciſtenſis ad Ciſtrestrenſem. Posita autem die qua consecraretur electus Cantuarienſis, vt consecraret æque alios electos, in generali conuentu episcoporum & aliorum qui conuenerant, prior Cantuarienſis prætulit literas Henrici iunioris regis, in quibus dicebat eos non esse sacrandos, & si quis imponeret eis manus,

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Anni Domini. |

manus, inuitabat eum ad audientiam domini papæ. Et ita infecto negotio recesserunt, vnusquisque ad propria.

Prior Wintonensis factus est abbas Glastoniæ.

Post Pascha Bernardus de Feritate dedit se & castellum suum regi iuniori. Similiter Galerandus de Ibera, Goscelinus Crispinus, Gislebertus de tegularijs, Robertus de Monteforti, Radulphus de Faie, Gautridus de Lezenonen, Hugo de sancta Maura, & Episcopus filius, Wilhelmus camerarius veniens de Anglia.

Philippus comes Frandrensis cepit castrum de Ambunare, & in eodem comitem Wilhelmum dominum ipsius castri, & comitem Simonem. Indede comes Ancensis Henrico subdidit se, & castella sua regi iuniori & comiti Flandriæ.

Post festum sancti Ioannis rex Francorum Ludouicus, coadunatis baronibus suis ex omni regno suo, obsedit castrum Vernolium fere per vnum mẽsem, in quo exercitu (vt dictum est à nõnullis) fuerunt septem millia militum, excepta reliqua multitudine. Quibus restiterunt viriliter, Hugo de Laci & Migo de Bellocampo Conestabilis ipsius castri, & milites eis subditi cũ Burgensibus.

Iunior rex Henricus, & Philippus comes Flandrensis, & Matthæus frater eius, comes Bolonensis, obsederunt nouum castrum, quod dicitur Dringurtum cum magno exercitu, cui castro præerant dominus Bardulphus, & Thomas eius frater. Qui cum vidissent, se non posse resistere crebris assultibus eorum, & suffossioni murorum, acceptis inducijs perrexerunt ad regem Angliæ dominum suum, nunciantes ei quod non poterant resistere viribus inimicorum. Quare concessit eis rex, vt castrum redderent comiti Flandriæ.

Matthæus comes Bolonensis, frater Philippi comitis Flandrensis, ex vulnere quod accepit in obsidione castri de Dringurto, mortuus est: vnde comes Flandriæ frater eius dolens, accinxit militaribus armis Petrum fratrem suum, qui electus erat ad episcopatum Cameracensem.

Tertio Id. Augusti vir religiosissimus dominus Stephanus, abbas Cluniacensis, viam vniuersæ carnis ingressus est, & successit ei Radulphus prior de Caritate, consobrinus comitis Theobaldi.

Obijt etiam Rogerus comes de Clara, cui successit Wilhelmus filius eius, qui duxit filiam scilicet ducis Glocestriæ.

Rex Henricus, contracto magno exercitu tam equitum quam peditum, venit Britolium, volens hominibus suis, in Vernolio à rege Francorum Ludouico obsessis, ferre auxilium. Quod cum rex Frãcorum audisset, vsus consilio sapientium à castro recessit, relicta multa parte impedimentorum & victualium.

Rex Henricus conuocatis baronibus Britanniæ, exegit ab eis sacramentum suæ fidelitatis. Quod cum alij vtcunq; obseruarent, Radulphus de Fulgerijs infideliter agens, vocatus à rege, parere noluit. Sed castellum de Fulgerijs quod ipse rex prius destruxerat, cepit reædificare. Quod audiens Asculphus de sancto Hilario, & Wilhelmus Patric, & tres filij sui læti effecti, per diuerticula venerunt ad eum.

Comes etiam Cestriæ & comes Eudo secuuti sunt eos.

Cum rex Angliæ Henricus misisset brebensones suos ad deuastãdum terram Radulphi de Fulgerijs, & hoc ex magna parte fecissent, magna pars eorum qui victualia ad exercitum deferebant, cum non haberent ducem neq; protectorem, occisa est inter sanctum Iacobum & Fulgerium à militibus Radulphi de Fulgerijs.

Anni Domini. | Romanorum. | Francorum. | Anglorum.

Radulphus de Fulgerijs caſtrum ſancti Iacobi tradidit incendio, ſimiliter caſtrum Tilioli.

Rex Henricus latenter veniens Fulgerium, vt interciperet Radulphum, audito eius aduentu fugæ petijt remedium. Prędam tamen tantam, quantam aliquis in noſtro vix viderat rege, homines ceperunt; ſiquidem Radulphus de Fulgerijs præcepit hominibus de omni terra ſua, quod equos, & armenta, & pecudes, & omnẽ ſubſtantiam ſuam ducerent in ſuam foreſtam. Sed antequam intrarent nemoris latibula, ab inimicis intercepti ſunt, & omnia ſua amiſerunt.

Radulphus de Fulgerijs, delinitis cuſtodibus precio & precibus qui cuſtodire debebant caſtrum de Ciniburco, & ciuitatem Dolenſem ad opus regis Angliæ, cepit illas munitiones. Quod audiens rex miſit brebenſones ſuos, & quoſdam de militibus ſuis, ad eorum auxilium, ſi neceſſe haberent. Quibus obuiauerunt comes Ceſtriæ Radulphus de Fulgerijs, Aſculphus de ſancto Hilario, Wilhelmus Patric, & vniuerſi milites de terra Radulphi de Fulgerijs cum magna multitudine peditum: qui quaſi in momento diſperſi, milites ſe fugæ tradiderũt, & multi de plebe occiſi ſunt. Comes vero Ceſtriæ, & Radulphus de Fulgerijs, & 60 milites cum eis cum non poſſent effugere, quia inimici eorum obſtruxerant viam fugiendi, incluſerunt ſe in turri, excepto Aſculpho de ſancto Hilario, & Wilhelmo Patric, & quibuſdam alijs, qui capti ducti ſunt ad pontem Vrſon. Itaq; obſeſſa eſt turris Doli à brebenſonibus, & militibus regis, & plebe Abrincatina.

Comes vero Eudo cum veniſſet è Francia, noluit morari cum Radulpho de Fulgerijs, ſed abijt in Porroret, & firmauit caſtellum Goſcelini, & cepit caſtellum Ploaſmel. In ſequenti opere poteſt videri probitas, induſtria, & agilitas regis Angliæ Henrici. Audiuit nuntium de obſeſſione turris Doli, cum eſſet Rothomagi nocte præcedente diem Mercurij. Ipſo vero die Mercurij, cum iam lux eſſet, receſſit à Rothomago, & venit Dolum ſequenti Die circa tertiam, & obſedit turrim. Et cum præparaſſet machinas ad turrem capiendam, incluſi ſibi prouidentes, reddiderunt turrim & ſe ad voluntatem regis. Inde rex miſit eoſdem per firmitates ſuas, vt ibi cuſtodirentur, quoſdam vero acceptis obſidibus ſecum retinuit ſub libera cuſtodia.

Comes Robertus de Leiceſtria volens turbare regnum Angliæ, ipſe & vxor eius, & Hugo de Nouocaſtello, conſobrinus eius, cum multis militibus transfretauit in Angliam. Sed interceptus ipſe, & vxor eius, & Hugo de Nouocaſtello, qui capti ſunt à fidelibus regis iuxta ſanctum Edmundum, & cuſtodiæ traditi. Et multi Flandrenſes ibi occiſi ſunt, & multi alij capti & occiſi. Et forſitan ideo, quia rapinam exercuerant in terra ſancti Edmundi regis & martyris.

Radulphus de Fulgerijs dedit obſides regi Angliæ pro ſe filios ſuos, Vielium & Wilhelmum: ipſe vero nullatenus acquieuit, vt ſe poteſtati regis traderet, ſed fugiendo per nemora deliteſcit.

Gaufridus de Poentio, & Bonus abbas de Rugeio, & alij ex hæreditate de Media & de Andegauenſi pago, & Radulphus de Haia, Normannus de nemoribus infeſtant terram regis, carentes munitionibus caſtellorum: ſiquidem brebenſones, regis querela, ſicut antea, peſſundederunt Fulgerium & cæteras munitiones Radulphi.

Robertus de Vitreio obijt, & ſucceſſit ei filius ſuus Andreas, natus ex ſorore Rollandi de Dinanſi. Idem vero Rollandus, quia carebat alio hærede, fecit hæredem alium nepotem ſuum Alanum de omni terra ſua in præſentia regis.

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | Anni Domini. 1175

23 | 38 | Rex Henricus egit Natalem Domini in Baiocenſi pago a- | 20
pud Burum.

Wilhelmus Epiſcopus de Trigel humanæ vitę finem facit, cui ſucceſſit Iuo Brito archipresbyter Turonenſis.

In loco etiam Hamonis epiſcopi Leonẽſis electus eſt quidam archidiaconus eiuſdem eccleſiæ, non canonice ſed ſimoniace. Et dum haberet gratiam tam cleri quam populi non promeruit conſecrationem, impediente morte Iocij Archiepiſcopi Turonenſis. In cuius loco elegerunt Turonenſes clerici decanum ipſius eccleſiæ Bartholomæum, iuuenem ſtrenuum & genere nobilem.

Wilhelmus Patric iunior moritur Pariſijs, & Wilhelmus Patric pater eius. Cui ſucceſſit Iugerrannus Patric filius eius, qui duxit filiam Richardi filij comitis.

Obijt abbas ſancti Florentij, & ſucceſſit ei Radulphus Normannus. Similiter ſatisfecit vitæ humanæ Nutritus recluſus, vir honeſtus & magnæ religionis, ad cuius tumulum (vt quidam dicunt) qui eſt iuxta eccleſiam ſanctæ Mariæ Ardonenſis, Deus magnificatur in curatione infirmorum.

Obijt etiam anno ſuperiore Hamo de Lanidecopio monachus Sauinienſis, qui propter religionem & bona opera in pauperes charus erat Deo & hominibus; Archiepiſcopus item Tarentaſiæ, qui fuerat monachus de ordine Ciſtercienſi, per quem in noſtris temporibus in exhibitione miraculorum Deus benedicitur, cum abbate Ciſtercienſi.

Alexander miſſus à domino papa venit ad regem Francorum pro reformanda pace inter regem Angliæ Henricum, & filium eius regem iuniorem, ſed impedientibus hominum peccatis, parum profecit.

Circa Paſcha Richardus electus Cantuarienſis, qui anno ſuperiore perrexerat Romam à papa Alexandro ſacratus eſt Anaginæ. Rogerium electum Batenſis ſocium ſuum ſacrauit archiepiſcopus Carentenſis.

Duæ reginæ ducuntur in Angliam.

Circa idem tempus Ludouicus rex Francorum congregauit Pariſijs omnes barones regni ſui qui ei parebant, & cum eis habuit ſecretum miniſterij ſui. Iurauerunt ergo comes Flandrenſis, comes Theobaldus, comes de Claromonte, & multi alij, quod transfretarent cum iuniore rege in Angliam circa feſtum ſancti Ioannis, & pro poſſe ſuo ſubiugarent ei idem regnum. Alij vero qui remanebant, iurauerunt quod cum exercitu per Normanniam pergerent, & quæcunque caſtella poſſent caperent, & patriam vaſtarent, aut vrbem Rothomagenſem obſidione cingerent. Quod & fecerunt, parum proficientes.

Rex autem Henricus iunior, qui multos de baronibus Franciæ obæratos habebat, & magnis obſequijs & donis eos ſibi familiares fecerat, hoc cognito per eos caſtella ſua quæ erant in finibus Normãniæ iuxta Franciam armis, militibus & victualibus muniuit. Remouit etiam quoſdam cuſtodes caſtrorum, ne aliquando ſibi fraudem facerent per receptionem inimicorum ſuorum, & longam moram. Inde locutus eſt cum baronibus Normanniæ, eos admouit, obſecrauit, vt viriliter & fideliter agerent, & rememorarentur quod parentes eorum multoties Francos à finibus ſuis turpiter eliminaſſent. Inde aſſumptis paucis, imo fere nullis de baronibus Normanniæ, cum brebenſonibus ſuis tranſiuit in Angliam. Qua autem humilitate ſepulchrũ beati martyris Thomæ viſitauerit, notandũ eſt. Vt autem vidit eccleſiam Cantuarienſem, deſiliẽs equo, veſte lanea, & nudis pedibus, pedes, vſq; ad illã per paludes & acuta ſaxa cũ ſumma deuotione perrexit, in oratione ad ſepulchrũ glorioſi martyris, in lachrymis tam deuotus extitit, vt videntes ad lachrymas cogeret.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Feria ſexta illuc venerat, & in pranſus tota nocte ibi vigilauit. Mane autem facto, in capitulum monachorum pergens ſubdidit ſe verberibus eorum, imitatus redemptorem qui dorſum ſuum dedit ad flagella. Sed ille fecit propter peccata noſtra, iſte propter propria. Eadem autem die qua receſſit à ſancto loco, captus eſt Wilhelmus rex Scotiæ à baronibus Eboracenſibus. Qui rex tota æſtate, cum Rogero de Monbrai, & alijs complicibus ſuis vaſtauerunt Septemtrionales partes Anglorum, pertingentes ad Scotiam. Quarta feria ſequenti audiuit rex nuncium tanti gaudij.

Rex Henricus, exhilaratus tanto nuncio, facta pace cum comite Hugone Bigoth, & poſitis in firma cuſtodia, Wilhelmo rege Scotiæ, & Richardo comite Loceſtriæ, cum comitibus ſuis; transfretauit in Normanniam, relinquēs Angliam in pace, quam fere perditam in triginta diebus recuperauerat. Veniens itaq; Rothomagum, miſit machiſos ſuos Walenſes trans Sequanam, vt victualia quæ veniebant ad exercitum Francorum, in nemoribus diriperent. Franci igitur ex vna parte timentes regem, ex alia Walen, de pace locuturi ad regem conueniunt. Vnde rex exhilaratus, terminum de pace inter eos reformanda poſuit ad Natiuitatem ſanctæ Mariæ apud Giſorz. Quo termino elapſo, ex vtraq; parte conueniunt, ſed nihil profecerunt, niſi quod alium terminum circa feſtum ſancti Michaelis poſuerunt inter Turonenſes & Ambaſianos. Quo loco Deo fauente pax prouenit, & filij regis tres ſe patri ſuo humiliter ſubdiderunt: & rex Francorum, & comes Flandrenſis, firmitates quas eeperant in Normannia, regi Angliæ reddiderunt.

Ego vero pacem iſtam aſcribo Dominæ noſtræ, Ieſu Chriſti genitrici, quia in vigilia Aſſumptionis eius vniuerſus exercitus ab obſidione receſſit, & ciues Rothomagēſes lætum diem egerunt in eccleſia ipſius, ſicut debebant ab obſidione liberati.

Poſt feſtum ſancti Ioannis moritur Ammaricus rex Hieroſolymitanus.

Obijt etiam Loradin rex Halapriæ, & ſucceſſit ei filius natus ex ſorore comitis ſancti Ægidij, quā acceperat captiuam in itinere Hieroſolymitano. Ipſa vero & filij acceptis inducijs vſque ad ſeptem annos promiſerunt ſe daturos plurimam ſummam auri regi Hieroſolymitarum.

Saraguntat nepos ipſius Loradin occidit Amulanum Babyloniæ, & factus eſt princeps Babyloniæ & Alexandriæ.

Mortuo Brogone abbate ſanctę Trinitatis, ſucceſſit ei Wilhelmus de Eſpræuillus monachus Becci prior ſancti Hymerij.

1176 | 24 | 39 | Rex Henricus egit Natalem Domini apud Argentomagum.

Fridericus Alemannorum imperator cum vxore, & liberis, & magno exercitu veniens in Italiam, obſedit Alexandriam vſque ad Paſcha, nihil proficiens, ſed multa detrimenta ſuſtinens.

Guarinus de Geſardim abbas Pōtiniacenſis, factus eſt Archiepiſcopus Bituricenſis, ſicut abbas qui idem monaſterium ante ipſum rexerat, factus fuerat archiepiſcopus Lugdunenſis.

Circa Paſcha iunior rex pacificatus eſt cum patre ſuo, accepto ab eo & fratribus ſuis ſacramento quod voluit. Inde rex miſit ducem Richardum filium ſuum in Aquitaniam, & Gaufridum filium ſuum comitem Britanniæ in Britanniam, aſſignans ei Rollandum de Dinam, vt eſſet procurator terræ ſuæ.

Fredericus imperator Alemannorum receſſit ab Alexandria, & tractatum fuit de reformanda pace inter dominum papam & ipſum. Sed imperator noluit acquieſcere paci, ſtante Alexandria, quam Longobardi noluerunt ſubuertere, & ita pax remanſit. Ipſe vero adhuc moratur Papiæ, non valens præcedere nec reuerti.

Gaufridus dux Britanniæ ea quæ comes Eudo habebat de dominio ſuo, ſcilicet

Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Anni Domini.

scilicet Venetum, Ploasmel, medietatem Cornubiæ, reuocauit in ditionem suam.

Post Pascha rex Henricus, & filius suus rex iunior, transfretauit in Angliam. Quia vero clerici & laici, barones & milites, ceperant de seruis suis sine ipsius licentia, emunxit eos multo argento.

Rex Scotiæ pacificatus est cum rege Angliæ hoc modo. Fecit homagium & ligantiam de omni terra sua, vt proprio domino, & concessit ei vt comes episcopi terræ illius qui sunt numero decem, & abbates, & comites, & barones hoc idem facerent. Episcopi vero & abbates homagium non fecerunt, sed sacramento se constrinxerũt hoc obseruaturos, & quod forent subditi ecclesiæ Eboracensi & archiepiscopo, & illo irent causa sacrandi quoties necesse esset. Insuper rex Scotiæ tradidit munitiones suas, scil. Rocheburc, & Castrum puellarum, & Tertium, regi Angliæ, qui posuit in eis custodes suos. Quibus etiam rex Scotiæ inuenit necessaria. Præterea rex Angliæ dabat honores, episcopatus, abbatias, & alios honores in Scotia, vel (vt minus dicam) consilio eius dabantur.

Prior Canthuariensis factus est abbas de Bello.

Petrus prior Montisacuti, Hidæ.

Prior Berniendeuici Abbendoniæ.

Prior Wintoniæ Westmonasterij.

Ioannes Oxenefordiæ decanus Salesberiensis electus est ad episcopatum Norwincensem.

Obijt Raginfredus comes Cornubię, prioris Henrici regis filius naturalis, & sepultus est Radingis.

Comitatum Cornubiæ, & totam terram quã habebat tam in Anglia quam in Normannia & in Walia, retinuit rex in manu sua ad opus Ioannis filij sui iunioris, excepta parua portione quam dedit filiabus ipsius comitis.

Robertus abbas Montis scriptor horum temporum, pergens in Angliam, promeruit chartam & sigillum omnium eleemosynarum ecclesiæ Montis, quæ datę fuerant prędicta ecclesiæ vsque ad præsens tempus, & dabuntur in futurum.

Richardus filius comitis Glocestriæ obijt, & successit ei Philippus filius eius, natus ex sorore Roberti de Monteforti.

Obijt etiam Henricus, frater Ludouici regis Francorum, Archiepiscopus Remensis, similiter comes Niuernensis, & (quod dolendum est & tacendum nisi ob memoriam iusti viri) abbas Clareuallensis. Girardus à quodam pseudomonacho eiusdem ordinis nocte cultro ter appetitus lethaliter vulneratus est. Per triduum tamen quod superuixit, confessionem, pœnitentiam, & Sacramentum corporis Christi suscipere promeruit.

Richardus Archiepiscopus Cantuariensis congregauit magnum concilium in Anglia, ciuitate Lundonensi. Et adhuc vetus querela de primatu Britanniæ inter ipsum & Rogerum Archiepiscopum Eboracensem perseuerat. Similiter Bartholomæus Archiepiscopus Turonum concilium habuit cum episcopis Britanniæ Rhedonis.

Hugo Petri leonis legatus sedis Romanæ transit in Angliam.

Nix & gelu durauerunt à Natiuitate Domini vsque ad Purificationem beatæ Mariæ.

Obijt Richerius de Aquila, & successit ei Richerius filius eius.

Obijt Richardus comes Destreguel, filius comitis Cisleberti relinquens paruulum suum ex filia regis Deneline. Iste acquisiuit quasdam ciuitates in Hibernia, scilicet Dunelinam, & Watrefeltis, & alias, quas Henricus rex Anglorum, cum in eandem insulam pergeret, accepit in manu sua.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Hibernenſes promiſerunt regi Henrico tributum de omni inſula, ſcilicet de vnaquaq; domo corium bouis vel duodecim argenteos.

In vigilia Paſchę circa meridiem factus eſt ventus vehemens, diſſipans domos,& ſyluas eradicans.

1177 | 25 | 40 | In ſeptimana Pentecoſtes Longobardi & maxime Mediolanenſes debellauerunt exercitum Frederici imperatoris Alemannorum, qui tunc morabatur in Papienſi vrbe. Ipſe vero vix fugiendo euaſit. | 22

Wilhelmus frater comitis Theobaldi, Archiepiſcopus Senonenſis,& epiſcopus Garnotenſis, translatus eſt ad Rhemenſem archiepiſcopatum,& ſuceſſit ei Senone præpoſitus Antiſſiodorenſis, & archidiaconus Senonenſis, Guido nomine. In Carnotenſi vrbe Ioannes Salesberienſis, vir honeſtus & ſapiens, qui prius clericus Theobaldi Cantuarienſis Archiepiſcopi fuerat,& poſtea ſancti Thomæ martyris ſucceſſoris eiuſdem Theobaldi.

Mortuo Epiſcopo Beluacenſi, ſucceſſit ei Philippus filius Roberti comitis fratris regis Francorum.

Wilhelmus rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, per legatos requiſiuit,& Ioannam filiam Henrici regis Anglorum in vxorem accepit.

Obijt Rogerus abbas Gemmeticenſis monachus Becci.

Obijt etiam Radulphus Salmurienſis, ei ſucceſſit Manerius ſacriſta eiuſdem loci.

Obijt etiam Wilhelmus de Curſeio, relinquens paruulum ſuum ex filia Richerij de Aquila.

Ceſſit etiam in fata Wilhelmus de Albineio, quem vocabant comitem Darundelenus, relinquens filios quatuor, ſcilicet Wilhelmum de Albineio primogenitum,& alios tres natos ex Æliza regina, vxore primi Henrici regis Anglorum. Qui Wilhelmus duxit relictam Rogeri comitis de Clara, filiam Iacobi de ſancto Hilario, cum omni terra quam idem Iacobus habuerat in Anglia.

Philippus comes Flandrenſis accepta cruce Domini cum magna manu militum perrexit Hieruſalem.

Aſculphus de ſancto Hilario perrexit Hieruſalem, & peregre mortuus eſt.

Petrus frater Philippi comitis Flandrenſis, accepta comitiſſa Niuernenſi quæ fuerat vxor domini Iſſoldunenſis caſtri, mortuus eſt, & ideo forſitan, quia militiam ſpiritualem, id eſt clericatum, dimiſerat, vtpote qui fuerat electus ad epiſcopatum Cameracenſem, relicta ſpirituali militia, miles ſeculi factus fuerat. Hic ex eadem comitiſſa genuit vnam filiam, quam comitiſſam cum eodem comitatu accepit comes Robertus filius comitis Roberti Ludouici regis Francorum,& ita facta eſt quadrigama.

Obijt venerabilis vir Robertus abbas maioris monaſterij,& ſucceſſit ei Petrus monachus eiuſdem loci.

Depoſito Radulpho abbate Cluniacenſi conſobrino comitis Theobaldi, Galterus prior ſancti Martini de campis ſucceſſit ei, & ille exabbas factus eſt prior Charitatis.

Ceſſit etiam in fata Robertus de Blangeio vir honeſtus & religioſus, monachus Becci & abbas ſancti Ebulphi.

Nihilominus etiam ſatisfecit humanæ vitæ Osbertus abbas Liræ, cui ſuceeſſit frater eius Gauer iunior, ſicut & ipſe ſucceſſerat ſeniori fratri ſuo Wilhelmo, quod vix aut nunquam inuenies, vt tres fratres ſibi inuicem ſuccedant in regimine alicuius eccleſiæ.

Obijt Hugo Bigoth comes,& ſucceſſit ei Rogerius filius eius.

Rogerius de Crypta, monachus ſanctæ Trinitatis Cantuarienſis, factus eſt ab-

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Anni Domini. |

est abbas sancti Augustini, electo Clereubaudo electo illius monasterij, qui noluit benedictionem accipere à sancto Thoma; & ideo elongata est ab eo.

Quinta feria in cœna Domini occisus est sanctus Wilhelmus à Iudæis Parisiis; qui concremati sunt.

Benedictus Prior Cantuarien sis factus est abbas de Burc.

In æstate & in autumno fuit maxima siccitas: vnde & satio terræ, messis, & fœnum ex maiori parte periit, & collectio messium & vindemiarum solito citius euenit.

Nono calendas Augusti concordati sunt dominus papa Alexander, & Fredericus imperator Romanus, in ciuitate Venetiæ, in domo Patriarchæ ipsius ciuitatis.

Mense Augusto Henricus rex Anglorum senior, & Gaufridus dux Britannorum filius eius, cum maximo apparatu transfretauerunt in Normanniam: quibus obuiauerunt iunior rex Henricus, & Richardus dux Aquitanorum, filij eius, cum multis baronibus, cum gaudio magno & honore.

Rex Henricus assumptis filiis suis Henrico iuniore, & Richardo duce Aquitanorum, & congregatis baronibus suis apud vadum sancti Remigij, cum rege Francorum loquutus est ea quæ ad pacem sunt, & de susceptione crucis ad seruitium Dei inde. Inde Dominus rex misit filium suum, comitem Britanniæ cum cæteris Britonibus, ad expugnandam superbiam Guihomari de Leone.

Mauricius episcopus Parisien sis iam diu est quod multum laborat, & perficit in ædificatione ecclesiæ prædictæ ciuitatis, cuius caput iam perfectum est, excepto maiori tectorio. Quod opus si perfectum fuerit, non erit opus citra montes, cui aperte debeat comparari.

Mortuo Valeranno filio Wilhelmi Lupelli, turris Iuren venit in manu Domini regis. quam multum cupierat, quam nec pater eius nec auus habuerunt.

Rex Henricus perrexit in Bituricen. pagum: accepit in manu sua castrum Radulphi de Dolis, quia erat de feudo eius, & filiam vnicam domini eiusdem castri cum tota hæreditate ipsius quam dicunt quidam tantum valere quantum valet reditus totius Normanniæ; Issoldunense etiam castrum cum omnibus pertinentiis suis, quia Odo dominus eiusdem castri nuper decesserat, & paruulum filium reliquerat, & ad comitatum Andegauen. pertinebat. Barones qui illud custodiebant obtulerunt ei: quod noluit recipere, quia non habebat hæredem, quem dux Burgundiæ, quia cognatus eius erat, furtim abstulerat.

Castrum etiam munitissimum & arte & natura Turonium vicecomes eiusdem castri reddidit ei.

Totam etiam terram comitis de marcha rex Henricus sex millibus marcis argenti ei valentem, vt idem rex dixit, viginti millibus marcis argenti.

Episcopus Lemouicen. qui erat comes eiusdem ciuitatis, cum per decennium vixisset in cæcitate, mortuus est.

Castrum etiam iuxta prædictam ciuitatem situm, in quo requiescit sanctus Martialis in monasterio suo, Richardus dux Aquitanorum abstulit vicecomiti eiusdem castri, & merito quia adiuuabat partes comitis Engolismen. qui infestabat ipsum ducem.

Obiit Ruandus Venetensis episcopus vir religiosus, monachus Cisterciensis.

Guihomarus de Leion venit ad dominum regem, promittens se de omni terra sua facere voluntatem eius. Iaruagem de Roca reddidit idem castrum domino regi, & comiti Gaufrido filio eius.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Angl. rum.

Sicut fuerat in æstate maxima siccitas, ita fuit in hyeme maxima inundatio aquarum. Hoc anno circa festiuitatem sancti Ioannis multi submersi sunt in fluminibus. In mari etiam multæ naues perierunt: inter quas vna quæ portabat Gaufridum præpositum de Reuerle, nepotem Rogerij archiepiscopi Ebroicen. cancellarium regis iunioris & alios multos nobiles apud sanctum Walericum periit.

Perierunt præterea naues multæ quæ afferebant vinum de Pictauensi pago; vt quidam dicunt, fere triginta vel eo amplius.

In festiuitate sancti Martini canonici Dolenses elegerunt in archiepiscopum Rollandum decanum Abrincen. virum religiosum & literatum. Cui electioni interfuerunt Henricus Baiocensis, & Richardus Abrincensis, episcopi, & Robertus de Monte, & multi viri religiosi.

In nocte sancti Andreæ factus est ventus vehemens, & in ipsa festiuitate, & in prædicta vigilia apparuit lux mane veniens ab Oriente vsq; ad Occidentem: qua die pugnauerunt Christiani cum paganis apud sanctum Georgium de Ramula. Putabat enim Salaadin, qui duxerat vxorem Naradin iam defuncti, quod posset capere vrbem Hierusalem, defensoribus destitutã, quia comes Flandrensis duxerat fere omnes Christianos milites ad obsidionem Harenc. Sed tamen rex Hierusalem, & patriarcha, & alij religiosi viri, habentes paucos milites & seruientes, per vitutem sanctæ crucis vicerunt innumerabilem exercitum paganorum: cuius crucis longitudo à terra vsque ad cœlum paganis apparuit, sicut ipsi dixerunt. In hac victoria Christiani auro & argento, equis & armis, & victualibus locupletati sunt.

1178 | 26 | 41 | Rex Henricus senior tenuit curiam suam ad Natalem Andegauis: & ibi cum eo fuerunt iunior rex Henricus, & Richardus dux Aquitaniæ, & Gaufridus dux Britanniæ filij eius: & vix in aliqua festiuitate tot milites secum habuit, nisi in coronatione sua, siue in coronatione filij sui regis iunioris.

Obiit Stephanus vir honestus & literatus episcopus Rhedonensis. Huic accidit quædam visio mirabilis, quam ipse episcopus cuidam monacho familiari nostro ante mortem suam manifestauit. Quædam enim persona ei apparens leui sibilo hos versus ei dixit. *Define ludere temere, nitere surgere propere de puluere.* Ipse enim multa rhythmico carmine & prosa iocunde & ad plausus hominum scripserat. Et quia miserator hominum eum in proximo morituru scirebat; monuit eum, vt à talibus abstineret, & pœnitentiam ageret. Scripsit etiam vitam sancti Firmati episcopi, & vitam sancti Vitalis primi abbatis Sanigueij. Scripsit etiam mihi quinquaginta versus de senectute, in quorum vltimo prædictorum versuum vnam clausulam posuit. Cui etiam mater misericordiæ apparuit in obitu suo, cui deuote semper seruierat.

Obiit Gaufridus episcopus Andegauensis.

In media Quadragesima dedicata est ecclesia Becci decimoquarto calendas Aprilis à Rotrodo archiepiscopo Rothomagen. & Henrico Baiocensi, & Richardo Abrincensi, & Ægidio Ebroicensi, episcopis. Huic dedicationi interfuerunt reges Anglorum pater & filius, & Ioannes iunior filius regis. Dedit autem rex senior in dotem ecclesiæ centum libras Andegauenses annuatim in molendinis de Robec.

Robertus de Argentiis, cellarius Gemmeticensis, factus est abbas eius dem ecclesiæ.

Galterius subcellarius sancti Wandregisili factus est abbas eiusdem monasterij.

Radulphus de sancta Columba factus est abbas sancti Ebrulphi, monachus eiusdem loci.

Obiit

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Anni Domini.

Obiit Iordanus Theiſſon, ſucceſſit ei Radulphus filius eius, qui fecit hominium abbati Montis apud Montem de Caſtello, de Roca, & de Columbatalitio ſuo: cuius partem hic poſuimus. Wilhelmus rex Siciliæ diuina fauente clementia ducatus Apuliæ, principatus Capuæ. Per hoc præſens ſcriptum damus, & in dotalitium concedimus Ioannæ reginæ, chariſſimæ vxori noſtræ, Henrici magnifici regis Anglorum filiæ, ciuitatem montis ſancti Angeli, ciuitatem Fixonti, & ciuitatem Veſte, cum omnibus iuſtis tenementis ſuis & pertinentiis earum. In ſeruitio autem concedimus ei de tenementis comitis Gaufridi, Aleſine, Peſchizam, Bizum, Caprite, Beranum, Silizum, & omnia alia, quæ idem comes honore eiuſdem comitatus montis ſancti Angeli tenere dinoſcitur. Concedimus ei etiam ſimiliter in ſeruitio candelarium ſanctum clericum, caſtellum papanum, Biſentinum & Conauum. Inſuper concedimus, vt fuit de tenemento ipſius dotarij, monaſterium ſancti Ioannis de Lama, & monaſterium ſanctæ Mariæ de Pulſano, cum omnibus tenementis quæ ipſa monaſteria tenent, de honore prædicti comitatus montis ſancti Angeli. Ad huius autem donationis & conceſſionis noſtræ memoriam & inuiolabile firmamentum, præſens priuilegium per manus Alexandri notarij noſtri ſcribi, & bulla aurea tympano impreſſa roboratum noſtro ſigillo iuſſimus decorari. Huius chartæ & teſtes & regis ſigillum inuenies in principio libri Origenis ſuper Num.

Ludouicus rex Franciæ, & Henricus rex Angliæ conuenerunt ad colloquium haud procul à Nouantiſcurte: & ibi tractauerunt de pace & firma concordia inter eos, & de ſuſceptione crucis, & de itinere eorum in Hieruſalem: & ſi aliquis regum illorum cedat in fata in ipſo itinere, (quod Deus auertat) ſuperſtes omnem theſaurum, & omnes homines ſuos, & omnia mobilia ſua habebit, ſicut propria, & iter perficiet pro ſe & pro defuncto.

Hæretici quos Agenenſes vocant, & alij multi conuenerunt circa Tholoſam, male ſentientes de Sacramento altaris, & de coniugio, & de aliis Sacramentis: ad quorum confutationē Petrus legatus Romanus, & multæ aliæ religioſæ perſonæ, cum prædictis regibus conuenerunt, & parum profecerunt.

Obiit Robertus de Monteforti, & ſucceſſit ei Hugo filius eius natus ex ſorore Radulphi de Fulgeriis.

Ciuitas Carnotum combuſta eſt, & monaſterium beati Petri de Valle. Remanſit tamen Dei miſericordia eccleſia ſanctæ Mariæ, & clauſtrum clericorum.

| 27 | 42 | Philippus comes Flandrenſis rediit à Hieruſalem. | 24 | 1179

Manuel imperator Conſtantinopolitanus miſit ad regem Francorum honorabiles legatos, vt daret filiam ſuam filio eius, quod rex conceſſit.

Alexander papa miſit Octauianum ſubdiaconum Romanæ eccleſiæ ad Rhotomagenſem prouinciam, vt conuocaret archiepiſcopum & ſuffraganeos eius, & abbates illius prouinciæ. Et miſit ſimiliter alios ſubdiaconos ad Orientem, & Occidentem, & Meridiem, & Septentrionem, vt conuenirent ad concilium generale quod erat futurum proxima Quadrageſima in ciuitate Romæ.

Epiſcopus de Trigel cum pergeret Romam, ablatis rebus omnibus ſuis & equis verberatus eſt; ita vt deficeret infra octo dies. In loco eius electus eſt Gaufridus Loiz, filius cuiuſdam Burgenſis, eiuſdem nominis de Gingamp.

Henricus rex Anglorum ſenior circa nundinas montis Martini transfretauit in Angliam.

Radulphus frater vicecomitis de Bellomonte cognatus germanus Henrici regis Anglorum, electus eſt ad epiſcopatum Andegauenſem.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Eclipſis Solis facta eſt idibus Septembris.

Abbas Greſtem mortuus eſt cui ſucceſſit Wilhelmus de Exonia monachus Becci.

Obiit Richardus Conſtantienſis epiſcopus.

Eodem anno obiit Robertus abbas maioris monaſterij: & ſucceſſit ei Petrus monachus eiuſdem loci, qui mortuus eſt cum vixiſſet in regimine abbatiæ fere per vnum annum: cui ſucceſſit Heruæus de Villa piroſa, monachus eiuſdem loci.

Hyems facta eſt maxima: & durauit nix fere vſque ad Purificationem beatæ Mariæ, quæ incepit infra octo dies poſt Natalem Domini.

Inundatio aquarum maxima fuit, & maxime apud vrbem Cenomanenſem, pontes, & domos, & molendina ſubuertens, & homines multos perimens. Hoc etiam accidit Andegaui, & in multis alijs locis.

Gaufridus filius regis Henrici, dux Britanniæ, viriliter egit. Nam Guihomarum vicecomitem Leonenſem qui nec Deum timebat, nec hominem verebatur, & filios eius ita ſubegit, quod omnia caſtella eorum & terram in manu ſua cepit, & duas tantummodo parochias Guihomaro ſeniori permiſit, vſque ad proximum Natalem Domini quo erant Hieruſalem ituri ipſe & vxor ſua, & forſitan non redituri. Guihomaro iuniori vndecim parochias de terra patris ſui conceſſit; retento ſecum de familia ſua Herueo fratre eius. Similiter fecit Richardus dux Aquitaniæ, frater ipſius Gaufridi, de Gaufrido de Raucim. Nam caſtrum Talleboure quod videbatur inexpugnabile, munitũ arte & natura obſedit, cepit, diruit, & ſimiliter quatuor alia caſtella ipſius. Similiter fecit domino de Ponz, deſtruendo ſcilicet caſtellum ſuum Ponz, qui erat confœderatus ipſi Gaufrido.

Comes Richardus filius regis Henrici, poſt deſtructionem Talleburc cum perrexiſſet in Angliam ad ſanctum Thomam, & ad videndum patrem ſuum; quidam Baſcli, & Nauarenſes, & Brebenſones venerunt ad vrbem Burdegalenſem, & ipſam vrbem vaſtauerunt in ſuburbijs flammis & rapina.

Wilhelmus comes de Magnauilla, ducta filia Wilhelmi comitis Albemarlæ, factus eſt comes Albemarlæ.

Richardus de Luce renunciauit ſeculo & regiis negotijs: & ſucceſſit ei Richardus, nepos eius ex Gaufrido filio ſuo.

Cum filia regis Francorum duceretur ad coniugium filij imperatoris Conſtantinopolitani; hoſpitata eſt apud ſanctum Benedictum ſuper Ligerim. Cumque quidam ex famulis eius vellet accelerare ignem; iniecto oleo flamma exiuit per foramina camini, & cecidit ſuper tectum camini: & hoc casu tota abbatia combuſta eſt.

Cum rex Francorum vellet coronare filium ſuum Philippum, poſuit locum Rhemis, terminum aſſumptionem beatæ Mariæ. Et congregatis quæ ad tantum negotium neceſſaria erant, & conuocatis omnibus baronibus totius regni Franciæ, vt ad eundem locum conuenirent; iuuenis coronandus obiter cum ſuis ſimilibus in ſyluam venatum diuertit, & amiſſis omnibus ſociis per vnam noctem in ſylua vagabundus permanſit. Tandem inuento quodam homine qui ad opus fabrorum carbones parabat, per eum ad ſocios ſuos reductus eſt. Ex ſolitudine tamen & pauore tantam infirmitatem incurrit, quod coronatio eius tunc remanſerit. Pater autem eius iratus, & pro ſe & pro filio ſo rogaturus, ad memoriam beati Thomæ in Angliam perrexit, cui multam humanitatem exhibuit, cum in Gallijs exularet. Dedit autem idem rex ob amorem & honorem Dei, & beati Thomæ monachi, in Cantuarienſi eccleſia iugiter Deo famulantibus centum modios vini, ſingulis annis præfatis monachis accipiendos. Quo autem honore, quo gaudio, & quam multiplici donorum

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Anni Domini. |

donorum largitate rex Henricus eum ſuſceperit, non eſt noſtrum edicere.

Manuel imperator Conſtantinopolitanus vindicauit ſe hoc anno de Solimanno Iconij, qui anno ſuperiori illum fugauerat, & multos de militibus ſuis ceperat, inſuper & crucem Dominicam ei abſtulerat. Manuel enim imperator fugauit eum, & multos de militibus ſuis cepit, & ipſe Solimannus vrbem Iconij vacuam reliquit.

Ab anno præſente incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti 1179, in ſeptẽ annis, menſe Septembri, 12 indictione, Sole exiſtente in Libra, erit (ſi Dominus voluerit) coniunctio omnium planetarum in Libra & cauda Scorpionis. Ibi eſt admirabilis rerum mutabilium mutationis ſignificatio. Sequetur enim terræmotus mirabilis, & deſtruẽtur loca conſueta perditioni per Saturnum & Martem manentes in ſignis aeriis, & erit mortalitas & infirmitas. Oſtendit enim eadem coniunctio ventum validum, denigrantem aerem & obſcurum reddentem, & venenis infectum. Et in vento vox terribilis audietur, & terrebit corda hominum, & à regionibus harenoſis ſabulonem accipiet, harenis ciuitates proximas in planitie cooperiet, & primo ciuitates Orientales Meram, Baldas, & Babyloniam, & omnes ciuitates proximas arenoſis locis. Nulla quidem euadet, quæ arenis & terra non operiatur. Signa autem huius rei ſunt hæc, & præcedent: Erit eodem anno antequam planetæ conueniant, in Libra eclipſis Solis qua totum corpus eius obſcurabitur, & oppoſitione præcedenti Luna tota patietur eclipſin. Et erit eclipſis Solis ignei coloris & deformis, oſtendens Maiorum bellum futurum cum effuſione ſanguinis prope fluuium in terra Orientis ſimiliter & Occidentis. Tunc cadet dubietas inter Iudæos & Sarracenos, donec derelinquant penitus ſynagogas & Mahumerias ſuas: & eorum ſecta iuſſu Dei annihilabitur. Vnde vobis notum ſit, vt cum eclipſim videritis, à terra exeatis cum omnibus veſtris.

28 | 43 | Alexander papa tertius tenuit generale concilium Romæ me- | 25 | 1180
dia Quadrageſima, cuius decreta quæ ab eo & ab aliis coepiſcopis eius ibi conſtituta ſunt, apud nos habentur.

Manuel imperator Conſtantinopolitanus dedit Ramerio filio Wilhelmi principis Montisferrati filiam ſuam, natam ex priore vxore ſua. Quæ cum diceret, ſe nunquam alicui nupturam, niſi eſſet rex, imperator exhilaratus fecit ſe coronari, & vxorem ſuam, & Alexium filium ſuum iuniorem imperatorem cum vxore ſua filia regis Frãcorum. Similiter fecit coronari Minoum, filium Marchiſi Montisferrati, cum filia ſua quam ei dederat, & dedit ei honorem Theſſalonicenſem, qui eſt maxima poteſtas regni ſui poſt ciuitatem Conſtantinopolitanam.

Conradus frater eiuſdem Ramerij cepit, & incarcerauit Chriſtianum epiſcopum Moguntinenſem, & cancellarium imperatoris Alemannorum.

Rex Maroc, in cuius poteſtate eſt tota Africa, & etiam Sarraceni qui ſunt in Hiſpania, mittebat filiam ſuam, vt quidam rex Sarracenorum duceret eam in vxorem, quam Stolus & Galeæ regis Siciliæ inuenerunt, & adduxerunt ad dominum ſuum. Vnde rex lætus pacificatus eſt cum patre eius illa reddita, & pater eius reddidit regi Siciliæ duas ciuitates, ſcilicet Africam & Sibiliam, quas Sarraceni abſtulerant Wilhelmo regi Siciliæ patri iſtius regis.

Rex Hieruſalem, princeps ſanctus & honeſtus, à Deo flagellatus, (quia flagellat Deus omnem filium quem recipit) adiutus à Chriſtianitate tranſmarina, fecit caſtrum munitiſſimum & arte & natura ſuper fluuium Iordanem quod vocatur Vadum Iacob, vbi luctatus eſt Iacob cum Angelo, locum iocundum amœnitate nemorum, & pratorum, & piſcium, & molendinorum, & proximum ciuitatibus Belinas & Damas. Et quia Agarenis per hoc vadum tranſitus eſt in terram Chriſtianorum, illud quamplurimum odio habent.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Obiit Rogerus Vingornienſis epiſcopus Turonis, vir genere & moribus honeſtus, ſiquidem pater eius Robertus comes Glocceſtrienſis fuit filius primi Henrici regis Anglorum. Mater eius filia Roberti Beliſmenſis, & Robertus filius Hammonis, dominus de Torigneio fuit auus eius. Obiit Ægidius Ebroicenſis epiſcopus. Obiit Rogerius abbas Becci, vir religioſus, & honeſtus, & literatus, & timens Deum. Nullus prædeceſſorum ſuorum excepto ſancto Herluino primo abbate tanta fecit in Becco monaſterio, quanta ipſe. Eccleſia ſiquidem fere tota ædificata eſt tempore ſuo & dedicata, cuius pulchritudini nulla æquatur in tota Normannia. Fecit cameras cum caminis vnam ſuper alteram ad ſuſceptionem hoſpitum & perſonarum. Fecit etiam domum infirmorum ingentis pulchritudinis & magnitudinis. Meliorauit dormitorium in marceriis, in vitreis, & coopertura. Fecit & aquæ ductū, per quem adduxit fontem pulcherrimum de longinquo, qui diuiditur per officinas monaſterij. Fecit & conchā pulcherrimam ad recipiendam aquam, & tectum deſuper ædificauit. Maximam ſummam pecuniæ dedit Roberto comiti Mellenti, pro mercato quod fecit in villa Becci.

Tempore ipſius aſſumpti ſunt de Beccenſi eccleſia duodecim abbates ad regimen eccleſiarum, quorum ego qui hæc ſcribo ſecundus fui. Rexit autem monaſterium Beccenſe, triginta vno anno & decem diebus minus. Cui ſucceſſit Osbernus Prior Bellimontis, monachus eiuſdem loci. Iſti tres ſupra dicti, ſcilicet epiſcopus Wingornienſis, & epiſcopus Ebroicenſis, & abbas Becci, catarrho impediente in fata ceſſerunt.

Philippus filius Ludouici regis Francorum fuit coronatus in regem Rhemis à Wilhelmo Rhemenſi archiepiſcopo auunculo ſuo, & ſuffraganeis eius, in feſtiuitate Omnium Sanctorum. Et rex Anglorum ſenior miſit ei magna xenia in auro & argento de venatione Anglicana. Huic ſolemnirati interfuit iunior rex Anglorum cum magno comitatu equitum, qui tanta ſecum ex iuſſu patris ſui tulit, vt nullius nec in ipſa feſtiuitate, nec in ipſo itinere ſuſciperet procuratorem.

Decedente venerabili viro Guisleberto abbate Troarnenſi, ſucceſſit ei Durandus de Cuneruillus, monachus eiuſdem loci, & Roberto Fontanetenſi abbati ſucceſſit Robertus Prior ſancti Petri ſuper Diuam.

Obiit Walterius Cluniacenſis abbas, qui quamuis in eccleſiæ illius regimine parum vixerit, anno ſcilicet & dimidio; tamen eccleſiam illam maximis debitis oneratam de debito quatuor milliū marcarum exonerauit. Huic ſucceſſit Wilhelmus monachus loci, qui fuerat abbas in Rameſienſi, in Anglia. Hic fecit quoddam mirabile. Nam reſiduum debiti eccleſiæ Cluniacenſis quod erat quatuordecim millium marcarum, ex propriis theſauris quos adunauerat, & de mille marcis quas Henricus rex Anglorum ei dederat, ex maiori parte deleuit. Fecit & aliud mirabile. Priorem de Stallo depoſuit, qui ſolebat ducere in comitatu ſuo quadraginta equos, & iuſſit vt eſſet contentus tribus equitibus. Fecit & aliud mirabile. Quia ſepties viginti procurationes, quas Burgenſes ex conſuetudine habere ſolebant ex donis abbatum penitus deleuit.

Inito conflictu Chriſtianorum contra Salaadin, ex vtraque parte multi mortui ſunt, plures tamen de Chriſtianis, & magiſter templi captus eſt. Quē cum Salaadin vellet reddere pro nepote ſuo quē Chriſtiani captum tenebāt; magiſter templi noluit, dicens non eſſe conſuetudinis militum templi, vt aliqua redemptio daretur pro eis, præter cingulum & cultellum: & ita in captione mortuus eſt.

Aliud infortunium accidit noſtris. Nam Salaadin cum innumero exercitu obſedit caſtrum de vado Iacob, quod machinis & vi cepit, & milites tem-

Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Anni Domini.

templi qui intus erant, per medium ferris per latera scidit, alios qui erant inferioris ordinis, decapitauit, ipsum tamen castrum obtulit Salaadim quod reficeret, & munitum Christianis redderet, si vellent Christiani reddere ei nepotem suum, de quo supra diximus: quod vtrum factum sit, nondum scimus.

29|44| Henricus rex Anglorum tenuit curiam suam in Anglia ad Nativitatem talem apud Notinguehan. |26| 1181

Wilhelmus abbas Cluniacensis in crastino Epiphaniæ obijt apud Charitatem, vir plangendus de bonis quæ fecit in ecclesia sua, sed parum vixit, duobus fere annis.

Obijt Richardus abbas sancti Audoeni: cui successit Sanson vir venerabilis, Prior sancti Stephani Cadomi, Richardus de Humez Connestabularius regis, cũ religiose vixisset vno anno & dimidio in abbatia de Alneto, quam ipse ædificauit, obijt, relinquens filios suos hæredes suæ terræ, scilicet Wilhelmum, Emorannum, Iordanum.

Anno Verbi incarnati 1181, episcopatus Alexandri papæ 22, Rotroldi Rothomagensis archiepiscopi 16, tertio non. Mart. dedicata est ecclesia sanctæ Mariæ de Voto, sita in territorio Rothomagensi in honore eiusdem genitricis Dei Mariæ à domino Henrico Baiocensi episcopo: assistentibus episcopis Richardo Abrincensi, & Remaldo Bachoniensi, astante illustri rege Anglorum Henrico, Matildis imperatricis filio, anno regni sui 27.

Ludouicus rex Franciæ cum incidisset grauissimam ægritudinem; Philippus iunior rex, filius eius, (nescio quo consilio ductus) sacramento se obligauit, quod duceret loco & tempore filiam Balduini Comitis Flandrensis. Et ipse comes concessit ei, quod post mortem suam haberet in hæreditatem comitatum Flandrensem, quamuis idem comes haberet masculos hæredes de prædicta sorore comitissa Haenacensi. Et hoc fecit idem rex sine consilio reginæ matris suæ, & auunculorum suorum, Wilhelmi Rhemensis archiepiscopi, Henrici comitis Trecensis, Theobaldi Carnotensis, Stephani Sancerriensis, & aliorum amicorum suorum. Vnde illi commoti requisierunt auxilium Henrici regis Anglorum senioris contra nepotem suum, iuniorem regem Francorum, Philippum.

Balduinus abbas Fordensis, Cisterciensis ordinis monachus, magnæ religionis & literaturæ homo, electus est ad episcopatum Wigornensem.

Obijt Robertus abbas Glastoniæ.

Obijt etiam Ioannes episcopus Cicestrensis, cui successit Sefridus canonicus eiusdem ecclesiæ.

Ante Pascha transfretauit rex Henricus senior in Normanniam, & tenuit curiam suam in festiuitate Paschæ Cenomani.

Obijt Wilhelmus abbas Cadomi, & successit ei Petrus sacrista monachus eiusdem loci.

In die Ascensionis Dominicæ Philippus iunior rex Francorum fecit consecrari in reginam vxorem suam, & coronati sunt ipse & ipsa ab archiepiscopo Senonensi, vnde magis iratus est archiepiscopus Rhemensis, qui coronauit eum in regem.

Obijt Guarinus de Girardo archiepiscopus Bituricensis, qui prius fuerat abbas Pontiniacensis.

Obijt Ioannes episcopus Carnotensis, qui descripsit passionem beati Thomæ, Cantuariensis Archiepiscopi & martyris: fuerat enim cum eo conuersatus in exilio.

Theobaldus prior Crispeij, monachus Cluniacensis, successit Wilhelmo abbati Cluniacensi.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Obijt Iugerrannus de Humeto, filius Richardi de Humeto, cui succes-
sit filius eius Richardus, natus ex filia Vuillermi de Similcio.

Obijt vir plangendus, charissimus meus Gaufredus de Monteforti in
Britannia, cui successit filius eius, natus ex filia Rualendi de Saie.

Rex Hierosolymitanus Balduinus dedit sororem suam cuidam optimo
militi fratri Gaufridi de Lizeno: quam prius habuerat Wilhelmus filius Mar-
chisi de Monte ferrato, ex qua suscepit filium, qui seruatur & nutritur ad su-
scipiendum regnum Hierosolymitanum, si vixerit.

Obijt Ludouicus rex Francorum, vir religiosus & timens Deum, & se-
pultus est in quodam monasterio Cisterciensis ordinis dicto Barbeel, quod
ædificauerat: cui successit filius eius Philippus, sicut iam supra diximus.

Gaufridus filius naturalis Henrici regis Anglorũ senioris, relicta eccle-
sia Lincoliensi ad quam electus fuerat, factus est cancellarius regis patris sui.

Obijt Manuel imperator Constantinopolitanus: & successit ei Alexius
filius eius natus ex sorore Raymundi principis Antiochiæ. Hic duxit filiam
Ludouici regis Francorum.

Mausamuz rex Malsamutorum, qui fere dominatur toti Africæ, reædi-
ficare cœpit Carthaginem antiquam; adiutus ab omnibus Agarenis quiter-
ram illam incolunt.

Obijt Solimannus Iconij, qui multum Christianos diligebat, & multa
bona faciebat, & successit ei frater eius.

Erat quidam prædiues Burgensis in loco qui dicitur Roca Amatoris, à
quo monachi ecclesiæ sanctæ Mariæ & sancti Amatoris mutuo acceperant
pecuniam, tradentes illi in loco pignoris cortinas illius ecclesiæ. Imminente
autem festo genitricis Dei & virginis Mariæ, rogauerunt prædicti monachi
Burgenses, vt quas habebat apud se cortinas, ad adornãdam ecclesiam, tantæ
solennitatis completo tripudio ei restituendas, eis accommodaret. Ille vero
aurem cordis habens obturatam, nulla quidem prece flexus est; sed respondit
eis cum timore animi dicens, quod essent cortinæ illæ circa lectum coniugis
suæ, quæ nuper ei puerum pepererat, nec aliquatenus inde possent amoueri.
Quid multa? Transijt festiuus dies, & ecclesia præfata ornatum suum festiua-
lem non habuit. Sequẽti vero nocte beata Maria mater Domini nostri appa-
ruit in somnijs vxori prædicti Burgensis, & dixit ei, vir tuus peccatum grande
commisit: nec poterit impietatis excessus derelinqui impunitus. Tertia enim
die infans tuus spiritũ exhalabit, & vir tuus debitum morti soluẽs, in die octa-
ua mutabit hanc temporalem felicitatem supplicijs ęternis. Tu autem profi-
ciscere ad ecclesiam meam quæ est in Bethleem, & circumspectis ibi tribus se-
pulchris, quorum quidem duo extrema vacua non sunt, medium tibi eliges
in sepulchrum. Interim omni feria quarta circa horã nonam deficiet in te spi-
ritus tuus, & decurret ab ore tuo & naribus sanguis multus, & vsq; ad horam
nonã sabbati veluti mortua permanebis. Sabbato hora nona spiritu redeun-
te, duces vtrasq; manus tuas per faciem tuam, & continuo pristinus color &
fortitudo in te remeabunt. Hæc loquuta est beata Maria, & abscessit. Mulier
vero præ timore turbata euigilauit, & ruminans somnium suum cum magna
solicitudine illud memoriæ commendauit. Crastina autem illucescente die,
cœpit somnium suum coniugi suo per ordinem narrare. Miser sermonibus
eius non adhibuit fidem: nec etiam cum videret spiritum deficere in puero,
de agenda pœnitentia cogitatum habuit, sed morte præuentus in die octaua
iuxta prędostensam visionem in supplicium lapsus est gehennale. Perturbaba-
tur mulier in alterutrius nece: & omnia sicut per somnium monstrata fue-
rant, in se nihilominus intelligens accidisse, Romam sub festinatione profi-
ciscitur, & rem summo reuelat pontifici. Præterea constanter asseruit, quod
in §

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | Anni Domini.

in quinto anno ab illo maxima fames ingrueret, quod ex corruptione aeris innumerabilis hominum multitudo moritura esset, & quod clerum Romanum grauis animaduersio ferret, nisi ab exercitio doli resipiscerent, sub quo à multis retro temporibus vsq; in hodiernam diem laborauerunt. At dominus papa volens manifestius scire, si sermones mulieris veritati inniterẽtur, commendat eam duodecim nobilibus matronis, dans illis præceptum, vt cum illa in mortem obdormiret, plantis eius calentes subulas infigerent, & de sanguine ab illius ore manante vestes suas inficerent. O rem mirabilem! Quarta feria, sicut prædixerat, hora nona, mulier expalluit & mortua est, ita vt nullus in ea vitalis remaneret spiritus, & ab eius naribus cepit defluere sanguis copiosus. Sed matronæ præceptorum domini papæ non immemores, pedibus mulieris calentes subulas infigunt; nec ob id illa mouetur. Insuper de sanguine eius vestimenta sua tingunt: sed omnis infectio facta per sanguinem in sabbato nunquam comparuit, cum spiritus vitæ in mulierem remearet.

Henricus senior rex Anglorum tenuit curiam suam in Natali Andegauis.

Radulphus de Venneuilla archidiaconus Rothomagensis renunciauit cancellariæ regis, & rex dedit ei terras magnorum reddituum.

Gaufridus filius regis electus Lincolien. factus est cãcellarius regis, & renunciauit electioni Lincolien. Et rex dedit ei magnos reditus in Anglia, & Normannia, & Andegauia.

Ioannes filius Lucæ, clericus regis, electus est in episcopum Ebroicensem.

Guihenoch archidiaconus Redonensis electus est ad episcopatum Venetensem.

Abbas sancti Remigij Remensis nihilominus electus est ad episcopatum Carnotensem.

Obijt Henricus comes Trecen. & successit ei Hẽricus filius eius, natus ex filia Ludouici regis Francorum.

Obijt Simon comes Ebroicensis, & successit ei in comitatu Ebroicensi in Normannia Amalricus filius eius, & in comitatu de Roca: & in terra Franciæ Simon alter filius eius.

Circa Pascha Alienora filia regis Anglorum, vxor Asulphi regis de Castella, peperit filium, & vocatus est Seuchius: pepererat etiam ante filiam vnam.

Priorissa de fonte sancti Martini, mulier religiosa & magni generis, vtpote soror abbatis Saniguei, qui fuit nepos Simonis comitis Ebroicensis, facta est abbatissa sanctæ Trinitatis Cadomi.

Circa finem mensis Iul. Henricus rex senior transfretauit in Angliam.

Gaufridus dux Britãniæ filius regis Henrici desponsauit vxorem suam, filiam Conani comitis Britanniæ.

In solennitate Paschæ apud castrum quod dicitur mons aureus, quædam mulier infamis cum acciperet corpus Domini nostri IESV CHRISTI in ore suo, non glutiuit illud: imo tulit & posuit in arca sua inuolutum panno lineo. Cum autem quidam iuuenis amasius eius aperuit eandem arcam, inuenit hostiam dominici corporis transmutatam in effigiem carnis & sanguinis. Hoc etiam accidit in quadam villa abbatis sancti Petri Carnotensis cuidam sacerdoti, cum teneret corpus Christi manibus suis ad Missam.

Simile miraculum accidit iterum in Carnotensi episcopatu, tempore Roberti episcopi Britanni, quod quidam rusticus posuit corpus Domini in ora capæ suæ, & ibi seruauit illud vsq; ad mortem suam, & tunc ibi inuentum est in specie carnis.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Idem miraculum accidit cuidam mulieri in Flandria, quod cum posuisset in cista sua, postea inuenit in effigie carnis.

Similiter euenit in Andegauensi ciuitate. Cum quidam sacerdos cantaret Missam, puer paruul⁹ intererat Missæ, & vidit idem puer puerum paruum pulcherrimum in manu sacerdotis, sacrantis corpus Domini: qui protinus exiuit foras ecclesiam; clamans omnibus quos inuenit, & dicens, Venite & videte mirabilia Dei. Et intrantes ecclesiam nihil viderunt præter speciem panis.

Hoc etiam accidit cuidam sanctissimo presbytero iuxta Fiscannum, dum cantaret Missam in die dedicationis ecclesiæ sanctæ Trinitatis Fiscanni. Qui mittens diaconum suum vocauit episcopos, qui ad dedicationē conuenerunt. Et venerunt, & presbyter tulit in manibus suis in calice, ita vt erat reuestitus, & posuerūt illud in altari. Hæc fecit pietas Domini ad confirmandam fidem Sacramentorum suorum in nobis, in quos fines seculorum deuenerunt.

Mater Solidani de Iconio, veniens ad extrema, reuelauit filio suo quod semper celauerat, sc. quod esset Christiana; & rogauit eū, vt crederet in Christum qui est Dominus, & rex omnium seculorum, & quod amaret Christianos: quod ipse spopondit se facturum, sed dixit quod non auderet aperte credere in Saluatorem propter paganos. Dixit ei mater sua. Fili cū mortua fuero, fac mihi excelsam sepulturam, & pulchram sicut pyramidem, & pone super eam signum crucis Christi. Cui ille de luce se hoc facere nō posse respondit. Tu fac (inquit mater eius) de nocte. Quod & factum est. In crastino cum Agareni vidissent signum illud, indignati sunt contra principem, & volebant eum occidere. Tunc quidam ex ipsis subleuatus per machinas, conabatur deponere crucem, qui voluntate Dei corruit, & mortuus est. Similiter & alius interemptus est alia vice. Tertia die cum conuenissent multa millia hominum ad deponendum ædificium illud, inter quos erat vnus promptior ad deponendum illud; venerunt fulgura & coruscationes, & illo primitus perempto multa millia perierunt igne diuino. Tunc apparuit angelus Domini, & clarissimum signum crucis posuit super pyramidem illam: ex quo multi crediderunt in Christum, & adhuc crucem illam venerantur & adorant.

Arnulphus Lexouiensis episcopus cum per 40 annos eandem ecclesiam rexisset, & in ædificando ecclesiam & pulcherrimas domos laborasset: renunciauit episcopatui, & perrexit Parisios, suos dies dimidiaturus apud sanctum Victorem, in domibus pulcherrimis quas ibi ad opus suum cōstruxerat.

Radulphus de Vaneuilla archidiaconus Rothomagēsis, qui fuerat cancellarius regis, electus est ad prædictum episcopatum.

Anno superiori 1181, obijt Alexander papa tertius, ad cuius literaturā pauci de prædecessoribus eius infra 100 annos attigerunt. Fuit enim in diuina pagina præceptor maximus, & in decretis, & canonibus, & Romanis legibus præcipuus. Nam multas quæstiones difficillimas & graues in decretis & legibus absoluit & enucleauit. Dedit etiam ei Deus hanc gratiam, quod cum à beato Petro vsq; ad ipsum fuerint 174 pontifices Romani, tres tantum præcesserunt eum in numero annorum, quo Romanæ ecclesiæ præfuerunt. Beatus Petrus sedit 25 annis; Syluester primus 23 annis; Adrianus prim⁹ totidem. Iste Alexander 22. Hic etiam tenuit concilium Turonis anno Dominicæ incarnationis 1163, in quo Octauianum cum complicib⁹ suis anathematizauit. Cui concilio nos interfuimus. Item aliud concilium tenuit Romæ, anno incarnat. Dominicæ 1180. Ad hoc multæ conuenerunt tam ecclesiasticæ quam seculares personæ. Inter quas venit quidam ciuis Pisanus nomine Burgūdio, peritus tam Græcæ q̄ Latinæ eloquentiæ. Hic attulit Euāgelium sancti Ioannis

Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Anni Domini.

nis translatum ab ipso de Græco in Latinum, quod Ioannes Chrysostomus sermone homiletico exposuerat. Hic etiam fatebatur magnam partem libri Geneseos à se iam translatam. Dicit etiam, quod Ioannes Chrysostom⁹ totum vetus & nouum Testamentum Græce exposuit. Papa Alexander præfatus tres schismaticos, qui sibi in schismate inuicē successerant fere per 20 annos, sustinuit, scilicet Octauianum, Guidonem & Calixtum. Illis vero deficientibus in pace ecclesiæ vitam finiuit. Cui successit Hubaudus Ostiensis Episcopus, dictus Lucius 175 episcopus. Hic videlicet Ostiensis episcopus ex antiqua consuetudine ordinat & sacrat pontificem Romanum. Quæ consuetudo exinde accidit, quod martyrizato beato Sixto, & sancto Laurentio eius diacono, beatus Iustinus presbyter cum clero Romano elegit Dionysium in pōtificem Romanum, quem sacrauit Maximus Ostiensis episcopus Ex hac consuetudine exinde Ostiensis episcopus ordinat & sacrat Romanum pontificem, & habet pallium solummodo ad ea quę pertinent in ordinatione & consecratione Romani pontificis.

Eugenius papa coniunxit episcopatui Ostiensi Bolitrensem, & sic fecit de duobus vnum. Similiter fecit de episcopatu Portuensi, cui iunxit episcopatum sanctæ Rufinæ, faciens de duobus vnum.

Obijt Rogerius episcopus Eboracensis, vir literatus & industrius ad augendas possessiones terrenas. Ecclesiam principalem & domus episcopales, non solum Eboraci, verum in omnib⁹ manerijs suis, cum redditibus multum auxit, ac reædificando decorauit; in tantum vt Archiepiscopus Eboracensis archiepiscopatui Cantuariensi fere coæquetur. Multas diuitias, & non sibi profuturas reliquit.

Obijt Philippus Episcopus Rhedonensis, qui fuit primus abbas Claremontis Hic per reuelationem caput ecclesiæ Rhedonensis solo diruit: & in ea diruptione multas pecunias inuenit, ex quib⁹ cepit reædificare caput prædictæ ecclesiæ meliori schemate.

Obijt Hunifredus de Bohim positus in exercitu cum rege Henrico iuniore: quem exercitum præfatus rex in Franciam duxerat, coadiuuando partes Philippi regis Franciæ contra comitem Flandrensem.

Obierunt Henricus abbas Pratelli, & Guilelmus abbas sancti Michaelis, vlterioris portus monachi Becci.

Anno Domini 1181, tertio Idus hora nona diei, eclipsis Solis fuit: & erat pene tertia pars Solis obscurata, & ab initio eclipsis vsque ad finem, spacium vnius horæ æqualis, & 38 minutorum.

Eodem anno eclipsis Lunæ vndecimo Calend. Ianuar. scilicet feria tertia, nocte sequente, hora tertia noctis, & paulominus quam medietas obscurata, & durauit obscuritas fere per duas horas.

Anno Domini 1175, bis visa est eclipsis in Luna: primo litania maiore, hora prima noctis post diem ipsum Marci Euangelistæ: secundo 14 Cal. Nouembr. nocte sequente feria, tertia hora noctis.

Anno Domini 1168, vidimus eclipsin in Luna in nonis Martij nocte sequente, hora prima noctis. Eodem anno fuit eclipsis in Luna 4 Cal. Septem. Et eodem anno & mense, in Sole Idus Septembris circa meridiem toto fere obscurato.

Anno etiam 1179. visa est Luna eclipsari, 15 Calen. Septembr. post octauam horam noctis Dominicæ.

Anno 1180, fuit eclipsis in Sole, quinto Calend. Februarij, feria tertia.

Rex Henricus senior mense Martio transfretauit in Normanniam cum magna auri & argenti copia, paratus in adiutorium regis Franciæ, ad componendam pacem inter ipsum & comitem Flandriæ, sicut & fecit.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Obijt Mabilia comitissa Flandrensis absque liberis.

Andronius patruus imperatoris Constantinopolitani Alexij indignatus quod ipse duxisset filiam regis Francorum in vxorem, & multos Latinorum secum haberet sibi familiares, quia ipse erat Græcus, volebat eos abimperio eius exterminare. Conducens ergo Solidanum Iconij, & multos Sarracenorum, fraudulenter introierunt ciuitatem, & multos Latinos interfecit, & à Latinis multi Sarraceni interfecti sunt. Deo tamen volente, pax inter eos firmata est.

Ioannes Episcopus Pictauensis vir magnæ literaturæ & eloquentiæ, electus ad archiepiscopatum Narbonensem, cum Romam perrexisset propter prædictam benedictionem, annuente papa Lucio, clerici primæ Lugdunensis elegerunt eum in archiepiscopum Lugdunēsem, quæ sedes habet primatum super tres archiepiscopatus. Prima enim Lugdunensis, id est Lugdunum, est super Rhodanum. Secunda Lugdunensis super Sequanam, id est Rothomagensis. Tertia Lugdunēsis super Ligerim id est Turonis. Quarta Lugdunensis id est Senonis super Icanniam.

In hoc anno euenit bis vel ter terræmotus circa festum sancti Michaëlis.

Hoc etiam anno magna discordia facta inter regem & suos filios, propter castellum Clareuallis quod erat de feudo Andegauensi: & Richardus, comes Pictauensis, latenter firmauerat illud: & adhuc discordia perseuerat inter patrem & filios propter eandem causam.

Rex Henricus senior misit exercitum in Britanniam, & obsederunt turrem Rhedonensem, & ceperunt, & combustam reædificauerunt & munierunt. Propterea comes Britanniæ magnam partem ipsius ciuitatis combussit, & abbatiam sancti Georgij, & Becherel castrum Rollandi de Dinam.

Audiuimus à quibusdam, quod Ioanna vxor Wilhelmi regis Siciliæ, filia regis Henrici regis Anglorum, peperit ei filium primogenitum, quem vocauerunt Boamundum. Qui cum à baptismate reuerteretur, pater inuestiuit eum ducatu Apuliæ per aureum sceptrum quod in manu gerebat.

Et quia de filiabus domini mei regis Anglorum cœpi loqui, non debeo prætermittere regem de Castella, quem vocant Auforsum paruum regem, quia adhuc Ferrant patruus eius viuit. Qui si moreretur, Auforsus prædictus esset rex vniuersarum Hispaniarum. Hic Auforsus gratia Dei & virtute sua duxit charissimam Dominam meam & filiolam in baptismate in vxorem, Alienoram, filiam regis Anglorum, cuius consilio & auxilio multa bona ei acciderunt. Nam primum vrbem Conchas cepit, terrarum magnarum matricem, & (vt quidam dicunt) cepit Cordubam ex parte, & muniuit, & duas ciuitates regis Lupi, Valentiam & Muciam. Multa alia bona fecit, quæ ad notitiam nostram non peruenerunt. Tertio vero filiarum regis, id est Matildis, primogenita, nupsit Henrico duci Saxonum & Baioariorum & Sueuorum. Nec est aliquis homo qui tantas habet possessiones sicut iste, nisi fuerit imperator aut rex. Nam quadraginta vrbes habet & 67 castella, exceptis pluribus villis. Sed tamen cum esset proximus carne Friderici imperatoris Romanorum, ortis inter eos quibusdam simultatibus, consilio archiepiscoporum & Episcoporum regni Alemanniæ, qui habent fere omnes ciuitates in ditione sua; illius regni imperator exulauit eum. Quare venit in Normanniam ad regem Henricum, socerum suum cum vxore & liberis, & rex maximas expensas fecit pro eo quotidie, scilicet 50 libras Andegauenses, qui Deo auxiliante adhuc terram suam recuperabit per industriam, & fortitudinem & diuitias regis Angliæ.

1182 | 30 | 1 | Rex Henricus tenuit curiam apud Cadomum, & prohibuit, | 27 ne ali-

Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Anni Domini.

ne aliquis baronum teneret curiam, sed venirent ad suam. Prædictus Saxonum illo venit: & ibi conuenerunt mille milites, & eo amplius.

Obiit Ioannes Cartonensis episcopus, & successit ei Petrus, qui fuerat abbas sancti Remigij Remensis.

Obiit Galterus episcopus Runisensis, qui fuit frater Theobaldi archiepiscopi Cantuariensis, & successit Walerannus Baiocensis archidiaconus.

Obiit pater noster Richardus Abrincensis episcopus, vir magnæ literaturę tam secularis quam diuinæ, morum honestate virgo ab vtero laudandus.

Obiit Fulco Paganellus, & successit ei Wilhelmus filius eius.

Obiit Richardus abbas Montisburgi, & successit ei Robertus prior, & monachus eiusdem loci.

Ioannes Connum clericus regis Anglorum factus est archiepiscopus Dunelinæ in Hybernia.

Obiit Petrus Carnotensis episcopus, cuius loco electus est Rainaldus de Moucon, thesaurarius sancti Martini Turon. nepos comitis Theobaldi.

Galterius de Constantiis, factus epicopus Linconiensis, consecratus fuit à Richardo Cantuariensi archiepiscopo Andegauis, in capella domini regis, & in præsentia eius.

Obiit Henricus tertius charissimus dominus noster, iuuenis rex, filius Henrici secundi exellentissimi & illustrissimi regis Anglorum, apud castrum Marcel, tertio idus Iunij, infestiuitate beati Barnabæ apostoli; vir per omnia plangendus, non solum quod erat filius charissimi domini nostri Henrici, excellentissimi regis Anglorum secundi, verumetiam quia erat pulcherrimus facie, honestus in moribus, dapsilis in muneribus super omnes quos in nostra ætate vidimus, qui terram nondum haberet assignatam, quamuis pater eius quindecim millia librarum Andegauensis monetæ & eo amplius quotannis daret, sed hoc parum erat ad explendam latitudinem cordis eius. In officio militari tantus erat, vt non haberet parem, sed principes & comites, & etiam reges eum timerent. Veniens ad extrema, quia consilio prauorum hominum per bellum fere per annum Deum, & sanctam eius ecclesiam, & patrem eius offenderat; pœnitentiam recepit à quodam sanctissimo episcopo & multis aliis, & patri suo in extremis per literas mandauit, vt quod offenderat in Deum, & sanctam ecclesiam, pro eo emendaret, & matris suæ reginæ Anglorum, & vxoris suæ sororis Philippi regis Francorum, & militum suorum & seruientium misereretur, quibus multa promiserat, nec eis aliquid præuentu mortis dare poterat. Dispossuerat ante mortem suam, vt corpꝰ eius in ecclesia beatę Marię Rothomagensis sepeliretur, vbi iacēt primi antecessores sui, Rollo, & Wilhelmus Longaspata filius eius, duces Normannorum; Wilhelmus etiam comes patruus eius, vir per omnia plāgendus. Sed cum deducerent funus eius, Richardus Cantuariensis archiepiscopus, & multæ aliæ ecclesiasticæ personæ, & multi consulares & excellentissimi nominis viri, venerunt Senomanen, & in ecclesia beati Iuliani corpus eius posuerunt.

In castro Senomanensi maxime ciues sepelierunt eum in eodem loco contra voluntatem & appellationem eorum qui corpus eius deducebant. Quo audito, pater eius iratus nō solum pro eo quod corpus filij sui cōtra voluntatem eius ibi sepelierant, sed eo multo amplius, quod ab obsidione castri Lemouicensis recesserant sine licentia eius, ne dicam volūtate; iussit corpus effodi, & in ecclesiam Rothomagensis deferri. Vnde ab archiepiscopis Rothomagensi & Cantuariēsi, & episcopis Normanniæ & abbatibus, & aliis religiosis personis, ad sinistram patrem altaris beatæ Mariæ honorifice (sicut tantum virum decebat) tumulatus est.

Obiit venerabilis vir Albertus Aletensis episcopus, quem moderni de

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

ſancto Madomo vocant,cui⁹ epiſcopatus antiquitus ciuitas Alita vocabatur.

Magiſter Girardus cognomento Puella, vir magnæ literaturæ & honeſtatis,electus eſt in epiſcopatum Ceſtrenſem, qui epiſcopatus habet tres ſedes: Ceſtrenſem,Coneitenſem,Licifellenſem.

Henricus frater Ægidij de Folerio,nepos abbatis Fiſcanni, electus eſt ad archiepiſcopatum Bituricenſem.

Iterum Andronius expulit nepotem ſuum Alexium iuuenem imperatorem de vrbe Cõſtantinopolitana,& captum tandem demerſit in mare,ipſum, & matrem,& ſororem eius. Quibus de medio moriendo ſublatis, Andronicus qui tyrannide arripuerat imperium, præcepit primogenito filio ſuo Manueli,vt acciperet vxorem Alexij imperatoris defuncti, ſororem Philippi regis Francorum, & haberet cum eo dignitatem imperij Quod cum vir honeſtus renueret,proiecit eum in vincula,& accepit illam, & contraxit inceſtum coniugium,(ſi cõiugium vocandum eſt) & fecit coronari ſecum filium ſuum iuniorem Calo Ioannem.

Cum autem Latini occiderentur per crudelitatem iſtius Andronij, quidam cardinalis Romanæ eccleſiæ Ioannes nomine quem Romanus pontifex miſerat Conſtantinopolim, ad petitionem Manuel imperatoris qui erat vir religioſus, & volebat per prædicationem illius cardinalis reuocare eccleſiam Græcorũ ad inſtituta & ſubiectionem Romanæ eccleſiæ;hic, inquam, Ioannes cum Latini occiderentur,erat in hoſpitio ſuo, veneruntq; ad eum quidam religioſi viri ſuadere ei,vt diſcederet ne occideretur. Quod cũ audiret, dixit,Abſit hoc ne fiat:ego hic ſto pro vnitate eccleſiæ,& præcepto papæ Alexandri domini mei. Tunc irruentes in eũ Græci perfidi occiderunt eum,& ligantes canem cum eo,ita quod cauda canis eſſet in os eius,traxerũt per vicos ciuitatis,& facta fouea ibi combuſſerunt eum, & poſtea viri religioſi de fouea tulerunt corpus eius,& optime ſepelierunt illud, vbi fiunt crebro miracula.

Chriſtianus Moguntienſis archiepiſcopus obiit qui ſe non habebat ſecundum morem clericorum,ſed more tyranni, exercitus ducendo & brebẽſones: multa mala fecit eccleſiæ Romanæ, & hominibus ſancti Petri,& quibuſdam ciuitatibus Longobardiæ, quæ erant contrariæ imperatori Alemanniæ domino ſuo.

Obiit clariſſimus domin⁹ noſter Rotrodus Rothomagen. archiepiſcopus.

Obiit Vuilhelmus comes Clocceſtriæ ſine hęredibus,abſq; tribus filiabus; quarum vna eſt comitiſſa Ebroicenſis, altera vxor comitis Vuilhelmi de Clara;tertia eſt in manu Dei & domini regis,& cui voluerit dabit eam.

Wilhelmus decanus Baiocenſis electus eſt in epiſcopatũ Conſtantienſem.

Wilhelmus decanus canonicorum ſancti Petri de Curte, quæ eſt capella regis apud Cenomanenſis vrbem, electus eſt ad epiſcopatum Abrincenſem.

1183 | 31 | 2 | Rex Henricus tenuit curiam ſuam apud Cadomum. | 28

Obiit Richardus Cantuarienſis archiepiſcopus.

Obiit etiam Girardus, magnæ religionis & literaturæ vir, Ceſtrenſis epiſcopus.

Anno ſuperiori apparuit domina noſtra, mater miſericordiæ, ſancta Maria;cuidam fabro lignario opus facienti in quadam ſylua,& obtulit ei ligillum iconiæ ſuæ, & filij ſui,ſaluatoris noſtri,cuius ſic conſcriptio erat: Agnus Dei qui tollis peccata mundi,dona nobis pacem: & dixit ei,vt ferret illud ſigillum ad epiſcopum Podienſem,vt prædicaret in prouincia ſua, & aliis circumquaque,vt omnes qui vellent pacem tenere ſanctæ eccleſiæ & filiis ſuis, facerent huiuſmodi ſigilla,& portarent in ſignum pacis, & facerent alba parua capucia ad oſtentationem pacis & innocentiæ,& dato Sacramento pacem tenerent,& inimicos pacis deſtruerent: quod & factum eſt. Nã multi epiſcopi, & conſu-

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Anni Domini.

consules,& viri consulares, & mediocres, & pauperes hanc sectam tenentes, pacem tenent,& inimicos pacis persequuntur.

Obiit Wilhelmus de Vecit.

Obiit Wilhelmus de Lancastre,magnæ honestatis & possessionis vir.

32 | 3 | Rex Henricus tenuit curiam suam apud Cenomanensem. | 29 | 1184

Dominus noster Walterus,Liconiensis episcopus, factus est archiepiscopus Rothomagensis.

Lucius papa in capite ieiunij, id est feria 4 cinerum,ordinauit plures cardinales, inter quos magistrum Meliorem presbyterum cardinalem, quem etiam fecit camerarium suum,& electum Dolensem diaconum,& magistrum Radulphum Nigellum, charissimum amicum nostrum, magnæ honestatis & literaturæ & religionis virum.

Fridericus imperator Romanorum fecit ordinari vnum filiorum suorum non primogenitum,sed secundum,in regem Germaniæ.

Rex Anglorum Henricus sapientia & diuitiis suis acquisiuit sororem regis Portugalensis Hispaniæ,ad hoc vt fieret vxor comitis Flandrensis cogniti sui. Venit ergo ad comitem Flandrensem in abundantia auri & argenti. Huius pater licet grandæuus, adhuc viuit, qui in iuuentute sua super Agarenos adiutus ab Anglis & Normannis ciuitatem Vlixbonam quam vulgariter vocant Lissebone,ad quam transtulit de Valentia corpus beati Vincentij leuitæ & martyris, (vt quidam dicunt,sed Amonius monachus de translatione eiusdem corporis sancti martyris tempore Caroli imperatoris facta aliter loquitur) fecit eandem ciuitatē promissione papæ archiepiscopatum, cui subdidit sex alias ciuitates quas acquisierat.

Balduinus Wigornensis episcopus consecratus est in archiepiscopatum Cantuariensem.

Obiit Walerannus Rofensis episcopus,& capellanus archiepiscopus Cantuariensis,cui succedit Gislebertus archidiaconus Lexouiensis.

Hugo de Nonna, archidiaconus Lexouiensis, electus est in episcopatum Cestrensem.

33 | 4 | Petrus Girardus factus est episcopus Maclouiensis. | 30 | 1185

Magna discordia facta est inter Philippum regem Francorum, & Philippum comitem Flandrensem, propter comitatum Viromandensem. Sed rex Francorum ex omni potentatu suo congregauit infinitum exercitum,& coegit comitem,ad faciendam voluntatem suam.

Obiit Rogerius episcopus Sagiensis, qui multum emendauit matrem ecclesiam, & totum dominium suum: reliquit etiam immensas diuitias in auro & argento sibi non profuturas.

Obiit Robertus electus Montisburgi,& successit ei Wilhelmus monachus eiusdem loci.

Ioannes iunior filius regis Anglorum, quem vocant sine terra, quamuis multas & latas habebat possessiones & multos comitatus, transiuit in Hyberniam,gratia Dei permittente rex futurus in illa patria.

Obiit Robertus episcopus Nannetensis,vir magnæ honestatis, & amicus noster,cum rediret de Hierusalem.

Obiit Gaufridus Cornubensis episcopus.

Abbas Ponteniacensis factus est episcopus Atrebatensis.

Theobaldus abbas Cluniacensis factus est episcopus cardinalis Ostiensis, cui successit filius comitis de Claromonte. Hic prius fuit abbas cuiusdam abbatiæ ordinis Cistercensis. Inde translatus est ad abbatiam Flauiacensem. Inde exortis quibusdā causis,factus est abbas sancti Luciani martyris,primi episcopi Beluacensis ciuitatis. Exinde (vt diximus) factus est abbas Cluniacēsis.

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

Interim facta est magna commotio & concertatio inter Philippum regem Francorum, & Philippum comitem Flandrensem. Comes enim Flandrensis confusus pudore, quia fecerat voluntatem regis de comitatu Viromandensi, repletus ira & indignatione, vertit sed ad regem Germaniæ filium Friderici Romani imperatoris, vt iuuaret eum; & fecit ei hominium de Flandrensi comitatu, vnde magna tribulatio exorta est in toto regno Frãcorum.

Anno præterito obiit Balduinus rex Hierosolymitanus, vir honestus & religiosus, & potens contra Sarracenos, licet elephantiosus. Nec hoc mirum est, quia flagellat Deus omnem filium quẽ recipit. Huic successit nepos eius Henricus, natus ex sorore sua, cuius pater fuit Wilhelmus filius comitis Montisferrati, qui fuerat natus ex nepte Friderici imperatoris Romanorum, & postea comes Iopensis duxit matrem prædicti Henrici regis, qui seruat prædictum iuuenem regem & regnum eius, quousque perueniat ad perfectam ætatem.

Obiit Bartholomæus vir venerabilis, episcopus Exouiensis.

Obiit Iocellinus Salesberiensis episcopus.

Obiit Lucius papa Romanus, cui successit Imbertus Mediolanensis archiepiscopus, vocatus Vrbanus, tertius, papa Romanus 187.

Dominus Walterus Rothomagensis archiepiscopus impetrauit à domino Henrico rege Anglorũ, vt abbatia sancti Elesij quæ est in insula Grisolij, quam Guillelmus filius Hanni fecerat in eadem insula, consilio & auxilio domini regis iungeretur abbatiæ de Voto quæ est iuxta Cæsarisburgum, quam imperatrix mater Henrici regis ædificauerat. Erat autẽ tripliciter ditior tam in Normannia, quam in Anglia, quam abbatia de Voto. Erat autem vtraque de ordine canonicorum regularium. Facta est itaque abbatia de Voto mater & caput, habens & perenniter possidens abbatiam de insula, & omnia sibi pertinentia. Prædictus vero archiepiscopus Rothomagensis fecit in eadem abbatia abbatem suum capellanum, qui erat canonicus eiusdem ordinis. Quidam enim constabularius domini regis Henrici, Osbernus de Hosa nomine, qui castrum Cęsarisburgi cum patria quæ ad illum pertinet, custodiebat iussu domini regis Henrici; ędificauit in eadem abbatia de Voto domum pulcherrimam, officinas idoneas in se continentem ad opus suum. In qua post administrationem domini regis, quamdiu vixit, satis honeste conuersatus est. Ipse vero ante octo dies mortis suæ factus canonicus, permissione domini regis, eidem abbatiæ dedit 32 marcas auri; dedit etiam prædictæ abbatiæ centum libras Cenomanûm, ad augendas possessiones eiusdem abbatiæ; dedit etiam eidem abbatiæ 60 marcas argenti in plata, & totidem in vasis.

Prædictus archiepiscopus transtulit magistrum Wilhelmum Hubaudum, qui erat abbas Grestensis & monachus Becci ad abbatiam sancti Martini Pontisare, quamuis abbatia Grestem tripliciter esset ditior quã illa: sed propter affinitatem vel familiaritatem quam habebat erga illum, & quia erant compatriotæ; voluit ipsum habere iuxta se.

Dominus Henricus rex tenuit curiam suam ad Natale apud Donnumfrontem.

Henricus de Brachauilla superior Toarni factus est abbas Sagiensis.

Apud vrbem Parisiorum in quodam monasterio sancti Stephani protomartyris inueniuntur reliquiæ de capillis sanctæ Mariæ 32, brachium sancti Andreæ apostoli, caput sancti Dionysij martyris, eiusdem vrbis episcopi.

1186	34	5	
1187	35	6	Factum est prælium in Palæstina Christianorum contra paganos, in quo Christianorum mortui sunt mille 21 & quingenti homines.

Crux sancta à paganis capta, & Guido rex Hierosolymitanus, & tota terra

| Romanorum. | Francorum. | Anglorum. | Anni Domini.

terra Saladino est reddita, exceptis Tyro, & Tripoli, & Antiochia, & paucis aliis.

Eodem anno natus est Ludouicus filius Philippi regis Francorum.

Obierunt Osbernus abbas Becci, & Waltherius abbas sancti Wandregisili.

36 | 7 | Fridericus imperator cum multis suorum, Philippus rex Francorum, Henricus rex Anglorum, & Richardus filius eius, cruces acceperunt, vt subuenirent Christianis in Palæstina. Et factus est numerus signatorum magnus. | 33 | 1188

37 | 8 | Fridericus imperator egressus est de terra sua cum exercitu magno, vt subueniret Christianis in Tyro, & Tripoli, & Antiochia laborantibus, & vsque ad Antiochiam viam sibi & suis comparauit. | 34 | 1189

Eodem anno obiit Henricus secundus, rex Anglorum, filius imperatricis, 2 nonas Iulij, qui regnauit annis 34, mensib. sex. Successit ei filius eius Richardus, vir magnæ probitatis, vnctus in regem quarto idus Septembris.

1 | 9 | Obiit Robertus abbas Gemet. 4 idus Iunij.

Eodem anno pridie idus Iulij successit Rogerius cellarius. | 35 | 1190

Eodem anno Philippus rex Francorum, & Richardus rex Anglorum, cum multis millibus armatorum ingressi sunt de terris suis vt subuenirent Christianis in Palæstina.

2 | 10 | Richardus rex Anglorum, & Philippus rex Francorum, mare transierunt. Præcesserat eos Iacobus de Auennis cum 7 nauibus. Cuius auxilio rex Guido qui à captiuitate redierat, Acram vrbem iam obsederat. Erat autem cum eis dux etiam Campaniæ Henricus cum multis aliis. Rex Philippus ad obsidionem venit. | 1 | 1191

Rex autem Richardus, vir insignis probitate, Cyprum insulam armis intrauit & acquisiuit, dominum insulæ illius qui dicebatur imperator, cum filia eius, cum equo eius mirabili, & cum thesauris in ius suum redegit. Deinde cũ per mare veniret Acram, iuuenit nauem paganorum permaximam quam Dromontem dicunt, & cum omnibus quæ in ea erant, in profundum maris eam submergi fecit. Quæ si ad subsidium paganorum peruenire potuisset, sine dubio ciuitas capi non potuisset.

Eodem anno obiit Rogerus abbas Gemet. quarto calendas Nouembris, cui succesit eodem anno Richardus de Mara, eiusdem loci monachus, decimo septimo calendas Ianuarij.

3 | 11 | Acra ciuitas regibus Christianorum reddita est tertio anno ab eo quo obsessa fuerat. | 2 | 1192

Philippus rex Francorum mox rediit. Richardo vero regi Anglorum remanenti redditæ sunt vrbes, Iannia, Cæsarea, & Ascalon. Quo dum transiret, conflixit cum Sarracenis. Erat autem ipse semper in primo conflictu, portatores necessariorum in medio, Iacobus de Auennis in extremis. Igitur superuenientibus Sarracenis, Iacobus & nepotes eius in prælio ceciderunt. Richardus vero rex hoc audiens, magno dolore permotus, equo currente mox rediit, & omnes inimicos Dei in fugam conuertit.

4 | 12 | Richardus rex Anglorum rediens in terram suam, in terra imperatoris Alemannorum captus est à quodam duce Austrasiorum, & tandem traditus imperatori. Dum ibi captiuus teneretur, Philippus rex Francorum Gisortium & vicina ei castella per consensum proditorum cepit; Rothomagum quoque vrbem obsedit, sed eam capere non potuit. | 3 | 1193

5 | 13 | Distracti sunt thesauri ecclesiarum per totam terram regis Richardi, calices etiam fracti & venundati, & missa sunt precia eorum in Alemanniam pro redemptione regis Richardi, 130 millia marcarum imperato- | 4 | 1194

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

ri,cæteris vero infinitam pecuniam. Cumq; adhuc captiuus tenereretur, Philippus rex Francorum obsedit Rothomagum, sed capere non potuit. Ciues enim viriliter se defendebant, & cæteri Normanni eos adiuuabant. Vernolium quoq; obsedit, sed capere non potuit. Cumque adhuc castrum obsideret,venit rex Anglorum.

1195 — 6 | 14 | In Hispania pugnauerunt Sarraceni contra regem Castellæ,& facta est plaga magna tam Sarracenorum quam paganorum duobus diebus. Prima die neutri parti cessit victoria. Secunda die quædam pars Christianorum fugauit Sarracenos, reliqua pars circumenta est à Sarracenis & oppressa. Qui euaserunt,in Lardo castro se receperunt: & reddito castro & quibusdam aliis,ad regem suum tandem deuenerũt: & modico tempore pax fuit regibus Francorum & Anglorum.

1196 — 7 | 15 | Britones rebellauerunt contra regem Richardum sub nomine Arturi pueri,& coacti sunt ab eo dare obsides pacis. Eodem anno Philippus rex Francorum obsedit castrum quod dicitur Arbamarla, & cum graui damno suorum euertit. Richardus vero rex partem terræ suæ iam recuperauerat,sed eodem anno iterum amisit Nouamcourt.

1197 — 8 | 16 | Archiepiscopus Moguntiæ cum multitudine Alemannorum, & cum rege Hungariæ, & regina profectus est in Palæstinam contra Sarracenos,& obtinuerunt Baruc & quasdam alias vrbes, & regem Christianorum creauerunt Hannericum.

1198 — 9 | 17 | Ædificatum est castrum apud Andeliacũ perseuerante adhuc bello.

Eodem anno obiit Richardus abbas Gemet.in festo Fabiani & Sebastiani.

Et sequenti mense Februario, idibus eiusdem mensis, electus est Alexander abbas,qui prior fuerat eiusdem monasterij, prima Dominica Quadragesimæ consecratus.

Eodem anno rex Richardus in celebratione Gemetica fuit.

Eodem quoque anno ad petitionem Alexandri abbatis dedit Richardus rex ecclesiæ Gemeter.mercatum apud Duclarum,& chartam fieri præcepit: ipse pro excambio Pontis Archæ Touteuillam dedit.

Eodem anno archiep. & episcopi, & duces imperij,defuncto imper.suo,elegerũt imperatorem Ottonem,nepotẽ regis Richardi, fratrẽ Henrici ducis Saxoniæ. Richardus vero rex cum multis expensis eum ad imperium trãsmisit. O laudabilis viri laudabile factum,qui totum mundi imperium nepoti suo comparauit! Nondum tamen imperator nominatus est,sed rex tantum.

1199 — 10 | 18 | Obiit Richardus rex Anglorum cum dolore suo,octauo idus Aprilis,& sepultus est ad pedes patris sui apud Fontenallẽ. Cor illius exceptio eius Rothomagum delatum est, & honorifice sepultum. Regnauit autem satis laboriose annis decem. Successit ei eodem anno frater eius Ioannes,in Ascensione Domini coronatus. Hic Gemeticensi ecclesiæ reddidit Pontenarchæ, & Touteuillam resumpsit. Conuenerunt autem ad eum vna die 15 Comites: inter quos erant comes de Bar, comes Flandrensis,& comes Boloniæ,& omnes contra regem Francorum coniurauerunt.

1200 — 1 | 19 | Ioannes rex Anglorum pacem fecit cum Philippo rege Francorum, hoc modo. Dedit ei 30 millia marcarum argẽti,tria quoq; castella in Biturico, castellum Radulphi de Doloribus, Isodunum,& Crasseianni. Partem quoque Normanniæ quam præfatus Philippus rex occupauerat,ei in pace dimisit.videlicet Gisortium, Vernonẽ, Gaillonium, Pacceium, vrbẽ Ebroicensem cum omnib.pertinentiis suis, Ibreium,& Nouãcurtum. Neptem quoq; suam filiã regis Castellæ,honestissimam corpore & moribus virginem, Blandam nomine, Ludouico filio præfati regis Francorum in coniugem dedit, hebdomada Eodem Dominicæ Ascensionis.

| Romanorum. | | Francorum. | | Anglorum. | Anni Domini.

Eodem quoque die Philippus rex Francorum Ioanni regi Anglorum reddidit Arturum, nepotem suum, principem Britonum. Qui hominium patruo suo Ioanni regi fecit, & Britanniæ Armoricanæ ducatum ab eo accepit. Deinde præfatus rex Ioannes collecto exercitu aggressus est expugnare eos qui ei rebelles fuerant, in pago Cenomanico, Andegauensi, & Pictauensi; pacificatisq; ad votum omnibus Wasconiam intrauit.

Eodem anno obijt Wilhelmus filius Radulphi, Senescallus Normaniæ: cui successit Garinus de Glapium Senescallus.

Dominus papa Innocentius quadragesimum nummum reddituum ad subsidium terræ Hierosolymitanæ petijt.

Vrbs Rothomagensis cum ipsa matre ecclesia graui incendio corruit.

Rex Ioannes repudiata vxore sua filia Wilhelmi Mafouache comitis Claudiocestriæ propter manifestam generis propinquitatem, aliam duxit filiam ducis Engolismensis, & pacificatis ad votum omnibus, citra mare transiit in Angliam.

Eodem anno terra Roberti peregrini de Bosco Heroudi ad dominum Meticensem*, datis 40 libris Andegauensibus, & 40 solidis annui redditus.

Eodem quoq; anno obijt Albertus Damarturi comes, & sepultus est apud Gemet ante altare sanctæ Mariæ, vir apud Deum & homines valde clarus. Obijt autem 3 Cal. Octob. filius eius Reginaldus, comes Boloniæ: pro remedio animæ eius dedit Gemet. ecclesiæ vndecim libras annui reditus apud Iuliambonam, in perpetuam eleemosynam in feudo Vascher.

2 | 20 | Wilhelmus de Vado miles vendidit, vel potius accepta charitate 13 librarum & vnius equi albi in perpetuam eleemosynam dedit Deo & Alexandro abbati & monachis Gemet tertiam partem terræ quam habebat apud Duclarum, & vniuersa quæ ad terræ illius tertiam partem pertinebant, in hominibus, & oblationibus, & reditibus siue pertinentijs. | 2 | 1201

Eodem quoq; anno videlicet 1201, Rogerius Torel, miles illustris Vulcatiensis territorij, dedit ecclesiæ Gemet. in perpetuam eleemosynam apud Gisenneas 16 & dimidiam acras terræ arabilis, & 7. acras nemoris in manu Waltheri archiepiscopi reddidit. Archiepiscopus vero Alexandro abbati & monachis dedit, & chartam tam suam quam supra dicti militis fieri præcepit non solum de iam dicta donatione, sed & de omnibus quæ à prædecessoribus sæpe dicti Rogerij data nobis fuerant, vt deinceps tanquam pura eleemosyna per iustitiam archiepiscopi omnia tenerentur. Pro hac autem donatione Rogerius Torel accepit ab Alexandro abbate nomine charitatis triginta libras Andegauenses, & equum vnum album: à Wilhelmo vero de Lunda tunc cellario duorum militum vestimenta de Estanfort, sui videlicet & alterius militis.

3 | 21 | Anno verbi incarnati iterum bellum fuit inter regem Francorum Philippum, & regem Anglorum Ioannem, eo quod rex Ioãnes regi Philippo dare noluerit castrum rupis Andeliaci, & castrum Vallis Redolij. Et primo quidem impetu dissensionis, Philippus rex occupauit totam terrã Hugonis de Gornaio quæ Branum dicebatur: deinde multum laborauit in obsidione Radipõtis, sed non præualuit. Rursumq; multo labore obsedit castrum Arcarum, & nõ obtinuit. Misit etiam Arturum principem cum multo comitatu armatorum in Andegauensem pagum Qui veniẽtes illuc obsederunt in castro Miribel reginã Alienoram, matrem regis Ioannis. Quod audiens iam dictus rex Ioan. longissimo itinere citissime illuc veniens, hostes suos & matris audacter inuasit, debellauit, & vicit; ipsum Arturum & principes Pictauenses qui cum eo erant, & multos alios armis cepit, & diuersis carceribus reclusit; matrem suam liberauit; Andegauorum & Turonorum ciuitates in ius | 3 | 1202

Anni Domini.	Romanorum.	Francorum.	Anglorum.

ſuum redegit. Deinde veniens Rothomagum honorifice à ciuibus propter inæſtimabilem victoriam ſuſceptus eſt.

1203 4 | 22 | Hugo de Gornaio aperte defecit à rege Anglorum Ioanne, | 4
quod prius occulte feciſſe putabatur, & tradidit regi Francorum caſtrum Montisfortis, quod tamen non multo poſt debellauit & cepit.

Eodem anno Petrus de Mellento, filius Roberti comitis Mellentini, tranſiuit ad regem Francorum, & tradidit ei caſtrum Bellimontis, nec multo 10
poſt mortuus eſt. Et Hugo de Gornaio etiam à rege Francorum, vt manifeſtus proditor, amiſſa tota terra ſua, expulſus eſſe dicitur.

Eodem anno dum rex Ioannes in acquirenda dolo vrbe, & alijs quibuſdam occupatus eſſet; rex Francorum Philippus caſtrum Radipontis obſedit, & cepit, & Andream de Bellocampo militem fideliſſimum qui cuſtodiebat illud.

Æliza Bigereſla mulier nobilis eccleſiæ Gemeter, & Alexandro abbati ſe reddidit, & dedit octo arcas terræ, & duos hoſpites cum omni tenemento eorum, Robertum Trauelle, & Robertum Soliman.

1204 5 | 23 | Statim poſt Natalem domini caſtrum de rupe Andeliaci à rege | 5 10
Francorum Philippo obſeſſum, & captum eſt; rege Ioanne in Anglia commorante.

Eodem anno Philippus rex, commorante in Anglia rege Ioanne, occupauit totam Normanniam, & completum eſt illud vaticinium: Vtranq; inſulam amittet Neuſtria, id eſt Angliam & Hiberniam. Monaſteria theſauros dederunt regi Francorum: vnumquodque, quam ab eo extorqueri potuit: & expoliata eſt terra honoribus & diuitijs, quia munera ſola data ſunt Francis.

Eodem anno gelu grauiſſimum cepit nonis Decembris, & durauit & perdurauit fere continuum, vſque 12 Calendas Aprilis, fuitque hyems maxima, & impedita eſt ex parte ſatio, tam hyemalis quam vernalis, quia in toto 20
illo tempore non duobus continuis diebus arare vel ſeminare homines potuerunt.

Balduinus comes Flandrenſis & Hauienſis, qui cum multis alijs peregrinis de terra ſua egreſſus fuerat, vt ſubueniret Chriſtianis in Palæſtina, conſilio domini papæ Innocentij, tranſiuit Conſtantinopolim: & expulſis siue interfectis multis proditoribus, Romanæ eccleſiæ aduerſarijs, electus eſt imperator Conſtantinopolitanus, anno ſequenti, Dominica qua cantatur Iubilate, milleſimo ducenteſimoquarto.

1205 6 | 24 | Literæ Cæſarienſis archiepiſcopi venerunt Rothomagum, pro- | 6
teſtantes deſolationem terræ Hieroſolymorum, eo quod mortuus eſt filius 40
regis Henrici circa Purificationem beatę Mariæ, qui ſperabatur regnũ Chriſtianorum bene eſſe recturus. Sed & ipſe rex Hamericus primo die Aprilis mortuus eſt, & remanſit terra ſine rectore. Peregrini & fere omnes Conſtantinopolim ad Balduinum imperatorem tranſibant. Templarij & Hoſpitalarij vix ſe defendentes, dominium terræ adiudicauerunt cuidam puellæ, quæ fuerat filia marchionis de Monteferrato, & ſtatuerunt eam ſub cuſtodia cuiuſdam auunculi ſui. Pictauenſes duces, regi Francorum Philippo reſiſtentes, in multis præualuerunt, regis Anglorum Ioannis partes defendentes.

Hoc etiam anno Balduinus Conſtantinopolitanus imperator, alijq; multi occiſi ſunt à Ioanne de Blac in bello: & vir illuſtris frater eius Henricus rexit 50
imperium. Otto vero fortiſſimus rex Alemannorum pugnauit contra Philippum ducem Sueuiæ qui Coloniam obſederat, & vicit, hoſteſque ſuos alios fugauit, alios in ius ſuum captos reduxit, Coloniam liberauit, præda copioſa potitus eſt.

1206 7 | 25 | Rex Ioannes ab Anglia egreſſus pagum Pictauenſem intrauit, | 7
contra regem Francorum rebellaturus. Sed poſtea cum milites eius varias infir-

Romanorum.	Francorum.	Anglorum.	Anni Domini.

infirmitates incurrerent, facta pace ad tempus cum rege Francorum videlicet vsq; ad duos annos recessit. Rex Otto cum Philippo duce Sueuiæ de pace multa locutus, pacem facere non potuit, sed Coloniam relinquit.

8 | 26 | Rex Otto venit in Angliam, & quibusdam pactionibus inter- | 8 | 1207
positis cum rege Ioanne 30 millia marcarum argenti asportauit, & in Alemãniam rediit.

Rex Francorum Philippus mens. Maio manu armata (quamuis nemo resisteret) Rothomagum primo intrauit, & à ciuibus eiusdem vrbis multam pecuniam & multa donaria suscepit: deinde simili modo Vernolium venit, sed non intrauit.

Episcopus Suessonum cum magna multitudine Constantinopolim adijt.

Eodem anno obijt Walterus Rothomagensis Archiepiscopus 16 Calend. Decemb. sedit archiepiscopus annis 23.

Anno sequenti successit Robertus cognomento Pullus.

9 | 27 | Multi in Gallia cruces in pectoribus acceperunt, pugnaturi | 9 | 1208
contra Albigrisenses hæreticos.

1 | 28 | Otto rex Alemannnorum Romæ consecratus est imperator Ro- | 10 | 1209
manorum, quamuis Cardinales pauci, & pars aliqua senatorum contradicerent. Vnde in vrbe Roma fuit bellum tribus diebus inter partes.

2 | 29 | A Calen. Ianuar. gelu cœpit grauissimum, & perseuerauit vsque | 11 | 1210
per duos fere mẽses, ita quod satio hyemalis ex magna parte impedita & pericli tata est: & quod seminatũ fuerat de frumento, sic euanuit in multis locis, quod nec tantum colligi potuit quantum seminatum fuerat.

Eodem anno contra Albigenses hæreticos multi accipientes crucem in pectoribus profecti sunt Calend. Augusti.

Exercitus Philippi regis Francorum à Medunta exiens cõtra quosdam Britones profectus est.

SIGEBERTI GEMBLACENSIS CHRONOGRAPHIÆ, CVM APPENDICE ROBERTI Abbatis de Monte, Finis.

SIFFRIDI PRESBYTERI MISNENSIS EPITOMES LIBRI II.

LIBER PRIMVS.

De Martiano imperatore & Vandalis.

CCCCLVIII.

MARTIANVS imperator regere cœpit. Hic religiosus fuit, & egentibus multa beneficia præstitit. Huius tempore Vandali Romam ceperunt & spoliauerunt.

Abbas ordinis Cisterciensis in monasterio quod Volcoroda dicitur, situm in Turingia, trium virginũ corpora de Colonia Agrippina transtulit, effossa terra per Thymonem quendam, quæ illi erant in somnis monstrata.

De Simplicio papa.

CCCCLXV.

Simplicius papa à sancto Petro LI ordinatur. Hic constituit, vt nullus pōtifex sibi successorem constituat, sicut & sanctus Clemens instituit.

De rege Vandalorum Hunerico.

CCCCLXXVII.

Hunericus rex Vandalorum trecentos triginta tres episcopos catholicos & eo amplius exiliat, & quibusdam linguas amputat, qui tamen postea bene prædicarunt verbum Dei, sed vnus eorum propter fornicationem dono illo est priuatus.

De Athanasio imperatore, & de schismate Romano.

CCCCXCIII.

Athanasius imperator regere cœpit: & discordia magna Romæ facta est in electione papæ, quibusdam eligẽtibus Symmachum, quibusdam Laurentium. Igitur in illa discordia Romæ multa homicidia, tam ciuium Romanorum quam clericorum & sacerdotum, facta sunt: sed Symmachus prævaluit.

De Olympio Arriano.

Arrianus quidã Olympius, dum lauaret in balneo, & de fide sanctæ Trinitatis blasphemias loqueretur, subito igne" gladius de cœlo veniens ipsum interfecit.

De Anastasio imperatore.

Anastasius imperator hæreticus Arrianus, in flumine perijt.

De Erinfrido rege Turingorum.

Tempore Anastasij imperat. & Theodorici regis Veronẽsis, dux Turingorum fuit Erinfridus, qui in vxorem acceperat regis Francorum Theoderici filiam. Facta discordia inter eos, rex Francorum Theodericus bellum intulit duci Turingiæ Erinfrido fororis suæ marito, ipsumq; humiliare cupiens auxilium Saxonum postulauit, & stipẽdia tribuit quindecim principibus eorũdem. Saxones tum nondum possederant illam prouinciam quæ nunc Saxonia dicitur, terraque Turingiæ tunc ad fluuium Albim terminabatur, in ijs metis quibus nunc Magdeburga metropolis est constructa, quæ nondum erat ciuitas: & Saxones necdum fidem Christianam receperant, nec baptisma: eratq; tunc Turingia terra spatiosa, quæ à natione Francorum protendebatur vsque ad Oceanum contra septentrionem. In hoc prælio rex Fridericus, qui & Theoderic", vbiq; prævaluit tantum, vt captis munitionibus ducis, ipsum tandem multis exercitibus tam Francorum quã Saxonum vallauit in ciuitate quæ Schindingen dicitur, sita ad ripam fluminis quod dicitur Vngestrute. Cum ergo dux Erinfridus manus obsidentis effugere non valeret, ducissa, germana scilic. regis, misit ad regem Francorum flebiliter supplicans, ne sororem suam viduam fieri, & filios eius orphanos pateretur. Rex misertus sororis & filiorum, ipsorum precibus annuit, factaque pace, & portis ciuitatis apertis, ingressus ciuitatem, cum duce & populo cœpit amice conuiuari. Saxones autem in campis foris remanserunt. Quidam vero miles

lo miles ducis, Iringus nomine, tale consilium dedit regi & duci, vt, quia Saxones Turingis non promerentibus super ipsos stipēdia belli recepissent, ipsi pro eo merito reciperent talionem. Hoc consilio apud regem approbato, quidam venandi gratia ciuitatem exijt, consiliumq; Saxonibus detexit. Saxones irruētes in ciuitatem, regem & ducem, cum vniuerso populo qui in ciuitate repertus fuerat, occiderunt, deinde in reliquum vulgus Turingorum sæuientes, quidquid masculini sexus inter fluuios Albim & Vngestrute prostrauerunt, & sic illas partes Turingię vsque in hodiernum diem Saxones possederunt.

De Theodorico Veronense.

DXIX.

Iustinus Maior zelo fidei persequebatur Arianos, quos Theodoricus Veronensis qui imperium vsurpauerat, Romæ fouit: sed dicto Iustino, Papa Ioanne mediante, vtrobique ad tempus est cessum. Tandem Theodoricus Veronensis male perijt, in montem Ætnam detrusus.

De Iustiniano.

DXXVII.

Iustinianus imperator regnauit annis XXVIII. Hic leges per multa volumina diffusas compendiose collegit, faciēs codicem; multos ad fidem cōuertit, & multa bona fecit. Ipse etiam sententiam promulgauit, ne pagani vel hæretici militarent, dans eis tres menses induciarum conuersionis ad fidem.

De festo Ὑπαπαντῆς.

DLI.

Sub Pelagio Papa, & Iustiniano Imperatore, sumpsit initium apud Constantinopolim, vt Ὑπαπαντὴ Domini, id est, Purificatio beatæ Mariæ virginis solennniter celebraretur.

De Longobardis.

DLVIII.

Narses Patricius in Italiam Longobardos duxit. Longobardi quondam Vinuli dicti, de quadam insula Teutoniæ transmigrantes, terram sibi ad habitandum quærebant. Transeuntes autem Turingiam, cum & ipsi essent Teutonici, quēdam sibi Turingum in regem elegerunt. Inde castra mouentes ad Gallias profecti sunt, & ibidem quandam terram incolentes, per multos annos demorati, & inde rursus recedentes per Narsen Patricium in Italiam (vt iam dictum est) deducti sunt. Pugnaturi cum Italicis cæsariem mulieribus suis circa mentum ligabant, vt viri crederentur, quia tunc temporis viri barbam nutriebant. Quia ergo in illo congressu longis barbis vsi sunt, Longibardi sunt appellati à longa barba, quia in lingua eorum Longum dicitur *Lang*, Barba *Bard*. Isti quondam Mercurium coluerunt quem Gotham vocabant, vnde adhuc in Teutonico Deus dicitur Goth. Vinuli ergo, qui & Longobardi, magnā stragem facientes, Italiam expugnabant: quam extunc possederunt vsque in hodiernum, & Teutonici idiomatis obliti, Latini facti sunt.

De peste Romana.

DLXXXI.

Romæ pestis inguinaria fuit. Fuit autem pestis inguinaria apostema siue inflatura in inguine, tam sæua, vt homines in via, in mensa, in ludis, in colloquijs subito morerentur. Itaq; cum quis sternutabat, sæpe cum ipsa sternutatione spiritum exhalabat. Vnde cum aliquem sternutantem quis audiebat, statim accurrens, Deus te adiuuet, acclamabat. Et abinde adhuc cōsuetudo seruatur, vt cum aliquem sternutantem audimus, Deus te adiuuet, acclamemus. Rursus cum aliquis oscitabat frequenter & continuo, & subito spiritum exhalabat. Vnde cum aliquis se velle oscitare sentiebat, continuo signum crucis sibi imprimere festinabat, & hæc consuetudo vsque nunc seruatur.

De Mauricio imperatore.

DLXXXIII.

Mauricius imperium adeptus regnauit annis XX. Iste compulit beatum Gregorium electum in papam suscipere præsulatum, & tamen postmodo ipsum sanctum persequebatur.

De miro prodigio.

Quodam tempore Tiberis fluuius alueum egressus in tantum excreuit, vt super muros vrbis effluueret, & plurimas domos euerteret. Tunc etiam per Tiberim multitudo serpentum cum dracone magno in mare descendit, sed à fluctib⁹ præfocati, & ad littus proiecti, totum aerem sua putredine corumpunt, & sic plaga pessima quam inguinariam vocant, secuta est, ita vt etiam corporali visu sagittæ cælitus venire & singulos quosq; percutere viderentur.

De Cosdra rege Persarum.

DCXII.

Heraclius imperium est adeptus. Ipse fuit LXI imperator à Cæsare Augusto. Anno imperij sui III, permittente Deo flagellari populum suum per sęuitiam paganorum, Cosdras rex Persarum omnia fere regna terrarum suo imperio subiugauit. Ierusalem veniens à sepulchro Domini territus rediit, sed tamẽ partem crucis sanctæ quam Helena ibidem reliquerat, asportauit. Volens ab omnib⁹ coli vt Deus, currum ex auro interlucentibus gemmis fecit, & ibidem Solem, & Lunam, & stellarum imagines collocauit; per subtiles etiam & occultos ductus, quasi Deus, desuper aquam infundebat, & in specu subterraneo equi quadrigas trahentes in circuitu, vt quasi currum mouerent, & tonitru simularent. Filio igitur suo regno tradito, in tali fano profanus residet, & iuxta se crucem domini collocans, appellari se ab omnibus Deum volebat, & sicut legitur in libro naturali de officio, ipse Cosdras in throno residens, tanquam pater lignum crucis à dextris posuit, loco filij, & gallum à sinistris, loco Spiritus sancti: se vero patrem iussit nominari. Tunc Heraclius imperator exercitum copiosum collegit, & contra filium Cosdræ iuxta Danubium fluuium dimicaturus aduenit. Tandem vtrisq; principibus placuit, vt ipsi super pontem lapideum ibi confligerent, & qui victor existeret, ipse sine damno vtriusq; exercitus imperium vsurparet. Decretum etiam exijt, vt quicunq; principem suum iuuare præsumeret, cruribus & brachijs abscissis, continuo in flumine mergeretur. Et Heraclius totum se Deo obtulit, & sanctæ cruci se deuotione qua potuit, commendauit. Ambobus itaque in conflictu durantibus, Heraclio victoriam Deus tribuit, & cunctum exercitum suo imperio subiugauit, adeo vt vniuersus populus Cosdræ fidei Christianæ se subdiderit, & sacrum baptisma susceperit. Cosdras autẽ ignorabat exitum belli, quia cum omnibus odio esset, id à nemine ei intimatur. Heraclius improuiso ad eum peruenit, & in throno aureo eum sedere reperiens, eidem dixit, Quia lignum sanctæ crucis secundum modum tuum honorasti, si baptismum & fidem Christi susceperis, adhuc vitam & regnum acceptis à te pacis obsidib⁹, obtinebis: sin hoc implere contempseris, gladio meo te feriam, & caput tuum præcidam. Cum ille acquiescere nollet, extracto gladio eum protinus decollauit.

De impietate & cædibus.

DCXXXIX.

Constantius tertius, filius Heraclij regnare cœpit, sed quarto mense fraude nouercæ suæ Martianæ occisus est à germano suo Heraclona veneno. Heraclonas occiso fratre suo regnauit cum matre Martiana duobus annis. Tunc Constantis dicti Constantini filius, matrem & filium mutilauit narib⁹ & lingua, & per senatum imperat annis XXVII.

De Constante imperatore.

DCXLIX.

Constans imperator hæresim abdicauit, & Romam veniens ecclesiam S. Petri multis donis sublimauit, & Longobardos refrenauit. Ipse in Sicilia fraude suorum in balneo perijt, qui Mimum quendam imperatorem creant.

DCLXX.

Constantinus IV, Constantis filius imperium adeptus est, & Mimum interfecit.

De Iustiniano imperatore.

DCLXXXIX.

Iustinianus II, filius Constantini IV, imperium adeptus, regnauit annos 10. Hunc Leontius patricius, naso & labris mutilauit, & trib⁹ annis regnum occupauit. Tiberius autem Absmarus Leontio nasum amputauit, & in monasterium detrusit, & ipse regnauit annis 7. Tandem Iustinianus imperator verus, auxilio Tebelli regis Bulgariæ vtrunque cepit, & per plantas trahi præcepit, & eorum corpora calcauit, populo acclamante, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & sic decollati

collati sunt. Hũc Iustinianum Philippus, quem in pontum relegauerat, occidit, & regnauit anno vno. Ipse fuit hæreticus & adulter.

De Osualdo Anglorum rege.

DCCIII.

Osualdus rex Angiiæ, filius Achæ, sororis sancti regis Edmundi qui etiam pro fide occubuit, frater Osuini, patris Oslridę reginę Merciorum, vir fuit magnarum eleemosynarum. In die Paschæ ab Adriano episcopo Lindisfarnensi diuina audiẽs, cum linguã ignoraret episcopus, rex populo interpretabatur. Ea die dum multi pauperes confluerent, & omnia iam victualia essent distributa, discum argenteũ fecit confringi, & dari pauperibus. Cui episcopus cõgratulans, & manũ eius osculans dixit, Nunquam putrescet hęc manꝰ. Quod est factum, & permanet vsq; hodie. Die ac nocte diuinis vacabat, & aut supinis aut flexis manibus gratias agebat. Fratre suo Eanfrido ab impiis perempto, ducem Britonum cum multis super se venientem, ipse erecto crucis vexillo superauit, in loco qui dicitur Denisbruna. Nono igitur regni sui anno, ætatis vero XXVIII, à rege Merciorum qui per prædecessorem suum Eduinum peremerat in Maseruelldo, Osualdus orans pro salute animarum in prælio occubuit: cuius caput cum brachiis & manibus ignominiose stipite suspenditur. Corpus vero per supra dictam neptem suam Ostridam, in monasterio Eichelredo sepelitur. A fratre vero suo Osuino caput eius Lindisfarni, brachia & manus in regia vrbe conduntur.

De Theodosio.

Theodosius violenter coactus, suscepit imperium, & regnauit anno vno. Hic Anastasium imperatorem magno prælio vicit, & eum fieri clericum coegit, & presbyterum ordinari fecit. Similiter & ipse Theodosiꝰ postquam regnauit anno vno factus est clericus, & residuum tempus vitæ suæ in pace transegit.

De primo Moguntino archiepiscopo.

DCCXXVII.

Gregorius III, papa ordinatus, sanctum Bonifaciũ ordinauit archiepiscopũ Mogũtiæ, & ei pallium dedit. Nam Moguntina ecclesia antea fuit sub archiepiscopatu Wormatiense, sed archiepiscopatus trãslatus est à Wormacia in Moguntiam.

De diuo Bonifacio.

Bonifacius duos episcopos ordinauit, Burchardum & Willebaldum, & his curam sui ordinis impertiendo, alterũ Wurceburgi, alterũ Eichstete inthronizauit. Ecclesiam quoq; beatæ virginis in Erfordia cathedralem esse cõstituerat, sed suasu literarum papalium quod decreuerat renouauit. Tandem senio fessis membris consensu & consilio regis Pipini qui fratri suo Carolomano successerat, comitem olim peregrinationis suæ, Lullum successorem sibi destinauit. Eobanum quoque episcopum consecrans vrbi quæ dicitur Vtrecht, ad subsidium sui laboris præposuit, presbyteros diaconosque ordinauit, monachos per loca diuersa destinauit. Ex quibus præcipui fuerunt, Winteuig, Walther, Adelher: presbyteri, Haymund, Schirbald: diaconi, Wacher, Gindher, Hilleger, Bertolf. Hi coniuncti fuerunt vinculo charitatis & participio laboris, iuncti sunt etiam palma ministerij, & corona cœlesti. Willelbadus de Saxonia fuit oriundus, & à parentibus vsque ad triennium tenere educatus, subito ægritudine grauissima rapitur. Et cum desperaretur ab omnibus, vouetur à parẽtibus, vt eum faciant monachum, si dominus superstitem illum relinquat. Traditus igitur sacris studiis in cœnobio Waltheim, proficiebat acerrima scientia & religione. Factus iuuenis patrem adiit, eumque multis exhortationibus peregrinãdi laborem subire pro amore cœlestis patriæ persuasit, assumpto simul altero Wunebaldo germano. Itaq; mari transito Lucam in Hetruriam deuenerunt, vbi defunctum patrem terræ mandarunt. Egressus inde, in monte Cassino monachorum numero se sociauit, sed omnes laudabili conuersatione præcessit.

De Leone imperatore.

Leo II imperium adeptus regnare cœpit. Hic in Christianos & ecclesiam Dei impius & crudelis fuit, Domini saluatoris, & eius gloriosæ genitricis imagines, & aliorũ sanctorum in medio ciuitatis Constantinopolitanæ incendio tradidit, & multos Christianos qui non assenserant huic impietati, decollari fecit.

Beda presbyter venerabilis mortuus est in Anglia.

De Constantino, Leonis filio.

DCCXLII.

Constantinus V, filius Leonis imperatoris, imperium adeptus regnauit annis XXXIIII. Hic perniciosissimus erat, & recedens à Deo, ac insistens luxuriis, & magicis maleficiis, & sacrificiis idolorum, & inuocationibus dæmonum, & persecutionibus ecclesiarum, malisque variis supercrescens, non minus crudelis quam Diocletianus.

De Caroli Magni progenie.

Natus est Carolus Magnus eodem anno, de cuius genealogia hic aliqua sunt dicenda. Mortuo Pipino Grosso, qui fuit maior domus regni Francorum, Carolus Martellus filius eius tres filios reliquit, Carolomanum, Pipinum, & Grifonem. Regnum tunc Francorum ab Aquitania vsque ad Bauariam protendebatur: quod regnum à Priamo, nepote Priami Magni Troiani, mortuo apud Paduam, ab Antenore processit, sicut Romani ab Ænea, sed per Cæsarem subiectum fuit Romanis. Postea cum Valentinianus imperator quosdam populos qui Alani dicuntur, vincere non posset; fecit edictum, vt qui eos vincerent decem annos à tributo liberi essent. Vnde Teutonici huius gloriæ cupidi illos strenue delent, & inde Franci appellati sunt. Sed rex eorum Carolus Martellus Francos in duas partes diuisit: partem illam in qua Sequana & Ligeris, quæ Gaudiana dicebatur, currũt, Franciam & populos Francigenas, id est à Francis genitos, appellauit, & in Teutonico Kerlingen idiomate suo; alteram vero partem in qua Rhenus currit, Franconiam, cuius populi Franci dicuntur Pipinus filius Caroli Martelli duxit in vxorem Berchtam, filiam Heraclij, & genuit ex ea Carolum Magnum.

DCCL.

Pipinus pater Caroli vnctus est in regẽ à sancto Bonifacio, archiepiscopo Moguntino, iubente papa Zacharia.

DCCLXXXI.

Constantinus VI, filius Leonis Quarti, imperium adeptus, regnauit cum matre sua Irene annis XVII. Cumque opprimeretur ecclesia Romana à rege Langobardorum Haistolpho, nec inueniret auxilium ab ipso imperatore Constantino; Pipinus rex pater Caroli magni, Romanos ab Haistolpho liberauit, & factus est Romanus patricius, & multas gentes vicit. Interuenerat enim pactio inter papã & principes Teutoniæ, & Romanos, vt deuictis Langobardis, & aliis imperium vastantibus, imperium ad Teutonicos transferretur. Trãslatum ergo est ad eos, in personam Caroli Magni, filium regis Pipini.

DCCXCVI.

Leo IV, papa centesimus primus, est ordinatus: sedit annis XX, mensibus VI. Ipse vngit in regem & imperatorem Carolum Magnum, Pipini filium.

DCCCI.

Ab vrbe Roma condita MDCCLII, Carolus Magnus, Pipini regis filius, imperium adeptus, LXXVIII imperator à Cæsare Augusto, regnauit annis XLVI: quem Leo papa vnxit & consecrauit, & magnifice coronauit. Tunc à cuncto populo clamatum est in hunc modum, CAROLO MAGNO ROMANORVM AVGVSTO, ET PACIFICO IMPERATORI, A DEO CORONATO, VITA ET VICTORIA. Leo papa illi claues confessionis sancti Petri, & vexillum vrbis Romanæ, cum aliis muneribus misit. Carolus iste dilatauit fidem catholicam, fundauit monasteria & ecclesias: æquus fuit iudex diuiti & pauperi, ad eleemosynas largus, diuinis intentus. Cum igitur esset Christianissimus, & circa diuinum cultum sollicitus, rogauit magistrum suũ Alboinum, vt historiam & officium componeret de sancta Trinitate, vt per hoc errores emendarentur, & dubia discederet deuotio, & securitas fidei augeretur. Quibus peractis, cœpit festum Trinitatis à multis charius amplecti & peragi, maxime à Germanis & Gallis, quorum principum auctoritate fuerat ordinatum. Hic Carolus expugnauit Sclauos, & repulit paganos, vicit Saxones, subegit Vngaros. Longitudo eius octo pedum; facies eius palmum & dimidium habebat in longitudine; barba vnum palmum. Militem armatum, super equum sedentem, à vertice simul cum equo scindebat. Militem armatum, recte stantem super manum suam, à terra vsque ad caput leuabat sola manu. Leporem integrum, aut

aut duas gallinas edebat, vinum modicũ & lymphatum bibebat. In prãdio tantum ter bibit, in cœna raro. Corpore decorus, sed vultu ferus, vt scribit Turpinus archiepiscopus. In diebus dominicis & festiuis vtebatur regalibus vestimentis, ornatus sedebat, gladium super genua per transuersum ponebat.

De Caroli Magni filiis, & Ludouico primo.

Carolus imperator & semper Augustus, republica laudabiliter gubernata, tandem feciliter obiit Aquisgrani, & ibidem sepultus est in ecclesia gloriosæ virginis, quam ipse miro opere condiderat. Obiit autem regni sui XLVI, ætatis vero LXXII. Reliquit duos filios, Pipinum, & Ludouicum. Pipinus factus est rex Italiæ, Ludouicus Aquitaniæ. Hic post mortem patris sui Caroli imperium adeptus, regnauit annis XXV. Iste conuocato concilio magno Aquisgrani multa de statu ecclesiarum & religiosorum vtiliter tractauit: ipse etiam principes ecclesiasticos constituit. In isto concilio regula Canonicorum de diuersis patrum sententiis compilata fuit. Ludouicus hic fundauit Hildeshemium & Carbeiam, & reliquit tres filios, Lotharium, Carolum, & Ludouicum.

DCCCXXXVI.

Otharus archiepiscopus Moguntinus transtulit ossa sancti episcopi Erfurdiam.

De Lothario imperatore.

Lotharius Ludouici filius imperat annis XV: cui fratres eius Carolus & Ludouicus restiterunt, & graue bellum eidem intulerunt. Tanta autem vtrinque facta est strages, vt nulla ætas memineritantam aliquando fuisse in regno Franciæ. Tandem pacto inito Carolus regnat in Francia; Lotharius in Germania; Carolus in Italia, & parte Franciæ quæ abipso Lotharingia dicta est. Quod iste Ludouicus post patrem suum imperauit, nõ est intelligendum de imperio, sed de Germaniæ regno. Lotharius tribus filiis suis partem quæ ei obtigerat partitur; Ludouico Italiam cum nomine imperij; Lothario qui Placẽtiæ obiit, Lotharingiam; Carolo Prouinciam: & ipse monachus efficitur in Prumiensi monasterio. Eo tempore rex Hunnorum, id est Vngarorum, Stephanus nomine, Christianus effectus baptizatus est, cum magnatibus & populo regni sui.

DCCCXLI.

Gregorio papa defuncto, Sergius ordinatur. Iste vocabatur Bocca de porco, sed factus papa dicitur Sergius: vnde ab ipso vsque nunc semper mutatur nomen papæ. Ratio huius est, quia dominus nomen Simoni mutauit, vocans eum Petrum, quando ipsum ecclesiæ præfecit.

De Ludouico secundo.

Ludouicus secundus, filius Lotharij, imperat annis XXI. Hic regnum Siciliæ à Sarracenis purgauit.

Carolus frater Lotharij, qui litigauit anno vno & mensibus vndecim cum nepotibus, veneno interiit.

Ludouicus, frater prædictorum Lotharij & Caroli, reliquit tres filios, Carolomanum, Ludouicum & Carolum.

De secundo Carolo.

DCCCLXXVIII.

Carolus Ludouici filius imperium adeptus, & à Ioanne papa consecratus, regnauit annis XI, cum fratribus suis Carolomano & Ludouico. Ipse Normanos qui Galliam inuaserant, deuicit, & Gotfridum regem eorum de sacro fonte leuauit, eique filiam Lotharij Gallam nomine vxorem dedit. Iste Carolus deiectus est de regno, cuius frater Carolomanus de nobili fœmina reliquit filium, sed non legitimum, nomine Arnolphum, cui patruus suus Ludouicus defuncto patre dedit ducatum Carinthiæ, & castrum Moseburg. Vnde cum iam nullus superesset de genere Carolorum, principes Teutoniæ hunc Arnolphum imperatorem fecerunt.

De Arnolpho imperatore.

DCCCLXXXVIII.

Arnolphus Carolomani filius de quo iam dictum est, imperium adeptus regnare hoc anno cœpit. Huius confessio de corpore CHRISTI in sententiis legitur. At Guido dux Spoletanus à suis fautoribus rex in Italia nominatur, cuius filius Lambertus Romam veniens se imperatorem iussit vocari. Tunc Arnolphus Normanos qui Teutoniam inuaserant, annihilauit; Italiamque ingressus, Ber-

gotaum vrbem cepit,& comitem Ambrosium in furca suspendit. Vnde tota Italia territa se ditioni eius subiecit. Interim Lambertus qui se pro imperatore gesserat,moritur, & Longobardi Ludouicum filium Bosonis ad imperium inuitant. Eo tempore factum est prælium magnum inter Bauaros & Vngaros. Tum quoq; Vngari vastauerunt Saxoniam & Franciam. Dux quoque Turingorum Burchardus occisus est ab Vngaris.

De tertio Ludouico imperatore.

Arnolphus imperator anno xii regni sui moritur,cuius filius Gundelboldus regnum Germaniæ conabatur inuadere, sed occisus est: & Ludouicus frater legitimus regnauit annis x ii. His temporibus comes Albertus , nepos ducis Saxoniæ Othonis,comitem Conradum interfecit. Vnde rex Ludouicus eum in castro Babenberg obsedit. Cui Hatto archiepiscopus Moguntinus persuasit,vt se imperatori præsentaret,dãs ei dexteram,quod eum indemnem reduceret. Sed cum essent egressi; dixit comes , Bonum est redire & prandere: cui archiepiscopus annuit. Vnde cum postea sine alia securitate se regi obtulisset , sententiam capitalem accepit.

DCCCCXVII.

Ludouicus iii obiit. In isto Carolinorum reges & imperatores defecerunt.

De primo Conrado imperatore.

Posthæc Teutonici Othonẽ de Brunsuig,ducem Saxoniæ,regem sibi poscunt: sed cum esset senex , renuit. Consilio tamen eius electus est Conradus , filius comitis Conradi , quem prædictus comes Albertus nepos ipsius Othonis occiderat. Iste mortuus est anno regni sui septimo,& sepultus in Fulda.

DCCCCXXIII.

Hatto Mogũtinus deuoratus est à muribus , nec se in castris nec insulis potuit ab iis defensare.

De rege Henrico Aucupe.

DCCCCXXIV.

Henricus filius Othonis ducis Saxonię,regnum adeptus,regnauit annis xvii. Iste dicebatur Auceps, quia dum caperet auiculas,renitẽs electus est. Ipse lanceam sancti Mauricij , à duce Burgundiæ accepit,& à papa inuitatus, dum Romam iret confecrari,obiit,& sic imperium non obtinuit.Id sancto Vlrico in visione gladiusine capitello ostensum fuit.

De primo Othone imperatore.

DCCCCXL.

Otho filius Henrici regis Romanorũ imperiũ adeptus,regnauit annis xxxvi. Iste dictus fuit Otho Magnus. Fundauit archiepiscopatum Magdeburgensem. Vxor eius fuit regina Langobardica Adelheidis. Hæc circa Argentinam in littore Rheni fluminis, in monasterio Olsa,cum magna veneratione ab omni populo pro Sancta habetur. Iste Otho Aquisgranũ Mogũtino archiepiscopo Hildeberto coronatur. Pugnauit cum Vngaris qui Teutoniam inuaserant , & magna cæde prostrauit eos in campo qui dicitur Lechfeld.Ipse quoque contra Beringi tyrannidem, qui xxx annis regnum sibi Romanum extraordinarie vsurpauerat, à papa Ioanne iam supra dicto inuitatus per vallem Tridentinam Romam venit , & ab eodem papa Ioanne imperator consecratur. Tandem, postquam Rempub. bene rexerat , mortuus est in Turing a anno regni sui xxxvi.: deductus in Magdeburg ciuitatem metropolitanam Saxoniæ,ibidem honorifice sepultus est tempore Benedicti Quinti.

De secundo imperatore Othone.

DCCCLXXVIII.

Otho ii , Othonis Magni filius,imperium adeptus,regnauit annis ix. Iste nominabatur , Mors pallida Saracenorum. Huius vxor fuit Theophania imperatrix, quæ venit de Græcia. Iste imperator Otho magnum conflictum cum Sarracenis in Calabria habuit,& ceciderunt plurimi de exercitu imperatoris, sed & imperator vix euasit. Hic, dum Italici pacem sæpe violarent, Romam venit, & ante gradus ecclesiæ sancti Petri omnibus proceribus & magnatibus conuiuium magnum fecit: quibus lætanter epulantibus, omnes vndique armatis cinxit, & de violata pace mouens querimoniam, reos in scriptis iubet recitari: quos statim ibidem decollari

lari faciens, alios gratanter ad epulādum inuitauit. Hic defunctus Romæ sepultus est honorifice apud ecclesiam sancti Petri, tempore papæ Benedicti septimi.

De Othone tertio imperatore.

DCCCCLXXXVIII.

Otho III, Othonis secundi filius, imperium adeptus regnauit annis XII. Iste cognominabatur Mirabilia mundi, vocabatur etiam Otho Rufus. Hic cum esset apud Mutinam ciuitatem cum vxore sua; ipsa imperatrix cuidā comiti se prostituere voluit. Sed cum ille consentire nollet, illa indignata prędictum comitem apud imperatorem adeo infamauit, vt eum imperator sine audientia decollari præciperet. Qui antequam decollaretur, rogauit vxorem suam, vt iudicio candentis ferri post mortem eum comprobaret innocuum. Adest dies, in qua Cæsar se pupillis & viduis exhibebat iudicaturus. Affuit & fœmina, comitis secum caput habens, quæritque qua morte sit dignus, qui iniuste aliquem occidisset. Quo respondente, Capitis priuatione: illa ait, Tu es ille vir qui maritum meum ad suggestionem vxoris tuæ iniuste occidi mandasti. Quod dum illa per candens ferrum probasset, Cæsar in manus fœminę se tradidit puniendum. Interuentu tamē pontificis & procerum, decem dierum inducias, deinde octo, deinde septem, quarto sex à vidua accepit. Tunc imperator causa examinata & cognita, vxorem suam viuam cremari fecit, & dans viduæ quatuor castra vitam redemit. Castra hæc sunt in episcopatu Lunæ in Etruria, & vocantur ab induciis dierum, decimum, octauum, septimum, sextum.

Hic imperator Gregorium V in sedem Apostolicam constituit, qui prius Bruno vocabatur, è domo natus Saxonica, qui & imperatorem consecrauit. Nam Ioannes Placentinus Petri sedem inuaserat, & se gessit pro papa consilio Crescentij. Quapropter Crescētinus cum duodecim suorum decollatus est, & Ioannes pseudopapa excæcatus, de monte Tarpeio, in quo Capitolium, præcipitatur.

ANNO DOMINI M.

Imperator Otho III, cognomento Rufus, ossa Caroli Magni Aquisgrani à pluribus eousque ignorata inuenit.

M I.

Imperator idem Natiuitatem Domini Romæ celebrauit, & sequenti anno defunctus est, & Aquisgrani sepultus.

De sancto Henrico imperatore.

M I I.

Dux Bauariæ Henricus imperium adeptus, à Cæsare Augusto LXXXVIII imperator, regnauit annis 24. Huic desponsata fuit Cunegundis virgo nobilis, cum qua cælibem vitam ducens, cum virgine virgo remansit; totum se diuino cultui tradidit, veteres ecclesias reparans, nouas ædificans & ditans. Ipse fundauit Babinbergensem ecclesiam, quam & cathedralem instituit, & ciuitatem eandem ecclesiis, clero, & populo decorauit. Ipse etiam restaurauit ecclesias, Magdeburgensem, Merseburgensem, Misnensem, Hildesheimensem, Argentinensem, quæ à barbaris vastatæ fuerant; & in Hildesheimense, vbi à puericia enutritus & literis fuit edoctus, posuit episcopum sanctum Gothardum, qui in monasterio Heruelldensi abbas extiterat. Summam enim diligentiam Cæsar iste adhibens in amplificando cultu Dei, sedes episcopales & ecclesias & vniuersum regnum ditauit. Idem Augustus tradidit sororem suam regi Vngariæ Stephano, qui cum toto regno suo fidem Christi recepit, & dilectione Dei feruidus, & sanctis operibus & virtutibus clarus, pro regno transitorio elegit æternum. Idem imperator Henricus in Quedlinburg curiam suam celebrauit. Ibidem principibus conuocatis, ipsisque singulis & vniuersis id ipsum assentientibus, Poloniam & Bohemiam, cæterasque Sclauorum adiacentes regiones, quia nondum fidem Christi receperant, debellare disposuit. Victor sine effusione sanguinis gentes illas sibi subegit, gratias agens Deo cum suis. Apuliam à Græcis diu possessam recuperat Romano imperio. Poloniam ac Burgundiam sibi subegit. Rediens de Apulia infirmitate calculi cœpit laborare, & cum plurimum torqueretur, mira patientia sustinuit, Deoque ab isto morbo liberatus gratias egit. Anno ætatis suæ LII, imperij vero XXIIII, ipse sanctus Henricus Romanorum imperator & semper Augustus regnum tempo-

rali regi æterno resignans, cœleste regnũ feliciter introiuit. Denique multis splendens virtutibus & miraculis, regali honore sepultus est Babinbergæ in ecclesia cathedrali. Post discessum sancti Henrici glorioſi imperatoris, felix sponsa ipsius Cunegundis imperatrix, perpetuæ virginitatis obseruatrix, orationibus, ieiuniis, vigiliis, eleemosynis, & aliis sanctis operibus humiliter insistens, multis virtutibus claruit. Tandem feliciter ex hoc mundo trãsiit, & honorifice apud sponsum suum in Babinberga est sepulta.

De archiepiscopo Willegisio.

Tempore sancti Henrici imperatoris Willegisius archiepiscopus Moguntinus vigebat. Iste quia humilem progeniem habuit, & patrem qui currus & bigas facere solebat, in thalamo ornatis & grandibus literis hæc scripta habebat. *Willegis, Willegis, recole vnde veneris.* Hæc & in Teutonica lingua scripta erant. Appendebat etiam rotas, & huiusmodi instrumenta in pariete circumquaque, in quibus suam prosapiam recognoscebat. Adhuc vsque habentur duæ rotæ quasi aratri in vexillo, & vna in clypeo ecclesiæ Moguntinæ. Hic archiepiscopus in Moguntia maiorem ecclesiam, & sancti Albani ecclesiam construxit.

De episcopo Hildeshemense Gothardo.

Gothardus in Althachense monasterio nutritus, ibidem abbas factus ab Henrico imperatore per Willegisium Heruelden se regimen suscepit, & secundum sui nominis interpretationem lasciuos fratres durius increpauit: nam Gothard Dei durus sonat Germanice. Garense quoque & Cremẽse monasterium in cura habuit. Tandem ab imperatore ad Hildeshemẽsem episcopatum prouinciæ Saxoniæ vocatur.

De secundo Conrado imperatore.

M X X V.

Conradus dux Francorum regnum adeptus, regnauit annis xv. Hic descenderat de stirpe Clodouæi, & duxit Giselã de Webinlingen, neptem sancti Henrici imperatoris, vxoremq; Arnolphi ducis Sueuorum, quæ peperit Ernestum & Hermanum, & hinc peperit Henricum, qui Aquisgrani vnctus est in regem per Peregrinum Colonien sem archiepiscopum. Tempore huius Conradi, visa est in cœlo trabs miræ magnitudinis super Solem iam ad occasum vergentem, & ad terram cadere. Hic quosdam episcopos de Italia in vincula coniecit, & quia Mediolanẽsis archiepiscopus de vinculis fugit, suburbia Mediolani incẽdit. Die Pentecostes, cum idem imperator in parua ecclesia secus vrbem ad missam coronaretur; tam grandia tonitrua & fulgura facta sunt, vt aliqui mente excidere ̃t, aliqui spiritum exhalarent. Bruno vero episcopus qui Missam celebrabat, & secretarius imperatoris cum aliis dixerunt, se inter Missarum solennia vidisse sanctum Ambrosium, imperatori comminantem, nisi ab vrbe Mediolano discederet.

De comite Leopoldo.

Iste imperator Conradus 11 nulli violatori pacis pepercit: quamobrem comes Leopoldus, cum vxore solus, in sylua in quodam tugurio latitabat. In hac sylua dum Cæsar venaretur, dispersis suis post feras, nocte cogente in idem tugurium se recipit, cui hospita benigne ministrauit. Ipsa autem cum esset grauida, eadem nocte filium peperit, & vox ad Cæsarem tertio facta est, Hic puer gener tuus erit. Mane igitur dum suos reperit, præcipit duobus armigeris, vt puerum de manib. matris violenter reciperent, & per medium scindentes, cor eius sibi afferrent. Atilli iussa complentes, puerum de gremio matris rapiunt. Quem videntes formæ elegantissimæ; misericordia moti, super quãdam arborem ne à feris deuoraretur, deposuerunt, & scindentes leporem, cor eius Cæsari obtulerunt. Eodem die, dum quidam dux inde transiret, & puerum vagientem audiret, eum ad se adduci fecit, & dum filium non haberet, ipsum vxori attulit, & à se & vxore genitum esse finxit, & Henricum vocauit. Cum creuisset, erat corpore pulcherrimus, ore facundus, & omnibus gratiosus. Quodam tempore Cæsar cum duce conuiuatur, vidensque Henricum adolescentem decorum & prudentem, curiæ suæ ipsum assumpsit, & videns eum ab omnibus commendari,

mendari, cepit dubitare, ne post se regnaret, & ne iste sit quem occidi mandasset. Volens igitur esse securus, literas maninibus suis scriptas per eum vxori suæ dirigit, in hunc modum. In quantum est chara tibi vita tua, mox vt literas receperis, puerum hunc necabis. Dum igitur pergens in quadam ecclesia hospitatus fuisset, & fessus super bancum quiescceret, & bursa in qua literæ erant dependêret; sacerdos curiositate ductus bursam aperuit, & literas imperatoris sigillo videns munitas, ipsas saluo sigillo aperuit, & legens scelus abhorruit, & radens subtiliter quod dicebatur. Istum necabis; scripsit, Isti filiam dabis. Regina lectis literis principes conuocauit, & tradens ei filiam suam nuptias celebrauit. Quo audito, Cæsar ira fremuit, videnscq; ordinationi Dei non resistendum, à duce, à duobus armigeris, à sacerdote, & à matre pueri, veritate comperta lætanter eum generum suum & hæredem constituit.

De discessu Græciæ à Romana ecclesia.

MXXVIII.

Tempore imperatoris Conradi II, Ecclesia orientalis recessit ab obœdiētia sedis Apostolicæ. Imperator iste Conradus II, cognomine Salicus, obijt, & sepultus est in Spira.

De tertio Henrico imperatore.

MXL.

Henricus III, imperatoris Conradi II filius, imperium adeptus, regnauit annis XVII. Hic à suis nuptijs omnes histriones expulit, & quæ eis dari solent pauperibus distribuit; Petrum regem Vngariæ è regno expulsum restituit. Huius tempore tantum schisma in ecclesia fuit, vt tres in summos pontifices electi essent, quos tandem Gratianus presbyter, pecunia magna eis data, induxit, vt cederent; & sic ipse electus est. Imperator pro tanto schismate sedando Romam properans, apud Sutrium vrbem Gratianum obuiam habuit, qui ei coronam auream obtulit, vt eum propitium haberet. Cæsar primo cuncta dissimulans, conuocata synodo, Gratianum, qui & Gregorius dictus est, de Simonia conuicit, & eo amoto Suidgerum Babenbergēsem Episcopum substituit, qui Clemens II dictus est, à sancto Petro CLIX papa ordinatus, à quo ipse imperator & coniunx eius Agnes imperatrix Romæ imperialem consecrationem susceperunt. Ipse Clemens papa sepultus fuit in Babenberg. Hoc tempore erant quatuor papæ successiue & immediate de Teutonia sumpti.

De Leone Papa, nono.

MXLIX.

Hic Leo Papa dedit pallium Babenbergensi episcopo. Ipse etiam constituit, vt fiant claustra iuxta ecclesias ad disciplinam seruandam. Idem constituit, ne sacerdores aut monachi canes aut aues ad venandum sequerentur, neue turpia lucra sectarentur. Antiochia & Ierosolyma à Saracenis capta, hoc tempore à Christianis recuperata sunt.

De conflictu regis Henrici IV.

MLVI.

Rex Henricus IV, filius Henrici III imperatoris, conflixit in Turingia cum Saxonibus inter Hoenburg & Neilstete, & victi sunt Saxones. Quos cum secundo impeteret, dederunt se gratiæ. Rupto autem fœdere abduxit captiuos episcopos, Magdeburgensem & Halberstadensem, & Othonem quondam Bauariæ ducem, Magnum ducem Saxoniæ, & nouem comites. Eodem anno imperator Henricus, pater istius regis Henrici, defunctus est Leodij, & sepultus Spiræ cum patre suo Conrado imperatore: cuius exequijs interfuit Papa Victor, & patriarcha Aquileiensis, ac plurimi Episcopi, & nobiles.

De incendio Erfordiæ.

MLXXIX.

Ciuitas Erfordia incensa est à militib⁹ imperatoris Henrici, & monasteria sancti Petri, & sancti Seueri, cum multis qui eo confugerant, conflagrarunt.

De fundatione monasterij Pegauiensis.

MXCI.

Fundatio ecclesiæ Pegauiēsis inchoa-

tacst à Viperto marchione, præsentibus dominis, Hertuigo Magdeburgēte, Walramo Citicēse, & Albino Mersburgense episcopis.

MXCIII.

Eclipsis Solis facta est tertia diei hora, & draco magnus visus est.

De quinto Henrico imperatore.

Henricus quintus, quarti Henrici filius, imperium adeptus, regnauit annis XIV. Iste cum XV millibus militum venit Romam, & in gradibus sancti Petri à Papa Paschale, & à clero, & populo processionabiliter susscipitur. Ipse multa magnifica fecit, Spiræ obijt, & ibidem quiescit cum patribus suis. Super quatuor tumbas prædictorum quatuor imperatorum, videlicet Conradi, Henrici III, Henrici IV, Henrici V, vnus versus diuisim scriptus est, qui complectitur omnes tumbas in hunc modum, *Filius hic, Pater hic, Auus hic, Proauus iacet isthic.* Item hoc anno dedicatum est monasterium Pegauiense, VII Calen. Aug.

MCX.

Monasterium Reinsdorf à Viperto marchione consilio Othonis episcopi Babenbergensis fundatur.

De conflictu in Welfesholtz.

MCXV.

Imperator Henricus V conflixit cum Saxonibus in Welfesholtz, vbi multi ceciderunt, & imperator victus est, & post hoc obijt, & sepultus est in Spira.

MCXVI.

Fundatum est cœnobium Hallense, videlicet noui operis extra muros situm, à venerabili Archiepiscopo Magdeburgense Adelgoto.

MCXXIV.

Vipertus fundator monasterij Pegauiensis monachus factus, in eodem quieuit in pace.

De Lothario imperatore.

MCXXV.

Lotharius dux Saxonum, imperium adeptus, regnauit annis XIII. Hic fundauit monasterium Luther prope Brusuigam, & ibidem sepultus est. Vir omnilaude dignissimus.

De tertio Conrado imperatore.

MCXXXVIII.

Conradus III, nepos Henrici Cæsaris frater Friderici ducis Sueuiæ, electus est in regem Romanorum, adhuc viuente Lothario superius memorato. Tandem pace inter eos facta, Lotharius apud Veronam moritur, & apud Brunsuigam in monasterio Luther sepelitur. Conradus Aquisgrani à Theodeuino, Portuensee piscopo, apostolicæ sedis legato, coronatus, regnauit annis XV. Ipse mortuus est, & sepultus in Spira.

Hugo de sancto Victore, vir doctissim' & deuotus, moritur.

Eugenius III, monachus & diui Bernardi discipulus, factus papa constituit, vt studium in ecclesijs habeatur in Grammatica, & alijs artibus liberalibus, *ipse etiam* canonizauit imperatorē Henricum Babenbergæ, rogatu Conradi imperatoris, & prælatorum.

MCXXXIX.

Obijt sanctus Otho, Babenbergensis episcopus.

De principibus Turingiæ.

MCXL.

Landgrauius Turingorum Ludouicus obijt, cuius filius Ludouicus ab imperatore Conrado II principatum susscipit. Eodem anno fundata est basilica in valle S. Georgij. Nota quod primus Ludouicus, de quo Landgrauij Turingiæ nati sunt, vocabatur Ludouicus Dedus Barbatus: & ipse descenderat de genealogia Caroli Magni imperatoris. Et cum esset vnus de ducibus Sueuiæ, prælijs annihilatus in de cessit. Cum autem dudum duces Turingorum defeciissent, idem Ludouicus Barbatus susscepit principatum dictæ terræ, quæ tunc per plures distracta & vsurpata, cessauit dici ducatus. Sed vsque hodie princeps præfatæ terræ non dux, sed Landgrauius, quod Latine sonat Comes prouincialis, appellatur. Dictus Ludouicus primum ædificauit castrum Wartbergum in vertice montis excelsi, super ciuitatem Isenacum. Et ipse & filij eius, & filij filiorum, super sæpe dictam terram Turingiam, à tempore sancti

cti Henrici imperatoris, vsque ad tempora imperatoris Friderici II, per sex generationes principantur.

De Fridericoimperatore.

MCLIV.

Fridericus dux Sueuorum, frater Conradi Imperatoris, imperium adeptus, regnauit annos XXXIX.

De Petro Longobardo, & Gratiano.

Petrus Longobardus Magister floruit, qui quatuor libros sententiarum, & glossas Psalterij, & Epistolarum Pauli vtiliter compilauit, & Magister Gratianus Decretum. Beatus Bernhardus migrauit ad Christum.

Tres Lunæ in cœlo visæ sunt, & in media signum crucis: nec multo post visi tres Soles. Contra Alexandrum papam qui canonice electus fuit, duo alij eliguntur, & fauorib. imperatoris Friderici fulciuntur. Durauit hoc schisma aliquot annis. Intra quod tempus Teutonici, qui apud Tusculum pro imperatore morabantur, Romæ ab hora nona vsque ad vesperam tot millia hominũ occiderunt, quot nunquam antea à Romanis occisi sunt.

De Mediolano capto.

MCLXII.

Imperator Fridericus primus Mediolanum cepit & expugnauit. Tunc Reinaldus, archiepiscopus Colonienſis qui cum eo erat, impetrauit corpora trium Magorum qui Christo infanti munera obtulerunt, quæ Mediolani extra muros ante portam Romanam in ecclesia sancti Eustorgij seruabantur pariter, in vno sarcophago marmoreo. Quib⁹ impetratis, Coloniam gaudens secum tulit, & in ecclesia maiore honorifice collocauit.

De Nobilibus submersis.

MCLXXXIV.

Rex Henricus, filius imperatoris Friderici, primum venit Erfordiam, volens concordare Conradum archiepiscopum Moguntinum, & Landgrauium Turingiæ Ludouicum, discordantes. Cumque in cœnaculo residerent cũ nobilibus terræ, repente pauimento disrupto, multi in latrinam subtus existentem ceciderunt, videlicet comes Fridericus de Abinberg, comes Henricus de Suartzburg, comes Hassiæ Gotmarus, comes Fridericus de Kirchberg, Burchardus comes de Wartberg. Factum hoc V II Cal. Augusti.

De obitu Friderici imperatoris.

MCXC.

Imperator Fridericus I, vir catholicus, peregre vltra mare profectus, cum multa turba cruce signatorum militantium per desertum Romaniæ; postquam glorioſe triumphauit de inimicis Christi, in modico flumine, in quo balneandi gratia post meridiem descenderat, apud Armeniam in die Apostoli Barnabæ, multis præsentibus, casu submersus est. Huic successit filius eius, rex Henricus, eodem anno; & regnauit annis V II.

De tempestate magna.

Eo tempore tantæ pluuiæ cum tonitruis, & fulminibus, & tempestatib⁹ factæ sunt, quanta nulla memorat hominum antiquitas. Lapides ad quantitatem ouorum quadranguli, cum pluuia mixti de cœlo cadentes, arbores & vineas, & segetes destruxerunt, & multos homines occiderunt. Corui quoque & plures aues, per aerem in hac tempestate volantes, visæ sunt carbones viuos in rostris portare, & domos incendere. Henricus VI contra Romanam ecclesiam semper tyrannidem exercuit. Ipse veneno interijt, sepultus in Spira.

MCXCI.

Eclipsis Solis facta est in vigilia Ioannis Baptistæ.

De Philippo & Othone.

MCXCVIII.

Philippus dux Sueuorum, frater imperatoris Henrici V, in regem Romanorum electus est. Cui se papa Innocentius III oppoſuit, quia frater ſuus imperator Hẽricus, contrarius fuerat ecclesiæ Romanæ, ordinauitque papa, vt Otho filius ducis Saxoniæ Aquisgrani coronaretur.

SIFFRIDI PRESBYTERI MISNENSIS EPITOMES

LIBER SECVNDVS.

MCC.

CONRADVS Archiepiſcopus Mogũtinus obijt, pro quo eliguntur duo; Lutpoldus Wormacienſis Epiſcopus, & Siffridus Bingenſis præpoſitus.

MCCI.

Sancta Cunegundis imperatrix & virgo canonizata eſt ab iſto papa Innocentio III. Eodem anno vrbs Conſtantinopolis capta eſt, & ſpoliata à Chriſtianis pluribus rebus.

MCCII.

Rex Philippus à Papa Innocentio excommunicatur, & rex Otho ab eodem papa Romæ in imperatorẽ vngitur, & Siffridus Archiepiſcopus Moguntinus confirmatur.

MCCIII.

Dux Bohemiæ Turingiam vaſtauit, & iterum veniens in Turingiam, voluit cum rege Philippo confligere, ſed territus reuertitur.

MCCIV.

Rex Philippus in Turingia Veiſenſeham obſedit, & ducem Bohemiæ in regem primum coronauit in illo regno.

MCCVIII.

Rex Philippus Babenbergæ occiſus eſt à Palatino comite de Witligsbach, & in Spira ſepultus.

De ſecundo Friderico imperatore.

MCCIX.

Papa Innocentius III Fridericum II, filium imperatoris Henrici V, ad ſceptrum regni ſublimauit, adhuc viuente Othone imperatore, quem pridem idem papa excommunicauerat. Qui excommunicatus fuit vſque ad obitum ſuum; ſed in articulo mortis à prælatis abſolutus eſt. Fridericus II imperium adeptus regnauit annis XXX. Hic erat ingenioſus, ſtudioſus, & literarum ſcientia magnus; leges optimas pro libertate eccleſiæ & contra hæreticos edidit. Iſte ſupra omnes diuitijs & gloria abundauit. Tandem filios ſuos reges conſtituit ſuper diuerſa regna, videlicet Cõradum, Meinfridum, & alios. In diebus ipſius tam Latinorum, quam Teutonicorum, & aliarum nationum, prouinciarum multa pace, & tranquillitate, & abundantia gaudebant.

De Landgrauio Hermano.

Eo tempere Landgrauius Turingiæ Hermanus, filius Landgrauij Ludouici, mortuus eſt, & ſepultus in Iſenaco, in Eccleſia ſanctæ Catharinæ, monialium ordinis Ciſtercienſis; relinquens quatuor filios, Ludouicum, Henricum cognomine Raſponem, Conradum, Hermanum. Ludouicus duxit ſanctam Elizabetham, filiam regis Vngariæ in vxorem. Henricus Raſpo poſtmodo vnctus eſt in regem Romanorum. Conradus vero, ordinem fratrum domus Teutonicæ ingreſſus, factus eſt magiſter ordinis eiuſdem generalis. Hermanus mortuus eſt, cum eſſet annorum quindecim, & ſepultus eſt apud patrem ſuum Iſenaci.

MCCXII.

In Accarone cœpit ordo fratrum domus Teutonicæ. Eodem anno imperator Otho Wiſſenſeham obſedit.

De ſancta Elizabetha.

Regnãte imperatore Friderico II, claruit beata Elizabetha, regis Vngariæ inclyta filia, ſoror Belu, ex matre filia ducis Meranię. Hanc pater ſuus in annis infantiæ, exiſtentem trium annorum, deſponſauit illuſtri principi Ludouico, qui poſt patrem ſuum Hermanum terræ Turingorũ tenuit principatum, cuius proſapia de nobiliſſima ſtirpe Caroli Magni imperatoris originem traxit. Cum autem beata Elizabetha prædicto ſuo cõiugi Landgrauio Ludouico vnũ filium Hermanum nomine, & duas filias peperiſſet; cõtigit vt idẽ princeps Ludouic⁹ vna cũ imperatore Friderico, & multa militia cruce ſignatorum

torum ad terram ſanctam properaret, vt transfretãtes, eam terram quam ſaluator noſter ſui ſanguinis effuſione ſacrauerat, ipſi de Saracenorum manibus liberarent. Cum fines Appuliæ attigiſſent,& in ciuitate quæ Hydruntum dicitur, morarentur, dictus Landgrauius Ludouicus,Deo dilectus & hominibus, carnis debita ſoluens feliciter in Domino obdormiuit. Comites & milites oſſa domini ſui vtique militis Chriſti,inde tollẽtes,non ſine magno planctu & lachrimis ad terram Turingiam reuexerunt, & in monaſterio quod dicitur Reinhardbornum, ſepelierunt,anno MCCXVII. Beata Elizabetha, orbata ſponſo ſuo fidiſſimo, omnia quæ de dotalitijs habere poterat, quæq; de regia aula patris in auro,& argento,& ornamẽtis ſecum attulerat, in vſus pauperum cõuertebat; in ciuitate Haſſiæ quæ Martburgum dicitur,hoſpitalis iaciens fundamenta. Huius famula fuit Iſentrudis. Elizabethæ virtutibus & miraculis innumeris, coram Papa Gregorio IX, & ſenatu cardinalium examinatis & approbatis, ipſe ſummus pontifex conſenſu omnium & applauſu hanc glorioſam Elizabetham Sanctorum catalogo annotauit, anno MCCXXXV, in vrbe Peruſia. Sequente anno dum ſancta oſſa ipſi⁹ transferri deberent, multitudo cleri & populi innumerabilis ad tumbam eius ad ciuitatẽ Martburgum confluxit. Sed & imperator Fridericus cum epiſcopis, & prælatis, atq; principibus ibidem affuit,& coronam auream obtulit, multaq; priuilegia & donaria largiter tribuit. Translatione ergo ſolenniter peracta, ſinguli ad propria cum gaudio redierunt.

MCCXVII.

Imperator Otho obijt Brunſuigæ.

MCCXXI.

Beatus Dominicus migrauit ad Chriſtum, & ſepultus eſt in ciuitate Bononia. Eodem anno Iudæi in Erfordia occiſi ſunt.

MCCXXII.

Engelbertus Colonienſis archiepiſcopus occiſus à comite Friderico de Iſenberg,qui & ipſe in vltionem effuſi ſanguinis crurifragio interijt. Eodem anno Damiata à Saracenis reſumpta eſt.

MCCXXIV.

Tartari magnam multitudinem Ruthenorum proſtrauerunt,

MCCXXVII.

Imperator Fridericus cum multa turba cruce ſignatorum ad ſanctam terram properauit. Sed illud paſſagium impeditum fuit.

MCCXXVIII.

Ieruſalem Chriſtianis reſtituitur. Gẽs Scotorum tũc temporis fere duobus annis diſcurrendo terras pertranſiuit.

MCCXXX.

Archiepiſcopus Moguntinus Siffridus II obijt in Erfordia,cui Siffridus III ſucceſſit.

De filiis beatæ Elizabethæ.

MCCXXXI.

Beata Elizabetha tranſijt, relinquens vnum filium Hermanum, & duas filias, quarum vnam duxit dux Brabantiæ,altera vero Gerdrudis nomine,monaſterium ingreſſa,cœlibem vitam duxit. Herman⁹ Landgrauius, filius Landgrauij Ludouici & ſanctæ Elizabethæ,ducẽs vxorem,poſt celebratas nuptias veneno perempt⁹ eſt à quadam malefica nomine Berchta de Seberg, quæ fuit vxor cuiuſdam nobilis de curia dicti principis. Iſte ergo Landgrauius Hermanus mortu⁹ eſt, non relinquens hæredem. Eodem tempore dux Bauariæ Ludouicus occiſus eſt à graſſatoribus,vt dicebatur,immiſſis ab imperatore Friderico.

De Henrico Marchione Miſnenſe.

Hoc tempore Marchio Miſnẽſis Henricus,cognatus Landgrauij Turingorum, Ludouici & fratrum ſuorum, cum haberet duos filios Albertum & Ditericum, quos genuerat ei nobilis & inclyta princeps Conſtantia,filia ducis Auſtriæ, cum magna pompa & faſtu venit ad curiã Friderici imperatoris;petẽs filiã ipſius Cæſaris Margarethã dari ſuo filio vxorẽ. Iſte princeps Marchio Henric⁹ diuitijs & gloria omnes principes Germanicos anteibat,eratq; largus valde& munificus,multa militum famulorumq; caterua munitus,ſemper hilaris, ſemper viuens in magnis delitijs & honore. Hic nõ ſolum baronibus,& militibus, & capitaneis, & famulis ſuis, imo etiam alijs principibus & nobilibus victum,& precioſum veſtitum, abundanter & largiter tribuebat. In tanta gloria & prodigalitate in curia Cæſaris apparuit,vt non ſolum principes &nobiles, ſed & ipſe Imperator & Auguſtus in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſtuporem verteretur. Tandem adepta filia imperatoris, tradidit eam Alberto filio ſuo in vxorem, quem præcedente tempore Landgrauium conſtituit Turingorum. Hęc genuit dicto Alberto tres filios, Henricum, Fridericum, Ditericum.

MCCXXXII.

In Teutonico multi hæretici tonſi & cremati ſunt à magiſtro Conrado de Martpurg, ex commiſſione domini papæ Gregorij.

MCCXXXIII.

Idem Magiſter Conradus de Martburg, prædicator verbi Dei, confeſſor beatæ Elizabethæ, occiſus eſt & ſepultus in Martburg, in eccleſia ſanctæ Elizabethæ.

MCCXXXVI.

Præſente imperatore Friderico, & populi innumerabili multitudine beata Elizabetha translata eſt.

MCCXXXVIII.

Tartari in Hungaria & Polonia multa millia Chriſtianorum occiderunt. Contra ipſos Gregorius papa fecit crucē prædicari. Similiter contra Stetingos, de quibus 5000 hominum à cruce ſignatis occiſi ſunt. Eodem anno Landgrauius Conradus frater Ludouici, Fritslarēſibus humiliter ſatisfecit, & intrans ordinem fratrum domus Teutonicæ, vitam in bonis operibus conſummauit. Et hic ſepultus eſt apud Martburg in eccleſia beatæ Elizabethæ, vbi Domus Teutonicę fratres magnum habent conuentum militum, & clericorum, & aliorum fratrum ordinis: ibiq; pauperibus & aduenis caritatiue neceſſaria victus miniſtrantur.

MCCXLVI.

Landgrauius Turingiæ Henricus, cognomine Raſpo, in regem Romanorum electus eſt, annuente papa Innocētio, qui eidem Henrico infinitam pecuniam miſit, vt imperatori Friderico pręualere poſſet. Eodem anno dux Auſtriæ, cum vno die bis triumphaſſet, in ipſo conflictu à proprijs hominibus ſuis occiſus eſt.

De conflictu regum.

MCCXLVII.

Rex Romanorum Henricus Conradum, filium imperatoris Friderici, apud Francofordiam in die ſancti regis Oſualdi prælio vicit. Eodem anno idem Henricus VII rex mortuus eſt, & ſepultus apud patrem ſuum Landgrauium Hermannum in Iſenaco, in eccleſia Sanctimonialium ordinis Ciſtercięſis. Et in iſto defecerunt iſti nobiles principes Turingiæ, quide proſapia Caroli Magni imperatoris originem traxerunt. Tunc marchio Miſnenſis Henricus Turingiam & Saxoniæ palatinatum ſibi vſurpat. Quāobrem graue bellum inter ipſum & ducisſam Brabantiæ poſtea eſt exortum.

De rege Vilhelmo.

MCCXLVIII.

Comes Hollādiæ Vilhelmus in regem Romanorum electus eſt, & ciuitatem Aquiſgrani expugnauit, & ibidem à duobus cardinalibus coronatus regalem accepit benedictionem. Eodem anno obijt dux Brabantiæ.

De rege Franciæ.

MCCXLIX.

Rex Franciæ Ludouicus Damiatam expugnauit, & in poſſeſſione pacifica habuit. Poſtea in breui à Soldano captus eſt, & centum millia marcarum dedit, & Damiatam reſtituit. Eodem anno obijt Archiepiſcopus Moguntinus Siffridus, cui ſucceſſit Chriſtianus.

MCCL.

Rex Daciæ procurante fratre ſuo Abel, per traditionem & fraudem miſerabiliter eſt occiſus.

MCCLI.

Hugo cardinalis in Teutoniam legatus miſſus, Vilhelmum regem confirmauit, Chriſtianum Archiepiſcopum Moguntinum depoſuit, Gerhardum eidem ſubrogauit.

De morte Friderici imperatoris.

MCCLII.

Imperator Fridericus II ad extrema vitæ deueniēs, perceptis eccleſiaſticis ſacramentis, mortuus eſt & ſepultus apud Fogiam.

MCCLIII.

Rex Vilhelmus contra comitiſſam Flandriæ pugnauit, & victoriam habuit. Eodem anno obijt rex Bohemiæ.

MCCLIV.

Alexander IV Ezelinum tortorem Chriſtianorum, interfectorem ſexaginta fratrum minorum, & aliorum plurimorum

rum fidelium, pro hæretico cum omnibus fautoribus suis condemnauit.

MCCLVI.

Rex Wilhelmus occisus est à Frisonibus.

MCCLVIII.

Tartari expugnauerunt partes Orientales, videlicet regnum Indiæ, regnũ Armeniæ, regnum Niniue, regnum de Waldach regnum etiam Hierosolymitanum, Antiochiam, & partes Christianorum vltra mare.

MCCLX.

Gerhardus archiepiscopus Moguntinus mortuus est in Erfordia, & sepultus ibidem, cui successit Wernherus. Eodem anno ducissa Brabantiæ, filia beatæ Elizabethæ cum magno exercitu & armis bellicis intrauit Turingiam, ducens secum filium suũ Landgrauium Hassiæ, qui tunc erat annorum duodecim, dictamq; terrã spoliis & incendiis deuastauit: quia marchio Misnensis prædictã terram sibi vsurpauerat, cum tamen filius iam dictæ ducissæ, Landgrauius scilicet Hassiæ, propinquior esset hæres.

De Nigromantico in Friberga Misniæ.

In diebus istius marchionis Henrici, accidit quoddam valde miserabile & horrendum in Friberga ciuitate dicti principis. Quidã enim scholaris, amore cuiusdam puellæ nimium stimulatus, cõsilium atq; suffragium à quodam nigromantico, promissa pecunia, requisiuit, vt sibi puellam impetret. Ille autem in quoddam cellarium eundem scholarem secum ducẽs, & sphæras ac figuras (vt assolent) circum se super pauimentum describens, cœpit legere coniurationes diabolicas. Postquã autẽ multa phantasmata diaboli se vtriusque oculis ingessissent; tandem diabolus in forma illius puellæ apparuit, seq; illi in eius amore ardẽte eminus exhibebat. Ille cæco amore ductus, cum manum extra sphæram extenderet, volens amasiam suã deprehendere, statim à dæmonio arreptus, & ab eo parietibus cellarii allisus & cõquassatus, supra nigromanticum illum est proiectus mortuus. Tunc ille fere exanimis factus, inde se mouere non potuit, sed toto residuo illius noctis mortuum super se prostratum sustinens voces edebat miserabiles. Mane multi de ciuitate, auditis huiusmodi clamoribus, conturbati & territi conuenerunt, & ipsum inde seminecem eduxerunt.

MCCLXI.

Soldanus Babyloniæ, rex Ægypti, resumptis viribus cum exercitu barbarorũ clam irruit in castra Tartarorum, & multa ex eis millia interficit. Hoc anno quatuor metropolitani, Moguntinus, Treuerẽsis, Bremensis, Magdeburgensis, à papa Alexandro IV. Romæ consecrati sunt. Eodem anno multa millia Flagellatorum prodierunt in mundum, dicentes hominem ab omnibus peccatis absolui, si in tali secta per vnum mensem versaretur.

MCCLXI.

Celebrata sunt concilia in Moguntia ab archiepiscopo Wernero, & alias ab aliis archiepiscopis, iubente papa Alexandro, cõtra Tartaros & alia pericula, vt per verbum crucis & orationes fidelium inimicis ecclesiæ resisteretur.

MCCLXII.

Venit quidam cum exercitu magno dicẽs, se esse imperatorem Fridericum qui ante decem annos mortuus fuerat.

De conflictu principum.

MCCLXIII.

In vigilia Apostolorũ Simonis & Iudæ, illustres principes Albert⁹ Turingiæ Lãdgrauius, & germanus eius marchio Diericus de Landisberg, conflictum habuerunt cum duce Saxoniæ Alberto, & gloriose triumphantes ceperunt ipsum ducem, & comitem Henricum de Anhald, & alios plures comites & nobiles.

MCCLXIV.

Stella quæ dicitur cometes visa est.

MCCLXV.

Clemens IV. à sancto Petro CXCIV. ordinatur. Hic cum Meinfrido, rege Apuliæ, filio imperatoris Frideric. graue prælium habuit. Eodem anno Soldanus Babyloniæ impugnans Christianos, in terra sancta cepit Azotum, castrum domus hospitalis, & castrũ & ciuitatem Cæsaream, & ciuitatem Capham.

De conflictu regum.

MCCLXVI.

Clemens papa præcepit crucem cum magna indulgentia prædicari in subsidiũ terræ sanctæ. Eodem anno comes Carolus, frater regis Franciæ Ludouici, conflixit cum

xit cum Meinfrido rege, filio imperatoris Friderici, & vicit, & occidit eum. Quo facto papa fecit Carolũ regem Siciliæ. Eodem anno comes Hoenloius, & ciues Wurzburgenſes conflixerunt cum comite Hermanno de Hennenberg apud ciuitatem Kitzingen iuxta Mogum fluuiũ pro epiſcopatu, quia duo per diſſenſionem electi fuerãt. Sed comes Hoenloius cum omnibus ſuis cruce ſignatis victoriã habuit. Hoc etiam anno Soldanus Babyloniæ ſubiugauit ſibi Ieruſalem, Bethleem, Nazareth, Galilæam totam, & alias multas munitiones. Cepit etiam, & ſuffodiens caſtrum munitiſſimum quod dicitur Caphet, in quo fratres domus Teutonicæ & alios Chriſtianos inuentos duris vinculis conſtrinxit, ad duo millia & plures. Hos omnes in fide examinari fecit. Ipſi vero omnes præter octo in confeſſione Chriſti occiſi ſunt.

MCCLXVII.

Cruce ſignati ſunt in ſubſidium terræ ſanctæ, rex Franciæ Ludouicus, rex Angliæ, rex Aragoniæ, rex Nauarræ, archiepiſcopus Rotomagẽſis, & alii plures. Eodem anno beata Heduigis, quondam duciſſa Poloniæ, canonizata eſt à papa Clemente.

De Conrado & Carolo.

MCCLXVIII.

Clemens papa crucem prædicari fecit contra regem Conradum, filium imperatoris Friderici, & cõtra ciuitates Thuſciæ & Langobardiæ illi adhærentes. Inito autem conflictu inter Conradum & Carolũ, victoriam habuit Conradus, ſed à quodam potẽte Langobardo in munitionem receptus, traditus eſt fraudulenter cum marchione de Baden, & comite Piſano. Qui poſt paucos dies à Carolo capitalem ſententiam acceperũt, prius tamen confeſſione facta.

MCCLXIX.

Soldanus expugnat Antiochiam, & occidit in ea multa millia hominum.

De filia imperatoris.

MCCLXX.

Obiit rex Vngariæ Bela. Eodem anno inclyta & nobiliſſima princeps Margaretha filia imperatoris Friderici, Turingiæ Landgrauia, cum multas contumelias & cõminationes etiam mortis à marito ſuo Landgrauio Alberto indigne pertuliſſet, tandem exiſtẽs in caſtro Wartbergo, ſuffragio cuiuſdã militis per murum in ſporta de altiſſima rupe eiuſdem caſtri demiſſa cum duob. tantum pediſequis & duobus camerariis fugam iniit. Ipſa namque inter cæteras pediſequas ſuas vnã habuit, quæ Cunegundis de Iſenberg vocabatur, quam idem Landgrauius amans, & cum ea frequenter adulterans filiam Cæſaris exoſam habuit & deſpectam. Abbas Fuldenſis dictam filiam imperatoris fugientem vſq; ad Francofurdiam deduci fecit, vbi à ciuibus honorifice ſuſcepta & pertractata, ibidem defuncta eſt eodem anno, & honore regio tumulata per archiepiſcopum Moguntinum.

MCCLXXI.

In Teutonia fames valida fuit, & tribus annis durauit, ita quod multi homines fame perierunt.

MCCLXXII.

Rex Vngariæ Stephanus poſt plurima prælia, inter ipſum & regem Bohemiæ Odoacrum habita, mortuus eſt.

MCCXXIII.

In feſto S. Michaelis, in Francofurdia, electus eſt in regem Romanorum Rudolphus de Habisburg, comes prouinciæ Alſatiæ, & ſtatim Aquiſgrani coronatus.

De Rudolpho imperatore.

MCCLXXIV.

Lugduni celebratum eſt concilium magnum, preſente papa Gregorio X. Hic electionem regis Rudolphi confirmauit, reprobatis nunciis regis Hiſpaniæ, & regis Bohemiæ. Ipſe namq; rex Bohemiæ Odoacrus ſolennes nuncios, & multam pecuniam, & munera ad curiam domini papæ Gregorii trãsmiſerat, eo quod ipſe ad imperium aſpiraret. Papa munera non attendens circumſedentibus ſic dicebat. Cum in Alemania plures principes & comites habeamus, quare vellemus Sclauum ad imperiũ ſublimare? Rudolphus itaq; imperiũ adeptus, regnauit annis XVIII. Hic in diebus ſuis tranquillam pacem procurauit, æquus iudex diuiti & pauperi extitit, eccleſias & hoſpitalia defendit & protexit. Cũ videret, milites humilibus personis ſecum loqui cupientibus acceſſum ad ſe prohibere, dixit, Per Deum, date hominibus accedẽdi locum. Non enim propter hoc ad imperium ſum electus, vt hominibus in arca præcludar. Vbicunque proceſſit

Proceſſit, ſi conſpexit aliquem ſecum loqui cupientem, ſtatim ſe illi exhibuit ad confabulandum. Ipſe deniq; omnibus ſe expoſuit, & neminem contempſit. Strenuus erat in armis, in Chriſtiana religione fidelis. Et cum eſſet miræ prudentiæ, & prouectæ ætatis, hilaris tamẽ & iucundus ſemper extitit, & cum magna modeſtia & manſuetudine imperium gubernauit.

De Landgrauio & Marchione, fratribus.

MCCLXXV.

Orta diſcordia inter nobiles principes, Albertum Turingorum Landgrauium, & fratrem eius Ditericum marchionem de Landisberg. Ideo marchio Ditericus, & archiepiſcopus Magdeburgenſis Conradus, Turingiam cum magno exercitu armis hoſtilibus inuadentes, caſtrametati ſunt in ciuitate quę Dennestete dicitur, & tantum vna nocte inibi permanſerunt. Nam prædictus Landgrauius Albertus, eadem nocte exercitum mille equitũ armatorum & vltra, & peditum vulgus innumerabile conuocans, fratrẽ ſuum iam præfatum potẽter & viriliter de terra Turingia fugat.

MCCLXXVI.

Ioannes XVIII, à ſancto Petro CXCVIII papa ordinatur. Hic dum quendam librum (vt dicebatur) hęreticum & peruerſum dictaret; ſubito domus in qua ſedebat, ſuper eum corruit, & in tantum concuſſit, vt infra ſpacium quinque dierum miſerabiliter moreretur, replicans ſæpius hæc verba, vel ſimilia, Quid fiet de libello meo? quis complebit libellum meum? Obiit & iſte primo anno pontificatus ſui. Eodem anno rex Romanorum Rodolphus, multa militia & pugnatorum turma collecta, aciem direxit ad Orientem, ſubiiciens ſibi terras quas rex Bohemorum Odoacrus occupauerat, & ſibi illicite vſurpauerat, videlicet Auſtriam, Stiriam, & Carinthiam, & loca plura alia.

Hoſtis Germanorum papa.

Martinus III papa in tanto odio habebat Teutonicos, vt optaret totam Alemaniam vnam eſſe piſcinam.

De viſionibus diuerſis.

In illis diebus dum guerræ & prælia inter regem Romanorum Rodolphum, & regem Bohemorum Odoacrum creſcerent, & vtrobiq; malum diſcordiæ augeretur; diuerſæ viſiones & ſomnia veridica de caſu regis Odoacri ſunt diuerſis reuelata. Ipſe namque rex Bohemiæ vidit in viſu noctis, quod plurima cornua haberet in capite, quæ omnia præter vnum ſibi radicitus ſunt euulſa. Quidam etiam cleric⁹ in Alemania vidit in ſomno, quod fluuius magnus & turbidus, glacie mixtus, raptim traheretur ab occidente contra Bohemiam, vocemq; audiuit lamentabilem, clamitãtem hęc verba; Dies tribulationis, dies miſeriæ. Quidam quoque miles nomine Reinbotho, ſimiliter Teutonicus, vidit per ſomnium quindecim Lunas in cœlo pugnare, quarum duæ cæteris erant maiores, & vna ex his duabus habebat foramina multa, in quam cæteræ Lunæ impegerunt, & penitus conſumpſerunt. Cumq; iam dictus miles hoc miraretur, vidit regem Bohemiæ prope ſtãtem, & multum vomitum emittentem.

De rege Odoacro occiſo.

MCCLXXVIII.

Rex Romanorum Rodolphus, & rex Bohemiæ Odoacrus, multis miilibus pugnatorũ in campo Auſtriæ quod Marchfeld dicitur, ad pugnãdum hoſtiliter ſunt congreſſi. In hoc conflictu vtriſq; exercitibus hoſtiliter dimicantibus, rex Bohemiæ à ſuis traditus, & ad mortem vulneratus occubuit. De eius morte rex Romanorum ſupra modum turbatus eſt, quia commiſerat ſuis, vt ipſum incolumẽ conſeruarent. Mortuo rege Odoacro, ſtatim maxima clades totius regni eius ſecuta eſt, ita vt per triennium cotidie gens Bohemorum de terra ſua, fame compellente & inopia, relictis habitaculis tranſmigrarent; venientesque in Turingiam, & Miſnam, & alias partes Teutoniæ, miſerabili inedia per plateas ciuitatũ mortui corruerent. Corpus quoq; regis Odoacri ſeruabatur multo tempore inſepultum, quia ipſe fuerat à domino papa excommunicationis ſententia notatus.

De rege Wenceslao.

Filius regis Odoacri vnigenitus, Wenceslaus II, regnauit pro patre ſuo cui rex Romanorum Rodolphus filiã ſuam, Gutham nomine, tradidit in vxorem, alterã filiam dedit Carolo filio regis Siciliæ, tertiam duci Bauariæ, quartam duci Saxo-

niæ. Sororem Wenceslai coniunxit Rodolpho filio suo iuniori, quem constituit ducem Austriæ. Hic defunctus est Pragę, & sepultus in ecclesia cathedrali, relinquens filium nomine Ioannem. Albertus autem, senior filius regis Rodolphi, successit fratri suo in ducatu Austriæ, & Ioannes mansit apud auunculũ suum Wenceslaum regem Bohemiæ. Dux Albertus, filius regis Rodolphi, iam duxerat in vxorem Mathildim, sororem ducis Carinthię & comitis Tyrolensis, quæ genuit ei multos filios & filias. Primogenitus eius Rodolphus duxit filiam regis Franciæ, quæ in primo puerperio defuncta sepulta est in Vienna Austriæ.

De Friderico simulato.

MCCLXXXIV.

Archiepiscopus Moguntinus Wernerus defunctus est. Eodem anno vir quidam senex venit in Coloniam Agrippinam, asserens se esse Fridericum imperatorem, qui ante XXXII annos mortuus fuerat. Hic eiectus à Colonia receptus est à ciuibus Nussiæ.

MCCLXXXV.

Hoc anno obiit rex Siciliæ Carolus, & filius eius in bello occisus. Mortui etiam sunt, marchio Ditericus de Landsberg, filius marchionis Henrici Misnensis, comites de Orlamũda, Hermanus & Otho, comes Henricus de Suartzburg. Eodem anno vir ille qui finxerat se imperatorem Fridericum, crematus est in Witzlaria.

De Wernero Martyre.

MCCLXXXVII.

Rex Romanorum Rodolphus in ciuitate Frãcorum quæ dicitur Wurtzeburg, colloquium habuit cum principib. & nobilibus Teutoniæ. Hoc anno felix adolescens Wernerus excruciatus est à Iudæis, & occisus in die Parasceues, ad littus Rheni fluminis in ciuitate Wesela, & in oppido Bacherach sepultus, cuius sanctitatem miracula ibidem protestantur.

De morte Henrici marchionis.

MCCLXXXVIII.

Obiit archiepiscopus Mogũtinus Henricus, cui successit Gerhardus. Hoc etiam anno inclytus princeps marchio Misnensis Henricus defunctus est Dresdæ, & sepultus in Cella cum patribus suis, in monasterio ordinis Cistercien sis. Eodem anno archiepiscopus Colonien sis captus est in prælio, & occisi sunt viri circiter mille in ipso conflictu.

MCCLXXXIX.

Dux Vratislauien sis Henricus subiugauit sibi regnum Cracouiæ, & veneno interiit anno sequente.

De regis aduentu in Turingiam.

MCCXC.

Rex Romanorum Rodolphus intrauit Turingiam, reformans pacem non solum illi terræ, sed & aliis in confinio eius, & conuocans principes, & multos nobiles, in conuiuiis & deliciis cum eisdem mansit in Erfordia ciuitate per plures dies. Fueruntq; secum ibidem filij sui Albertus, & Rodolphus dux Austriæ qui adhuc vixit, licet de morte sua anticipando dictum sit: filiæ quoq; eius Iutta regina Bohemiæ, item ducissa Bauariæ, & ducissa Saxoniæ, & aliæ multæ nobiles fœminæ.

De excidio terræ sanctæ.

MCCXCI.

Ciuitas Accaron capta est à Sarracenis, & multa millia hominum ex vtraq; parte ceciderunt. Et tunc Christiani omnino de terra sancta expulsi sunt, quorum multi confugerunt in Cyprum insulam. Eodem anno obiit glorioſus rex Romanorum Rodolphus, & sepultus est in Spira, anno regni sui XVIII.

De rege Adolpho.

MCCXCII.

In Francofurdia electus est comes Adolphus de Nassau in regem Romanorũ, archiepiscopo Moguntino Gerhardo aliosq; principes ad eiusmodi electionis cõsensum attrahente.

De vastata Turingia.

MCCXCIV.

Rex Romanorũ Adolphus manu fortí introiuit Turingiam mense Septembri, multa mala ibidem exercens, stuprãs virgines, ecclesias vastans, innocentes & iustos spolians, opprimens, & occidens, & alia plura perpetrans contra normam iusticiæ. Contigit autem, cum idem rex Adolphus in Turingia quandam villã pertranſiret

transiret quæ Sumeringen dicitur, iuxta quam extructa est ecclesia sancti Gangolfi militis & martyris, vt duæ vetulæ mulieres ad dictam ecclesiam cum rebus suis confugerent, quas quidam pedites, de exercitu rebus & vestibus spoliantes, nudas perunxerunt pice cum sebo mixta, deinde in plumis volutantes discurrere permiserunt. Tunc illæ cum fletu & clamore vsque ad regem peruenerunt. Quas videns comes Ditericus de Hoenstein, lachrymans & regem accedens dixit, Domine videte & miseremini. Cui rex. Ecquis modo poterit inuenire reos? Et sic illæ mulieres ad sua sunt conuersæ cũ mœrore, nullam gratiam consecutæ sunt.

De vastatione Misnæ, & expulsione principum.

MCCXCVI.

Rex Adolphꝰ, tyrannide sua in Turingia crudeliter expleta (vt superius est narratum) ad terram Orientalem castra & arma mouit. In qua quibusdam munitionibus occupatis, quibusdam funditus destructis, direxit aciem contra Misnam, & tradita est ei ciuitas Friberga, in qua castrum firmissimum suffodiens cepit, & multos strenuos viros in eo repertos capitali sententia condemnauit. Tradita est ei quoque Misnæ castrum & ciuitas, & aliæ munitiones terræ. Et tunc marchiones Misnenses, Fridericus & Dicemanus germani, filij Landgrauij Turingorum Alberti, nepotes imperatoris Friderici, de iam dictis terris progenitorum suorum eliminati sunt. Quasdam deinde munitiones in Misna, & Turingia, & terra Orientali, resumpserunt.

De coronatione regis Bohemiæ.

Eodem anno in festo Pentecostes rex Bohemiç, Wenceslaus II, ab archiepiscopo Moguntino Gerhardo coronatus est & vnctus. Et hęc solennitas Pragæ peracta est regali sumptu & pompa glorioſa. Affuit ibidem dux Austriæ Albertus filius regis Romanorum Rodolphi, & alij principes Germaniæ & Poloniæ, & episcopi multi: sed gaudium in mœrorem (proh dolor) est conuersum. Nam inclyta Iutta, Rodolphi regis Romanorum filia, dicti regis Bohemiæ coniunx, cum nouiter peperisset, sic in ipso puerperio coronata, dolore inualescente, defuncta est; relinquens filium nomine Wenceslaum, & filiam quam postmodo iunior dux Carinthiæ accepit vxorem. In eadem solennitate principes electores vna cum archiepiscopo Moguntino & rege Bohemię decreuerunt destituere regem Romanorum Adolphum, plures articulos contra ipsum producentes. Primus fuit, quia ecclesias vastasset: secundus, quia virgines stuprasset: tertius, quia accepisset stipendia belli ab inferiore se, scilicet rege Angliæ, quod Augusto non licet, nec decet: quartus, quia Rempub. non auxisset, sed magis dissipasset, & ab hoc Augustus de cætero vocari non deberet. His aliisque de causis eodem anno eidem Adolpho imperium abiudicantes, ducem Austriæ Albertum ipsum regem Romanorum & Augustum nuncupant. Eodem tempore grossi Pragẽses denarij initium ceperunt, sub rege Wenceslao II. Post aliquot annos Wenceslaꝰ, mœrore abiecto de morte reginæ, duxit filiam regis de Calis, sibique regnum Calis & regnum Cracouiæ subiugauit.

De interitu regis Adolphi.

MCCXCVIII.

Inter regem Adolphum iam abiectum, & regem Albertum nouiter electum, graue bellum est exortum. Dictis regibus cum multis millibus militum & pugnatorum iuxta Rhenum fluuium tẽpore messis ad confligendum congressis, multi ceciderunt. Demum ex vtraque parte hostiliter dimicantibus, totum põdus prælij versum est in Adolphum, ceciditque non solum gladiis vulneratus, sed & vngulis equorum conculcatus, & in proprio sanguine volutatus: miserabiliter animam exhalauit. Et sic Deo annuente victoriam glorioſam obtinuit rex nouus Albertus. Itaque Aquisgrani coronatus regalem accipit benedictionem.

De terræmotu.

Eodem anno ante natiuitatem Domini, magnus terræmotus & inauditus cœpit fieri in Thuscia, qui protendebatur tempore & loco. Tempore quidem, quia continuauit octo hebdomadas, & factus fuit singulis dieb. pluries: loco vero, quia cœpit in ciuitate quæ dicitur Forliuium, & protendebatur per tres diætas vsq; ad Reate ciuitatem, in qua tunc morabatur papa Bonifacius cum cardinalibus, & de Reate per diætas vsq; ad muros vrbis Ro-

mæ. Fuit autem tam vehemens ille terræ motus, vt in diuersis castris & ciuitatibus multas turres & domus subrueret, quarum ruina quot homines vtriusque sexus obruti & perempti fuerint, quis enarrare sufficiat? Idem papa dum altari diuina celebraturus astaret, subito terra horribili motu & stridore concutitur, parietes basilicæ quatiuntur, lapides collisi ad inuicem dissecantur. Quid plura? Papa ex huiusmodi strepitu terribili defecit viribus, & licet vallatus esset turba cardinaliũ & militum, inter manus ministrorum corruit, vixque eductus de ecclesia fugã cum cæteris iniit Hoc anno fuit visa stella quæ dicitur cometes.

De eucharistia vendita.

MCCXCIX.

Iudæi perfidissimi corpus Christi sacrũ in nocte sancti Paschatis emptum à custode ecclesiæ in ciuitate Franconiæ quæ Rœtingen dicitur, per diuersas ciuitates & castella aliis Iudęis distribuerunt. Quędam religiosæ mulieres quæ sacras vigilias ad tumulum crucifixi obseruabant (sicut moris est in Teutonia) cum hora matutinarum de ecclesia prodeuntes, irent ad excitandum ecclesiæ presbyterum, vt crucifixum de monumento ante matutinas secundum consuetudinem subleuaret; viderunt super domum Iudæi qui sacramentum emerat, duo rutilare luminaria. Cumque attonitæ starent, & secum quęrerent; superueniens presbyter interrogat, quid conferant, videnscq; cum ipsis luminaria, compertoque quod Iudæus cum custode in ecclesia fuisset, & iuxta altare, caute vocat iudicẽ ciuitatis & quosdam de ciuibus, qui irruentes in domum Iudæi, ipsum & custodem ecclesiæ ceperunt. Qui statim coacti facinus perpetratum cõfessi sunt. Iam vero (vt dictum est) idem corpus Christi per diuersas Iudæorum dispersum fuerat mansiones, qui sæpe dictum corpus Christi sacratissimum acubus & subulis pungentes, & in mortariolis tundentes, & per illas puncturas & tunsiones sanguinem elici conspicientes, tãdem in diuersis locis sub terra suffoderunt. Sed Deus omnipotens sacramentum salutis, multis miraculis prodẽtibus, suis fidelibus propalauit. Quapropter Christiani insurgentes cõtra Iudæos, eos per diuersas ciuitates & loca turmatim occiderunt. Contigit, vt multi Iudæi ad quoddam castrum confugerent, vt se ibidem defensarent. Cumque Christiani ad expugnandum dictum castrum fortiter manu conuenissent, & illud iam vallassent, quædam virgo Iudæa de eodem castro importunis clamoribus rogabat Christianos, vt ipsam inde eriperent & baptizarent. Iudæis ipsam deorsum trahentibus & increpantibus, illa de manibus eorum elapsa, de altitudine castri se præcipitem dedit. Sed ecce mirum in modum ipsa quasi manibus angelicis portaretur, illęsa descendit, & mox ad fidem Christi & baptisma confugit.

De archiepiscopis rebellantibus.

MCCC.

Tres archiepiscopi; Gerhardus Moguntinus; Treuirensis, frater scilicet regis Adolphi; & Colonien sis, se contumaciter cõtra regem Romanorum Albertum erexerunt, & orto graui bello inter eos dem hostiliter pręliatum est, vsque ad annum sequentem.

De rege Franciæ.

MCCCI.

Stella cometes visa est, quæ ante Natiuitatem Domini post occasum Solis apparuit, & ante mediam noctem occidit. Comam fudit ad orientem, & visa est per noctes quindecim. Eodem anno rex Franciæ cum magno exercitu pugnatorum contra ciuitates Flandriæ quibus indixerat bellum, properauit: sed ipsis rebellantibus, multa millia nobilium & militum aliorumque pugnatorum de exercitu regis ceciderunt.

De curia regis Romanorum indicta.

MCCCII.

Facta pace inter regem Romanorum Albertum, & archiepiscopos supra dictos quos idem rex multum humiliauerat, statim ipse rex facto edicto, omnibus principibus præcepit, vt ad curiam suam in festo Sebastiani martyris Mersburgi celebrandam conuolarent. Sed quia sæpe dictus archiepiscopus Mogũtinus Gerhardus, quibusdam literis regis Bohemiæ Wenceslai incitatus, contra maiestatem Augusti se temerarie erigens, pacem & fidem datam violaret; fuit dictæ curiæ celebritas impedita. Idem Gerhardus sæpius

ptus arroganter & iactanter dicere solebat, se habere adhuc reges in pera sua, quasi ipse solus posset reges Romanorum deponere & creare. Sed mentita est iniquitas sibi: ipse namq; longe ante regem Albertum mortuus est. Itaq; tres Archiepiscopi memorati, sci. Moguntinus, Treuerensis, Colonienſis, vna cum rege Bohemiæ, contra regem Romanorum Albertum conspirabant.

De Conrado martyre.

MCCCIII.

Iudæi perfidi effusione sanguinis Christiani assueti, scitum quendam puerum scholarem, Conradum nomine, filium cuiusdam militis in Weisenseha ciuitate Turingiæ multis cruciatibus affligentes, & sectis omnibus neruis & venis totum sanguinem eius elicientes, ante festum Paschatis crudeliter occiderũt. Sed Deus omnipotens qui gloriosus est in sanctis suis, innocentis pueri necem occultari non sustinens, & homicidas perdidit, & martyrium innocentis multis miraculis decorauit. Cum enim dicti Iudæi puerum occisum occulte per plura loca Turingiæ ducerent ad tumulandum, Deo disponente nusquam abscondere valuerunt. Vnde ipsum reducẽtes apud prædictam ciuitatem Weisenseham, in quadam vinea suspenderunt. Tandem tam crudeli homicidio prodito, & rei veritate comperta; milites de castro prosilientes, & ciues eiusdem ciuitatis, reliquumque vulgus, vna cum marchione Friderico filio Landgrauij Turingiæ Alberti, repugnantes turmatim occiderunt.

Hoc anno nobiles domini de Columna, ceperunt papam Bonifacium, & seruabant tamdiu in custodia, quousq; composuisset cum eis pro voluntate eorum. Quo facto, ipse nullum cibũ amplius sumere voluit. Sed cum ab amicis suis rogaretur, vt cibum caperet, cum indignatione respondit, Nolo comedere, nolo amplius viuere, & sic mortuus est, anno pontificatus sui nono, & positus in tumba preciosa, quam sibi extruxerat in basilica sancti Petri, in monte aureo.

De prælijs regis Romanorum, & regis Bohemiæ.

MCCCIV.

Facta concordia inter regem Romanorũ Albertum & Archiepiscopos sæpe dictos, rex Bohemiæ Wenceslaus adhuc Augusto se opponens, pluribus principibus & baronibus, & militibus multis larga stipendia tribuit, quibus ad rebellandum dicto regi Alberto se muniret. Inter hos præcipui erant marchiones de Brandenburg, scilicet Otho cum telo; & Hermanus Longus, gener Augusti; filius quoque regis Adolphi Ropertus. Rex igitur Romanorum Albertus, vocatis ad se, Archiepiscopo Moguntino Gerhardo, & duce Bauarię Othone, alijsq; Episcopis & principibus atq; Baronibus quam plurimis, collegit sibi præelectam militiam, & sic ad præliandum regali comitatu processit. Descendens per Bauariam, assumpto filio suo Rodolpho duce Austriæ, valde strenuo in armis, qui gener fuit regis Austriæ, aciem duxit contra cõfinia Morauiæ & Bohemorum. Tunc occurrerunt ei in auxilium, ab eodem Augusto vocati, Vngari & Poloni. Sed cum eædem gentes Morauiam & confinia eius inaudita vesania deuastarent, ita vt virorum & mulierum manibus perforatis, & funibus innexis ipsos sic deducerent, infantesque ad sellas equorum connecterent, virgines quoq; in cõspectu omnium constuprarent; rex expauit, ipsosque à se abegit, & ad sua redire coegit. Quo comperto, dicti Vngari & Poloni populum turmatim de terra tanquam greges abigebant, dicẽtes se nequaquam debita stipendia percepisse. Quo audito, Augustus fortissimum exercitum post eos destinauit, qui ipsos insequentes, & vltra mille ex eis prosternentes, captiuos quos abduxerant, reduxerunt. Multi tamen deducti sunt, quorũ quidam per se postmodo redierunt. Deniq; rex Romanorum Albertus mouit exercitum, venienſq; in Bohemiam castrametatus est in medio terræ, è regione montis argentifodinarũ qui vulgariter Cuttena dicitur; indixitq; conflictum pugnæ fororio suo, regi scilicet Bohemiæ. Rex Wenceslaus cum multo maiorem exercitum pugnatorum haberet quam rex Albertus; veritus tamen ipsum Augustum, cum eodem confligere non præsumpsit. Transactis itaq; pluribus diebus, quibus iam dictus rex Romanorum in regno Bohemiæ demoratus fuerat, alimentis in exercitu iam deficientibus; nimia fame compulsus castra inde mouit, atq; in Austriam reuersus est.

De Brunone Millenburgense.

Bruno Millenburgensis, vir venerabilis, strenuus defensor & propugnator ecclesię suæ, largus valde & misericors, cum ad extrema vitæ infirmitate prævalente deductus, ecclesiastica sacramenta deuote percepisset, iussit se extra stratum suum super cinerem poni, & ibidem humiliter recubuit, & cum magna contritione spiritum exhalauit.

MCCCV.

Hoc anno quidam presbyter, existens Dresdæ in ciuitate terræ Misnensis, vidit somnium in festo Natiuitatis Domini, præsagium futurorum: nempe super regnum Bohemiæ Lunam prælucidam in cœlo coruscare. Cuius claritatem cum ipse & plures alij, vt sibi videbatur, mirarentur; subito Luna eadem in formam piscis transformata cecidit super terram, statimque disparuit. Et ecce alia Luna venit ab Occidente, & corpore maior, & splendore clarior; stansque in cœlo super regiones Bohemiæ & Misnæ tantum creuit in splendore, vt homines ad agricultu-ram & alia opera, sicut in die, egrederentur. Reuelatum est autem videnti hanc visionem, quod sub rege significato per istam secundam Lunam tanta erit pacis abundantia, quod homines in nocte, sicut in die, secure ambulabunt. Itaque eodem anno ante Pascha cepit rex Bohemiæ Wenceslaus II grauiter infirmari, videnśque sibi mortis periculum imminere, per literas, & solennes meditationes, & nuncios regi Romanorum Alberto reconciliatus est, & formam concordiæ ciusmodi reliquit vnico filio suo Wenceslao III, cui & regnum tradidit adhuc viuens. Tandem dispositis largissimis & regalibus testamentis, perceptisq; ecclesiasticis Sacramentis, dormiuit cum patribus suis circa festum Pentecostes, anno regni sui XXVII, sepultusq; in monasterio monachorum ordinis Cisterciensis dicto Aula regis, quod ipse de nouo fundauerat, & supra modum ditauerat.

Eodem anno mortui Archiepiscopi Colonienśis, Moguntinus, item Episcopus Argentinensis, & alij plures.

Anno eodem dux Bauariæ Otho, inuitatus à quibusdam nobilibus Vngariæ, idem sibi regnum vsurpauit, præter consensum regis Romanorum Rodolphi, qui à Papa Bonifacio VIII rex Vngariæ fuerat declaratus. Sic schisma ortum est in iam dicto regno, ita vt quidam sequerentur filium regis Siciliæ, quidam ducem Bauariæ.

De rege Bohemiæ occiso.

MCCCVI.

Rex Bohemiæ Wenceslaus III, nondum coronatus, occisus est fraudulenter à quodam milite, procurantibus quibusdam baronibus regni sui. Hic cum esset adolescens vix sedecim annorum, & nouiter duxisset filiam cuiusdam ducis Polonię in vxorem, eodem anno nuptiarum sic miserabiliter peremptus est, non relinquens hæredem regni. Tunc barones dicti regni elegerũt sibi regem, ducé Carinthiæ, fororium scilic. præfati regis occisi, inconsulto tamen rege Romanorum, cuius interest conferre iã dictum regnum. Igitur rex Romanorum Albertus forti manu intrauit in Bohemiam, & constituit ibi regem filium suum Rodolphum ducem Austriæ, dans ei vxorem reginam Bohemiæ, videlicet regis Wenceslai II viduam. Sic ergo regnum Bohemiæ ad Teutonicos translatum est.

MCCCVII.

Sueui manu forti Vngariam & alias prouincias circumiacentes ingressi sunt, multa castra & alias munitiones hostiliter deuastantes. Et tandem pergentes in terras Turingiæ & Misniæ, miserabiliter interempti sunt, & reliqui in fugam versi, circa oppidum Luccam Numburgensis diœcesis.

Dicemannus marchio Misnensis occiditur à sicario Lipsiæ in templo, quem ei Adolphi regis patruus Philippus immiserat.

SIFFRIDI PRESBYTERI EPITOMES FINIS.

CHRONI-

CHRONICON EXCERPTVM DE DIVERSIS CHRONICIS SVMMORVM PONTIFICVM ET IMPERATORVM AB INITIO MVNDI VSQVE AD ANNVM Domini MCCCCLXXIV, vt semper eodem stilo vlterius colligatur, & sic CHRONICA COMPENDIOSA vocitetur.

IN hac compilatione quæ de diuersis excerpta est, videlicet de Iure Canonico, de Ecclesiastica historia, de Orosio, de Chronicis Eusebij, Hieronymi, & aliorum, de libro qui dicitur Gemma animæ, de Opusculo quod vocatur ordo Romanus; ostenduntur legere volentibus aliqua de gestis siue statutis Romanorum pontificum, & de statu bonorum vel malorum imperatorum; insuper quibus qui successerint tam in sede Apostolica, quam et am in Romana Republica; præterea quibus qui memorati principes contemporanei fuerint, à beato Petro Apostolo & Cæsare Augusto, vsq; ad annum Domini MCCCCLXXIV.

COMPILATIO CHRONOLOGICA.

AB orbe condito vsq; ad diluuium fuerunt duo millia annorum: à diluuio vsque ad vrbem Romam conditam fuerunt duo millia annorum CCCCLXXXIV.

Anno post euersionem Troiæ CCXIV, vrbs Roma à Romulo & Remo fratribus geminis condita est. Ab vrbe Roma condita vsq; ad Natiuitatem Domini nostri IESV CHRISTI fluxerunt anni DCCXV. Colligimus autem ab origine mundi vsq; in aduentum Domini annos V millia CXCIX, ante Iesum CC minus vno millia quinque.

De vrbe Romana condita post destructionem Troiæ.

POstquam per decennem obsidionem illa formosa Troia à Græcis destructa: tunc Æneas à Troia transiuit in Italiam. Itaq; Romulus, interfecto primum aui sui fratre Amulio, dehinc fratre suo Remo, arripuit imperium, vrbemq; constituit. Iste Romulus de stirpe Æneæ sceleratorum manũ promissa impunitate collegit: assumptis semel armis nunquam quietus fuit. Tandem Romulus fulmine interijt.

Anno post vrbem conditam CCXLIV, quibus Roma gubernabatur per reges: tunc regibus vrbe pulsis, Romani ad consulendum sibi Consules & Dictatores, dehinc Proconsules & Senatores creauerunt. Iam hinc Romani incessabilia certamina & iuxta quantitatem virium suarum semper grauia bella omnibus nationibus intulerunt. In vno prælio Carthaginensium XX millia cæsa sunt: elephanti quoque Carthaginensium XXVI interfecti sunt: CIV elephanti capti sunt, & per Italiam ducti magnum gentibus spectaculum præbuerunt. Per annos prope DCC vsque ad Cæsarem Augustum vna tantummodo æstate Romani non bellauerunt. A Romanis de exercitu Gallorum apud Rhodanum CL millia cæsa sunt, & mersa IV millia. Italici viri in vna cæde promortui miserabiliter riguerunt. Nam ita vt attoniti timore hostili fleterunt lapidibus, fugi, iugum montis coacto in vnum agmine adscenderant. Vbi oppressi animabus & alij stipitibus velut recliues; alij armis suis innitentes patentibus oculis dentibusque nudatis in modum viuentium videbantur; nec vllum erat procul intuentibus mortis indicium. Senatus Crassum consulem cum legionibus misit, qui cum aggrederetur bellum, Gallos & Germanos superauit. Nam eorum LX millia cæsa sunt, & VI millia capti, & III millia de Romanis cæsa sunt. Cõsules quidam à Romanis missi in Affricam con-

tra Hannibalem: in ea pugna XLIV millia Romanorum interfecti sunt, L senatorum ac nobilium & militum. Hannibal in testimonium victoriæ suæ tres modios annulorum aureorum Carthaginem misit, quos ex manibus interfectorum Romanorum detraxerat. Regulus consul Romanorum bellum contra Carthaginenses sortitus cum exercitu suo non procul à flumine quodam castra constituit. Vbi cum plurimos militum aquandi necessitate ad fluuium descendentes serpens miræ magnitudinis deuoraret: Regulus consul cum toto exercitu suo ad expugnandam bestiam profectus est. Sed cum nihil in tergo eius telorum iacula proficerent: (nam perhorrendam squamarum cratem per obliquum habebat) insuper cum magnam multitudinem militum communi impetu terribilem proteri, anhelitu eius quoque pestifero exanimari videret, totis viribus pugnauit. Vix tandem in luto certamine victus serpens saxis & telis oppressus est. Corium eius Romam deductum CXX pedum spatio, cunctis mirabile fuit.

Item de vrbe Roma & Romanis.

ANno ab vrbe condita CCCL, Roma X annis continuis obsessa est. Dehinc irruptio Gallorum & incēdium vrbis insequitur. Galli extincto populo vrbeq; deleta ipsum quoque nomen Romæ in extremis cineribus persequuntur. Et Gothi simili modo Romam persequuntur, cum super humanas vires esset intendere æneas trabes, & subruere moles magnarum structurarum. Diris tunc Romani prodigijs territi sunt. Tunc nox vsq; ad primam partem portendi iussa est, & de nubibus descendentes veri lapides terram verberabant. Quibus etiam diebus Alexander Magnus ille gurges miseriarum natus est. In medio vrbis aperta est terra, & hiantia inferna patuerunt. Manebat diu ad spectaculum & terrorem Romanorum illa vorago impudens, nefariamq; voluntariam vnius hominis sepulturam dijs interpretibus expetebat. Satisfecit improbis faucibus Marcus vir eques, armatus iniecit se, & sic vorago clausit se.

Sol visus est in cœlo pugnasse cum Luna: inde viderunt duas Lunas ortas. Visum est cœlum scindi magno hiatu. Duo scuta viderunt sanguinem sudasse.

De insula Vulcania.

ANno ab vrbe condita DXLVI, in Sicilia Vulcania quæ ante non fuerat, repente in mari eruta est: omnium admiratione vsque nunc manet.

De primo Cæsare.

IVlius primus Cæsar, postquam regnauit V annis, à Romanis occiditur: ab isto omnes dicti sunt Cæsares.

De Cæsare Octauiano siue Augusto.

ANno ab vrbe condita DCCX, Octauianus Cæsar post Iulium Cæsarem primum regnare cœpit, & regnauit annis LVII. Hic vrbem Romam & Rempublicam præ omnibus sublimauit. Ab isto omnes alij imperatores dicuntur Augusti. Quintilius Varus consul missus ab Augusto cum tribus legionibus à Germanis rebellantibus funditus deletus est. Quod tandem Augustus adeo tulit grauiter, vt sæpe præ dolore caput parieti collidens clamaret: Quintili Vare redde legiones. Sed Tiberius priuignus Cæsaris Augusti Germanos bello arripuit, ex quibus XL millia adduxit. Quod reuera maximum bellum XV legionibus per triennium gestum est. Huius Octauiani Cæsaris Augusti anno X imperij indictio prima incepit. Huius Octauiani Cæsaris Augusti anno XLI, Cirinus præses ex consilio senatus ad Iudæam missus à Cæsare census hominum & possessionum descripsit. Iste Augustus Cæsar erga ciues extitit clementissimus, in amicos fidissimus, liberalibus studijs tantum intentus, vt nullus in procinctu laberetur dies, quin legeret, scriberet, dictaret leges alias nouas. Alias, ptulit suo nomine correctas. Item auxit & ornauit Romam multis ædificijs. Isto glorians dicto: Romam latericiam reperi, marmoream relinquo. Fuit mitis & gratus & ciuilis animo, toto corpore pulcher. Sed maxime oculi, quorum acies clarissimorum siderum modo vibrabant. Nec tamen hic tantus vir vitijs caruit. Fuit enim paululum impatiens & iracundus, occulte inuidus, palam fastidiosus, dominandi, vix supra quam æstimari potest, cupidus, aleæ lusor studiosus, seruiebat libidini. Erat tamē vitiorum seueritissimus vltor.

Anno

Anno Octauiani Cæsaris Augusti XLII. quum firmissimam pacem cum omnibus gentibus ordinatione Dei Augustus composuit,& pace illa durante XII. annis,nascitur in Bethleem ex Maria virgine Dominus noster Iesus Christus,verus Deus & verus homo,cui pax illa famulabatur. Imperator Augustus se Dominũ appellari dato edicto omnibus inhibuit. Circulus ad cœlestis arcus speciem sereno tempore apparuit orbem ambiens. Templum Palladis miræ structuræ in nocte natiuitatis Domini Romæ corruit. Sic enim Dii prædixerãt, Templũ hoc corruet,quando virgo parit. Fons olei largissimus ibi vsq; in Tiberim per totum diem fluxit. Augustus XXX. millia seruorum dominis restituit, XX. sibi retinuit, VI. millia quorum dominium extabat,in crucem egit. Item LXXIII. legiones solus imperio suo ad tutamen Orbis terrarum distribuit, & ouans ingressus vrbem Romam, omnia priora debita vel tributa populi donandum in literis suis censuit. Et ab eo exiit edictum, vt describeretur vniuersus orbis. Augustus Rempublicam quam bello acquisierat, pace nutrire & amplificare studens leges plurimas statuit,per quas humanum genus libera reuerentia morem disciplinę gereret. Sed potentissimæ illæ quondam humanę reipublicę moles,nunc magis imbecillitate propriæ senectutis, quam alienis concussæ viribus contremiscunt.

Anno incarnationis Domini III. Herodes rex occidit infantes.

Anno Domini VI. mala morte moritur rex Herodes Ascalonita. Post hoc reuertitur Christus de Ægypto.

Anno Domini XIV. Octauianus cum Tiberio censum Romæ agitans, inuenit nonagies ter centena millia hominum & LXX. millia hominum.

Anno Domini XV. qui est imperii Augusti LVII. ipse Augustus in Campania morbo moritur,ætatis suæ anno LXXV. Alibi legitur, quod ipse Augustus veneno interiit. Quem mortuum Senatus multis modis honorandum censuit, dicentes: Vtinam aut non nasceretur,aut natus non moreretur.

De Tiberio Cæsare.

ANno Domini XVI. Tiberius priuignus Cæsaris Augusti regnare cœpit,& regnauit annis XXIII. Iste fuit satis prudens in armis, habens scientiam literarum, præclarus eloquio,sed ingenio pessimo,auarus,insidiosus,simulans se velle quod nollet,& ea nolle quæ vellet.

Anno Domini XXVII. Pilatus à Tiberio Cæsare præses Iudææ mittitur. Iste Tiberius lepra infectus,audita fama Iesu, Albanum quẽdam Pilato transmisit pro Iesu medico. Tunc Albano ostensa est quædam nobilis matrona nomine Veronica, quæ illi omnia facta de Iesu verissime narrauit, addens insuper de imagine vultus Domini impressa. Quo audito, Albanus gauisus ipsam matronam cum imagine Saluatoris Romam duxit Tiberio Cæsari, qui visa imagine sanitatem recepit.

De Ioanne Baptista.

ANno Domini XXX. Ioannes baptizare cœpit, & Dominum Iesum in Iordane baptizauit:& cœpit Iesus signa facere,& docere,& prædicare.

Anno Domini XXXI. Dominus discipulos elegit.

Anno Domini XXXII. discipuli Domini Iesu per Judæam verbum Dei prædicant. Ioannes decollatur.

Anno Domini XXXIII. ipse Dominus Iesus Christus passus est, & resurrexit,& ascendit ad cœlos, & Spiritum sanctum misit super CXX. discipulos, tempore Tiberii Cæsaris imperii.

Anno eodem, beatus Stephanus à Iudæis in Hierusalem lapidatur.

Anno Domini XXXIV. Iacobus frater Domini Hierosolymis episcopus ordinatur ab Apostolis,seditque annis XXX. & Saulus conuersus factus est Paulus. Post ascensionem Domini Thaddæus Apostolus missus à Domino, profectus est in Edissam ciuitatem,vbi Abagarum regem infirmum curauit,& eum & omnes baptizauit.

Epistola Pilati.

ANno Domini XXXVII. Pilatus ad Tiberium Cæsarem scripsit de passione & resurrectione Domini, & virtutibus eius, per quas crescente plurimorum fide Deus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

crederetur. Tiberius audiens de Christi passione & resurrectione, & de virtutibus quę per ipsum & discipulos eius fiebant, cum magni fauoris suffragio retulit ad Senatum, vt Christus Deus haberetur. Senatus tum indignatione motus, cur non sibi secundum morem delatum esset, vt de suscipiendo cultu Christi prius ipse Senatus decerneret, consecrationem recusauit. Hoc pro vera voluntate Dei factum est, ne diuina virtus humanis putaretur assertoribus indigere. Ab isto fluuius Tiberis nominatur. Iste Tiberius cum magna modestia præfuit reipublicæ: dicens, Boni pastoris esse pecus tondere, non excoriare. Amphitheatri pars, populo spectante gladiatorum congressum, collapsa est, & plus quam xx. millia hominum occidit.

Anno Domini xxxviii. Caius Caligula suscepit imperium, & regnauit annis tribus, mensibus decem. Hic fuit frater Tiberii Cæsaris. Iste nequam & flagitiosissimus fuit. Nam in palatio matronas nobiles publice libidini subiecit, & tribus sororibus stupra intulit, ex vna earum natam filiam etiam defloravit. Hic primus diademate imposito Dominum se appellari iussit, & in Deorum numero se inferri præcepit.

De morte Pilati.

Anno Domini xl i. Pilatus præses à Caio imperatore multis calamitatibus oppressus, seipsum interfecit, & corpore eius in Tiberim præcipitato, spiritus maligni corpus eiusdem rapientes, nunc in aquis eisdem inundationes mouerunt, nunc in aere nubium fulgurum è collisione & tempestate, grandine & tonitruis mentes hominum terruerunt. Quapropter à Tiberi fluuio resumptus in Galliis apud Vien. nam Rhodano fluuio immergitur. Viennenses autem aeris intemperiem & malorum spirituum non sustinentes importunitatem, substantiæ corpus à se remouerũt, & in vicinis alpibus in quodam puteo submerserunt.

De morte sanctæ Mariæ virginis.

Anno Domini xliii. glorioſa regina mundi exultantibus angelis in cœlum est assumpta: anno ætatis eius (vt quidam tradunt) lv; anno vero a passione Domini ix. Symbolum ab Apostolis compositum est. Matthæus Euangelium scripsit Hebraice. Et Caius imperator à militibus occiditur in palatio: in cuius arca diuersa venena inuẽta sunt; quibus in maria proiectis, maria infecta sunt, & multitudo piscium mortua est.

De Claudio.

Anno Domini xli. Claudius imperium adeptus, & regnauit annis xiii. Hic filius Drusi priuigni Augusti apud Moguntiam habet sepulturam.

Anno Domini xliv. Apostoli in totum orbem diuisi, anno à passione Domini xii. vt Beda scripsit.

Anno Domini xlv. primus episcopus post Petrum Antiochię ordinatur Euodius. Hoc anno Iacobus frater Ioannis Euãgelistæ creditur decollatus ab Herode Agrippa in Hierusalem. Cuius corpus per Hermogenem & Philetum ipsius discipulos in Hispaniam, vbi ipse prius prædicauerat, cooperante Dei gratia translatum est.

Anno Domini xlvi. facta est grauissima fames per Syriam: quod etiam Agabus propheta prædixerat, vt in Actibus legitur. Hoc anno Petrus Apostolus, primus papa, venit Romam, Claudii imperatoris anno iv. Marcus Euangelista Alexandriam petiit.

Epistola Iesu Christo missa.

Exemplar epistolæ scriptæ à rege Abagaro, Toparcha Ediſſæ ciuitatis ad Iesum Christum, & missæ Hierosolymam per Ananiam cursorem. Abagarus rex Toparcha, Vchaniæ filius, Iesu saluatori bono qui apparuit Hierosolymorum, salutem. Additũ mihi de te est, & de sanitatibus quas facis, quod sine medicamentis & herbis pereant ista, & quod verbis tantum facis cæcos videre, claudos ambulare, & leprosos mundas, & immundos spiritus dæmones eiicis; vt eos qui longis ægritudinibus fatigantur, curas & sanas, mortuosque suscitas. Quibus omnibus auditis, de te statui in animo meo vnum esse è duobus: aut quod tu sis Deus, & descenderis de cœlo & facias: aut quod filius Dei sis qui hæc facis. Propterea ego rogaui te scribens, vt digneris vtique

ris vsq; ad me fatigari,& ægritudinem meam qua diu laboraui, curare. Nam illud comperi,quod Iudæi murmurant aduersum te,& volunt tibi insidiari. Est autem mihi ciuitas parua sed honesta,quę sufficit vtrisque.

Exemplar responsionis Iesu Christi per Ananiam cursorem ad Abagarum Toparcham regem Ediſſæ:

Beatus es qui credidisti in me, cum me ipse non videris. Scriptum est enim de me, quod hi qui vident me non credent in me,& qui non vident me, ipsi credent & viuent. De eo autem quod scripsisti mihi vt veniam ad te: oportet me omnia propter quæ missus sum,hic explere,& posteaquam expleuero, recipere me ad eum à quo missus sum. Cum ergo fuero assumptus, mittam tibi aliquem ex discipulis meis,vt curet ægritudinem tuam,& vitam tibi atque his qui tecum sunt præstet, & ciuitati tuæ, & nullus aduersariorum vos vnquam exsuperare possit. Postea vero quando assumptus est Iesus, misit ei Thaddæum Apostolum, qui cõpleuit omnia quæ ipsi regi promiserat Dominus Iesus Christus per epistolam. Hæc in primo libro ecclesiasticæ historiæ habentur.

Epistola Pilati ad Claudium.

CVm Romæ disceptaret Petrus Apostolus coram Nerone cum Simone Mago, hæc epistola Pilati suadente Petro coram Nerone recitata est, iubente & audiente Nerone imperatore,sicut legitur in legenda Apostolorum Petri & Pauli.

Pontius Pilatus Claudio suo salutem. Nuper accidit, & quæ ipse probaui Iudæos se suosque posteros per inuidiam crudeli damnatione punisse. Denique cum promissum haberent patres eorum,quod illis Deus eorum mitteret filium, qui eorum rex merito diceretur &esset,&hunc se promitteret per virginem missurum ad terras Hebræorum. Igitur Deus cum esset,& vidissem eum cæcos illuminasse,leprosos mundasse, paralyticos curasse,dæmones ab hominibus fugasse, mortuos etiã suscitasse, imperasse ventis, ambulasse suis pedibus super vndas maris, & multa alia miracula fecisse,cum omnis populus Iudæorum hunc Dei filium dicerent: inuidiam contra eum passi sunt principes sacerdotum,& tenuerunt eum,& mihi tradiderunt, & alia pro aliis mihi mentiendo gellatum tradidi arbitrio eorum:illi autem crucifixerunt eum, & sepulto custodes abhibuerunt. Ille vero militibus meis custodientibus die tertio surrexit. In tantum autem exarsit inuidia eorum,vt darent pecuniam eis dicentibus: Dicite: discipuli eius corpus eius rapuerunt. Sed cum accepissent pecuniam, quod factum fuerat tacere non potuerunt. Nam illum resurrexisse testati sunt,se vidisse,& à Iudæis pecuniam accepisse. Hæc ideo ingessi, ne quis aliter mentiatur, & æstimet credendum mendaciis Iudæorum. Cumq; perlecta fuisset epistola, Nero dixit: Petre si ista quæ scripsit Pilatus Claudio, vere ita se habent? Et Petrus cum Paulo: Ita vere se habent omnia bone imperator. Sancti Apostoli præ omnibus ecclesiis dedicauerunt primo ecclesiam Diospolin in honore Domini nostri Iesu Christi,& sanctæ Dei genitricis Mariæ virginis, sed nullius hominis manu facta, & tamen quasi carnea. Item in sancta ecclesia Gethsemani quæ fuit in valle Iosaphat, non longe à Diospoli imago sanctæ Dei genetricis Mariæ virginis similiter apparuit picta,sed à nullo homine facta. Item in Sardinia imago beatę virginis est,quę circa vbera videtur carnea,& singulis Sabbatis desudat oleũ,vt dicitur.

Anno Domini LVI, Claudius imperator veneno interiit. Petrus Apostolus in terra sancta à passione Domini mansit quinque annis, & sedit Antiochiæ XII annis. Videtur V sub Tiberio, IV sub Caio,& III sub Claudio. Sic XIII anno à passione Domini Petrus Apostolus venit Romam, & sedit ibi XXV annis. Et nota, quod nullus papa postea sedit tot annis. Petrus in Antiochia, vt scribit beatus Gregorius in Regiſtro primã Missam cum orationib. celebrauit,scilicet cum Pater noster, & cum forma verborum, in quibus est vis conficiendi. Petrus à paganis captus, & ad ludibrium Christianorum barba rasus,& capite decaluatus,& in gyrum attonsus;& hoc deinceps ipse in mysterio in ecclesia fieri instituit. Petrus Antiochenam ecclesiam, vt fidelis seruus & prudens, fundauit: quæ habuit postea Domino disponente sex archiepiscopatus, & CLIII episcopatus.

De Nerone.

ANno Domini LVII, Nero sumsit imperium, & regnauit annis 14. Hic Nero imperator sceleratissimus fuit, plurimam Senatorum partem interfecit, vrbem Romã per sex dies & noctes incendit, vt quale fuisset incendiũ Troiæ videret. Ipseq; stans in altissima turri perspectans lætus flammas cauebat. Porro libidinibus tantis est agitatus, vt vel matre sua quidem, vel sorore sua vllave consanguinitatis reuerentia temperaret vel referatur * abstinuisse virum cum vxore duxit. Seneca magister Neronis iubente Nerone elegit mortem sibi incisi one venarum. Primus persequutionem in Christianos mouit, & per omne regnum suum ipsum nomen Christianorum delere voluit. Iubente Petro, Simon Magus à dæmonibus qui eum per aera portabant, coram Nerone derelictus, corruens, Romæ confractus est. Hic Nero Petrum crucifixit & Paulum decollauit Romæ vno eodemque die.

Anno Domini LXX, tunc & ipse Nero à Senatu condemnatus seipsum interfecit. Sed alibi legitur, quod fugiens Nero fame & siti in sylua obriguit, & à lupis deuoratus est. Sanctus Ignatius, qui ẽt cum ipsis Apostolis degebat, ordinatur Antiochiæ episcopus à sancto Petro post Euodium. In Antiochia discipuli Christiani dicti sunt. Tũc primo in Antiochia per S. Ignatium & p cantũ angelorũ Antiphonæ initiũ habuerunt, & exinde ad cunctas exiuit ecclesias cantare antiphonas. Petrus Apostolus primus papa instituit plurimas, scilicet in Asia, Italia, Gallia, Germania, Hispania, Aphrica, Sicilia, ecclesias, & multos ordinauit episcopos, presbyt. & diac. dist. 11. Quis nesciat. Per Clementẽ ipse Petrus põtificalia ornamẽta & sacerdotalia & altaria ordinauit. Per impositionẽ manũ ipse Petrus primo dedit Spiritũ sanctum, & hoc episcopis tradidit faciendũ, & constituit corpus Domini à ieiunis sumi, exceptis ægrotis, & quod corpus Domini diuidatur in altari. Linus papa à S. Petro ordinatus, & coadiutor Petri sedit an. 12. Passus est Romę sub Nerone. Hic iubente S. Petro cõstituit, vt velato capite mulier intret ecclesiam.

Cletus papa ordinatus est à S. Petro, & coadiutor Petri sedit annis 13. Passus est sub Nerone. Hic iubente S. Petro constituit & ordinauit XXV presbyteros in vrbe Roma. Petrus iussit Maternum, & Valerium, & Euchariũ prædicare verbum Dei citra montes nationibus, quorum primus suscitatus est cum XL dies mortuus fuisset per baculũ missum à Petro apostolo: vnde papa non vtitur baculo.

Anno Domini LXIII, Iacobus Apostolus frater Domini in Hierusalem præcipitatur, & pertica fullonis occiditur, postquam ecclesiam Hierosolymitanam rexerat 30 annis. Et Symeon in locum eius ab Apostolis substituitur. Matthias eodem anno lapidatus & securi percussus martyrium compleuit.

Anno Domini LXIV, Marcus Euangelista & Patriarcha Alexandriæ passus est.

Anno Domini LXXI, Galba & Vitellius imperium adepti regnauerunt anno vno. Isto Vitellius imperator in Tyberi ab hostibus submersus est. Otto imperiũ fraudulenter est adeptus. Hic Otto Galbam imperatorẽ in foro decollauit. Otto regnauit mensibus 4, & se interfecit. Isto tempore sedit Clemens papa secũdus post Petrum annis 19. mensibus 2. Hic Clemens fuit institut⁹ à S. Petro in successorẽ x q. l. te quidem: sed Clemens successorem papam non instituit. In hoc videtur, quod Clemens electionẽ papæ instituit, sicut Petrus Apostolus ecclesiæ tradidit, & de azymo panem cõfecit, ita Clemens papa & sacrosancta ecclesia Romana confecit, ita huc inuariabiliter seruauit. Hic Clemẽs papa post passionem Apostolorũ Petri & Pauli direxit S. Dionysium Areopagitam in Gallias ad prædicandum verbum Dei. Missi à Petro sederunt episcopi Apollinaris in Rauenna, Demonico in Aquitania, & Lazarus quem suscitauit Dominus in Marsilia. Duæ quoq; sorores eius apud ipsum multas animas Deo lucratæ sunt. Beata Martha multis videntibus in Cerasconia posita est in in sepulchro, ab ipso Domino Iesu Christo & episcopo quodã nomine Fronto. In hoc Dominus suam hospitam honorauit. Hic Clemens papa XII regiones Notariis cõmisit, qui fideliter gesta martyrũ conscriberent. Et cõstituit sententiã excommunicationis in contumaces & inobedientes, sicut à beato Petro & Apostolis traditum est ecclesiæ. Constituit etiam, vt doctores studium habeant in ecclesiis. Et constituit, vt episcopi habeant archidiaconos, qui sint oculi episcopi. Hic Clemens papa tradente beato Petro Apostolo vsum sacrarũ vestium ex lege sumsit ad celebrandũ missas: pontificalẽ baculum, annulum, palliũ & cæterarum rerum dedit formam, & seruari censuit. Tempore Clementis Vespasianus, & Titus, & Domitianus

tianus, Cæsares fuerunt. Clemens papa mersus est cum anchora. Passus est sub Traiano vel Domitiano in Græcia. Vnde mirabilis Deus in Sanctis suis dedit ei habitaculum in mari, in modum templi marmorei angelicis manibus præparatum, ita præbens populo terræ tempore opportuno.

Anno Domini LXXII, Vespasianus imperium adeptus, regnauit annis 9, & profluuio ventris mortuus est. Hic militari virtute præcipuus, & optimis comparandus, inimicitias in corde non retinuit. Hic Vespasianus imperator quoddam genus vermium habens in naribus audiuit de Iesu Christo, quod magnus fuisset medicus, sed à Pilato occisus; credit eum filium Dei, & ab eo posse sanari, & statim sanatus fuit. Tunc exposuit de excidio Iudæorum. Vespasianus imperator Hierosolymam obsidens, mortuo Nerone imperator creatus est.

Excidium Hierosolymæ.

ANno Domini LXXIII, Hierosolyma à Tito imperatore filio Vespasiani capitur, & capta ciuitate Hierusalem Titus sumptum Manna de templo Romã perduxit. Ibi in subuersione Hierusalem Titus DC millia Iudæorum interfecit. Iosephus vero vnus ex Iudæis qui tunc ibidẽ bello præfuit, scribit vndecies centena millia Iudæorũ ibi fame & gladio interiisse, & c millia Iudæorum captiuorum publice venundata fuisse. Oportuit autem, vt iisdem diebus Paschæ interficerentur, quibus ipsum saluatorem nostrum Iesum Christum interfecerunt. Hæc subuersio Hyerosolymorum facta est anno ab exordio euangelicæ prædicationis XL II; anno vero à Dario rege sub quo reædificatum templum, DXX; à prima autem ædificatione templi sub Salomone anno MCII.

De Tito.

TItus imperator post patrem suum Vespasianum regnauit annis 2, & morbo mortuus est. Iste Titus in Græca & Latina lingua disertissimus, bellicosissimus, moderatissimus, omniumque genere virtutum mirabilis, adeo vt amor & deliciæ generis humani diceretur: tantæ vero largitatis erat, vt nulli à se petenti aliquid negaret.

Anno Domini LXXXIII, Domitianus frater Titi imperiũ adeptus regnauit annis 16. Hic Neroni similior, quam Tito fratri suo. Hic secundã persequutionẽ post Neronem mouit in Christianos, & Ioannem Apostolũ in Patmon insulã relegauit, vbi & Apocalypsin scripsit. Iste Domitianꝰ imperator omnib. odiosus cõiuratione suorũ occisus est.

Anno Domini LXXXIX, Anacletus papa, tertius à sancto Petro ordinatus, sedit annos 9, & menses 2. Hic constituit, vt quilibet episcopus non minus quam à tribus episcopis ordinetur, sicut habuit in Actibus à S. Petro. Hic constituit in Missa dici *Pax vobis, & Dominus vobiscum, & cum Spiritu tuo, & Amen.* Et constituit, vt episcopi ieiuni ordinent clericos cum Missa. Et constituit, vt clericus non comam mittat nec barbam, sicut & Petrus instituit. Passus sub Traiano.

Anno Domini XCIX, Nerua suscepit imperium, & regnauit anno 1, & morbo interiit. Hic ex decreto totius Senatus constituit, irritum fieri quicquid Domitianus fieri iusserat, & edicto suo omnes exules reuocauit: vnde & S. Ioannes Apostolus ab exilio reductus in Ephesum, rogatus ab episcopis Asiæ, Euangelium scripsit contra hæreticos.

Anno Domini C, Traianus, genere Hispanus, in Colonia Agrippina ciuitate factus imperator, regnauit annis 19, & profluuio ventris interiit. Pro anima istius saluãda beatus Gregorius papa suppliciter intercessit: ad cuius preces & lachrymas Deus posuit animã suam in meliorẽ locum. Tempore huius Traiani, Ioannes in Epheso obdormiuit in Domino, anno à passione Domini LXXIII, anno vitæ suæ LXXXVIII. Iste tyrannus rempubl. ita administrauit, vt omnibus principibus merito præponeretur. Iste fuit laboris patiens, iusticiæ & iuris tam repertor quam custos. Hunc eum amici culparent, quod nimium clemens esset erga omnes, respondit, Talis imperator debet esse erga omnes subiectos, quales erga se imperatores optaret esse ipse priuatus. Hic Traianus postea errore deceptus persequutionem mouit in Christianos.

Anno Domini CIII, Euaristus papa à Petro IV ordinatur. Hic titulos in vrbe Romana diuisit cardinalibus, presbyteris, & diaconis, & VII diaconos ordinauit, qui custodirent papam prædicantem populo stilum veritatis. Hic passus est sub Traiano imperatore, & Symeon quoque crucifixus est CXX annorum, & Ignatius episcopus Antiochiæ bestiis traditus. Hic Euaristus sedit annos 9, menses 10.

Anno Domini cxi, Alexander papa à Petro v ordinatur. Hic addidit in missa *Quipridie*, & constituit vinum in Missa cum aqua misceri. Hic constituit sal & aq̃ aspersionis in Dominicis diebus. Hic sedit annis x, mensibus vii. Passus est sub Adriano imperatore. Iste etiam Alexander papa constituit fieri in Canone commemorationem Dominicæ passionis. Temporibus huius papæ Helius Adrianus imperium tenuit, & regnauit annis 20. Ab isto Adriano mare Adriaticum dicitur. Fuit aũt de Adria ciuitate, eruditissimus & facundissimus in philosophia & musica & geometria. Iste Hierosolymam à Tito & Vespasiano destructam in meliorem statum, in eo loco vbi crucifixus est Dominus extra portam restaurauit, & Heliam de suo nomine vocauit. Hic persequutionem in Christianos mouit. Igitur primam Nero, secundam Domitianus, tertiam Traianus, quartam vero mouit Helius Adrianus. Hic rempub. laudabiliter rexit, & obiit.

Anno Domini cxxi, Sixtus papa vi à Petro ordinatus, sedit annis 10, mensibus 3. Passus est sub præfato Adriano.

Anno Domini cxxxi, Telesphorus papa vii à Petro ordinatus, sedit an. 11, mens. 3. Hic constituit iii Missas in Natiuitate Domini solenniter celebrari propter tria tempora, scilicet Ante legem, Sub lege, & Sub gratia, & vnam ex ipsis in nocte, & tunc cantari *Gloria in excelsis*. Hic etiam constituit, vt xl fieret ante Pascha. Passus est sub præfato Adriano.

Anno Domini cxl, Hyginus papa à Petro viii, sedit annis 4, mens. 1. Hic clerum constituit & gradus distribuit. Passus est sub Antonino imperatore.

Anno Domini cxliv, Pius papa ix ordinatus, sedit annis 15, mensibus 4. Isti ab angelo nuntiabatur, quod Pascha die Dominico celebrandum sit. Passus est sub Antonino imperatore. Iste Pius papa constituit sententiam excommunicationis in violatores & vastatores ecclesiæ, & rerum ecclesiasticarum. Constituit etiam, vt clerus qui suo episcopo insidias parauit, depositus curiæ tradatur.

Antoninus imperator qui & Pius dicebatur, regnauit annis 20. Isti Iustinus philosophus librum pro Christiana religione compositum obtulit, eumque beneuolum erga Christianos fecit. Iste Antoninus bene Rempublicam administrauit, & obiit.

Anno Domini clix, Anicetus papa à Petro x ordinatus, sedit annis 11, mensibus 6. Hic constituit, vt clerici habeant coronas in modum sphærulæ, & quod comam non nutriant. Passus est sub Marco Antonino.

Anno Domini clxix, Soter papa xi ordinatus, sedit annis 9, mens. 7. Hic constituit, vt monacha velũ portet, & nulla fœmina ministret presbytero ad altare, & quod nulla fœmina apud aliquem clericum de quo suspicio haberi possit, in hospitio maneat: quod si fecerit, excommunicetur. Sub isto papa sedit Theophilus Antiochiæ episcopus, vir sapiens. Passus est sub Antonino & Marco.

Anno Domini clxxviii, Eleutherius papa xii à S. Petro ordinat⁹, sedit annis 15, mẽs. 9. Hic constituit diem Paschæ die Dominico celebrari: item quod nulla esca vsualis à Christianis repudiaretur q̃ Dominus creauit, quæ tamen humana est: non de carnibus porci. 1. Tim. 4. Abstinens à cibis quos Deus creauit. Aurelius imperator vsum porcinæ carnis populo instituit. Ad Eleutherium Lucius rex Britanniæ scripsit literas, rogans vt baptizaretur: q, & factum est. Passus est sub Antonino & Polycarpus, & multi alij apud Viennã & Lugdunũ. Iste imperator vocabatur Antoninvs Marcvs Verys, & regnauit an. 19. Per apoplexiã interiit. Iste nobilissimus fuit: iste omnes virtutes & cælestes ingenium habuit, & in calamitatib. publicis factus est quasi defensor, & si ipse in illis temporib. non fuisset, gloria Romana periisset. Iste Antoninus Seuerum consortem imperij fecit. Hic Anton. Marcus Verus persequutionem in Christianos mouit quintam.

Anno Domini cxci, Victor papa à Petro xiii ordinatus, sedit annis 11. Hic constituit, sicut & prædecessor Eleutherius, Dominica celebrari Pascha à xiv Luna mẽsis primi Martij vsq; in 21. Passus est sub Antonino Cõmodo Aurelio. Iste Antoninvs Commodvs imperator regnauit annis 12. Iste in luxuriis & in omni sorde vixit. Hic omnibus incommodus ab vxore sua Martia veneno interfectus strangulabatur.

Anno Dom. cciii, Zephyrinus papa à Petro xiv ordinatus, sedit an. 8. mens. 7. Hic constituit, vt omnia vasa altaris essent vitrea.

Helius Pertinax imperator regnauit menses sex. Iulianus

Iulianus Salinus imperator regnauit menſes ſeptem. Iſti duo nil dignum memoria egerunt, ſed otioſi ſunt ambo.

Seuerus ſeptimus imperator regnauit annis 17. Iſte Parthos & Arabes ſuperauit. Iſte etiam perſequebatur Chriſtianos. Sub iſto papa Zephyrinus paſſus eſt. Perpetua & Felicitas beſtiis deputantur Carthagini, & plures alij paſſi ſunt.

Antonius Caracalla factus imperator regnauit annis 6, & occiſus eſt.

Opilius imperator factus regnauit anno vno, & occiſus eſt.

Antonius Aurelius imperator factus, regnauit annis 4, & occiſus eſt.

Anno Domini ccxxi, Calixtus xv ordinatur. Hic conſtituit ieiunia quatuor temporum, & conſtituit, vt nullus contrahat cum cognata eius, quam carnaliter cognouit vſq; ad quartum gradum. Hic cœmiterium primo inſtituit. Hic ſedit annis 6, menſibus 2. Item cõſtituit, vt nullus Simoniace ordinetur clericus, & quod nullus ordines emat vel vendat, & quod ſit irregularis qui in his reus fuerit. Cõſtituit ẽt ſententiam excommunicat. fieri in contumaces & rebelles. Iſte Calixtus papa paſſus eſt ſub Alexandro imp.

Anno Domini ccxxvi, Vrbanus papa à Beato xvi ordinatur. Sedit an. 4, mẽſ. 10. Hic multos conuertit ad fidem, ac Tiburtium & Valerianum conuertit. Hic conſtituit, vt omnia vaſa altaris eſſent aurea, vel argentea, vel ſaltem ſtannea. Et conſtituit, vt nullus omnino vel emat vel vendat eccleſiam, vel præbendam, vel eccleſiaſtica ſacramenta. Et conſtituit confirmationem fieri in fronte baptizatis ab epiſcopo cum chriſmate. Paſſus eſt ſub Alexandro imperatore, & ſimiliter Tiburtius, & Valerianus, & B. Cæcilia.

Iſte Alexander imperator regnauit an. 13. Huius imperatoris matrem Origenes Chriſtianam fecit. Huius imperatoris tempore ſanctus Narciſſus Hieroſolymitanus claruit, & beata Affra. Iſte Alexander imperator transferri iuſſit beatiſſimi Thomæ corpus de India in Ediſſam ciuitatem. Iſte Xerxen regem Perſarum vicit, & plurimos Chriſtianos occidit: & ipſe Alexander in & Moguntia occiſus eſt.

Anno Domini ccxxxi, Pontianus papa xvii ordinatur. Sedit annis 9, menſibus 6. Paſſus ex ſub Iulio Maximino & ſub Alexandro, imperatoribus. Poſt iſtum Pontianum papam ſedit Cyriacus papa anno vno: ſed non eſt in catalogo Romanorum põtificum, quia receſſit à ſede, & paſſus eſt ſub Iulio & Maximiano imperatoribus.

Anno Domini ccxl, in Colonia cum xi millibus virginibus à rege Hunorum Iulio.

Anno Domini ccxlii, Antherus papa xviii ordinatur. Sedit an. 12, menſe vno. Paſſus eſt ſub Iulio Maximiano. Hic conſtituit, vt epiſcopi de ſede ad ſedem transferri poſſint, & conſtituit, vt geſta martyrum ſcriberentur. Conſtituit etiam ſententiam excommunicationis fieri. Iulius Maximinus imperium adeptus regnauit annis 3. Hic ſextam perſequutionem in Chriſtianos mouit. Iſte Aquileiæ occiſus eſt.

Anno Domini cclIV, Fabianus papa xix ordinatur. Sedit annis 4, menſibus 11. Paſſus eſt ſub Decio. Super caput huius Fabiani deſcendit columba de cœlo, cũctis videntibus, & mox electus eſt ab omnibus in papam. Hic conſtituit, ſacerdos ſi vellet, pro cuncta cauſa poſſet iurare. Cõſtituit etiam, vt nullus emat vel vendat eccleſiam aut beneficia eccleſiaſtica vel ſacramenta, & quod talis Simoniacus ſit irregularis. Et cõſtituit fieri ſententiã excommunicationis. Tempore Fabiani papæ Gordianus imperator regnauit an. 6, & occiſus eſt ſub Fabiano papa.

Philippus imperator cum filio ſuo Philippo regnauit annis 7. Iſti omnium imperatorũ primi Chriſtiani facti ſunt. Tempore horum imperatorum, annus ab Vrbe condita milleſimus feſtiue celebrat⁹ eſt Romæ. Iſti pariter imperatores occiſi ſunt, & fraudulenter à Decio qui inuaſit imperium.

Anno Domini cclxviii, Cornelius papa à Petro xx ordinatur. Sedit anno vno. Paſſus eſt ſub Decio. Hic rogatus à quadam matrona nomine Luceria leuauit corpora Apoſtolorum Petri & Pauli de catatumbis: & cum dubitaretur, quę oſſa vni⁹ vel alterius eſſent, vox de cœlo intonuit dicens, Oſſa maiora Piſcatoris, oſſa minora Prædicatoris. Et diuiſerunt ſic corpora Apoſtolorum, poſtquam iacuerunt cxi annis ſub terra ſcilicet ab vltimo anno Neronis vſque ad primum Decij.

Anno Domini cclxix, Sixtus papa xxi ordinatus ſedit menſibus 10. Paſſus eſt ſub Decio, & beatus Hippolytus, & ſanctus Laurentius, & multi alij martyres. Hoc anno vii Dormientes, perſequutionem Decij fugientes, abſconderunt ſe apud Epheſum in

quadam ſpelunca, & dormierunt per annos cxxii, videlicet vſque ad tempora Theodoſij imperatoris Chriſtianiſſimi, & tunc eos ſuſcitatos reuelant. Ipſo anno beatus Antonius abbas claruit. Sixtus papa conſtituit in miſſa cantari; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus. Decius imperator regnauit annis 2, menſibus 6, & occiſus eſt. Hic ſeptimam perſequutionem in Chriſtianos mouit, & multos ſanctos interfecit.

Anno Domini CCLXX, Dionyſius papa XXII ordinatur. Sedit an. 2. Paſſus eſt ſub Iunio Gallo imperatore. Hic presbyteris eccleſias diſtribuit & parochias diuiſit. Iſte Iunius Gallus imperator cū Voluſiano filio ſuo imperatore regnauit an. 2, & ambo occiſi ſunt.

Anno Domini CC LXXII Lucius papa XXIII ordinatur. Sedit annis 3, menſib. 4. Paſſus eſt ſub Valeriano & Gallieno imperatoribus. Hic conſtituit, vt tres presbyteri & tres diaconi ſemper ſint cum epiſcopo. Et conſtituit fieri ſententiā excommunicationis.

Anno Domini CCLXXV, Stephanus papa XXIV ordinatur. Sedit annis 8, menſib 7. Paſſus eſt in principio Auguſti ſub Valeriano & Gallieno imperatoribus. Hic conſtituit in ſacris veſtibus ſicut & Clemens celebrari, & quod veſtes ſacræ ad quotidianum vſum non habeantur. Conſtituit etiam, vt papa præſente ſenatu & populo & clero eligatur: & conſtituit, vt in epiſcopum non eligatur aliquis, niſi ſit XXX annorum.

An. Domini CCLXXXIII, Sixtus papa XXV ordinatur. Sedit an. 2. menſ. II. Paſſus ſub Valeriano & Gallieno. Hic conſtituit, vt miſſa celebraretur ſuper altare verſus Orientem.

Anno Domini CCLXXXIV, Dionyſius papa XXVI ordinatur. Sedit annis 5, menſ. 2. Hic ēt parochias diuiſit. Paſſus eſt ſub Valeriano & Gallieno. Iſte Valerius imperator, qui & Licinius vocabatur, cum filio ſuo Gallieno regnauit annis 15. Hic perſequūtionem octauam mouit in Chriſtianos. Iſti prælatos ſanctos & multos occiderūt. Cyprianus quoque Carthaginenſis epiſcopus doctor præcipuus ſub iſtis imperatoribus paſſus eſt. Iſte Valerianus Licin. imp. à Sapore rege Perſarum captus, luminibus quoq; priuatus miſerabili ſeruitute conſenuit ibi in Perſia. Nam quamdiu viuebat, regem Sapore equum aſcenſurū dorſo attollebat. Iſte Valerianus & filius ſuus Gallienus imperat. occiſi ſunt.

Claudius imperator anno Domini CCLXXXIV, imperium adeptꝰ regnauit anno vno. Iſte morbo interiit. Gothos iam tunc per 15 annos Illyriam & Macedoniam vaſtantes ingenti prælio vicit. Poſtea in bello Allemannorum XV millia occidit. Quintilianus frater Claudij imperium adeptus regnauit dies 17, & occiſus eſt.

Anno Domini CCLXXXVI, Aurelianus imperator factus regnauit an. 5. Hic perſequutionem IX mouit in Chriſtianos. Terribile fulmen cū diris tonitrib. ſub pedib. Aureliani imperatoris ruit, oſtendens q; facinoris tanti vltor Deus non patiens eſſet: quanquā intra 6 menſes, tres imperatores occiſi ſunt, Aurelianus, & Tacitus, & Florianus. Et iſte imperator ſtrenuiſſime Gothos vicit. Hic apud Romanos diadema capiti ſuo impoſuit, & veſtes auro gemmisq; contextas in vſu habuit: quod ante Romanis moribus inconcruum fuit. Porcinæ quoq; vſum carnis populo inſtituit, & ipſe Aurelianus occiſus eſt. Tacitus imperium adeptus regnauit anno 1, & occiſus eſt. Florianus imperium adeptus regnauit menſ. 2, & occiſus eſt. Iſti duo vltimi nil egerunt memoria dignum.

Anno Domini CCLXXXVIII, Eutychianus papa XXVIII ordinatur. Sedit menſ. 10. Paſſus eſt ſub Probo imperatore. Hic conſtituit vuas & fabas & nouas fruges benedici, ſicut poſitum eſt in die ſancti Sixti papæ.

Probus imperium adeptus eſt: regnauit an. 6, & occiſus eſt. Iſte Probus imp. vir ſtrenuiſſ. & iuſtꝰ multa gerēs, Gallias à barbaris occupatas ingēti bellor. felicitate reſtituit.

Carus imperator filios ſuos Carinum & Numerianum Cæſares fecit: regnauit an. 2. Numerianus Cæſar factus ſanctos Chryſanthum & Darium occidit, & ipſe occiſus eſt. Carinus imperator ictu fulminis interiit. Iſte Carinus de Perſis triumphauit.

Anno Domini CCLXXXVIII, Gaius papa XXIX ordinatus, ſedit annis 9, menſ. 4. Paſſus eſt ſub Diocletiano. Hic conſtituit ordines clericorum, ſcilicet Oſtiarium, Lectorem, Exorciſtam, Acoluthum, Subdiaconum, Diaconum, Presbyterum.

Anno Domini CCXC, Diocletianus imperiū adeptus regnauit an. 20. Marcellinus papa à Petro XXX, ſedit an. 9, mēſ. 5. Paſſus eſt ſub Diocletiano. Iſto tempore Eccleſiaſtica hiſtoria ab Euſebio ſcripta fuit. Tunc tanta fuit perſequutio Chriſtianorū, vt infra vnū menſem XVII millia martyrio coronarentur, & ipſe Marcellinus papa cōpulſus à Diocletiano thura obtulit idolis, de quo poſtea pœnituit coram CXL epiſcopis. Et tunc ceſſauit

sauit papatus an.7,mens.5.Passus est sub Diocletiano.Hic constituit xxv cardinales in vrbe Roma propter baptismū & sepulturam.Hic etiā cōstituit,vt nullus clericus cui ustcunq; ordinis ad iudicem secularem trahatur absq; permissu sui episcopi.Hic etiā constituit,vt pueri,cum venerint ad annos discretionis, i.ad xv annum,si noluerint remanere in claustris,licite possint ire ad seculum & ad hæreditatem suam.

An.Dom.cccix,Eusebius papa xxxii ordinatur.Sedit an.2,mens.2. Passus est sub Diocletiano.Hic constituit,vt omnes Christiani festiuitatē sanctæ crucis 5 non. Maij, solenniter celebrarent.Quo passo,Melchiades papa xxxiii ordinatur. Sedit an.7, mens.7.Passus est sub Diocletiano.Hic cōstituit Dominico non esse ieiunādum.Hucusq; omnes papæ fuerunt martyres.Diocle.imper.regnauit an.20.Erat enim callidus, & sagax,& subtilis ingenij. Hic fecit Cæsarē Maximianum Herculiū de Pannonia natū genere rusticano.Iste Maximianus imperator pater fuit Maxentij, sub quo Catharina passa est.Diocletianus Constantiū filium Maximiani fratrem Maxentij Cæsarem fecit.Iste Constantius fuit pater Constantini magni imperatoris. Diocletianus moriēte Maximiano in Occidente persequutionē sæuissimā exercuit in Christianos,decimam post Neronem,quæ omnib. persecutionibus fuit immanior & diuturnior. Isti diuinos libros exuri,ecclesias destitui,Christianos occidi iusserunt.Tūc plurimi martyres passi sunt,Mauricius,Simplicius & alij,sc.B.Agnes,Lucia & Sebastianus. Diocletianus imperator iussit adorare se vt Deum. Diocletianus & Maximianus imperatores vno die sunt depositi de regno & priuati.Diocletianus morte pessima mortuꝰ est.Maximianus in Marsilia strāgulatus occisus est. Diocletianus Imp.Narseū regē Persarū in thesauris & diuitijs plurimū copiosum & vicit & occidit:sicut Crœsus rex Lydiæ in diuitijs multis & thesauris magnis plurimum abundans victus & occisus est à Cyro rege Persarum.

Constantius imperator in Occidente, vir summæ mansuetudinis,cum Licinio regnauit annis 2.Iste Constantius imperator ex Helena genuit Constantinum.Iste Licinius imp.sororē Constantini Magni filiam Helenæ Treuerensis accepit in vxorem.Iste Licinius imperator putrefactus introrsus nimio fœtore & vermibus consumptus est.

An.Dom.cccxi, Cōstantinꝰ filius Cōstātij ex Helena natꝰ imp. creatus regnauit an.30.Maxentius imp.Maximiani Herculij filius in Oriēte regnauit vno,& submersus est.

An.Dom.cccxiii,Sylvester papa xxxiv ordinatur. Hic baptizauit Cōstantinū imperat.Sylvester papa sedit an.23, mēs.10. Hic cōstituit cōsecrationes & dedicationes ecclesiarū & altariū,& quod vngatur calix cū chrismate:& ipse Kyrieeleeson, Christeeleef.Kyrieeleef.de Græcis sumpsit.Cōstituit etiā,vt in pāno lineo mūdo, mūdo s.corporali,sacrificiū tātummodo celebretur, quia Ioseph corpꝰ Domini inuoluit sindone.

An.Dom.cccxviii,Nicena synodus & Nicenum concilium celebratur cccl & xviii episcoporū,sub Sylvestro papa,& sub Constantino impe. in quo Arrius condemnatur qui dicit,in Trinitate non vnam esse substantiam,sed diuersas,siue essentias. In eodem concilio symbolum,*Credo in vnum* contra Arrium cōposuerunt. Hoc Nicenū capitulū composuit *Gloria patri & filio & Spiritui S.* Sed Hieronymus adiecit, *Sicut erat in principio*, *&c.* Hic Constantinus impe. Maxentio bellū intulit,quia sibi in Oriente imperium vsurpauit.Cumq; cum Maxentio congredi hæsitaret,& de cœlo licet paganus auxilium quæreret,vidit per soporē ad Orientis partē in cœlo signū crucis igneo fulgore rutilare, & angelos sibi astare dicentes, *Constantine in hoc signo vinces.* Fertur autem & ipse Iesus Christus sibi apparuisse,& signū crucis ei monstrasse,& simili modo ei dixisse, *Constantine in hoc vinces.* Tunc Constantinus crucē in vexillo posuit, & congressus vicit Maxentium:& Romæ in Tiberi ipse Maxentius submersus est.Post Sylvester papa baptizauit Constantinū,& Cōstantinus à lepra mūdatus fuit in baptismo.Et regnauit an.30,mens. 10.Hic liberaliter Ecclesiæ dedit priuilegia multa, & S.Sylvestro papæ & successoribꝰ eius dedit regalia insignia,videlicet equum album & niueū, & indumenta coccinea,& plurima ornamenta. Frenum quoq; aureum & pectorale aureum equi & diadema imperiale aureū,Romā,& ciuitates multas, & omnes redditus ciuitatū dedit sancto Syluestro,ita vt semper vtatur illis pontifex. Et fecit Constantinopolim ciuitatem quæ ante Bizantium vocabatur,& fecit pontem in Danubio,& leges plurimas statuit. Constātinus etiā imperator fecit in suo palatio basilicā in honore Saluatoris nostri quæ dicitur Sancta Sanctorū vel Constātiniana,quā S. Sylvester dedicauit primo prę omnib.

ecclesijs. Ibidem seruatur cum magna reuerentia caro præcisa de vmbilico Domini & soleæ Domini, & portio viuificæ crucis ad modum humani cubiti longa, & velum de capite beatæ virginis Mariæ, & latus eiusdē Sanctæ Dei genitricis, & capita Apostolorum Petri & Pauli, & multa alia. Ibi non celebrat nisi papa. Cōstantinus quoq; fecit basilicam S. Petri in Vaticano in palatio Neroniano in templo Apollinis in monte aureo, quam fecit dominā & magistram omnium ecclesiarū, & exportauit de tellure fundamenti propriis humeris XII cophinos in honore XII Apostolorum. Posuit ibidē imperator corpus beati Petri in capsam ex ære & cupro spissam V pedū: & posuit super corpus B. Petri Apostoli ciboriū in quatuor columnis porphyreticis, & crucē de puro auro, habētem C L libras auri posuit super tumbā B. Petri: & posuit ipse Imperator circa tumbam B. Petri XII columnas onychinas, quas fecit afferri de Græcia. Corpus etiā beatissimi Pauli Apostoli ipse Imperator Constantinus posuit in catatūbis in capsam ex ære & cupro similiter spissam ex omni parte, sicut capsa beati Petri. Capita tamen beatorū Petri & Pauli in Sancta Sanctorum sunt reposita ab ipso Imperatore. Idē Constantinus Augustus fecit Lateranensem ecclesiā beati Ioannis Baptistæ. Posuit quoq; ibi arcā testamenti quā Titus imperator asportauerat de Hierusalem, quando destruxit eam. In arca ibidem sunt hæc, videlicet tabulæ testamenti, virga Aaron quæ fronduerat, manna, pars de panibus Domini ordeaceis, tunica Domini inconsutilis, pars arūdinis Domini, vestis S. Ioannis Baptistæ, & multa alia. Super arcā illam intra altare summum posuit mensam, in qua Dominus Iesus cœnauit cū discipulis suis. Super hoc altare Lateranēse nemo celebrat, nisi papa, vel cardinalis qui sit episcopus. Fecitq; imperator ibi per altare ciborium super quatuor columnas porphyreticas. Posuit etiā ibi imperator quatuor columnas æreas, grandes, deauratas. Singulis annis in cœna Domini præsente summo pontifice arca præfata à sacerdotibus cardinalibus violatur, & remota mensa in ipso concauo arcæ à papa corpus Domini & oleum & chrisma consecratur: sed in Sabbato secundo iterum reconsecratur à papa ob reuerentiā principis Apostolorum, qui super hoc altare ligneum dicitur celebrasse mysterium.

Anno Domini CCCXXV, sanctus Nicolaus episcopus migrauit ad Christum in Myrrha ciuitate, sub sancto Syluestro papa.

Anno Domini CCCXXXIV, Marcus papa XXXV ordinatur. Sedit an. II. mens. 8. Hic cōstituit, vt Ostiensis episcopus papam consecrare debeat, & pallio vtatur. Hoc & Sixtus papa constituit. Hic Marcus papa sedit tempore Constantini. Successor istius Iulius papa etiam sub Constantino XXXVI ordinatur. Sedit an. II, mens. 2. Hic constituit, coniugium à sacerdote benedici. Igitur Constantinus republica bene ordinata, & Dei ecclesia miro modo exaltata, cū magna religione obiit II cal. Iunij, & sepultus est in Constantinopoli in ecclesia Apostolorū. Iste Cōstantinus imp. fuit XLII à Cæsare Augusto.

Anno Domini CCCXLI, Constantius filius Constantini magni imperium adeptus cum fratribus suis Constantio & Constante regnauit annis 23. Iste Constantius & frater suus Constans pariter occisi sunt. Iste Constantius fuit hæreticus.

An. Domini CCCXLIV, Paul⁹ primus eremita migrauit ad Christum, an. vitæ suæ 113.

An. Domini CCCLV, Liberius Papa XXXVII ordinatur. Hic papa fuit hæreticus, qui sub Cōstātino imperatore propter fidē in exiliū ductus est, cui in papatu successit Felix papa XXXVIII. Hic Felix papa capite truncatus est, cum deuinceret, eundē Cōstantium imperatorē esse hæreticū Arrianum. Iste Felix papa sedit an. I, mens. 3. Huius festum agitur 4. cal. Augusti. Quo decollato, Liberius exilij tædio victus hæresi Arrianæ subscripsit, & Romam quasi victor intrauit. Iste Liberius papa sedit an. 6. mens. 2. Nec legitur conuersus fuisse ad fidem & pœnitentiam. Cui successit Leo papa hæreticus Arrianus, sed non est in catalogo Romanorum pōtificum. Huic Leoni Papæ restitit Hilarius Pictauiensis episcopus, vir eruditissimus & acutissimus in suo concilio. Illuc enim venit Hilarius non vocatus. Vnde Leo papa indignatus plurimum iussit, ne Hilario locus daretur sedendi in concilio Arrianorum: sed ipse resedit in terra dicens, *Domini est terra, & plenitudo eius.* Et mox ibidem eleuatus est colliculus iussu diuino, in quo bellator Christi altius sedit omnibus. Vnde Leo papa indignatus iterum dixit Hilario, *Ego ero tibi Leo*, & ipse respondit, *Sed non Leo de tribu Iuda.* His & his similibus dictis Leo Papa necessitate compulsus iuit ad secessum, & ibidem statim animam exhalauit.

Præ-

Præsidio huius Cõstãtij imperatoris hęretici fulta impietas Arriana, exilijs, carceribus, & variis afflictionum malis, primo Anastasium episcopum Alexandrinum, qui fugiens venit in Treuerim, vbi ipse tunc composuit symbolum, scili. *Quicunq; vult*: & Eusebium Cæsariensem episcopum: & multos alios persequuta est Christianos. Hilarius Pictauiensis episcopus tunc etiam cum alijs episcopis in exilium missus est. Anno Domini beatus Antonius abbas migrauit ad Christum anno ætatis suæ CV. Tunc temporis Ægyptus & Thebaida eremitis & presbyteris plena fuit.

Anno Domini CCCLXV, Iulianus imperium adeptus regnauit an. 2, mens. 8. Hic à fide & ordine apostatauit, idolatra effectus. Sub hoc Iuliano sanctus Martinus nondum baptizatus militauit apud ciuitatem Vangionum, id est Wormatiã. Hic, orante & ieiunante S. Blasio Cæsariensi episcopo, cum populo suo ad Persicum bellum pergens, destructionem ciuitatis cõminatus, sed iussu sanctæ Dei genitricis Mariæ per Mercurium martyrẽ in eadẽ ciuitate Cæsariensi occisus est: qui Iulianus apostata & idolatra dũ moreretur manũ suã, pprio sanguine impleuit, & in aerẽ sparsit dicens, *Vicisti Galilæe, vicisti.*

Anno Dom. CCCLXVI, Iouinianus imperium adeptus regnauit mens. 8. Hic insignis corpore, lætus ingenio, studiosus in literis, fortis in viribus. Qui cum violenter à militibus ad imperiũ eligeretur, & traheretur: exclamauit se nolle paganis hominibus imperare, quippe cum ipse Christianus esset. Cumq; omnium vox communiter clamauit, se quoq; Christianos esse, suscepit imperium. Iste Iouinianus suffocatus est.

Anno Domini CCCLXVIII, Damasus papa à beato Petro XXXIX ordinatur. Sedit an. 18, mens. 4. Hic fuit Hispanus. Hoc tempore Hieronymus presbyter claruit. Ipse Hieronymus lectionarium & euangeliarium, sicut hodie habet ecclesia, collegit, sicut Damasus papa legi censuit. Idem Hieronymus nocturnale officium vel reliquas horas sicut hodie canit ecclesia, cõposuit. Sed Damasus papa die ac nocte Psalmos eosdẽ in ecclesia cantari instituit. Damasus papa etiam *Gloria patri* cantari constituit, sicut Nicena synodus composuit. Hic Damasus papa basilicam in catatumbis, vbi corpora Sanctorum sepulta erant: quæ modo est vbi quieuit sanctus Sebastianus.

Tempore Damasi papæ, an. Domini CCCLXXVI, Valentinianus imperium adeptus regnauit annis 11, & in apoplexia suffocatus est. Tunc temporis claruit beatus Ambrosius Mediolanensis episcopus, Seuerinus Colonienſis episcopus, Augustinus Hipponensis episcopus, Martinus Turonensis episcopus.

Anno Domini CCCLXXXIV, Constantinopolitanum concilium CL episcoporum cõgregatur aduersus Macedonium, qui & ibi cõdemnatur, quia negat Spiritum sanctum esse Deum. In hoc concilio compositum est *Credo in vnum*, sc. symbolum quod cantatur in Missa, & traditum est ecclesiæ: sicut Damasus papa hoc contra eundem Macedonium hæreticum DXV secunda synodus symbolum sc. *Credo in vnum* apposito sc. *filio*, quod in Missa constituit cantari. Iste Valentinianus à Iuliano apostata ob fidem Christi militia fuerat priuatus, quia persequebatur Christianos ipse Iulianus. Valẽtinianus Imperator regnauit annis 4.

Gratianus imperator regnauit an. 8, & occisus est. Isti duo nihil memoriale habent.

Theodosius imperium adeptus regnauit an. 11, cum tñ ante cum Gratiano & Valentiniano regnasset an. 6. Hic Theodosius Christianissimus imperator conuocauit concilium Constantinopolim contra hæreticos, pro diuino officio generaliter pro tota ecclesia ordinando. Hic Valentinianus imperator suspensus est, sed Theodosius Mediolani bene obiit. Hunc Theodosium imperatorẽ beatus Ambrosius Mediolano excõmunicauit, quia multos in Thessalonica fecit occidi in furia & absq; iudicio. Ad quã excõmunicationẽ imperator patienter pœnituit cum lachrymis, & pro excõmunicato se tenuit humiliter per menses 8 & amplius, quousq; Ambrosius excõmunicationis sententiã relaxauit: iniungens ipsi loco pœnitentię, vt nullum de cętero faceret occidi, nisi præhabita deliberatione per triginta dies ad minus, 11. q. 3. cum apud Thessalonicã.

An. Dom. CCCLXXXVI, Siricius papa XL ordinatur. Sedit an. 15. mensib. 11, & fuit tempore Theodosij imperatoris, & in castello Emmaus tempore Theodosij imperatoris natus est puer perfectus inferius, sed ab vmbilico & sursum diuisus: ita vt haberentur duo capita & duo pectora, & omnes sensus quinque: alter edebat vel dormiebat, quandoq; se percutiebant. Vixerunt autem 2 annis, & vno mortuo alter superuixit 4 diebus.

Hic Siricius papa cõstituit, vt nullus presbyter agat solennẽ pœnitẽtiã Beatus Hieronymus scripsit tunc librũ illustriũ virorũ: & S. Augustinus baptizatus est à S. Ambrosio.

Anastasius papa XLI ordinatur. Sedit an. 3, mens. 10. Hic constituit, vt quilibet clericus non fieret sacerdos, nisi de licentia sui Episcopi. S. Ambrosius hymnos composuit feriales. *Te Deum laudamus.* composuit cum S. Augustino, & aliqua Gradualia, & *Alleluia.*

Anno Domini CCCCII, Ambrosius plures composuit collectas.

Anno Domini CCCCV, Innocentius Papa XLII ordinatur. Sedit annis 15, mens. 2, Sub quo Roma capitur ab Alarico rege Gothorum. Huius Innocentij Papæ festum agitur V Calend. Augusti. Hic constituit, vt quis carens aliquo membro clericus non fieret. Constituit etiam dici, *Pax Domini sit semper vobiscum*, & pacem dari constituit.

Sanctus Innocẽtius Papa cõmisit sanctæ Agnetis Ecclesiã gubernandam Leopardo presbytero, & vt factũ, dedit ei annulum aureũ, quem idẽ clericus senio fessus reddidit S. Agneti cũ offertorio. Extendens aũt digitum susc epit annulum, & eum adhuc tenet imago eius. Tempore huius Papæ B. Alexius Romæ migrauit ad Christum: & B. Martinus episcopus Turonensis migrauit ad Christum, anno Domini CCCCXII, sed vitæ suæ anno LXXXI: & B. Ambrosius episcopus Mediolanensis migrauit ad Christum an. Domini CCCCXIII: & B. Ioannes Chrysostomus migrauit in exiliũ: & beata Paula mater Eustathiæ virginis migrauit ad Christum in Bethleem: & sanctorũ corpora Stephani, Nicodemi & Gamalielis & Abibon reuelata sunt à Deo in Hierusalem Luciano sacerdoti. Tunc corpus S. Stephani sedi Apost. totum transmissum: quod dum per diuersas ecclesias multis solennitatib. honorassent, intẽdebant eũ ponere iuxta S. Laurentium: cui Laurentius, videntibus qui aderant, cessit dans ei locum per medium tumbæ: sicq; positus ibi quiescit. Hic papa Innocẽtius præsẽs ibi gratias egit Deo cũ clero & populo.

Illo tempore Anastasij & Innocẽtij Papæ, Arcadius & Honorius Imperatores regnauerunt pariter an. II. Isti fuerunt filij Theodosij Imperatoris. Hi deuoti Christ ani permanserunt. Post mortẽ huius Arcadij relicta sua Eudoxia venit ex deuotione Hierosolymam, & inde cum magno gaudio reportauit catenas, quibus rex Herodes vinculauerat S. Petrum Apostolum. Tunc sanctus papa Innocentius cum ipsa Augusta, delẽs ritum festi Augusti Cæsaris in calendis Augusti, cõstituit festum celebrari ad Vincula S. Petri. Vnde diabolus indignatus apparuit Iudæis in specie Moysis, dicens se debere eos per medium sicci maris in terram promissionis: & qui sequebantur eum in mari submersi sunt: & alij Iudæi ad fidem conuersi baptizati sunt in ciuitate quæ dicitur Epirum, & sic Diabolus decipiens deceptus est.

Anno Domini CCCCXX, Sosimus papa XLIII ordinatus sedit annis 4, dies 11. Hic cõstituit cereum benedici in Sabbato sancto: & constituit, quod diaconus lx uãtegat, & quod omnes stare debeant quando legitur Euangelium, & cum reuerentia audire: & constituit quod Deo in missa aliquid offerat Christianus. Anastasius papa prius constituerat, vt ad euangelium nullus sedeat.

Anno Domini CCCCXXIV, Bonifacius papa XLV ordinatur. Sedit annis 3, mensibus 8. Tunc beatus Hieronymus in Bethlehẽ migrauit ad Christum, anno vitæ suæ XCIX. Sed & Hieronymus Romæ ad S. Mariam maiorem sepultus est ante fanum, in quo Dominus iacuit in præsepio, cum quo ipse illuc translatus est.

Anno Domini CCCCXXVI, Celestinus papa XLVI ordinatus sedit annis 12, mensib. 7. Hic constituit Psalmum dici, *Iudica me Deus, & discerne causam meam.* Et hoc Psalmo colligitur confessio generalis ante Missam secundum statutum huius papæ, quando Missa celebratur in memoriam mortis Christi. *Petrus lachrymis pœnituit ante mortem Christi, Latro confessus fuit.* Et constituit Psalmos cantari ad introitũ missæ. Honorius post mortem Arcadij Imperatoris regnauit an. 15 cũ Theodosio filio fratris sui Arcadij. Tẽpore hui⁹ Honorij imperatoris fuerũt Sosim⁹ papa, Bonifacius papa, Celestinus papa successiue.

Anno Domini CCCCXXVII, Theodosius iunior tenuit imperium. Iste Theodosius imperator fuit sapiens multum, patientia & clementia vniuersos præcellens: conditor etiam legum. Quẽ cũ quidã familiarium interrogaret, cur omnibus parceret, & cur nullum se lædentiũ morti subiugaret: respõdit imperator, vtinã mihi esset possibile etiam mortuos suscitare & ad vitã reuocare. Huius imperatoris tẽpore Septẽ dormiẽtes fuerunt suscitati. Sub isto Imperatore fuit S. Seruatius Episcopus, & Attila rex Hunorum vastauit

vastauit imperium. Tũc coactus Theodosius imperator VI millia librarum ei pro censu præbuit,& mille librarum tributum ei Attilæ promisit. Theodosius iunior solus regnauit annis 26, sicut in summa regnauit annis 41. Valentinianum etiam consortem regni fecit. Sub isto sedit Sixtus Papa,& Leo Papa.

Anno Domini CCCCXXXVII, Sixtus papa XLVI ordinatur. Sedit annis 8, mense vno. Hic constituit, vt nullus clericus in parochia altius præsumeret adiudicare. Sixtus Papa fecit Basilicam sanctæ Dei genitricis Mariç ad pręsepe Domini. Dedit signũ iuuenis vbi basilica fundaretur. Nonas Augusti hoc festũ celebratur iuuenis vsq; adhuc Romę
10 solẽniter. Hoc anno Augustinus migrauit ad Christũ, pontificatus sui an. XI. ætatis suę anno 76. Hic primo lectionẽ in mensa & ordinem regularium instituit, & sepultus est Ticini quę est Papia ciuitatis Italiæ. Sub isto Theodosio & Sixto papa celebratur generale concilium Ephesinum, in quo Nestorius hæreticus condemnatur cũ suis fautoribus Pelagianis. Nestorius hæreticus dicit beatã virginẽ Mariã non Dei, sed hominis tãtum fuisse matrẽ. Et dicit idẽ Nestorius, duas fuisse personas in Christo. Pelagiani hæretici liberũ arbitriũ diuino anteponũt, dicẽtes sufficere volũtatẽ ad implẽda diuina officia.

Anno Domini CCCCLVIII, Martianus imperator regnauit annis 7. Hic religiosus fuit,& gentibus multa beneficia præstans. Huius tempore Wandali Romam ceperũt, & bonis eã omnibus spoliauerunt. Temporibus huius Imperatoris sub Leone papa celebratur generale concilium Chalcedonense DC & XXX patrum, in quo damnatur error
20 Eutychianus. Eutychiani dicti sunt, qui in Christo negant esse duas naturas, sed solam in Christo diuinam naturam esse dicunt.

De XXV hæresibus reprobatis.

IGitur de IV concilijs generalibus, videlicet Niceno contra Arrium, Constantinopolitano contra Macedonium, Ephesino contra Nestorium, Chalcedonensi contra Eutychem habetur. Igitur diuersæ hęreses diuersis temporibus ortæ sunt. Nam sub Antonino Pio Montanus Cataphrygarum auctor oritur. I. Hi aduentũ sancti Spiritus nõ in Apostolos sed in se traditũ asserunt,& dicũt, quod Spiritus S. per Phrophetas loquutus est, eisdẽ prophetis nescientibus, tanquã si per fistulã loqueretur. II. Similiter sub tempore Antonini Aurelij Sabellius infelix oritur. Hi Sabelliani vnã personã patris & filij
30 & Spiritus S. asserũt. III. Et sub Gallieno & Iouiniano imperatoribus Nouatiana hæresis oritur. Hi nolunt apostatas ad veniam recipere,& rebaptizant baptizatos. IV. Item sub tempore Probi Manichæorũ hæresis oritur, qui vocantur à quodã nomine Manes. Hic duas naturas & substantias in Deo introduxit. i. bonã & malam, & animas ex Deo quasi ex quodã fonte manare asserunt, & dicũt omnes spiritus & animas à Deo factas, & corpora ab angelis. Testamentũ vetus respuunt, nouum ex parte recipiunt. V. Tempore Apostolorũ Nicolaitæ à Nicolao diacono, qui cum Stephano & cæteris constitutus est à Petro. Hic propter pulchritudinem relinquens vxorẽ dixit, vt qui vellet ea vteretur,& versa est in stuprũ talis consuetudo, vt inuicẽ coniugia mutarentur. De istis in
40 Apocalypsi, *Quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi*. VI. Tempore Saluatoris Sadducæi orti, qui hæretici negant resurrectionem. Hi inter cætera circumcisionem obseruant: mille annos post resurrectionem in voluptate carnis prædicant esse futuros. VII. Gnostici hæretici animam naturam Dei esse dicunt, bonũ & malum Deum dicunt, VIII. Valentiniani hæretici à quodã sectatore Platonis dicti, Christum nihil corporis assumpsisse dicunt de Virgine, sed per eam tanquã per fistulã transijsse asserunt. IX. Apelles hæreticus dixit, angelum gloriosum creatorem fuisse, & Christum non Deum in veritate fuisse, sed hominem in phantasia apparuisse dicit. X. Marcionistæ hæretici à Marcione philosopho dicti duo principia asserunt. XI. Castorei propter mundiciam sic dicti hęretici, de suis meritis gloriantes, negant pœnitentibus veniam peccatorum: viduas si nupserint tanquam adulteras damnant. XII. Ebionitæ hæretici & Fortuniani hæretici dicunt Christum à Maria per Ioseph nuptiali ortu fuisse conceptum. XIII. Heluidiani hæretici ab Heluidio dicti asserunt post Christũ natũ Mariã alios filios per Ioseph peperisse. XIV. Donatistæ hæretici à quodã Donato nuncupati asserunt, minorem patre filiũ,& minorem filio Spiritum Sãctum,& rebaptizant catholicos, XV. Præterea sub imperatore Zenone hæresis Acephalorũ oritur. Acephali, id est sine capite, quia eorum author ignoratur. Hi substantiarum duarum proprietatem in Christo negant,& vnam

naturam in eius persona prædicant. XVI. Heraclitæ ab Heraclio nuncupati hæretici monachos non recipiunt, coniugia respuunt, paruulos habere regnum cœlorum non credunt. XVII. Similis sub filio Heraclij Constantio oritur hæresis Pyrrhi & Pauli. Hi Pauliani dicunt, non semper fuisse Christum, sed à Maria sumpsisse initium. XVIII. Aeriani à quodam Aerio sic dicti. Hi offerre sacrificium spernunt. XIX. Origeniani à quodam Origene dicti. Hi hæretici dicunt, quod non possit filius videre patrem, nec Spiritus sanctus filium, animasq; dicunt in principio mundi peccasse, & pro diuersitate peccatorum è cœlis vsque ad terram diuersa corpora quasi vincula meruisse, eaque causa mundum factum esse. XX. Apollinaristæ hæretici dicunt, corpus non animam assumpsisse. XXI. Circumcelliones dicti, eo quod agrestes sunt. Hi hæretici amore martyrij semetipsos perimunt, vt martyres nominentur. XXII. Arabici hæretici qui in Arabia orti sunt, dicunt animam cum corpore mori. XXIII. Tertullianistæ hæretici à Tertullio presbytero dicti. Hi prædicant, animas peccatorum hominũ in dæmones vel in alia quæq; conuerti post mortem. XXIV. Patriciani à quodam Patriciano dicti. Hi hæretici dicunt substantiam humanæ carnis à Diabolo conditam. XXV. Priscianistæ hæretici fatum & constellationes attendunt. Hi Gnosticorum & Manichæorum peruersa dogmata sequuntur. Porro de sectis hæreticorum, & eorum erroribus satis habet. 24. q. 4. Alios similiter hæreticos, sci. Catharos, & Patherinos, Pauperes de Lugduno, vel quocunq; nomine censeantur, excommunicatos sciamus ipso iure maiore excommunicatione, & similiter illi qui sacrosanctis Sacramẽtis altaris, & aliquibus alijs ecclesiasticis Sacramentis cõtradicunt. Et omnis hæreticus, siue clericus sit siue laicus, vel Papa aut Imperator, vel quilibet inferior, deponi debet ab omni dignitate, & si clerici hæretici sunt, prius ab ordinibus degradati ab Episcopis, tradentur seculari curiæ puniendi.

Leo Papa XLVII ordinatur. Sedit annis 11, mense 1. Hic constituit & decretum dedit, vt beata virgo Maria non solum χριστότοκος sed etiam θεοτόκος credatur & appelletur. Hic etiam constituit, vt etiam picturis habeãtur imagines Sanctorum, & quicunque ipsas imagines inhoneste tractauerint, à communione separentur. Sub isto Leone Papa, vt prædixi, est celebratum concilium Chalcedonense contra Eutychetem. Leo papa constituit dici in Missa *Orate pro me peccatore*, & in fine Missæ dici constituit *Deo gratias*. Hic Leo constituit, vt presbyter post Missam populum benedicat: & constituit ieiunia quatuor temporum. Hic etiam quasdam precationes composuit, & in canone apposuit, *Sanctum Sacrificium & immaculatam hostiam*.

Anno Domini CCCCLX, Leo imperium adeptus cum filio suo Leone regnauit annis 16. Hic Leo Pellita appellabatur. Tempore huius Imperatoris, Hilarius Papa XLVIII ordinatur. Sedit annis 8, mẽsibus 3. Hic cõstituit, vt nullus clericus inuestituras à Laico recipiat. Sub hoc Papa Hilario cyclus 532 annorum à Dionysio monacho scriptus fuit.

Anno Domini CCCCLXV, tempore præfati Leonis Pellitæ, Simplicius papa XLIX ordinatur. Sedit annis 15, mense 1. Hic constituit, vt nullus pontifex sibi successorem constituat, sicut & Clemens Papa 1. Vsq; ad hunc Simplicium papam omnes Papæ à beato Petro ordines celebrasse leguntur in Sabbato quatuor temporum Decembri. Sub hoc etiam Papa fuit S. Mamertus Viennensis archiepiscopus, qui propter cladẽ magnam & morsus bestiarum, sc. vrsorum & luporum rogationes & litanias instituit, quas ecclesia Romana tunc approbauit, & fieri constituit.

Anno Domini CCCC LXXVI, Zeno Imperator regnauit an. 15 in Oriẽte. Sub isto Imperatore arripuit Odacer Occidentale imperium, huius imperij anno 2. Felix Papa à beato Petro I ordinatur. Sedit annis 8, mens. 6. Hic cõstituit, ab episcopis ecclesias dedicari & consecrari. Tempore huius papæ an Domini CCCC LXXXIV, S. Remigius Episcopus Clodouęũ regẽ Francię filiũ Hilderici regis, misso sibi oleo de cœlo in ampulla, baptizauit & vnxit in regẽ. Vsq; adhuc reges Francię in Remis de ipso oleo inunguntur.

Anno Domini CCCC LXXXV, Gelasius papa LI ordinatur: sedit an. 4, mensib. 8. Hic (vt dicitur) fecit nouẽ præfationes in missa secũdũ festa, & collectas plures, & hymnos quosdã & tractus. Hic etiã cõstituit, vt in 4 temporib. & in Sabbato sancto ordines celebrẽtur, & quod serui presbyteri nõ ordinẽtur. Et cõstituit, vt clerici ordinãdi de vita, & ætate, & de progenie, & scientia iussu episcopi examinẽtur, & intitulẽtur digni. Huius papæ Gelasij tempore, inuenta est ecclesia B. Michaelis archangeli in mõte Gargano.

Iste

Iſte papa fuit tempore Zenonis imperatoris. Hic etiam conſtituit, vt diaconus debeat dare corpus Domini infirmis in abſentia epiſcopi, & preſbyteri, & non alio tempore. Gelaſius papa Canonem miſſę compoſuit. Sed beatus Gregorius papa dicit in regiſtro, quod canonem quidam ſcholaſticus compoſuit: quem canonem dici in miſſa forſan iſte papa Gelaſius conſtituit: vel fortaſſe iſte ſcholaſticus qui canonem compoſuit, factus eſt papa, & appellatus eſt Gelaſius papa. Collectas quas beatus Ambroſius compoſuit, iſte Gelaſius papa auxit, & in miſſa dici conſtituit. Idem etiam papa conſtituit, vt ſumpto corpore Domini, de calice & ſanguine Domini etiam ſumere debeant qui communicant. Hoc quidam obſeruant. Conſtituit etiam Gelaſius papa, vt presbyter poſt miſſam populum benedicat. Et S. Hieronymus hoc ſcribẽs ait: Si presbyter Chriſtum conſecrat in altari, cum in altari Dei Sacramenta benedicat, benedicere populum & debet qui corpus Chriſti meruit conſecrare. Sed Damaſus papa prohibet presbyteris dare benedictionem poſt miſſam, præſente epiſcopo. Tempore Zoſimi papæ & Theodoſij imperatoris Toletanum concilium & beatus Auguſtinus ſtatuerunt, quod ſolis epiſcopis in miſſa ante communionem liceat populum benedicere: & præfatum concilium ſtatuit, vt nullus presbyter negligat dicere poſt miſſam hymnũ trium puerorum. Igitur beatus Martialis epiſcopus, apoſtolorum diſcipulus, ex magiſterio apoſtolorum tradidit benedictionem epiſcopalem. Hanc S. Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus cum orationibus appoſitis dicere vſquequaq; maluit. Apoſtolicus autem tantum hanc benedictionem dicit, quæ finita miſſa dicitur. Et papa poſt miſſam & horas dat frequẽter hanc: *Benedicat & cuſtodiat nos omnipotens Deus pater, & filius, & Spiritus ſanctus, Amen*: quia Gelaſius papa canonem dici inſtituit, & (vt fertur) compoſuit. Sciendum eſt, quod canon interpretatur regula. nam per eam regulariter Sacramentorum fit confectio. Hic & actio dicitur, quia cauſa populi cum Deo in ea agitur. Hic canon ob tres cauſas ſub ſilentio dicitur: prima, quia cum Deo loquimur, ad quem ex corde clamamus, & imo verba dicimus, vt ſciamus quem intendere debeamus: ſecunda, ne populus tam prolixa declamatione attædiatus abſcedat, vel ſacerdos tam longo clamore deficiat voce: tertia eſt, ne tam ſancta verba tanti myſterij vileſcant, dum ea vulgus per quotidianum ſciens in locis inconuenientibus dicat. Vnde fertur, dum ipſe canon primitus publice recitaretur, ab omnib. per vſum ſciretur: & cum eum paſtores ſuper panem & vinum dicerent, quod repente ante ſe carnem & ſanguinem inuenirent, atque inde diuinitus percuſſi interirẽt. Vnde ſub Vigilio papa (vt videtur) & Iuſtiniano imperatore Conſtãtinopolitanum quintum Concilium ſub anathemate præcipiendo ſtatuit, vt nullus dicat canonem niſi in libro, & veſtibus ſacris, & ſuper altare & ſuper ſacrificia. Sciendum etiam eſt, quod in hoc canone miſſę nulli aliquid dicere licebit vel addere, niſi quod ab Apoſtolis compoſitum fuit: ſed ante & poſt, vt dicit ſanctus Gregorius in regiſtro, canonem ad deuotionem ad ea nomina quæ ibi poſita ſunt, poſſent apponere. Huius Gelaſij tempore, anno Domini CCCCLXXXVII, Hunnericus rex Wandalorum CCCXXXIV epiſcopos catholicos & eo amplius exiliauit, & quibuſdam linguas amputauit, qui tamen poſtea bene prędicabant verbum Dei, vt dicit Gregorius in dialogo, quorum vnus propter fornicationem dono illo priuatus eſt.

Anno Domini CCCCXC, Anaſtaſius papa LII ordinatus ſedit anno vno, menſibus 10. Hic conſtituit, vt nullus clericus prætermittat diuinum officium, ſola miſſa excepta. Poſt hunc Symmachus papa LIII ordinatur. Sedit annis 9. Hic conſtituit, vt omni die dominico, & in natalitiis martyrum hymnis *Gloria in excelſis* cantetur, etiam in aliis feſtis. Hic etiam conſtituit, vt nullus in vxorem quam leuauit de ſacro fonte accipiat; ſi fecerit, matrimonium dirimatur: & conſtituit, vt papa à duobus paribus Cardinalium eligatur, & ſit ipſo facto excommunicatus qui aliter, id eſt, à minori numero electus gerit ſe pro papa: & conſtituit, vt in epiſcopum non eligatur, niſi qui ſit XXX annorum: & conſtituit, quod appellationi religioſorum non ſit deferendum: & conſtituit, quod nullus per violentiam ad epiſcopalem honorem adſcendat.

Anno Domini D, Anaſtaſius imperium adeptus eſt. regnauit annis XXVI. His temporibus magna diſcordia Romæ facta eſt in electione papæ, quibuſdam eligentibus Symmachum, quibuſdam Laurentium: de quo etiam Gregorius in dialogo ſcribit.

Nam Paſchaſius diaconus cardinalis qui conſenſit Laurentio, purgatorij locum habuit poſt mortem in calorib. lauacleri. Igitur in illa diſcordia multa homicidia tam Romanorum ciuium q̃ clericorum ſacerdotum facta ſunt. Sed Symmachus pręualuit. Hiidum Arrianus hęreticus quidam Olympus nomine in balneo lauaretur, & de fide ſanctæ Trinitatis blaſphema verba loqueretur, ſubito igneus gladius de cœlo veniens percuſſit ipſum & interfecit. Poſt Symmachum Hormiſda papa LIV ordinatus, ſedit annis 9. Hic conſtituit, vt ſi quis celebrauerit miſſam, niſi fuerit presbyter rite prius ordinatus, quod ſit perpetuo à ſacris ordinibus depoſitus ipſo facto.

Ioannes papa LV ordinatur. Sedit annis 2, menſibus 9.

Felix papa LVI ordinatur. Sedit annis 4, menſibus 9. Hic Felix papa conſtituit, vt anniuerſarius eccleſiarum & epiſcoporum ſolemniter cebretur ſingulis annis. Hi ſub Anaſtaſio imperatore ſederunt.

Anno Domini DXIX, Iuſtinus imperium adeptus, ſcilicet Iuſtinus maior, & regnauit annis 7. Hic fuit vir catholicus, multumque peritus. Huius tempore Bonifacius papa LVII ordinatur. Sedit annis 2. Poſt hunc Ioannes papa LVIII ordinatur. Sedit annis 2, menſibus 4. Ab iſto papa Iuſtinus maior in imperatorem inunctus & conſecratus fuit. Hunc ſanctum Ioannem papam, & Boetium ſenatorem fame in carcere interfecit rex Theodericus Veronenſis. Iſte rex Italiæ Theodericus hæreticus poſt mortem Ioannis papæ ſubito interiit, & turpiter mortuus eſt. Similiter ſub hoc Iuſtino imperatore Agapetus papa LIX ordinatus, ſedit annis 9, mẽſibus 10. Hic papa appellatur vas catholicum, euangelij tuba, præco iuſtitiæ. Hic conſtituit, vt nullus presbyter altare erectum ſanctificet niſi epiſcopus: & conſtituit quod nullus presbyter dedicationem eccleſiæ fingat: quod ſi quis fecerit degradetur: & conſtituit, quod nulla eccleſia dedicaretur, in qua paganus eſſet ſepultus, & quod ibi Miſſa non celebretur.

Anno Domini DXXVII, Iuſtinianus imperium adeptus regnauit annis 38. Hic ad regendum & reparandum reipublicæ ſtatum animum intendit, & de aduerſariis imperij, & de Perſis, & de Gothis viriliter triumphauit. Iſte Iuſtinianus imperator renouauit leges faciens codicem. Iſte promulgauit ſententiam, ne pagani vel hæretici militarent, dans illis 3 menſes ad inducias conuerſionis ad fidem & ad baptiſmum.

Huius tempore ſub Agapeto papa, anno Domini DXXVII, cum primum tenderet de loco, vbi eremiticam vitam duxerat, qui ſublatus vocatur, beatus Benedictus ex diuina iuſſione in montem Caſſinum: tres corui quos ipſe nutriebat, prope ipſum ſemper volando ſecuti ſunt eum. Cumque veniret beatiſſimus pater Benedictus ad quoddam biuium, duo angeli apparuerunt ei, oſtendentes per quam viam ire deberent. In loco autem ipſo Caſſini quidam Dei ſeruus habitabat, cui vox de cœlo dixit: His tu parce locis, alter amicus adeſt. Et facto monaſterio ibi manſit ſanctiſſimus abbas Benedictus, & in eodem loco doctrina & miraculis claruit.

Hic Iuſtinianus imperator fuit à Cæſare Auguſto LVI.

Syluerius papa LX ordinatur. Sedit anno vno, menſibus 10. Hic quia patriarcham Conſtantinopolitanum Anthemium hæreticum excommunicauit & dignitate priuauit, in exilium portatus eſt. Ibi confeſſor Domini in pace & ſanctitate vitam finiuit.

Vigilius papa LXI ordinatus, ſedit annis 16, menſibus 6. Sub hoc papa (vt ſupra dictum eſt) canon miſſæ, vt ſub ſilentio, & ſuper altare, & ſuper ſacrificium, & in præparamentis dicatur, in concilio Conſtantinopolitano inſtitutum eſſe videtur.

Fabianus papa LXII ordinatur. Sedit anno vno, menſibus 5. Fabianus papa conſtituit, vt qui emit vel vendit eccleſiam, vel præbendam, vel eccleſiaſtica Sacramenta, Simoniacus ſit & irregularis.

Pelagius papa LXIII ordinatur. Sedit annis 11, menſibus 10. Hic conſtituit in Miſſa dici nouem præfationes: 1 de Natiuitate, 2 de Epiphania, 3 de Quadrageſima, 4 de ſancta cruce, 5 de Paſcha, 6 de Aſcenſione, 7 de ſancto Spiritu, 8 de ſancta Trinitate, 9 de Apoſtolis, *Te Domine ſuppliciter exorare.* Nam valde multæ erant præfationes, ſicut apparet in antiquis libris. Hic etiam conſtituit, vt hæretici & ſchiſmatici per ſeculares poteſtates comprimantur.

Anno Domini DXLI, ſub Pelagio papa & Iuſtiniano imperatore primo ſumpſit initium

initium Τῆς τοῦ Domini, id est festum Purificationis: hoc & festum luminum dico. Lumina namque benedicta in processione portantur, quia Christum verum lumen nostrum tunc ascendentes in templum portabant, & quia pagani in principio Februarij ciuitatem Romam luminibus circumcirca perlustrabant. Et sicut Romani in principio mensis Augusti annuatim solemniter celebrant triumphos, & gloriam Octauiani: ita in eodem die constituit ecclesia, vt à Christiano populo festum beati Petri principis apostolorum celebraretur, scilicet ad Vincula, qui tamen in diebus azymorum ab Herode rege legitur incarceratus fuisse.

Eodem abbas Benedictus tam nomine quam gratiarum munere correptus febribus sexto die ante obitum suum aperiri sibi sepulturam in oratorio iubet, & inter manus orantium & psallentium discipulorum accepta communione sacra stans in monte Casino ante altare migrauit.

Ioannes papa LXIV ordinatur. Sedit annis 12, mensibus 10. Et tempore Iustiniani fuit. Quidam venit de regione Italorum anno Domini DXLIII, habens canem rufum sed cæcum: hic canis in foro multorum diuitum annulis aureis, argenteis, & ferreis in vnum cumulum compositis, retulit vnicuique annulum suum; & composita numismata diuersa similiter reddidit vnicuique. Hic canis spiritum pythonicum habuit.

Anno Domini DLXVI, Iustinus iunior imperium adeptus regnauit annis 11. Sub hoc Longobardi intrant Italiam. Iste Iustinus comitem quendam Tiberium nomine Cæsarem fecit. Benedictus papa LXV ordinatus, sedit annis 4, mensibus 2.

Anno Domini DLXXVI, Tiberius Constantinus electus suscepit imperium. Hic misericors & largissimus in eleemosynis & deuotus fuit. Huius imperatoris tẽpore Benedictus papa misit Gregorium diaconum ad prædicandum Anglicis. Sed cum voluntate Dei & Romanorum Gregorius arrepto itinere apud Tiberim fluuium in meridie pausaret, & ante se librum apertum haberet, venit locusta saliens, sedit super librum in sinu eius, & Gregorius aduertens dixit: Locusta vocaris, hoc in loco sto, id est, in Angliam non proficiscar. Et statim nuncij papæ Benedicti insequentes Romam reduxerunt.

Anno Domini DLXXXI, Pelagius papa LXVI ordinatur. Sedit annum, menses 2. Sub hoc papa fuit Romæ pestis inguinaria, in qua peste & ipse Pelagius papa mortuus fuit. Pelagius papa constituit, vt in omni missa defunctorum memoria agatur, ibi scilicet, *Memento etiam Domine.* Tiberius imperator infirmatus, cum mortem sibi propinquam sentiret; Mauricium generum suum cum consilio ad imperium elegit, eique principatum dedit dicens, *In mente habe, vt rectitudinem & iustitiam semper ames*, & cum hoc dixisset, de hac luce migrauit: quem omnis populus multum planxit pro bonitate sua. Fuit enim summæ bonitatis, ad eleemosynas promptus, in iudiciis iustus, in discretione cautissimus: nullum despiciebat, sed omnes suscipiebat, & quia dilexit omnes, omnibus dilectus fuit. Et iste Tiberius imperator regnauit annis 7. Huic in eleemosynis largissimo Deus manifestauit thesaurum copiosum in cruce signato sub pauimento. Non debet, inquit imperator, crux esse sub pedibus seruorum, sed in frontibus imperatorum, iussitque leuari de pauimento lapides tres cruce signatos, sub quibus thesaurus absconditus apparuit: quo dato pauperibus etiam in ipsas pias causas copiosus thesaurus Narsij eidem imperatori apparuit: per quendam senem virum domino disponente manifestatus est.

Anno Domini DLXXXIII, Mauricius imperium suscepit & regnauit annis 21. Iste compulit Gregorium electum in papam suscipere præsulatum. Iste Mauricius decollatus est à Phoca successore suo.

Anno Domini DLXXXVII, Gregorius papa LXVII ordinatur. Sedit an. 13, mens. 6. Iste Gregorius exposuit Iob & Ezechielem, & fecit carmen pastorale, & dialogum, & homilias 40. Hic constituit appellationis remedium, & constituit, vt presbyter nulla ratione sit proditor confessionis, & constituit, vt marito excommunicato vxor, & filij, serui, & ancillæ, & alij pro vtilitate siue pro aduenticia necessitate licite communicare possint. Hic ordinauit diuinum officium, & cum ordinauit officia, officiis ordinauit & facta: videlicet in purificatione processionem cum candelis; in capite Ieiu-

nij aſperſionem cinerum;in Palmis proceſſionem cum palmis: in cœna Domini lotionem pedum & conſecrationem Sacramentorum:in paraſceue de morte Domini cum nuditate pedum & crucis adoratione: in Paſcha cum officio de vero agno eſum veri agni. Conſtituit etiam, vt mulier poſt partum quando voluerit, reconcilietur eccleſiæ. Hic Gregorius Auguſtino Anglorum epiſcopo ſcribit: *Quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt, elige*, & hoc quaſi faſciculum collectam Anglorum conſuetudinem depone. Hic Auguſtinus electus in archiepiſcopum,& ordinatus à ſancto Gregorio,& miſſus ab eo, conuertit Anglorum gentem ad fidem Chriſti. Hic Gregorius papa hunc prædicatorem primo in Angliam miſit. Hic conſtituit litaniam maiorem in die ſancti Martini propter peſtem inguinariam. Hic ex prætore monachus floruit, & inde electus eſt in papam. Huius Gregorij tempore tunica Domini inconſutilis apud Hieruſalem reperitur, ſed Romæ ſeruatur. Sciendum itaque, quod olim diuinum officium agebatur, prout cuique bonum videbatur. Vnde bonæ memoriæ Theodoſius imperator concilium apud Conſtantinopolim congregauit,omnes hæreſes condemnauit, & diuinum officium poſtulauit à concilio ordinari: quod negotium tunc Damaſus papa Hieronymo in ſcripturis eruditiſſimo iniungere iudicauit. Hieronymus itaque in Bethlehem, vbi Dominus naſci voluit,pſalmos ad nocturnas &ad reliquas horas diſtribuit. Ad miſſæ vero officium lectiones & euangelia de veteri & nouo teſtamento collegit, prout tempori & ſtationi congruere vidit. Hoc officium concilium collegit,& cum papa Damaſo cantari conſtituit. Poſtea Gelaſius papa,& iſte Gregorius papa,orationes & cantus in epiſtolis & euangeliis addiderunt congruentes, ſicut hodie tenet eccleſia diuinũ officium. Gregorius iſte à diuerſis conciliis& Apoſtolicis collegit,& ſic celebrari inſtituit, & cantari. Hic Gregorius papa introitum miſſarum compoſuit & collectas plures,& dici inſtituit. Ambroſius Mediolanenſis Graduale & Alleluia compoſuit. Sed hic Gregorius dici in miſſa inſtituit Offertorium. Hoc Gregorius compoſuit, & in miſſa dici inſtituit. Hic etiam de martyribus & confeſſoribus officia inſtituit. Et de defunctis & de Dei genitrice quis dubitat? Sed curſum, id eſt horas beatæ virginis Mariæ, religioſorum deuotio collegit,& ob veneratione eius dicere conſueuit. Hic Gregorius eccleſiaſtica ordinauit officia, vt in miſſa oratio lectioni & euangelio concordet. Hic Gregorius ſigna crucis, videlicet vnam vel tres,vel quinque, ſuper oblationem fierin canone, & quod calix in dextera ponatur, & quod incenſum præcedat euangelium,& vt ſacrificium incenſetur,& quod lumen ardeat in miſſa. Hic addidit in canone, *Dieſque noſtros in terra* vſque ad *per Chriſtum Dominum noſtrum*, ſicut dicit Gregorius in Regiſtro ſuo. Apoſtoli Dominicam orationem ad conſecrationem corporis Domini direxerunt. Ita ipſe Gregorius *Pater noſter* dici in miſſa conſtituit, & capitulum quod præcedit,ſcilicet *Oremus præceptis ſalutaribus*, & orationem quæ ſequitur *Libera nos*. Ita dicit Gregorius in Regiſtro: *Inconueniens eſt, vt oratio quam ſcholaſticus compoſuit ſuper oblationem dicatur, & illa prætermittatur, quam Apoſtoli ex inſtitutione diuina eorundem ſacramentorum vſitaſſe creduntur*. Iſte Gregorius etiam ordinare curauit, vt tot officia habeamus, quot Dominicæ poſſunt euenire. Et conſtituit, poſt feſtum Petri, feſtum Pauli celebrari, quamuis vno die paſſi ſint. Hic Gregorius tale conſtitutum promulgauit, dicens: *In die Reſurrectionis Domini vſque in ſabbatum in albis, & in die Pentecoſtes vſque in ſabbatum eiuſdem hebdomadæ tres pſalmos ad nocturnum cantum cantamus, & tres lectiones legimus omnibus aliis diebus per totum annum: ſi feſtiuitas eſt, 9 lectiones & 9 pſalmos cantamus: aliis autem diebus pſalmos & tres lectiones recitamus: in dominicis diebus 18 pſalmos & 9 lectiones dicimus.* Hic etiam Gregorius Quadrageſimæ officium à capite ieiunij incepit. Sic iſte Gregorius papa pene omnia eccleſiaſtica officia ordinauit: ſed officium & hiſtoriã de ſancta Trinitate Stephanus Leodicenſis compoſuit. Magiſter quoque Caroli Albinus nomine ex rogatu ſancti Bonifacij archiepiſcopi miſſam de ſancta Trinitate compoſuit. Hoc officiũ tamen vſq; adhuc curia non recepit. Hic Gregorius conſtituit, vt ſummus pontifex pro rubeis inferioribus indumentis alba ampla cingulo præcincta concinne vtatur. Sed poſtea Celeſtinus papa propter illam albam amplam &longam mutauit in albam ſtrictam non cinctam,quo modo vtitur papa. Conſtituit etiam,vt ordo Subdiaconatus ſit ſacer,& vt ſint caſti.

casti. Hic Gregorius etiam communionem * & dici instituit. Scisitante solitario quodam à Domino, cui similis fieret in præmio, respondit dicens, *Seruo meo Gregorio.* Qui valde indignat⁹ dixit Domino: *Cũ Gregorius papa in gloria & diuitiis huius mundi abundet, ego in afflictionib. positus, fame & siti, frigore & nuditate & solitudine cruciatus non habebo maius præmiũ, quam papa Gregorius in deliciis?* Cui Dominus ait: *Tu cum catto vno maiorem lætitiam habes, quã seruus meus Gregorius papa omni gloria & diuitiis.*

Anno Domini DC IV, Phocas imperium adeptus, regnauit an. 8. Hic Romanam ecclesiam præposuit Constantinopoli. Hic Pantheon dedit ecclesiæ. Tempore huius imperatoris Anglici fidem acceperunt ab Augustino archiepiscopo & monachis, quos illuc miserat Gregorius Iste Phocas imperator prædecessorem suum Mauricium occidit. Iste Mauricius imperator Christianus commendauit mortem suam Deo, dicens: *Ego libentius punior in præsenti seculo quam futuro.* Et Deo permittente decollatus est à Phoca successore suo.

Anno Domini DCVI, Fabianus papa LXIX ordinatur. Sedit anno vno, mensibus 5. Post hunc Bonifacius papa LXX ordinatur. Sedit annis 9. Hic constituit, fures ecclesiarum anathematizandos esse. Et constituit, vt nullus violenter trahatur de ecclesia. Post hunc Bonifacium papam, anno Domini DCXVIII, alius Bonifacius papa ordinatur LXXI. Sedit annis 6, mensibus 10. Huius rogatu Phocas imperator dedit Pantheon, id est templum omnium idolorum, ecclesiæ. Hoc templum papa quartus à beato Gregorio papa, eliminata omni spurcitia idolorum, solemniter in capite calendarum Nouembrium dedicauit in honore beatæ virginis Mariæ, & omnium martyrum. Romæ DC Iudæi conuersi ad fidem Christi baptizati sunt. Obligauerunt enim se sub obtentu omnium rerum suarum ad hoc ita duntaxat, si Christus illuminaret cæcum quendam literaliter frequentius disputantem cum ipsis Iudæis de Christo: cui Christus gloriose lumen oculorum præsente hoc Bonifacio papa dedit, festo Luminum ad sanctam Mariam rotundam, id est Pantheon. Qui cæcus, vt visum recepit, mox illi DC Iudæi & amplius baptizati sunt, & ipse illuminatus publice coram omnibus statim cantauit hoc responsorium, *Ante nunquam auditum, Gaude Maria virgo, cunctas hæreses sola interemisti. Et tunc idem papa hoc ipsum in ecclesia cantari instituit, Super omnia sit Deo laus, Amen.*

Anno Domini DCXXII, Hercalius regnare cœpit, & regnauit annis 27, à Cæsare Augusto LXI. Iste Heraclius imperator XII imperij sui anno, cum multa militia per sex annos regnum Persarum vastauit, occiso rege Cosdroe Persidis, & occiso filio eius singulari certamine in lapideo ponte Danubij, viuificæ crucis lignum in Hierusalem reduxit, quod Cosdroes spoliato templo cum multis thesauris asportauerat. Hic Heraclius quando intrare voluit Hierusalem portans crucem Domini cum triumpho victoriæ, & cum magnifica gloria, angelus Domini concluſit ante eum portam ciuitatis dicens ei, *Rex cælorum humilis hic intrauit.* Qui erubescens, depositis insignibus imperialibus, & relicta pompa venit nudatis pedibus, humiliter incedens (angelus namque patefacta porta intromisit eum) cum omnibus exercitibus suis: sicque Heraclius reportauit crucem Domini cum magna veneratione in templum. Postea idem Heraclius imperator, à Sergio Patriarcha Constantinopoli & ab aliis hæreticis circumuentus in hæresim Eutychianam lapsus est: quæ hæresis negat in Christo esse duas naturas, sed solam diuinam naturam in Christo esse dicit, non humanam.

Deusdedit papa LXXII ordinatur. Sedit annis 3, mense vno. Hic constituit, vt Simoniacus non celebret missam. Constituit etiam, vt serui & criminosi & etiam meretrices possint accusare Simoniacos.

Bonifacius papa LXXIII ordinatur. Sedit annis 5.

Anno Domini DCXX, Honorius papa LXXIV ordinatur. Sedit annis 12, mensibus 11. Tempore huius papæ Isidorus episcopus Hispalensis & doctor claruit. Et Heraclius imperator victo Cosdroe rege Persarum crucem Domini in Hierusalem reduxit. Sub hoc papa Honorio institutum est festum Exaltationis sanctæ crucis. Hic Honorius papa primus fecit Romæ ecclesiam sancti Adriani martyris, in qua II corpora sunt, scilicet sancti Adriani, tum puerorum Nerei, & Achillei, & Pancratij,

Marij & Marchæ, Audifari & Abacuc. Seuerinus papa LXXV ordinatur. Sedit an. 12.

Anno Domini DCXXXIX, Constantinus filius Heraclij imperium adeptus, regnauit mens. 6. Hic veneno occisus à germano suo Heracleona. Iste Heracleonas occiso fratre suo arripuit imperium, & regnauit cum matre sua Martina annis duobus.

Ioannes papa LXXVI ordinatur. Sedit anno vno, mensibus 8. Hic Ioānes de thesauris ecclesiæ multos captiuos redemit. Hic etiam omnes fautores hæreticorum excommunicauit.

Theodorus papa LXXVII ordinatur. Sedit annis 6, mensibus 10. Ab hoc papa Pyrrhus regiæ vrbis episcopus propter hæresim damnatur. Paulus etiam successor eius propter eandem vesanam doctrinam damnatus est.

Anno Domini DCXLII, Constans filius Constantini, nepos Heraclij, imperium adeptus, regnauit annis 28.

Anno Domini DCXLIX, Martinus papa LXXVIII ordinatur. Sedit annis 7, mensibus 2. Hic multos hæreticos condemnauit. Hic constituit, vt in sexta feria propter passionem Domini ieiunent fideles, & vt celebrent festiue diem dominicum propter resurrectionem Domini. Constituit etiam, vt quicunque procurauit virilia amputari, missam non celebret. Constituit etiam vt quicunque dicto vel facto, aut præcepto, siue consilio homicidij reus est, irregularis sit, & à sacro ordine deiectus. Ab hoc imperatore Constante hæretico beatus Martinus papa in exilium missus est. Huius etiam tempore, Eugenius papa LXXIX ordinatur. Sedit annis 2. mensibus 9. Iste papa constituit, ut & Stephanus papa & beatus Gregorius papa, & Leo, & sexta synodus, vt nullus presbyter & diaconus vel subdiaconus vxorem habeat aut concubinam.

Anno Domini DCLXXII, Constantinus filius Constantis imperium adeptus, regnauit annis 17. Adeodatus papa LXXX, sedit annis 3. mens. 2. Hic constituit, vt Simoniacus non celebret missam nisi per dispensationem papæ.

Vitalianus papa LXXXI ordinatus, sedit annis 14, mensibus 6. Iste papa aliqua de cantu officij diuini constituit, anno Domini DCLXX. Iste papa Adeodatus leprosum mundauit osculando eum. Isti successit Dominus papa LXXXI. Sedit anno vno, mensibus 5. Hic fecit paradisum Romæ ante ecclesiam sancti Petri. Post hunc Agathon papa LXXXII ordinatur. Sedit annis 11. Hic Agathon papa constituit, vt distinctus sit habitus virorum & fœminarum, in vestibus & crinibus. Sub hoc papa Constantinus imperator sextam synodum in Constantinopolim congregauit. Huius imperatoris rogatu Agathon papa misit legatos suos ad concilium præfatum in regiam vrbem, vbi præfuerat olim episcopus, præsidente Gregorio patriarcha regiæ vrbis, & Macario patriarcha Antiocheno cum legatis sedis apostolicæ. Ibi conuicti & condemnati sunt omnes hæretici, quos etiam sanctus Martinus papa conuocato concilio condemnauit. Nam Eutychiani ibidem sunt specialiter condemnati. Leo papa LXXXII ordinatur. Sedit mensib. 10. Huius festum est in vigilia apostolorum Petri & Pauli. Hic fecit sermones. Hic constituit, vt archiepiscopus pro pallio nihil dare teneatur.

Benedictus papa LXXXIV ordinatur. Sedit annis 11. Hic papa S. Kilianum fecit episcopum; anno Domini DCLXXXVII, & duxit eum in Germaniam, vt ecclesiam plantaret, & gentiles conuerteret ad Christum.

Anno Domini DCLXXXVII, Iustinianus filius Constantini imperatoris imperium adeptus, regnauit annis 10. Iste pro malitia sua odiosus omnibus naso truncatus interfectus est. Huius temporibus Sergius papa LXXV ordinatur. Sedit annis 13, mensibus 2. Hic Agnus Dei composuit, & ad missam dici instituit. Hic papa in sacrario Petri apostoli capsam argēteam domino reuelante reperit, diuersis gemmis ornatam, in qua inuenit magnam portionem Dominicæ crucis, quæ in basilica sancti Saluatoris mundi reposita annuatim reuerenter ostenditur. Leo imperium adeptus, regnauit annis 3. Iste nihil habet historiæ.

Anno Domini DCC, Tiberius imperium adeptus, regnauit annis septem. Huius temporibus sanctus Lambertus Turgensis vel Traiectensis episcopus à Nytone tyranno apud Leodiam passus est.

Anno Domini DCCI, Ioannes papa LXXXVIII ordinatur. Sedit annis 3, mensibus 2. Sub hoc papa Dagobertus rex Francorum fundauit monasterium sancti Petri in

in Erffordia, nam ipſe mons antea Mervvigisburg vocabatur: ſed ipſe rex montem S. Petri appellauit. Tunc temporis ſanctus Oſvvaldus rex apud Angliam vixit menſ. 10.

Ioannes papa LXXXIX ordinatur. Sedit anno vno.

Gedeon papa XC ordinatus ſedit.

Ioannes papa XCI ſedit annis 2, menſ. 7.

Iſremus papa XCII ordinatus, ſedit dies 20.

Conſtantinus papa XCIII ordinatur. Sedit annis 7.

Anno Domini DCCVII, Iuſtinianus imperium adeptus, regnauit an. 6. Iſte à regno eiectus iterum reſtituitur.

Anno Domini DCCXIV, Anaſtaſius imperium adeptus regnauit annis 3. Hic deposita corona regni clericus factus eſt. Huius temporibus Gregorius papa XCIV ordinatur, ſedit annis 15. Tũc temporis ſub hoc Gregorio papa beatus Ægidius abbas claruit. Hic conſtituit, vt in quadrageſima in quinta feria ieiunium fieret & miſſæ, quæ ante non fiebant.

Anno Domini DCCXVII, Gregorius papa XCV ordinatur, ſedit annis decem. Hic Gregorius papa ſanctum Bonifacium ordinauit in Archiepiſcopum Moguntinum, & ei pallium dedit. Nam Moguntina eccleſia antea fuit ſub archiepiſcopatu Wormatiẽſi, & erant 16 ſuffraganei Wormatienſis archiepiſcopatus. Hic Gregorius papa feſtiuitatem omnium ſanctorum inſtituit, quam prius papa Bonifacius, dedicato templo Pãtheon in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ & omnium martyrum, ſeruandam inſtituit. Vnde ille ſermo quem legimus ſancti Maximi epiſcopi, vel legimus in eccleſiaſ. hiſtoria, congruit feſto omnium ſanctorum.

Theodoſius violenter coactus ſuſcepit imperium, & regnauit anno vno. Hic Anaſtaſium imperatorem magno prælio vicit, & eum clericum fieri coegit, & poſtea fecit ſe presbyterum ordinari. Similiter ipſe Theodoſius poſtquam vno anno regnauit, factus eſt clericus, & reſiduum vitæ ſuæ in pace tranſegit.

Anno Domini DCCXXVIII, Leo imperium adeptus, regnauit annis 25. Hic in Chriſtianos, & eccleſiã Dei, atq; in religionem ſanctam impius, & crudelis in imagines Domini Saluatoris, & ſanctæ Mariæ, & aliorum ſanctorum, in medio ciuitatis Conſtantinopolis incendio tradidit, & multos Chriſtianorum qui non conſenſerunt huic impietati, decollari iuſſit. Vnde hic Papa Gregorius anathematizauit eum, & Romam cum tota Italia ab eius imperio recedere fecit. Et idẽ Gregorius inſtituit, vt ſi quis ſacrarum imaginum deſtructor extiterit, excommunicatus ſit, vel ſi imaginibus Chriſti vel ſanctorum blaſphemiam intulerit.

Anno Domini DCCXX, venerabilis Beda claruit. Nota hic, quare ipſe ſit nominatus Venerabilis presbyter. Hic cum multo tempore ſtudio ſacræ ſcripturæ deditus fuiſſet, in prouecta ætate caligauerunt oculi eius, & videre non poterat. Cui irriſores quidam illudentes ei quadam vice dixerunt. Beda ecce plebs congregata eſt expectans verbum Dei: ſurge & prædica eis. Qui ſitiens ſalutem animarum, vt ſolebat, aſcendit & prædicauit putans ibi eſſe populum, cum nullus eſſet, niſi illi ſubſannatores. Cumq; ſermonem concluderet dicens, *Hoc nobis præſtare dignetur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus*: reſpõderunt ſancti Angeli in aere dicentes, *Amẽ*. Iſte venerabilis Beda dicit de monumento Domini, quod domus fuit rotunda de ſubiacente rupe exciſa, & tantæ altitudinis, quod vix homo manu extenſa culmen attingere poſſit, introitum habens ab Oriente, cui magnus lapis appoſitus erat pro oſtio. In parte eius aquilonari locus dominici corporis de eadem petra factus eſt, 7 pedes habens longitudinis tribus palmis altius tereti pauimento eminens, quaſi ſarcophagus fundamento ſuperpoſitus. Item in ipſo pariete loculus erat, ſicut in muris domorum fit ad vtenſilia reponenda. Locus ille non deſuper ſed à latere meridiano fuit patulꝰ, vbi corpꝰ domini inferebatur, vt eſſet quaſi ſarcophagus ſuperlatus inclinatus, aperturam à latere habens non deſuper. Color monumenti eiuſdem & loculi rubicũdo & albo permixtus erat, ſicut in marmore ſolet. Idem Beda ſcribit etiam exemplũ de milite nolente confiteri: itẽ aliud de milite captiuo, quĩ liberatus fuit per miſſas. Et notandũ eſt per idem exemplũ, & per alia multa exẽpla, qꝫ miſſæ proſunt corporib. & animabus. Sub præfato Gregorio papa anno Domini 736, initium Hersueldenſe monaſteriũ habuit. Tunc præclarus doctor Beda obijt in Anglia.

De ortu Caroli Magni Imperatoris.

ANno Domini DCCXLII, Carolus Magnus natus est.

Anno Domini DCCXLIV, initium Fuldensis ecclesia habuit à sancto Bonifacio fundatore, sicut & Heresfeldensis ecclesia. Sanctus Burchardus à Papa Gregorio III rogatu sancti Bonifacij ordinatur episcopus in Wortzeborg. Sanctus Bonifacius cum Carlomanno rege magnam synodum celebrauit.

Anno Domini DCCXLVII, Sãctus Wigbertus cõfessor migrauit ad Christum, & Carlomannus rex monachus factus est Romæ. Iste igitur papa plurimas misit epistolas sancto Bonifacio.

Zacharias papa XCIV, ordinatur. Sedit annis 18. Hic natione Græcus transtulit Gregorij dialog. beati Greg. in linguam Græcam. Hic constituit, vt sacerdos ad celebranda missarum solemnia cum baculo non intraret, nec velato capite iuxta altare staret. Hic Zacharias papa primo dedit eleemosynas generales omnibus egenis in atrio, quod vsque adhuc in curia tenetur. Sub hoc papa Zacharia anno Domini DCCL, Pipinus pater Caroli in regem inunctus est à sancto Bonifacio, iubente papa, & Hildericus Francorum factus est monachus. Sub hoc papa à sancto Bonifacio archiepiscopo in Bauaria episcopatuum facta est distributio: sed ex decreto Zachariæ papæ & cõsensu Pipini regis videlicet in Saltzburg, in Ratispona, in Eistaten & Frisingen.

Anno Domini DCCLII, Constantinus filius Leonis imperatoris imperium adeptus, regnauit annis 34. Hic pernicios issimus erat: ferus persecutor legum: non legitime sed tyrannice vsus est imperio: abscedens à Deo, & eius sancta Dei genitrice, & omnibus sanctis: insistens luxuriis, magicis maleficijs, & cruentis sacrificijs idolorum, & inuocationibus dæmonum, ac omnibus vitijs, persecutionibus ecclesiarum, violationibus monasteriorum, monachorum perẽptoribus, varijsq; malis supercrescens non minus, quam Diocletianus imperator.

Hic papa Zacharias constituit, vt nulli in matrimonium iungantur, per quos patres eorum sint compatres effecti: hoc est, quod nullus sororem suam spiritualem ducat in vxorem, quam suus pater vel mater leuauit de baptismo.

Anno Domini DCC LVI, Stephanus papa XCV ordinatur. Sedit annis 15, mensibus 3.

Paulus papa XCVI ordinatur. Sedit annis 5, mens. 2.

Stephanus papa XCVII ordinatur. Sedit annis 3, mens. 6.

Leo filius Constantini imperium adeptus, regnauit annis 5.

Anno Domini DCCLXXXI, Constantinus filius Leonis imperium adeptus regnauit cum matre sua Irene annis 17. Cum opprimeretur ecclesia Romana à rege Hastulpho, & præfatus Stephanus papa non inueniret auxilium ab isto Cõstantino: transtulit ipse papa Romanus Stephanus natione Romanus, Romanum imperium in Teutonicos à Græcis, sc. in personam magnifici regis Caroli filij regis Pipini, extra de electione venerabilem. Vide id est apparatum. Nam ipsi Germani habent regnum Romanæ ecclesiæ.

Adrianus papa XCVIII ordinatur. Sedit annis 23, mens. 10. Hic papa & ius patronatus siue dignitatem contulit Carolo. Constantinus papa à Laicis ordinatur. Sedit anno 1.

Anno Domini DCCC Leo papa, XCIX à Petro, ordinatur. Sedit an. 20, mens. 6. Hic Leo papa Carolum regem Francorum filium Pipini regis inunxit, & consecrauit, & solenniter coronauit in Romanorum imperium.

Anno Domini DCCCI, vsque huc Romanum imperium à temporibus Constantini Magni filij Helenæ apud Constantinopolim mansit. Ex hoc iam per apostolicã auctoritatem in persona Caroli transijt ad Germanos. Iste Leo papa Romanorum imperatorem pronunciauit Carolum, & à cuncto populo acclamatum est in hunc modum, *Carolo Magno, Romanorum Augusto, & pacifico imperatori, à Deo coronato, vita & victoria.* Hic Leo papa claues confessionis sancti Petri, & vexilla Romanæ vrbis cum aliis muneribus Carolo misit. Iste papa constituit litanias 3 diebus ante Ascensionem Domini sicut Mamertus, & ipse papa fecit porticum sancti Petri. Iste Leo papa excæcatus est, & lingua eius amputata, nudus ac semiuiuus in platea Romæ relictus est: sed mirabiliter Domino disponente claros oculos & visum recepit. Vnde in vindictam die

vno

vno in campo Lateranẽsi de Romanis maioribus CCCXCVI decollati sunt, & multi in exilium deportati. Hic papa fuit accusatus crimine adulterij. Tunc discutiente Carolo imperatore causam, & cum nullus inueniretur criminis approbator, ipse Leo papa assumpto Euangelij textu coram Carolo & omni populo ascendit ambonem, inuocato sanctæ Trinitatis nomine ab obiecto se expurgauit. Hic papa fuit in Paderbrunnen cũ Carolo imperatore.

Anno ab vrbe condita MDLII, anno vero gratiæ DCCCI, Carolus magnus rex, Pipini regis filius, imperium adeptus LXXVIII imperator à Cæsare Augusto regnauit annis XLVI, sed in impero Romano XIV. Hic dilatauit fidem catholicam, fundauit ecclesiam, fundauit monasteria & ecclesias, expugnauit Sclauos, & repulit paganos, vicit Saxones, subegit Vngarios: & Saxones, & Frisones Christiani facti sunt. Multa quoq; prodigia visa sunt. Signum enim crucis vestimentis hominum apparuit, & sanguis è cœlo terraq; profluxit. Hic Carolus imperator Aquisgrani feliciter defunctus est, & ibidem sepultus. Festum quoq; eius in die obitus sui solemniter celebratur. Cui successit filius suus Ludovvicus.

Anno Domini DCCCXV, Ludovvicus filius Caroli Magni imperium adeptus, regnauit annis 26. Cuius tempore obiit Leo papa.

Stephanus papa c ordinatus, sedit menses 7. Hic Stephanus papa Ludevvicum filium Caroli diademate coronauit, & eum Romanorum imperatorem pronunciauit. Hic Ludovvicus Hildẽsheim fundauit & Corbeiam, sicut Carolus pater suus Fuldam, & Hersuelde, & Baterbrunnen, & multa alia. Sanctus Ægidius abbas confessor Caroli migrauit ad Christum. Huic sancto Ægidio Deus reuelauit occultum quoddam peccatum, quod Carolus erubuit cõfiteri: quo sibi manifestato, mox Carolus confessus pœnituit digne de illo enormi excessu. Ipso quoq; tempore cum Carolus laboraret in extremis, beatus Terpinus Remensis archiepiscopus Deo disponente vidit magnam turbam malignorum spirituum tendentem ad exitum Caroli: vocauitq; vnum ex illis præcipiens ei in virtute sanctæ Trinitatis, vt plene sibi renunciaret omnia. Qui cum aliis dæmonibus reuersus dixit archiepiscopo: Cum omnia opera Caroli in statera examinata fuissent, & nostri principes tenebrarum ius in anima habere viderentur: sancti Angeli mox cum indignatione monasteria, structuras ecclesiarum, & diuersa pondera in stateram proiicientes, animam Caroli nobis repulsis quasi in sanctis operibus præponderantem cum gloria & laudibus deduxerunt. Hæc audiens sanctus Terpinus Remensis archiepiscopus gratias egit Deo.

Ludevvicus imperator conuocato concilio magno in Aquisgrano multa de statu ecclesiæ & religiosorum vtiliter tractauit. Ibi quoq; regula monachorum de diuersis patrum sententiis compilata est, & similiter regula canonicorum. Alia etiam Concilia sub hoc imperatore (vt videtur) celebrata sunt, sci. Moguntinum & Triburiense. Ipso defuncto in ecclesia Metensi sepultus est.

Anno Domini DCCCXVII, Paschalis papa CI ordinatur. Sedit annis 7. Hic constituit, vt nullus omnino emat vel vendat ecclesiam aut præbendam, vel ecclesiastica sacramenta, & quod talis Simoniacus sit.

Anno Domini DCCCXXX, Eugenius papa CII ordinatus, sedit annis 3. Hic constituit, vt nullum altare consecretur nisi lapideum. Et constituit, quod nullus presbyter celebret missam, nisi saltem ad minus super tabula consecrata, scilicet altare portatile, & cum aliis debitis attinentiis: & quod nullus clericus in sacris ordinibus habeat vxorem & concubinam.

Anno Domini DCCCXXXI, Valentinus papa CIII ordinatur. Hic sedit dies 40. Huic successit Gregorius Papa CIV. Hic sedit annis 15.

Anno Domini DCCCXXXVI. Huius temporibus Ludevvici Imperatoris Othgarius Moguntinus archiepiscopus transtulit ossa sancti Scueri in Erphordiam. Ludevvicus filius Ludevvici imperium adeptus, regnauit annis XXXV. Huius temporibus sanctus Martinus translatus est, cuius corpus CCCC & XL annis in terris quieuerat. Huius etiam temporibus Hunorum, id est Vngariorum rex, nomine Stephanus, statura pusillus, corde magnus, nobilis progenie, nobilissimus fide quæ per dilectionem operatur, Christianus effectus, est baptizatus cum magnatibus &

populo regni sui. Huius sancti Stephani regis festiuitas in Vngaria tanquam Apostoli solemniter celebratur. Iisdem temporibus imperator contulit ecclesiæ Padilbornensi patronum suum sanctum Liborium Episcopum & confessorem. Qui cum de Cenomannis apportaretur, vbi ipse fuerat episcopus, & venisset apud Thuronum: ipsi Thuronenses cum capsa sancti Martini episcopi pro reuerentia eidem sancto Liborio processionaliter occurrerunt. Tunc quidam dives leprosus tetigit capsam beati Martini rogans ipsum, vt mundaret eum à lepra: cui sanctus Martinus audientibus circumstantibus de archa respondit, dicens: *Per medium totius corporis tui sis mundus à lepra, & accede ad fratrem nostrum Liborium qui apportatur, rogans vt lepræ tuæ reliquam partem mundare velit, quam ipsi relinquo mundandam. Hospites nãq; honorandi sunt.* Quod cum homo ille feciſſet, statim à reliqua parte mundatus est. Sicq; à sanctis totaliter à lepra sua tactis capsis eorum, cunctis videntibus, mundatus est.

Anno Domini DCCCXLI, defuncto Gregorio papa huius nominis IV, Sergius papa CV ordinatur. Sedit annis 3. Iste vocabatur Os Porci: vnde ab isto vsque adhuc semper mutatur nomen papæ. Hic constituit, vt debeat mutari nomen, quia Dominus Simonẽ appellauit Petrum, qui fuit primus papa.

Anno Domini DCCCXLIV, Leo papa CVI ordinatur. Sedit annos 8, menses 5. Hic cõstituit, vt octaua Assumptionis beatæ virginis Mariæ solenniter celebretur. Et vt nullus presbyter plures missas in die celebret, quam vnam tantum, excepto die natiuitatis Domini, & in Dominica præsente funere.

Anno Domini DCCCLVI, Rabanus archiepiscopus Mogũtinensis migrauit ad Christum. Benedictus papa CVII ordinatur. Sedit annis 2.

Paulus papa CVIII ordinatur. Sedit annis 10, mensibus 2.

Anno Domini DCCCLX, Nicolaus papa CIX ordinatur. Sedit annos 10, mens. 1. Hic excommunicauit duos imperatores, orientalem nomine Michaelem, & occidentalem nomine Lotharium, filium huius imperatoris Ludovvici. Hic papa constituit, vt nullus causam papę iudicet, nisi ipse papa iudicet seipsum *d. 21 Vt autem nisi papa Deum à fide esset, d. 40, Si papa.* Iste Nicolaus papa concessit, Sequentias pro ieiunijs cantari in missa, quas Sequentias Notherus abbas sancti Galli composuit. Item constituit, vt nullus clericus venationi insistat. Item constituit, vt quicunque facto vel dicto, aut præcepto siue consilio homicidij reus est, irregularis sit, & à sacro ordine deiectus.

Adrianus papa CX ordinatur. Sedit anno vno. Hic constituit, vt nullus comes vel iudex teneat placita secularia, videlicet causas sanguinis in ecclesia aut in domibus ecclesiarum, quia negotia spiritualia ibi tractari debent. Et constituit, quod ibi non hospitarentur quasi ex debito, sed pranderent ex gratia.

Anno Domini DCCCLXXVII, Carolus filius Ludevvici imperium adeptus regnauit annis XI, cum fratribus suis Carlomãno & Ludevvico. Hic Carolus eiectus est à regno.

Martinus papa CXIII ordinatur. Sedit anno vno, mens. 3.

Adrianus papa CXIV constituit, vt nullus episcopus vel alius prælatus præsumat causas iudicare die Dominico.

Stephanus papa CXV ordinatur. Sedit annis 4. Carolus obijt.

Anno Domini DCCCLXXXVII, Arnolfus filius Carolomanni imperium adeptus regnauit annis 12, sed tantum viceimperator fuit. Hic Arnolfus imperator deuoratus est à pediculis. Huius temporibus prælium magnum factum est inter Bauaros & Vngaros. Huni, id est Vngari, vastauerunt Saxoniam. Vngari vastando terram venerunt ad Fuldam. Vngari vastauerunt Franciam. Burchardus Thuringorum dux occisus est ab Vngaris.

Anno Domini DCCCC temporibus Arnolfi Imperatoris Formosus papa CXVI ordinatur. Sedit annis 4, mensibus 7. Hunc Formosum papam successor suus Sergius papa, scilicet eo quod contra ipsum ab aliquibus electus fuerat, sepultũ extumulari fecit, & indutum pontificalibus poni fecit in sede apostolica, & iussit eum in sede apostolica decollari, & tribus digitis sibi amputatis iussit eum exutũ, pontificalib ornamentis in Tiberim fluuiũ proijci: cunctosq; quos ipse Formosus ordinauerat, ipso gradu depositos ipse Sergius papa reordinauit. Qui Formosus papa à piscatorib. inuẽtus in ecclesiã beati

beati Petri Romæ portatus, videntibus religiosissimis viris sibi sanctorum imagines inclinauerunt. Sergius hostis Formosi papa ordinatus breui tempore sedit.

De Papissa.

FVit & alius pseudopapa, cuius nomen & anni ignorãtur. Nam mulier erat, vt fatentur Romani, & elegantis formæ, magnæ scientiæ, & in hypocrisi magnæ vitæ. Hæc sub virili habitu latuit, quousq; in papam eligitur. Et hæc in papatu concepit, & cum esset grauida, dæmon in Consistorio publice coram omnibus prodit factum, clamans ad papam hunc versum:

Papa pater patrum papissæ pandito partum.

Arnolfo imperatore temporaliter mortuo, Ludovvicus filius eius successit ei in imperatore, & regnauit annis 12. Hic Ludevvicus cum Vngaris pugnauit & victus. Huius Ludevvici temporibus Bonifacius papa CXVIII ordinatur. Sedit annis 13.

Anno Domini DCCCCXIV, Hatto Moguntinensis Episcopus à dæmonibus in puteum ignis in monte Siciliæ Ætna viuus præcipitatur, dicente voce in aere: *Sic peccata lues, sicque ruendo rues.* Nam Albertum comitem de Babenberg dolose tradidit occidendum.

Anno Domini DCCCCXVII, Ludevvicus Imperator obijt, & successit ei in imperio Conradus, & regnauit annis 7. In isto Carolorum reges & imperatores defecerũt. Hic Conradus sepultus est in Fulda.

De Saxonibus.

ANno Domini DCCCCXXIV, Henricus Saxo huius nominis primus, filius Ottonis ducis regnum adeptus, regnauit annis 17. Iste dictus fuit Auceps, quia dum caperet auiculas, renitens electus est.

Stephanus papa CXIX ordinatur. Sedit annis 6. mense vno.

Romanus papa CXX ordinatur. Sedit annis 11.

Theodorus papa CXXI ordinatur. Sedit annis 8.

Anno Domini DCCCCXL, Otto filius Heinrici imperatoris imperator factus regnauit annis 38. Iste dictus fuit Otto Magnus. Ipse fundauit archiepiscopatum Magdeburgensem. Vxor eius fuit Adelheidis regina. Hæc citra Argentinam in littore Rheni, in monasterio Selse cum magna veneratione ab omni populo terræ pro sancta seruatur. Hic Otto imperator pugnauit cum Vngaris, & magna cæde prostrauit eos in campo qui dicitur Lechuelt. Tempore illo Haltmarus abbas Fuldensis decessit. Signum crucis in vestimẽtis hominum apparuit. Hic Otto rogatus à Ruthenis, misit eis doctorem fidei catholicæ sanctum Adelbertum episcopum, qui postea martyrio coronatur. Hius sancti Adelberti episcopi corpus in Pinga quiescit.

Ioannes papa CXXII ordinatus, sedit annis 2. Hic papa Ottonem istum imperatorem consecrauit.

Benedictus papa CXXIII ordinatur. Hunc deiecit de sede apostolica Otto. Hic Otto vocatus fuit in adiutorium papæ Ioannis Romam: quo consecrato Ottone magna synodus facta est Romę, cui Otto imperator præsidebat cum multitudine episcoporũ, clericorum, & monachorum: ibique deiectus est papa Benedictus à sede apostolica. Attamen ipse Otto magnus imperator iuratus dedit priuilegium Ioanni papę, sicut & Carolus Magnus, & Ludovvicus imperatores dederant ecclesiæ Romanæ, vt de electione Romani pontificis, & de alijs pertinentibus beato Petro se non intromitterent, nisi de consilio papæ *d. 63. Tibi Domine sacrorum canonum post quam, &c.*

Adrianus papa CXXI constituit, vt nullus princeps de electionibus episcoporum vel prælatorum aliquatenus intromitteret. Iste Otto Magnus venit tertia vice Romam. Postea in Thuringia mortuus est, sepultus autem in Magdeborg.

Anno Domini DCCCCLXIX, Hatto Moguntinensis episcopus deuoratus est à muribus in Rheno, quia multitudinem pauperum cremauit in horreo tẽpore famis sub Ioanne papa, & Ottone Imperatore Magno.

Leo papa CXXV ordinatus, sedit menses 6.

Sergius papa CXXVI ordinatus, sedit annis 6, mensibus 4.

Anastasius papa CXXVII ordinatus, sedit anno vno, mense vno.

Marido papa CXXVIII ordinatur. Sedit mensibus II.

Ioannes Papa CXXIX ordinatur. Sedit annis IV, mensibus II. Hic Ioannes papa, rogante Ottone imperatore, fecit filium Ottonem secundum imperatorem, sed post ipse Otto secundus in regem fuerat Aquisgrani inunctus.

Leo Papa CXXX ordinatur. Sedit annis VII.

Stephanus Papa CXXXI ordinatur. Sedit annum & mensem vnum.

Ioannes papa CXXXII ordinatur. Sedit annis IV, & mensibus X.

Leo Papa CXXXIII ordinatur. Sedit annis III, mensibus VI.

Agapetus Papa CXXXIV ordinatur. Sedit parum.

Ioannes Papa CXXXV ordinatur. Sedit parum.

Benedictus Papa CXXXVI ordinatur. Sedit anno vno, menses V. Tempore huius Papæ primus Otto qui dicitur Magnus, obijt.

Anno Domini DCCCCLXXVIII, Otto secundus filius Ottonis magni siue primi successit patri in imperio, & regnauit annis 9. Huius vxor fuit Theophania imperatrix quæ venit de Græcia. Sanctus Vdalricus Augustæ episcopus migrauit ad Christum. Iste Vdalricus Episcopus fecit prandium cum Conrado Constantiensi episcopo, & eodem die facto prandio celebrauit missam solennem coram clero & populo. De hoc incusatus respondit, *Ego non comedi, sed caritas*. Et iste fuit secundus eiusdem nominis, & ambo sunt sancti, & eorum solemnitas in Sueuia solemniter celebratur. Hic Otto secundus Imperator magnum conflictum cum Sarracenis habuit in Calabria. Ibi de exercitu imperatoris plurimi nobiles occisi sunt, sed ipse Imperator vix euasit vita comite. Deinde veniens post male gestas res idem Otto imperator cecidit in languorem, & obijt in Roma, & ibi sepultus est.

Leo Papa CXXXIX sedit anno vno, mens. tribus.

Ioannes Papa CXL sedit annis 5, mens. II.

Benedictus Papa CXLI ordinatur. Sedit anno vno, mens. 5.

Dominus Papa CXLII ordinatus, sedit anno 1, mens. 6.

Bonifacius Papa CXLIII ordinatus sedit mensem vnum.

Benedictus Papa CXLIV ordinatus sedit annum vnum.

Huius Papæ temporibus obijt Otto secundus Imperator.

Anno Domini DCCCCLXXXVII, Otto filius Ottonis secundi imperium adeptus regnauit annis 17. Prius tamen fuerat vnctus Aquisgrani in regem. Sanctus Wolfgangus Ratisponensis episcopus migrauit ad Christum.

Ioannes papa CXLV ordinatur. Sedit annis 8.

Ioannes Papa CXLVI sedit menses quatuor.

Ioannes Papa CXLVII sedit annis 10, mensibus 6. Gregorius Papa CXLVIII ordinatur. Sedit anno vno, mensibus 6. Iste Otto imperator III contra Crescentium Romam, vbi & Brunonem in sede Apostolica constituit, qui & Gregorius dictus est. Iste idem Gregorius Papa hunc Ottonē III consecrauit. Nam Ioannes Placentinus episcopus sedem apostolicam inuaserat, & se gessit pro papa consilio Crescentij. Vnde ab imperatore Ottone inde detrusus cum 12 suis ante vrbem suspenditur, & Ioannes pseudopapa prius Placentinus episcopus excæcatus præcipitatur. Idcirco vsq; adhuc nullus papa venire vult in montem Tarpeium ad arcem vrbis Romæ, s. in Capitolium, vbi iste Ioannes tormenta sustinuit. Ibi itaq; semper ferebantur sententiæ mortis cõtra sceleratos & contra aduersarios Romanorum. Post hunc papam Ioannem CXLIX, qui sedit menses 10, & vltimo excæcatus & præcipitatus, Sylvester papa CL ordinatur. Sedit annis 3, mẽsibus 5. Iste vocabatur Gerbertus. Iste dicitur in papatu magus & nigromanticus, & diabolum pro diuitijs adorasse, & à diabolo fuisse promissum, quod nunquam moreretur, nisi prius veniret in Hierusalem. Hoc intellexit papa de Hierusalem vltra mare, & quomodo voluit vixit. Sed cum hic Papa quadam die in capella quam construxit Constantinus & Helena, vbi plurimas reliquias recondiderunt, quæ vocatur Hierusalem, missarum solennia celebrasset, dixit ei suus diabolus, *Ecce in Hierusalem fuisti, nunc morieris tu, & non viues*. Quo audito, Sylvester & Gerbertus male sibi conscius, ostendens magna signa compunctionis in quadam capella quę Romę sita est inter Lateranum

teranum & Colliſeum, iuſſit ſeipſum amputatis manibus ſuis, & pedibus, & aliis membris enormiter & crudeliter mutilari, & ſic vitã Gerbertus in ipſa capella finiuit. Vnde in eadem capella quę Gerberti vocatur, nullus papa in deteſtationem illius facti poſtea intrare voluit. Poſt iſtum Sylueſtrum papam Ioannes papa CLI ordinatur. Sedit menſ. 10. Ipſa capella quæ Romæ dicitur Hieruſalem, facta eſt monaſterium regularium, in quod fœminæ non intrant. Ibi ſeruatur titulus, quem ſcripſit Pilatus in tabula oliuæ, ſ. *Ieſus Nazarenus rex Iudæorum*, ſub hoc verſu: *Hic crucis eſt almæ titulus; crux inclyta ſalue.*

Anno Domini M, imperator Otto III, oſſa Caroli Magni Aquiſgrani à pluribus eo-uſque ignorata inuenit.

Anno Domini M I, Otto III imperator Natiuitatem Domini celebrauit.

Anno Domini M II, Otto imperator III, dictus Rufus, obiit, cui ſucceſſit Henricus. Hic Heinricus dux Bauariæ imperium adeptus, regnauit annis 24. Huius fuit ſponſa ſancta Konigundis. Hic Henricus fuit imperator I X X X V I I I à Cæſare Auguſto. Iſte conſtruxit & fundauit epiſcopatum Babenberg, & ſimiliter Merſeborg, & Hildensheim, & Magdeborg, & Argentinam, & Miſnam, quæ barbarica immanitate deuaſtatæ fuerant, reſtaurauit. In Hildensheim, vbi à puero enutritus & edoctus fuit, poſuit S. Gothehardum in epiſcopum. Hic Gothehardus fuerat abbas in Herſuelde. Summam etenim diligentiam hic imperator habuit in amplificando cultu religionis. Sedes epiſcopales & eccleſias per vniuerſum regnum poſſeſſionibus multis & ornatibus ditare cœpit. Hic amator fuit caſtitatis. Nam cum ſponſa ſuaſibi dulciſſima, ſancta Konigundi virgine, ipſe virgo permanſit: ſed hoc de pari conſenſu, ac voto communi & voluntario. Quod vt tamen hominibus occultum foret in lecto vno in clauſo thalamo pariter dormierunt. Conuocatis principibus regni ſui Quedelingheborch curiam celebrauit. Ibi vniuerſis cõſentientibus in id ipſum Poloniam, & Boemiam, cæteraſq; Sclauorum qui pagani erant adiacentes regiones debellare diſpoſuit, congregatoq; exercitu cum omnes perceptione corporis & ſanguinis confortati fuiſſent, venerunt ad locum certaminis, & deuotius orante Henrico imperatore aperti ſunt oculi eius, & vidit glorioſos martyres, Laurentium, Georgium, & Adrianum cum Angelo percutientem exercitum ſuum præcedentes, & hoſtes fugantes. Sic victor ſine effuſione ſanguinis ſibi ſubegit illos, & gratias egit Deo cum ſuis. Apuliam à Græcis diu poſſeſſam Romano imperio recuperauit. Pannoniam, & Vngariam, nec non Burgundiã ſubegit vir iſte victorioſus. Cumq; rediret de Apulia, cœpit infirmitate calculi laborare: qua cum plurimum torqueretur, omnia patientia ſuſtinuit. Aſcendit quoq; montem Caſſinum, petiturus meritis ſanctiſſimi abbatis Benedicti, & beatæ Scholaſticæ virginis ſanitatis remedium. Facta vero oratione, & in hoſpitio obdormiente, vidit beatiſſimum Benedictum dicentem ſibi, *Quia ſperaſti in Deo & in ſanctis ſuis, ecce miſſus ſum à Deo, vt liberem te ab infirmitate tua.* Hæc dicens ſanctiſſimus Benedictus abbas, cum ferro medicinali partem illam corporis vbi habitabat calculus, aperuit, & molliter calculo effuſo hiatum vulneris mox ſanauit, & calculum in manu imperatoris poſuit. Qui euigilans calculum in manu inuenit, quem ſuis oſtendens gratias egit Deo, & locum illum multis donis ditauit. Tempore huius imperatoris archiepiſcopus fuit in Moguntia nomine Willigis. Iſte quia humilem progeniem habuit, & patrem qui currus & bigas facere ſolebat, in thalamo ornato groſſis literis ſcribi iuſſit, cuius ipſe clauem reſeruans ſolus introire conſueuit, & legere ſcripturam quæ talis erat: *Willigis, Willigis, recole vnde venis.* Hæc in lingua Teutonica ſcripta erant. Appendebat etiam rotas, & huiuſmodi inſtrumenta in pariete circumcirca: quibus ſuam ſapientiam & ſtatum ſuæ paupertatis intente (vt fertur) agnoſcebat. Vſq; adhuc habentur rotæ duæ quaſi aratri in vexillo eccleſiæ Moguntinæ. Iſte archiepiſcopus maiorem Moguntinenſem eccleſiam, & ſancti Albani eccleſiam conſtruxit. Ioannes papa CLII ordinatur. Sedit menſibus 3.

Sergius papa CLIII ordinatur. Sedit annis 3.

Benedictus papa CLIV, huius nominis VIII I ordinatus, ſedit annis X I, menſibus X I. Ad hunc papam Henricus imperator iſte venit Romam, & fuit ab eo honorifice vt decebat tractatus. Iſte papa Benedictus venit ab eodem imperatore inuitatus Babenberg, & ibi cum imperator ſolenniſſime ſuſcepit hoſpitio. Ibi in ſancta nocte Paſchæ matutinali officio ſolemni, primam legit lectionem patriarcha Aquileienſis, ſecundam

lectionem archiepiſcopus Rauennenſis, tertiam papa. Ibi tunc præfatus papa præſentibus LXXII epiſcopis & principibus aliis, ſicut prædeceſſores ſui Ioannes & Sergius Apoſtolici, ita & ipſe dedit priuilegium libertatis eccleſiæ in Babenberg. Hic papa Benedictus eodē tempore omnib. ciuitatibus Alemanniæ cum ſuis cardinalibus peragratis venit in Babenberg, vt prædictum eſt. Ioannes papa CLV ordinatur. Sedit annis 9, menſ. 6. Hic Ioannes papa etiā priuilegiū de libertate & rebus eccleſiæ Babenbergenſi dedit. Sub hoc papa Hēricus imperator ſeruus Dei fœliciter obiit, ſplendens miraculis, & ſepultus eſt cū ſua ſponſa ſancta Kunegunda in Babinberg, anno ætatis ſuæ 52. Tempore huius imperatoris Henrici cum morereturꝰ, merita animæ ſuæ in ſtatera appenſa ſunt, & peccatis deprimentibus iam pene pars dæmonū præponderauerat: tunc ſubito aduſtus quidā ſuperueniens calice aureo partis dextræ lancem onerauit; moxq; ea præponderante victores angeli animā in conſortium ſupernorū ciuium deduxerunt. Hæc dixit vnus dęmon à quodam Sancto compulſus. Nam ipſe imperator calicem magnum aureum pretioſis gemmis ornatum obtulit Deo, & S. Laurentio martyri in Merſeburg, quæ adhuc ibi eſt. Sub eodem imperatore anno Domini MXX, in villa campeſtri nomine Kolebeke Halberſtatenſis diœceſis, quidam ruſticus nomine Opertus duxit choream in ſancta nocte Natiuitatis domini, in cœmiterio infra matutinale officium, cum 15 viris & 3 fœminis, quarum vna vocabatur Merſwind, & rogati à presbytero vt ceſſarent, iterumq; admoniti, vt ſuis diſſolutis cantibus diuinum officium non impediret, nec vellent acquieſcere, idem presbyter nomine Rupertus imprecatus eſt eis, & maledicta intulit vel congeſſit dicens, *Velit Deus propter merita ſancti magni martyris patroni huius noſtræ eccleſiæ, vt ſic inceſſanter vſq; ad annum integrum continue chorizetis.* Quod à ſeculo non eſt auditum, illi XVIII per annum continue ſine cibo & potu abſq; tecto & ſomno, aliis hominibus admirantibus & compatientibus, choream duxerunt, ſaltantes in ipſo eodem loco & cātantes inceſſanter, quouſque archiepiſcopus Colonienſis nomine Hubertus miſericordia motus venit illuc, & ipſos in nomine Domini à tali vinculo choreę liberauit. Quibus liberatis, ſtatim ex ipſis mortui ſunt; alij refocillati reſūmpſerunt vires, & egerunt pœnitentiam. Benedictus papa CLVI ordinatur. Sedit annis 14. Iſte defunctus eſt, & ſepultus in Hamborg Bremenſis diœceſis.

Anno Domini MXXV, Conradus Salicus imperium adeptus, regnauit annis 15. Huius filius Heinricus in regem vngitur in Aquiſgrani per Peregrinum Colonienſem archiepiſcopum. Sylueſter papa CLVII ordinatur. Sedit menſes duos.

Gregorius papa CLVIII ordinatur. Sedit anno vno, menſibus 6.

Sub hoc imperatore ſancta Konigundis obiit. Hæc ſancta Konigundis Augiam fundauit, & poſſeſſionibus, & ornamentis ipſam dotauit. Ibidem ipſa virgo, dum legeretur de Zacchæo ſcilicet, & percurrens aſcendit in arborem ſycomoræam, depoſitis imperialibus indumentis induit nobilibus videntibus multis veſtes religionis. Huius ſanctæ filia ſororis fuit in illo loco abbatiſſa, quæ cum epularetur tempore paſſionis in quadam dominica, venit Chriſti virgo Kunigundis, & zelo iuſticiæ & correctionis dedit ei alapā, nam minus erat religioſa, vltima in choro, prima in cōuiuio. Igitur alapæ illius ſempiternum manſit veſtigium abbatiſſę in maxilla eius, quaſi digiti in cera eſſent preſſi, pp alias in exemplū. Hæc ſancta Kunigundis, vt ſe purgaret facta deuota oratione audacter coram imperatore ſponſo eius dum adhuc viueret, & coram principibus & multis aliis 12 candētes vomeres nudo veſtigio calcauit, & domino protegente penitus illæſa permāſit. Nam auctore diabolo qui inuidebat eius virginitati, de crimine adulterij vehementer infamata fuit. Callidus namq; diabolus transfiguratus eſt in formam militis ſpecioſi, tribus diebus continuis māne videbatur plurib. exire de thalamo ſanctæ Kunigundis.

Sanctus Gothehardus epiſcopus migrauit ad Chriſtum, qui ſucceſſerat in Hildensheim ſancto Berwardo.

Tempore huius imperatoris qui vocabatur Conradus Salicus, anno Domi. 1028, Oriētalis eccleſia in Aſia fortitudine regnorum, diuerſitate linguarum, multitudine epiſcopatuū, grandi ſpatio terrarū, magna valde, receſſit ab obedientia ſedis Apoſtolicæ. Aliter enim baptizant, generalia concilia nō frequentant, ſtatuta Romanorū pontificū non recipiunt, de fermentato conficiunt, de pane azymo conficere nolunt. Negāt Spiritum ſanctum procedere à filio ſicut à patre. Ab eccleſiaſtica vnitate ſciſſi ſunt, &

& in ſtatu damnatorum. Verum occidentalis eccleſia catholica, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſubiecta & obediens, habet circiter epiſcopatus DCC & LXXII. Salicus Conradus obiit: ſepultus eſt in Spira.

Anno Domini MXL, Heinricus III, Conradi filius, regnauit annis 17. Clemens papa CLIX ordinatur. Sedit menſes 10. Hic Teutonicus fuit. Heinricus III ipſe Swickerum Babenbergenſem epiſcopum, tribus inuaſoribus apoſtolicæ ſedis & digne & iuſte expulſis quorum nomina ignorantur, papam conſtituens Clementem ſecundum appellauit: à quo ipſe imperator Romæ, & coniunx eius Agnes imperatrix, imperialē conſecrationem ſuſcepit. Hic Clemens papa priuilegium magnum eccleſiæ Babenbergenſi dedit, & ipſe Clemens papa ſepultus eſt in Babemberg.

Damaſus papa CLX ordinatur. Sedit menſ. 1. & hic Teutonicus Brixienſis epiſcopus nomine Poppo: quem mortuo Clemente papa præfatus Heinricus imperator papam conſtituit, & Damaſum appellauit. Poſt hunc papam idem imperator Heinricus Brutonem quendam epiſcopum & Teutonicum papam conſtituit. Iſte papa CLXI ordinatur, & Leo papa IX appellatus eſt. Sedit annis 5, menſibus 5. Hic papa Leo Babenbergenſi epiſcopo dedit pallium, quo vti poteſt tribus vicibus in anno: ſcilicet in die ſancto Paſchæ, in die Apoſtolorum Petri & Pauli; & in die beati Dionyſij epiſcopi, qui tūc eſt anniuerſarius præfati Clementis papæ. Tamen, vt dicit Leo papa in eodem priuilegio, ſalua authoritate Domini Moguntinæ eccleſiæ pallio vti poteſt. Et conſtituit, vt iuxta eccleſias fiant clauſtra ad diſciplinam ſeruandam.

Anno Domini MXLII, Bruno Herbipolenſis epiſcopus obiit.

Anno Domini M I, idem Leo papa IX, & cum eo Heinricus imperator III cum XLII epiſcopis, concilium magnum Moguntiæ celebrauit, conſtituens ne miniſtri altaris vel monachi canes aut aues ad venandū ſequantur, & ne temporaria lucra ſequantur. Hic conſtituit, vt nullus monachus, niſi legitima ætate & ſpontanea voluntate, *ex. de regula 63 ſi quis nullus*, IV temporum ieiuniis niſi ab epiſcopis ieiunis ordinentur.

Poſt concilium Moguntinum Leo papa & Heinricus imperator in Aquiſgrano pariter fuerunt.

Anno Domini MLIV, defuncto Leone papa, Heinricus imperator Gothardum Teutonicum papam conſtituit, qui Victor appellatus eſt. Hic Victor papa CLXII ordinatur. Sedit annis II, menſibus IV.

Hic etiam fuit in Teutonia & in Bauaria cum Heinrico imperatore. Iſti Victori papæ quidam ſubdiaconus toxicum in calicem miſit: quem cum papa ipſe poſt conſecrationem leuare vellet & non poſſet; à Domino cauſam facti inquiſiturus cum populo ad orationem proſternitur, protinuſque toxicator ſubdiaconus à dæmonio arripitur. Deinde papa Victor iterum cum populo ad orationem proſternitur tamdiu, quouſque ſubdiaconus à dæmonio liberatus fuit. Cauſa manifeſtata, ipſe papa Victor cum calice ſanguinem Domini in altari quodam perpetuo recludi fecit, & iuſſit pro reliquiis ſeruari. Hic conſtituit, quod IV tempora cum ieiunio obſeruentur, & quod nulli clerici ordinentur niſi in ſabbato. Imperatoris filius Heinricus vnctus eſt in regem in Aquiſgrano, ab Hermanno Colonienſi epiſcopo.

Anno Domini MLVI, Heinricus imperator tertius defunctus eſt, & ſepultus eſt in Spira. In illa ſepultura imperatoris multæ ſolemnes perſonæ venerant. Nam Victor papa, & patriarcha Aquileienſis, ac plurimi epiſcopi, & alij nobiles multi erant ibi. Cui Heinricus IV eius filius ſucceſſit, & regnauit annis 48. Iſte cum regnare cœpit, erat 10 annorum, ſed mater ſua imperatrix Agnes in adminiſtratione reipublicę ſtrenue & nobiliter gubernauit tam magnates quam alios.

Anno Domini MLVII, Stephanus papa CLXIII ordinatur. Sedit menſes 8. Iſte papa de alto ſanguine, ſcilicet germanus frater ducis Lotharingiæ, & Teutonicus fuit. Cardinalis quoque cum eſſet & archidiaconus eccleſiæ Romanæ, relinquens omnia reddidit ſe religioni; factus eſt monachus in monte Caſſino. Inde communi conſenſu omnium Romanorum in papam eligitur.

Anno Domini MLIX, Benedictus papa CLXIV ordinatur. Sedit menſes 2. Iſte fuit Lateranenſis, & ſedem Apoſtolicam inconſulto rege & principibus inuaſit, adiutus fauore popularium, quos pecunia corruperat. Rex autem Heinricus IV, habita cum

primoribus deliberatione, Gerhardum Florentinũ episcopum, in quem Romanorum & Teutonicorum studia concurrerunt, constituit in papã. Ita Benedicto qui sibi papatum vsurpauerat, deiecto; papatum obtinuit Gerhardus; & ipse dictus est Nicolaus papa CLXV, & sedit annis 3, & mensib. 6. Hic constituit, vt nullus clericus venationi inhaeret. Constituit etiam, vt dicto & facto homicidij reus sit de sacro ordine deiectus. Et constituit, vt nullus in sacro ordine constitutus vxorem vel concubinam habeat.

Alexander II papa CLXVI ordinatur. Sedit annis 9, mensibus 6. Hic papa obtinuit papatum à rege Heinrico IV, positus & virtute militum, & fauore principum. Iste Alexander vocabatur Anselmus episcopus in Lucka, sed alius quidam Parmensis vsurpauerat sibi papatum. Alexander vero præualuit. Hic Alexander II constituit dimitti *Alleluia* in sabbato LXX vsque in vigiliam Paschæ. Sub hoc papa anno Domini MLXXI, archiepiscopus Colonienſis posuit monachos in Saluelt, expulsis inde canonicis. Iste Dominus animo virtuosus vir fundauit Sigeberg & Grascaf, & ibi locauit monachos; & fundauit in Colonia dũas ecclesias, sanctæ Mariæ ad gradus, & sancti Georgij martyris. In his duabus ipse episcopus locauit canonicos Hic papa Alexander II constituit etiam, vt si ordinatus ad sacros ordines nõdum est baptizatus, siue fuerit episcopus, siue clericus, baptizetur, & iterum ordinetur per singulos gradus, quia baptismus est ianua omnium sacramentorum. Constituit etiam vt nullus presbyter, siue diaconus, vel subdiaconus, vxorem habeat siue concubinam in occidentali ecclesia, sed vt sint casti.

Anno Dom. MLXXVI, Gregorius papa huius nominis VII, à beato Petro CLXVII ordinatur. Sedit annis 15, mensem vnum. Iste vocabatur Hildebrandus, & fuit in scipturis valde eruditus. Hic constituit ieiunium IV temporum in Martio: & constituit, vt omnium sanctorum martyrum, & sanctorum Romanorũ põtificum solemnitates vbique annuatim cum pleno officio celebrentur. Hic Gregorius papa capitur, & incarceratus & ferreis vinculis constrictus fuit à Romanis. Quamobrem ipse papa Heinricũ regem IV excommunicauit, similiter & Coloniẽsem episcopũ, & plures episcopos Teutoniæ, & nobiles quorũ consilio captus fuit. Iste papa etiam stricte sub pœna auguria inhibuit, & sortilegia, & incantationes, & magicas artes. Tempore huius Gregorij papæ fuit bellum in Welftzolt inter hunc Henricum imperatorem & Saxones, vbi multus sanguis effusus est.

Anno Domini MCX victus est imperator.

Victor papa CLXVIII ordinatur. Sedit menses 4. Iste in schismate schismaticus fuit.

Vrbanus papa CLXIX ordinatur. Sedit annis 11, mensibus 6. Iste papa in concilio Placentino composuit, & in missa constituit præfationem beatæ virginis, videlicet *Et te* in veneratione, vel in assumptione beatæ virginis. Tunc temporis monasterium in Reinersborn initium habuit. Hic papa constituit, vt nullus ad pœnitentiam suscipiat commissum presbytero alteri, nisi in casibus exceptis. Sub hoc papa incepit ordo Cistercienſium.

Paschalis papa CLXX ordinatur. Sedit annis 19. Hic constituit, vt nullus emat vel vendat ecclesiastica beneficia vel ecclesiastica sacramenta.

Gelasius papa CLXXI, ordinatur. Sedit anno vno. Sub hoc papa Heinricus imperator obiit, & sepultus est in Spira, cui successit filius eius Heinricus V, & regnauit annis 20, & sepultus est in Spira super IV tumbas prædictorum imperatorum, videlicet Conradi & trium Heinricorum in Spira, vnus versus scriptus est diuisim, qui complectitur omnes tumbas in hunc modum, *Filius hic, pater hic, auus hic, proauus iacet isthic.*

Calixtus papa CLXXII ordinatur. Sedit annis 5, mensibus 10.

Honorius papa CLXXIII ordinatur. Sedit annis 5, mensibus 6.

Anno Domini MCXI, cuidam monacho sancti Laurentij extra muros Romæ moranti, cingulo suo quo cinctus erat insoluto ante eum proiecto, vox in aere facta est, *Sicpatuit clauso Christus prodire sepulchro.*

Anno Domini MCXXVI, Norbertus archiepiscopus in Magdeborch claruit.

Anno Domini MCXXVIII, ordo templariorum confirmatur ab Honorio papa, & ipso anno fundatur Waltzenret clauſtrum.

Anno Domini MCXXX, Honorio papa defuncto protinus duo per dissensionem loco eius constituuntur, scilicet Innocentius & Anacletus. Ambo vno die Romæ electi ambo

ambo vno die consecrati; sed Anacletus maioris potentiæ Romam obtinuit, Innocentius vero in Galliam fugit. Tandem Innocentius papatum obtinuit.

Innocentius papa CLXIV ordinatur. Sedit annis 13, mensibus 6. Iste Innocentius II construxit ecclesiam sanctæ Dei genitricis Mariæ Romæ ad fontem olei, quod erupit in Natiuitate Domini. Et tunc de ipsa terra madida ex oleo sanitatem multi receperũt. Hic papa prohibuit artem balistarum & sagittariorum exerceri contra Christianos, & hoc sub anathemate. Constituit etiam, vt sacerdos qui corpus Domini in missa conficit & immolat, omnibus modis debeat sumere corpus Domini. Constituit etiam, vt moniales cum clericis & monachis in vno choro non conueniant ad psallendum. Constituit, etiam violẽtos iniectores manuum in clericos vel religiosos ipso facto esse excommunicatos. Defuncto Heinrico V imperatore, anno Domini MCXXV, tempore huius papæ Innocentij II, Lotharius dux Saxonum imperium adeptus, regnauit annis 13. Hic fundauit monasterium Luttere apud Bremenses, & ibidem ipse Lotharius defunctus est. Huius Lotharij anno II facta est translatio sancti Nicolai episcopi de Myrrhea in Batis, cum in terra quieuisset DCCLXXV. annis.

Anno Domini MCXXXII. fundatur claustrum vallis sancti Georgij.

Anno Domini MCXXXVIII. Conradus frater Frederici ducis Sueuorum imperium adeptus, regnauit annis 15. Sepultus quiescit in Spira. Celestinus Papa CLXXV. ordinatur. Sedit annis 5. Constituit, vt pro alba ampla & longa, quam sanctus Gregorius papa instituit, alba stricta & non cincta continue vtatur papa.

Lucius papa CLXXVI ordinatur. Sedit menses XI. Eugenius papa CLXXVII ordinatur. Sedit annis 8, mens. 5. Hic fuerat monachus & discipulus S. Bernardi. Ad hunc S. Bernardus scripsit librum considerationis. Hic Eugenius papa canonizauit S. Heinricum imperatorem de Babenberg, rogatu Conradi imperatoris & prælatorum. Hanc sancti canonizationem quidam cardinalis nomine Ioannes vehementer impediens, oculorum lumine est priuatus. Sed cum desineret pœnitens, & plurimum laudaret ipsum sanctum Heinricum, lumen oculorum confestim publice recepit. Hic etiam constituit vt studium in ecclesiis habeatur in Grammatica & in liberalibus artibus.

Anastasius papa CLXXVIII ordinatur. Sedit anno vno.

Anno Domini MCLIIII, beatus Bernhardus migrauit ad Christum. Fuit enim XXIII annorum, cum intrauit religionem, & cum XXX sociis intrauit religionem. LXIV annos habuit cum obiit, & amplius quam C & LX monasteria reliquit, quæ ipse tempore suo fere omnia instituit.

Eodem tempore Fredericus dux Sueuorum imperium adeptus, regnauit ann. 39. Iste imperator anno Domini MCLXII, Mediolanum cepit & expugnauit muros eius, & subuertit omnia ibi, & vastauit. Tunc Reinoldus Colonienſis archiepiscopus, qui cum potenti manu ibi fuit, loco salarij & stipendij impetrauit ab imperatore trium magorum corpora, quæ Mediolanum extra muros ante portam in ecclesia Eustorij seruabantur in vno sarcophago marmoreo: quibus habitis in Coloniam quasi triumphator secum tulit gaudens, & ibi in maiori ecclesia honorabiliter collocauit. Iste Fridericus imperator, vir catholicus, peregre profectus vltra mare per desertum Romaniæ, cum multa militia cruce signatorũ, postq; glorioſe triumphauerat de inimicis crucis Christi, in modico fluuio, in quem balneandi gratia post meridiem descenderat, apud Armeniam in die S. Barnabæ Apostoli multis præsentibus submersus est. Huic Friderico seniori imperatori misit Soldanus nobile vas, scilicet smaragdinum, plenum balsamo. Et nunciis videntibus postquam multum laudauerat imperator, ipsum vas proiecit, & in frusta confregit, dicens: Ego solus non habebo pretiosa hæc, sed alij mecum. Et de nobilibus ibi præsentibus vnusquisq; collegit quod voluit. Tempore huius Friderici imperatoris magister Gratianus cõpilauit decretum, vt videtur, & magister Petrus Longobardus sententiarum libros IV, & abbas Ioachim libros suos. Tempore huius præfati imperatoris succeſſiue papæ VII fuerunt.

Adrianus papa CLXXIX ordinatur. Sedit annis 4, mensibus 9.

Alexander papa CLXXX ordinatur. Sedit annis 22. Cum ipso papa Alexandro tertio per dissensionem cardinalium Victor schismaticus electus est: & simul ambo consecrati sunt. Tunc Alexander papa in Franciam fugit tempore schismatis, & ipse papa-

tum obtinuit. Sub hoc papa S. Thomas Canthuarienſis archiepiſcopus occiſus eſt, anno Domini MCLXXIV. Hic papa conſtituit, vt nullus nouus ſanctus in veneratione habeatur, niſi ex auctoritate apoſtolica, & niſi ſit canonizatus, à papa tamen. Ante quilibet diaconus ſuum ſanctū ſolemniter canonizauit. Exemplum de ſanctis ſcilicet Martino, Ambroſio & Borchardo, Wigperto, Seuero, & Auguſtino, & aliis. Hic etiam conſtituit, q̄ clerici ordinari poſſunt in ſabbato Sitientes, & q̄ clerici homicidæ ordinari nō debent. Et conſtituit in perſonas & loca ſententiam fieri interdicti. Hic Alexander papa etiam conſtituit, quod papa à duabus partib. cardinalium eligatur ad minus, & quod excommunicatus ſit ipſo facto qui aliter ſe geſſerit pro papa, *ext. de electione litis.* Conſtituit etiam, vt nullus clericus habeat duas vicarias. Et conſtituit, vt coniugati intrantes religionem ſeparentur auctoritate epiſcopi diœceſani, & ambo caſte viuant. Et conſtituit etiam de affinitate ſcilicet, vt nullus contrahat cum cognata eius vſq; ad quartum gradum, quā carnaliter cognouit. Et conſtituit de ſpirituali cognatione, ſcilicet quod nullus ſuam ſpiritualem ſororem, quam pater ſuus vel mater ſua leuauit de ſacro fonte, ducat in vxorem. Et conſtituit, vt nullus in ſacris ordinibus habeat vxorem vel concubinam. Et conſtituit, vt ſicut filius hæres ſoluere debet debita patris ſui, ita prælatus debet debita ſoluere prædeceſſoris ſui pro neceſſitate eccleſiæ ſuæ contracta.

Anno Domini MCLXXXI, defuncto Alexandro papa, Lucius papa C LXXXI ordinatur. Sedit annis 3. Hic conſtituit, vt miſſa presbyteri quamdiu toleratur ab eccleſia, id eſt, quamdiu non condemnatur, poteſt audiri, & poſſunt ab eo recipi eccleſiaſtica ſacramenta. Sub hoc papa Lucio III, Franciſcus ille à Deo prælectus Maſſizio natus. Hic Lucius etiam conſtituit ſententiam interdicti.

Vrbanus papa CLXXXII ordinatur. Sedit annis 2.

Gregorius papa C LXXXIII ordinatur. Sedit menſ. 4.

Clemens papa C LXXXIV ordinatur. Sedit annis 3. Hic Clemens papa conſtituit, vt tempore feriarum non fiat traductio ſponſarum vel ſolemnitas nuptiarum, à dominica ante Aſcenſionem Domini vſque ad octauam Pentecoſtes; & à dominica Aduentus vſque poſt octauam Epiphaniæ; & à Septuageſima vſque ad octauam Paſchæ. Conſtituit etiam, vt clerici non pugnent in duello, nec pro ſe pugiles introducant. Et conſtituit, vt clericus qui procurauit amputari ſibi virilia & genitalia, miſſam non celebret. Et conſtituit, vt nullus ſuam commatrem ducat in vxorem. Celeſtinus papa CLXXXV ordinatur. Sedit annis 7. Pontificatus huius anno III, præfatus Fredericus imperator ſubmerſus, cui ſucceſſit filius ſuus Heinricus.

Anno Domini MCXC, Heinricus imperium adeptus, regnauit annis 7. Cum eſſet rex in Erphordia eo pręſente anno Domini MCXCIV, quidam comites & nobiles in cloacam cadentes ruptis trabib. pariter numero 7 interierunt. Iſte imperator veneno interiit, & ſepultus eſt in Spira. Huius imperatoris frater Philippus rex in regni ſchiſmate, cum tamen eſſet dux Sueuorum, regnauit annis 11, & in Babenberg de Witlinsbach anno Domini MXCVIII occiſus eſt, & ſepultus eſt in Spira. Ipſe etiam Palatinus, cum profugus euaſiſſet, in quadam grangia monachorū nimis ſecurus, ludendo prouocaret veruecem trudendo cum clypeo, ſubito ab amicis Philippi irruentibus in vindictam fuſi ſanguinis occiſus eſt. Hic papa Celeſtinus III conſtituit, vt in eccleſiis conuentualibus celebretur electio de prælato, & conſtituit quod bigami non ordinentur, & conſtituit, vt nullus duos ſacros ordines vno die recipiat, & quod pueri cum venerint ad annos diſcretionis, id eſt ad 15 annos, ſi noluerint remanere in clauſtris licite poſſint ire ad ſeculum, & ad hæreditatem ſuam.

Anno Domini MCXCVIII, Heinrici anno IV, Innocentius papa CLXXXVI ordinatur. Sedit annis 19. Iſte vocabatur Lothardus natus de nobilibus Romanis.

Anno Domini MCC, ſub hoc papa Innocentio tertio, & tempore Heinrici imperatoris cepit in Accon ordo fratrum Teutonicæ domus. Hic papa fuit eruditus valde & plurimum eloquens. Hic compoſuit librum de ſacramento altaris, & ſermones, & librum de miſeria humana. Hic fecit plurimas decretales. Huius papæ Innocentij III pontificatus anno 9, anno vero Dom. MCCVI, Franciſcus vt ſapiens architectus cœpit pœnitentiam agere, & Deo miſericorditer diſponente initiauit ordinem fratrum minorum, & tunc ipſe præfatus papa ſtatim, vt vidit & audiuit S. Franciſcum, diuinitus inſpiratum

ratum ordinem approbauit, dans ſancto Franciſco mandatum, vt prædicaret verbum Dei & ſuis ſociis. Hic papa conſtituit, vt vltra quartum gradum licite contrahatur matrimonium. Hic etiam conſtituit, vt ſi aliquis in excommunicatione mortuus eſt, qui indicia manifeſtæ pœnitentiæ habuit, debeat extumulari, & abſolui, & recipi cum ſuffragijs ad eccleſiaſticam ſepulturam, *ext. de ſen. à nobis eſt qui ſic.* Hic papa confirmauit regulam & ordinem ſanctæ Trinitatis. Hi fratres totam ſubſtantiam diuidunt annuatim in tria, vnam in proprios vſus ſeruant, ſecundam partem in vſus peregrinorum & pauperum, tertiam partem mittunt vltra mare in redemptionem captiuorum.

Anno Domini MCCIV, ſub hoc papa ciuitas Cõſtantinopolitana capta eſt, & ſpoliata à Chriſtianis plurimis diuitijs, & rebus ac multis ſanctorum reliquijs, vt apparet in Venetia & in Halberſtat. Hic papa Innocentius declarauit, q̃ principes Teutoniæ ius habent in eligendo regem, promouendo ſi non fuerit hæreticus aut ſtolidus, vel perpetuo infirmus, imperatorem Romanorum. *ext. de elect. i. Venerabile.* Hic conſtituit, quod qui alteri coniũgitur altero inuito ante carnalem cõpulam poteſt eligere religionem. Et hoc conſtituit ſimiliter Alexander papa III. Iſte papa Innocentius III ſtatuit, in omnium Chriſtianorum prouincia diſtinguatur notabiliter habitus Iudæorum in vtroque ſexu. Conſtituit etiam, quod nullus clericus in ſactis ordinibus habeat vxorem vel concubinam in Occidentali eccleſia. Conſtituit etiam, vt nullus clericus habeat plura beneficia eccleſiaſtica vel duas dignitates, abſq; diſpenſatione ſedis eccleſiaſticæ.

Anno Domini MCCXII, per beatum Franciſcum & ſanctam Claram virginem incepit ordo pauperum dominarum, videlicet poſt ſextum annum conuerſionis S. Franciſci. Eodẽ tempore regina Vngarię, mater S. Elizabeth occiſa eſt, & pueri profecti ſunt vltra mare cum multitudine, ſed peregrinatio annihilata perijt. Hic papa Innocentius etiã conſtituit, vt quilibet adultus ad minus ſemel in anno plebano ſuo cõfiteatur, & ad minus ad Paſcha percipiat corpus Domini, niſi de conſilio ſuo abſtineat, & conſtituit quod confeſſor nulla ratione prodat peccatum confitentis, *extr. de pœnitent. & re. Omnis vtriuſq;.* Et cõſtituit, quod quilibet religioſus ad arctiorem ordinem poſtulata licentia, etſi non detur licentia, licite poſſit tranſire. Et conſtituit, q̃ nouitij nõ recipiantur ad profeſſionem, niſi finito anno probationis, quamuis nouitij renunciare poſſint ſuo iuri. Hic etiam conſtituit, vt prælati ſubditos clericos ſuos ſeu presbyteros exactionibus grauare non præſumant, & viſitantes parochias & eccleſias euectionum numerum nõ excedant, ita quod epiſcopi XX vel XXX habeant, archidiaconi V vel VII, diaconi ſiue archipresbyteri II, & quod ſine canib. venaticis & auibus proficiſcantur, ne grauentur eccleſię nimietate expenſarum, *ext. de cenſibus. Cum ampl.* Et conſtituit vt apoſtolorum vigiliæ ieiunentur, exceptis Philippi & Iacobi, & Ioannis Euangeliſtæ & Barnabæ: & quod infirmi in ieiunio poſſunt comedere carnes, vt maius periculũ euitetur, & quãdo vrgens neceſſitas requirit. Et cõſtituit, q̃ in eccleſijs doctores & ſtudium Grammaticæ habeãtur, & q̃ metropolitana eccleſia magiſtrũ habeat qui legat in Theologica facultate, & q̃ illi in expenſis prouideatur. Et cõſtituit, q̃ Iudæi nouas ſynagogas nõ faciant, & quod Chriſtiani in domibus eorum non ſinant, & nutrices Chriſtianæ Iudæorum infantes non nutriant. Iſte glorioſus papa Innocentius III, mortuo Heinrico imperatore, Ottonem ducẽ de Brunſvvig inunxit Romæ, & conſecrauit imperatorem. Poſt paruum tempus excommunicauit eundem, ſuſcitans ſibi aduerſarium Fredericum filium Heinrici imperatoris, quem ipſe papa ſublimauit ad ſceptrum regni.

Otto filius ducis Bauariæ imperium adeptus, regnauit annis 9. Iſte Otto imperator à papa Innocentio excommunicatus fuit vſq; ad mortem: ſed in articulo mortis à præſatis abſolutus obijt, & ſepultus eſt in Brunſvvig. Hic papa Innocentius III conſtituit, quod nullus nouus ſanctus in veneratione habeatur niſi auctoritate ſedis Apoſtolicæ, fieri ſententiam interdicti in perſonas & in loco, ſicut Alexander papa. Item conſtituit, ita q̃ canonizetur à papa. Hic papa Innocentius S. canonizauit ſ. Thomam Cantuarienſem archiepiſcopum, & ſancti Henrici ſponſam, ſ. Cunigũdam virginem. Hic papa Innocentius III, pontificatus ſui anno XVIII, anno vero Domini MCCXIV, in Lateranenſe palatio plurimum ſolemne celebrauit concilium, in feſto omnium Sanctorum. In quo ipſe papa multas cõſtitutiones edidit, & inter alias de paſſagio & cruce ſignandi in ſubſidium terræ ſanctæ maxime mentem poſuit, & per eccleſiam vniuer-

salem orationes ante *Agnus Dei* in missa pro terra sancta statuit scili. psalmum *Deus venerunt gentes*, cum precibus & collecta *Deus qui admirabili prouidentia*.

Anno Domini MCCXV, obijt Hermannus Landtgrauius. Sequenti anno confirmatus est ordo prædicatorum fratrum, scil. à papa Innocentio III. Igitur post concilium tãtum vno anno superuixit, & cum ægrotaret ad mortem, in ciuitatem Parusij quidam abbas, prout frater Cisterciensis, veniens cum suis ad curiam Romanam, qui cepit somnum meridie in prato ante Parusium, viditq; visionem hunc habentem modum. Vidit, inquam, ille abbas ad orientalem plagam Dominum sedentem in excelso throno, faciem habentem aduersus occasum, circumstante exercitu angelorum in prato: viditq; ab occidentali parte eiusdem prati hominem toto corpore nudum, sed infula pontificali decoratum, currentem velocissime versus sedentem in throno, & alta voce clamãtem, *Miserere mihi misero misericordissime Deus*: & vidit, quod insequebatur eum currentem magnus draco, vt deuoraret ipsum: & veniens sedentem in throno alta voce draco acclamauit, *Iuste iudica iustissime iudex*. Et cum hoc abbas vidisset & audisset, mox euigilauit: & visio disparuit: & illius disceptationis exitum nullatenus scire potuit. Cũque abbas ascendisset ciuitatem Parusium quæ in monte sita est, audiuit quasi sonitum campanarum, & luctum plangentium, & vocem lamentantium dicentem, *Heu papa Innocentius defunctus est*.

Anno Domini MCCXVII, Innocentius papa III in Parusio feliciter obijt, & ibidem sepultus est.

Fredericus Heinrici imperatoris filius adeptus imperium, regnauit annis 30, à Cæsare Augusto imperator*.

Defuncto Innocentio papa III, Honorius CIXXXVII ordinatur. Sedit an. XI. Hic papa Honorius III vitam & regulam sancti Francisci confirmauit, & in Registro posuit. Hic papa Fridericum Heinrici imperatoris filium Romæ cõsecrauit in imperatorem, anno Domini MCCXIX.

Ipso eodem anno sanctus Dominicus initiator ordinis prædicatorum feliciter migrauit ad Christum, cum non plene eidem ordini annis 4 præfuisset. Quidam nomine Bertamus qui fuerat reclusus apud Tornacum, gessit se cum pompa aliquandiu pro comite Waldevvino Flandriæ. Propter hoc à rege Franciæ & à comitissa Flandriæ suspensus est in patibulo.

Anno Domini MCCXXV, Engelbertus Colonienſis archiepiscopus occisus est à comite Frederico de Ysenburg, qui & ipse in vltionem fusi sanguinis in Colonia prouincialium sententia crurifragio misere interijt. Sub hoc papa anno Domini MCCXXIII fratres minores Erfordiæ mansionem receperunt. Hic papa Honorius III constituit, sicut & canon, vt corpus Domini semper in ecclesijs reseruetur propter infirmos, & semper sub camera. Et constituit, vt sacrosanctum corpus Domini ad infirmos in habitu decenti portaretur, & cum reuerentia & lumine præcedente, vt Deus honorificetur, & populus ædificetur, & fides roboretur. Constituit etiam Honorius papa III, sicut & Innocentius III, vt ecclesiæ metropoles doctores in theologica facultate habeãt, & vt aliquos idoneos ad studium generale transmittant, vt postea copiam doctorum habeant qui alios informent. Et constituit, quod docentes in theologica facultate, & similiter studentes in ea in scholis per 5 annos integre percipiant præbendarum suarum & beneficiorum de gratia sedis apostolicæ, *extr. de magistris super specula*. Hic papa sortis vsum in electionibus perpetuo prohibet, scil. ne prælati per sortes eligantur. Hic papa etiam iudicium candentis ferri stricte prohibet, quia in eo Deus videtur tentari. Iste papa Honorius III sanctitate & virtutibis plenus feliciter migrauit ad Christum, sepultusque est ad sanctam Mariam ad præsepe Romæ super IV pyramides in rufa porphyretica. Illam sepulturam huius papæ successor Gregorius papa fieri fecit.

Anno Domini MCCXXIV, beatus ille seruus Dei Franciscus, contuens in aere Seraphim cruce positum, extunc in palmis, & latere & pedibus effigiem plagarum Christi tulit vsq; ad felicem exitum suum, multis tunc vtriusq; sexus videntibus in eo illa Christi stigmata.

Anno Domini MCCXXVI, pontificatus huius Honorij Papæ anno 10, tempore Frederici

Frederici imperatoris, beatus ille Frãciſcus apud Aſſiſium feliciter migrauit ad Chriſtum anno ætatis ſuæ LV.

Anno Domini MCCXXVII, defuncto Honorio papa III, Gregorius papa à beato Petro CLXXXVIII ordinatur. Sedit an. 16. Eodem anno fuit multa turba cruceſignatorum congregata apud Brand. qui vt pariter cum Frederico imperatore in terræ ſanctæ ſubſidium transfretarent, ſed dolo Frederici imperatoris interueniente illud paſſagium impeditum fuit, & magna militia illa Chriſtianorum, qui amplius quam ad LX millia æſtimabantur, diſſipata fuit. Et illuſtris Landtgrauius Thuringiæ Ludevvicus, paratus corde & corpore cum omnibus ſuis armatis, tranſijt mare in ſubſidium terræ ſanctæ. Ibi apud Ortratũ, (vt fertur) veneno intoxicatus feliciter obijt, & reductus ſepultus eſt in Reinersburnen. Hic papa Gregorius nonus vocabatur Hugelinus. Iſte papa anno Domini MCCXXVIII, pontificatus anno II, ſolemniſſime canonizauit beatum Franciſcum in ciuitate Aſſiſiorum. Poſtea idem venerabilis papa tres ſanctos ſucceſſiue canonizauit, videlicet beatum Dominicum fratrum prædicatorum, & beatum Antonium ordinis fratrum minorum, & beatam Elizabeth de Marpurg, relictam illuſtriſſimi Landgrauij Thuringiæ.

Anno Domini MCCXXIX, Gregorius IX excommunicauit Fredericum imperatorẽ, obijciens multos, & enormes, & graues articulos. Hic papa conſtituit fieri ſententiam interdicti. Conſtituit etiam, quod filius ſacerdotis non poteſt ducere puellam, quam pater ſuus baptizauit. Et conſtituit, quod laici cuiuſcunq; religionis ſint, non debeant prædicare. Hic papa cum eſſet cardinalis & Oſtienſis epiſcopus, conſtitutus fuerat protector ordinis fratrum minorum.

Anno Domini MCCXXXI, Sanctus Antonius in Padua ordinis fratrum minorum, & ſancta Elizabeth in Marpurg, migrauerunt ad Chriſtum.

Anno Domini MCCXXXIII, Magiſter Conradus de Marpurg, verbi Dei prædicator, occiſus eſt.

Anno Domini MCCXXXVI, ſancta Elizabeth in Marpurg translata eſt cal. Maij. Iſte Gregorius Papa IX duos ordines confirmauit, quos ſanctus Franciſcus ordinauerat, vnum pauperum dominarum ſanctimonialium, alterum pœnitentium qui ſexum capit vtrumq;, ſc. clericos, coniuges, virgines & continentes. Idem papa etiam confirmauit ordinem monialium pœnitentium, ſc. ſanctæ Mariæ Magdalenæ.

Anno Dom. MCCXXXVII, frater Iordanus magiſter prædicatorum fratrum miſſus eſt in mari mediterraneo, & ſepultus eſt in terra ſancta. Iſte Gregorius papa nonus fecit de extrauagantibus compilationem nobilem, quam diuiſit in v libros: vnde verſus:

Pars prior officio creat eccleſiæq; miniſtros:
Altera dat teſtes, & reliqua iudiciorum:
Tertia de rebus & vita presbyterorum
Dat normam: rite nubere quarta docet:
Vltima de vitiis & pœnis tractat eorum.

Anno Domini MCCXLI, peregrina mania gens barbarorum ferociſſima: idolorum cultibus dedita, ſ. Tartari in Vngaria & Polonia Chriſtianorum plura millia occiderũt. Contra illos Gregorius papa fecit crucem prædicari, ſimiliter cõtra Stetingos, de quibus v millia & XXV homines à cruce ſignatis occiſi ſunt. Idem papa conſtituit feſta celebrari, ſc. Domini noſtri, & beatæ virginis, & diem dominicum, & apoſtolorum, & martyrum, & ſanctorum de illa diœceſi vbi quilibet manet: niſi vrgens neceſſitas inſtet tẽpore meſſis vel vindemiæ, vel eccleſiæ aut pauperibus aliquibus ſubſeruiant. Et conſtituit, vt ſi concubinis ſuis excommunicatis à audice communicant, ipſo facto ſunt clerici maiori excommunicatione ligati. Conſtituit etiam, vt tempore interdicti presbyteri ſemel in hebdomada corpus Domini conficiant ſubmiſſa voce, clauſis ianuis, quod pœnitentibus in morte detur. Hic papa Gregorius IX feliciter obijt Romæ: ſepultus eſt in Vaticano iuxta corpus beati Gregorij papæ ante ſecretarium beati Petri.

Anno Domini MCCXLIV, Celeſtinus papa CLXXXIX ordinatur. Sedit diebus 16. Hic vocatur Irmfridus, qui cum cardinalis epiſcopus eſſet, negotia pauperum clericorũ frequenter & diligenter intuitu miſericordiæ promouit apud papã Gregorium. Hinc idẽ papa Gregorius prophetice prædixerat, quod futurus eſſet & ipſe papa, ſicut

beatus Franciſcus præfato Gregorio, cum eſſet Oſtiēſis epiſcopus cardinalis. Hoc Celeſtino papa feliciter defuncto, ceſſauit epiſcopatus fere duob. annis: & cum non eſſent tunc niſi IX cardinales, in electione papæ concordare non poterant, & hoc vtique in periculum totius eccleſiæ.

Anno Domini MCCXLV, Innocentius papa ordinatur. Sedit annis 12. Hic vocabatur Simebaldus presbyter cardinalis. Hic papa duos ſanctos canonizauit, videlicet fratrē Petrum ordinis prædicatorum, occiſum ab hæreticis apud Mediolanum, & Lateslaum Cracouienſem epiſcopum. Iſte papa conſtituit, vt quicunq; prælatus ferat ſententiam excommunicationis, iuris ordine non ſeruato, ab ingreſſu eccleſiæ, & ad minus per vnum menſem ipſo facto ſit ſuſpenſus: alioquin irregularitatem incurrerit, de quo ſolus papa diſpenſare poteſt, & non alius, *extr. de ſententia excommunicationis, Cum medicinalis*. Et conſtituit, vt quicunque iudex ordinarius, vel etiam delegatus, contra iuſtitiam vel etiam contra conſcientiam ſuam in grauamen alterius partis iniuſte iudicauerit: per vnum annum ab executione officij ſui ſit ſuſpenſus: & ſi ſe diuinis ingeſſerit, irregularitatem incurrat, de qua ſolus papa diſpenſare poteſt, & non alius. *extr. de ſententia & re iudi. Cum item tribunal*. Hic papa etiam conſtituit, vt quicunq; aliquem occidi fecerit, vel mandauerit, ipſo facto ſit excommunicatus, & ab omni dignitate, ordine, officio & beneficio ſit depoſitus, *extr. de homicidio pro humani*. Iſte papa Innocentius IV in ciuitate Galliarum Lugduno manſit per annos VII.

Anno Domini MCCXLV, hic concilio Lugdunenſi conſtituit, vt octaua beatæ Virginis Mariæ ab omnibus clericis & religioſis annuatim ſolemniter celebretur. Tempore huius papæ Ludevvicus rex Franciæ cum Chriſtiano exercitu contra conſilium papæ transfretauit, & fugientibus barbaris à facie eius cepit, & in poſſeſſione pacifica habuit Damiatam. Poſtea in breui belli idem rex Franciæ à Soldano in Babylone id eſt à Pharaone rege Ægypti, captus eſt, & ſuus Chriſtianus exercitus diſſipatus, & occiſus eſt totus. Rex autem Ludevvicus pro redemptione ſua dedit Soldano c milia marcarum argenti & ciuitatem Damiatam. Verumtamen arma, tentoria, vaſa precioſa, equos electos, alimenta Chriſtianorum Sarraceni in illo prælio obtinuerunt.

Anno Domini MCCXLIX, cum rex Ludevvicus eſſet vltra mare, vbi (ſicut dictum eſt) captus, & ad plurima damna perductus eſt: venerunt in regnum Franciæ plura millia paſtorum, dicentes ſe velle venire in adiutorium Ludevvico Franciæ regi vltra mare. Hi vnum capitaneum magiſtrum habuerunt nomine Iacob, peritum in pluribus linguis. Hic fuit apoſtata Ciſtercienſis & ſceleratiſſimus. Hic in Francia manus violentas iniecit violenter in clericos per diuerſa loca. Iſtum Iacobum facinoroſum ſequebantur meretrices, latrones, magi & malefici. Qui Iacobus apud Bituris ciuitatem occiſus eſt à Chriſtianis ſententialiter, & omnes quotquot inſequebantur eum, occiſi & diſſipati ſunt. Iſte Innocentius quartus inter omnes apoſtolicos à ſancto Petro primo papa ditior fuit; (vt fertur) & opulentior in pecunia & theſauris. Hic papa in concilio Lugdunenſi ſententialiter Fredericum imperatorem propter crimina ſua ab omni honore deſtituit, & eum imperiali ac regali dignitate & nomine priuauit, anno Domini MCCXLV, & principibus Teutoniæ ad quos ſpectat electio imperatoris, dedit papa eligendi poteſtatem libere ſucceſſorem. Iſte Fridericus imperator, ſicut præfatus papa in decreto Lugdunenſi ſcribit, multotiens pacem inter eccleſiam & imperium reformatam temere violauit. Perpetrauit etiam ſacrilegium, capi faciens duos cardinales ſanctæ Romanæ eccleſiæ, Ottonem Portuenſem, & Iacobum Præneſtinum epiſcopos, ac aliarum eccleſiarum prælatos, clericos, religioſos & ſeculares venientes ad concilium, quod Papa Gregorius IX duxerat conuocandum, quod ipſe imperator petierat conuocari. Hos prælatos cum clericis in Sicilia fecit diris carceribus mancipari, quibuſdam in mari ſubmerſis. Eccleſias IX archiepiſcopales, & multas epiſcopales, abbatias quoq; & alias eccleſias prælatorum regimine deſtituit in regno, in graue ipſarum præiudicium, & periculis animarum eccleſiarū non ſolum facultates, etiam bona prout voluit occupari, ſed etiam cruces & calices, thuribula & alios ſacros theſauros & pannos ſericinos velut cultus diuini con-

contemptor auferri iussit. Clericos quippe collectos multipliciter affligi procurauit, & non solum trahebantur ad iudicium seculare, sed cogebantur subire duella: incarcerabantur, occidebantur, & in patibulis cruciabantur, in confusionem & opprobrium ordinis clericalis. Hæresi quoq; suspectus habebatur. Nam postquam Papa Gregorius nonus ipsum anathematis vinculo innodauit, & post captionem cardinalium, prælatorum & clericorum ad sedem apostolicam venientium: claues ecclesiæ contempsit, sibi faciens celebrari, vel saltem quantum in eo est prophanari diuina. Scripsit & asseruit se Gregorij papæ sententias non vereri, & coegit alias sententias papales non obseruare. Præterea coniunctus amicitia detestabili Sarracenis, nuncios & munera eorum cum hilaritate & honorificentia recepit, & munera eis pluries destinauit. Ritus eorum amplectens illos in quotidianis obsequijs secum tenuit. Existens ipse in partibus transmarinis, facta compositione quadam, (collusione verius) cum Soldano Machometi nomẽ in templo Domini diebus & noctibus proclamari promisit. Bacario regi schismatico, inimico Dei, & ecclesiæ, & solẽniter excommunicato, filiam tradidit in vxorem. Ducem Bauariæ fecit per Assismos occidi. Nec ecclesias, nec monasteria, nec hospitalia, seu alia pia loca construxit: sed destructioni ecclesiarum institit: religiosas & alias ecclesiasticas personas iugiter attriuit: manum (sicut decet principem) ad eleemosynas nõ extendit, neglector suæ salutis pietatis operibus non intendit. Possessiones Romanæ ecclesiæ, videlicet marchiam Anchonetanam, ducatum Spoletanum, nobilem ciuitatem in Apulia, sc. Beneuentum, cuius archiepiscopus habet sub se duodecim suffraganeos episcopos, diruit & occupauit, præter alias ciuitates Thusciæ. *Hoc scribit Innocentius papa in decreto concilij Lugdunensis.* Iste Imperator Fredericus obtinuit homines per Assismos mortiferos, perfidos & maleficos à quodam rege barbarorum (vt fertur) qui appellatur vetustus de montanis, quos misit quo voluit ad occidendum. Hic iniquitatem in excelso loquutus est, ponens in cœlum os suum dixit, audiẽte Henrico Landgrauio, *Tres* (inquit) *seduxerunt omnem mundum, videlicet Moyses Hebræos, Christus Christianos, Machometus barbaros. Quamobrem si principes imperij institutioni meæ assentirent, ego vtiq; meliorem modum credendi & viuendi cunctis nationibus ordinare vellem.*

Heinricus Lantgrauius, electus in regem anno Domini MCCXLVIII in odium Federici, Conradum eiusdem Frederici filium regem in conflictu apud Franckenuort cum suo exercitu in die sancti Dominici vicit & confudit. Ipso eodem anno præfatus Heinricus rex & Lantgrauius immatura morte obijt in profluuio ventris, & sepultus est in Isenach. Hic quia sine hærede defunctus est, quamuis feliciter tamen plurima bella*. Et dira guerrarum turbatio in Turingia exorta est, & in finibus eius pro habendis possessionibus eiusdem.

Anno Domini MCCLII, Fredericus ille quõdam imperator, sed anathematizatus & imperiali honore priuatus, veneno interijt & misere mortuus, in die Luciæ virginis & martyrum sepultus est apud Fogiam. Rex Conradus filius suus post breue tempus etiam misere mortuus, sepultus est apud patrem.

An. Dom. MCCXLVIII, Guilielmus comes Hollãdiæ in regem electus, regnauit an. 3. & occisus est à Frisonibus. Iste papa Innocentius IV obijt, & sepultus est in Neapoli.

Anno Domini MCCLVI, Alexander papa XCI ordinatur. Hic erat cardinalis Ostiensis episcopus, & vocabatur Reinoldus, protector ordinis fratrum minorum.

Anno Domini MCCLVI, Alexander papa canonizauit sanctam Claram virginem. Iste papa Ezelinum deterius tortorem Christianorũ, interfectorem LX fratrum minorum & aliorum fidelium plurimorum, persequutorem fidei catholicæ, pro hæretico: & omnes fautores suos sententialiter condemnauit & excommunicauit, & à sancta Dei ecclesia tãquam membra putrida & morbida præscidit, & litera apostolica quæ sic incipit, *Scandalum fidei, malum Italiæ, & macula populi iste Ezelinus hæreticus, publicus hostis.* & cum contra ipsum prædicarerur plena indulgentia omnium peccatorum, quæ transeuntibus mare in terræ sanctæ subsidiũ est cõcessa, seipsum fame & inedia, traditus in reprobum sensum, nequaquam volẽs cibum accipere, interfecit. Hæc acta sunt anno Domini MCCLVI. Hostes sæuissimi, oppressores crudelissimi omnium nationum, Tartari potentissime expugnauerunt partes Oriẽtales, videlicet regnũ Indię, & regnũ Armenię, regnũ Niniuæ, regnũ de Baldach potentissimum, interfecto eorũ papa Califa: regnum

Hierosolymitanum, Antiochiam, & partes Christianorum vltra mare, & fugatis eam Christianis quam Sarracenis, Hierusalem & Arabiam possederunt. Porro Soldanus Babyloniæ qui est Pharao rex Ægypti, resumptis vtriusq; viribus cum exercitu barbarorum clam irruit in castra Tartarorum, & multa ex eis millia interfecit. Soldanus Babyloniæ ideo dicitur, quia in tertia mansione in exitu Israel de Ægypto, scil. Ethan rex Pharao construxit ciuitatem munitam, quam appellauit nouam Babyloniam.

Quidam magistri Parisienses duplici corde composuerunt libellum infamem contra venerabiles fratres minores & prædicatores, qui tale habuit initium, *Ecce videntes clamabunt foris.* Hunc librum ipsis magistris præsentibus Anagine Alexander papa IV condemnans sententialiter combussit in audientia, destituitque eosdem magistros ab officijs & beneficijs perpetuo. Fratres autem vtriusq; ordinis restituit famæ suæ scribés prælatis & vniuersis, fratres præfatos esse in statu perfectionis, & de numero saluandorum. Hæc acta sunt anno Domini MCCLVII.

Anno Domini MCC LXI, plura millia flagellatorum prodierunt in mundum. Iubente papa Alexandro celebrata sunt concilia in Moguntia à domino Werenhero archiepiscopo, & alijs episcopis cõtra Tartaros & alia pericula, vt per verbum crucis, & manum armatam, & per orationes fidelium, resistatur inimicis ecclesiæ in nomine Domini nostri Iesu Christi, Amen.

Anno Domini MCCLXI, rex Tartarorum misit solemnes nuncios, circiter XXIV nobiles Tartaros cum duobus fratribus ordinis prædicatorum, qui essent interpretes linguarum ad regem Franciæ Ludevvicum, vt & se & totũ regnum Franciæ ditioni subiceret Tartarorum, alioquin regnum Frãciæ impugnaret tempore procedente. Quod rex Ludevvicus habito consilio cum primoribus regni sui constanter renuit, ipsos tamen nuncios honorifice Parisijs tenuit, & vsque ad papam Alexandrum pacifice remisit.

Eodem anno Alexander papa in die sancti Vrbani papæ defunctus est in Bicernio & ibidem sepultus est, & cessauit episcopatus vsq; ad decollationem sancti Ioannis Baptistæ, discordantibus cardinalibus in electione. Tunc elegerunt patriarcham Hierosolymitanum Iacobum in papam, & vocatus est Vrbanus IV.

Frater Theodericus ordinis prædicatorum ictu tonitrui illico defunctus est.

Anno Domini MCCLXII, venit quidam cum exercitu magno, dicens se esse Fredericum imperatorem, qui ante decem annos mortuus fuerat. Hic impugnauit Menfridũ principem Apuliæ, & eum strenue persequebatur, asserens se habere velle regnum Apuliæ & Siciliæ.

Anno Domini MCC LXII, in vigilia beati Ægidij abbatis, fuit eclipsis Lunæ à media nocte vsq; ad diluculum, & in sanguineo colore diu laborauit.

Vrbanus papa IV, congregata multitudine tam cleri quam populi, cum cardinalibus & pontificibus 14 Calend. Decemb. incepit prædicare solemniter crucem in succursum terræ sanctæ, & fratribus minoribus & prædicatorib. per literas apostolicas datas victorib. stricte dedit in mandatis eandem crucem constanter & diligenter prædicare per Dei ecclesiam, cum larga indulgentia in subsidium terræ sanctæ.

Illucescente vigilia sancti Ioannis Baptistæ orta tempestate cum inundatione pluuiarum in Appoldo & vicinis vallibus, ac in genere nocturno tempore homines promiscui sexus XXXV submersi sunt: domicilia deducta sunt, & pecora plurima perierunt.

Item nonas Augusti post horam nonam fuit eclipsis Solis generalis, vt videtur in ista Teutoniæ regione.

In vigilia apostolorum Simonis & Iudæ, & ad tria millia circiter prope Hallis, Adelbertus Landgrauius Thuringiæ, & Germanus suus Theodericus marchio de Landesberg, filij senioris, marchionis Misnensis Henrici Saxones deuastantes in multitudine graui, & manu valida terras eorum, & diœcesin Nuvvenbergensem, & diœcesin Merseburgensem facientes incendia, & asportantes spolia multa prælio inuaserunt, in quo conflictu crudeli & hostili odio ferocissime, à mane post ortum Solis vsque post nonam dimicatum est. In hoc bello Albertus dux de Brunsvvig, strenuus in armis & vir bellator, vulneratus captus est, & Henricus comes princeps de Anehalt vulneratus captus

captus est. Insuper & comites de Swerin & Eberstein capti sunt, præterea & vasalli,& nobiles, & iudices aduocati circiter XII capti sunt. Similiter electa militia in eodem bello,vt ad quingentos quinquaginta& 16 viros in armis plenis,Deo permittente cum maximo damno suo, scilicet electorum equorum & armorum captiui ducti in vinculis sunt detenti.

Anno Domini MCCLXIIII, orta discordia inter regem Angliæ & vniuersitatem eiusdem regni congressi sunt cum multitudine pugnatorum, in quo conflictu duo reges, rex Angliæ & rex frater suus, & duo filij ipsorum à populo captiui ducti sunt cum aliis multis nobilibus, & ibidem plura millia occisorum noua & inaudita hactenus in pecunia,& in aliis rex violenter exegit contra morem à populo. Vnde ciues & rurenses huic violentæ exequutioni viriliter & pariter restiterunt. Item inter papam Vrbanum quartum,& Menfridum principem Apuliæ,filium Frederici imperatoris, & quasi per stipendiarios continua conteri concertatio habita est, & habetur pro regno Apuliæ. Sed Dominus papa Vrbanus,sicut multitudini clare apparet,se defendere non sufficit, cum tamen singulis septimanis suis stipendiariis circiter mille marcas distribuere debeat.Hoc anno in Pentecoste Parisiis fratres prædicatores celebrantes capitulum generale, elegerunt in magistrum ordinis fratrem Ioannem Lõgobardiæ prouincialem, qui septimus iam magister ordinis ipsorum factus est.

Stella quæ dicitur Cometes apparuit,videlicet in Oriente ante ortum diei post stellateque apparuerunt,antequam oriretur ipsa stella cometes. Igitur veloci cursu laborauit ipsa stella Cometes,ita quod præcurrerit,& longe versus meridiem præcessit stellam matutinam, id est,Luciferum. Visa est circa festum sanctæ Mariæ Magdalenæ primo, & vsque ad octauam sancti Augustini apparuit. De hac Isidorus etmylogiarum libro tertio scribens, dicit: Cometes stella est dicta, eo quod comas luminis ex se fundat.Quod genus sitleris,quando apparuerit,aut pestilentiam,aut famem,aut bella signat.Cometes autem Græce, Latine Crinitæ appellantur, quia in modum crinium flammas spargunt,quas Stoici dicunt esse vltra XXX:quorum nomina&effectus quidam astrologi scripserunt.

Dux Albertus de Brunswig redemit se, defunctus est. Pluuiæ & repentinæ inundationes aquarum circa festum beati Nicolai episcopi multas villas in Saxonia miserabiliter submerserunt.

Anno Domini MCCLXV, Clemens papa IV à beato Petro CXCIV ordinatur,qui ante vocabatur Voido,& archiepiscopus fuerat Narbonensis,& factus est cardinalis.

Ingrauatum est bellum inter papam Clementem & Menfridum principem Apuliæ pro patrimonio sancti Petri,quod præfatus Menfridus tenet violenter. Isto anno multæ naues magnæ & onustæ tam trieres quam cogkones in mari mediterraneo ac in Dacia perierunt.Soldanus Babyloniæ, impugnans Christianos in terra sancta cepit Azotum castrum firmissimum domus hospitalis, quod alio nomine vocatur Assur, in quo habitabant duo millia hominum quos omnes occidit. Sed fratres milites domus hospitalis & domus templi CLXXX captiuos ac stricte vinculatos duxit in Ægyptum. Cepit etiam castrum & ciuitatem Cæsaream; nec non & ciuitatem quæ vocatur Caiphas,idem Sarracenus Soldanus violenter cepit & tenet. Albertus Landgrauius Thuringiæ,& marchio Otto de Brãdenborg cũ filio suo,Albertus etiam dux de Brunswig, & multi alij in Prutziam peregrinantes contra paganos cum signo crucis profecti sunt.

Anno Domini MCCLXX, incepit esse fames valida in festo sancti Iacobi Apostoli.

Anno Domini MCCXXIII, creatus est in regem Romanorum comes de Habeschborg in festo sancti Michaelis archangeli.

Anno Domini MCCLXXIV, concilium generale fuit in Leuno celebratum in festo sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi sub Gregorio decimo papa. Post hunc papam fuit Innocentius V,post quem Adrianus sequens:'post illum Ioannes fuit: Nicolaus III huic successit: Martinus vero post illum fuit. Huic successit Honorius IV, sed huic anno Domini MCC LXXVIII Nicolaus IV successit.

Anno Domini MCCLXXIX, rex Bohemorum dictus Octacker victus fuit à Rudolpho rege Romanorum in prælio, III die post festum Bartholomæi apostoli. In eodem conflictu occisus est rex Bohemus.

Anno Domini MCCXCI, obiit rex Rudolfus in diuisione Apostolorum, & in eodem anno in idibus Septembris per diuersa loca terræmotus factus.

Anno Domini MCCXCI, capta est ciuitas Accon à Sarracenis in die Potentianæ virginis.

Anno Domini MCCXCII, electus est in regem Romanorum comes Adolfus de Nassowe in inuentione sanctæ crucis.

Anno Domini MCCXCVIII, in die Processi & Martiniani, rex Adolfus Romæ in prælio occisus est, non longe à Moguntia ab Alberto duce Austriæ filio quondam Romanorum regis Rudolphi de Habesborch ipsum Episcopum Moguntinum cum aliis baronibus & nobilibus adiuuante. Idem Gerhardus Moguntinensis episcopus, dictus de Eppenstein, cum aliis electoribus quibusdam regni Romani dictum ducem ante prælium & mortem regis Adolphi in Romanum regem in Moguntia elegerunt, & licet non æque eundem post prælium in Aquisgrani coronauerunt, & regem confirmauerunt, cum tamen idem dux ministerialis fuerit regis Adolphi. Et hæc conspiratione pessima sunt acta.

Anno Domini MCCXCIV, papa Bonifacius, nomine antea Benedictus, papam Ioannem virum sanctum concorditer electum ab officio populi subtiliter amouit, & idem papa permansit, tenensque papam Ioannem in bona custodia vsq; ad eius mortem. Ab aliquibus in dubium vertitur, quod non potuerit papa Ioannes papale officium resignare.

Anno Domini MCCC, dum ciuitas Accon & tota terra sancta in potestate gentilium steterit VIII annis, rex Tartarorum nomine Gazan potenter cum suis, rege Armeniæ ipsum adiuuante, terram sanctam vsque Damascum hostiliter acquisierunt, in duobus conflictibus LXX millia hominum gentilium ad arma valentium occiderunt, præter reliquum populum cuius numerus non poterat determinari. Idem rex Tartarorum à Natiuitate Domini vsque ad Maium permanens in Damasco, potenter mittens suos solemnes nuncios summo pontifici Bonifacio, petens & desiderans, vt omnes Christiani aduenirent, terram sanctam accipiendo & possidendo, quam ipsis animo libenti vellet dare; & vocauit principaliter III ordines, templarios, hospitalarios, & fratres Alemannos in ipsis suis literis, domino apostolico ad Romanam curiam destinatis.

Anno Domini MCCXCVIII, in vigilia Natiuitatis Dominæ nostræ Veneti, & cum nonaginta armatis galeidis, & Iannenses cum totidem galeidis armatis in mari conuenerunt: à Venetiis vix quinquaginta milliaria Latina, & in immensum conflictum pariter habuerunt. Sed tamen Iannenses præualuerunt, & Veneti occubuerunt, & quasi omnes eorum galeidas combusserunt & submerserunt, populum vero captiuum deduxerunt, & innumerabiles ex eis occiderunt. Et ipso anno prænotato, cum auidissimi essent inimici & diu fuissent; perpetua pace sunt reconciliati.

Anno Domini MCCCIII, Ioannes papa ordinatur.

Anno Domini MCCCIX, primi crucifigeri ibant.

Anno Domini MCCCXI, ordo contemplariorum destruitur.

Anno Domini MCCCXIII. Heinricus imperator ab vno fratre prædicatorum veneno interiit.

Anno Domini MCCCXVIII, Albertus dux iunior obiit.

Anno Domini MCCCXXXIV, Benedictus papa ordinatur.

Anno Domini MCCCXXXVIII, in nocte Philippi & Iacobi Apostolorum, cecidit nix ad spissitudinem vnius pedis.

Anno Domini MCCCXLII, in die Mariæ Magdalenæ fuit inundatio magna.

Anno Domini MCCCXLIII, Clemens papa ordinatur.

Anno Domini MCCCXLIV, Otto dux de Brunswig obiit.

Anno Domini MCCCXLVI, fama de marchione ficto.

Anno

Anno Domini MCCCXLVII, Carolus quartus rex Bohemiæ in regem Romanorum eligitur.

Anno Domini MCCCXLIX, crucifigeri circumibant.

Anno Domini MCCCL, peſtilentia magna viguit.

Anno Domini MCCCLIV, Innocentius VI papa ordinatur.

Anno Domini MCCCLVI feſtum eccleſiæ Riddageshuſen tranſponebatur ad dominicam poſt feſtum Martini.

Anno Domini MCCCLVII, Carolus quartus imperat.

Anno Domini MCCCLVIII, inundatio ſecunda fuit in die Margaretæ virginis, & peſtilentia maior.

Anno Domini MCCCLXII, Vrbanus papa quintus ordinatur.

Anno Domini MCCCLXVII, prælium prope Hildensheim committitur circa villam quæ dicitur Gheimeſſen. Vero dux Magnus ſenior de Brunſwig, & epiſcopus Halberſtatenſis ſunt captiuati cum multis nobilibus, militibus & armigeris. Eodem anno factum eſt prælium magnum in Friſia, vbi XL interfecti ſunt à Friſonibus.

Anno Domini MCCCLXVIII, caſtrum Walmeden deuaſtatur.

Anno Domini MCCCLXIX, Magnus dux ſenior de Brunſwig, & Wilhelmus dux de Luneborch obierunt.

Anno Domini MCCCLXX, Aluelde ciuitas capta eſt à duce Ottone.

Anno Domini MCCCLXXI, Gregorius papa ordinatur Eodem anno Luneburg ciuitas auertitur.

Anno Domini MCCCLXXIII, Magnus dux in Brunſwig & Luneburg iunior occiditur ante caſtrum Richling.

Anno Domini MCCCLXXIV, feria ſecunda poſt miſericordias domini Dominicam, præconſules & conſules ciuitatis Bronſwig ſunt communiter captiuati à communi populo: & de præconſulibus & conſulibus ſex ſunt in foro decollati, & duo occiſi.

Anno Domini MCCCLXXVIII, Vrbanus papa ſextus eligitur, & antipapa Clemens VII, qui & Robertus vocatur.

Anno Domini MCCCLXXIX, caſtrum Dalem capitur à Brũſwichſenſibus, in vigilia Bartholomæi Apoſtoli. Eodem anno Herdegeſchen capitur à duce Ottone.

Anno Domini MCCCLXXX, caſtrum Banſleue capitur à Brunſwichſenſibus, & Ioannem de Wewerling ſuper caſtrum cremauerunt.

Eodem anno capitur Glenctorpa, & cremauerunt.

Anno Domini MCCCLXXXI, feria quarta in quatuor temporum ante feſtum Michaelis. Fridericus dux de Brunſwig præſentauit conſulibus & ciuibus caſtrum Wulfesbuttel in bona amicitia & fide.

Anno Domini MCCCLXXXII, Epiſcopus Magdeburgenſis fuit in Calue præcipitatus in chorea.

Anno Domini MCCCLXXXIII, hoc eſt eodem anno, fuit inundatio tertia in Brunſwig. Eodem anno circumuallauerunt caſtrum Gyshorn, dux Albertus de Luneborg, Wenzlaus dux Saxoniæ, conſules de Brunſwig, de Luneburg, de Honnouer, de Vltze cum ciuibus eorum: & poſtea præſentatũ eſt conſulibus de Brunſwig Eodem anno, ſequenti die Bartholomæi venerunt militares domini à Deſtenberghe cum ſuis complicibus & exercitibus ante Brunſwig, & perpetrauerunt ſpolium ſine aliqua cauſa, & percuſſerunt de ciuibus in ore gladij XX, & XL captiuatos ſecum duxerunt.

Anni Domini MCCCLXXXV, dux Albertus de Luneborg iactatus eſt per machinam ante caſtrum Richling, & obiit.

Anno Domini MCCCLXXXVI, tres duces Brunſwichzenſes pariterque fratres, videlicet Fredericus, Bernardus & Heinricus duxerunt vxores in quatuor ſeptimanis. Eodem anno in die Mariæ Magdalenæ fuit ſuſpenſus comes Tydericus de Weringherode ab epiſcopo de Magdeburg, nec non à comite de Regenſtein, qui in ſimul ibi fuerunt congregati in bona amicitia & fide.

Anno Domini MCCCLXXXVIII, Weneſzlaus dictus dux Saxoniæ veneno interiit circiter feſtum Paſchæ. Eodem anno in die corporis Chriſti in ortu Solis factum

eſt prælium magnum prope Wynſen vppe der Alleren, inter Brunſwicenſes & Luneburgenſes. Ibi Deo adiuuante & beato Auctore, Brũſwichſenſes victoriam obtinuerunt, & Luneborgenſes cum ſuis perdiderunt, & filij Magni ducis terram Luneborgenſem tenuerunt: in quo prælio plus quam c ſunt interfecti & ſubmerſi, & CCCL captiuati de principibus, nobilibus, militibus & armigeris. Eodem anno caſtrum Ierktzem à duce Frederico & Brunſwicenſibus capitur, & eis ſubiicitur.

Anno Domini MCCCLXXXIX, ipſo die Panthaleonis ac Cyriaci martyrum in æſtate tantæ fuerunt aeris tempeſtates, quod multæ de arboribus fuerunt per medium detrũcatæ, & multæ radicitus euulſæ. Eodem anno Vrbanus VI in profeſto Galli obiit, & Bonifacius nonus ſedem fuerat adeptus.

Anno Domini MCCCXC, annus Iubilæus per Vrbanum ſextum inſtitutus, & per Bonifacium nonum approbatus celebrabatur. Eodem anno Albertus Epiſcopus Halberſtadenſis obiit, & electus eſt vnus de Honſtein ibidem.

Anno Domini MCCCXCI, peſtilentia quarta viguit.

Anno Domini MCCCXCII, in die ſancti Auguſtini epiſcopi, hora veſperorum ceciderunt grandines in quantitate ouorum pullorum.

Anno Domini MCCCXCIII, in die Calixti papæ & martyris factum eſt prælium in diœceſi Hildesheimenſi, circa horam veſperorum apud villam Veneni inter Fredericum ducem de Brunſwig cum ſuis & inter militares, videlicet Ioannem de Schwichgelde, nec non Conradum de Deſtenbergk cum eorum exercitibus. Ibi Deo donante Frederic⁹ dux victoriam cum ſuis obtinuit: in quo prælio ſunt captiuati capitanei præfati cum militibus & armigeris numero LXXXVIII, & de ciuibus & villicis numero XCV, & ibidem ſunt interfecti, trucidati, & à lupis deuorati numero quaſi CL. Tota ſumma horum captiuorum & interfectorum eſt circiter CCCXXIII.

Anno Domini MCCCXCIV, in die ſancti Nicolai Epiſcopi obiit dux Otto dictus de Brunſwig, princeps in Goting.

Anno Domini MCCCXCV, annus Iubilæus celebrabatur in Magdeborch à feſto Ægidij ſancti per annum.

Eodem anno indulgentiæ datæ ſunt hic in vrbe ad ſanctum Blaſium durantes per octauam Aſcenſionis Domini in perpetuum.

Anno Domini MCCCXCVI, in octaua ſancti Martini fuit validus ventus huic clauſtro nocuus. Eodem anno bellum commiſſum eſt circa Rhenum in campo Camerenſi prope ciuitatem Cluns, inter illuſtres principes, Wilhelmum ducem de monte, & Theodericum comitem de marchia.

Anno Domini MCCCXCVII, Ioannes epiſcopus Hildesheimenſis eligitur.

Anno Domini MCCCXCIX, Weneſlaus rex Bohemiæ prauitate ſua regnum fœdauit Romanorum.

Anno Domini MCCCC, Fridericus dux Brunſwigenſis interfectus eſt in Haſſia à comite de Woldogghe in die Bonifacij.

Eodem anno Robertus dux Bauariæ in regem Romanorum eligitur.

Eodem anno crucifigeri ſiue flagellatores ibant tertio in Brabantia & Hollantia.

Anno Domini MCCCCI, Cometes apparuit.

Anno Domini MCCCCII, peſtilentia magna viguit.

Anno Domini MCCCCIII, Innocentius ſeptimus papa eligitur.

Anno Domini MCCCCIV, regnum Franciæ filio regis tandem expulſo à duce Burgũdiæ & Anglis lamentabiliter diſrumpitur.

Anno Domini MCCCCV, Gregorius vndecimus papa eligitur.

Anno Domini MCCCCVI, eclipſis Solis fuit in craſtina vice hora ſeptima de mane.

Eodem anno obiit Duciſſa ducis Heinrici in vigilia Petri & Pauli.

Eodem anno obiit Otto epiſcopus Bremenſis ducum frater.

Anno Domini MCCCCVIII, Alexander quintus papa eligitur.

Anno Domini MCCCCIX, prelio facto prope Maſtricht interfecti ſunt de ciuibus Leodinenſibus 32 millia.

Anno Domini MCCCCX, in Pruſſia facto prælio interfecti ſunt CCC à rege Pollonij. Eodem anno Ioannes papa eligitur.

Anno

Anno Domini MCCCCXI, Sigiſmundus rex Vngariæ, filius Caroli quarti, in regem Romanorum eligitur.

Anno Domini MCCCCXII, in nocte ſanctæ Cæciliæ erat validus ventus, & duʀauit ad quatuordecim dies.

Anno Domini MCCCCXIII, ipſo die beati Benedicti, in Quadrageſima, caſtrum Hartesburg capitur ab Epiſcopo Magdeburgenſi, Epiſcopo Halberſtadenſi, & duce Bernardo de Brunſwig.

Anno Domini MCCCCXIV, hæretici multi in Thoringia ſacramenta eccleſiæ blaſphemantes, & combuſti ſunt in Sangerhuſen. Eodem anno, concilium magnum prælatorum eccleſiæ pro vnione facienda apud Conſtantiam celebratur.

Anno Domini MCCCCXV, Ioanne papa depoſito, & Gregorio papa tum reſignante, ſicque apoſtolica ſede vacante, ſancta ſynodus Conſtantienſis plenariam eccleſiæ poteſtatem accepit & papalem.

Anno Domini MCCCCXVI, Heinricus nobilis princeps, & dux in Brunſwich & Luneborch, obiit.

Anno Domini MCCCCXVII, ſchiſmate ſedato Martinus papa eligitur in ſynodo Conſtantienſi.

Anno Domini MCCCCXVIII, regnum Bohemiæ hæretica prauitate totaliter infectũ à fide receſſit.

Anno Domini MCCCCXIX, concordia facta inter clerum & ciues Brunſwicenſes, quæ diſcordia ſtetit ad ſeptem annos.

Anno Domini MCCCCXX, caſtrum Borgalle capitur.

Anno Domini MCCCCXXI, prælio facto prope Grone à ducibus Ottone & Wilhelmo triumphantibus ſedata eſt gwerra inter Brunſwicenſes & Hildesheimenſes. Eodẽ anno caſtrum Wernborg conſtruitur.

Anno Domini MCCCCXXIII, ſeditione concitata, quatuor de conſulibus in Halberſtat decollati ſunt.

Anno Domini MCCCCXXV, Halberſtat à proprio epiſcopo & decem & octo ciuitatibus obſeſſa. Quatuor de principalioribus ſeditioſis capti decollabantur in vindictam. Eodem anno, caſtrum Ampleue deſolatur à Brunſwicenſibus & Magdeburgenſibus.

Anno Domini MCCCCXXVIII, feria ſecunda poſt Oculi dux Wilhelmus diuiſit ducatum Luneborgenſem & Brunſwicenſem, & dux Bernardus elegit Luneborgenſem cum ſuis caſtris, & dictus Wilhelmus retinuit Brunſwicenſem.

Anno Domini MCCCCXXIX, in profeſto beati Petri ad vincula capitur Pattenſen à duce Wilhelmo Brunſwicenſi. Eodem anno, ipſo die Wilbrordi, conſules cum clero vnanimiter conceperunt *den Kettergrauen* in antiquo vico.

Anno Domini MCCCCXXXI, Gabriel de Venetia cardinalis in papam eligitur, & ei nomen Eugenius quartus imponitur.

Anno Domini MCCCCXXXII, ſancta ſynodus apud Baſileam pro vniuerſalis eccleſiæ reformatione celebratur. Eodem anno, caſtrum Wulfelbutte dux Heinricus acceptauit. Eodem anno, facta eſt gwerra inter ducem Wilhelmum & ciuitatem Brunſwich, & multæ ſunt ibidem villæ deuaſtatæ Eodem anno, ipſo die Timothei, incendebant Deſcidde. Eodem anno, Gorgonij combuſſerunt Meluerode, Stockem, Dabern, & quamplures villas.

Anno Domini MCCCCXXXIII, Sigiſmundus filius Caroli quarti imperatoris, rex Romanorum in imperatorem benedicitur ſolemniter ab Eugenio papa. Eodem anno archiepiſcopus Magdeburgenſis cum clero ſuo expellitur. Eodem anno, eclipſis Solis hora veſperarum fuerat.

Anno Domini MCCCCXXXIV, Bohemiæ regnum occiſis funditus hæreticis Huſſitis cum ſuis capitaneis Procopio & Wulfino ad fidem catholicam reuertitur, à qua per decem & ſeptem annos in diuerſis ſectis & hæreſibus miſerabiliter errauerat. Eodem anno, Bernhardus dux Brunſwicenſis & Luneborgenſis obiit.

Anno Domini MCCCCXXXV, Magdeburgenſis Epiſcopus cum clero ſuo in pace honorifice reducitur.

Anno Domini MCCCCXXXVI, Borchardus episcopus Halberstadensis eligitur.

Anno Domini MCCCCXXXVII, caristia magna viguit.

Anno Dom. MCCCCXXXVIII, Albertus dux Austriæ in regem Romanorum eligitur.

Anno Domini MCCCCXXXIX, pestilentia vniuersalis grassabatur per totum orbem. Anno eodem Hestede à duce Saxoniæ capitur.

Anno Domini MCCCCXL, Fredericus dux Austriæ in Regem Romanorum eligitur.

Anno Domini MCCCCXLI, in vigilia Visitationis virginis Marię, de vespere, hora quasi septima, ventorum magna orta fuit tempestas; quam haud longe post grandines in quantitate duorum vel trium ouorum descendentes non modica in ædificiis, fenestris ecclesiarum, in animalibus, segetibus, cæterisq; bladis damna inferẽtes comitabantur.

Anno Domini MCCCCXLV, obiit Otto dux Brunswicensis & Luneburgensis.

Anno Domini MCCCCXLVI, ante festum Natiuitatis Domini, Discordia ciuium & rumor magnus erat in hac ciuitate: & multi de ciuibus compulsi abiurarunt ciuitatem, & sic sedata fuit discordia.

Anno Domini MCCCCXLVII, Nicolaus papa quintus eligitur. Eodem anno tres circuli albi visi fuerunt circa Solem, in ortu Solis meridie & occasu, in vigilia Ascensionis Domini. In hac æstate venerunt Bohemi ad terram Saxoniæ & Westphaliæ, exactionantes multas ciuitates.

Anno Domini MCCCCXLVIII, eclipsis Solis erat hora meridiei, circa festum Ægidij.

Anno Domini MCCCCXLIX, Felix papa electus à concilio Basilienſi resignauit, & factus est supremus cardinalis seu legatus per totam Franciam Nicolai quinti. Eodem anno, pestilentia successiue circumgyrauit omnes terras durans per aliquot annos.

Anno Domini MCCCCL, fuit annus Iubilæus in Roma. Eodem anno, in die Pentecostes canonizatus fuit frater Bernardinus ordinis fratrum minorum.

Anno Domini MCCCCLI, Nicolaus de Chusa cardinalis per Alemanniam legatus in multis locis prædicauit, & veniens ad castrum Wulffenbeutel, ad instantiam Heinrici ducis, cuius tunc filiam sacro chrismate liniuit, indulgentias Iubilęi Brunswig concessit. Item ad pulsum maioris campanæ ecclesiæ sancti Martini hora vndecima omnibus sextis feriis omnib. incolis huius ciuitatis, tunc ter dicentibus Pater noster in memoriã mortis Christi concessit c dies indulgentiarum. Item omnibus sacerdotibus dominico die in missa post primam collectam sequentem clausulam, scilicet *Et famulos tuos N. papam nostrum & N. antistitem nostrum vna cum ecclesia catholica ab omni aduersitate custodi*, subiungentibus, quinquaginta dies indulgentiarum contulit.

Anno Domini MCCCCLII.

Anno Domini MCCCCLIII, Constantinopolis à Turcis capitur, in qua omnib. Christianis ab annis sex supra interfectis, imperator Græcorum occiditur. Insuper alij circiter 60 millia vincti in captiuitatem ducuntur, crucifixusq; abominabiliter ab impiis illuditur.

Anno Domini MCCCCLIV, consulatus Luneburgensis est depositus, & nouus electus. Eodem anno, Nicolaus papa moritur, & Calixtus natione Cathalonienſis electus est. De quo infra.

Anno Domini MCCCCLV, ecclesia S. Martini propter duorum plebanorum excommunicatorum litigationem quasi per biennium stetit clausa, nec diuina ibi celebrabantur: parochianis vero Sacramenta in ecclesia S. Michaelis ministrabantur.

Anno Domini MCCCCLVI, in regno Siciliæ ciuitates plures & villæ à terræmotu perierunt, & in Neapoli, Capua, & Beneuẽtana, & aliis ciuitatibus & locis, propter eandem plagam turres & domus multæ corruerunt. Homines etiam ad 70000 & eo amplius similiter oppressi sunt.

Anno Domini MCCCCLVII, in nocte Sanctorum Gordiani & Epimachi nix grauis cecidit, quæ arbores magnas fregit, frumenta agrorum strauit. Et fertilitas magna eodem anno sequuta est. Item anno eodẽ frater Vincentius de ordine prædicatorum per Calistum papam canonizatus est, sicut idem sanctus in iuuenili ætate prædixit eidem.

Anno Domini MCCCCLVIII, reliquiæ sancti Autoris & aliorum sanctorum de archa cuprea ad argenteam sunt translatæ Dominica Lætare, & festum Patronorum institutum est. Eodem anno celebratum fuit capitulum in Brunswig, fratrum minorum circiter

circiter per ccc patres: fecerũtq; processionem solemnem ad multas ecclesias, stationemque in foro antiquæ ciuitatis. Eodem anno consulatus antiquus Luneburgensis cum cxxx ciuibus à Papa Calisto vsque ad quartam generationem fuit maledictus propter iuramenti transgressionem, bonorum ecclesiarum in salina spoliationem, & quorundam suorum burgensium innocentium occisionem. Eodem anno, in die Purificationis in partibus Thuringiæ visi sunt tres Soles. Itẽ visus est Sol diuisus per modũ crucis. Similiter in nocte tres Lunæ apparuerunt. Isto anno Calistus Papa moritur. Hic pro expugnatione crudelissimi hostis Christiani nominis, regis Turcorum, missas, orationes & certas processiones omnibus ecclesijs per totum orbem instituit, quas magnis indulgentijs dotauit. Hic post mortem à cathalonijs quasi viuus aliquandiu custoditur, donec sublatis omnibus in auro & argento cæterisq; paramentis pontificalibus mare intrarent, cadauere mortuo relicto: sed potestas Romanorum eos insequuta est, & quasi omnia reduxit.

Eodem anno, rex Bohemorum vltimus, eiusdem regni verus hæres, veneno intoxicatus occubuit. Item Borchardus Halberstatensis Episcopus defunctus est. Item Thuringi cœperunt duo castra prope Gottingen, videlicet Gunda in Bramborch. Eodem anno, Pius in Papam eligitur. Hic pro tuenda fide Christi contra Turcorum Imperatorem omnes Christianos principes pro re tam sancta in vnum cõuocauit, ad vnam de his duabus ciuitatibus Mantua sc. & Vtinum.

Anno Domini MCCCCLIX, dux Wilhelmus cepit castrum Springk.

Anno Domini MCCCCLX, statim post festum Natiuitatis Christi incepit pestilentia satis rara & insolita, quia viri fortes in ea moriebãtur, & paucæ mulieres: de pueris vero valde raro aliqui obierunt. Propter hanc pestem in Quadragesima proxima missa pro pestilentia cum certis precibus per omnes parochias decantabatur in ciuitate Brunsvvicensi, isto modo. Omnes præsentes nudis pedibus stabant, candelas ardentes in manibus tenebant. Per tres dies quibus missæ celebrabantur, ieiunauerunt, & quarta die in pane & aqua. Vnde dominus placatus misericorditer & mirabiliter populum exaudit: & statim vindicta hæc à populo cessat.

Eodem anno, frigus in tantum inualuit, vt ante festum Paschæ & aliquibus diebus post, nec arari, fodi aut seminari quicquam potuit. Post hoc fuit nimia siccitas, vt nec gramina pratorum abundarent, vnde etiam pecora multorum fame vexabantur. Item III chori auenæ pro marca Brũsvvicensi vendebantur. Eodem anno die Paschæ in oppido dicto Blomberg, mulier quædam hostias consecratas à presbytero in altari derelictas furata est propter quasdã incantationes cum eis faciendas: tandem nimium perterrita in fontem vicinum proiecit, & miraculose reinuẽtæ sunt. Eodem tempore propter intempestatem & grandinem segetes ibidem per quinq; milliaria in longum & latum perierunt. Hanc miseriam inopinata & cara venditio frumẽtorum sequuta est: ita vt etiam in ciuitate Brunsvvicensi xv modij siliginis pro marca vendebantur, & pistores dominica die cogebantur panes pistare propter vulgus vndecunque aduenies. Item in vigilia Apostolorum Petri & Pauli horribilis tempestas & ventorum flatus inauditus est exortus: vnde multæ arbores frangebantur, à terra euellebantur, per medium scindebantur, & quam longe à trunco proijciebantur: tecta de domibus impetuose iactabantur.

Anno Domini MCCCCLXI, episcopus Moguntinensis dictus de Eisenburg, à Papa Pio depositus, & quidam dictus de Assavv in loco eius surrogatus. Hi duo episcopatum miserabiliter depopulauerunt, guerras inter se habentes. Tandem de Assavv occulte & proditiose ciuitatem nocte quadam ingressus eam cepit, clericos miserabiliter exulari fecit, diuitũ multos occidit, domus eorum spoliauit, & sine misericordia in eadem ciuitate contra populum grassabatur. Eodem anno, incepit pestilentia in Nurenberga: anno sequenti in Erfordia: & sic continenter per tres annos circumgyrauit per multa loca.

Anno Domini MCCCCLXII.

Anno Dom. MCCCCLIII, denunciatum fuit passagium in Decembri per Pium Papam contra Turcos, & maxime in partib. stagnalibus. Vnde sequenti anno super festo Paschæ cruce signati per villas & ciuitates currentes in magnis exercitibus Anchonam properabant. Sed ibi venientes progressum habere non valuerunt: quia Papa propter

infirmitatem, & propter abſentiam quorundam principum qui venire promiſerant, paſſagium per ſe expedire,& inirè obmiſit.

Anno Domini MCCCCLXIV, Pius Papa in Anchona mortuus eſt, & ab ea ciuitate vſque Romam delatus. Eodem anno, Paulus ſecundus, qui prius Petrus vocabatur, electus eſt. Hic mutauit ſigillum plumbeum papale. Nam antea ſemper duo capita ſc. Petri & Pauli vno latere continebat, in alio autem latere nomen papæ tantum: nunc vero ſtat in latere vno quaſi imago papæ infulati coram populi multitudine, in alio duę imagines oblongæ Apoſtolorum Petri & Pauli.

Anno Domini MCCCCLXV, in caſtro Kalenberge (vt teſtimonio quorundam ſacerdotum habui) ſanguis deſuper in modum pluuiæ cecidit in longitudine & latitudine xx paſſuum, ita vt etiam veſtimentis quorũdam inhæreret. Eodem anno, dux Burgundiæ ciuitatem Dinant deſtruens, terræ penitus adæquauit. Anno Domini MCCCCLXVI, dux Burgundiæ cepit ciuitatem Leodienſem, & deſtructis muris exactionauit eam ad plus quam quater millia florenorum. Horum medietatem ciues dederunt, aliam recuſabant. Obſides autem & fideiuſſores qui erant de ciuitate, videntes quod non liberabantur, conſilium duci dederunt non in bono. Et ex toto ciuitatem igne fecit conflagrari, eccleſijs Dei & monaſterijs vix exceptis. Ad quas tamen quidam maligno ſpiritu ducti ſpoliando intrabant, & optimis ſammittis ac cæteris veſtibus diuino cultui dicatis inde ablatis, viſui ſuo applicabant. Nec eis diuina vltio abfuit: quam cito enim has attemptabant, multi eorum amẽtes, multi arreptitij effecti ſunt: propter quod multi veſtes ſacras eccleſijs ſuis reſtituebant. Inde vt alter Herodes in innocentes in ſua deſæuit, quos omnes (vt dicunt) naui impoſitos, ſine remige ſine gubernatore abire dimiſit in incertum.

Anno eodem, ciuitates Brunſvvich, Hildenſem, Gottingen. Honouer cum cæteris ciuitatibus quæ vulgo de Henſe nũcupantur, intrauerunt terram ducis Friderici propter hoc, quia multotiẽs negotiatores per vias publicas, & ſtratas regias incedẽtes moleſtabat, bona ipſorum ſuis caſtris adducendo, vbi ad libitum victoria potita, caſtroque Moringe cum ſuo oppido pro damnis datis in ſuam poteſtatem accepto, regreſſi ſunt.

Anno Domini MCCCCLXVII, dux Fredericus pacis datæ oblitus, iterũ bona quorundam negotiatorum ac aliorum magno nomine accepit, duxitque per terram patris ſui videlicet Wilhelmi. Ideo ciuitates ſupra dictæ ſuſpicatæ ſunt, quod ipſe aſſentiret facto filij, miſſiſque literis diffidentiæ intrauerunt terram ſuam prope Kalenberg, ibique villis conflagratis, quibuſdam etiam nobilibus captiuatis, redierunt ad propria. Inde Dei nutu bella huiuſmodi ac diſcordiæ ducum & ciuitatum expenſis datis miſerabiliter ſopita ſunt.

Eodem anno, à fundamentis aquarum ante valuam S. Magni Brunſvvicenſis (ſicut iam aliquot annis elapſis ante alias valuas) erexerunt turrim fortiſſimam, vt hodie cernitur. Eodem anno dominus Heinricus Oſterrot plebanus in Roten, Met ſecundus miſſus eſt Romam pro confirmatione abbatis impetranda, in qua ambaziata fidelis extitit: expediuitq; totum negotium in curia in duodecim diebus. Sed nimis triſte quidam accidit: quia ambo infirmi Romam exeunt: ambo in via mortui ſunt. Huiuſmodi rumores ad aures noſtras in die Nicolai eiuſdem anni deuenerunt. Eodem anno, Dominus abbas huius monaſterij per ducem inuitatus, ſolemniter in capa aurea & infula decoratus cõpulauit filiam eiuſdem ducis Margaretam nomine comiti Frederico de Henneberg, tertia feria poſt Eſto mihi, in caſtro Wulfelbuttel.

Anno Domini MCCCCLXVIII, ex commiſſione facta abbati huius monaſterij per reuerendiſſimum cardinalem de Latere, tunc Wratislauiæ exiſtentis, publicatæ ſunt in hoc monaſterio, Dominica quinta poſt Pentecoſten, indulgentiæ plenariæ remiſſionis ſemel in vita, & ſemel in morte, vt quicũq; daret pro extirpatione hęreſis Bohemorũ quantum in quatuordecim diebus pro ſe, & familia ſua conſumeret, earum particeps fieret, religioſi etiam & alij qui omnino nihil haberent, orationes & certas proceſſiones tunc expreſſas facerent. Sed quorum intererat de trunco vel ciſta pro collectione oblationum ponenda non concordabant: ideo nemo ſe habilem fecit, vnica honeſta domina excepta. Reuocatæ fuerunt eodem anno in profeſto ſancti Authoris.

Eodem

Eodem anno discordia permaxima fuit inter episcopum Halberstatensem, & ciues eiusdem ciuitatis: ita vt totus clerus reliquiis sanctorum & optimis elenodijs ad tuta loca secrete destinatis, ipsam etiam ciuitatem relinquerent.

Item anno MCCCCLXVII, de quo supra, post Michaelis apparuit cometa longe sursum à signo Piscium, quasi orta esset sub signo Cancri, sed rarissime videbatur, quia erat tempus tunc pluuiosum, & misit comam suam versus Orientem. Et in tantum pluit, quod pauci ante festum omnium sanctorum seminare valebant, sed quidam post Martini, quidam post Nicolai quia hyems temperata fuit, seminauerunt. Et creuit quidem herba, sed non fecit fructum centuplum.

Anno Domini MCCCLXIX, dux Heinricus fecit quasi regales nuptias filiæ suæ in ciuitate Brunesvvich, & vocauit multos. Intrauitq; sponsus, adiunctis sibi Landtgrauio Thuringiæ cum cæteris nobilibus, ciuitatem hanc Dominica post omnium Sãctorum: & portis ciuitatis sancti Ægidij & sancti Magni obseratis, solum pro eorum introitu & exitu patebat valua lapidea, id est Steindor. In hac solemni sed insolita susceptione hospitum stabãt ciues, ad hoc ordinati per proconsules suos, omnes in statione sua armati, alij autem excubias nocturnas obseruabant. Continuatum fuit conuiuium nuptiarum in quartum diem, & abierunt hospites, vnusquisq; in sua.

Eodem anno, conuersionis Pauli quidam incola in regali Luttere serotino tempore (nescitur per quos spiritus) raptus fuit de curia sua, ductusq; ad loeum vulgo des Herantoghenhoff in choream terribilem, vt fatebatur. Vidit enim ibi quamplures nobiles ante longa tempora mortuos: quapropter ad se reuersus cruce se signauit, & sic dimissus ad quandam sepem cecidit non sine graui vulnere. Eodẽ anno Dominica Cantate duo ciues Halberstadenses, filij Belial, retro accedentes quendam presbyterum, in iure canonico cæterisq; scientijs pluribus eruditum, de muro retro capellam sancti Petri in eadem ciuitate misere ab alto præcipitauerunt vsq; ad aquam vulgo Holtemmer subtus defluentem, ibiq; cerebro capitis effuso in breui mortuus est. Eodem anno Dominica post Ægidij Brunsvvicenses ceperunt castrum dictum Thun, Friderico de Langelde tunc domino castri certis de causis expulso.

Anno Domini MCCCCLXX, minui cepit potestas nobilium de Veltheim. Nam hoc anno statim post Natiuitatem Christi captum est castrum Sladem, quod tunc tenuit Clamer de Veltheim, per quosdam dictos de Neindorpe, cum adiutorio dictorum de Bertensleue: qui omnes castro in frumento & victualibus alijsque supellectilibus spoliato, & ad propria deductis, tandem etiam ipsi abierunt. Postea vix octo diebus elapsis, Episcopus Magdeburgensis cepit castrum Herbeke domino Guncellino de Veltheim ibidem humiliato.

Anno Domini MCCCCLXXI, primo Sixtus quartus in papam eligitur, qui antea vocabatur Frãciscus, & erat magister generalis ordinis fratrum minorum, creatus in cardinalem tituli sancti Petri ad vincula. Cui Papa Pius, audita solemni disputatione pro vtraque parte in Roma, per fratres ordinis prædicatorum tenentes quod Christus resumpsit omnem suum sanguinem, & per fratres minores tenentes quod non resumpsit omnem sanguinem, commisit examen ambarum partium, & quicquid ipse finaliter teneret, ad eum scriptis suis offerret. Quam commissionem idem Sixtus cardinalis summa cum diligentia expediens, obtulit scripta sua summo pontifici corrigenda. Papa vero Pius, perlecto opere suo super sanguine Christi relicto, ad tollendam contentionem confecit quandam bullam quæ habetur apud fratres minores prouinciæ Thuroniæ. Cuius etiam copia est hic in nostro monasterio. Idem papa Sixtus postquam electus fuit in papam, reassumpsit statim sigillum antiquum Papæ, scil. duo capita Apostolorum Petri & Pauli, quod prædecessor suus Paulus mutauerat, vt supra dictum est.

Idem Sixtus anno pontificatus sui secundo, instituit celebrari per vniuersum orbem festum sancti Francisci, dans omnibus idem festum celebrantibus sub duplici officio quinquaginta annos, & totidem quadragenas. Eodem anno obijt Helena nobilis ducissa, vxor ducis Heinrici de Brunsvvich & Luneborg, filia ducis de Cleue, octaua Apost. Petri & Pauli.

Anno Domini MCCCCLXXII, post festum Epiphaniæ apparuit cometa miræ magnitudinis & multorum radiorum sub signo Libræ, dirigens radios suos versus Occidentem. Et octo diebus sic elapsis, repentine ascendit versus polum arcticum & stellam Martis vsq; ad aliam partem Zodiaci: vbi tunc apparuit sub signo Arietis, dirigens radios suos versus Orientẽ: & circumuoluebatur cum Zodiaco ad motum firmamenti sub signo Arietis, manens ad duas hebdomadas: & tunc successiue immorabatur, ita quod in die sancti Valentini vix videbatur in nocte. Eodem anno in die Geruasij & Protasij in ciuitate Erffordensi quingentæ domus & amplius cum ecclesia beatæ virginis ibidem & ecclesia sancti Seueri cum omnibus domibus adhærentibus sunt concrematæ, igne (proh dolor) per malos homines instigatione Apel Visdom diuersis in locis locato.

Eodem anno pestilentia magna viguit in Eimbicke & in Gottingen per totam æstatem, & hyeme sequente venit Hildensheim & ad loca vicina, durauitque ibidem vltra annum cum medio. Eodem anno obijt Ernestus de Schomborg episcopus Hildensheimensis, & canonici elegerunt in magna discordia, nunc Landgrauium Hassiæ, nunc ducem Magnipolensem in episcopum assumentes: sed decanus ecclesiæ cathedralis ibidem Henningus *von dem Huß* confirmatus fuit à papa Sixto, & Episcopus permansit.

Anno Domini MCCCCLXXIII, Fredericus Imperator venit Treuerim cum filio suo Maximiliano, & per Carolum Burgundum honorifice tractatur. Petit ibidem Burgundus coronari in regem super antiquam Burgundiam. Quod cum Imperator recusaret, factum est vt non responderent vltima primis. Eodem anno viguit pestilentia in Brunesvvig tota æstate: sed heu grauis erat huic monasterio. Obierunt enim de nostris fratribus fortiores & adolescentiores sacerdotes septem numero. Inde vix anno elapso obijt senex noster cum duobus alijs sacerdotibus monasterij nostri. Eodem anno introductæ sunt solenni cũ processione totius cleri & populi reliquiæ sancti Sebastiani martyris per fratres Præmonstratensis ordinis in ciuitatem præsentem, promouente hoc sereniſſimo principe ac Duce Heinrico. Prima statio cum missa ad honorem martyris factæ sunt in hoc monasterio altera die Trinitatis: post ad sanctum Blasium: inde ad sanctam Catharinam: exinde ad sanctum Martinum. Eodem anno fratres Cellitæ, alias dicti fratres voluntate pauperes primitus habitare cœperunt in ciuitate Brunesvvich. Propter hoc quia fere omnis populus tam diuites quam pauperes maximam penuriam patiebantur, non habentes qui custodirent aut vigilarent super infirmos suos: quod quidem officium respicit dictos fratres: dataq; eis fuit habitatio in Dammone, vt hodie cernitur.

Eodem anno in nocte Cõceptionis beatæ virginis obiit in hydropisi nobilis ac strenuus dux Heinricus, qui toto tempore vitæ suæ fuit amator & princeps pacis, sepultusque est ad sanctum Blasium in sepulchro patrum suorum: vbi abbas nostri monasterij in infula cantauit missam defunctorum, faciensq; commendationem & cætera funeralia cum duobus decanis sanctorum Blasij & Cyriaci.

Anno Domini MCCCCLXXIV, ipso die Iohannis Euangelistæ post Natiuitatem Christi, dux Wilhelmus senior reacceptat castrum Wulfelesbutel cum toto ducatu Brunsvvicensi, introductus solemniter per consulatum Brunsvvicensem, claues ei præsentantem per ducem Heinricum sibi in fine mortis commendatas: vt sic testamentarij efficaces dicti ducis defuncti esse possent, pariter & executores: quod alias recusassent.

Eodem anno venit pestilentia in Halberstat & Luneburg.

Eodem anno ipso die Panthaleonis, Carolus dux Burgundiæ obsedit ciuitatem Nussiam quasi ad integrum annum, oppugnansq; eam fortiter perdidit populum multum de suis: quorum corpora ibidem arena iacent sepulta: plurima etiam Rheni fluuius absorbuit.

FINIS COMPENDIOSÆ CHRONICÆ AB
authore anonymo collectæ.

PAVLI

PAVLI LANGII CYGNÆI MONACHI BOZAVVIENSIS, CHRONICON CITIZENSE, DE ILLIVS DIOECESEOS GESTIS, ET ALIIS ETIAM passim, iuxta eiusdem præsulum annos & successiones digestum, & ab anno Domini DCCCCLXVIII perductum vsque ad annum MDXV.



NSIGNEM sanctamque ac Deo dilectam Cititzensis episcopatus ecclesiam, Ottonem illum magnum & inuictissimum Imperatorem & fundasse & instituisse, vel eo liquet potissimum: quoniam primus eius loci siue sedis antistes, venerabilis Hugo memoratum per Ottonem institutus, vno & eodē & anno & die consecratus est cum primarijs episcopis, Misnenensi Burchardo, Merseburgensi Bosone,& Vdone Hauelbergensi: quorum Episcopatus per Ottonem eodem quoque tempore, anno videlicet incarnationis Dominicæ DCCCCLXVIII, indictione XI, regni eius XXXII, imperij VI, fuere fundati,& per Ioannem papam XIII confirmati. Quo & anno prænarrati præsules, vno eodemque die, nostro cum Episcopo Hugone ordinati & consecrati fuerunt, per beatum Deoque dilectum Adelbertum, sanctæ Parthenopolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopum, anno ordinationis suæ secundo: de quo latius infra. Ex præmissis itaq; luculenter habetur, per quem, quoue tempore huius insignis & celebratissimi iacta fuerint Episcopatus fundamina. Sunt equidem qui mendose asserunt, scribuntque quod ignorant, Carolum videlicet illum magnum hunc nostrum Citicensem inprimis condidisse Episcopatum, eumque barbarica populatum dirutumque immanitate, & per Ottonem tandem primum, ac dein per Henricum secundum fore restauratum. Ita inquit vnus illorum compilator, videlicet vulgaris & picturatæ Saxonum historiæ. Verum quoniam assertio hæc auctorem non satis præfert solidum & idoneum: quapropter eadem facilitate floccipenditur qua asseritur. Neque enim episcopatus iste noster Cititzensis reperitur inter illos, Carolus quos Magnus per Saxoniam instituisse legitur. Tradunt equidē authentici & illustres gentis Saxonicæ historiographi, Carolum memoratum octo in Saxonia duntaxat fundasse episcopatus, Osnaburgensem videlicet, Bremensem, Halberstatensem, Hildesheimensem: Verdenensem, Padeburnensem, Mindensem & Monasteriensem. Ottonem autem hunc nostrum Primum & Magnum tradunt fundasse Brandeburgensem, Magdeburgensem, Merseburgensem, Misnensem, Slesvvicensem, Rypensem, Hauelburgensem, Magnopolensem qui post translatus est per Henricum Leonem, potentissimum Saxoniæ & Bauariæ ducem, in Svverinensem, anno Domini MCXCV, & hunc de quo loquimur Citicensem. Posui autem Brandeburgensem in capite, quoniam eundem episcopatum Otto rex in principio regni sui triginta pene annis ante Magdeburgensem legitur fundasse. Testis est & Dythmarus in Chronicis suis. Verum vt nonnihil in laudem Ottonis optimi & glorioſissimi Imperatoris nostræ fundatoris diœcesis stylo prosequamur historico: sciendum, Ottonem originem traxisse à fortissimo & maximo illo Widikindo duce Saxoniæ: contra quem Carolus Magnus triginta pene annos cruentissima bella gessit, tandemque victum prædicatione sancti Ludigeri ad fidem conuersum in Engern baptizari fecit, ipsumque de sacro leuauit fonte, anno nostræ salutis DCCLXXXV. Ab prædicto, inquam, nobilissimo duce Saxoniiæ Widikindo generosum carnis duxit stemma, patre natus Heinrico Germaniæ rege, eius nominis primo, matre vero Mechtilda filia

Theoderici comitis Saxoniæ de Wittin: quem quidam mendose regem fuisse scriptitant, cum eo tempore Saxones prçter memoratum Heinricum (qui primus fuit) regem non habuerint.

Otto itaque defuncto patre Heinrico inclyto valde viro, filius Otto successit in regno, cœpitque anno Dominicæ Natiuitatis DCCCCXXXVI, & imperat annis XXXVIII. Hic itaque glorioſissimus & inuictissimus Imperator Otto, cum diuini cultus ardentissimo flagraret amore, quatenus Dei honorem & animarum procuraret salutem, statum clericorum & monachorum per patriam præcipue suam natiuam, ipsam videlicet Saxoniam, ab exordio regni sui ampliare & exaltare vehementer studuit.

Videns itaque diœcesim siue ecclesiam Halberstatensem valde amplam & opulentam, ita vt in quatuor competenter partiri posset episcopatus, consilio prudentú & religiosorum aliquot episcopatus in ea decreuit proposuitque instituere. Ast resistente ei ac contradicente Bernhardo Halberstadensi episcopo, venerabili valde viro & sancto, cuius in diœcesi locus ipse situs erat, perficere eo viuente non potuit, quandoquidem eo tempore tota erga Magdeburg pariter & Merseburg vicinia ad Halberstatensem pertinuit diœcesim. Videns ergo Imperator constantiam præsulis, quod nec minis neque blandimentis in diuisionem sui induci potuit episcopij, patienter & longanimiter tempus præstolabatur opportunum. Nam prænarrato Bernardo defuncto præsule ac successore ipsius Wildenando, viro æque sancto & erudito, quæ dudum optauerat sine contradictione Imperator obtinuit. Iste equidem venerandus antistes ob diuini honoris laudisque ac ecclesiastici cultus augmentationem petenti Ottoni libenter & placide consensit & annuit, & non modo archiepiscopatum Partheno-politanum, verum & Metropolitanum in suæ territorio diœcesis fundari instituique permisit, ratificante & confirmante cuncta Iohanne papa eius nominis decimo tertio.

Verum ne interea, viuente videlicet adhuc Bernhardo Episcopo, tempore diuturnæ & prolixæ expectationis suæ, pientissimus atque inclytissimus Imperator Otto ab operibus pietatis vacaret, zelumque ardentissimum quem Dei ad honorificationem in imo pectoris clam gerebat, in effectum palam vtcunque produceret salutiferum: in principio regni sui in Brandenburg tunc ciuitate Sclauorum magna & populosa episcopatum fundauit & instituit, triginta ferme annis ante constructionem archiepiscopatus Magdeburgensis. Testatur hoc Dithmarus quartus Merseburgensis ecclesiæ præsul, nobilis & celebratissimus historicus, inquiens, memoratum Brandeburgense pontificium ter denis annis Magdeburgense præcessisse. Diui insuper Benedicti ordinis in præfata Magdeburgensi vrbe, regale summis erexit impensis monasterium: quod tamen postmodum ad fundandum eo in loco Archiepiscopatus templum cum suis ædibus in suburbium ciuitatis in editiorem, qui Berga dicitur, locum transtulit, in quo præsens vsque in tempus cernitur: cuius de tralatione infra latius dicetur.

Præterea iisdem temporibus Otto Imperator fortissimus vniuersos Sclauorum populos quos antea pater eius Heinricus rex domuerat, imperio suo subiugauit, & tanta virtute constrinxit, vt tributum & Christianitatem pro vita simul & patria libenter offerrent victori. Baptizati sunt itaque omnes, & ecclesiæ in Sclauia tunc primum constructæ. Danos quoq; qui à fide & iugo regni defecerant, armis expugnans valide continuit, & ad subiectionem compulit & fidem, mittens ad eos prædicatores, episcopos, monachos & clericos.

Anno denique dominicæ Natiuitatis DCCCCLV, Otto Germaniæ rex (non enim adhuc Imperator erat, licet in præcedentibus per anticipationem Imperator nominetur) prope Augustam Vindelicorum in loco qui Lechfelt dicitur, grandi instructo exercitu in crastinum cõtra Hunos pugnaturus, in vigilia B. quæ tum erat Laurentij, votum fecit, vt si meritis victoris ignium hostes suos vinceret, in honore eius in Merseburg episcopatum erecturum, quod expost victor euadens deuote & magnifice perfecit, sanctus siquidem Laurentius cuius præsidio triumphauit, dictæ ecclesiæ vsq; in præsens patronus laudatur.

Prædictis

Prædictis fortissime gestis ab Agapeto Papa, eius nominis secundo, inuitatur & rogatur Otto, vt Romam & Italiam à tyrannide Berengarij, imperij & regni vsurpatoris, liberaret. Quod & Otto rex strenuissime perfecit, ipsum Berengarium apud Ticinum valido obsidens exercitu ad deditionem coegit, cepit, & contriuit. Tunc quoq; Alundam (quam nostrates Adelheidem vocant) relictam Lotharij, è carcere liberatam, secum in Saxoniam vexit, coniugemque duxit: quæ successu temporis ei Ottonem Ruffum regni successorem, & Guilhelmum Moguntinensem Archiepiscopum peperit. Hic est ille Guilhelmus Archiepiscopus Moguntinus, cui pater Otto dedit Thuringiam & Hassiam cum pleno iure & dominio. Erat autem ante Hassia ducis Burchardi quem Vngari interfecerant.

Circa idem tempus Otto à Romanæ ecclesiæ patribus vrbisque principibus euocatus Romam proficiscitur, vt corruptos Pontificis emendaret mores Ioan. XII, hominis sceleratissimi. Intrans vrbem rex, à clero & populo honorificentissime susceptus est, & à dicto Ioanne papa in Romanorum imperatorem coronatur. Scribit Platina, vir alioqui eruditus & auctor illustris, tunc temporis in Ottonem imperium primo translatum in Germanos, quemadmodum Wernherus in Fasciculo temporum, & plures alij. Quos errare euidentissime liquet, cum ante Ottonem annis ferme centum & quadraginta in Germanos, in personam Caroli Magni translatum constat, qui Germanus, id est Teutonicus Francus, origine, conuersatione & tamine fuit. Sunt tamen qui Ottonem coronatum à Leone octauo (de quo in sequentibus) existimant: quorum opinionem Gratianus in decretis canonicis dist. LXIII, c. in synodo sequitur. Vtcunque sit, eam coronationem inuenio esse factam anno sexagesimo secundo supra nongentesimum. Falluntur itaq; plurimum qui Ottonem Magnum, nostræ fundatorem diœcesis, primum è Germanis imperitasse asserunt. Magis autem hi hallucinantur qui imperium à Gallis in Germanos ponunt, cum imperium apud Gallos siue Francigenas nunquam fuerit. Sed & nec vnus quidem Origine Gallus, Romanorum vnquam extitit Imperator. Idcirco ab eis auferri non potuit, sed bene de Græcis. Anno Domini DCCLVI. per Stephanum II in Germanos in personam (vt dixi) Caroli magnifici principis fuit translatum.

Dicto itaque tempore Franci cœpere imperare Teutonici. Nec vnquam post ab eis ablatum fuit, sed præsens vsq; in tempus in Germania durat. Ratio dictæ translationis ponitur ex. de elect. c. Vener. Francorum equidem fauorem beneficia iampridem Romana ecclesia per Pipinum, patrem Caroli Magni, Frācum Germanum, in multis necessitatibus experta fuerat. Hæc hactenus de translatione imperij in Germanos contra quorundam acrisiam dicta sufficiant. Nunc ad Ottonem nostrum redeamus inuictissimum.

Otto itaque triumphator glorioſus, imperator & Augustus factus, tantæ celsitudini condigna exercuit opera. Cernens autem memoratum Ioannem papam blande correctum scandalosam continuare vitam, ipsum hortatu tam cleri quam populi deposuit. Eo sic depoſito, Leo octauus vir optimus consensu omnium Pontifex creatur. Ast Imperatore recedente, Benedictus quintus, Leone pulso in seditione, papa constituitur, ab his potissimum qui Ioanni cognatione factioneque coniuncti fuerant, ægre ferentes Leonem ab Ottone Ioanni antelatum. Quod cum Imperator percepisset, Romam rediit; vrbem obsedit; per gyrum vero flammaque omnia vastans, Romanos ad susceptionem & obedientiam Leonis coegit, & vt nihil eorum quæ ipse ordinaret, deinceps immutarent, iuramento astrinxit. Porro Leo Papa restitutus, Romanorum inconstantiam pertæsus, auctoritatem omnem eligendi Pontificem à clero populoq; Romano ad imperatorem transtulit, & donationes per Iustinianum Carolumque imperatores ecclesiæ Romanæ factas, Ottoni & eius successoribus concessit: quatenus Italiam defendendam susciperent, vt copiose annotatum est in decretis, distinctione LXIII.

Rebus sic compositis, & Leone in sedem Petri restituto, Imperator in Germaniam rediens, Benedictum antipapam secum in Saxoniam duxit, inque Hamburg ciuitatem relegauit, vbi & non multo post dolore animi moritur, ibique honorifice satis tumulatur:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Leone autem Papa post primum sui pontificatus annum mox defuncto, Ioannes XIII surrogatur. Sed & hic (licet canonice electus) à Romanis iniuriatur & propellitur. Quibus cognitis, Imperator cũ Ottone filio ingentibusq; copijs ad succurrẽdum Pontifici Romam properat. Intrans vrbem potenter, consules & præfectum cum decarchonibus captos in vincula coniecit, sciturus coniurationis capita. Quæstionibus re cognita, consules in Germaniam mittuntur, decarchones vero laqueo suspensi pœnas statim dedêre.

Ipso tempore, id est anno Pontificatus Ioan. papæ tertio, qui est ab incarnatione diuini Verbi nongentesimus sexagesimus septimus, Otto Imperator piissimus archiepiscopatum in Madgeburg fundauit, quem Sclauis & Saxonibus metropolem statuit, & Adelbertum summæ sanctitatis virum, professione monachum ex monasterio sancti Maximini Treuerensi assumptum, in archiepiscopum consecrari ibidẽ fecit: qui tredecim annis sedit, & Sclauorum multos ad fidem populos conuertit. Subiecit autem ei episcopatus suffraganeos, quos & idem Otto fundauerat, quinque: Hauelbergensem, Brãdenburgensem, Merseburgensem, Misnensem qui nunc est exemptus, & nostrum (ad cuius honorem hæc scribimus) Citzensem: quo tempore Numburgensis ecclesia necdum fundata fuerat, vt in sequentibus patebit latius.

Anno itaq; proximo sequenti post institutionem Adelberti Archiepiscopi, Otto vno & eodem tempore prædictos tres, Merseburgensem videlicet, Misnensem & Citzensem condidit episcopatus: eodemque & anno & die (vt supra dictum est) ab memorato Adelberto metropolitano sunt consecrati & præfatis deputati Ecclesijs, Boso Merseburgensi, Burchardus Misnensi, nostræ autem Citzensi Hugo venerabilis, vir omni virtutum genere decoratus, diuina prouidentia præficitur, vt propensius in sequenti dicetur capite. Verum ne insurgat scorpius, & arcuato me vulnere lædere quærat, neve Zoilus quispiam nodum in scirpo quæritans, ventilando apices & numeros trutinans, calumniam mihi struat; nouerit me haud ignorare diuersitatem historiographorum de exordio & fine regni, imperij, atque coronationis Ottonis huius primi, quod magni autores de annis & vitæ & regni haud parum dissideant & discrepent, quandoquidem Otto Freisingensis Ecclesiæ Episcopus nobilis & præstantissimus historicus dicit, Ottonem cepisse regnum anno Domini 936, & 38 rexisse: cui consonat historia Sclauorum. Dithmarus vero Merseburgensis Ecclesiæ Episcopus quartus, & ipse genere & doctrina clarissimus, in Chronicis suis scribit eum cepisse anno Domini 936 & 38: inter alia in carmine quodam quod more suo historiæ præmittit dicens:

Maximus in sceptro ter denos sedit & octo
Annos in regno, &c.

Ibi Ptolemæus Lucensis in Ludouic. Chronic. inquit eum cepisse anno Domini 937, & 37 annis rexisse. Antoninus post Vincentium asserit eum cœpisse regnare anno Domini 938, & 36 imperasse. Chronicon nostri cœnobij compendium vetustum habet, quod factus est rex Germaniæ anno Domini 937, & rexerit 38. Cæterum in gestis Episcoporum Magdeburgensis Ecclesiæ nostræ metropolitanæ legitur, quod cœperit anno Domini 937, & obierit anno Domini 973, regni sui 38, imperij sui 11, indictione prima, anno quinto ex quo fundauit episcopatum Magdeburgensem. Ex tanta igitur varietate temporum etiam sequitur incertitudo anni fundationis prænarrati & sæpe dicti archiepiscopatus, nec non ordinationis Adelberti archipræsulis & primatis eiusdem. Veruntamen cum ista sit parua leuisque annorum diuersitas, grauipendenda seu curanda non est, cum binos aut ternos annos plus minusue vix excedat: (res equidem quæruntur non numeri) idcirco in tanta maiorum incuria satius erit, res ipsas tunc gestas aliqua ex parte attingere, quam eas omnino prætermittere. Itaque in tanta varietate ego medius incedens, nulliusque sententiam floccipendens, sed probabiliora sequens, quæ in multis antiquitatum historijs crebra lectione & indagine comperi, de nostræ Citzensis potissimum ecclesiæ Episcoporum gestis, tandem per modum catalogi retexere

texere curabo, à primo eiusdem sedis episcopo Hugone venerabili exordium sumens.

Hugo venerabilis Citzensis Ecclesiæ Episcopus primus. Cuius etsi secundum carnem non legerim originem; attamen quod magni & excellentis apud Deum fuerit meriti, vel hinc liquet præ cæteris, diuina quod ordinatione in primum dignus inuentus est in huius ecclesiæ præsulem eligi. Enimuero vir profundæ humilitatis, summæ deuotionis, ac admirandæ doctrinæ & conuersationis fuit. Ordinatus autem fuit ab Adelberto (vt supradictum est) primo Magdeburgensis Ecclesiæ archiepiscopo metropolitano suo, anno Dominicæ natiuitatis DCCCCLXVIII, indi-
10 ctione XI, regni Ottonis XXXII, imperii vero VI. Sunt qui hunc reuerendissimum virum, nostri ordinis, diui videlicet Benedicti, autumant scribuntque fuisse: quod ego prorsus nec approbo, sed neque omnimodis nego, cum verisimile sit plurimum, ipsum eiusdem ordinis & instituti fuisse cuius maiores sui, primitiui ecclesiarū rectores, memoratus scilicet Adelbertus metropolitanus, & Boso Merseburgensis * extitisse noscuntur. Et non modo hunc nostrum episcopum primum, sed & synchronon & collegam suum Burghardum, primum & ipsum Misnensis Ecclesiæ antistitem, monasticæ vitæ professorem fuisse crediderim. Neque enim alterius instituti pastores fundator Otto his duabus, & à se fundatis Ecclesiis, quam supra dictarum præfecisse creditur; exemplo Caroli magni, qui in fundationibus suorum episcopatuū ante eum
20 cum grandi populorum, Ecclesiarum, cultusque diuini augmentatione & profectu idipsum practicasse laudabiliter in historiis legitur. Nec obstat quod in catalogis, seu (vt ipsi loquuntur) mortilogiis, earundem Ecclesiarum non legatur: quod ob inolitum cucullæ odium prætermissum non dubitatur: nimirum cum & nostro æuo inuentus sit quidam cucullo mastyx acerrimus, qui in detestationem atque derogationem monachorum sanctum Gregorium pontificem Romanum, eius nominis primum, sacrosanctæ doctorem Ecclesiæ præstantissimum (sicuti & complures alios) scripserit dementissime, nunquam fuisse monachum. Cuius insciticæ & detractioni sat copiose & acriter, hortatu ac instantia Ioannis Tritemij abbatis viri vndecunque doctissimi, (quem & idem grauiter taxauerat) quodam bipertito ad omnium claustralium de-
30 fensionem respondi opusculo. Insuper quidam qui epitomen ex gestis Episcoporum Monasterienſis Ecclesiæ nuper congessit, diuum Ludigerum primum dictæ præsulem Ecclesiæ, sui in exordio libelli futilibus ostēdere nititur argutiis, nostri non fuisse ordinis monachum. Sed incassum inficiari desudat, quod irrefragabiliter gestum constat: quandoquidem eo æuo, feruente claustralium sanctimonia & doctrina radiante, passim Ecclesiarum antistites è cœnobiis, non tam fundatorum deuotione, quam clericorum sincera & affectione & electione id postulante, eligebantur. Fuerant equidem ætate illa monachi & viri religiosi illorum ob paucitatem & rarissimum in mundo conspectum, & potissimum ob eminentem eorundem sanctitatem omnimodamque eruditionem in summa reuerentia, pretio & honore. Non
40 etenim tum ordines tot in Ecclesia claustralium erant: sed duo tantum; Canonicorum videlicet sancti Augustini, & noster diui Benedicti in Ecclesia Christi radiabant. Nec dum Carthusiensium, non Cistercensium, non Præmonstratensium, non Ioannitarum, multo minus ordines mendicātium qui nouissimi emersere, (quos ordo noster septingentis à suo exordio anteceſſit annis) qui quidem ab initio per annos trecentos in vinea Domini magnum protulerunt, & adhuc proferunt fructum. Attamen illorum ob nimiam multitudinem, & præcipue quorundā assiduam inter gentes commixtionem, remissam & voluptuariam conuersationem, Monachi vocabulum non in paruum deuenit contemptum, per circumforaneos inquam (vt quidam ait) & rotundos qui religionis sub specie aucupantur victum sine labore & sudore: paupertatem rerumque contemptum aliis prædicantes, qui est eis quæstus vberrimus & lautissimus victus: & quia apostolicum contra dogma plus quam expedit, negotiis se implicitant secularibus; exiit dicterium de gyrouagis eiusmodi actibus, moribusque eorundem satis consonum, *Quicquid agit mundus, monachus vult esse secundus.* Ita disperguntur lapides sanctuarij in capite omnium platearum: vnde frequenter in sympoſiis non modo Laicorum, verum & clericorum, si interfuerit religiosius, in-

ibi ni multum fuerit notus & maturus, à cunctis ridetur & floccipenditur; fabulis obſcœnis & ſcommatibus in contumeliam eius & cæterorum odium religioſorum confictis, paſſimq; recitatis exaſperatur & dehoneſtatur. Ita & mihi quidam ſuperiori anno, anteaquam iſta ſcriberem, plebanus oſor noſter improperans, nos reſeruare dixit in clauſtro gulam. In mundo hæc & ſimilia patimur à ſeculi noſtra tempeſtate hominibus, quoniam à ſanctorum deuiamus patrum ſemitis, à primo feruore tepeſcimus; nec conuerſatione ſancta, rigida vel vita, aut certe ſalutari populum Dei ædificantes doctrina, ad amorem noſtrum adducimus. Obſcuratum eſt, inquit propheta, aurum, mutatus eſt color optimus. Et ideo non mirum, ſi nunc è monaſteriis vt olim non eliguntur Epiſcopi, quia illis priſcis (vt dictum eſt) probatiſſimis & ſanctiſſimis monachis nec conuerſatione neque doctrina pares ſumus. Addamus, quod & nunc raro electio pure celebratur & canonice, cum non melior, non ſanctior, non vtilior, ſed frequenter qui pecunioſior, qui potẽtior, qui nobilior atque propinquior fuerit, eligi ſoleat. Quibus væ æternum dominus per prophetam comminatur: Væ, inquiens, qui ædificant Sion in ſanguinibus. Vnde metricus quidam affirmans hoc ex defectu ac diuinæ gratiæ ſubtractione fieri ita concinit:

Dum factor rerum priuaret flamine clerum,
Ad Sathanæ votum ſucceſſit turba nepotum.

Itaque, vt ſupra memoratum eſt, temporibus Caroli magni atque Ottonum pauci erant monachi, & hi quidem verbo & opere ponentes, ſanctimonia vitæ & ſapientiæ doctrina inſignes, etiam miraculis coruſcantes: eapropter & Deo dilecti, & hominibus erant acceptiſſimi. Fundatores ergo Epiſcopatuum eo tempore cum eſſent deuotiſſimi ac Chriſtianiſſimi, ex prænarratis, probatiſſimis, atque eruditiſſimis monachorum cateruis præſtantiores, & ad animarum curam aptiores, de ſub modio priuatæ monaſticæque vitæ latitantes extrahere ſolebant, & ſupra candelabrum, vt prodeſſe omnibus poſſent, ponere curabant. Ex quibus quoſdam in Epiſcopos conſtituerunt; plæroſque ſecum in palatio in ſolatium regni & magiſterium vitæ retinẽtes, cancellarii dignitate donatos tanquam patres & morum præceptores coluerunt; alios vero ad prædicandum infidelibus per gyrum & Germaniæ fines commorantibus deſtinauerunt: quorum multi miraculis, & virtutibus, & apoſtolica doctrina gentes & regna ad catholicam conuerterunt fidem. Sic etenim Gregorius magnus per ſe & ſuos diſcipulos, Auguſtinum & Mellitum monachos & poſt Epiſcopos, Angliam ad Chriſtianiſmum traxit. Et quis quæſo totam pene Europam conuertit, quam noſtri ordinis monachi, doctores & Epiſcopi? Quis Germaniam omnem, quis gentes illius & nationes, & præſertim Duringos, Heſſos, Sorabos, Sortatios, Niſtreſos, Weſtphalos, Phriſones & Grabfeldos, & plæroſque alios populos fidei luce perfudit? Quis prædicatione illuſtrauit? Quis conuertit alius quam ſanctus Bonifacius, noſtri ordinis monachus? Hic functus apoſtolica legatione, quanta per Germaniam bona in Eccleſiaſticis rebus, in Epiſcopatibus ordinandis, in corrigendis moribus, in populis lapſis aut infirmis vel certe in fide erroneis, maxime Baioariis & Oſtrofrancis (quos paulo ante diuus Chilianus, & ipſe noſtri ordinis, à Conone papa miſſus cõuerterat) reparandis & confirmandis, in hęreticis denique extirpandis, & ſimilibus peregerit; nemo paucis, etiam Tulliana fretus eloquentia, explicare ſufficienter poterit. Poſt cuius martyrium Willehadus primus Bremenſis Epiſcopus, vir & ipſe apoſtolicus, tam apud Phriſones quam Saxones omnes prædicauit ann. XXXV: primus omnium doctorum maritimas ac Boreales Saxoniæ partes ac Tranſalbinos populos ante Epiſcopatum ſuum, miſſus à rege Carolo, ad Chriſtianam fidem prouocauit: qui & ipſe vt ſanctus Bonifacius monachus fuit Anglicanus.

Poſt ſanctum Willehadum effulſit beatiſſimus Anſcharius, primus prædictæ Bremenſis Eccleſiæ archiepiſcopus, tempore Ludouici pii, qui in eadem metropolim erexit Eccleſiæ. Hic cum eſſet monachus Corbeyenſis, diuino ſuccenſus ſpiritu, ad Daniam perrexit; ibidemque per biennium prædicans, omnem populum ad Chriſtum conuertit, & cum rege eorum Haraldo baptizauit. Prædicauit inſuper & Suedis Holſatiis, Nordalbingis, cæteriſque Aquilonarium regionum populis, quos vt apoſto-

vt apostolicus doctor in Christo genuit. Deinde Vinius, quartus memoratæ Bremensis ecclesiæ archipræsul, antecessorum suorum sectando feruorem, zelo lucrandarum animarum dimisso archiepiscopatu profectus in Gothiam Christi euãgelium illi prædicauit populo. Prædicauit & in Suedia, & nouellam fidei quam sanctus Anscharius posuerat, plantam imbre diuini verbi rigauit & auxit.

Wilibrordus denique, primus Traiectensis inferioris archiantistes, sancti collega Bonifacij, primus in Frisia Christum euangelizauit, ingentemque in ea Christo lucratus est populum.

Adelbertus quoque primus Virgonopolitanus archimandrita, (cuius in superioribus mentionem fecimus) vir excellentis meriti, instructissimus omnium liberalium artium scientia, & diuinarum scripturarum interpres eruditissimus, qui ex ingenij sui thesauro quẽ Dei gratia aggregauerat, verbum Dei seminans Rugiis prædicauit. Sed ab incredulis pulsus venit ad Ottonem magnum, qui eum honorificentissime suscipens, nouæ sedi præfecit archiepiscopum: qui in episcopatu per x i i i annos præsidens sæpe transalbinis Sclauis Dei prædicauit eloquia, & multos cõuertit ad fidem. Hunc episcopatum (vt supra narratum est) Otto fundauit primus, qui & ipsum statuit auctoritate Ioannis papæ x i i i, esse metropolitanum totius vltra Salam & Albiam Sclauorum gentis, tunc ad Deum conuersæ vel conuertendæ, vt secundum desiderium suum in his ciuitatibus, in quibus olim barbari ritus maxima viguit superstitio, id est, Citzi, Misni, Merseburg, Brandenburg, Hauelberg, Pornam, in honorem Domini episcopia fundaret: quorum pastores secundum canonicam auctoritatem prædicto Magdeburgensi metropolitano siue archiepiscopo subiecti essent.

Adelbertus alter, de nobili Boemiæ baronum prosapia ortus, secundus Pragensis ecclesiæ præsul. Hic quondam discipulus prænarrati Adelberti archiepiscopi fuit, qui & ipsum adeo dilexit, vt in signum amoris præcipui ei nomen suum imponeret, cum antea * nuncupatus fuisset. Hic denique tantæ sanctitatis habitus est, vt diuino spiritu impellente in Pannoniam descenderit, & regem Vngarorum conuersum cum maxima eius gentis multitudine salutari tinxerit lauacro, & omnes (vt inquit Platina) prouinciæ episcopos ad bene de Deo promerendum exemplo & doctrina instruxerit. Prædicauit & dein Polonis & Sarmatis Dei regnum. Profectus tandem eam ob rem in Prussiam, dum Christianismi fidem accuratissime detonaret, martyrio coronatur, multis & in vita & post mortem coruscans miraculis.

Bruno episcopus & martyr, & ipse nostri ordinis, apostolicus extitit prædicator. Qui natione Saxo, ex illustri baronum de Querffurt prosapia genitus, educatusque in monasterio Madeburgensi sub Adelberti cura & magisterio archiepiscopi supra dicti creuit in religionis probatissimæ & eximiæ virum sanctimoniæ. Qui denique, amore Dei & animarum lucrandarum zelo succensus, barbaris & procul existentibus populis sementa sparsit fidei. Qui cum constantissime nouis frugibus dominicum locupletare agrum satageret, & Christum assidue ingenti ardore memoratis euangelizaret gentibus, in confiniis Rusciæ ab quibusdam induratis & furibundis fidei irrisoribus, manib. truncatis & pedibus, lingua insuper præcisa ac erutis sancti viri oculis ad palmam peruenit martyrij.

Otto sanctus episcopus Babenbergensis ex nostri quoque ordinis monacho electus. Et hic scientiam salutis, euangelici videlicet dogmatis Pomeranis annunciauit: quos & eruditione catholica & conuersatione sancta illuminatos ad Baptismi perduxit gratiam. Quamobrem Pomerani, & illis vicini Natale eius solenni & Apostolico quotannis venerantur officio. Quibus denique in fide confirmatis, in reditu post alia itineris sui hospitia deuenit in Suorbiam, in pagum qui dicitur Piga diœcesis Merseburgensis, quem Elstera prætelarbitur fluuius: vbi à comite Wiperto, domino terræ, qui in vicino Groytz castro tunc manebat, susceptus est honorificentissime. Quem homo Dei virum strenuum, & bellica virtute insignem & præpotentem, sed mente degenerem animaduertens, vtpote pauperum oppressorem & tyrannum ferocem, blanda & pia admonitione aggressum correptumque ad modestioris vitæ cultum frugemque prouexit. Et quidem adeousque Dei in timore, ac pietatis operibus stabiliuit instituitque, vt eius hortatu & instinctu diui Iacobi ibidem cœnobium fundaret apo.

ſtoli,& magnifice dotaret. In quo etiam relicto ſeculo paulo poſt & mente & habitu ad Deum pleniter conuerſus eſt. Fama eſt, ſanctum Ottonem eo tempore in dicto pago mortuum ſuſcitaſſe quendam. Cuius rei in memoriam, & ſancti viri honorem pariter & patrocinium parochialis conſtructa eſt eccleſia, ac ſupra fato incorporata monaſterio: quæ præſens & vſque æuum vna cum illius præpoſitura per fratres regitur monaſterij. Cæterum de fundatione huius ſancti Iacobi videlicet monaſterij infra ſuo loco & anno dicentur clarius & alia complura: nunc hæc de ſancto Ottone epiſcopo breuitatis gratia dicta ſufficiant.

Boſo inſuper primus Merſeburgenſis eccleſię venerabilis antiſtes, monachus quondam ſancti Emmirammi Ratiſbonenſis. Hic (vt refert Dithmarus ſucceſſor eius inter epiſcopos ordine quartus) Orientalibus Germaniæ populis fidei ſacramenta prædicauit, & innumerabiles ad Deum conuertit: propter quod & Ottoni magno & acceptiſſimus & chariſſimus habitus eſt, atq; prædictæ Merſeburgenſi ab eo præpoſitus eſt eccleſiæ. A quo quidem Boſone noſtrum cœnobium Boſau nomen habere nonnulli autumant: de quo in ſequentibus ſub Theoderico epiſcopo eius nominis primo, noſtroq; fundatore præſtantiſſimo diſſeremus propenſius. Proinde & eiuſmodi apoſtolicum virum primum noſtri præſulem epiſcopij, ipſum videlicet Hugonem (omnia hæc cuius depromimus gratia) extitiſſe non dubitauerim; quandoquidē, cū huius indigenæ prouinciæ, perque gyrum diœceſis iampridem nouiterque ad Chriſtum conuerſæ, plenius & in fide & in moribus inſtituendi fuerint; quod ipſum ſummopere exantlaſſe non ambigimus.

Sunt & complures alij, plures (inquam) quam duodecim noſtri ordinis viri apoſtolici, qui gentes conuerterunt & regna: quos omnes recenſere longum nimis foret. Solum enim illos Chriſti euangelium per Germaniam terraſque maritimas qui prędicauerunt, in ſuperioribus expreſſimus. Immenſi equidem operis eſſet, giganteis vix ferendum humeris, omnium ſi noſtri ordinis vel tenuiter & ſummatim geſta perſtringere moliremur & nomina: quandoquidem exteris vt ſileamus de gentium multarum epiſcopatibus, Italicis, Gallicis, Hiſpanicis, Anglicis & ſimilibus, & vt de noſtra loquamur Germania; ipſa ſola Moguntina ſacroſancta & excellentiſſima ſedes cuius archimandrita Romani imperij per Germaniam habetur archicancellarius, hæc inquam eccleſia, omnium præcipua & digniſſima, XIII ſola ex noſtro ordine habuit archipræſules. Treuerenſis item, omnium vetuſtiſſima, & innumerabilium martyrū purpurata ſanguine, cuius archiantiſtes per Galliam & regnum Arelatenſe Romani memorati ſcribit archicancellarium imperij, quæ & ipſa ex noſtris cœnobijs aſſumptos XII habuit archipaſtores eminentiſſimos. Bremenſis vero, & ipſa celeberrima & regalis eccleſia, archiepiſcopos ex ordine noſtro habuit. Hildeſemenſis, Halberſtadenſis, & ita Saltzburgenſis, Argentinenſis, Baſilienſis, Conſtantienſis, Patauienſis, Ratiſbonenſis, Freiſingenſis, Eichſtetenſis, Herbipolenſis, Vangionenſis, Nemetenſis, Verdenſis, Mindēſis, Padeburnenſis, Suerinenſis, Lubicenſis & mille alij epiſcopatus: qui etſi non ſemper plures, tamen & frequenter primores & ſanctiores quos habuere, ex collegiis monachorum & abbatiis aſſumpti fuerunt in præſules. Et quid referam de inferioribus, quādo caput mundi, & eccleſiarum mater, ipſa Roma ſola ex noſtro ordine XXIV habuerit ſummos pontifices: quorum primus & maximus Gregorius, ſanctiſſimus doctor eccleſiæ regulam noſtram Benedictinam ſua & conuerſatione & apoſtolica authoritate confirmauit & approbauit. Sex inſuper magnis impenſis proprio de patrimonio in Siculis oris conſtruxit cœnobia: ſeptimum in vrbe erexit Rhomulea, in quo & ſub vili monachali ſchemate ante papatum militauit altiſſimo. Non ergo mirum, illarum quod monachi facti ſint gentium paſtores & epiſcopi, patres eorum ſancti, quas ad Baptiſmi gratiam adduxere: potiſſimum cum temporibus illis non tot paſſim fuerint clerici in lege diuina eruditi, qui meſſem ſoli ſufficerent metere dominicam. Non (inquam) tot clerici & ſacerdotes tunc erant, cum non adeo indifferenter illa ætate aurea & prece & precio ſine delectu ſacros ad ordines, vt noſtra tempeſtate, proh dolor, admittebantur eccleſiaſticos. Et licet pauciores fuerint numero, ſanctitate tamen & vitæ merito potiores fuiſſe nemo dubitat, cum noſtro tempore muliebri ordinentur multi ſacros contra canones, & mente & torpore effœminati, adeo & vitiati, quaſi à cunabulis

inter

inter ſcorta Veneris in templo fuiſſent educati: luſibus & obſcœnis moribus, ambitione denique & philargyria eouſque infecti, vt ſcurras & hiſtriones ſeculi, non ſua ſancta ſed prophana, non laudabili ſed reprehenſibili, videantur excedere vita. Et nec verentur Dei ſcandalizare gregem, & commiſſas peſſimo exemplo iugulare ouicu-las. Minora refero, quam in ſympoſijs & (vt aiunt) peractionibus ab eis non ſine gemitu fieri, non ſemel ſed pluries & vidi & dolui. Et hæc & multa alia facinora ex indigna & indiſcreta clericorum promotione oriuntur. Cum enim indignus & peruerſus diuinis mancipatur myſterijs: niſi primum ſe corrigat, in deterius ſemper prolabitur. Et completur in eo illud Apocalypſ. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcit adhuc, &c.* Fitque quod Dominus per Prophetam cõqueritur, *Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam.* Et tanta equidem copia digni & indigni ſacris nunc initiantur, vt multo plures ſint ſacerdotes, non dicam quam beneficiorum dotes, ſed quam templorum aræ & eccleſiarum calices.

Sed redeam, vnde digreſſus ſum. Priſcis itaq; temporibus, vtpote Caroli Magni & Ottonum, dum ordo noſter eccleſiam Dei mirum in modum doctrina & ſanctimonia illuſtraret, ſtudium ſapientiæ permaximæ in eo viguit. Et hæc vnica fuit & maxima cauſa, quod monachi eligebantur in epiſcopos. Tunc equidem literarum gymnaſia erant in cœnobijs, & potiſſimum in celebratioribus archiſterijs, Fuldenſi videlicet, Hirſfeldenſi, Corbeyenſi, Weiſeburgenſi, Prumenſi, Tuicenſi, Gemlacenſi, Hirſſaugienſi & Treuerenſi: tacendo de Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, cæterarumq; prouinciarum, præcipue Caſſinenſi, Cluniacenſi, Floriacenſi & ſimilibus florentiſſimis cœnobijs, in quibus monachi & abbates claruere in omni ſcibili doctiſſimi, qui & multa præclara ad vtilitatem legentium & fidei defenſionem carmine & proſa ediderunt opuſcula, quæ vſq; in præſens extant, & extabunt in ſalutem per ſecula credentium. Nuſquam enim eo tempore per Germaniam inſtituta literarum fuerant gymnaſia, imo & aliquot poſt ſeculis Academiæ vel (vt aiunt) vniuerſitatis nomen illuſtre in omni pene Occidentis imperio incompertum fuerat. Præter enim Romanum vetuſtiſſimum, & Pariſienſe tunc nouum, vtpote Caroli Magni iuſſu, opitulamine, & auctoritate per noſtros doctores monachos fundatum, nullum in hiſtorijs aliud vniuerſale legimus extitiſſe ſtudium. Floruit itaq; illa ætate ſapientiæ in cœnobijs ſtudium. Proinde reges & principes cæteriq; nobiles, ad diſcendum Dei timorem cum literis, liberos ſuos monachis intra clauſtra tradiderunt inſtituendos. Quorum pleriq; manentes ſub regula diſciplinæ magiſterio in viros creuerunt ſanctiſſimos: alij per parentes reuocati moderatores reipublicæ ſtrenui & prudentiſſimi facti ſunt. Vnde de beato Adelberto primo Magdeburgenſis eccleſiæ primate in annalibus eiuſdem eccleſię legimus in hæc verba. Hic inſtructiſſimus omniũ liberaliũ artium ſcientia, perfect⁹ diſcretione, manſuetudine, innocentia in diebus ſui ſacerdotij ſolerter commiſſo inuigilabat gregi. Et poſt pauca. Traduntur plures & ingenui procerum & regiæ ſtirpis filij ſub tanti patris inſtitutionibus, claram dominicæ ſeruitutis militiam inchoaturi.

Prædictis quadrãt ea quæ Lampertus monachus & nobilis hiſtoricus de ſtudio monaſterij ſui Hirſfeldẽſis ſub abbate Meginhero ſcribit in hæc verba: Quid dicã de ludo ſcholari? Vbi adeo circa illud tempus ſtudium flagrabat, vt ex alijs etiam monaſterijs quoſcũq; feſtiuæ ſpei tyrunculos diſcendi cauſa illo tranſmitterent, & mater Heruelidia vbiq; odorem noticiæ ſuæ diffunderet nobilitate filiorũ in laribus philoſophiæ à tenero (vt aiũt) vngue obſeruatorũ. Et de beati Ludigeri ſtudio ita inter alia in vita eius legitur. Cõmendauerunt eum parẽtes ſui viro venerabili Gregorio, diſcipulo & ſucceſſori S. Bonifacij martyris, Domino nutriendum. Qui libẽter eum ſuſcepit, & comperta ſagacitate pueri ſtudioſe illum erudiebat. Creuit itaq; Ludigerus, proficiens in timore Domini, & deſpoſito ſeculari habitu in Traiecto monaſterio totum ſe contulit ad ſtudium artis ſpiritalis &c. Venit & amore literarum ad Alquinum virum in omni ſapientia præſtantiſſimum, auditor illius duos annos exiſtens cum dimidio. Poſt, vt ibi habetur, ad monaſterium reuerſus eſt, bene inſtructus, habens ſecum copiam librorum. Eratque patri Gregorio & cæteris tanto tunc dignior & acceptior, quanto fuit &

in monasticis eruditionibus illustrior. Hæc ibi. Et de Ruperto abbate Tuicensis cœnobij quod in opposito vrbis Agrippinæ in altera parte Rheni situm est, diuinarum scripturarum interprete clarissimo refert Ioannes Trittemius, quod fuerit vir in diuinis scripturis doctissimus, monachus sancti Laurentij Traiectensis, propter incredibilē eruditionem suam à Friderico Colonienſi archiepiscopo inde assumptus, & in abbatem Tuicensis monasterij sublimatus. Multa præclara opuscula composuit. Tantum se in scripturis sanctis exercitauerat, vt nec dormiens quidem à meditandis illis videretur posse quiescere, quin lingua & labia eius quasi legendo mouerentur. Eiusmodi itaque literarum in cœnobijs nostris florente studio, ordo noster viros in omni protulit facultate præstantissimos, qui à puero in sapientiæ palęstra exercitati, ecclesiam Christi non modo conuersatione sancta, sed & eruditione & librorum editione mirum in modum illustrarunt. Patet hoc in beatis Mauro & Placido, itemque Fausto Theodoro, & poeta Marco, sanctissimi patris nostri Benedicti discipulis. Patet in Remigio, Alquino, Beda, Rabano, Anshelmo, & multis alijs, qui à parentibus Deo oblati ab ipsis pene cunabulis inter studia sacratiora sunt educati. Enimuero, vt de alijs breuitatis intuitu reticeā, Beda venerabilis iam memoratus, septennis Deo oblatus, ac Leolfrido abbati viro Dei ad instituendam fuit traditus, qui & tanti sub cura patris in doctorem fidei orthodoxæ profecit nominatissimum. Et ita in sanctitate, & iustitia nec non disciplina monastica, alij mille profecerunt, vita & doctrina clarissimi. Qui veluti viri heroici, cum essent ad seipsos rigidissimi, & omnino mortificati, & in Dei ac proximi dilectione feruentissimi: ad Dei gloriam & salutiferam multorum ædificationem, nec non nouorum episcopatuum fideique roborationem à regibus principibusque terræ è cœnobijs extracti, ecclesiasticis dignitatibus præficiebantur inuiti. Et quidem passim tam crebro, vt per totum Occidētem vix vnum credideris episcopatum supersesse, qui ex nostro ordine assumptum, vel vnum ad minus non habuerit episcopum, cum ecclesiæ multo (vt dictum est) habuerint complures. Nec mirum videri debet, quod viciniora episcopia pauciores habuisse legantur, cum fundatione sint recentiora. Ea tamen habuisse plærosq; sed scriptorum negligentia, ne dicam displicentia, minime expressos crediderim. Quod erga Hugonem episcopum nostrum (cuius gratia hæc scribimus) accidisse, non sine iactura experimur. Et ita quoque erga aliarum quarundam diœcesium episcopos actum videmus & dolemus, quorum vita & res gestæ perfunctorie & diminute literis commendatæ sunt. Hinc & inter ingenuæ exemptæque Misnensis ecclesiæ præsules nullus qui ex monasterio fuisset electus, exprimitur: cum tamen primus illorum venerabilis videlicet Burghardus cum duobus immediate se sequentibus, religiosissimus fuisse ex temporum illorum qualitate & more sit valde probabile. Quod etsi cœnobialis vitæ negauerint æmuli: beatæ memoriæ Gerungum eiusdem ecclesiæ episcopum, virum conuersatione & doctrina clarissimum, monachum fuisse certe negare nequeunt. Hic etenim ex abbate nostri cœnobij Putzavvigensis cum votiuo totius cleri consensu, dictæ ecclesiæ consecratus est in antistitem: quod ex varijs sui pontificatus temporibus concessis euidentissime ostēditur priuilegijs. Idipsum multis alijs nostri monasterij tam scriptis quam sculptis quæ huc vsque extant, luculenter comprobatur indicijs: quandoquidem & ipse inter alia gesta æterna memoria digna, reliquias sancti Donati cum preciosis eorum thecis attulit ecclesiæ, clenodia insuper & alia complura multosque libros pro ecclesiæ ornamento & studentium vtilitate disposuit. Et in tali tantoque eorum pastore quod conspicuum & sanctissimum fuerat, religiositatem videlicet eius, mundique abrenunciationem sic ue contemptum, occulere & reticere maluere ex inuidentia, quam pro eius Deique manifestare gloria. Quid dicam de beatissimo Bennone, de cuius sanctitate & patrocinio tantundem gloriātur, quem, velint nolint, ex nostro ordine assumptum concedere habent? Qui natione Saxo, ex illustri & antiqua comitum de Wollenberg stirpe claram duxit originem. Ab infantia pene inter sacras literas in cœnobio sancti Michaelis archangeli in Hildesheim institutus & educatus sub monachali schemate Christo militauit sanctissime. Cuius deniq; vitam gestaq;, ob instantē illius canonizationē, plenius per Saxoniā colligenda, per episcopum eiusdem ecclesiæ totumq; capitulū nuper missi fuere duo ex eis viri spectabiles & eruditi, dominus Decanus videlicet, Ioan. Henigen,

sacræ

ſacræ Theoſophiæ doctor præſtans,& Hieronymus Emſer, pōtificij iuris candidatus, & poēta oratorque inſignis, qui luſtratis multorum archiuis & antiquitatibus monaſteriorum,tandem memoratum ad ſancti Michaelis peruenere monaſterium, in quo beatus Benno fuerat monachus: vbi & inter alia præclara ſanctæ eius conuerſationis indicia, ſyngrapham quoque profeſſionis eius quam voto emiſſo ſuper altare poſuerat reperierunt Proinde cum gaudio ad propria remeātes, quæ audierant & viderant, fratribus concanonicis ad Dei gloriam annunciauerunt & populo. Verum ne comperta temporum mutabilitate perirent; alter eorum,ipſe videlicet Hieronymus, vir eruditus & diſertus,calamo perpetuare curauit: comperta(inquam)& explorata in vnum volumen congerens pulcherrimum & prolixum de vita ipſius ſancti,ad ducem Georgium Saxonię & Miſniæ marchionem,legendam contexēdo; qui & ſuperioribus annis pro canonizatione eiuſdem Bennonis ad Iulium ſecundum papam centimetrum deprompſerat terſiſſimum. Porro beatus Benno claruit temporibus Henrici quarti, id eſt,anno dominicæ incarnationis M L.

Prædictos itaque beatæ recordationis viros Miſnenſis Eccleſia ex noſtro ad minus habuit ordine præſules, licet plures fuiſſe, quemadmodum & noſtræ & aliarum Eccleſiarum,probabile ſit plurimum. Quapropter Eccleſijs quæ eiuſmodi religioſos meruere habere paſtores, congratulandum eſt, non indignandum: quod dicimus propter coſmephilos clauſtralium ſycophantas & æmulos, quos penes monaſtica vileſcit auctoritas: quaſi inglorium &ignominioſum fuerit,per mundi contemptum in angelica puritate, ſub benedicta ſiue cucullata in cœnobio veſte altiſſimo militaſſe: ignorantes, quod in plenaria mundi abrenunciatione & proprij arbitrij abdicatione perfectiſſima Chriſti conſiſtat imitatio, quodque humilitate perueniatur ad regnum, ſimplicitate penètretur cœlum, Sancti itaque viri cum eſſent humiles & deſpecti in oculis ſuis, & toto Dei in amore arderent affectu,omnem mundi pompam pro nihilo habentes, cunctaque terrena ac tranſitoria pro æterna & manſura gloria relinquentes,pericula & occaſiones peccaminum declinantes,ad tranquilla & quieta cœnobiorum præſidia confugientes, diuinis ſe totaliter & mente & habitu mancipauerunt obſequijs;malentes abiecti eſſe in domo Dei, quam habitare in regum palatijs, ſecretum cellæ & pacem ſolitudinis præferentes auro & gemmis, & cunctis mundi delicijs, ſcientes cum diuo & mellifluo Bernhardo, quod in Paradiſo clauſtrali homo viuit purius,quieſcit ſecurius,incedit cautius; cadit rarius,reſurgit velocius; irroratur frequentius,contemplatur limpidius,moritur confidentius, atque in æterna beatitudine præmiatur copioſius. Sancti itaque viri memorata ſumma religioſæ vitæ priuilegia & prærogatiua excellentiſſima propenſius trutinantes non modo mediocres, verum & vtriuſq; ſexus ſtatuſque homines nobiliſſimi,ſpretis ſeculi rebus, relictis notis & amicis, florentem mundum mentis deſpectu calcauerunt, & iugum pro Chriſti amore ſubiere monaſticum: & in tanto quidem feruore & numero, vt in nullo alio ordine viros tot ſanctos & illuſtres à ſummo rerum faſtigio, à Papa videlicet & Imperatore vſque ad ædituum,quot in noſtro ordine effulſere, inuenire ſit facile. Cuius rei teſtis eſt Ioannes Papa eius nominis XXII, qui induſtria ſua ſtudioſa in annalibus ſuorum reperit anteceſſorum, in ordine noſtro Benedictino fuiſſe Pontifices ſummos XXIV, cardinales CLXXXIII, Archiepiſcopos & Epiſcopos M C C C C LXIV, abbates inſignes quindecim M. Verum prænarratos Romanæ Pontifices Eccleſiæ ſummos non canonizatos eſſe omnes, credo latere neminem. Ipſi etenim alias quemadmodum Sancti Petri ſucceſſores, Romanis inſeruntur hiſtorijs. Secus de Epiſcopis & abbatibus inſignibus,quos idem collegerat omnes ſanctos & canonizatos nemo ambigit. Non equidem alij quam ſancti Romanæ Eccleſiæ, in quibus ſanctorum continetur catalogus, ſolent inſcribi annalibus. Multi ſiquidem & noſtra tempeſtate noſtri ordinis & Epiſcopi & abbates defuncti ſunt, & defunguntur: de quibus (vt dicitur) nihil ad Romanos, quia eorum pro canonizatione auri pondera recipere nequiuere. Quorum attamen in vitæ libro triumphantis Eccleſiæ inſerta haud diffidimus nomina. Dicta autem ſunt ſupra narrata copioſius, Dei ad honorem & noſtri ordinis præconium, occaſione beatæ memoriæ Hugonis huius ſacroſanctæ Citizenſis eccleſiæ antiſtitis primi, quem (vt ſupra fati ſumus) plærique noſtri or-

dinis asserunt fuisse professum: quorum quidem assertio ex prælibatis alijsue synchronorum suorum præsulum coniecturis probabilis videtur complurimum. Idcirco etsi in præmissis me ambigere asseuerauerim; attamen illis qui eum ipsum monachum fuisse tradunt, plus quam negantibus assentio. Sufficiant itaq; præmissa ad legentium vtilitatem congesta: tandem ad episcopum nostrum Hugonem redeuntes, cęptam persequamur historiam.

HVgo itaque memorabilis ac reuerendissimus sanctæ Citzensis Ecclesiæ præsul primus, velut pastor optimus & doctus paterfamilias, nouam Ecclesiæ commissæ plãtationem sancta conuersatione & cœlesti doctrina iugiter rigando corroborare satagebat. Clerum quoque adunatum nouellumque, canonicam iuxta traditionem viuere honeste & pie edocuit, & cætera quæ ad diuinum cultum & ecclesiasticum pertinent ornatum ac statum, solicitius ordinauit & disposuit, populum denique gregis sui Christiana adhuc aliquantisper religione rudem & grossum prædicatione assidua & verbo & exemplo illuminare & perficere curauit. Sicq; pacifice & laudabiliter cum ingenti Ecclesiæ suæ prouentu vsq; post fundatoris magni & inuictissimi Ottonis mortem præfuit, cuius post obitum aduersitates & persequutiones cũ toto clero & grege sibi commisso perpessus est: quandoquidem regnante Ottone secundo qui cœpit circa CHRISTI DCCCCLXXIV, Ecclesia hæc Citzensis ab exercitu Bohemorum Dedi duce capta & deprædata fuit, & pastor eius memoratus Hugo cum omni clero & ciuitatis populo inde fugatus est & expulsus. Eodem quoq; rerum turbine Ecclesia Misnensis percellitur & vastatur, & spectabilis vir Folcoldus Episcopus eius secundus diminutus, ad Willigisum Archiepiscopum Moguntinum declinauit: à quo & honorifice susceptus fuit. Dithmarus tamen, Merseburgensis Ecclesiæ præsul quartus, & historicus insignis scribit, prædictam vastationem per Bolezlaum ducem Bohemorum & eius exercitum esse patratam. Porro de dicta vastatione in annalibus Magdeburgensis Ecclesiæ ita legitur. Eodem tempore, id est Ottonis secundi, ab Bohemorum exercitu capta & desolata est Citzensis Ecclesia, Hugone primo tunc Episcopo cum omni ciuitatis illius populo ignominiose inde fugato: quo etiam tempore Misconi dux Sclauorum Hammeburg cepit & succendit. Cæterum quo anno Episcopus noster præfatus Hugo ad Ecclesiam suam redierit, quoue obierit, exploratum non habeo. Constat tamen eum migrasse è seculo, beato Adelberto metropolitano suo adhuc viuente, qui vtique ei successorem sequentem ordinauit Fredericum. Adelbertus autem archiepiscopus memoratus diem obijt anno domini DCCCCLXXX.

De quibusdam euentibus, temporibus Hugonis Episcopi.

Primo anno regiminis eius, qui est Domini (vt dictum est) nongentesimus sexagesimus octauus, Iohannes Pontifex à prætecto vrbis Romæ captus, & aliquot dies in carcere custoditus, in exilium tandem in Campaniam mittitur.

Anno Hugonis secundo, Ioannes Papa factus Ottonis auxilio Romam victor ingreditur, & diuersæ factionis principes grauiter punit. Eodem anno Boso, primus Merseburgensis ecclesiæ antistes, in patria sua obijt Bauaria, sepultus in Merseburg: cui Gisilarius successit. De Bosone plura dicentur infra sub Theoderico primo.

Anno Hugonis tertio, Ioannes Pontifex ob remunerationem collati in se beneficij Ottonem Rufum, Magni Ottonis filium, Augustum appellauit: & dictus est ille Pontifex Ioannes XII, alias Ioannes XIII: qui & ipse anno Domini DCCCCXXXV Ottonem Magnum Romæ coronauit, vt aliqui scribunt: licet tãdem propter scandalosam & inemendabilem vitam instinctu Romani cleri, anno Domini DCCCCXLII depositus sit. Otto Magnus ex Adelheide vxore sua secunda duos suscepit liberos, Ottonem regni successorem & Wilhelmum Archiepiscopum Moguntinum. Hic est Wilhelmus ille, cui pater Otto post mortem ducis Burghardi, qui ab Hungaris interfectus sine liberis obierat; dedit totam Thuringiam & Hassiam cum pleno iure & dominio ad honorem Dei & sancti Martini Moguntinensis Ecclesiæ patroni.

Qui

Qui intrans dictas terras in possessionem suscepit, & Erphordiam tunc apertam muro cinxit. Hoc mihi videtur verum, quantum ad iurisdictionem spiritualem, & fortassis etiam ad aliquanta temporalia bona. Nam ipsa Hassia ab illo tempore vsque in præsens tempus semper habuit in temporalibus dominum, qui se huius terræ principē & Lantgrauium Hassiæ scripsit.

Anno Hugonis episcopi quinto, Ioannes papa moritur: cui Benedictus v. successit. Eodem anno qui est Domini DCCCCLXXIV, Otto primus, plenus virtute, spiritum Deo reddidit, nonis Maij, feria quarta ante Pentecosten, cuius vitam gloriosam Widikindus monachus conscripsit Corbeiensis. Obiit itaque in Saxonia, in loco qui dicitur Mimeleue, & non Viennæ in Gallia, vt Italici scribunt historici, & nonnulli alii erranter.

FRedericus secundus Citzensis ecclesiæ episcopus, consecratus per Adelbertum metropolitanum suum Hugoni successit circa annum Domini DCCCCLXXX, Ottonis secundi temporibus, vir multarum virtutum & præclaræ vitæ. Hic denique vnus est ex vicinioribus episcopis, quibus Gisilarius Magdeburgensis archiepiscopus, successor Adelberti, non pastor sed mercenarius, bona Ecclesiæ Merseburgensis cui antea præsederat (eam destruere cupiens) dilapidando dedit: quæ tamen postea male oblata successor eius Hildewardus (vt infra dicetur) ex integro restituit. Annos autem regiminis huius episcopi, quia præcise inuenire non potui; ideo res gestas sub eo, illis ordinate coaptare nequiui. Hinc eas ipsas paucas quas ex multis referimus, annis dominicæ incarnationis simpliciter coaptabimus.

Anno itaque Dominicæ incarnationis DCCCCLXXXI, Adelbertus Magdeburgensis ecclesiæ primus archipræsul, & Germaniæ primas obiit in Domino. Cui Othricus discipulus eius habitu & conuersatione monachus successit, qui tamen ob breuitatem temporis inter archiepiscopos à plerisque non ponitur. Nam electus dum Romam tenderet, in via naturæ concessit: cui Gisilarius promotione Ottonis secundi successit. Hic antea fuit episcopus Merseburgensis, factus autem archiepiscopus actu habitum episcopatum retinuit Merseburgensem. Ast quoniam ex integro licenter & commode retinere non valuit; (nec dum quippe ambitio ista vel potius abusio exorta in ecclesia & permissa fuerat, vt vnus pastor & vnus episcopus pluribus præesset episcopiis) ipsum destruere & dissipare cœpit, bona illius vicinioribus dispertiendo Ecclesiis. Enimuero quædam Misnensi episcopo, plæraque nostro de quo loquimur Frederico, aliquanta Halberstatensi contulit. Maiora autem bona, vt castella & oppida, sibi retinuit, & dictum Episcopatum ita demolitum in monasterium qualecunque commutauit, ponens ibi abbatem cum monachis ex cœnobio sancti Ioannis Baptistæ prope Magdeburg assumptos. Mansitque illa destructio vsque ad tempora Henrici secundi, qui ex magna deuotione quam ad sanctum habuit Laurentium, ipsum restaurauit bona alienata reducendo. Sua quippe industria & bonitate à prædictis episcopis, vt male donata restituerent, obtinuit. Quin & ipse regali munificentia plurima adiecit, & priuilegiis communiuit. Quapropter in eadem Ecclesia Merseburg. ceu fundator secundus veneratur & colitur. Primus quippe illius fundator fuit (vt supra dictum est) Otto primus.

Anno Domini DCCCCLXXXII, Otto II periculosum bellum habuit in Calabria multis suorum occisis, & ipse vix euasit. Istis temporibus Ridagus & Guntherus marchiones Misnenses clari habentur.

Anno Domini DCCCCLXXXIII, Otto imperator Romæ diem obiit, & in basilica sancti Petri honorifice sepelitur: cui filius Otto tertius successit in regno. Eckhardus marchio, filius Guntheri præfati, ob virtutes & strenuitatem in curia Ottonis secundi magnus & potens fuit, qui etiam Ottoni tertio æque gratissimus fuit & acceptus. Notandum tamen venit, quod ex stirpe dictorum marchionum non prodierunt nec exorti sunt marchiones Misnenses, qui modo sub titulo ducum Saxoniæ & comitum prouincialium Thuringiæ terris his principantur, sed ex prosapia comitum Saxoniæ de Wittin & Brene originem ducunt: quorum primus marchio Misnensis factus est Conradus, filius Thimonis comitis de Wittin, fundator monasterii Montis sereni. De quo suo loco latius disseremus,

cum ad tempora Lotharii secundi qui ei marchionatum contulerat, peruenerimus.

Anno supra dicto DCCCCLXXXIII, Henricus dux Baioariæ, frater Ottonis magni, defuncto nepote Ottone secundo, inuasit regnum, sed à principibus reprobatus est.

HVgo tertius Citzensis Ecclesiæ præsul, eius nominis secundus, ordinatus per Gisilarium metropolitanum, Friderico defuncto successit. De quo nil reperi, nisi q Ottonem tertium imperatorem ad Citzensem venientem vrbem magnifice & splendide susceperit. Ita quippe in annalibus Magdeburgensis Ecclesiæ, aliisq; vetustis Saxoniæ Chronicis annotatum comperi. Cæsar ad Citicensem perueniens vrbem, à secundo Hugone eiusdem sedis prouisore tertio, vt decuit imperatori, suscipitur: indeq; recto itinere ad Misnensem tendens ciuitatem, à venerabili Ægidio episcopo, & Eckhardo marchione qui apud eum inter præcipuos habebatur, honorifice accipitur.

De euentibus quibusdam illorum temporum.

Anno Domini DCCCXCII, Hugo episcopus iste cum Willigiso Moguntinensis, & Gisilario Magdeburgensis ecclesiarum archiepiscopis interfuit solennitati dedicationis ecclesiæ Halberstatensis.

Anno Domini DCCCCXCIII, Volcoldus celeberrimæ recordationis Misnensis episcopus diem obiit, cui Eido supra narratus successit. Otto tertius qui tunc rerum potiebatur, fuit vir in armis exercitatus, insuper deuotissimus ac pientissimus in Deum & homines extitit: quandoquidem totam fæpe hebdomadam præter quintam feriam ieiunabat, eleemosynas largissimas dabat. Nullus denique largior & clementior eo. Hic zelo Dei motus Gisilarium archiepiscopum, eo quod duas supra memoratas teneret parochias, in synodo Romana iudiciali sententia ab officio suspendi, ac per internuncios ab Apostolico missos eundem illo vocari & comparere præcepit. Verum interim Gisilarius paralysi perculsus comparere nequiuit, sed dictas parochias in finem retinuit. O si nostro hoc muliebri tempore Otto ille Christianissimus viueret imperator, & in ecclesia Christi monstrum hoc tricorporeum cerneret, dubio procul omni molimine in eius insurgeret exterminium! Qui cum quondam sustinere æquanimiter non poterat, vnum duobus præesse episcopatibus etiam vicinis, & eiusdem pene diœcesis: quomodo vnum tribus, & quidem maximis & opulentissimis præsidere pateretur archiepiscopiis. Sed de hoc in sequentibus etiam alia plura dicentur. Nunc ad cœptam historiam stylum reuocemus.

Anno Dominicæ natiuitatis M II, Otto tertius, piissimus, & optimus imperator, obiit VIII calend. Februarii, cui Henricus successit. De dictis Ottonibus exiit prouerbium vulgatum: *Otto post Otto, regnauit tertius Otto.* Ottone tertio defuncto, vel (vt alii volunt) eo adhuc viuente & annuente in extremis suis, quatenus diutius apud Germanos summa potestas remaneret, & in futurum non per sanguinis successionem duceretur, sed ille cæteris præesset qui virtute & dignitate cunctis præstaret, Gregorius quintus sanctionem retulit de imperatore deligendo, anno prædicto M II. Data etiam tum est auctoritas deligendi Romanum Cæsarem septem Germaniæ principibus, archiepiscopo Moguntino, archiepiscopo Treuerensi Galliç, archiepiscopo Colonienfi Italiæ nomine, item comiti palatino Rheni qui dapifer, duci Saxoniæ qui ensifer, marchioni Brandenburgensi qui cameratius, & Bohemiæ regi, tunc duci qui pincerna imperii habeatur & existat. Primus itaq; ab eis electus imperator fuit Henricus dux Baioariæ, qui dictus est secũdus & sanctus, de quo infra latius. Notandum tamen, quod (vt præmissum est) electus, mox Cæsar & Romanorum rex appellatur, tum demum imperator & Augustus, si eum Romanus pontifex confirmasset.

Egkhardus marchio Misnensis supra dictus defuncto Ottone vsurpare nitebatur regnum; festinabatque eligi: sed à principibus fuit reprobatus, eodemque anno Poledi occisus.

Anno Domini M III, Gisilarius archiepiscopus Magdeburgensis diem obiit, cui Dageno successit, monachus habitu & cõuersatione, amicissimus sancto Guolfgango Ratisponensi episcopo, qui & ipse obiit in domino, antea tamen anno decimo, qui fuit Domini DCCCCXCIV.

Vdo

Vdo infelix ille archiepiſcopus, cuius horribilem & ſtupendam hiſtoriam paſſim magni in ſuis Chronicis retexunt auctores, quod non fuerit prænarratæ Magdeburgenſis eccleſiæ archipræſul vnquam, ex præmiſſis euidentiſſime liquet. Quandoquidem cum ipſi fingunt ipſum Vdonem ſub Ottone tertio dictæ præfuiſſe eccleſiæ, & cum abbatiſſa Ciſtercienſis ordinis quadam inceſtuoſe & lubrice aliquandiu vixiſſe peccaſſeq;, & ei more ſolito cum eadem dormienti vt reſipiſceret, voce cælitus lapſa dictum, *Ceſſa de ludo, ſatis luſiſti Vdo.* Sed nec ſic emendatum, citatum terribili iudicio noctu in eccleſia maiori ad tribunal diuinum, accuſantibus eum patronis eccleſię, ſententia mortis perpetuæ damnatum eſſe. Sed ea vera an ſint geſta quæ de illo Vdone narrantur; parum ſollicitor. Id tamen confidenter aſſero, dictum Vdonem tertii Ottonis temporibus neutiquam fuiſſe Parthenopolitanum archipræſulem; multominus autem ante eum vel poſt, cum eius nominis nullus illi eccleſiæ vnquam præſederit epiſcopus. Sed nec id quidē temporis ratio, vt patet calculanti, ſuſtinet. Enimuero cum ipſe Giſilarius, præfatus dictæ Magdeburgenſis eccleſiæ archipręſul ſecundus, ſub Ottone ſecundo per annos IX, & poſt omni tempore Ottonis tertii & vltra vſque ad initium regni Henrici ſecundi in archiepiſcopatu vixerit, eoq; mortuo Dagono ſucceſſerit; ſtare nō poteſt, vt dictis temporibus ipſe Vdo aut quiuis alter fuerit archiepiſcopus. Reddit & Vdonis hiſtoriam valde ſuſpectam fictamque, quod in ea carnali affectu dicitur abbatiſſam quandam ordinis amaſſe Ciſtercienſium: ille cum ordo anno Domini MCXCIX longe poſt inſtitutus & fundatus fuerit. Propter hæc itaque & ſimilia dicta hiſtoria eadem facilitate contemnitur, qua aſſeritur. Et licet nonnulli non archiepiſcopum ſed præpoſitum eius eccleſiæ fuiſſe autument, qui tamen nec ſic approbantur propter abbatiſſam Ciſtercienſem, & quia omnes ipſam ponentes nō præpoſitum ſed archiepiſcopum Vdonem fuiſſe cōmemorant. Hæc amore veritatis proſequutus ſum longius, ſciens me mythophilorum incurſurum odium qui malunt Iberas nænias; id eſt fabulas, quam veritatem hiſtoriarum amplecti. Per hæc tamen non aſſero, relationem de Vdone prorſus explodendam & abiiciendam, ſed tanquam pro magna ſui parte falſam & mendoſam, dubiam & ſuſpectam, hiſtoriis non inſerendam oſtendo. Enimuero quantum lux à tenebris, & verum à falſo ſeu ficto; tantum inter ſe hiſtoria & fabula differunt. Hiſtoria quippe veritati ſubnixa eſt omnis. Quæ ſi figmenta nugasq; admiſerit, iā nō hiſtoria dicetur, ſed fabula. Eſt. n. hiſtoria (vt Tullius inquit) teſtis temporum, lux veritatis, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis, homines ad virtutes inflammans, deterrens à vitiis, de qua & infra dicentur aliqua.

HIldewardus quartus Citzenſis eccleſiæ præſul, Hugoni tertio epiſcopo ſuccedens, multis annis laudabiliter præfuiſſe legitur. Ordinatus autem fuit per Giſilarium archipræſulem ſuum. Fuit itaque iſte venerabilis pater ingens amator cleri, ſaluti commiſſi gregis vigilanter inſiſtens, multa temporibus ſuis bona faciens & conſtituens, pauperum pater & egenorum conſolator piētiſſimus ſemper exiſtens. Hic eſt denique mitiſſimus ille Hildewardus, qui (vt ſupra fatus ſum) bonis verbis per imperatorem Henricum ſecundum, & Dagenonem archiepiſcopum Magdeburgenſem inductus, libens reſtituit eccleſiæ Merſeburgenſi & diuo Laurentio, quæ ex deſtructoria diuiſione Giſilarii, & temeraria donatione duobus cum ſuis anteceſſoribus poſſederat. Quo tempore & Ægidio ſanctæ memoriæ, præſul eccleſiæ Miſnenſis per eundem imperatorem blande ſolicitatus, paria reſtituit Giſilaria dona. Henricus exin eccleſiam Merſeburgenſem continue inſtaurare cœpit cum auxilio & cōſilio archiepiſcopi Dagenonis, qui ipſi eccleſiæ Wigbertum capellanum ipſius imperatoris in epiſcopum præfecit & conſecrauit.

Anno Dominicę natiuitatis MXII, Dageno archiepiſcopus, vir vita & religione clariſſimus obiit, cui Walthardus beati Adelberti diſcipulus ſucceſſit. Sed poſt VII hebdomadas & ipſe naturæ conceſſit, cui Gero ſurrogatur. Eodem anno eccleſia ſepulchri domini noſtri ab infidelibus deſolatur.

Anno Domini MXIII, Pannones, qui & Auares & Vngari dicuntur, Chriſtianam religionem publice receperunt. Henricus quippe rex ſororem ſuam Giſilam Deo deuotiſſimam Stephano regi eorum in coniugem dedit: qua occaſione ipſe rex baptizatur, & tota ipſa gens ad Chriſtum conuertitur.

Anno Domini MXIV, Henricus Rex per Benedictum octauum coronatur. Coronatus autem ipsum Benedictum papam secum duxit in Franciam, venitque Babenbergam, vbi in sancta nocte Paschæ primam lectionem in matutinis patriarcha Aquileiensis, secundam archiepiscopus Rauennensis, tertiam papa per se. Tunc præfatus papa, præsentibus LXXII Episcopis & principibus aliis, dedit Ecclesiæ Babenbergensi priuilegium libertatis. Ecclesiam quippe Babenbergensem siue Episcopatum memoratus Henricus Sanctus cum sua coniuge Cunigunda fundarat. Causa fuit, quod sciebant se non habituros hæredem, eo quod vterque virgo permansit. Deum omnium bonorum largitorem elegerunt hæredem, fundantes dictum Episcopatum in honore sancti Petri & Georgii martyris, locumque prædiorum copiis & omni ornatu decorauit, & Ewerhardum in primum præfecerunt Episcopum. Fundauit & idem Henricus ibidem monasterium ordinis sancti Benedicti in monte, cuius Ecclesiam dictus Eberhardus Episcopus primus ordinationis suæ anno XIII, dominicæ autem natiuitatis MXXI, in honore sancti archangeli Michaelis dedicauit, præsentibus Aribo Moguntinensi & Piligrino Colonien si archiepiscopis, & aliis. Iacta autem fuere prima fundamenta cœnobii, Anno Domini MXV, primus cuius abbas dictus est Rato vir sanctus.

Henricus insuper imperator & alios plures Episcopatus restaurauit; & magnifice dotauit, vt Argentinensem, Merseburgensem, Hildesemensem quem speciali deuotione dilexit, tanquam in eo educatus. Cui & sanctum Godehardum post restaurationem & reformationem eius licet renitentem præfecit, qui primo Althahensis cœnobii in Baibaria fuit monachus, post abbas Hersfeldensis, & inde assumptus per Henricum imperatorem post obitum sancti Bernwardi factus est Episcopus dictæ Ecclesiæ XIV.

Henricus Imperator iam confirmatus regno, venit in Baioariam; ibique Henrico, pronepoti Caroli Magni, ac fratri Cunigundæ suæ cõthoralis virginis, in festiuitate sancti Benedicti cum omni applausu cumque hasta signifera ducatum dedit Bauariæ. Henricus iste primus appellatur ab historicis Italicis. Ipse tamen semet secundum asserit, vt syngrapha sua quæ Babenbergæ extat, clare indicat. Primus equidem Henricus fuit pater Ottonis Magni. Hic quia Romæ coronatus non fuit, ab Italis non numeratur, & ita cum Conradis & Lothariis faciunt. Nostrates autem historiographi Henricum memoratum Ottonis Magni patrem primum ponunt, quia in Germania strenue & optime imperauit. Et ita de aliis. plures equidem venirent reiiciendi, si solum imperii corona insigniti poni deberent, etiam fortissimi & laudatissimi Cæsares siue Romanorum reges. Quod quam absurdum foret & indignum; nemo sapiens perpendere nequit: cum neque noster Maximilianus serenissimus & inuictissimus Cæsar vnquam Romæ coronatus, Imperator & Augustus appellatus sit, tametsi eiusmodi (si præclara & fortia quæ strenuissime peregit, facinora exactius librentur) in veritate habeatur. Non enim minora quam multi imperatorum sui regni temporibus domi ac militiæ patrauit opera: Quare & hoc anno quo & ista scribimus, domini videlicet MDXVIII, summus pontifex Leo decimus illi per legatum suum, cardinalem sancti Sixti, in diæta regni conuentuque principum in Augusta vrbe Vindelicorum insulam ensemque aureum dono dedit: per ea dona ipsum Cæsarem vna cum principibus ad expeditionem bellicam contra Turcas qui tunc grassabantur; animare gestiens. Ob eam quippe rem Leo papa dictum cardinalem ad Germaniam direxerat, vt principes contra Turcas incitaret. Verum de hoc & in sequentibus, cum ad eum annum peruenerimus latius, & cæteris tunc gestis tractabimus.

Anno Domini MXV, Eigido tertius Misnensis Ecclesiæ Episcopus moritur, vir omni sanctimonia ac virtute conspicuus, cui Ediwardus successit.

Anno Domini MXVIII, Dithmarus Merseburgensis Ecclesiæ Episcopus quartus, genere & moribus clarissimus, & præclarus historiographus, filius Sifridi comitis, obiit: cui Bruno successit quouis honore dignus.

Anno Domini MXXII, Gero archiepiscopus noster Magdeburgensis obiit, cui Hunfridus successit.

Anno Domini MXXIII, Eduardus Misnensis Episcopus quartus obiit, cui Wipertus

tus vir eruditus succeſſit, ſed vno tantum præfuit anno, & ſucceſſit Theodericus.

Anno Domini MXXIV, indictione ſeptima, Heinricus ſanctus & glorioſus imperator migrauit à ſeculo, virgo in æuum cum ſua ſponſa Cunigunde permanens: cui Cunradus Salicus dictus ſecundus ſucceſſit, anno Domini MXXV, ſecundum quoſdam vero MXXVII, qui ſcribunt imperium tum vacaſſe biennio. Hic ex parte patris à Conrado Wormatienſi duce proſapiam ducens, ex parte matris à regibus Gallorum & Carolorum originem traxit. Vxor eius Giſila de antiqua Carolorum progenie orta. Conradus itaque electus rexit annis quindecim. Coronatus eſt autem Romæ ſolenni apparatu à Ioanne viceſimo, fuitque Eccleſiæ catholicæ plurimum fidelis, inſuper in calamitoſos clemens & largus, in bello fortis & ſtrenuus, conſilio promptus cautuſque, ac iuriſperitia, admodum florens. Cuius deuotio erga Deum ſuperoſque dilectio feruens in rebus patet celeberrimis, quas & perfecit geſſitque magnifice. Inter alia ſiquidem opera pietatis, Eccleſiam Nuenburgenſem à quibuſdam funditur fundaſſe inſignem & opimatiſſimam. Epiſcopatum quoque Nemetenſem ſiue Spirenſem inchoauit, ſed morte præuentus filio ſuo Heinrico tertio conſummandam reliquit: vbi etiam ſepulturam imperatorum voluit eſſe perpetuam. Item montanum & fortiſſimum caſtrum ſuum Lintpurg dictum mutauit in monaſterium ordinis noſtri, & ditauit magnifice, anno regni ſui primo.

Hillewardus itaque Epiſcopus noſter vſque ad hæc tempora Conradi vitam laudabilem duxit. Interfuit ſynodo Francofordienſi, quam Aribo Moguntinus aggregauit archiepiſcopus viginti trium Epiſcoporũ, præſente dicto imperatore in cauſa Eccleſiæ Hildeshemenſis, cui tunc præerat ſanctus Godehardus. Erat & præſens Bruno Merſeburgenſis Epiſcopus cum aliis.

Hillewardus denique Epiſcopus ordinauit & conſecrauit Eccleſiæ Magdeburgenſis Hunifridũ archiepiſcopum. Quo etiam tempore ſedes Eccleſiæ Citzenſis cum titulo translata in Nuenburg: cuius cauſam ignorans admiror. Cum enim à digniore conſueuit fieri denominatio, antiquitas autem dignior ſit quam nouitas, iuxta illud iuridicum, *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure*; Eccleſia autem Citzenſis multo prior cum ſit fundationis tempore; merito prioritate & ſua antiquitate tituli dignitati perpetim venerari debuiſſet. Miror ergo, cur ei hæc dignitas per tituli ſit ablata translationem, & Nuenburgenſi attributus, vt nunc paſſim communiterque Nuenburgenſis, raro vero aut nunquam Citzenſis appelletur Epiſcopus: licet ipſa curia Epiſcopalis hactenus apud matrem Citzenſem durauit etiam cum reſidentia, & quorum ipſa viuentium fruitur cohabitatione, illa mortuorum ſepultura gaudet. Quemadmodum enim titulus, ita & ſepultura illuc eſt translata: tametſi non adeouſque. Quia cum ſit libera, plærique maluere præſulum in matrica Citzenſi quam filiali Nuenburgenſi quieſcere Eccleſia. Huius itaque mutationis cauſam eatenus aliam inuenire haud potui, quam (vt reor eſſe factum) quod Eccleſia Nuenburgenſis ſitu amœnior, diuitiis craſſior, rebus opulentior, beneficiis copioſior, clero numeroſior, cantu clamoſior, potu delicatior, & emporio ſiue annuis famigeratior celebriorque ſit nundinis; & eas ob res matri filia, iunior ſeniori prælata, illa dignitate adornata fuerit. Non tamen idcirco prior vel glorioſior, imo vt & minor & poſterior, ita & obſcurior cenſeri debet. Plures equidem habuit fundatores, & hos quidem comites, vt eſt in præſens cernere in Eccleſia eadem in imaginibus cælatis comitum, qui fundatores fuiſſe inſcriptione clypeorum demonſtrantur. Cæterum principales an fuerint, aut certe cooperatores, me ignorare fateor. Præter eos namq;, & quidem præſtantiores dictæ Eccleſiæ fundatores, in hiſtoriis ſat antiquis ſolidiſque ſcrutinio iugi & lectione, fuiſſe & alios tres comperi, Conradum videlicet imperatorem ſupra memoratum, Eckhardum (quem alii Eckenbertum nominant) Landtgrauium Thuringiæ, & marchionem de Landesberg, caſtri Eckersberg, & ſancti Georgii monaſterii fundatorem, atque Sighardum comitem de Kerffesberg, quem in vetuſto monaſterii volumine Iorgenthal quodam fundatorem Eccleſiæ fuiſſe Nuenburgenſis me legiſſe memini.

Iiſdem temporibus fuit quidam baro dictus Ludouicus cum barba, qui ſupra

dictæ Gisilæ imperatricis consanguineus existens, bellorum assiduitate & rabie depauperatus fuerat. Hic instantia dictę Gisilæ per Bardonem archiepiscopum Moguntinum nostri ordinis assumptus, vicedominus Thuringiæ constituitur. Qui optime & pacifice aliquot per annos commissam regens prouinciam, paulatimque potentia, diuitiis pariter, crescens, castella & prædia ad se emit varia, plurimamque ita successiue Thuringiæ partem acquisiuit, eamque castris munitissimis constructis in montibus roborauit, præsertim Nuendorff, Schowinburg. Propterea Conradus rex ipsum Ludwicum comitem fecit, Thuringiæ & Hassiæ dominum, arma ei conferens antiqua, qua antea fuerant Burghardi ducis Doringiæ & Hassiæ ab Hungaris inter bellandum occisi.

Ludwicus cum barba genuit Ludwicum cognomento Saltatorem, secundum comitem Doringiæ, qui natus est ei anno Domini MXI, de quo infra, cum ad annos eius viriles peruenerimns, dicentur plura.

Anno Domini MXXXIX, Conradus dictus Spirensis obiit: cui Henricus filius successit, eius nominis tertius: de quo historici mira fabulantur Italici, vtpote Gotfridus Viterbiensis, Martirius, Vincentius quoque Gallus, Iacobus de voragine, & ipse Antonius, & consimiles, qui ipsum Henricum non filium sed generum Conradi contendunt, patremque eius Lupoldum comitem de Cala fuisse; quem ob fractum fœdus pacis, iram regis pertimuisse, & ideo in Hirciniam (quæ & nigra dicitur) syluam cum prægnante fugisse vxore, & in quodam tugurio velut eremitam delituisse; ipsamque ibidem noctu, Conrado rege caussa venandi superueniente, filium peperisse, voce delapsa ad eum, O Imperator, infans qui nunc nascitur, gener tuus erit & hæres. Quare à rege iussum interfici, sed satellitum miseratione seruatum, & clanculo matri restitutum, pro eo autem cor leporis, tanquam infantis fuisset, regi ostendisse. Et nihilo tamen minus adultum mirifice regis contra nutum generum illius factum, quemadmodum latius in prænarratis legitur historiographis, sicque in regno Conrado socero successisse, & in rei huius memoriam eo in loco quo natus est, monasterium insigne Vrsania dictum constructum fuisse. Et permulcent eiusmodi narratione aures legentium, cum tamen tota mendosa sit & conficta, quod liquet potissimum in duobus: primo, quia Henricus ille non gener sed filius legitimus & naturalis Conradi ex coniuge sua extitit Gisila: secundo, quia longe ante ibidem cœnobium erectum fuerat. Sed nec Vrsania, sed Hirsaugia siue tempe ceruorum dicitur: tametsi memorati rerum scriptores tanquam veram posteris legendam tradiderint. Et ita vnus alteri magister erroris fuit: seque mutuo fallentes, sibi inuicem fabulam pro historia subministrauerunt; errorque iste nostram adusque ætatem assertores habuit suos. Apocryphum denique & rem esse fabulosam, & Otto Episcopus Frisingensis, & Ioannes Naucleri canonicus Tubingensis, atque Ioannes Tritemius abbas, præceptor quondam meus, auctores grauissimi, in suis testantur Chronicis. Ecce lector sciens & prudens manum inflammam misi, sed historicæ veritati consulendum putaui & ratus sum: ad quam si admittitur falsitas, eius vtiq; vacillabit auctoritas. Sed & de hoc satis supra diximus. Nunc ad historiam prosequędam stylum vertamus.

CAdalus natione Longobardus, Citzensis Ecclesiæ episcopus quintus, Hillewardo succedens, bene & laudabiliter præfuit. Hic in Chronicis antiquissimis Chatalo & Kazzo, vel certe per geminatum ſſ sic Kasso nominatur. Interfuit dedicationi Ecclesiæ nouæ monasterii Hirsfeldensis, & cryptæ eiusdem. Ad quam solennitatem ipse inuitatus fuit vna cum Hunoldo, Merseburgensi Episcopo, atque Hunifrido metropolitano eorundem Magdeburgensi: in hoc consentiente Bardone Moguntinensi archiepiscopo, eius loci diœcesano. Erat & tunc (vt Lampertus dicti cœnobii Hirsfeldensis monachus & nobilis historicus refert) præsens per se imperator Henricus tertius adhuc adolescens, qui cepit (vt infra latius dicetur) anno nostræ salutis MXL. Hic est denique primus, quem Nuenburgensem Episcopum legi appellatum; licet & ipse & sequentes immediate complures Citzenses nuncupentur Episcopi, potius quam Nuenburgenses, in vetustis codicibus, quia forsan titulus

tulus nouus nec dum vsu vulgatus fuerat & confirmatus. Episcopus iste Casso quando cœperit, inuenire non potui. Ordinatus fuit ab supra dicto Hunifrido archiepiscopo Magdeburgensi, qui, cum in causa Ecclesiæ suæ Romam adiisset, infirmatus ibidem obiit, anno Domini MXLV, indictione Romanorum XIII, sub Henrico tertio, regni eius anno quinto.

De quibusdam euentibus sub regimine ipsius Caduli, & primo de imperio Henrici.

Henricus itaque tertius, supra dicti Conradi & Gisilæ filius, cœpit anno Domini MXL, & XVII annis rexit. Per quem dignitas imperialis, quæ per longum tempus à sanguine Caroli exulauerat, ad generosum & antiquum germen Caroli redacta est. Quem & ipsi Carolo magno plures assimilant: eam siquidem morum excellentiã, eam in rebus agendis magnificentiam, eam humilitatem, pietatem, mansuetudinem, affabilitatem, atque in dandis eleemosynis liberalitatem *. Erat autem ipse nigro quidem sed venusto aspectu, statura procerus. Nam ab humero & sursum eminebat super omnem populum. Ipse anno Domini MXLIV, Agnetem Wilhelmi Pictauiensis principis filiam apud Moguntiam vngi faciens reginam, regalibus sibi nuptiis in Ingelheim copulauit. Inde infinitam histrionum & ioculatorum multitudinem non solum muneribus sed & cibo potuque vacuam abire permisit.

EPpo, qui & Eberhardus, Citzẽsis Ecclesiæ præsul sextus, Cadalo succedens, cœpit anno dominicæ incarnationis MXLV, & præfuit circa XXXIV. annos, ordinatus & ipse ab Hunifrido archiepiscopo Magdeburgensi. Fuit hic vir prudens & facundissimus, & in exequendis rebus arduis strenuus atque magnificus. Eapropter regibus & principibus terræ, & potissimum Henrico quarto charissimus (vt infra dicetur) fuit & acceptissimus. Anno secũdo Episcopi Epponis, Henricus tertius anno regni sui sexto habita synodo ob pessimum schisma quod tunc Ecclesiam scindebat, Benedictum, Syluestrum, Gregorium, tanquam tria teterrima monstra abdicare se papatu coegit, Syndegerum autem loco eorum Romanum pontificem creauit, Clementem secundum appellatum, à quo & imperii anno eodem accepit coronam.

Circa hæc tempora repertum est Romæ corpus Pallantis qui fuerat filius Euandri gigantis incorruptum: cuius hiatus vulneris quod habuit in pectore, quatuor pedum & semis mensuram habuit. Erat autem ad caput eius lucerna ardens, quæ nec flatu extingui poterat, nec liquore: donec subtus flammam cum stylo foramine facto introductus aer est: sicque extincta. Hoc corpus erectum altitudinem muri excedebat, cuius tale erat Epitaphium:

Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, morte sua iacet hic.

Eo tempore floruit Lantfrancus nostri ordinis theologus summus. Ad cuius eximiam doctrinam conualuit Anshelmus, vir postmodum multa virtute & sapientia adornatus, qui & ei in prioratu monasterii Becensis successit, post factus archiepiscopus Canthuariensis.

Ex Chronicis Gosekensis monasterii.

His temporibus effulsit comes Fridericus fama ferente huius nominis primus, de nobilissima antiquorum Saxonum & Francorum prosapia ortus. Huius vxor Agna procerum de Wimare filia quæ genuit ei tres, Albertum Episcopum Bremensem, Dedonem & Fridericum comites palatinos Saxoniæ & Vdam filiam. Post obitum parentum Dedo & Fridericus, Deo fideles & deuoti, castro Gosseck subuerso, templum eximium loco eius erigentes, monachicam vitam Burghardi Halberstatensis Episcopi consilio ibi instituerunt, Bennonem quendam religiosum virum in primum abbatem præficientes. Sed quis fuerit vel vbi finierit, ibi non exprimitur. Anno itaq; Domini MLIV, tertio calend. Octobris, Ecclesia dicti monasterii per Adelbertum archiepiscopum Bremensem dedicata est. Cui solennitati interfuerunt Burghardus prænarratus Halberstatẽsis, Wintherus Merseburgẽsis, & Eppo noster Citzensis Episcopi, &

ipſa quoque Vda, ſoror fundatorum clariſſima, & Chriſto deuota.

Eodem anno ſynodus Florentiæ celebrata eſt ſub Victore, papa eius nominis ſecundo: in qua multi Epiſcopi propter ſimoniam & fornicationem depoſiti ſunt.

Anno Epponis Epiſcopi noſtri duodecimo, Henricus Imperator obiit in ſylua Hartz prope Butfelt morte præuentus ſubitanea, anno regni ſui XVII, imperii vero decimo. Cui Hēricus filius puer decem annorum conſenſu principum ſucceſſit, qui ſub matris tutela, quoad vixit, bene & mature ſe gerebat. Ipſa defuncta, cum eſſet annorum viginti, inſoleſcere & tyrannizare exorſus eſt: contra Eccleſiarum erigens libertatem cornua, earundemq; ſibi vſurpans iura. Idcirco à Gregorio ſeptimo excommunicatus primo, dein cum non curaret & imperio priuatus fuit. De quibus in ſequentibus annis ſuis & locis ordinate latius tractabitur.

Henricus itaque quartus cœpit, pene (vt dixi) adhuc puer infans, anno dominicæ incarnationis M LVII, rexitque annis XLVIII. Hic dictus eſt Henricus magnus ob maxima & multa quæ geſſit, licet minus laudabiliter, præli a. Coronatus fuit à Paſchali papa, quem non multo poſt in vincula coniecit. Henricus iſte Epiſcopum noſtrum Epponem propter ſingularem ſuam induſtriam & rerum experientiam valde dilexit, & aſſumptum inter amicos ſuos & conſiliarios chariſſimum habuit. Videns ergo ſe honorari & diligi à rege; illi complacere geſtiens, eum quouis pergebat concomitabatur: & adeo quidem, vt etiam rebelli & excommunicato participando obſecundaretur. Verum nec ipſe ſolus, ſed complures alii contra papæ mandatum ei adhæſerūt, vt Sigefridus Moguntinenſis, Gilbertus Treuirenſis, Hildolphus Colonienſis, Liemarus Bremenſis, ſucceſſor Adelberti ſupradicti archiepiſcopi, Rutbertus quoque Theodericus Verdunenſis, Burghardus Baſilienſis, Epiſcopi: quorum aſſentatione & conſilio multa faciebat, imo pene omnia.

Porro excommunicationis cauſa fuit, quia Henricus & tyrannus & virginum ac matronarum nobilium ſtuprator iam cœperat eſſe turpiſſimus. Qui etiam eo tempore Saxoniam ſibi prorſus vſurpare aggreſſus, ſeruitute noua graui aliisque oneribus & exactionibus moleſtare cœpit, bona terræ, & quorundam principum ac nobilium, nec non Epiſcopatuum, monaſteriorum atque, diripiendo & vaſtando. Erat inſuper ſimoniacus nefandiſſimus; inueſturas Epiſcoporum & alia benficia Eccleſiaſtica pro pecunia conferens; pro arbitrio denique præſules conſtituens & deponens, vt apud eum eſſet acceptior & dignior qui ditior, non qui melior. Et adeo quidem hæc mala paſſim patrabat, vt tanta tunc Eccleſiæ fluctuatio emerſerit, vt licet Chriſti ad Belial ſit nulla conuentio, tanta extiterit iuſtitiæ cum iniuſtitia confuſio, vt inter catholicos, hæreticos & ſchiſmaticos vix eſſet etiam bonis diſcretio. Quibus malis Saxones irritati, cum ſuis principibus, Epiſcopis, & baronibus mori pro Eccleſiarum & patriæ libertate parati, coniurantes validum contra regem produxere exercitum. Et crebro per annos XXIV varia & cruenta vtrinque geſſerunt prælia. Victores attamen finaliter Saxones euaſere: regemque ſuperatum non ſine grandi ſuorum cæde & ceſſare compulerunt & fugere. Sane bella memorata, quando & quomodo geſta ſint ſuis locis & annis aſſignanda reſeruans, præmiſſis immediate ſubnectere de induſtria diſtuli, quatenus ea quæ præceſſere interimq; contigere memorabilia, ordinatius ſuis & annis & temporibus aptari & digeri valeant.

Anno itaque Epponis Epiſcopi noſtri XIV, Henrici autem regis tertio, qui eſt noſtræ ſalutis M LIX, Limpoldus archiepiſcopus Moguntinus, vir magnæ deuotionis & honeſtatis, fundauit monaſterium ſancti Iacobi montis ſpecioſi prope Moguntiam, locans in illud ordinis diui Benedicti monachos.

Anno Domini M LXI, Henricus rex Epponem Epiſcopum noſtrum vna cum Wilhelmo marchione Thuringorum & exercitu in Vngariam ad auxiliandum regi Andreæ, quem Bele frater eius regno vi & armis deturbare nitebatur, emiſit. Qui illuc venientes cum Bele ſigna contulerunt atque infinitam multitudinem Hungarorum peremerunt. Sed Vngari poſt aucti, ipſos vice verſa vehementer vrgere cœperunt. Videntes itaque miſſi regis ſe impares & numero & viribus, finibus hoſtium excedere volebant, ſed in fuga intercepti ab hoſtibus crebra incurſione infeſtātur. Cum autem ſe viri-

ſe vtiliter defenderẽt, & hoſtes reciproce cederent; tandem diuturna cæde exhauſtis viribus Andreas rex equo forte excuſſus pugnantium pedibus eſt cõculcatus, Epiſcopus captus. Marchio fame magis quam ferro expugnatus, ſe dedidit. Cuius virtus tantæ admirationi apud Barbaros fuit, vt Ioas filius Belis pro illo vltro patrem exoraret nõ modo, vt cum iure belli intactum ſineret, ſed etiam vt affinitate ſibi iungeret, deſponſata ei filia ſua ſorore Ioade. Et ſic tãdem cum gloria dimiſſus, cum epiſcopo & alijs qui ſimul venerant, & cædibus ſupererant, ad propria eſt reuerſus.

Ex Chronicis Doringorum excerpta.

Anno Domini MLXV, Luduicus Saltator, filius Luduici cum barba, ſecundus comes Doringorum interfecit Fridericum comitem palatinum, fundatorem monaſterij Goſetzen, qui habitabat in caſtro Schipplitz, propter vxorem ſuam venuſtiſſimam quam amabat Adelheidam. Qui occiſus ſepultus eſt in dicto monaſterio quod fundarat. Ita in dictis Chronicis legitur, & in fundatione cœnobij Odersleuen eadem repetuntur. In topographia tamen Goſitzenſis monaſterij memorati habetur, quod non Fridericus ſenior & fundator loci, ſed filius eius eiuſdem nominis, qui habuit vxorem nomine Adelheidem pulcherrimam & pridem ſibi nuptam, ab eo fuerit occiſus zelo vxoris, quam & exinde duxit in matrimonium: quæ ei genuit tres liberos præſtantiſſimæ indolis Luduicum qui primus factus eſt Lãtgrauius Doringiæ, Vdonem Epiſcopum Nuenbergenſem, & Henricum. Luduicus iſte ædificauit caſtrum Wartperg in altiſſimo monte iuxta Iſenach, item caſtrum Nuenburg, & ciuitatem prope caſtrum, in pede autem montis Friburg. Porro Luduicus pœnitentia ductus fundauit inſigne valde cœnobium in nemore Doringiæ Reinhartzbron, in quo & in vltima ætate factus conuerſus ſub habitu religioſo feliciter obdormiuit in domino. Similiter & ipſa Adelheidis fundauit, p ſatisfactione ſpõtanee monaſteriũ noſtri ordinis Oldersleuẽ, ppe Saxiburgum. Caſtrum quoque Schipplitz, vbi quondam cum viro interfecto habitarat, in clauſtrum mutauit monialium, donans ei omnia quæ ad caſtrum ſpectabant: ipſaq; ſeculum linquens facta eſt ibi prima abbatiſſa circa annum domini M LXXXIX. Cæterum quur Luduicus Saltator nuncupetur, cauſam dicunt, quod inſtantia Adelberti archipræſulis Bremenſis qui occiſi Germanus fuerat, ipſe Luduicus captus ſit, & ab Henrico Imperatore in caſtro Gibelſtein in turri quadam biennio cuſtodiæ mancipatus; tandem ſemel ob recreationem ad ſuperioia turris poſitus, voto ſancto Vdalrico facto per feneſtram in Salam vſq; ſaltauerit: indeq; enatans in Sangerhauſen veniens dominium ſuum, in rei memoriam ibidem Eccleſiam pulchram in honorem dicti Sancti conſtruxerit.

Anno Domini MLXVIII, Petrus Damiani, & Petrus Alphonſus, nominatiſſimi habentur.

Anno Domini M LXXIII, Hillebrandus profeſſione monachus, & Romanæ Eccleſię archidiaconus, natione Tuſcus, omnium cardinalium conſenſu ſolenniter atq; canonice electus ſit Papa, in numero CXLVII, & vocatus eſt Gregorius ſeptimus. Sedit annis XII, menſe vno, diebus IV. Iſtius prudentia non modo in ipſa Italia, ſed etiam in Teutonicis prouincijs, ſacerdotum refrenata eſt incontinentia. Hic, vt Martinus ait, concilio CX Epiſcoporum habito, Henricum Imperatorem excommunicauit quaſi Eccleſię Romanæ ſciſſorem, ſed tandem abſoluit, & poſt iterum excommunicauit, quia diſſidium in Eccleſia procurauit, pueritia & inexperientia ſua exiſtente in cauſa. Libet hic ſubnectere, quid de dicta excõmunicatione ſentiat Otto Friſingenſis epiſcopus, hiſtoricus magnus & nobiliſſimus, vtpote Friderici primi patruus. Dicit itaq; in hiſtoria ſua taliter. Anno Domini MLVII, Henricus quartus pene puer patri in regno ſucceſſit. Hic excommunicatus per papam Gregor. VII: ſi recte videat ipſe. Et ſubiũgit, Lego & relego Romanorum regum & Imperatorum geſta, & nuſquam inuenio quenquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, rel regno priuatum: niſi quis pro anathemate accipiat, quod Philippus ad breue tempus à Romano Epiſcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodoſius à beato Ambroſio propter cruentam cædem à liminibus Eccleſiæ ſequeſtratus eſt. Hæc Otto noſter. Cæterum ego ſummi Pontificis ſententiam velut Chriſti vicarij formidandam profitens, rem latius proſequi inſtitui.

Primum itaq; bellum, quod Henricus Imperator cõtra epiſc. Saxoniæ geſſit, quod-

que excommunicationis non parua occasio extitit, factum est anno Domini MLXXV, idus Iun. feria III, prope fluuium Vnstrat, vbi multi potentes ex vtraq; parte ceciderũt. & Saxones victi fugerunt. Eo quippe tempore omnes Episcopi potentiores regi, & principes etiam excommunicato adhæserunt, præter paucos quosdam Saxoniæ Episcopos optimos & orthodoxos patres, quibus visum est magis Deo & vicario suo Papæ obediendum quam Cæsari: qui regem constanter & intrepide relinquentes, iussis apostolicis vsque ad mortem fideliter parebant. Fuerunt autem hi: Anno Archiepiscopus Colonien sis, Wernherus Magdeburgen sis, Bucco, qui & Burghardus, Halberstaten-sis, vir sanctus, Wernherus Merseburgen sis, * Padeburnen sis & Benno Misnen sis. His astiterunt, & auxilio fuerunt contra regem sequentes principes & duces, comites & barones Sax. Otto dux Bauar. qui offensus per regem qui eum iniuste ducatu prædicto priuauerat, ad Episcop. memoratos se transtulit, factus Ecclesiæ propugnator validissimus. Hic natione Saxo ducatum etiam habuit circa Weseram Goting & Northeim, quem ipse quoq; rex vastauerat: item Magnus dux Saxoniæ, Eghardus marchio Doringiæ, Dedi marchio, Fridericus comes palatinus, Theodoric⁹ comes, Albertus comes, Otto comes, Cõradus comes, Henricus comes, & vulgus promiscuum supra sexaginta millia. Hi Goslariæ congregati contra regem expeditionem parabant. Rex accepto nuntio vicini iamq; instantis periculi grauiter mente consternatus, propere in Hartesburg castrum se contulit, eoq; secum regni insignia & thesauros quosdam conuexit. Erant tunc temporis cum eo Eppo noster Citzen sis Episcopus, & Benno Osneburgen-sis Episcopus, quorum consilio & prius tranquilla & tunc turbata Republica omnia faciebat. Fuerunt quoque in parte regis præter supra memoratos omnes alij Germaniæ principes & antistites, comites & barones, omniq; nobilitas. Dux autem militiæ præcipuus fuit Rudolphus Sueuorum dux, & Welpho Bauariæ dux, Godefridus dux Lotharingorum, & Vratislaus dux Bohemorum cum suis legionibus. Non tamen diu post duo præfati principes Guelpho & Rudolphus Saxonibus sunt iuncti, vt infra patebit. Godefridus autem ad terræ sanctæ expeditionem & liberationem est profectus. Fuerunt itaque cum rege omnes Franci, Sueui, Baioarij, Lotharingi & Bohemi: omnes contra Saxones paucos congregati; quin & omnes Westphali & circa Misnam habitantes regis auro corrupti à Saxonibus & (vt dicitur in Chronicis Ecclesiæ Magdeburgen sis) omnes Episcopi præter quatuor, Magdeburgen sem, Halberstaten sem, Merseburgen sem & Padeburnẽsem aut aperte ad regem transierunt, aut animo nutanti cum Saxonibus stabant, vt in quamcunq; partem res prospere cederet, illuc securi declinare potuissent.

Eodem tempore Rodulphus dux Sueuorum, & Welpho dux Baioariorũ siue Noricorum, & Bertholdus dux Charinthiorum regi auxilium suum petenti denegauerunt propter præcedentia mala & sanguinis effusionem. His discordijs sæuientibus, Henricus Italiam intrans, Romam pro concordia & reconciliatione petijt: habens secum Epponem Episcopum nostrum & plerosque alios. Intrans per Gregorium Papam honorifice suscipitur, & iuramento super emendatione malorum præstito ab excommunicatione absoluitur, & pristinis dignitatibus restituitur. Qui aliquandiu Romæ manens, Ecclesias deuote visitauit, & crebro à Pontifice vna cum Episcopo nostro Eppone ad prandia inuitatur. Tandem in Germaniam rediens, nescio quo vexatus spiritu aut prauo seductus consilio, omnia quæ Papæ spoponderat, rupit & irrita fecit, efferatior, q̃ fuerant antea, factus. Quapropter de nouo ipsum Grego. Papa excõmunicatum regno priuauit, donans potestatem principibus & Episcopis alium loco eius eligendi.

Anno igitur Domini MLXXVIII, Rudolphus dux Sueuorum contra Henricum in regem eligitur à Saxonibus & Sueuis, & Moguntię consecratur à Siffrido loci archiepiscopo, nostri ordinis quondam abbate Fuldensi, præsente Adelberone etiam nostri ordinis Episcopo Wurtzeburgen si, & multis alijs potissimum Saxoniæ magnatibus. Rodulpho tunc coronando miserat Papa diadema continens hæc verba: *Roma dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.* Eodem anno paulo post Rodulphi vnctionem, bellum inter eum & Henricum ortum est: conueneruntquè exercitus vtriusque iuxta Strowi vel Medelrichstad. Initoque prælio non pauci ex his & illis prosternuntur, & incerta fit victoria vtriusque certatim fugientibus ad propria. Vbi à vulgaribus homi-

nibus

nibus Wernerus, qui & Wetzel Archiepiſcopus Magdeburgenſis in fuga occiditur, ſiue (vt quidam dicunt) ſuſpenditur. Magnus dux capitur & ſpoliatur, Wernherus autem Epiſcopus Merſeburgenſis nudus ad propria reuertitur. Interea dux Otto, & Fridericus palatinus de Sumerſeburg diuerſis in partibus acriter pugnãtes, non ante ceſſauerunt, quam Henricum cum omnibus ſuis ad fugam coegerunt; eoſque fugientes tamdiu ſunt inſecuti, donec eos muro Wirtzeburgenſi videbant includi. In diebus his Henricus Adelberonem Epiſcopum præfatæ ciuitatis Wirtzburg propter adhæſionem Papæ & Rudolphi noui regis expulſum, ſuum ad monaſterium Lambach redire coegit, loco eius Meginhardum Epiſcopum conſtituens. Et ita cum alijs ſibi contradicentibus fecit.

Anno Domini M LXXIX, tertium bellum Henricus Imperator contra Saxones geſſit iuxta Vladichen, quinto calend. Februarij. Tunc monaſterium ſancti Petri Erphordiæ & ſancti Seueri ibidem cum multitudine quæ illuc confugerat, combuſtum eſt & ciuitas pro parte. Eodem tempore Fridericus abbas Goſitzenſis comes palatinus abbatiam beati Gregorij in Nuenburg à rege Rodulpho regendam ſuſcepit. Illo quippe anno Citzenſis Eccleſia ſuo orbata fuit antiſtite. Hæc ibi. Ille antiſtes fuit Eppo, cuius obitum alibi ita præciſe inuenire non potui. Obijt autem morte dira & ſubita, ſubmerſus in quodam flumine, vt infra latius dicetur. Et non ſolum ipſe, ſed & complures alij potentes Henrico excommunicato fauentes reproba interiere morte, vt habetur in Chronicis.

Ex annalibus Eccleſiæ Magdeburgenſis.

Wilhelmus Epiſcopus Traiectenſis, fautor Henrici quarti Eccleſiarum tyranni. Hic cum præfatus rex eſſet Traiecti, & excommunicatio regis à Romano Pontifice facta præſentata fuiſſet: rex ipſe excommunicationem Papæ conſilio Epiſcopi vilipendebat. Epiſcopus quoque idem præfatus, timens ne ſi populus hoc audiſſet, à rege ſicut ab excommunicato diſcederet, inter miſſas ſermonem faciens ad populum deriſorie quod rex excommunicatus eſſet indicauit. Sed hanc excommunicationem nihil valere, quibus poterat verbis vtpote facũdus homo confirmabat. Sed quantum valeret, in ſeipſo coactus eſt agnoſcere, ſi liceret ei pœnitendo à ſuperbia reſilire. Nam in ipſo loco, in quo Romano Pontifici derogabat, ipſe mala valetudine corripitur, in qua vſq; ad miſerandum vitæ terminum detinetur. Itaq; morbo magis ac magis ingraueſcente cum eo dum quidam homo regis eum rogaret, vt ſe cum ſuo mandato remitteret ad regem, Hoc, inquit, mitto ei mandatum quod ipſe, & ego, & omnes iniquitati ei fauentes ſumus damnati in perpetuum. Cumq; à ſuis qui aderant clericis, ne talia loqueretur, eſſet admonitus. Quid aliud, inquit, loquor, niſi quod verum eſſe viſibiliter, intueor. Ecce enim dæmones lectum meum circumſtant, quatenus me mox vt expirauero rapiant. Itaq; cum fuero è corpore eductus, rogo vos & omnes fideles, ne ſe fatigent pro me faciendo ſupplicationes. Hic igitur in deſperatione defunctus, diu iacebat inſepultus, donec Romam mittitur. Et inde quæſito conſilio ne populus fœtore corrumperetur, apoſtolico iuſſu ſine commendationibus ſepelitur. *Hæc ex Chronic. Magdeburgenſis Eccleſiæ.* Et ita alij complures Henrici fautores male interiere. Vdo Treuerenſis archipræſul repentina morte obijt. Burghardus Miſnenſis præfectus ex equo cadens expirauit. Sic & Godefridus dux hoſtis Saxoniæ percuſſus ſine confeſſione perijt. Ita & Eppo Epiſcopus noſter, magnus Henrici fautor & aſſentator, morte mala concluſit, de qua in prædictis Chronicis Magdeburgenſis Eccleſiæ ita ad verbum ſcribitur: Eppo Citzenſis Epiſcopus dum in epiſcopio ſancti Chiliani quendam riuum forti ſedens in equo tranſiret, quẽ quilibet pedes ſine periculo tranſire poſſet, vbi nec timor vllus fuit, equo cadente moriens ſic interijt, ſancto Chiliano ſic diſponente, vt qui eius rebus violentus incubuerat, vinumque illius ſæpe iniuſte biberat, aquam quoque ſuam iuſte bibendo vltra merum non quærat. Et quia nobis incõciliabilis permanſit, Deo inreconciliatus ab hac vita migrauit. Hęc ad verbum in prænarratis Magdeburgenſis Eccleſiæ annalibus leguntur. Eppone itaque ſic defuncto, Guntherus ei ſucceſſit, vt ſequitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

GVntherus, septimus Nuenburgensis Ecclesiæ præsul post Epponem rite succedens circa annum Domini millesimum septuagesimum nonum, præfuitq; proficue vsq; ad annum Domini MXCIX, ordinatus per Hartwigum metropolitanum suum.

De quibusdam euentibus, temporibus Guntheri Episcopi, ex Chronicis Saxoniæ.

Quartum bellum inter Henricum & Rodolphum gestum est, anno Domini MLXXX. Et Saxones triumpharunt Ottone duce, licet Rodolphus rex lethaliter vulneratus fuerit, semiuiuus in Mersburg delatus, ibi mortuus, & honorifice sepultus. Factum est autem hoc bellum pro Elstere fluuium. Cæde facta & Imperatore fugato cum suis, Saxones hostilia castra peruadunt, & omnia quæ sunt inuenta, diripiunt. Sunt autem inuenta multa preciosa tentoria, multa Episcoporum scrinia sacris indumentis & vasis plena, multa vasa aurea & argentea quotidianis vsibus apta, multæ quoq; auti & argenti laminæ, multaque pecunia numerata, equi quam plurimi similiter & optimi, arma generis vniuersi, mutatoria cæteraque sine æstimatione vestimenta. Et vt breuiter dicam, quicquid Episc. Colonien sis fuit & Treuerensis, & alij ferè xiv. secum attulerant, quicquid dux Fridericus, comes & Henricus, ac cæteri ditissimi homines secum portauerant, quicquid in Erphurt rapuerant; omnia illa diripientes, ad castra sua quanter tulerunt triumphantes. Illi vero qui gladium effugerunt, quantas calamitates in fluuio, syluis, plaudibus sustinere; nulli est credibile, nisi cui contigit hæc omnia loca præsentialiter videre. Ergo quicquid Vnstrad vbi victi sumus, in nos peccauit; Elstrad pro nobis dupliciter vindicauit. *Hæc ex Chronicis Saxoniæ.*

Circa idem tempus Henricus Imperator marchiam Misnensem Vratislao duci Bohemiæ dedit possidendam pro auxilio & obsequio, quod ei idem dux contra Saxones continue impendebat bellico. Ast Egbertus marchio, eius prouinciæ Dominus, filius patruelis regis, puer adhuc adiunctis sibi Saxonibus Misenam perrexit, vniuersaq; castella quib⁹ dux Bohemus præsidium imposuerat, admota militari manu recepit, suosque milites qui deinceps contra omnem hostium irruptionem indefessi excubarent, imposuit: mirantibus cunctis, quod regem nec ætatis nec propinquitatis respectus ab hac iniuria reuocasset. Eodem quoq; tempore Henricus Imperator ducatum Sueuiæ, qui fuerat Rudolphi ducis & regis pridem occisi, dedit Friderico comiti de Stoyphen, magistro militiæ suæ strenuo & bellicosissimo viro, qui magna pro eo gessit facinora & fortissima bella, insuper & filiam suam vnicam Agnetem illi in coniugium copulauit: ex qua suscepit duos egregios liberos, Fridericum ducem Sueuiæ, & Conradum qui post factus Imperator eius nominis est tertius. Fridericus dux in vxorem accepit Iuttam sororem Henrici Catuli potentissimi Baioariæ & Saxoniæ ducis, genuitque ex ea Fridericum tertium cognomento Enobarbum, de quo & alijs infra dicetur.

Anno Domini MLXXXIV, Henricus Imperator aduersus Pontificem gerens bellum, vrbem capit, & in Adriani mole Gregorium obsessum custodit, donec Gregoriani Roberti Guiscardi qui in Apulia dominabatur, auxilio freti obsidentes abire Senas compulerunt. Eodem anno Sifridus Archiepiscopus Moguntinus obijt, cui Wetzel siue Wernherus successit. Sequenti anno qui est Domini MLXXXVII, Gregorius papa obijt, cui Victor tertius successit.

Anno LXXXVI supra M. ab ortu Saluatoris Christi, apud Moguntiam in concilio principum Henricus Imperator Vratislaum ducem Bohemiæ regem fecit; Morauorum regno pridem extincto, in Bohemiam translato, Poloniam, Slesiam, Lusatiam Bohemorum imperio adijciens; Gilbertum Treuerorum Archiepiscopum cum eo Pragam mittens, qui coram prouincialibus regem nouum inungeret, regalibusque adornaret insignibus, acclamante populo, Vratislao regi salus, honor atque victoria. Vratislaus iste Bohemorum rex primus collegium Canonicorum regularium in arce Pragensi erexit: in quo dum res agitur diuina, non præpositus tantum, sed decanus & sacerdos, diaconusque & subdiaconus, rem diuinam facientes, episcopalibus ornamentis vtuntur. Et præpositus quidem cancellarius regni

regni appellatus principis honore defungitur. In fundatione autem eius Ecclesiæ rex idem suis humeris duodecim cophinos lapidum mercenarij more gestasse fertur. Et reuera religiosus princeps, dignusque qui primus inter Bohemos regio vteretur diademate. Non tamen in eo vehementer stupendum, quod adhæserit Henrico Imperatori magis qam apostolico, homo secularis; cum videret summos Germaniæ archipræsules, electores & principes ei obsequi, illumq; venerari & defendere. Sane quod plerisq; in historijs reperitur, Bohemiæ ducatum in regnum per Fridericum primum fuisse mutatum, hoc ideo contigit, quod post Vratislaum prædictum primum regem pluribus annis interregnum fuerit. Nam Conradus frater eius, & filij non regis nomine sed ducis tantum vsi fuerunt: tanquam regni decus homini non prouinciæ datum fuisset. Proinde Vratislaus iunior, & quartus Vratislai regis natus, à Friderico primo sibi & posteris regiam dignitatem dono obtinuit, & quidem magnifice & glorioſe, eo quod dicto Friderico mirifice gratus fuisset, propter auxilium quod ei in expugnatione Mediolanensi impenderat. Quapropter & ei leonem rubeum bifurcatæ caudæ in clypeo albi coloris regio insigne donauit.

Anno Domini MLXXXVIII, Wetzel Archiepiscopus Moguntinus obijt cui Ruthardus succesſit rite.

Eodem anno Guntherus Episcopus noster Citzensis defunctus est. Mox omnis clerus coadunatus, quem longe ante optauerat abbatem Fridericum Gositzensem pari consilio elegerunt, & electum cum igenti tripudio in cathedram tunc temporis Episcopalem Citzæ perduxerunt. Qui cum ex illius Ecclesiæ impensis necessaria ordinasset, tam clericorum quam laicorum personis assumptis post regem Henricum prò inuestitura properauit, qui tunc Veronæ, id est Bern, trans alpes erat. Qui causam itineris audiens ægre cœpit ferre, eius quod sine permissione electus fuit. Illo quippe tẽpore sub regia potestate libertas Ecclesię periclitabatur. Episcopos & abbates non virtutum merita, sed commendabat pecunia. Cui erat minor numerus; ad regimen animarum minus erat idoneus. Itaq; Citzensis Ecclesiæ pro electo suo interpellantibus durius respondetur. Sed nec rex electionem per inuestituram confirmare voluit, sed abiectam archiabbatiæ Heroueldensi præposuit, & eius loco Walrabonum qui sequitur, creauit Episcopum.

WAlramus, qui & Walrabonus appellatur, octauus Citzensis Ecclesiæ Episcopus, reprobato Friderico per Henricum Imperatorem Gunthero surrogatus. Circa annum Domini MLXXXIX, præfuit annis XXI. Hic (vt in annalibus Magdeburgensis Ecclesiæ legitur) ordinatus fuit ab Hardewigo eius loci Archiepiscopo & metropolitano suo.

De quibusdam gestis tempore Walrami Episcopi, ex Chronicis.

Anno Domini MLXXXIX, Henricus Imperator prædictus congregato exercitu oppidum firmissimum marchionis Egberti Glichen dictum obsedit. In vigilia vero Natalis Domini, dominica sc. die, cum magna pars primatum ob diem festum iam abiret, Egbertus suis consulens audacter Imperatorem inuadit, & grauiter primo resistentem tandem cedere compellit. In qua pugna Burchardus Lusaniæ Episcopus, qui ea die sacram Imperatoris lanceam ferebat, occisus est.

Anno Domini MXCII, Beltzetus Turcarum Rex Græciam ingenti armatorum ingreditur numero. Plures vrbes expugnans, sibi subiectas fecit & tributarias. Imperatore quoque capto, pro vili vtitur mancipio.

Anno Domini MXCVIII, ordo Cistercienſium cœpit per venerabilem & sanctum virum Robertum abbatem, qui maximus & secundus reformator ordinis sancti Benedicti fuit, qui multas curiositates & abusiones abdicauit, instituens fratres suos simpliciter pure & rigide secundum regulam viuere. Et mirabiliter in breui tempore hæc institutio & reformatio per mundum dilatata & aucta est.

Anno Domini MXCIX, Hierosolyma à nostris capta est duce Godefrido, quem Christiani coronare volentes ipse renuit, asseuerans nolle se auream ferre coronam, in ea vrbe in qua Christus spineam tulisset.

Anno Domini MC, Godefridus moritur. Post quem Hierosolymis regnauit Balduinus frater eius annos XVIII. In quibus Ægyptios ter superauit prælio magno, & Calypham eorum regem interemit. His temporibus secundum Helmoldum ablata sunt imperialia Henrico quarto violenter; & data sunt filio suo Henrico quinto. Et sopita sunt schismata tempore Paschalis quæ diu ferbuerant per Henricum, propter antipapam suum Gwigbertum qui dictus est Clemens secundus, qui & ipsum cum vxore sua Bertha coronauerat. Matthæus Palmerius in additionibus suis Chronicorum Eusebij, de prædicta coronatione aliter habet, & quidem in hæc verba: Henricus coronam imperij à Paschali sumpsit, & non multo post illum cum multis Ecclesiæ prælatis capit, & in carcere inclusit, vnde parum post liberatus euasit, anno Domini MCII. Hæc ille:

Per idem tempus in Italia sanguinem pluit. Item lancea Domini cum qua in cruce in latere vulneratus est, Antiochiæ est reperta. Henricus supra memoratus dictus est Henricus Magnus, in ordine Imperatorum tertius, regum vero quartus. Hic à multis apostolicis fuit excommunicatus, & tandem à filio deuictus, anno imperij sui 43, & diu carcere detentus, tandem satis misere Leodij mortuus post multas insultationes, & stetit corpus eius inhumatum v. annis in quadam capella deserta. Ecce lector quam profunda Dei iudicia in tanto viro, qui forsan scoriam eius decoxit in camino tribulationis, vt non cum hoc mundo damnaretur. Obijt autem, vt communiter dicunt historici, circa Christi MCVI. Cui filius, adhuc eo viuente & sub custodia posito, Henricus successit, vt dicetur in sequentibus. Et dictus est Henricus ille in ordine Imperatorum quartus, regum vero quintus: & ita communissime appellatur, cum sit quintus Romanorum regum, qui huius nominis apud Germanos imperitauit, licet Itali luscioli nomerent aliter primum Henricum patrem Ottonis magni, virum optimum & bellicosissimum, quia imperiali diademate coronatus non fuit; à catalogo imperatorum siue regum Romanorum excludentes. Henricus itaque quintus, Henrici Magni filius cœpit anno Domini MCV, & XX annis rexit. Hic patrem Henricum nephando scelere carcere macerauit vsque ad mortem. Dicunt tamen aliqui, eum circa finem vitæ dimissum, & Leodij (vt supra dictum est) misere defunctum.

Hoc tempore mortuus est Magnus dux Saxoniæ sine hærede masculo. Ideo Henricus quintus ducatum eius dedit Ludero comiti de Suppleburg, qui post factus Imperator dictus est Lotharius secundus, de quo infra. Reliquit tamen dux Magnus duas filias, quarum vna Elica nupsit comiti Ottoni de Ballenstet, quæ peperit ei Albertum Vrsum, altera Wolffhildis nupsit Henrico Nigro duci Bauariæ, quæ peperit ei Henricum Catulum, patrem Henrici Leonis ducis magni, & Welphonem ducem Noricorum, & filiam Iuttam quam duxit Fridericus supra memoratus dux Sueuiæ, quæ peperit ei Fridericum primum, de quibus infra latius.

Anno Domini MCVII, id est anno secundo Henrici quinti, Benno vir Dei, Episcopus Minensis obijt, & Herdewicus successit, qui Ecclesiam Wurtzen fundauit collegiatam. Eodem anno Henricus archiepiscopus Magdeburgensis obijt, Adelgorus cui successit vir optimus & magnificus. In Chronicis tamen prædictæ Ecclesiæ habetur, quod cœperit anno Domini MCVIII, & XI annis præfuerit. Iste memorabilis pater fundauit monasterium noui operis canonicorum regularium Hallis, quod nostra hac ætate quoque insigne & opulentissimum habetur. Cuius præpositus Dominus Ioannes Pals, doctor iuris canonici, vir religiosus, facundus & consultissimus, ob singularem suam prudentiam & dexteritatem in magno tenetur honore, & diligitur à summis etiam viris, maxime ab Alberto Moguntinensis & Magdeburgensis Ecclesiarum archiepiscopo veneratur & colitur. Cuius & ego haud modice liberalitatem & humanitatem in meis expertus sum necessitudinibus. Prior quoque dicti monasterij nomine Lucas, vir valde venerandus & apprime doctus, & ipse decretorum doctor habetur celeberrimus, cuius eruditionis fama & iuris peritia nostro æuo plurimum dictum illustrat monasterium. Quem mihi amicissimum Deus incolumen & saluum conseruet multos in annos, supplex deposco. Illo tempore Paschalis secundus ordinis diui Benedicti summus fuit Pontifex, vir zelosus & rigidus, qui diligenter laborauit pro Ecclesia contra Imperatores & reges super resignatione inuestituræ Episcoporum & abbatum

batum,& satis profecit. Etiam captus fuit per imperatorem Henricum v. (vt infra dicetur)cum cardinalibus & per duos menses in custodia tentus. Habuit & schisma. Nam contra eum Henricus imperator antipapam elegit Swigbertum, & post hunc consequenter alios duos, qui omnes in breui male interierunt. Et Paschalis, vt erat vnicus & indubitatus papa, per annos XVIII permansit.

THeodericus sacerdos, homoq; Dei magnus, Citzensis Ecclesiæ Episcopus nonus Walrabono Episcopo defuncto, cũ gaudio & applausu totius & cleri & populi successit, anno dominicæ incarnationis MCXI, indictione IV. Ordinatus autem fuit per Adelgotum metropolitanum suum, archiepiscopum Magdeburgensem eodem anno & tempore. Sane Theodericus iste vir fuit apostolicus, & apprime doctus, integerrimæ vitæ & conuersationis sanctæ, Deo & hominibus acceptissimus & gratissimus, summus Dei cultor, & zelosus orthodoxæ fidei propugnator, strenuusq; ac rigidus sacrorum canonum defensor, & potissimum contra Simoniacos, nec non schismaticos qui suo tempore Christi turbabant scindebantq; Ecclesiam, turris validissima. Quod non ex me, sed antiquorum historiographorum, vtpote synchronorum ipsius, Chronicis & historiis deprompsi. Quem denique & talem extitisse, illa vetus & antiqua fundationis cœnobii nostri scriptura, in fine martyrologii & regulæ nostræ exarata, clarè demonstrat, & affirmat in hæc vt sequitur verba.

Anno Domini MCXI, sub Henrico imperatore huius nominis quarto, sed in ordine regum quinto auctorisante, in Ecclesia catholica militante post Vrbanum secundum viro apostolico Paschali, dominus Theodericus Citzensi Ecclesię digne præficitur. Vir vere commendandus, literis apprime eruditus, contra schismata quæ suis temporibus nonnunquam pullulabant, propugnator catholicus, & in omni pastorali solicitudine commissæ sibi Ecclesiæ desudans vtilitatibus. Hic tertio Episcopatus sui anno, scilicet anno Domini MCXIV, cum esset beatæ Mariæ Dei genetrici specialiter deuotus, quendam Sclauum penitus illiteratum, eidem beatæ virgini æque deuotum, in sua curia habebat. Cui Sclauo beata virgo Maria tunc apparuit, adhortans vt præfato Episcopo diceret, vt claustrum suo honori consecrandum non longe à suburbano seu territorio suæ ciuitatis, in colle quem antiquitas Bosawgia nominauerat, constitueret, & pro indicio veritatis insinuaret, quod secrete dicere solitus esset ante inchoationem horarum beatissimæ virginis hanc antiphonam, *Natiuitas tua Dei genitrix, &c.* Quæ cum idem Sclauus Episcopo nunciaret, & Episcopus suum secretum illi reuelatum cognosceret; quod domina nostra sibi dilectissima virgo Maria voluit fieri, quantocius adimpleuit, & montem qui Bozawgia dicitur, primum occupauit, ac fruticetis ac spinetis mundauit, & mense Septembri sexto idus eiusdem ligneam capellam, in eodem monte constructam, in honore sanctæ Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ dedicauit, ipsumque montem cum aliis prædiis in vsum fratrum, inibi Deo in perpetuum secundum regulam sancti Benedicti nigrorum monachorum seruiturorum, assignauit. Nam de monasterio Hirsaugiensi Spirensis diœcesis, pro tunc in regulari obseruantia secundum Cluniacensium statuta nominatissimo abbatem postulauit, & quendam Egkenbertum, virum venerabilem, quem primum huic loco abbatem præfecit, vna cum aliis fratribus acquisiuit.

Secundo dehinc anno, qui est annus Domini MCXV, basilicam hanc à fundamentis erexit, & septimo ab hinc anno, qui est annus Domini MCXXII, consummauit. Duoque altaria vnum in dextrali plaga in honore Apostolorum Petri & Pauli VI idus Septembris, alterum vero in sinistrali in honore Apostolorum Philippi & Iacobi calendas Maij dedicauit.

Hic etiam quendam nobilem nomine Bennonem de vicina gente Soraborum in conuersum recepit. Qui cum vere peruersus existeret, & ab abbate sæpe correptus emendare nollet; abbas ad eius directionem etiam Episcopum aduocauit. Qui cum prædictum Bennonem durius (vt dignus erat) argueret, idem Benno cuncta impatienter ferens in tantam malitiam deuenit, vt eundem Episcopum in oratione ante principale altare procumbentem latenter cultello perfoderet. Vnde post triduum venerãdus Dei sacerdos quinto calendas octob. anno Domini MCXXIII, indictione prima migrauit ad Christũ, in eodem loco sepultus quo occisus. Ipse vero Benno non conuer-

sus sed peruersus mox viuus à dæmone raptus nusquam comparuit. Hæc ad verbum ex tropographia fundationis huius nostri cœnobii transcripta.

EPITAPHIVM incisum fundatoris tumbæ.

Annos millenos centum tres bis quoque denos
Collige post Christum, titulum qui perspicis istum.
Tunc obiit sedis, nostræ fundator & ædis.
Sanguine perfusus bravio certaminis vsus.

Libet hic subnectere, cur locus memoratus ab antiquo vsque nunc dictus fuerit Bosaw. Sunt equidem qui asserunt, id factum, quod locus nemorosus quondam fuerit & latrociniis aptus, & ideo dictus Bosaw, id est mala augia. Estque communis hæc & vulgi opinio. At illustris comes, nec non quartus Merseburgensis Ecclesiæ præsul dignissimus, Dythmarus, magnus & solidus auctor, Henrico imperatori secundo amicissimus, in Chronicis suis aliam narrat causam, quod scilicet locus monsque prædictus nomen habeat à Bosone primo memoratæ Merseburgensis Ecclesiæ Episcopo. Qui prouisor Ecclesiæ ad tempus existens Citzensis, templum in eodem saltu Domino Deo construxerat, & nomine suo intitulauerat. Verba Dythmari antistitis de prædicto loco sunt hæc. Boso antecessor meus, ab imperatore constitutus Ottone, curam sibi commissam anno vno & menses decem ac tres dies regens in patria obiit Bauaria. Qui in monasterio Christi martyris Emerammi quod construxit Arnulphus, monachus existens, inde ad seruitium Cæsaris assumptus, beneficium Citzensis Ecclesiæ pro magni laboris sui debita remuneratione percepit. Et iuxta prædictam ciuitatem in quodam saltu quod ipse construxit ac nomine suo vocauit templum Domino de lapidibus ædificauit consecrarique fecit. Et quia is in Oriente in numeram Christo plebem prædicatione assidua & baptismate vendicauerat; imperatori placuit, electionemque de tribus Episcopatibus ei dedit Misnensi, Citzensi & Merseburgensi. Præ his omnibus Merseburgensem ab Augusto quia pacifica erat, expoſcens Ecclesiam; quamdiu vixit, studiose rexit eandem. Hucusque Dythmarus. Sed quid causam nominis diutius rimari prodest, cum res ipsa magnifice clarescat? Enimuero cœnobium hoc nostrum in primo suo flore & fundatione opulentissimum & valde insigne fuisse, non modo ex priuilegiis ipsius fundatoris & donationibus largissimis; verum & aliorum præsulum, nec non potentium & clarissimorum vtriusque status personarum secularium collationibus euidentissime liquet. Ex quarum optima rerum copia vix nunc superesse videtur pars centesima; temporum iniuria, & abbatum incuria, aut certe laxe & inordinate viuentium monachorum causante negligentia. Certe vt de aliis taceam, copiosa & diues monasterii prouisio & dotatio magnifica satis & abunde ex prædiis & aliis bonis per fundatorem patet concessis. Quorum copia & præstantia ex eo quoque claret, illorum quod pro conseruatione eo tempore aduocati monasterii excellentes & summi extiterant viri, vtpote marchiones & comites præclari & strenui. Est equidem vulgare dicterium, *Magna ales magnum requirit nidum,* cui & illud Sapientis consonat dictum, *Vbi multæ opes, multi & qui comedunt eas.* Verum nunc extenuatis rebus, minoratis & opibus, ad minimos quoque aduocatos tenendos defecimus; vt qui quondam ob rerum copiam marchiones (vt dictum est) comitesque necessarios habuimus, nunc moriones & viles quoq; homunciones dummodo iurisperiti fuerint, ad præfatam aduocatiæ dignitatem assumimus. Itaq; Episcopus noster & fundator Theodericus, cum esset vir Deo deuotissimus, & iuxta prosapiæ suæ stemma præpotens & ditissimus; maximis (multis vt de eo legitur in Chronicis) impensis per septé hoc nostrum monasterium annos cum suis erexit officinis, conferens in vsum fratrum prædia & alia excellentia bona, ex quibus vt ex priuilegiis per eum datis, & potissimum in priuilegio fundationis nostræ inter alia quæ gratia breuitatis pertranseo, ita loquitur: IN nomine sanctæ & indiuiduæ trinitatis. Diterícus diuina fauente clementia Nuenburgensis Episcopus omnibus Christi fidelibus &c. ad cuius loci prouisionē Eckebertum nomine ab Hirsovvia nobis cum fratribus suis trāsmissum abbatem consecrauimus, &c. Et paulo post. Ad necessaria vero victus & vestitus ibi Deo seruientium donauimus & tradidimus hæc, &c. montem Pozovve, Podogrodiz,

dogrodiz, Luconowe cum adiacente ſylua, duos manſos in Leiſten, VI in Gline, VI in Probin, decem in Nuendorff cum dominicali & omni vtilitate, villam Dipoldisdorff, Hogendorff, Rodewanſdorff, Muſchendorff cum ſylua adiacente, Bigele cum villa noua & ſylua contigua & c. item in pago Geraha decimam c ſcabronum, item cenſus & manſos villarum Nuendorff, Selintz, Croſnitz, Gizſan, Rugizan, Coarwitz cum molendino & prato, in pago Pliſna & villa quæ Rodaw dicitur, quatuor manſos, & decimam mille ſcabronum, in Zwickowe duos manſos, & dimidium telonium quæ ſoluunt XVI libras, & magnifica dona poſt mortem fundatoris per eius ſucceſſores, Epiſcopos, & alios potētes huius terræ principes, comites & quoslibet fideles collata monaſterio, vt ſubnexa indicabunt priuilegiorum diplomata, anno & tempore depromenda congruo.

De quibuſdam euentibus, temporibus Theoderici noſtri fundatoris & Epiſcopi.

ANno dominicæ incarnationis MCXI, Henricus quintus Italiam ingreſſus, Rōmam venit, in qua vrbe cum benignē & ſummo honore fuiſſet receptus; paternum volens imitari exemplum, Paſchalem Romanum pontificem & vniuerſos per fraudē prælatos intercepit Eccleſiæ, illorumq; bona in prædam ſui cōuertit exercitus.

Anno Domini MCXV, Henricus rex valido exercitu Saxoniam denuo opprimere cœpit, cui Adelgotus ſupra memoratus Parthenopolitanus archiepiſcopus, & Reinerus Halberſtadenſis præſul, ac Luderus dux qui poſt factus eſt imperator, cum cæteris Saxoniæ baronibus conglobati in vnum occurrerunt, in loco qui dicitur Welpelholtz; produxeruntque exercitum ſuum contra exercitum regis, licet impares numero. Tres enim contra quinque pugnarunt. Commiſſumq; eſt prælium illa ætate famoſiſſimum calend. Februarii, quo Saxones ſuperiores inuenti virtutem regis attriuerunt. Quo bello Hogerus, princeps militiæ, vir fortis, natus & ipſe in Saxonia, occūbuit. Vnde extant verſus:

Annō milleno centeno ter quoque quino
Syluam Welphonis maculauit vnda cruoris.

Notandum quod prædictus Hogerus comes fuit de Mansfelt. Is primum Eccleſiæ, id eſt Saxonici exercitus, contra regem campiductor fuerat. Sed videns manū & validum regis exercitum, volens illi complacere, ſperans pariter pro victoria ſi obtigiſſet, ducatum Saxoniæ; ad eum cum ſuis confugit. Qui ilico conſtituitur dux militiæ, factaque pugna Dei nutu inter primos cecidit. Cuius corpus noſtra tempeſtate armatum & enſe cinctum cum ſuo ſaxeo in Cloſtermansfeldt repertum eſt ſarcophago: ex cuius inciſione corporis eius patuit proceritas, quin & gladii longitudine, qui more fabrefactus antiquo, vtraque parte ſcindens, magnus & longus videtur, ſed ob vetuſtatem vel forſan cruoris infectione rubiginoſus exiſtit, capulum ad longitudinem vnius ferme cubiti habens, prout in dicto cœnobio exiſtens, eumq; manu ſtringens conſpexi.

Eodem anno Bernhardus annos natus XXII cum ſociis pluſquam XXX Ciſtercium ingreſſus eſt, qui poſt eximia ſua & doctrina & ſanctitate ipſum ordinē ſublimauit, auxit & dilatauit, non autem fundauit, ſed à conſtitutione eius anno vndecimo ſub Stephano tertio abbate eum intrauit. Proinde miror, cur adeo Ciſtercienſes fratres de ſancto illo viro glorientur, vt ipſum diuo præferre videantur Benedicto, malentes beati Bernhardi ordinis potius quam ſanctiſſimi Benedicti appellari, cum ipſe diuus Bernhardus, vt ſupra dictum, nullum ordinem fundarit, ſed neque ſtatuta vlla ceremonialia monachis tradiderit; cum & ordo ille Ciſtercienſis nil aliud quam noua reformatio ordinis ſancti Benedicti fuerit, & à loco quo cœperat, ita ſit nuncupatus; quin & diuus ille Bernhardus ſuis in ſcriptis crebro monachum ſe & diſcipulum beatiſſimi Benedicti aſſerat humiliter, cuius & ipſi Ciſtercienſes omnes viuere probantur ſub regula.

Anno Domini MCXVII, Henricus Romam veniens Paſchalem papam ad ſe coronandum coegit. Qui renitēs & coactus illi diadema iuxta morem impoſuit. Sed poſt obitum Henrici coronationem dictam veluti exortam reuocauit annullauitq;. Quod audiens Henricus in Italiam reuertitur, Romamque abſente papa ingreditur, ibique conoedente populo ſed aduerſantibus patribus cum rite coronari non obtineret, ar-

chiepiſcopum ſuæ partis * euocauit, & ab eo denuo ſibi coronam imponi iuſſit. Otto Friſingenſis Epiſcopus dicit, Henricum validiſſimo exercitu Italiam intraſſe, habentem xxx millia equitum, munitiſſimas vrbes cepiſſe, & Romanos vehementer vrbe capta attriuiſſe; adeo vt, quemadmodum Helmodus in hiſtoria Sclauorum ſcribit, domus Dei repleretur cadaueribus, & ſanguis in Tyberim profluueret, mutaretur; in colorem ſanguinis; papam inſuper cepiſſe, cardinales in colla funibus miſſis, vinctis in terga manibus traxiſſe; dicitq; eum hæc feciſſe, quod pontifex eum coronare renuerit, licet poſt cladem (vt ſupra coronatus ſit. Notandum tamen, quod Henricus ille quintus non ſolummodo propter coronationem memorato pontifici aduerſabatur, verum maxime, quod idem Paſchalis papa ſynodo habita priuilegium de inueſtitura Epiſcoporum ſine confirmatione datum imperatoribus reuocauit & caſſauit. Fuit autem iſte Paſchalis vir iuſtus & rigidus, noſtri ordinis ante papatum monachus.

Anno Domini MCXVIII, claruit Wicpertus marchio, vir fortis & ſtrenuus plurimum, de quo mira leguntur & narrantur. Is in prouincia quę dicebatur Sworbia, dominabatur. Tandem præ cæteris ditatus, principatum quoque & marchionatum in Litziz, ſed & præfecturam in Magdeburg principalem obtinuit. Tandem pro enormitate ſuorum compunctus criminum, inter alia pietatis opera cœnobium inſigne & exemptum ordinis noſtri in honorem diui Iacobi Apoſtoli maioris fundauit in Begauia, aſſiſtente ei ſancto Ottone Epiſcopo. In quo quidem monaſterio ipſe poſtmodum conuerſus factus, plenus operibus bonis tandem migrauit ad ſuperos; de quo etiam in præcedentibus, vbi de diuo Ottone & eius apoſtolatu Pomericano diſſerui, complura laude digna deſcripſi.

Anno eodem Paſchalis papa ſupra narratus, eius nominis ſecundus, obiit, qui priuilegium Bigaugienſi cœnobio primus dedit, impetrante fundatore eius Wigperto prædicto.

Gelaſius ſecundus Paſchali in pontificatu ſucceſſit, adhuc exiſtente in Italia Henrico, & pontificis partes perſequente. Aſt Gelaſius in Gallias fugit, ibique ſtatim functus anno primo interiit.

Calliſtus II Gelaſio ſurrogatus ſedit annis VI. Cœpit autem anno MCXIX. Hic priuilegium dedit nobis ſuper confirmatione fundationis cœnobii noſtri & bonorum eius, vt ſupra in priuilegio etiam fundatoris patuit. Huic Calixto Henricus pacem dedit, & exin in Germaniam reuerſus eſt.

Eodem tempore poſt mortem primi Balduini apud Hieroſolymam regnare cœpit Balduinus ſecundus, ex noſtris rex tertius, annis 13. rexit. Hic Gayum Perſarum regem prælio victum interemit, & Damaſcenorum Aſcalonitarumque reges proſtrauit.

Eodem tempore, id eſt anno Domini prædicto MCXIX, Aldegotus Magdeburgenſis archipræſul obiit, cui Rokardus ſucceſſit. Baculum paſtoralem ab Henrico imperatore, pallium à papa Calixto ſuſcepit, ſeditq; ſuper annis quinque menſibus decem, & diebus tredecim.

Anno Domini MCXX, ordo Præmonſtratenſium incepit per Norbertum virum Dei, qui poſt factus archiepiſcopus Magdeburgenſis, vt infra dicetur. Plura fundauit monaſteria. Martinus dicit, quod hic Norbertus fuerit Colonienſis, ſicut & Bruno qui ordinem Carthuſiēſium inſtituit. Alii dicunt eum fuiſſe natione Lotharingum, & forte verius.

Anno Domini MCXXII vel circa, ordo cœpit templariorum vel templaris militiæ de quo Martinus ita inquit. Hoc tempore ordo templariorum ex militibus congregatis in Hieruſalem incepit, & dicti ſunt milites templi, quia in porticu templi ſedem ſui ordinis ſtatuerunt. Hi primum mantellis albis, poſt cruce rubea ſuperpoſita vſi ſunt, & tandem vno die omnes interempti.

Anno Domini MCXXIII, venerabilis pater & beatæ memoriæ Theodericus Epiſcopus & fundator noſter, roſea ſanguinis ſui vnda perfuſus, cum brauio migrauit ad ſuperos, cui eodem anno Richwinus ſucceſſit.

RIchwinus decimus Nuenburgenſis Eccleſiæ antiſtes, ab Rothardo Magdeburgenſi ſuo metropolitano ordinatus, Theoderico Epiſcopo fundatori; noſtro legitime ſuccedens, annis ſedit duntaxat binis. Iſte Richwinus proximo felicem poſt obi-

tum

tum præfati ſui anteceſſoris noſtrique inſtitutoris anno, qui eſt annus Domini milleſimus centeſimus viceſimus quartus, v i, idus Septembris, aſſiſtente ſibi Arnoldo Merſeburgenſi Epiſcopo, hanc noſtram baſilicam conſecrauit. Quo die & quinque altaria ab eodem dedicata ſunt: principale quidem altare in honorem glorioſæ virginis Mariæ, & ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſanctiq; Ioannis Euangeliſtæ; altare ante chorum in honore ſanctæ crucis; altare poſt ſummum in honore ſancti Benedicti, in honore diui Georgii martyris in dextra parte; in ſiniſtra vero parte in honore ſanctarum vndecim millium Virginum, &c. Ex qua diſpoſitione apparet, primam altariorum & fortaſſis ſimul baſilicæ fundationem ſiue conſtructionem fuiſſe immutatam. Erat tunc indictio Romanorum ſecunda.

Eodem anno Calixtus papa, genere, moribus, ſapientiaque præcipuus in Domino quieuit. Iſte Calixtus ſecundum Vincentium opuſculum conſcripſit de beati Apoſtoli Iacobi miraculis, quæ ſparſim collegerat in vnum volumen compilando, cui deniq defuncto in pontificatu Honorius ſucceſſit ſecundus. Eodem tempore Hugo de ſancto Victore, natione Saxo, Pariſiis claruit, qui ob eximiam eruditionem & ſcripturarum doctrinam alter Auguſtinus æuo ſuo eſt habitus. Hic nouitius fuit in monaſterio Hammersleue, nō longe ab Halberſtadio. Hic ob ſtudium miſſus Pariſios in magnum Eccleſiæ creuit doctorem, factus Prior in monaſterio ſancti Victoris[1], in quo & vſque in finem vitæ permanſit. Scripſit fratribus ſuis in Hammersleue in ſui memoriam deuotum libellū de arrha animæ, vt patet in ea quam præmiſit proœmiali epiſtola. Tandem poſt vberes ſcripturarum labores in Domino vitam finiuit, cum eiuſmodi tumulatus epitaphio:

Conditur hoc tumulo doctor celeberrimus Hugo
Quem breuis eximium continet vrna virum.
Dogmate præcipuus, nullig, ſecundus in orbe,
Claruit ingenio, moribus, ore, ſtylo.

Claruit his temporibus Henricus de Wirha, qui à quibuſdam dicitur Henricus comes de Northeim, cognomento Pinguis. Iſte fundauit monaſterium noſtri ordinis in Burſfeldia, vnde obſeruantia illa nouiſſima per Germaniam progreſſa & aucta eſt. Porro vxor eius Gertrudis, matrona deuotiſſima, ædificauit cœnobium illuſtre & exemplum ſancti Ægidii in Brunſvvig, in quo corpus ſancti Auctoris Epiſcopi Metenſis per ipſam impetratum quieſcit. Horum filia Rickenſe, ſiue vt alii ſcribunt Rixa, nupſit Lothario imperatori, vt in ſequentibus dicetur propenſius. Eodem ferme tempore Otto comes Aſchaniæ, Ballenſtet & Soltvvedel Eccleſiam collegiatam in caſtro ſuo Ballēſtet commutauit in monaſterium noſtri ordinis, ſummo conſentiente pontifice Honorio, monachosq; cum abbate ex cœnobio Bergenſi aſſumptos impoſuit, & magnis prædiis ac redditibus ſuffulcit. In quo quidem monaſterio ab antiquo, vti in præſens cernitur, ſepultura comitum Aſchaniæ Ballenſted & Anhalt fuit. Horum quippe pater & ſtirps prædictus Otto fuit. Vxor eius fuit Elica filia ducis Magni Saxoniæ, quæ peperit ei Albertum Vrſum primum Brandeburgenſem, vt infra patebit, marchionem. Eo tempore & anno Tyrum florentiſſimam Phœnicum vrbem Chriſtiani armis ceperunt.

Anno Domini MCXXV, Henricus quintus obiit apud Traiectum. Et ſucceſſit Luderus Saxonum dux, dictus Lotharius ſecundus, rexitq; annis 13. Indignati aūt Francigenæ Saxonem eleuatum in regem, conati ſunt alium ſuſcitare, regem Conradum videlicet, conſobrinum Henrici Cæſaris. Pars tamē quæ erat cum Ludero, præualuit. Eodem anno Richvvinus Epiſcopus noſter obiit, & ad ſanctum Mauricium in Nuenburg ſepelitur: quem hoc anno migraſſe ex ipſo epithaphio ibidem clare habetur: cui ſic defuncto Vdo eius nominis primus ſucceſſit.

VDo, qui & Vto, Landgrauius Thuringiæ, Richvvino per Rothardum præfatum Magdeburgenſem archiepiſcopum ordinatus, legitime ſucceſſit, anno Dominicæ Natiuitatis MCXXVI, in pontificatu Eccleſiæ Nuenburgenſi XXII præſidens annis: obiit ſiquidē naufragio dum è terra ſancta rediret, anno noſtræ ſalutis MCXLVIII, vt infra dicetur. Cæterum quid de huius viri geſtis & moribus dicam, cum omni genere laudum queat extolli, quod ſapiens, quod eloquens, quod caſtus, quod ſobrius & pius, quod liberalis & magnificus? Quem ego comitis Ludouici ſaltatoris filium fuiſſe

crediderim, tametsi mea in prima editiuncula, quam superiore anno Ioanni Episcopo nuper defuncto obtuleram, aliter scripserim. Ad huius equidem alterationem sententiæ, & (vt ita dicam) Homerici somni, propensius temporis trutinata me perduxit ratio: quandoquidem cum memoratus Ludouicus comes Doringiæ secundus temporibus Henrici vixerit, visum est mihi non quadrare, vt Vto secundus eius nominis, huius Ecclesiæ præsul, qui longe pòst tempore Friderici primi vixit; eius fuerit (vt opinabar tunc) filius annorum propter distantiam. Nam cum filius coętaneus suo sit patri aut sine mora contiguus; id de primo Vtone, de quo modo differo, mihi videbatur verius. Enimuero Ludouicus comes, sæpe dictus pater eius, vt habetur ex epitaphio tumbæ illius in Reinsborne suæ fundationis monasterio, natus est anno Domini MXL, & vixit annos LXXXIII; obiit siquidem anno Domini MCXXIII. Post cuius defunctionem anno tertio Vto ille, filius eius, Nuenburgensis factus est Episcopus. Attamen sit vtcunque; constat certissime, si Doringorum Chronicis credimus, hoc tempore Ludouici dicti comitis filium huius Ecclesiæ fuisse antistitem. Verum quid tantundem parentelæ eius claritudinem rimari proderit? Quid stemmatis inuestigatio vana, cum non prosapiam sed vitam, non genus sed mores sectari & mirari doceamur? Multorum siquidem sanctorum vitam & conuersationem sancta collaudat Ecclesia, quorum ortum prorsus ignorat & patriam. Et beatorum martyrum non originem, sed finem, sed occasum, natale non sanguinis, sed flaminis quo cœlo nascuntur, veneratur & celebrat. Caro enim & sanguis neminem vere nobilitant, neminem sanctificat. Virtus est sola, quæ vere nobilem virum efficit: sola Dei seruitus, quæ recte & ingenuos & liberos facit. Vnde belle diua virgo & martyr Agatha ad Iudicem inquit Quintianum, *Summa ingenuitas ista est, in qua seruitus Christi comprobatur.* Cui alludit illud poëticum:

Non præsigne genus, nec clarum nomen auorum,
Sed probitas vera nobilitate viget.

Et illud ab alio non minus venuste quam vere dictum,

Virtus nobilitat hominem: virtute remota
Migrat in exilium nobilitatis honos.

Quam virtuosam & laudabilem nobilitatẽ soli boni habere possunt; sanguinis autem & prædones & sceleratissimi quique possident, vt plærunq; contingat, vt quanto nobiliores, tãto sint & Ecclesiis quibus præsunt nociuiores: quãquã iuxta mundi cursum eximior & præstãtior humilitas videatur alta & honorata, quam abiecta & depressa: sit

Gratior & pulchro veniens è corpore virtus.

Ast hæc apud homines, non apud Deum, qui ignobiles secundũ carnẽ homines in primos Ecclesiæ cõstituit pastores. Quorũ princeps Petrus nõ regis alicuius aut ducis comitisue, sed piscatoris legitur fuisse filius. Addam⁹ præmissis, cũ virtus per se clara sit & solida, nullo exteriore aduẽtitio siue alieno eget honestamẽto aut decore, vt quidã ait:

Virtus præradiat gemmis, auriq; nitorem
Exuperat, sanctis sola petenda viris.

His tamen non obstantibus, quæ contra vanam quorundam gloriolam depromsi; seculi nobilitatẽ nonnihil, si pietate condiatur, habere laudis assentio: alioquin frustra sancti de nobilitate originis laudarentur eiusmodi. Mirabilior equidem videtur cæteris paribus habens vtranq; quã vnã solam: quemadmodum Vto Episcopus ille noster splendide habuisse probatur vtrãq;. Fuit enim (vt dictũ est) & genere & morib. illustris & conspicuus, Vtonis secundi sequentis auunculus, quẽ Wichmannus præsul gloriosus consanguineũ suũ in pluribus vocat priuilegiis. Cõstat aũt (vt infra patebit) Wichmannum ipsum de alto & palatino genere procreatum. Proinde eius consanguinei haud minoris probantur fuisse stẽmatis. Accedunt & ad magnificentiæ eius ac generositatis robur, alia quæ patrauit magnalia, quæ vtiq; nisi alta & præpotente de familia fuisset, neutiquam perficere quiuisset: neq; Lothario secundo, & post eum Conrado tertio, imperatoribus charus adeo & familiaris fuisset. Magnifica equidẽ, vt fatus sum, peregit opera, in bonorum videlicet cœnobio nostro donatione, in monasterii Sanctimonialiũ diui Stephani fundatione, in cœnobii Portensis translatione & confirmatione, in laudabili commissæ Ecclesiæ administratione, & in terræ sanctæ deuota peregrinatione: quæ singula in sequẽtibus suis & annis & tẽporibus patebunt per ordinem.

De

De quibusdam euentibus sub regimine Vtonis Episcopi, ex Chronicis.

Lothatius itaque Imperator sereniſſimus cœpit, vt dictum est, MCXXV, & XIII, imperauit annis. Cuius tempora iocunda fuere. Nam bona aeris temperies, omnigena terræ fertilitate cunctarum rerum copia non solum per regnum, sed pene per totum mundum extitit & exuberabat: pace denique affluebat, concordia regnabat, tranquillitate imperabat, moderatione fulgebat; pace belloque clariſſimus, vt merito pater patriæ dictus sit, quia erat egregius defensor & fortiſſimus propugnator, nihilipendens vitam suam contra omnia aduersa pro pace & iusticia opponere. Hæc ibi. Fuit insuper fide catholicus, in Deum & sanctos eius deuotiſſimus, diuini cultus auctor & amplificator eximius. Hinc est, quod nonnulla fundauit monasteria, & magnifice dotauit: pleraque pene collapsa instaurauit, & in melius reformauit: ex quibus duo præcipua sunt fundationis eius cœnobia, Kemnitz videlicet in Misena, & Lutern in Saxonia. Fundauit inquam Lotharius iste glorioſiſſimus imperator memoratum nostri ordinis insigne & celeberrimum cœnobium Kemnitz, in diœcesi & territorio Misnensi, in monte prope eiusdem nominis oppidum, quod beatiſſimæ virginis Mariæ sanctorumque, Ioannis Baptistæ, & sancti Ioannis Euangelistæ, in honore consecrari fecit. Cui nunc nostra ætate sub Maximiliano Cæsare & Leone, eius nominis Papa decimo, non sine magno emolumento, vtilitate & fructu laudabili, longoq; regimine, & præfuit & præest spectabilis vir, dominus Henricus abbas, de nobili & antiqua Slenitzen prosapia natus, vir in cura rei familiaris prudentiſſimus, spiritualibus & monasticæ disciplinæ competenter intentus. Hic in adolescentia, & (ni fallor) iam abbas electus in academia Chrysopolitana artes humanitatis perdidicit, & admodum eruditus rediit, quandoquidem ex eo tempore in tantum sapientiæ captus est amore, vt in studioſiſſimum & ardentiſſimum quarumcunque literarum cultorem paulatim creuerit, tanto scripturarum (inquam) & sapientiæ ardore calens, vt quoscunque indagare libros nouos potest, & vtriusque linguæ tractatus, etiam veterum syntagmata chalcographice publicata, pro sua fratrumque vtilitate & decore bibliothecæ quamtumuis pretioſa emere soleat. Potiſſimum tamen hiſtoriarum & antiquitatum oblectatur studio: quarum & me studioſum, & aliquantiſper peritum, vel (vt verius dicam) inquiſitorem aduertens, singulari me semper est prosecutus affectu. Enimuero cum tempore exilij mei, nec non inquiſitionis antiquitatum ex mandato Ioannis Tritemij abbatis, viri sapientis, pro tunc hiſtoriarum siue Germanicarum rerum atque annalium scriptoris multa cœnobia eam ob rem perluſtrarem, & ter eius ad spectabile & regale archiſterium hoſpitij gratia declinaſſem, numquam me sine liberali conceſſit abire munere. Quin & vice quarta ad eum diuertens, & pleraque paucula cœnobiorum de fundationib. collecta ei cum obtuliſſem, bis binos mihi mox aureos rependit numos magnifice, cum & antea totidem dediſſet. Et reuera eximium humanitatis eius ornamentum. Nihil equidem liberalitate magis principem, & prælatum quemuis, & maxime opulentum condecorare solet. Cuius cœnobij opulentia ex villarum & prædiorum copia, & reddituum craſſiſſima euidenter claret multitudine: quam & ego non modo ex magnalibus ibi viſis, verum & ex sequenti deprehendi facto. Ipso etenim de terra sancta reuerso, Prior loci qui interea eius ordinatione monasterij census & redditus collegerat, super omnia expoſita illi mille & trecentos aureos consignauit. Insuper ex argenti fodinis montis diuæ Annæ & alijs locis vicinis, sui tempore regiminis theſauros acquiſiuit maximos: quos tamen in binos vſus, Dei honorem ac Diuorum laudem videtur probaturque conuertere. Patet & hoc ex compluribus magnis & operoſe fabrefactis argenteis sanctorum imaginibus, & alijs ornamentis & auro & argento gemmiſque pretioſis intextis non modicis, quæ partim fieri fecit, partim è terra sancta & Venetianis delicijs secum attulit. Cœnobium denique ipſum ex toto à fundamentis innouauit, & magnis atque præcelſis per gyrum ædificijs decorauit & muniuit, picturiſque miris & auriferis intus & extra venuſtauit, vt non cœnobium, sed imperiale videatur fore palatium: intra quod haud facilis cuique aduentanti patet ingreſſus, etiam cuiuſuis ſtatus aut dignitatis fuerit, niſi forte abbati ipſi conſanguinitate aut alia cauſa notus fuerit & acceptus.

Est equidem abbas ille venerandus, homo admodũ singularis, & solitudinis amans, non facile videndum se præbens, suis etiam fratribus rarus, demptis officialibus, & insolitus. Quam consuetudinem alij aliter explanant & interpretantur, quos ego flocci pendens pertranseo. Sentiat quisque quodlibet. Ego virum ob amorem sapientiæ & indefessum literarum studium, summam liberalitatem, immo laudabilem & fructuosissimam cœnobij, gregisque commissi gubernationem & laudo & vehementer veneror. Qui etiam superiori anno pergrandem & amplissimam turrim in calce ecclesiæ ex lapidibus sectis & quadris erigere exorsus est. Quæ si cum ipsa basilica, vt intendit, consummata fuerit, opus Salomonis templo vix impar videbitur. Et licet diuus Bernhardus eiusmodi precioſas in religiosis reprehendat structuras; nostra tamen modo tempestate adeo ædificandi consuetudine & more roboratur, vt etiam ipsi Mendicantes de eleemosynæ, non sine pauperum iniuria, extorsione superflua sumptuose & superbe ædificare soleant, vt cæteris ordinibus temporalia habentibus maiora & instructiora habeant cœnobia. Sed profecto, vti vulgo dicitur, sunt sine defectu pauperes, & sine despectu humiles, nihil habentes & vniuersa exigentes; voto (inquam) & nomine pauperes, victu & conuersatione reges, vt in illorum buccis rubentibus, & obesis crassisque patet corporibus.

Anno Domini MCXXX, Honorius papa moritur Romæ, & in Ecclesia Lateranensi sepelitur. Innocentius secundus successit, seditq; annis 13, mensibus 7, diebus 8. Contra istum Innocentium electus fuit & ordinatus Petrus Leonis, ad cuius schismatis pestem sedãdam beatus Bernhardus vocatus à Clarovalle multum laborauit per septem annos, multumq; profecit.

Anno Domini MCXXXII, fundatum est monasterium Portense ordinis Cistercienſis, prope Salam non longe à Nuenburg insigne, & opulentissimum, per Brunonem comitem terræ Plisnensis & vxorem eius Willam, cuius primus abbas nomine Albertus, vir eximius. Hic quindecies Romã ob negotia monasterij sui nouelli petijt, & multa proficua impetrauit. Cœnobium istud primum iuxta Smollen fuit locatum, sed ob inconuenientiam loci fuit translatum & statutum, vbi nunc cernitur. Ad cuius translationem & exaltationem Episcopus noster Vto plurimum iuuit, ipsam promouendo & roborando & plerisq; bonis donando, vt ex priuilegio sequẽti, quod per anticipationem præmissorum ad fidem subnectere placuit, clare liquet. Ita quippe sonat.

Vto diuina fauente clementia Nuenburgensis episcopus &c. cum omni sagacitate & industria æternæ vitæ gloriam quærere. Quia per viam cambij recepimus Smolnam tertiamque fere partem pagi qui Plisne nuncupatur, & fratribus Portensibus duntaxat duas grangias Lochvvitz & Cusnam cum appendicijs decimisque ipsarum cum sylua pro eis contulimus. Quorum omnimodam vtilitatem custos Ecclesiæ recipiens, vt coram principali altari die noctuque lumen indeficiens perseueret, procuret: & in capellis duabus videlicet beati Michaelis Archangeli & sancti Andreæ Apostoli nocturnalia lumina subministret, &c. infirmis etiam fratribus inquantum necessitas expetit, prouideat, &c. Posteros quoque scire volumus, bibliothecam in tribus voluminibus diuisam ex oblatione fidelium nos scribi fecisse: expositionem beati Hieronymi presbyteri in Esaiam & Danielem prophetas in vno volumine; item eiusdem explanationes in XII. prophetas, Iosephum ex integro in vno volumine, tres libros passionum sanctorum missale vnum: quos pro nostri memoria obliuioni non tradendos & singulis & omnibus attentius commendamus. Hæc quæ præsenti pagina exarata sunt, peromnia retro futura tempora rata manere optamus, & per charitatem Spiritus Sancti ne infringi debeant expostulamus. Quicunque autem inuidiæ liuore attactus, quæ à dominis & fratribus nostris approbata sunt, & banno nostro & scripto firmata infirmare, & memoriam nostram delere præsumpserit: in memoria æterna iustorum non fiat, sed memoria eius cum sonitu pereat, & de libro viuentium deleatur, & cum iustis non scribatur, Amen. Huius facti nostri & scripti testes sunt hi: Gebehardus Prior: presbyteri, Erckenbertus, Irmfridus peregrinus, Bertholdus, Gisilherus, Arnoldus, Wikardus, Rudolphus, Baldramus, Fridericus, Ekkehorus, Ericus, Wernherus, Gundecarus, Albertus: diaconi, Henricus, Hertvvicus, Iohannes, Albertus: subdiaconi, Bernus, Hermannus, Heyndericus, Simeon, Iacobus, Wernherus

rus, Hericus, Hermanus, Reinhardus: acoluthi, Adelbertus, Hartleybus, Rudolphus. Actum anno Domini quo supra, indictione tertia, &c. Ex hoc priuilegio & ex magno fratrum collegio considerari potest monasterij nostri illius temporis opulentia, & tam in spiritualibus quam temporalibus institutio, ac prouisio pinguis & florida. Cæterum conuersi & fratres laici, quos plures fuisse verisimile est, in superioribus non exprimuntur.

Anno Domini MCLXXXVI, Vto venerabilis Nuenburgensis Ecclesiæ præsul, eius nominis secundus, migrauit ad Christum, cui Bertholdus eodem anno successit, de quo infra. Eodem anno ædificatum est monasterium Reinfelde prope Lubecam per comitem Adolphum. Et locati sunt in illud fratres Cistercienſis ordinis sub regula diui Benedicti.

BErtholdus eius nominis secundus Vtoni defuncto in regimine Nuenburgensis Ecclesiæ succedens, anno Domini MCLXXXVI, præfuitq; annis XX. Resignauit etenim anno Domini MCCVI, vt infra anno suo dicetur & tempore. Hunc deniq; Bertholdum Episcopum Petrus ludimagister scholæ Nuenburgensis in suo catalogo lacero & manco collocauit infra post Engelhardum, quem & Engelbertum nominat, ordine confuso & præpostero, sicut & cum alijs fecit. Ex authenticis equidem historijs vetustis & priuilegijs clare habetur, quod Bertholdus ille secundus Engelhardum immediate præcessit, vti & in sequentibus euidentissime ad vnguem demonstrabitur.

De quibusdam euentibus sub Episcopo Bertholdo, ex Chronicis.

Anno itaq; primo Episcopi Bertholdi qui est Domini MCLXXXVI, Gotfridus Episcopus Herbipolensis obijt, qui Ecclesiam Wirtzburgensem lapideam fecit.

Anno Domini MCLXXXVII, Saladinus Ægyptiorum rex post maximam Christianorum stragem Hierosolymam cepit, postquam eandem vrbem per octo & octoginta annos Christiani reges post Godefridum glorioſe possederant. Eodem anno Henricus marchio Brandenburgensis filius Ottonis fundauit Ecclesiam collegiatam sancti Nicolai in Stendel, & abunde dotauit.

Anno Domini MC LXXXVII, vt supra, Vrbanus papa moritur, cui Gregorius VIII successit, sed duos duntaxat menses sedit, & eo defuncto Clemens III, natione Romanus surrogatur, qui sedit annis tribus. Iste reges & principes ad arma contra infideles sua menda animauit. Eo quippe tempore Saladinus secundam victorię fortunam secutus, quinq; & viginti ciuitates de principatu Antiocheno ceperat, & ipsam Antiochiam occupare tentabat.

Anno Domini MCLXXXVIII, Fridericus Imperator, & Philippus Gallorum rex, & Richardus quoque rex Anglicus vna cum Clemente Pontifice in subsidium atq; recuperationem sacratissimæ terræ conuenere & eodem anno exercitum nauibus præmisere. Petrus de Riga circa hæc tempora claruit, qui testamentum & vetus & nouum metrice explanauit. Item Petrus cantor Parisiensis Theologus summus, & Ioannes Beleth, ac Wilhelmus Altisiodorensis, viri doctrina & scriptis celeberrimi, eo quoq; tempore floruerunt.

Anno Domini MCLXXXIX, Fridericus cum iam Syriam armis pene totam subiugasset, & Armeniam minorem in suam potestatem redegisset, in eadem prouincia dum propter æstū in flumine quodam qui dicitur Saleph refrigeraret, & lauaret se volens transnatare: raptus à vi fluminis submersus est, antequam ei subueniretur: cui filius eius qui tunc præsens erat, successit secundum Arnoldum abbatem Lubicensem in Chronica sua Sclauonica. Eodem anno Albertus abbas monasterij nostri Butschaw cōfecit priuilegium super bona quæ sita sunt in villa Lotschitz, quod quidem ita principiatur, In nomine sanctæ & indiuiduæ trin. Albertus diuina fauente clementia Butzauiensis abbas dilectis fratribus suis, & omnibus Christi fidelibus &c. Testes sunt huius domini & prædecessores nostri, Conradus atq; Rudolphus prior, Fridericus item, fratres, Anno quo supra, indictione 8, data 2, Id. Februarij, anno ordinationis domini Alberti abbatis 1. Eodem anno Otto marchio Misnensis obijt, & in monasterio veteris cellę quod ipse fundauerat, honorifice sepelitur, relinquens post se duos filios, Theod. & Albertū, de quib. in sequentibus lati⁹. Circa hæc tempora Dedo quoq; frater prędi-

cti Ottonis creditur, obijsse, qui per multos annos nostri monasterij aduocat⁹ & defensor fuerat strenuus, qui & comes & marchio nuncupatur in priuilegijs, & alibi secundum quod per tempora castra sortitus est & prouincias. Habitauit autem in Rochlitz & Greytz, quæ cum attinentijs suis possedit. Cæterum quod quidam (vt decanus Misnensis) scribunt asseruntq; eum sanctæ Elizabeth auum, proauum autem sanctæ Hedwigis fuisse, capere non valeo, nec veri videtur mihi simile. Dicunt equidem illi, quod ipse Dedo ex Mechtilde vxore sua susceperit natas tres, quarum prima nupsit regi Franciæ, secunda regi Vngariæ mater sanctæ Elizabeth, tertia Hedwigis nomine duci nupserit Sleſiæ. Sed hæc assertio nullo est fundamento subnixa. Ideo ea facilitate contemnitur, qua asseritur. Enimuero, sancta Elizabeth genus maternum duxit à comitibus de Andachs, quorum castrum huius nominis fortissimũ fuit in monte alto in Bauaria, qui nũc dicitur mons sanctus propter reliquiarum copiam & ostensionem, & est mutatum in monasterium nostri ordinis. Mater itaque Sanctæ Elizabeth Gertrudis, quę nupsit Andreæ regi Vngarię, filia fuit Bertholdi comitis de Morauia, qui & comes fuit de Andachs, Morauiam cum tempore nactus. Iste Bertholdus septem habuit liberos, quatuor mares, & tres femellas: quorum primo genitus Otto, dux & princeps Morauiæ, & comes in Tyrol, Henricus marchio Austriæ, Bertholdus patriarcha, Aquileiensis, Eckenbertus Episcopus Babenbergensis: tres filiæ fuerunt, Agnes quæ nupserat Philippo regi Franciæ, Gertrudis quæ supra mater sanctæ Elizabeth, & Hedwigis sancta quæ nupsit duci Sleſiæ. Ita habetur clare in gestis comitum prædictorum, quemadmodum ego in prædicto cœnobio montis sancti legi, & ex arbore genealogiæ eorundem comitum transcripsi, anno Domini M DXV. Sed nunc amore veritatis de præmissis dictum sufficiat. Eodem anno Henricus sextus filius Friderici imperatoris cœpit, & imperauit annis 8, secundum alios decem. Fuitq; strenuus in agendis, & acer in hostes, nihilominus largus & munificus. Vicent. in spec. dicit eum cœpisse, anno Domini MCXC, & imperasse annis septem. Henricus iste Constantiam monacham, filiam Rogerij regis Siciliæ defuncti, ex monasterio extractam duxit in matrimonium.

Anno Domini MCXC, Bertholdus Episcopus noster dedit nobis priuilegium confirmationis super duos mansos sitos in villa Cochowe. Incipit autem ita Bertholdus. In nominæ sanctæ & indiu. trin. Bertholdus secundus diuina fauente clementia, sanctæ Nuenbergensis ecclesiæ episcopus, omnibus Christi fidelibus, gratia vobis & pax. Ecclesiastico regimini congruum esse credimus &c. Testes sunt hi: Hermannus abbas de Burgelino, Nuenbergensis abbas Gotfridus, Sifridus abbas Pygauiæ, Warmũdus abbas de Porta &c. Conradus marchio, Theodericus comes, Henricus de Wyda, & plures. Actum anno Domini MCXC. Eodem anno Clemens papa tertius moritur, cui Celestinus itidem tertius succesſit, seditq; annis VI, mensibus VIII. Platina tamen dicit, eum cœpisse anno sequenti, id est MCXCI, alij anno MCXCII. Sic diuersi sæpe sunt in annis summorum pontificum ac Imperatorum historici. Cœlestinus iste dispensauit cum Henrico Imperatore in copula Constantiæ monialis supra dictæ.

Anno Domini MCXCI, Christiani qui biennio quasi Ptolemaidam obsiderunt, & tunc ceperunt. Etiam maiora aggredi statuerant, adeo vt Soldanus tertius Hierosolymam reddere Christianis cogitaret. Verum orta inter Philippum & Richardum reges discordia hoc impediuit. Paulo post Philippus redijt ad propria. Hinc Richardus animosius rem bellicam perficit, Hierosolymam capere nitens. Cæterum audiens Philippum Normanniam vexare, vt Angliam ingrediens sibi subijceret, obsidionem soluit necessariam & sanctam, ad propria tuenda properans. Et tunc res mansit infecta, & Soldanus Hierosolymam retinuit.

Anno Domini MCXCII, Henricus Imperator Romæ coronatur per Celestinum Papam. Eodem anno idem Henricus dedit cœnobio nostro priuilegium confirmationis super institutione Ecclesiæ in Zwickowe cum duobus mansis & super decimatione telonij ibidem. Incipit, in nomine sanctæ & indiu. trin. Henricus Dei gratia Romanorum imperator & semper Augustus. Ex imperatoriæ maiestatis officio &c. Notum ergo facimus imperij fidelibus, quod pro reuerentia & honore Iesu Christi, & gloriosæ matris eius, in cuius honore constructa est Ecclesia in Puzovve, attendentes etiam fidelis nostri Alberti abbatis in Puzovve instituimus libere prędicto monasterio

ſtetio Eccleſiã in Zwickovve cum duobus manſis & decimatione telonij & I. ſcobronum & XII. curtibus, quæ omnia aliquanto tempore iniuſte ablata fuerant monaſterio, &c. Huius rei teſtes ſunt Bertholdus Nuenburgenſis Epiſcopus, Evverhardus Merſeburgenſis Epiſcopus, Conradus dux Sueuorum, Bernhardus dux Saxoniæ, Hermannus Landgrauius Thuringiæ, Otto marchio de Brandenburg, Albertus marchio Miſnenſis, Conradus marchio de Landeſperg, Sifridus comes de Orlemunde, & alij complures, &c. Acta ſunt hæc anno quo ſupra, indictione decima, regnante domino Henrico VI, Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno regni eius XIII, imperij ſecundo. Datum apud Merſeburg 6. Idus Decemb. Secundum hoc priuilegium imperare cœpiſſet anno Domini MCXC.

Anno Domini MCXCIII, Henricus nobilis Dominus de Wyda, & totius terræ aduocatus, præpotens poſſeſſor & dominator fundauit per reuelationem monaſteriũ ordinis Præmonſtratenſium, non longe ab oppido Wyda, quod dicitur Milphurd, in propria ſua poſſeſſione, & magnifice locupletando & prouidendo exaltauit ſtabiliuitque. Henricus deniq; prædictus ſenior, fundator monaſterij Milphurdenſis, dictus fuit tanquam excellenti titulo aduocatus, ſeu vulgariter Voit de Wyda, & ita poſteri eius per multa tempora. Nam totam terram aduocatorum, quæ & tunc ſicut & nunc *das Voitland* dicebatur & dicitur, poſſedit. Vxorem habuit Berchtam comitiſſam de Tyrol, quę peperit ei quatuor filios, qui omnes Henrici dicti ſunt, quorũ primus poſt eum ſedit in Wyda, ſecundus in Groyt ſiue Greitz, dictus Henricus Reuſſe, tertius in Plavven, quartus in Gera. Primus itaq; Henricus aduocatus de Wyda, ſenior filius, fundauit monaſteriũ Sanctimonialium in Wyda, in quo nunc degunt ſorores ordinis prædicatorum, quas ipſum inſtituiſſe ambigo, cum ordo ille eo tempore necdũ exortus fuerat, minus autem per orbem notus & ſparſus. Reor ergo noſtri ordinis in primis fuiſſe monaſterium, & cum tempore ab ordine noſtro defeciſſe, & ad mendicantes delapſum. Quin & alter frater eius Hẽricus, aduocatus & dominus de Gera, eiuſdem præpoſiti & deuotionis conſtruxit fundauitq; cœnobium Sanctimonialium ordinis noſtri diui videlicet Benedicti in honore ſanctæ crucis prope Saleberg. Notandũ etiam eſt, quod ſupra dictus Henricus, ſenior videlicet dictus eſt Henricus de Weida, eo quod ipſe & pater ſuus tranſtulerunt à monte ſancti Viti ciuitatem nunc trans Elſteram poſitam. Nam antea vocabantur comites de Gisberg. Porro eccleſiam ſancti Viti in primis fundauit Atribo comes de Svvartzburg. Cronſvvitz inſuper monaſterium monialiũ non procul à Milphurd fundatum conſtat per nobilem & illuſtrem dominam Guttam de Gera, quæ & ipſa fuit de progenie aduocatorum & dominorum de Wyda. In quo quidem, cœnobio alioqui celebri & famoſo, tametſi origine nobiles, mendicantium tamen, id eſt prędicatorum fratrum, ſub ordine nunc degunt moniales. Quod quemadmodum rarum, ita & mihi videtur mirabile, cum pene cuncta totius Germaniæ poſſeſſionibus ditata tam virorum quam virginum cœnobia mendicantium ordinum ante inſtitutionem fundata fuerint. Ea propter primores illi in eiſdem Deo famulãtes per fundatores impoſiti ordinis non potuere fuiſſe mendicantium. Aſt non mirum, ſi forſan in memoratis monaſterijs ordo mutatus fuerit, cum & regna cum tempore mutentur, & transferantur de gente in gentem. Hinc belle dixit poëta, *Tempora mutantur & res mutantur in illis*. Vbi equidem complura cœnobia, vbi inprimis fuerant moniales, nunc ibi poſitos eſſe monachos; & vbi quondam habitauerant regulares canonici, nunc ibi eſſe cruciferos. Et ita de alijs ordinibus dici poteſt & æſtimari. Quin & nobile & celeberrimum noſtri ordinis monaſterium Conradsburg, in monte iuxta Hartonem ſitum, non longe ab Aſchania, noſtra memoria ab ordine leui ex cauſa funditus deperijt, quod vetuſtate & inhabitantium incuria & negligentia vel potius inſolentia collapſum & depauperatum, adeo quidem vt vix quotidianum fratres habere victum poterant. Quamobrem egeſtate compulſi à vicinioribus abbatibus conſilium & auxilium implorabant, reformari geſtiẽtes. At abbates inglorij & miſelli, quæ ſua ſunt quærẽtes, nihil ſuper contritione Ioſeph doluere, reſtaurationẽ ac informationẽ eius loci omnino poſtponentes. Hinc qui ſupererant monachi pauculi egeſtate & inedia preſſi, clauſtrũ relinquentes abierunt. Verum patres Carthuſienſes loci ſitũ & amœnitatẽ cõſiderãtes, diœceſani cũ aſſenſu ordinẽ ſuũ introduxerũt locũ aſſumẽtes, ſparſa recolligere,

& singula prudenter & prouide disponere curauerunt, arantes & seminantes, lapsa & ruinosa instaurantes cuncta pene innouando, eousq; vt in breui multis bonis Dei benedictione abundare cœperunt. Quæ & vtiq; nostri patres consequi potuissent, si non auaritia & inertia à pietatis eos absterruisset operibus.

Cæterum quid de memorato monasterio multa prosequor, cum & nostro æuo opulentissima nostri ordinis cœnobia prorsus ab ordine sint dimembrata, & in canonicorum secularium translata statum. E quibus mihi cognita sunt sancti Albani prope Moguntiam à Carolo Magno fundatum monasterium, & diui Borghardi iuxta Herbipolim situm: quæ cum alijs irrecuperabiliter ab ordine scissa, modo pro abbate præpositum, pro priore decanum, canonicos pro monachis nutriunt. In quibus deniq; in præsens vsque tempus abbatum epitaphia, aliaq; monastici ordinis reperiuntur indicia: licet ab istis nebulonib. effœminatisq; successoribus ac ingratis solum nomine canonicis, quantum absque notamine fieri potest & scandalo, auferantur deleanturque. Sed nunc de hoc satis.

Cæterum quoniam in præmissis aliquanta de dominis baronibus & possessoribus terræ aduocatiæ, siue (vt antiqui aiunt) prætorianę dicta sunt: nunc de eiusdem terræ & circumpositarum vetustate prouinciarum amore patriæ meæ vrbis videlicet Cygneæ ibidem sitæ pleraq; lectoris ad ædificationem latius decreui subnectere. Quæ quidem mira sunt & rara, pauciq; admodum cognita; mihi autem per spectabilem virum Dominum Erasmum doctorem, & mirificum antiquitatis indagatorem, prædictæq; vrbis meæ natiuæ archiatrum gratiose communicata fuêre: quæ & ipse ex Rutwino Saxonico rerum scriptore vetustissimo in hæc verba collegerat.

Terra intra Salam & Albim sita, dum in prouinciam redigeretur, cum nouis colonis noua nomina sortita est. Nam portio quæ veteranis (qui & missionarij dicũtur) cessit Missena dicta. Eius fines vltra citraque Albim fuere, hinc Albim, hinc Muldauum amnes attingentes. Quæ vero prætorianis attributa est, & ab his eam nuncupationem quam hodie habet contraxit (Widelingia vulgo appellatur) hi sese ab Muldauio vsque ad Salam protenderũt. Reliqui quod sine dignitate deducti sunt, partim priscam nuncupationem, vt Suardones, Camanni retinuerunt, partim à fluminibus, vt Plisnenses, Orlandi cognominata sunt. Alij à principibus viris, vt Lybonothani, Cygnani, Cauritani, nomina tulere. Communi tamen nuncupatione omnes hi populi, Sorabi vocati reperiuntur: quo vocabulo prisca lingua Germanica proceres designantur, quasi in ea ora duntaxat proceres ditionem haberent. Tandem vero hoc nomen qualitercunque terræ illatum, cum de hoc diuersa sentiant, euanuit. Qui res Sclauorum scriptas reliquerunt, id à populis Bospori Cimmerj accolis inductum volunt: hos origine Cimbros asseuerantes, qui longe lateque vagantes à Græcis Cimerici dicti, tandẽ ad Bosporum in finibus Thraciæ confederunt. Ab quibus Cimerici quasi Cimbrici, vel vt alijs placet, à sora metalli genere quod in his locis eruitur, dicti sunt. Vnde vel à Schytis pulsi, vel patrij soli amore accensi, Germaniam repetiere, & in hæc loca quæ habitatore pene vacua fuere, delapsi, se non Cimbros sed Sorabos dixere. Eius rei argumentum afferunt vrbem Gibicam, quasi Cimbricam, ab eis in primo aditu conditam. Alij quod loco palustri primo insederunt, quod Germana interpretatione hoc sonat. Sorabos tamen aduenas fuisse, vt nonnulli putant, minime constat. Nec apud vllos receptos authores Soraborum nomen præterquam in Germania vsquã nominari contingit. Itaq; indigenas loci verisimilius est, & eos videlicet quos Cornelius parua literarum immutatione Suardones vocat. Hæc Rutwicus Saxo. Sed an satis limatè ea posui, dubito, cum non ex originali, sed excerpta ab alio, licet viro docto, transcripserim. Itaque ex prędicto historiographo vetusto clare habetur, & ex sequentibus probabile plurimum & verisimile videtur, omniũ vrbium huius regionis primã & antiquissimã fuisse, ipsam Cygneam fuisse Czibicam, multis ante Christi natiuitatem annis ab ipsis Cimbris conditam, & Cibicam quasi Cimbricam dictam. Porro arma siue trium cygnorum insigne vrbem ipsam à clarissima fœmina fatidica, eiusque vrbis principe ac dominatrice potentissima, Swanhilde, ob gloriæ & nominis illius memoriam perpetuam sumpsisse crediderim. Quæ quidem prudentissima virgo & Sibylla existens, magna mira quædam & obscura prædictæ ciuitatis incolis de futuris (vt infra post pauca dicetur) vaticinata

nata est. Ab ista itaque Swanhilde nomen vrbi potissimum inditum existimo & inolitum. Swan siquidē lingua vernacula latine dicitur Cygnus. Quare & antiquitus nuncupata fuit Cygnea, quemadmodum adhuc à doctis appellatur: tametsi vocabulum commune & vulgatissimum quo vrbs Zwicca nominatur, magis eius primitiuo nomini quo Scibica dicitur, quadrare & consonare videatur. Verum vocabulum aliud latinum & elegantius occasione supra memorata inditum vrbi constat. Vel si altius ordiri libet à Cygno, Herculis Graii filio, patre ipsius Swanhildis, extat cygnea vocitata: sicuti sentire videtur Guolfgangus Cyclopeus, natu & ipse Cygneus, studio vero & disciplina medicinæ doctor, orator denique & poeta celeberrimus, in carmine quodam, quod Cimbrorum de aduentu, deq; antiquitate, pariter & origine eiusdem vrbis concinnauit; inter alia ita depromens:

Vrbs tribus à cygnis Cygnea vocata probatur,
Quas belli signum patriæ gessere cohortes.
Indicio quorum gentis vestigia priscæ
Testantur, vulgo cœpta est hæc Cibica dici.
A Cimbris sonat hoc, quasi Cimbrica, voce Latina.
Cygnus erat Cyanes proles ex Hercule natus:
Graius is fuerat ceu cretus gente Tuisca,
Germanas late tenuit qui regna per oras:
Autorem gentis coluit quem vana vetustas,
Et sibi cum q; aris erexit templa decora,
Vnde loco nomen, Cygneaq; rura vocata:
Quaq; patent inter Plisim Molbiq; fluenta.
Posteritas hunc longa virum rexisse per oram
Fertur, quoad cælebs vitam perfuncta Suanhildis
Vltima clausisset fata & sine prole futura.
Bellica sed rabies, dominandi atq; ampla cupido,
Exciuere vires, Cimbrorum ex gente cohortes,
Qui patriæ fines extendere limite vasto
Audebant: furor ecce malus tum perdere cuncta
Aggreditur, cupidus quodcunq; abolere vetustas,
Et noua cum populis inducere nomina terris.
Autore hoc Sorabo fecerunt omnia Cimbri.
Hinc iuuat, vt cuncti Sorabi cognomen haberent,
Quos & spumiferus circundat Mulbius vndis,
Et Salapinifero Curionum in finibus ortus
Includat, Sorabos omnes dixere colonos.
Sic nomen Cygni desiit, nomenq; Tubanti:
Indigetum fuerant quæ nomina clara priorum.
Sed quo victricis populi monimenta manerent,
Hanc statuere vrbem, resonat quæ nomine Cimbros.
Durauere tamen cygni quæ bellica signa
Ciuibus extarent vestigia prisca ferentes.

Hæc Cyclopeius. Ex cuius carmine habetur luculenter, Cygnum illum, magnum heroem, filium Herculis, & post Suanhildem eius gnatam, eorundem atq; maiores ante Cimbrorum aduentum longe diuq; dictis in locis regnasse: quodq; post obitum Suanhildis Cimbri tandem venientes terram eorum ferro igneq; vastauerint, eodemque furore vrbe Cygnea succensa aliam eodem construxerint loco, & vocabulo gentilitio (vt dictum est) Czibicam quasi Cimbricam appellauerint. Quod quidem ipse idem Cyclopeius poeta insignis, & alio quodam in carmine confirmans, sic modulatur.

Me iuuat, vt Sophiæ stimulus sim posteritati,
Et merear patriæ prima trophæa meæ.
Vrbis enim nostræ prius haud quisquam fuit ausus,
Stringeret vt Clarii tinnula plectra Dei;

Gurgite quam rapidus piſcoſo allabitur amnis:
Efficit hunc pulchrum vallis amœna locum,
Hermionum de gente olim qua parte Tubanti
Principio campos incoluere rudes.
Expulit hos ſæuus proprio de rure Sicamber,
Allectus fuerat dum meliore ſolo.
A Scythiæ gelidis peregre dum venerat oris,
Et ſibi quæſierant qua frueretur humo.
Vrbs conſtructa fuit, validis ampliſſima muris
Facta, tamen flamma diluuioq; minor:
Quæ tribus à cygnis recte Cygnea vocata eſt,
Augurio quorum nomen & arma tenet.
Quaratione, latet, meruit Czuickauia dici
Palladis & Martis Mercuriiq; iſta domus.

Sequitur nunc Epitaphium Swanhildis Cygneæ Sibyllæ antiquiſſimæ, ex quo qualis quantaue ipſa fuerit, lector facile candidus & prudens cognoſcere poterit. Veruntamen prius ſciendum, quod Epitaphium eius ſequens noſtra nuper tempeſtate in agro pagi petroſi in lamina plumbea literis (vt aiunt) capitalibus conſcriptum in monticulo ſub arbore quæ ventorum ex flatu prociderat, repertum eſſe à ruſtico, dum è terra arborem euellere ſtirpitus anniteretur. Qui de inuentione tam inſolita ſtupens cum legere neſciret, Epitaphium vt erat in tabula plumbea exaratum noto ſibi viro ſapienti & mirabilium rerum cupido Ioanni Lupo obtulit. At ille gauiſus vehementer, exemplar eius confeſtim Eraſmo Stellæ ſupra memorato Cygneæ vrbis proconſuli, veluti vetuſtatis amatori, direxit ſcribens quoque eidem, quod ſi architypum cernere gliſceret, ad ſe venire minime tardaret. Quo quidem & tempore illuſtriſſimo principi Friderico duci Saxoniæ & imperii electori idem tranſmiſſum eſt Epitaphium. Ab prænarrato itaque Eraſmo medicinæ doctore & hiſtorico egregio, & ego ſæpe dictum nactus ſum Epitaphium mirificum & fatidicum, in hæc vt ſequitur verba.

Swanhildis Cygnei Herculis Graii vltimæ ſobolis filia ex Vlba matre genita. Mihi auus paternus fuit Falco, & Gilda auia; abauus Duliches, abauia Melſe; atauus Glaucus, atauia Stiria: qui omnes à Cygno Herculis Graii filio & Scylla Tubanti filia deſcenderunt. Has terras à fonte Vlbe cum fratre Cizone intra Melſiagum & Eliſtram rexi, quæ à nobis Cygnizea dicta fuit vltra Eliſtram vſque ad Salam. Sorabus cum Oſter Hilda ſorore dominati ſunt. Vixi pudice abſque marito, ſic volentibus fatidicis parentibus. Sum tamen à filio Griphonis illuſa, nunquam tamen læſa. Poſtquam Sol quinquies decies & ſupra hoc ſepties curſum ſuum circumageret, virgo occubui. Hic ſepulta ſum. Stella fulgente vmbram meam videbitis Cygnei. Tunc lupi cornuti inſidias cauete. Caput bouis ad petram religatum ſoluetur. Vos ipſum reiicite. Porcum lacte & ſanguine ſaginatum mactate cum porcella. Alas ipſius diſcerpite. Ataui ſedem quærite. Matris anguſtias vitate. Limites veſtros parcius deſignate. Serra tridenti dura robora diuidite. Molari contundite. Silentium amate. Vaſa teſtacea è corona proiicite. Vultures qui cygnis inimicantur, fugate. Quod luteum fuerit, lapideum fieri curate. Igni noctem ſuccendite. Ardentem veſtem oleo extinguite. Parentis amictum non contemnite. Leges patrias non tranſcendite. Cygnorum meorum candorem ſolliciti ſeruate. Argenti fontes venenum habere mementote. Tudiculis matrem non lædite. Hæc vobis filii mei ô cygni vti à parentibus fatidicis accepi, tradidi. Felices ſi hoc ſequamini. Huc vſque Epitaphium clariſſimæ Swanhildis ſuis cum ænigmatibus, prout inuentum eſt, protenditur: quod patriæ meæ & antiquitatis amore huic operi inſerere libuit. Nunc ad cœptam hiſtoriam continuandam prolixius digreſſi calamum reducamus.

Anno Domini M CXC IV, Saladinus poſt longam perſecutionem ac Chriſtianorum cædes apud Damaſcum obiit. Iſte eſt Saladinus, qui moriens interiorem ſuã tunicam lancea ſuſpenſam ante funus ferri iuſſit ſuum; præcone clamante, Saladinum Aſiæ dominatorem ex tanto regno & principatu tantiſq; opibus nihil aliud ſecum ferre. Dignum ſane tanti principis ſpectaculum.

Eodem

Eodem anno Wichmannus archiepiscopus Magdeburgensis, benefactor nostri cœnobii eximius obiit: cui Ludolphus successit qui humilis parentelæ fuit, ab Wichmanno exaltatus, qui tamen multa bona fecit. Nam arcem Schrapelaw construxit. Addidit etiam Ecclesiæ suæ Brunstede & Langebay & alia. Ordo denique Teutonicorum dominorum circa hæc tempora incepit, ortum habens exordine sancti Ioannis Hierosolymitani. Ordo quoq; sanctæ Trinitatis idem circa tempus exordium habuit.

Anno Domini MCXCV, Henricus Leo, dux quondam Saxoniæ & Bauariæ inclytissimus, obiit, relinquens tres filios, Ottonem qui post factus imperator, & Henricum comitem palatinum, ac Wilhelmum ducem Brunswitzensem. Eodem anno, Henricus imperator reuersus est de Apulia cum maximo triumpho totius Siciliæ & Apuliæ, habens nomen regis Siciliæ. Quo & anno facta est generalis curia totius imperii in villa regia Geilenhusen, cui intererat Ioannes cardinalis de monte Cęlio, apostolicę sedis legatus. Ibiq; signati sunt dominica cruce in die sanctorum Simonis & Iudæ, Conradus Moguntinus archipræsul, & Gardolphus Halberstadensis, Bertholdus quoque nostræ Nuenburgensis Ecclesiæ antistes, Rudolphus denique Verdinensis, & Conradus Hildesemensis, Episcopi, Hermannus quoque Landgrauius Doringiæ, Otto marchio Brandenburg. & alii multi principes & nobiles, innumerabiliq; multitudo, protelantes expeditionem Hierosolymitanam pene per annum.

Anno Domini MCXCVII, Conradus Moguntinensis archiepiscopus in mense Ianuarii iter dominicæ crucis arripiens, cum multis aliis nauigauit Accaron. Eodē tempore Bertholdus Episcopus noster cum supra memoratis Saxoniæ Episcopis, & Hermanno Landgrauio, atq; Ottone marchione Brandenburgensi, maxima expeditione cruce signata ad terram quoque sanctam liberandam properarunt.

Anno Domini MCXCVIII, Henricus imperator eius nominis sextus obiit. Post cuius mortem non modica inter electores orta est discordia. Quidam enim Philippum Sueuiæ & Ethruriæ ducem, fratrem Henrici, elegerunt: & huic quidem rex Galliæ Philippus fauebat. Alii vero Ottonem ducem Saxoniæ, filium Henrici Leonis, imperatorem elegere, quem electum post Innocentius tertius confirmauit & coronauit. Hinc secuta sunt inter partes infinita mala & cruentissima bella, & tota concussa est Germania. Potissimum Doringia (vt infra dicetur) vastata fuit extreme, atq; vexata occasione proprii domini & principis Hermanni Landgrauii, qui iam illi nunc alii adhærens, & rursus deserens contra se prouocauit. Nam quemadmodum Arnoldus abbas Lubicensis in Chronica sua Sclauica testatur, Hermannus Landgrauius prædictus reuersus à transmarinis partibus, mox se iuramento Ottoni astrinxit, & in fauorem eius iunctis sibi Bohemis contra Philippum regem exercitum validum duxit, propriamq; terram hac occasione irrecuperabiliter destruxit. Quin & Philippus rex hæc audiens, manu graui Sigefrido Moguntino archiepiscopo auxilium ferente, & aliis multis copiis Doringiam intrauit, & Erphordię cōsistens totam prouinciam in gyro exterminauit. Nec minus exercitus Landgrauii, & præsertim Bohemi illis vniti, grauissima damna intulerunt, villas regias Northusen, Saluelt, Mulhusen &c. igne & ferro destruentes: sedecim siquidem ea tempestate Ecclesiæ cōuentuales religiosorum tam virorum quam mulierū cum parochiis trecentis & quinquaginta à Bohemis destructæ sunt. Ibi enim pessimus quisq; (quod dictu nefas est) pro camisia indutus alba, amictus stola pro tunica Dalmatica tectus videbatur proteruire & gloriari. Et quidem eiusmodi guerræ, clades & vastationes inter Philippum & Ottonem reges compluribus durauere annis & maxime (vt dictum est) in Doringia. Eodem anno Celestinus papa obiit, & Innocentius tertius, natione Campanus, successit, seditq; annis 17. Fuitq; vir sapiens, & in diuinis scripturis apprime eruditus. Plures decretales fecit, statuitq; quod communicantes peccata prius confiterentur, quotannis ad minus Paschæ. Composuit libellum vtilissimum de miseria humanæ conditionis, item sermones, & complura alia lectione dignissima. Eodem quoq; anno, circa festum diui Iacobi apostoli, venerabilis antistes noster Nuenburgensis Bertholdus reuersus est cum multis aliis de terra sancta.

Anno Domini MCXCIX, Hermannus Landgrauius Doringiæ, reprobato Ottone se Philippo regi iuramento obligauit, accipiens pro beneficio à rege Mulhusen, Northeim, Saluelt, regias villas, cum finibus Orlan, & castrum Ranis. Dominicus & Franci-

ſcus, Chriſtianæ pietatis duo luminaria, eodem tempore effulſere, quorum primus ordinem prædicatorum ſiue Iacobitarum, alter minorum fratrum inſtituit. Quo autem anno fuerint confirmati, dicetur in ſequentibus.

Anno Domini MCC, Galli Venetis iuncti Conſtantinopolim recuperauerunt, & Balduinum comitem Flandriæ imperatorem ibidem faciunt.

Anno Domini MCCI, Philippus rex à papa Innocentio reprobatur, & Otto in imperio confirmatur. Philippus tamen quoad vixit, prævaluit; habens ſequelam maximam cunctorum fere principum Germaniæ, quorum adiutorio Ottonem oppugnauit & oppreſſit, quod ipſo viuente nullius vel modicæ auctoritatis fuit & potentiæ. Otto quippe coronari cœpit & eleuari, ipſo Philippo interfecto, & non ante. Sed de hoc infra ſuo tempore latius.

Anno Domini MCCII, Tartari cum vxoribus & filiis ab Indiæ montibus egreſſi, per vicinas prouincias prædas exercuere: quibus allecti exin Parthos petierunt, & pari terrore Medos, Aſſyrios, Armenios, Sarmatasq; peruaſerũt, cunctas eorum terras deprædantes & deuaſtantes. Tandem circa Mæotidas paludes ſedes firmarunt.

Anno Domini MCCIII, Hermãnus Landgrauius rurſus reprobato Philippo rege ſe Ottoni obligauit. Hinc Philippus offenſus Doringiam hoſtiliter intrauit, & adiutorio Sifridi archiepiſcopi Moguntini atq; Erphordienſium, omnia quæ erant Landgrauii & ſuorum, ferro & igne crudeliter vaſtauit. Hermãnus itaq; neceſſitate tali conſtrictus, Bohemos in auxiliũ ſuum cum rege eorum Othocaro vocauit. Qui cum peruenissent vſq; Orlamunde, Othocarus rex duxq; illorum percipiens virtutem Philippi, expaueſcere cœpit. Quare de fuga tractare cœpit (ſicut etiam fecit) cum omnibus ſuis fugiens: quem cum quadringentis viris Palatinus Otto de Vitelſpach, dux exercitus Philippi, vſq; ad Bohemicum nemus perſecutus eſt. Quod audiens Landgrauius magis extimuit, & nullum videns ſubfugium, nulla prorſus cõditione interpoſita ſupplex ad pedes Philippi venit. Quem diutius in terra iacentem rex de perfidia & ſtultitia plurimum obiurgauit: demũ circũſtantiũ alloquiis admonitus de humo leuatum in pacis recepit oſculum. Othocarum vero adeo Philippus humiliauit, vt vix dimidietatem ducatus retinuerit. Eodem anno Conradus Epiſcopus Herbipolenſis, cancellarius regis Philippi occiſus eſt in platea non longe à maiore Eccleſia per Bodonem & Henricum de Rabensburg, tertia die menſis Decembris. Cui ſucceſſit Henricus Keſſe eius nominis quartus magiſter Pariſienſis, præfuitq; annis quatuor, diebus nouem.

Anno Domini MCCIV, Euerhardus Epiſcopus Merſeburgenſis obiit, poſtquam feliciter Eccleſiam commiſſam gubernaſſet annis 33, hebdom. 12. Is eſt memorabilis ille Epiſcopus, qui obtinuit à venerandiſſimo patre & domino Wichmanno, archiepiſcopo ſanctæ Magdeburgenſis Eccleſiæ, vt eſſet liber ab exactione telonii Hallenſis in emptione ſalis & aliarum rerum; etiam ſui canonici.

Anno Domini MCCVI, Bertholdus Epiſcopus noſter reuerſus è curia Romana, Epiſcopatum Philippo regi reſignauit, cui Engelhardus ſucceſſit. Hæc ex antiquis Erphordiæ Chronicis tranſcripſi: ex quibus liquet, inueſtituram Epiſcopatuum eo tempore adhuc fuiſſe ſub poteſtate atq; ordinatione imperatorum.

Liuonia regio ſeptentrionalis magna circa hæc tempora conuertitur ad Chriſti fidem pro parte. Et regnum Tartarorum incepit & creuit valde.

ENgelhardus itaq; anno dominicæ incarnationis MCCVI, Bertholdo vltro ſe ſummi pontificis aſſenſu Epiſcopatu abdicante, promotione Philippi regis ſucceſſit, præfuitq; feliciter annis ferme XXXVI. Qui cum Dei & beatiſſimæ virginis Mariæ cultor eſſet deuotiſſimus, nec non omni genere virtutum decoratus, complura in ſua vita pietatis exercuit opera, per quorum pleraque etiam ſe fautorem & amicum noſtri cœnobii oſtendit magnificum; ſicuti & in priuilegiis, infra ſcriptis & per eum nobis datis, luculenter exprimitur. Fuit denique vir iſte & præſul digniſſimus in terra ſancta. Romam quoque ob beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Eccleſiæ ſuæ patronorum ſuffragia imploranda iam annis ac ætate grãdæuior viſitauit, & ibidem ab papa Innocentio reſignationem Epiſcopatus ſui humiliter petiit & obtinuit. Archiepiſcopum inſuper Sifridum Erphordiæ defunctum honorifice ſepeliuit, & multa alia bona fecit, de quibus omnibus in ſequentibus ſuis locis & annis dicetur latius.

De quibusdam euentibus, temporibus Engelhardi Episcopi ex variis & vetustis historiis & Chronicis laborioſe collectis.

Anno igitur supra dicto MCCVI, qui est primus Engelhardi Episcopi, Ordo fratrum minorum institutus fuit per beatum Franciscũ Euangelicæ ac altissimæ paupertatis sectatorem conspicuum, qui confirmationem ordinis sui ab Innocentio papa impetrauit, non tamen solennem. Nam Honorius post eum papa ordinem tam fratrum minorum quam prædicatorum solenniter confirmauit. Ast de hoc infra latius. Eodem anno Colonia per Philippum regem capitur, quia Otto aduersarius suus ibi fuit fotus à Colonienſibus, sed Otto fugit ad loca tutiora.

Anno Domini MCCVIII, Philippus rex Germaniæ strenuus & bellicosus, dum ex minutione tranquillitati & quieti operam dedisset, & in lecto scamneo meridie recumberet, ab Ottone comite palatino de Vitelspach dolose occiditur. Cuius morte audita, vxor eius filia Ysachii imperatoris Constantinopolitani dolori succumbens, moritur & ipsa. Errant igitur qui eum à Landgrauio Doringiæ interemptum scribunt, vt Wernherus de Roleuinck Carthusiensis in Fasciculo temporum, & author rudimenti Chronicorum, & plures alii. Veruntamen ne tantum scelus à Teutonicis seclis inauditum maneret inultum: eodem anno rex Otto curiam in Francophurt indictam percelebrans, inter alia ibidem Ottonem memoratum comitem palatinũ occisorem regis Philippi sententialiter vita rebusq; proscripsit, & cunctis persequendum expotaque ita miserabiliter occiso, Ottonis fortuna & crescere & roborari cœpit. Huic Ottoni rex Angliæ fauebat, quia nepos eius ex sorore fuit, quam pater Ottonis Henricus Leo in vxorem duxerat.

Anno Domini MCCIX, Otto rex Romam veniens ab Innocentio tertio in imperatorem coronatur contra voluntatem & consilium multorum, & potissimum regis Franciæ. Verum benedictio confestim versa est in maledictionem, quia adhuc Romæ consistens fracto iuramento contra Ecclesiam tyrannisare cœpit. Et exposst pontificis contra voluntatem complura in Apulia cepit oppida. Siciliam quoque suæ ditioni adduxit. Ea propter eodem anno Romæ concilio habito imperio priuatur. Mãsit tamen imperator tribus annis. Eodem anno Albertus archiepiscopus Magdeburgensis cœpit, qui mirifica atque magnalia peregit laudabiliter opera. Hic moniales collocauit ad sanctam Agnetem, quæ prius sedebant ad diuam Gertrudem prope monasterium Berge extra Magdeburg.

Anno Domini MCCX, vt scribit Antoninus parte 3. Chron. tit. 19, c. 1, §. quanto in fine, cœperunt ordines mendicantium, Prædicatorum scilicet & Minorum.

Anno Domini MCCXII, Fridericus secundus Sueuus, filius Henrici imperatoris, contra Ottonem depositum in regem Romanorum electus est. Is in primis bonus fuit & modestus, ergaq; Dei Ecclesias & religiosorum cœnobia deuotus & magnificus: quibus & multa dedit priuilegia & immunitates. Successu vero temporis contra Ecclesiam Romanam erexit cornua, bona eius occupando: hinc & pontifices plures per ordinem, Honorium III, Gregorium IX, Celestinum IV, & Innocentium IV persecutus est, & cardinales plerunq; cepit, & custodiæ mancipauit. Quare & per singulos eorum (vt infra dicetur) è diuerso excommunicatus, regnoque & imperio priuabatur crebrius: tametsi imp. potens quoad vixerit ipse permanserit. Fuit, inquam, potentissimus imperator, Italiæ, Sardiniæ, Siciliæ, Hierusalem & Sueuiæ: quo nullus magnificentior tenuit imperium à Carolo Magno vsq; ad eum, &c. Habuit ex vxore legitima duos filios Henricum & Conradum. Henricus statim fuit interfectus. Conradus successit patri in regno, qui & ipse in breui per Manfredum intoxicatus mortuus est.

Anno Domini MCCXIII, Engelhardus Episcopus noster venerabilis nostro dedit priuilegium monasterio confirmationis super villam Lesten, & super parochia in Profin, quod quidem ita incipit. In nomine sanctæ & indiuiduæ trinitatis. Engelhardus diuina fauente clementia Nuenburgensis Ecclesiæ Episcopus. Omnibus Christi fidelibus in perpetuum gratia vobis & pax adimpleatur. Quoniam, vt legitur, breues dies hominis sunt, &c. Præterea collationem in Profin cum capellis infra terminos eius constructis, vel adhuc construendis, quæ à prædecessore nostro piæ memoriæ Vtone

eidem Ecclesiæ facta est, ratam habemus, & in nomine patris, & filii, & Spiritus sancti confirmamus &c. Huius rei testes sunt hi: Albertus Magdeburg. archiepisc. Henricus abbas sancti Georgii, Theodericus Misnensis marchio, Ecclesię aduocatus &c. Actum anno Dominicæ incarnationis M C C X I I I, indictione prima, pontificatus vero nostri anno septimo.

Anno Domini M C C X I V, Fridericus imperator dedit monasterio nostro priuilegium confirmationis ad instantiam domini Alberti pro tunc abbatis super X L agros sitos in monte Zanzi, quos monasterio contulit Theodericus marchio supra fatus. Incipit ita. Fridericus secundus Dei gratia Romanorum rex, & semper augustus, & rex Siciliæ inter cætera pietatis opera, &c. Ea propter vniuersis imperii Christique fidelibus tam præsentibus quam futuris duximus innotescendum, quod charissimus princeps noster & consanguineus noster Theodericus Misnensis & Orientalis marchio, coram nobis cõstitutus, pro remedio animæ suæ X L agros in quodam monte qui dicitur Zanzi, sito super Salam pro excolẽdis illic vineis, Alberto venerabili abbati de Puzowe & monasterio suo perpetuo proprietatis iure possidendos per manus nostras contradidit, à nobis cum deuotione postulans, &c. Nos ergo iustis ipsius marchionis & abbatis precibus inclinati donationem factam gratam habemus & ratam, & monasterio de Puzowe & abbati quoque & fratribus ipsos agros possidendos confirmamus. Adhæc indulgemus, & regia mansuetudine concedimus sæpedicto abbati & suis fratribus, quatenus de foresto nostro quod apud Altenburg forestum Cameræ nuncupatur, pro necessitate sua de lignis per singulas hebdomadas anni duos currus oneratos colligant & deducant: quemadmodum piæ memoriæ imperator genitor noster & Philippus patruus noster ipsis concesserunt. Vt autem omnia hæc perpetuum robur obtineant, hanc paginam exinde conscriptam sigillo nostro iussimus communiri. Datum apud Aldenburg anno quo supra, indictione 2. Ex isto priuilegio habetur etiam, quod eo tempore Aldenburg & pleraque alia fuerint sub ditione imperii. Hinc & supra memoratos montes vinearum Zanzi nobis collatos ipse Theodericus marchio Misnensis, pro tunc aduocatus noster, in feudum ab imperio habuit. Quapropter & ab imperatore Friderico prænarrato consensum & priuilegium corroborationis impetrare opus habuit.

Eodem anno Philippus Galliæ rex Ioannem Anglorum regem, & Ottonem quondam imperatorem ingenti apud Belgas superauit prælio.

Anno Domini M C C X V, Innocentius I I I, pontifex glorioſus, celebrauit concilium generale Romæ Episcoporum C C C X X X. In quo editæ sunt constitutiones plurimæ, valde vtiles saluti animarum, sicut de confessione & communione annaliter abomnibus fidelibus fienda & sumenda. Ibidem etiam tractatum est de recuperatione terræ sanctæ, & libri quidam abbatis Ioachim reprobati, qui in quibusdam errauit contra Magistrum sententiarum. Verum quia scripta sua correctioni Ecclesiæ submisit, hæreticus dici non poterit. In prædicto concilio generali, quod Romæ in Ecclesia Lateranensi celebratur, sanctus Dominicus petiit prædictum Innocentium, vt dignaretur ordinem suum confirmare qui prædicatorum diceretur & esset. Sed Innocentius illi non annuit, sed negauit confirmationem: quam tamen successor suus Honorius (vt infra dicetur) largitus, anno pontificatus sui primo qui est proximus sequens.

Eodem anno Innocentius papa obdormiuit in Christo, cui Honorius tertius, natione Romanus, professione canonicus regularis, successit, seditq; annis decem, mensibus septem.

Eodem anno Hermannus Landgrauius obiit, & sepelitur in Isenach, in monasterio sanctæ Catharinæ quod ipse fundauit, 6. calend. Maij.

Anno Domini M C C X V I, Honorius papa eius nominis tertius, anno sui pontificatus primo ordinem prædicatorum beato Dominico petente confirmauit. Similiter & ordinem fratrum minorum (vt supra dictum est) solenniter confirmauit, qui ante per Innocentium I I I approbatus fuerat. Eodem anno Fridericus Romanorum rex monasterio nostro dedit priuilegium confirmationis super parochia in Crisswitz, quam sua magnificentia liberalissime iampridem cœnobio contulerat. Incipit ita. In nomine sanctæ & indiuiduæ trinitatis. Fridericus secundus Dei gratia Romanorum rex & semper

ſemper Auguſtus, & rex Siciliæ, vniuerſalis eccleſiæ precibus efficacius adiuuari ſperamus, ſi ipſam in membris beneficiorum largitione, & particularium Eccleſiarum dote libenter adaugemus. Itaque præſentibus & in æuum ſucceſſuris hominibus notum eſſe volumus, quod de largitate regalis eminentiæ, iure patronatus parochiæ eccleſiæ in Criwitz, cum omnimoda dote ipſi attinente, & cum omnibus mancipijs vtriuſque ſexus, ſimiliter & vniuerſis iuſtitijs eidē Eccleſiæ debitis; cœnobio in Puzowe & abbati eiuſq; fratribus clericis & laicalibus perſonis, nunc & in æuum ibidē Deo militantibus, iure perpetuo donauimus habēdū, &c. Huiꝰ rei teſtes ſunt Theodericus marchio Miſnenſis & Orientis, Otto dux Morauiæ, Hermannus comes de Orlemunde, Ludouicus comes de Wirtenberg, Hartmannus comes de Quiburg, &c. Datum apud Aldenburg, anno Dominicæ incarnationis vt ſupra, 4. Id. Nouemb. indict. 5

Eodem tempore Hieruſalem per Corradinum filium Soldani magni funditus deſtructa fuit, præter templum & ſepulchrum Domini, quæ intacta reliquit.

Anno Domini MCCXVII, Engelhardus Epiſcopus noſter, & Theodericus marchio Miſnenſis aduocatus monaſterij noſtri, vna cum Friderico Cæſare & multis alijs Epiſcopis & principibus ad recuperandam terram ſanctam nauigauerunt, & iuxta Achon ingenti exercitu conuenerunt.

Anno Domini MCCXVIII, Damiata vrbs quæ eſt in Ægypto, in portu Nili fluminis latiſſimi, à noſtris capitur, licet maxima & triplici muro cincta. Verum pro recuperatione nobilium captiuorum ſequenti anno redditur. Eodem tempore Theodericus marchio Miſnenſis ſupra memoratus, conſtitutus in terra ſancta, cum audita morte fratris Alberti ſine hærede defuncti ad propria redire feſtinaret, adeo inſidijs Imperatoris vallabatur, vt nauim nō fuerit auſus palam ingredi. Quare clā lagena incluſus, longeq; per mare tractus, tandem in nauim poſitus euaſit. Hanc moleſtiam propter fodinas in Friberg paſſus eſt, quas idem Imperator libenter habuiſſet. Eodem quoq; tempore obijt Otto quondam Imperator, bellis attritus, & mœſtus languenſq; animo. Hic notandum, quod propter huius Ottonis diſcordiam & contentionem bellicam quam habuit cum Philippo rege, æque electo ſuper imperio, facta eſt decretalis illa. extra de elect. cap. Venerabilem.

An. Do. MCCXIX, Fridericus Cæſar, eiusnominis II, Romæ ab Honorio inunctus, imperiales recepit titulos. Verum quia paulo poſt eccleſiaſtica ſibi vſurpauerat iura, & mortua matre Conſtantia contra ius faſque pontificiam vexabat ditionem, ab eodem Honorio anathemate notatus imperio priuatus fuit. Antoninus tamen dicit eum coronatum anno ſequenti. Similiter dicit, & hoc anno Damiatam à Chriſtianis captam. Verum hæc vnius anni diuerſitas parum ad rem facit, quia potioribus ſemper & antiquioribus adhærendum eſt.

Anno Domini MCCXX, beatus Dominicus obijt. Friſia tota pene ſubmergitur fluctibus marinis, in qua perierunt plus quam centum millia hominum propter irreuerentiam factam Sacramento à quodam pugile, ſicut poſt reuelauit beata virgo cuidam ſuo famulo.

Anno Domini MCCXXIII, Philippus Gallorum rex pulcherrimus & bellicoſiſſimus defunctus eſt, & ſepultus in Mauſoleo prædeceſſorum ſuorum ad ſanctum Dionyſium Pariſijs.

Anno Domini MCCXXIV, Ieſus Chriſtus Dei filius, dilecto ſuo Franciſco per obumbrationem apparens in nemore, paſſionis ſuæ ſtigmata impreſſit ſacratiſſima.

Anno Domini MCCXXVI, Frāciſcus ordinis fratrum minorum princeps, Chriſti ſtigmatibus inſignitus, & miraculis clarus migrauit ad cœlum, & biēnio poſt in catalogum Sanctorum poſitus eſt.

Anno Domini MCCXXVII, Honorius papa diem clauſit extremum, cui Gregorius IX ſucceſſit, ſeditq; annis XIV, vir certe venerabilis vitæ & multæ prudentiæ. Hic Sanctorum catalogo ſolēniter aſcripſit fundatores ordinum, beatum ſcilicet Dominicum, & beatum Franciſcum, deniq; & ſanctam Elizabeth. Hic quoque Fridericum Imperatorem contumacem more anteceſſoris ſui Honorij excommunicauit, & ab imperio depoſuit.

Eodem anno paſſagium magnum ad terram ſanctam liberandam fuit, inſtigante

ad id ſummo Pontifice & iuuante. Huius ductor & caput Fridericus erat Imperator, quem cum multis alijs glorioſo apparatu concomitabatur beatæ memoriæ Ludouicus Landgrauius Thur. S. Elizabeth maritus. Qui tamen in ipſo itinere, cum veniſſent in Siciliam, in ciuitate Ortrant febribus correptus, vna cum magna parte militum ſuorum, cum totius exercitus iactura & lamento omnium (heu dolor) 3. Idus Septembris obijt. Cuius obitu Fridericus Cæſar turbatus, in Sicilia ſe continuit, intermittens pro tunc peregrinationem cœptam, ægritudinem ſimulans. Cuius fraus eo eſt cognita, quod ilico mortuo Landgrauio omnem eius ſupellectilem diripuerit. Quapropter rurſus per Gregorium excommunicatur, & conſequenter inter eos magnæ ortæ ſunt diſcordiæ. Eo tempore ſancta Elizabeth in Doringia claruit, quæ audita morte Landgrauij mariti ſui, ſe totam diuinis mancipauit obſequijs, in viduitate vſque ad obitum ſuum perſeuerans, maximas eleemoſynas faciendo. Ad ſe pauperem & ſanctiſſimam vitam duxit, multis etiam miraculis in vita, & poſt mortem clariſſima.

Anno Domini MCCXXIX, Fridericus Cæſar contra Papam Gregorium inimicitias ſuas proſequendo totam Italiam multis prælijs attriuit, omneſque ciuitates præter Bononiam & Parmam in ſuam redegit poteſtatem. Mediolanum etiam pene deſtruxit. Hoſtili animo montem Caſſinum aſcendens, monaſterium ſancti Benedicti ſpoliauit, & monachos eiecit. Eo etiam tempore ob diſcidium inter Papam & Imperatorem orta & inuenta ſunt illa teterrima & factioſa Guelphorum & Gibelinorum vocabula, ad differentiam partialitatis; vt videlicet adhærentes Pontifici Guelphi, imperio autem ſiue Cæſari fauentes dicerentur Gibelini. Ex qua partialitate vſque ad noſtrum æuum potiſſimum in Italia infinita ſequuta ſunt mala. Proinde ob tyrannidem Friderici Gregorius papa concilium apud Lateranum indixit, in quo de abrogando eo ratio haberetur. Quod percipiens Fridericus terra mariq; vias præcluſit, ac quoſdam cardinales ac prælatos captos in carceres coniecit. Qua ex re tantum dolorem Gregorius concepit, vt non diu poſt ſuperuixerit, vt dicit Platina. Prædicta tamen quæ hic per anticipationem dicta ſunt, facta fuere circa annum Domini MCCXXXVII, quia poſt hanc calamitatem Gregorius non diu (vt dictum eſt) ſuperuixit. Decretales circa hæc tempora per Raymundum ordinis prædicatorum, magiſtrum in iure peritiſſimum, iuſſione Gregorij papæ compilatæ ſunt & approbatæ:

Eodem tempore, anno videlicet Domini MCCXXXIX, Engelhardus Epiſcopus noſter ex mandato ſummi pontificis & Archiepiſcopi noſtri Alberti, fecit reformationem ſiue inſtitutionem nouam ſuæ diœceſis monaſteriorum, & præcipue in cantu & celebratione diuini cultus, & hoc propter abuſiones quæ in Eccleſijs inoleuerant multas, confecitque deſuper priuilegium quod ita incipit. In nomine ſanctæ & indiuiduæ trinitatis. Engelhardus Dei gratia Nuenburgenſis Epiſcopus, dilectis in Chriſto fratribus, abbati & conuentui in Puzowe ſalutem in ſalutis authore, &c. Noſtis ſiquidem, quam diſtricte viſitationem diœceſium noſtrarum domino Archiepiſcopo & nobis dominus Papa ſuis literis iniunxerit, comminans deſidibus, pigros excitans, & conteſtans ſingulos, &c. Acta ſunt hæc anno gratiæ M, &c. vt ſupra. Data Puzowe VIII Idus Septembris, indictione II, pontificatus vero noſtri anno XXIII feliciter, Amen.

Anno Domini MCCXXXIV, Fridericus in Syriam tranſiens, cum maximo Ægypti principe quem Soldanum nominant, conuentiones fecit, in quibus plura conſenſit Chriſtianiſmum minus decentia: poſtq; Soldano conſentiente Hieruſalem ingreſſus in ea coronatur. Verum confœderationem iſtam Friderici cum Soldano crucis inimico factam Romanus Pontifex moleſtiſſime tulit. Proinde omni ſagacitate & conamine ac induſtria ſategit, quomodo ipſum Fridericum imperio priuare poſſet omnino & dejicere. Eam ob rem concilium ſupra memoratum Lateranenſe adunari præcepit. Quod tamen Friderici potentia (vt ſupra patet) impeditum fuit. Illis temporibus Fridericus, cum à tranſmarinis rediſſet, elephantum ſecum in Italiam tulerat.

Anno Domini Ieſu Chriſti MCCXXXV, Gregorius Papa Peruſij in conuentu fratrum prædicatorum VI Calendas Iunij ſanctam Elizabetham diuorum catalogo ſolenniter aſcripſit. Hæc Sancta tres liberos reliquit, quos Ludouico Landgrauio pepererat, Hermannum qui patri ſucceſſit, Sophiam quæ nupſit duci Brabantiæ, & aliam

liam filiam, quæ Christo oblata Sanctimonialis facta est in Aldenburg.

Eo tempore Iordanus, natione Teutonicus, primus post sanctum Dominicum ordinis prædicatorum magister generalis, vir vita & doctrina admirandus, effulsit, qui super Apocalypsim profunde & glorioſe scripsisse legitur.

Anno Domini MCCXL, Gregorius Papa varijs tribularionibus fessus obijt, cui Celestinus IV succesſit, qui solum dies decem & septem in papatu vixit. Fuit quippe senex & debilis. Celestino defuncto anno MCCXLI vel circa, sedes vacauit anno vno, mensibus nouem.

Anno itaque Domini MCCXLII, Innocentius quartus in summum est electus Pontificem, vir rigidus, & iustitiæ tenacissimus executor. Hic concilium generale Lugduni contra Fridericum Imperatorem congregauit, in quo ipsum citatum, sed non comparentem sententialiter omni prorsus imperatoria ac regia potestate priuauit atq; deposuit, & electoribus imperij vt sine mora alium eligerent scripsit: quod & factum est. Nam elegerunt Henricum Landgrauium Doringiæ, qui fuit frater Ludouici Landgrauij defuncti in peregrinatione ad terrā sanctam, mariti videlicet sanctæ Elizabeth: qui tamen infra breue tēpus defunctus est. Post quē elegerunt Wilhelmū comitē Hollandiæ qui etiam non multo post à Frisonibus in bello occisus est. Vnde vterq; benedictione caruit imperiali. Cæterum Fridericus olim Imperator magis ac magis aduersus papam & sibi adhærentes sæuite cœpit, & contra ecclesiasticos tyrannizare. Nam furore percitus in odium Papæ XL episcopatus & abbatias euacuauit in graue eorum præiudicium, & multa mala fecit clericis, quorum plures bonis eorum subtractis suspendit contra propria iura & priuilegia quæ in exordio imperij sui pro libertate & immunitate ecclesiæ dederat. Iste Fridericus dominium dominorum de Brunswig & Luneburg mutauit in ducatum: antea quippe ob depositionem Henrici Leonis solum Domini de Brunswig dicebantur.

Eodem tempore in Saxonia duo magnifici & præpotentes Alberti claruerunt. Vnus Bernhardi filius, cui Fridericus primus, deposito prædicto Henrico Leone, ducatum Saxoniæ cum electura imperij dederat; faciens ex comite de Anhald ducem Saxoniæ & electorem, ad quo Bernhardo superius dictum constat, & armis eius atque insignibus. Albertus itaq; ille filius Bernhardi, nepos autem Alberti Vrsi, dux Saxoniæ & imperij elector, cum Cæsare præmemorato trans mare perrexit, fuitq; Christianæ dux militiæ. Quique inter alia fortia gesta pro tunc cepit ciuitatem Solis, redienſq; caput sanctæ Barbaræ secum attulit: primus in Wittenberg resedit, vbi & vxor eius deuotissima monasterium fundauit. Albertus vero alius cognomento magnus, dux de Brunswig & Luneburg, mira & magna perfecit opera, domi & militiæ clarissimus. Hic cum fratre Ioanne patriam partitus est ditionem cum Cæsaris consensu, vt dominium Luneburgense retineret Iohannes, Brunswicense remaneret sibi. Et ita fecerunt. Verum arma indiuisa mutuo & per posteros vsque in præsens seruauerunt. Huius vxor fuit neptis sanctæ Elizabeth, filia ducis Brabātiæ, ex Sophia filia eiusdē diuę Elizabeth, Albertus iste deniq; (vt dictum est) mira fecit, magno labore humiliauit nobilitares de Asseberg. Cōradū quoq; comitē de Euerstein captū suspendit per pedes ad patibulum, ne statim deficiens pœnitere non posset. Gerardum insuper archiepiscopum Moguntinensem captum diu in custodia detinuit, de quo infra anno quo id factum est, dicetur magis. Et quanquam præfatus Albertus, dux Brunswicensis, maximus bellator esset, fuit tamen victus & captus, & grandi pecunia taxatus per marchionem Misnensem Henricum, dum prædandi gratia armatus terram Misnensem inuadere tentasset; de quo infra anno Domini MCC LXXVI dicetur. Depositio Friderici secundi ab imperio facta est circa annum Domini MCCXLIII, post cuius depositionem imperium vacauit annis 28.

Innocentius Papa eo tempore Egmundum Episcopum Cantuariensem, & Stanislatum Episcopum Cracouiensem, nec nō Petrum Veronensem ordinis prædicatorum ab hæreticis passum canonizauit.

Anno supra dicto MCCXLII, Engelhardus Episcopus noster obijt, cui Theodericus marchio Misnensis succesſit, verum non statim sed post biennium, impeditus per Petrum rite & canonice electum &c. infra.

Anno Domini MCCXLIII, ſancta Hedwigis, dux Sleſiæ & Poloniæ, mulier ſanctiſſima, miraculis inſignis, matertera beatæ Elizabeth, obijt. His temporibus Alexander de Ales claruit qui grandis natu, id eſt iam pene defecta ætate, ordinem minorum fratrũ ingreſſus eſt. Hic ſummo pontifici Innocentio admodum charus fuit, cuius etiam iuſſu ac mandato ſummam in Theologia edidit copioſam. Dictus eſt is Alexãder ob ſummam doctrinam irrefragabiliter doctor.

THeodericus ſecundus, marchio Miſnenſis, XVII Nuenburgenſis Eccleſiæ præſul, Engelhardo defuncto poſt longam cum magiſtro Petro canonice electo contentionem, fratris ſui marchionis videlicet Miſnenſis procuratione à paucis electus, anno dominicæ incarnationis MCCXLIV, indictione ſecunda, ſucceſſit: quandoquidem memoratus magiſter Petrus, vir bonus & eruditus, in ſtudio poſitus Pariſienſi, canonice fuit electus, & dum nuncij vt rediret miſſi fuiſſent, prædictus Theodericus archiepiſcopum adiens Magdeburgenſem muneribus datis in epiſcopum ſe confirmari obtinuit. Egreſſoq; eo veniens magiſter Petrus, dum ſuper ſua rata electione multa allegaret, & nil proficeret, imo niſi taceret baculandum ſe eſſe intelligeret: ſermonem & allegata ſupprimens, confuſus abſceſſit. Ideo Theodericus Epiſcopus iſte magis intruſus, quam canonice electus, videtur. Attamen Eccleſiam ſuſceptam per complures annos ſatis ſalubriter rexit, licet quot annis examuſſim non legerim. Vixit tamen adhuc in regimine, anno Domini MCCLVIII, quo monaſterio noſtro priuilegium dedit, vt in ſequentibus eodem anno patebit latius. Ex quo etiam liquet, hunc Theodericum monaſterij noſtri fautorem fuiſſe non vltimum. Præterea hunc epiſcopum noſtrum Petrus ludimagiſter ſcholæ puerorum in Nuenburg ſuo in catalogo manco ſcribit noſtrum fundaſſe monaſterium, & in eo fore ſepultum: quod nec tempus neque ratio admittit, quia longe ante, anno videlicet Domini incarnationis 1114. indictione ſeptima, noſtrum cœpit fundare archiſterium, in quo & ſepultus in domino quieſcit. Iſte autem Theodericus non in Pozowe apud nos, ſed Nuenburg humatus eſt: nullius ſiquidem Epiſcopi præter fundatoris noſtra continet eccleſia corpus. Propter eiuſmodi itaq; errores quibus ille Petrinus ſcatet catalogus, ordinemq; præpoſterum atq; confuſum, quem in locatione & ſerie Epiſcoporum nominum continet, hoc opus aggreſſus ſum: quod ex varijs horum priuilegijs Epiſcoporum pariterq; antiquis Chronicis multis collectum, venerando domino Ioanni de Schonberg, anno ſuperiori qui fuit noſtræ ſalutis MDXVII, obtuli: q; ipſe gaudio magno ceu diu deſideratum theſaurum lætus ſuſcepit, meq; honeſto munere donatum reuerẽter ac honorifice dimiſit. Verumtamen per ea quæ retuli nolo aſſerere, hanc nec mihi arrogantiam attribuere, quod videlicet omnimodo certa & indubitata congeſſerim, cum & ego ſim homo, & errare potuerim & fallere: maxime in editione illa prima, quam neceſſitate vrgente præpropere quodammodo ſupra memorato Epiſcopo aſcripſi Ioannì; præſertim cum & eam inter peregrinandum collegerim, & plerunque in pagis tugurijſque, vbi nullum librorum adminiculum præter excerpta quædam habere quiueram, conſcripſerim. Etenuera, vt ingenue fatear, minus pro tunc certus eram, potiſſimum erga annum quorundam præſulum primum & vltimum, id eſt, quo Domini cœperint vel obierint anno. Attamen qua tempeſtate quibuſue ſummis ſub pontificibus eccleſiam rexerint Nuenburgenſem; me comperta & vera poſuiſſe arbitror dubio procul: licet (vt fatus ſum) diem obitus reperire quorũdam certum nequiuerim: quin iñmo tunc extra monaſterium cõſiſtens temporis, noſtri nec fundatoris habere epitaphium ad votum potuerim. Proin de anno aut obitus illius die me ambigue ſcripſiſſe haud negauerim. Et hoc in prænarrata editiuncula catalogi prima. Secus autem in hoc opere catalogi maioris (quod in cœnobio manens degenſque, inter Chronicorum & priuilegiorum luſtrationem multorum congeſſi) feciſſe me conſtat, ſolidiora & compertiora conſcribendo, quæ ex multis vetuſtiſſimis Chronicis & hiſtoriis, eo tempore quo biennio per Ioan. Tritemium abbatem &c. antiquitatum inquirendarum & conſcribendarum gratia, ipſiq; ſuis pro annalibus decorandis deferendarum, per Germaniam miſſus fueram. Vbicunq; ergo eo tempore in vetuſtis codicibus, præcipue Slauorum, Saxonum, Dorigorum, & ſimilium gentium & eccleſiarũ Chronicis quippiã de noſtris epiſcopis ſcriptũ cõpereram; confeſtim cõſignaui. Multa tunc & memorãda ex annal. eccleſiæ Merſeburg-

seburgenſis,& vita præſulum eiuſdem,multa deniq; & ſolida ex geſtis Archiepiſcoporum Magdeburgenſis Eccleſiæ noſtræ metropolitanæ, quę noſtros & ordinare & confirmare ſua authoritate habet antiſtites, collegi & tranſcripſi. Veruntamen quicquid pro me dixerim,erraſſe & in præſenti me potuiſſe opere ingenue fateor:cum nemo ex omni parte ſit beatus,& magnus quandoque dormitet Homerus,ſæpeq; magiſtrorum pro vero etiam nolentes ſequamur errores, plurimaq; ſit inter hiſtoricos annorum de ſupputatione diuerſitas,& in ipſa narratione rerum geſtarum plerunq; varient authores:cum id quod vnus attribuit Carolo vel Petro, alter aliter ſentiens adſcribit Ludouico vel certe Paulo; licet in eiuſmodi diuerſitate maioribus magiſq; peritis & authenticis adhærendum ſit. Proinde, vt Platina inquit, ſatius fuerit in tanta ſcriptorum varietate & temporum omnino aliqua ſcribere,quam quę aliquando ſunt geſta ob incertos authores obmittere. Et ſubiungit, Conſulimus poſteritati, nec ita ſuperſtitioſi ſimus,vt nolimus ea credere quæ varij auctores ſparſim conſcripſere. Hæc ille. Sed nunc de hoc ſatis:modo cœptam hiſtoriam proſequemur.

Anno itaq; ſupra dicto MCCXLIV,quo Theodericus iſte factus eſt Epiſcopus,Innocẽtius Papa illud memorabile conçilium Lugdunenſe adunauit celebrauitq;:in quo Fridericum ſecundum contumacem & tyrannum ab imperio depoſuit, de quo etiã ſupra per anticipationem dictum eſt,poſt cuius depoſitionem vacauit imperium annis XXVIII. Quo tempore licet aliqui reguli electi fuiſſent, cito tamen vel mortui fuere vel in bello occiſi,nec eorum aliquis ad benedictionem imperatoriam peruenit, vſq; ad Rudolphum,de quo in ſeqq.

De quibuſdam euentibus ſub regimine Theoderici Epiſcopi. Ex Chronicis.

ANno Domini MCCXLVII, Theodericus Epiſcopus noſter campanam maximam Erphordiæ tunc fuſam conſecrauit & benedixit ibidem. Eodem anno Henricus Lãdgrauius Doringiæ in regem Romanorum electus eſt, vir ſtrenuus & bellicoſus, ſed eodem anno obijt. Hic frater fuit Germanus Ludouici Landgrauij, mariti ſanctæ Elizabeth,de quo & ſupra dictum,& hic propter annum certum repetitum.

Eodem anno abbatia ordinis diui patris noſtri Benedicti ex vrbe Lubeka in Ciſmariam translata eſt, ad ſex miliaria à litore intra mare Balthicum: cuius monachi nunc reformati ſub inſtitutione ſiue vnione Burſfeldenſi militant altiſſimo. De fundatione eius dictum eſt ſuperius ſub Bertholdo, primo noſtro eius nominis epiſcopo. Reformatum autem fuit,& aſſumptum per patres,anno Domini MCCCCXXXVI.

Anno Domini MCCXLVIII, Innocentius, papa eius nominis quartus,ad inſtantiam *abbatis viri venerabilis valde, dedit monaſterio noſtro bullam ſiue priuilegium confirmationis omnium bonorum & proprietatum eius. Incipit: Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filijs,abbati Pozauienſi,eiuſque fratribus,tam preſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis, in perpetuum &c. Adhæc nouas & indebitas exactiones ab Archiepiſcopis,Epiſcopis, decanis,archidiaconis, omnibuſq; alijs eccleſiaſticis ſecularibuſue perſonis à vobis omnino fieri prohibemus, &c. paci quoque & tranquillitati veſtræ paterna in poſterum ſollicitudine prouidere volentes, auctoritate apoſtolica prohibemus,vt infra clauſuras locorum ſeu grangiarum veſtrarum nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temere capere,vel interficere, ſeu violentiam audeat exercere, &c. ibi. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temere perturbare,&c. Datum Lugduno v nonas Iulij,indictione VI, anno Domini quo ſupra, pontificatus vero Domini Innocentij papæ quarti anno ſexto. Innocentius papa prænaratus in concilio Lugdunenſi(de quo ſupra) conceſſit fratribus eremitanis, vt poſſent viuere ſub regula diui Auguſtini, & quod celebrare poſſent officium curiæ Romanæ,quaſi antea non fuiſſent ſub aliqua regula, ſed vixiſſent in eremis pro arbitrio,& dixiſſent officia more idiotarum *Pater noſter*, vel ſimile aliquid. Porro habitum quem deferunt nigrum, ſucceſſor ipſius Innocentij Alexander dedit eis quartus, prout in bulla quadam, quæ Bononiæ habetur, luculentiſſime patet. Ex his liquet, quod nec regulam neque cucullam nigram à ſancto Auguſtino habent; (vt

ipſi nunc gloriantur) qui regulam clericorum non mendicantium ſcripſit. Imo regula eius omnino contraria eſt mendicitati, licet eam poſt multi ordines etiam mendicantium aſſumſerint, inter quos ſunt & ipſi eremitæ, qui extunc auctoritate Innocentij prædicti vocati ſunt eremitæ ſancti Auguſtini. De quo ordine ipſe diuus Auguſtinus nunquam fuit, neq; cogitauit: quemadmodum & pulchre teſtatur Robertus Helchot, magiſter generalis ordinis prædicatorum, ſuper lib. ſapiē. in cap. 7. ſuper verbo. Quam ſine fictione didici, &c. Quomōdo videlicet ante paucos dies iſti eremitæ (qui vt dicit nunc facti ſunt vrbanitæ) cœperunt viuere ſecundum regulam beati Auguſt. quæ appellatur ſpeculum clericorum, & contraria eſt expreſse vitæ eremiticæ, quia fecit eam pro canonicis regularibus poſſeſſiones habentium in communi vita, & allegatur in iure de vita clericorum, videlicet diſtinctione 86 c. Quum neceſſitas & diſt. 12. q. 1. Non dicatis &c. ibi & in ſeqq. plus.

Anno Domini MCCXLIX, Sifridus Archiepiſcopus Moguntinus in Pinguia obijt, & Chriſtianus nomine & opere ſucceſſit, qui pacem fecit & dilexit. Eodem anno Ludouicus beatæ memoriæ Gallorum rex Damiatam cepit, & varijs inde prælijs cum Saracenis habitis tandem ſuperatus & captus fuit: pro cuius liberatione & aliorum nobilium Damiata eſt reſtituta Soldano.

Anno Domini MCCL, Fridericus imperator in quadam ciuitate in Apulia mortuus eſt, & (vt inquit Antoninus) per Manfredum filium ſuum illegitimum cuſino ſuper os poſito ſuffocatus. Et ita miſere interijt Imperator potentiſſimus, qui poſt Carolum magnum in diuitijs & potentia parem non habuit. Quo defuncto Innocentius papa pacis & reformationi eccleſiæ ſtuduit, locaq; vacua cardinalium reſtaurare optimis quibuſque ſuffectis curauit. Quo etiam tempore Hugonem, ordinis ſancti Dominici, vita & doctrina inſignem, cardinalem promulgauit, qui primus poſtillator extitit totius Bibliæ, adeo pure & fideliter textum quadruplici ſenſu exponēdo, vt eatenus vix habuerit ſecundum; licet Eraſmus nouus ſcripturarum interpres cum ob Atticæ linguæ inſcitiam, & exin ob diſſonam ineptamq; quorundam è Græca Græcanicarum dictionū expoſitionem, plerunq; reprehendat irrideatq;, cum ſapientius tanto viro condoluiſſet, quam exprobrando taxaret, quem in ea tempora incidiſſe nouerat, quæ politiores literas, præcipue Græcas, totam & per Galliam & per Germaniam prorſus incōpertas & inauditas habuerant. Veruntamen plurimum laudandus eſt iſte venerabilis Hugo, quoniam non per philoſophorum & poetarum dicta, non per Ariſtotelis, non per Auerrois ſophiſmata, diuinam probat (ne dicam contaminat) ſcripturam; ſed verba Legis per Legem explanat, iuxta quod dicitur Leuit. 19, Agrum tuum non ſeres diuerſo ſemine, i. dictis philoſophorum & poetarum agrum dominicum non conſpergas, quia hoc eſt nil aliud quam zizania & lolium ſeminare inter triticum. Et eodem c. ad idem ſubiungitur. Veſtem quæ ex duobus contexta eſt, non induas. Et ſaluator Matthæi 9. Nemo, inquit, immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus &c. quæ cauſa breuitatis pertranſeo. Eodem anno & tempore ſanctus Cyrillus montis Carmeli Prior Doctorq;, tum vitæ ſanctitate tum ſpiritu prophetiæ conſpicuus, claruit, qui multa de futuris ſeculis memoranda conſcripſit.

Anno Domini MCCLI, Conradus filius Friderici, audita morte patris, cum grandi militum copia profectus, regnum Apuliæ velut hæreditarium ingreſſus eſt: & cum illud pacifice ſuſcepiſſet, proximo deinde infirmatus anno, à medico qui eum curare debuerat, Manfredo fratre ſuo inſidiante & procurante, venenum pro remedio datum ſuſcipiens, mortuus eſt; filium nominis ſui, vel vt alij volunt Conradinum dictum relinquens. Eodem anno Chriſtianus Archiepiſcopus ſpontaneæ dignitati & epiſcopio reſignauit: Cui Gerardus filius comitis, qui dicitur & Syluеſter, ſucceſſit.

Anno Domini MCCLII, Petrus nouus ordinis prædicatorū martyr ab hæreticis pro fide occiſus eſt.

Anno Domini MCCLIII, vel circa, beatus Stanislaus Epiſcopus Cracouienſis ab iniquo principe occiſus eſt.

Anno Domini MCCLIV, Innocentius Neapoli obijt, cui Alexander quartus noſtri ordinis diui videlicet Benedicti ſucceſſit, natione Campanus (nam Herincos olim nunc Campanos vocant) patria Anagninus qui monaſterio noſtro glorioſum priuile-

gium

gium dedit, de quo infra suo anno & loco dicetur. Porro Innocentius papa vti vir doctissimus plura egregia à se composita reliquit scripta, potissimum Apparatum decretalium profunde & eleganter dictatum. Edidit & alium in cõciliis approbatum, quem Ostiensis in summa sua Authenticum vocat. Proinde à canonistis iste Innocentius lucerna iuris appellatur, item librum de iurisdictione imperii & auctoritate pontificis contra Petrum de vineis &c. Eodem tempore Ioannes de Rupella claruit ordinis minoritanorum, vir vita & doctrina præclarus, qui primus super IV libros sententiarum Petri Longobardi argumentose & vtrumnose scripsit. Quem multi deinceps sui ordinis & aliorum sacræ theosophiæ professores imitati, libros & cõmentaria à se edita Aristotelicis argutiis, & quæstiunculis Dialecticis, opinionibusq; ambiguis, technis denique fallacibus oppleuerunt; nouumq; id est philosophicum docendi & prædicandi modum scholis Christi introduxerunt, quem saluator noster & Apostoli nõ docuerũt, qui philosophice nunquam prædicauerunt: nimirum cum nulla sit philosophiæ secularis, nec esse possit cum theologia vera siue salutis siue religionis Christianæ concordia, sicuti nec Christi ad Belial, & lucis ad tenebras: ideoq; quam fideliter & deifice id fecerint, viderint ipsi; potissimum cum & legislator eorũ diuus Franciscus grauissime & horribiliter maledixisse legatur fratri Ioanni ordinis ministro, qui eius sine licentia Bononiæ literarum inchoauerat studium, & adeo quidẽ, vt confestim infirmitate correptus paulo post terribili morte interierit, ita quod neque in extremis vir Dei maledictionem illatam etiam rogatus reuocare voluerit, asserens eam in cœlo fore confirmatam, seque malle fratres suos magis orare quam legere.

Agnellus quoq; & ipse eiusdem ordinis minister generalis, vir humilis ac beatæ vitæ, cum & ipse studium in conuentu Oxoniensi instituisset, & post tempus modicum cum audisset semel inter se clamose disputantes, vtrum ista sit vera, *Deus est*; zelo accensus, & multũ turbatus ait, Heu me! simplices & illiterati ad Deum rapiuntur, & isti literati Deum esse ponunt in quæstione; & exin studium reuocauit. Cæterum hæc & similia in sequentibus, cum ad Erasmi Roterodami, diuinarum literarũ summi & consummati interpretis, & Martini Lutheri Augustinensis, Theologi æque consummati, profundi & incomparabilis, qui sacram theologiam ad fontalem dignitatem, primæuamq; puritatem nec non Euangelicam, sinceram simplamq; suam illam innocentiam & integritatem (omni prorsus philosophia seculari explosa) reducere conantur, tempora Deo fauente peruenero, propensius latiusq; prosequi tentabo.

Anno Domini MCCLVI, Alexander papa, eius nominis (vt dictum est) IV, ordinis nostri diui videlicet Benedicti monachus, vir omni virtute & religione conspicuus, dedit nostro monasterio priuilegium magnum & insigne confirmationis omnium proprietatum & bonorum quæ ab initio habuit, & in posterum habere poterit, singula bona etiam nominatim per loca in quibus sita sunt, diligenter exprimens; ex quo quædam huic operi memoranda & notatu digna inserere dignum duxi, quod quidem incipit taliter. Alexander, Episcopus seruorum Dei, dilectis filiis, abbati monasterii sanctæ Mariæ in Pozowe eiusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum conuenit adesse præsidium &c. In primis siquidem statuentes, vt ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum iuste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; molendina quæ habetis Luckenowe & Lesten, in aqua quæ Alestria nuncupatur, cum aquarum decursibus, sylua & omnibus pertinentiis eorundem; piscationem quam habetis ibidem: ius patronatus quod habetis in Ecclesia sita quæ nominatur Profin; mansos sex quos in villa eadem obtinetis; in villa quæ dicitur Wirbin x mansos; in villa quæ vocatur Scansdorff XII mansos; decimam quam habetis ibidem; villam quæ dicitur Miltindorff, cũ omnibus pertinentiis suis; iurisdictionem

temporalem quam habetis ibidem; 8 mãsos quos habetis in villa quæ Rodewanſdorff nuncupatur; villam quæ dicitur Watuwitzt cũ allodio vno & omnibus pertinẽtiis ſuis; iuriſdictionem quam habetis ibidem; villam quæ Theebuditz vulgariter nuncupatur, cum iuriſdictione temporali & omnibus pertinentiis ſuis; octo manſos quos habetis in villa quæ dicitur Cline; tres manſos in villa quæ dicitur vulgariter Porſitz; ius patronatus quod habetis in Eccleſia ſita in villa quæ dicitur Rodowe; allodium vnũ & XVI manſos quæ habetis ibidem; allodium vnum quod habetur in loco Choarwitz vulgariter nominato; ſeptem manſos, ſyluas & prata quæ habetis ibidẽ; duos manſos quos habetis in villa quæ dicitur Droisdorff; decimam quam habetis ibidem; viginti octo manſos in villa quæ appellatur Golbin; villam quæ dicitur Ozzeck cum ſylua & omnibus pertinentiis ſuis; ius patronatus quod habetis in Eccleſia Zwickowe; villam quæ dicitur Hondorff, cum iuriſdictione temporali & omnibus pertinentiis ſuis; XII manſos quos habetis in villa quæ dicitur Schiltbach; manſos XVI quos habetis in villis Lomitz & Lomitz vulgariter appellatis; quatuor manſos in villa quæ dicitur Schebenitz; XII manſos cum vno allodio, pratis & ſyluis quæ habetis in villa Drogelitz; XVI manſos, domos VI, & vnum allodium in villa Nuendorff vulgariter nuncupata; ius patronatus in Eccleſia villæ eiuſdem; allodium vnum cum XVIII manſis & omnibus pertinentiis ſuis, quæ habetis in loco qui dicitur Dipoldesdorff; duos manſos quos habetis in villa quæ dicitur Cochowe; quinque manſos in villa quæ dicitur Breſen. In Miſnenſi diœceſi manſos XXXII in villa quæ dicitur Cichwitz; ius patronatus quod in villæ ipſius Eccleſia obtinetis; VIII manſos quos habetis in villa quæ dicitur Blochſdorff; duos manſos in villa quæ appellatur Nidazen; II manſos in villa quæ vocatur Portin; decimã quã habetis in loco qui pagus Pliſnẽſis vulgariter nuncupatur; decimã quam habetis in terra quæ appellatur Gera; vineam quam habetis in villa quæ dicitur Lubechowe, ius patronatus quod habetis in Eccleſia villæ eiuſdem cum terris, pratis, vineis, nemoribus, in ſuagiis & paſcuis, in boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis &c. Prohibemus inſuper nouas & indebitas exactiones ab archiepiſcopis, Epiſcopis, archidiaconis ſeu decanis aliiſq; omnibus Eccleſiaſticis ſecularibuſue perſonis à vobis omnino fieri. Sepulturam quoq; ipſius loci liberam eſſe decernimus. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatum monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre vel ablatas retinere, minuere vel quibuslibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſeruentur, eorũ pro quorũ gubernatione ac ſuſtẽtatione cõceſſa ſunt, vſibus omnimodis ꝓfutura: ſalua ſedis apoſt. auctoritate & diœceſani Epiſc. canonica iuſtitia, & in ꝓdictis decimis moderatione concilii generalis. Si qua ergo in futurum Eccleſiaſtica ſecularisue perſona hãc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentauerit; ſecundo tertioue commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſq; ſui careat dignitate, reamq; ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atq; in extremo examine diſtrictæ ſubiaceat vltioni. Cunctis autem eidem ſua iura ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen. Ego Alexander catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Datum Anagniæ per manum magiſtri Rolandi, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ vicecancellarii, 3 Cal. Nouembris, indictione XIV, incarnationis dominicæ anno quo ſupra, põtificatus vero domini Alexandri papæ IV anno ſecundo.

Eodem anno Gerardus Moguntinus Epiſcopus captus fuit per Albertum ducem Brunſwicenſem in prælio monachorum Walckenrode, & abductus cum multis aliis in Saxoniam, donec ſe multo ære liberauerat redemeratq;.

Circa idem tempus imperii electores poſt obitum Friderici & Conradi filii de imperatore deligendo contendentes, bifarie diuiduntur: quia aliqui Alphonſum regem Caſtellæ; alii Richardum, (vt dictum eſt) quem aliqui Cornubiæ comitem & comarcham, alii Holandiæ appellant, fratrem regis Angliæ elegerunt: ſed neuter confirmatus. Interregnum adhuc aliquot in annos prorogatur vſque ad tempora Gregorii decimi, & Rudolphi Romanorum regis.

Anno

Anno Domini MCC LVIII, Theodericus Episcopus noster ad instantiam venerandi patris & domini Conradi abbatis dedit monasterio nostro priuilegium confirmationis super duos mansos sitos in Gladitz. Incipit. In nomine sanctæ & indiuiduæ trinitatis, Amen. Theodericus, Dei gratia Nuemburgensis Episcopus, omnibus Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem, in eo qui neminem vult perire. Satis intelligit humana ratio, quod mundus interit &c. Notum itaque esse volumus tam præsentibus quam futuris; quod dilectus nobis in Christo Cunradus, abbas Putzauiensis, sui monasterii rector discretus, à domino Cunrado Silice dicto de Gladitz duos mansos in villa Gladitz sitos, XXV solidos Citzēsis monetæ, & XIV modios eiusdem ciuitatis mensuræ soluentes singulis annis, pro XXXIII marcis argenti, (de qua pecunia idem Conradus Silex sibi asseruit esse satisfactum, in nostra præsentia constitutus) Putzauiensi Ecclesiæ comparauit titulo emptionis : quos inquam mansos dictus Conradus venditor à nobis & Ecclesia Nuenburgensi in feudo habuit, & in nostris manibus voluntarie resignauit. Cuius precibus nos inclinati, prædictorum mansorum proprietatem & omnimodam vtilitatem eidem Ecclesiæ Puzauiensi ex mera liberalitate donauimus, accedente consensu capituli nostri Nuemburgensis, in perpetuum possidendam. Vt autem hæc nostra donatio semper rata permaneat, & stabilis perseueret; præsentem paginam conscribi fecimus, & sigilli nostri munimine roborari. Testium huius donationis nomina sunt hæc, Meinherus præpositus, Henricus decanus &c. Acta sunt hæc Cizæ in curia Episcopali, anno Domini vt supra, IV non. Aprilis, pontificatus nostri anno XIV.

His temporibus studium literarum demum vere in mendicantium fratrum ordinibus oriri cœpit, florere denique, permanenter & crescere; & è vestigio nostro in ordine adeo pedetentim decrescere & deficere cœpit, vt nunc pene extinctum videatur. Tametsi ipsi adhuc literarum studia habeant & prosequantur ex instituto Cistercienses; haud tamen vetusto ordinis more in cœnobiis, sed publicis vrbium in gymnasiis, vti in Germania Lipsiæ & Heidelbergæ, quibus in locis fratres eorum missi instituūtur, promouentur & student. Proinde venit, quod suis in monasteriis percomplures habeant monachos artium & theologiæ titulis insignes, non autem ita scriptis & lucubrationibus, id est librorum editione, fulgentes, cum præter diuum Bernhardum inter scriptores Ecclesiasticos perpaucos & pene nullum inuenerim. Secus autem de studio ordinum mendicantium fratrum, quod à suo primæuo exordio, præsenti videlicet tempore, nostrum vsque ad æuum pleniter & amœnissime floruit, fructusque copiosos & multiplices produxit, viros videlicet in omni sapientia diuina & humana doctissimos, qui & sanctimonia & doctrina, verbo & exemplo, scriptis & dictis, multisque voluminibus editis Ecclesiam Christi illustrarunt. E quibus & infra scripti præcipui ferme habentur & primi : quos inter loco primo quidam ordinis doctores ponentur prædicatorii: & cōsequenter fratrum minorum aliorumq; ordinum viri illustres, locis atque temporibus suis seriatim coaptabuntur.

Viri doctrina excellentes ordinis prædicatorij.

Anno igitur quo supra salutis MCCLVIII, *Albertus Magnus*, natione Sueuus, ex oppido Laugigen in ripis Danubii sito oriundus, Episcopus Ratisbonēsis claruit, ob amplitudinem omnifariæ doctrinæ Magnus appellatus. Fuit namq; in omni philosophia Peripatetica peritissimus. Hinc & à plerisque simia Aristotelis appellatus est. Qui & nimium vino secularis scientiæ debriatus, primus (ni fallor) fuit, qui sapientiam humanam, ne dicam philosophiam prophanam, diuinis literis copulare ausus est: quique Dialecticam contentiosam, spinosam, & garrulam sacratissimæ & purissimæ non pertimuit commiscere theologiæ; nouum & philosophicum modum sacras docendi & exponendi literas suis tradens sequacibus, Theologistarum sectæ quæ ab eo Albertistarum dicitur, dux & monarcha excellens. Habuit autem discipulos egregios multos, inter quos Thomas Aquinas, de quo infra, excelluit.

Humbertus, qui scripsit super regulam sancti Augustini.

Ioannes de Friburgo, auctor summæ Confessorum.

Ordinis Minorum viri illustres.

Bonauentura, theologus per omnia eminentissimus, Cardinalis Albanensis, multa præclara & deuotissima edidit opuscula, quæ enumerantur in libro de scriptoribus Ecclesiasticis, quæ breuitatis amore nunc prætereo.

Ioannes de Parma, theologus valentissimus.

Ordinis Eremitarum sancti Augustini doctores.

Ægidius de Roma, theologus excellentissimus, atq; Bituricensium archiepiscopus scripsit super sent. & alia multa.

Anno Domini MCCLIX, Sophia, filia sanctæ Elizabet, & ducissa Brabantiæ, audiens fratrem suum Hermannum Lantgrauium sine hærede obiisse, magno exercitu intrauit Doringiam, vt eam susciperet pro filio suo adolescente, quem secum eam ob rem adduxerat Et quia non poterat obtinere eam, cœpit eandem ferro & igne vastare Restitit equidem ei Henricus, Limar cognominatus, marchio Misnensis, filius Theoderici marchionis, cuius mater fuit filia Ludouici Lantgrauii qui dictus est ferreus. Ea propter Doringiam quasi hæreditariam præoccupauerat, quam & post anno Domini MCCLXI, beneficio imperatoris & consensu obtinuit, factus primus Lantgrauius Doringorum ex marchionibus Misnensibus.

Eodem tempore Albertus, dux Brunswicensis iunior, filius videlicet Alberti senioris in superioribus memorati, vir animosus & bellax, multa prælia & rapinas fecit. Tandem & Misnam armatus intrauit eandem ob causam, sed victus & captus est. Hinc inter marchionem Henricum prædictum, & filium suum, & Sophiam Lantgrauiam, ac filium suum quem, vt dixi, ex Brabantia secum adduxerat, facta est concordia, & tractatum quod Otto filius Alberti præfati ducis capti deberet dare octo castra pro patre suo; quæ sita sunt prope Weseram fluuium, & insuper XVIII millia marcarum argenti puri pro captiuis. Et hæc data sunt Sophiæ & filio suo, vt esset contenta, & resignaret omne ius quod se dicebat habere in Doringia: quod & fecit cum filio. Et sic Henricus pro se & hæredibus suis nactus est Doringiam. In additionibus Chronicorũ Lamberti quas Erfordiæ vidi, habetur, quod supra dictus Albertus dux Brunswicensis captus sit, an. Dom. MCCLXIII, & per annum captiuus tentus, an. Dom. MCCLXIV, se redemerit octo millibus marcarum & octo munitionibus. Eodem anno Gerardus archiepiscopus Moguntinus Erphordiæ obiit & ibidem ad minores sepelitur, cui Wernherus præpositus maioris Ecclesiæ successit. Eodem tempore Vincentius ordinis prædicatorum historiographus claruit.

Circa hæc tempora Alexander papa eremitas sancti Augustini vniuit ex variis locis, & constrinxit eos ad ferendam cucullam nigram primo, distinctam vel cinctam corrigia corii, & habere sotulares in pedibus, ad differentiam fratrum minorum qui tunc conquesti sunt de dictis eremitis; quia portabant habitum similem ipsis fratribus minoribus, videlicet ex beretino nigro, & cingebant se aliquãdo funibus; ita quod à multis fiebant eleemosynæ eis sub specie fratrum minorum. Et super ista priuilegiũ plumbatum habetur Bononiæ in conuentu fratrum minorum, & incipit. *Alexander* IV, seruus seruorum Dei &c. venerabilibus fratribus, archiepiscopis & Episcopis per Longobardiam & Romandiolam constitutis &c. ibi. Sane nec ille mendosus sermo de baptismo Augustini, falso Ambrosio sancto ascriptus, prædictis obstat. Neque enim beatus Ambrosius Augustinum iam recenter baptizatum atris siue nigris, sed iuxta ritum Ecclesiasticum candidis induit vestimentis, videlicet de consecr. dist. IV, c. Accepisti post baptismũ vestimenta candida, &c. Sed neq; sermones illi ad eremitas æque mendosi & conficti, falsoq; ipsi Augustino attributi, obstant; cum sint pleni erroribus, & veris atque probatis Augustini dictis & scriptis contrarii, asserentes compluribus in locis ipsum Augustinum anno ætatis XXX baptizatum, eodemque anno & sequenti fratres eremitas instituisse, & cum eis in monte Pisano ac Centumcellis habitasse: cum tamen in rei veritate prædicto anno ætatis suæ XXX, & sequenti XXXI Augustinus adhuc fuerit paganus, & tricesimotertio primum catechumenus factus, eoque completo baptizatus. Ideoque nullatenus potuit anno XXX eremitas instituisse, tum quia gentilis & adhuc laicus, nec dum in super catechumenus. Quod vero prænarratis annis non fuerat

fuerat baptizatus, ſed XXXIII completo, patet, ex authenticis libris ipſius Auguſtini, quos adhuc catechumenus exiſtens compoſuit: è quibus libri ſunt Soliloquiorum, quorum in primo, capitulo X, in principio, Vbi ratio inquirit an diuitias cuperet, reſpondit hoc quidem non nunc primum. Nam cum triginta tres annos agam, quatuordecim fere anni ſunt, ex quo iſta cupere deſtiti, &c. ibi. Et tertio libro contra Academicos, quem etiam catechumenus Mediolani in rure Caſiaco ediderat, cap. XX ſimiliter ait, ſe triginta trium annorum fuiſſe, vt patet clare ex libro primo retractationum ipſius Auguſtini, vbi retractat libros quos catechumenus fecerat. Nuſquam autem in aliquo librorum ſuorum mentionem facit ſermonum ad eremitas vel eremi, ſed neq; in libris cõfeſſionum. Manſit itaq; Auguſtinus omni tempore quo fuit in Italia, laycus, & cum amicis laycis & ipſe laycus reuerſus eſt in Africam, vt præclare habetur in ſermone de communi vita clericorum authentico qui incipit, *Propter quod volui*: Vbi dicit, quod timebat accedere ad loca vbi non erant Epiſcopi, quia volebat eſſe in humili loco, & venit cum veſtibus quibus vtebatur laycus, &c. Item in libro de bono perſeuerantiæ ante medium dicit, quod Romæ laycus inceperit librum de libero arbitrio, & in Africa presbyter factus finiuit. Hoc ipſum dicit IX cap. libri retractationum, item libro de ciuitate Dei XXII, cap. VIII dicit, quod quando Carthaginem reuerſus fuit, nondum erat clericus. Sed XII q. I. cap. Duo ſunt genera hominum, laycorum videlicet & clericorum. Si non clericus, ergo laycus. Si laycus, ergo non potuit in Italia & monte Piſano centumq; Cellis poſt baptiſmum præfuiſſe, & regulas dediſſe & ſermones ſcripſiſſe, cum hæc non ſint de officio layci, ſed presbyteri aut Epiſcopi, quod non erat in Italia (vt dictum eſt) Auguſtinus. Cæterum neque Poſſidius, diſcipulus ſancti Auguſtini, in vita ipſius vllam facit mentionem vel eremi Auguſtini, vel fratrum eremitarum. Sed neque in decretalibus eorum fit mentio: ſed nec vllus vnquam authenthicus doctor illos ſermones allegauit, vtpote ab Alexandro de Ales, Thoma de Aquino, maxime in ſumma, vbi procedit per auctoritates doctorum. Et quod maius eſt, nec Ægidius eremitanus nec Gregorius de Arimno, doctores eiuſdem ordinis, ipſos adducunt tanquam Auguſtini: vnde poſt eos probantur confecti. Quapropter minus in libris decretorum & ſententiarum allegari potuere. Et quoniam vitam diui Auguſtini à beato Poſſidio conſcriptam, Ambroſius de Chora, ad laudem ordinis ſui volens Auguſtinum facere eremitanum, non erubuit, nec veritus eſt falſificare multa, detrũcando, addendo, & immutando, ipſosque eremitas canonicos regulares inſtitutos aſſerendo, ſanctumque Franciſcum ordinis ſui nouitium fuiſſe affirmando; nimium ſermonibus ſæpe dictis & Epiſtolæ Sigiberti mendaciſſimæ inhærendo: ita miſere lapſus eſt, quod ipſe cum libris ſuis quos ſuper regulam ſancti Auguſtini ſcripſit, omnino reprobatus fuerit, & hoc per Sixtum IV, qui mandauit libros prædictos comburi. & per eius ſucceſſorem Innocentium VIII, qui etiam præfatum fratrem Ambroſiũ Choriolanum, licet Generalis ordinis eſſet, carceribus mancipauit, prout Celſus canonicus regularis conuentus Lateranenſis in libro ſuo apologetico, quem aduerſus prædictos ſermones ſcripſit ad quoſdam cardinales, firmiſſime aſſerit: in quo etiam multis rationibus & corollariis ex authenticis libris beati Auguſtini probat, ipſum ordinẽ eremitarũ nunquam vidiſſe nec inſtituiſſe. Hoc ipſum fecit Petrus Heligerius, canonicus regularis monaſterii Kirsgartenſis prope vrbem Vangionum, id eſt Wormatiam, elegãti & inſtructo opere ſiue libro contra eoſdem ſermones edito: in quo ſub octauo errore dictorum ſermonum ita ſubinfert. Sed quid enarrando errores longius immoror? Vnius enim expugnatio ſatis oſtẽdiſſe poterat, hos ſermones ad eremitas ab Auguſtino magno nõ eſſe cõſcriptos. Poterat & ſtili ruditas & idem indicaſſe. Eloquẽtiſſimus enim Rhetoricæ magiſter Auguſtinus nunquam tam barbaro aut inconcinno in veris ſuis ſcriptis vſus eſt ſtilo, quali refertus eſt ille ſermonum liber. Prẽterea quis omnes errores horum ſermonum, quis contradictoria, quis emendicata ab aliis & inſerta enumeret? His ita ſe habentibus rogo omnes hunc noſtrum librum lecturos, non dubia pro certis, non falſa pro veris amplectantur, neque hoc fundamentum ſermonum ad eremitas debile & caſurum ſuo ædificio ſubponant: alioquin non ſine graui diſpendio damnoque veritatis ruet. Contigit hoc nõnullis, quorum vnus eſt & præcipuus, venerabilis pater Ambroſius Choriolani, generalis eremitarum, qui dum ad ſui ordinis

ſplendorem ſuperbum erigere ſuper hoc fundamento nititur ædificium, non ſine diſpendio à veritate recedens, flebilem paſſus eſt ruinam. Dum etiam his ſermonibus, Sigibertique cuiuſdam Epiſtolæ fortius quam debuerat inhæret, à veris Auguſtini & Poſſidii dictis longe diſceſſit. Si placet, lege Euſebium Conradi, & non ſine gemitu quid Ambroſio præfato acciderit, intueberis. Hęc ille Petrus. Prędictos itaq; teſtes ideo adduxi, ne quis arbitretur, proprio me ſenſu ſupra memorata finxiſſe, ſed hiſtoricæ veritatis amore longo ſcrutinio comperta ſcriptis mandaſſe. Origo autem vera dictorum fratrum eremitarum fuit, anno Domini MCCVI, à quodam Wilhelmo Pariſienſi ſcholari, qui cum magno feruore ad eremũ profectus eſt, vbi multos diſcipulos & eremitas congregauit. Et appellabantur hi eremitæ quondam Wilhelmitæ. De iſto Wilhelmo facit mentionem Wernherus in Faſciculo temporum. Verum hic nunc de his ſatis, forſan & infra tangenda breuiter, dum ad tempora confirmationis eorundem, & Ambroſium Choriolanum peruenero.

Anno Domini MCCLX, Alexander papa quoſdam nouos libellos magiſtri Wilhelmi de amore Pariſienſis, religioſos de eleemoſynis viuentes ſaluari non poſſe dicentes, penitus reprobauit. Ipſe etiam Alexander Benedictinus, vbi ab externis negotiis vacuus fuit, aliquid ſemper quod ingenium ſaperet, edidit. Nam & decretales Epiſtolas compilauit, & viris doctis ita fauit, vt eos vſque cardinalatum proue xerit; maxime Hęricum cardinalem Oſtienſem, virum diuini humaniq; iuris peritiſſimum. Vſus eſt & magna liberalitate erga Bartholomæum Brixianum doctorem, qui Apparatum decretalium edidit, & alios. Eodem anno Ludouicus comes palatinus Rheni, ſtirps & vnus ex maioribus genealogiæ Epiſcopi noſtri noui Philippi videlicet, duxit vxorem ſecundã nomine Annam, filiam ducis Poloniæ. Nam quam prius habuerat Mariam, ſororem ducis Brabantiæ, decollari ex ſuſpicione iuſſit. Hinc poſt anno MCCLXIII pro emẽda & pœnitentia monaſterium Furſtenfelt fundauit, in quo & ſepultus iacet. Ex ſua autem ſecunda vxore genuit Ludouicum, egregiæ indolis virum, qui poſt factus eſt imperator, eius nominis quartus, & filiam nomine Agnetem. Circa hæc tempora reor mortuum fuiſſe Theodericum Epiſcopum noſtrum. Hoc ideo dico, quia annum & diem obitus ſui inuenire non potui. Succeſſitq; ei Meinherus qui ſequitur.

MEinherus, decimus octauus Nuenburgenſis Eccleſiæ pontifex, Theoderico defuncto ſucceſſit, quemadmodum in catalogo Epiſcoporum huius Eccleſiæ vulgato habetur, quem ego dum certiora non habeo, in compluribus ſequor: nullam ſiquidem ipſius mentionem in aliarum Eccleſiarũ hiſtoriis & annalibus reperi factam. Sed neque nominis eius noſtris in priuilegiis vlla habetur memoria. Non tamen hinc ambigo, ipſum huius Eccleſiæ fuiſſe præſulem qui non omnia, neq; Eccleſiæ memoratæ mortilogium (vt vocant) vel viderim vel legerim, niſi quod in præfato catalogo, eum ipſum fuiſſe virum multa religione prædituin, beneq; præfuiſſe, atque anno Domini MCCLXVI. obiiſſe, lego & inuenio. Quod & aliis (vt inſequentibus patebit) contigiſſe dolentes experimur, quorum præter nuda nomina nulla in ſcriptis habetur memoria, ſcriptorum incuria id agente.

De rebus memorandis, quæ contigerunt tempore Meinheri Epiſcopi, vel circa.

Anno Domini MCCLXI, Alexander papa quartus obiit. Cui poſt quinque menſes quibus ſedes Apoſtolica vacabat, canonice electus Vrbanus IV ſucceſſit, eodem anno in numero pontificum CLXXXIV. Sedit annis tribus. Vrbanus iſte inſtituit ſolennitatem corporis Chriſti celebrari per orbem, & conceſſit celebrantibus maximas indulgentias, vt habetur in Clementinis extra de relig. & vener. Sanctorum, cap. Si Dominum. Impoſuit autem fratri Thomæ de Aquino, qui ſub eo (vt infra dicetur) claruit, vt officium ipſius feſti ipſe dictaret. Quod & fecit, quo & ſolo omnis vtitur Eccleſia.

Anno Domini MCCLXIII, venerabilis Conradus, noſtri monaſterii abbas, eius nominis ſecundus, confecit deditq; priuilegium ſuper quandam vineam, quam comparauit dominus Herborto quondam camerarius pro IV marcis in monte Glisberg, cuius vineæ media pars data eſt monaſterio noſtro; quam etiam partem ipſe Cõradus abbas ad magnificentiam & decorem feſtiuitatis diui patris noſtri Benedicti perpetuo deputauit, vt & de ea eodẽ die vberior refectio & charitas adminiſtraretur in cõuentu fratribus;

fratribus;insuper tres pauperes ad certum tempus cibarentur. Quod ita incipit. Vniuersis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, Conradus Dei gratia humilis abbas in Puzowe salutem in domino Iesu Christo æternam. Ne laudabilia virorum laudabilium opera edax obliuio, humanæ memoriæ pernicioſa nouerca, demoliatur & subneruet, calami necesse est præsidio & sigillorum fulciri fulcimento. Ad noticiam proinde generalem in perpetuum extendi cupimus, quod Herborto communis ecclesiæ quondam camerarius, suiq; officij strenuus & fidelis dispensator, ad honorē Dei & beatæ virginis, nec non & beati Benedicti ampliandum, nostro præhabito consilio, & permissione petita, vineam quandam in monte Glisberg dicto sitam, ab Henrico tunc præposito in Luzenitz, communi dominorum eiusdem loci concurrente cōsensu, summa 14 marcarum data, coemit; annuentibus & fauentibus nobilibus Hartmanno & Hermanno de Luchtenberg, quorum donatione prædicta possessiio ecclesiam fluxerat ad eandem: tali conditione interiecta, vt media pars prouentuum cultoribus, ad quos hęreditas deuoluta fuerit, cedat annuatim, reliqua pars ecclesię nostræ sub notatis vsibus ꝑpetuo seruitura. Sæpe dicta vinea cū suis ꝓuentibus officio camerarij dꝰputata seruiat, ne debita cultura careat solerter ab ipso procuranda. De cuius ēt vsibus 3 pauperib. vsq; ad terminum Quadragesimæ ad mandatum cotidie locādis tres denarios singulis diebus idem camerarius erogabit annuatim. Ad extollendū quoq; magnifici pastoris Benedicti festum, quem vt præcipuum sacrę religionis legislatorem venerꝫ, quod deiecto & humili pridem cultu agebatur, vt accuratius deinceps, & ꝓcessionaliter, cultuq; purpureo in summis celebretur; annualē de talento fratribus in refectorio ministrabit charitatem. Nos itaq; tam piam tam deuoti testatoris deuotionem pio prosequentes affectu, vt nulli vnquam calumniæ & malignitati pateat, auctoritate Iesu Christi & nostra duximus cōfirmandam, vnde &c. Testes huius rei sunt, Hermanus Prior, Albertus, Fridericus, Henricus, Gerardus, Ioannes, Conradus, Ludolfus, Henricus, Daniel, Limarus, Hartungus, Ditmarus, Petrus, Fridericus, Heidenricus, Theodericus plebanus de Luberschitz, Ramuoldus de Lusenitz, & alij complures. Acta sunt anno Dom. quo supra, id est MCCLXIII, Amen. Ex prædicto itaq; priuilegio ēt habetur, quantus eo tempore fratrum nostræ congregationis siue monasterij fuerit numerus, & per consequens quæ rerum fortuna esse tunc poterat temporalium.

Eodem anno, Vrbanus papa Siciliæ regnum quod à Manfredo occupabatur, Carolo Luduici regis Francorum fratri concessit, eumq; in Italiam per legatos euocauit.

Eodem tempore claruit *Thomas de Aquino*, ordinis prædicatorum doctor, ex insigni prosapia comitum Apuliæ originem ducens. Qui in pueritia à patre suo comite Landulpho missus in monasterio montis Cassini studuit, in quo & prima literarum rudimenta cum morum elegantia hausit, & adeo quidem, vt tum in eo futuræ sanctitatis indicia quædam relucerent. Qui biennio ferme ibidem expleto à patre reuocatur, & ad studium Neapolitanum mittitur. Verum cum ibi consisteret, & crebro fratrum sancti Dominici conuentum intraret, allectus conuersatione eorundem habitum tandem ab eis suscepit. Quod fratres sui germani audientes, molestissime tulerunt, nolentes eum in ordine esse mendicantium. Quamobrem eum extrahere gestientes, summum erga pontificem egerunt, vt illi abbatiam prænarrati Cassini montis offerret, quod & papa fecit. Quæ vtique prælatura est maxima in Apuliæ & Campaniæ partibus. Septem enim episcopatus eo tempore subiacebant illi abbati, qui & ipse pontificale officium omnibus contulit & administrabat, vt refert Thomas Brabantinus eiusdem ordinis prædicatorum in libro Apum. Verum Thomas humilitatem cunctis dignitatib. præferens, ac studio sacratum literarum insudans, dictam prælaturam renuit. In tantum deniq; in diuinis scripturis, nec non philosophia seculari profecit, vt ob magnitudinem ingenij, ac vitæ claritudinem, pariterq; multorum voluminū editionem, Angelicus & sanctus nuncupatus sit: qui & communis à plerisque allegatur & dicitur doctor, quod doctrina eius communior sit in scholis & vsitatior. Enimuero Albertum magnum præceptorem suum sequens, & ipse diuinas scripturas philosophicis armis defendere & communire cœpit, sacram theologiæ libertatem syllogismorum spinetis intercludens, impugnantibus eam, argumentationum retia tendens. Quo denique

modo & ſcholaſticorum theologorum (qui à nomine eius Thomiſtæ vocitantur) gregem trahens, dux & ſignifer eorum factus eſt clariſſimus. Qui inſuper non ſolum in pueritia noſtro in ordine inſtitutus eſt, verum & in eodem defunctus; monaſterij ordinis videlicet, non habitu, in Caſſinato educatus puer in monaſterio nouæ foſſæ Ciſtercienſis vnionis ſub regula noſtra militante, ſpiritum Domino tradens.

Anno Domini MCCLXIV, Henricus præpoſitus Eccleſiæ Luſenitzenſis dedit monaſterio noſtro priuilegium recognitionis, ſuper vineam vnam in monte Cliſperg ſitam quam nobis vendidit, Domino abbate emente eãdem, vt habetur in codice priuilegiorum noſtrorum folio XXXV.

Eodem anno Vrbanus papa defunctus eſt, cui poſt quinque menſes quibus ſedes vacarat, ſucceſſit Clemens eius nominis IV, natione Prouincialis, vir ſanctus: ſeditq; annis 3, menſibus 9, diebus 20. Hic ante papatum vxorem habuit: qua defuncta diuino ſe ſeruitio mancipauit, vir vtiq; bonus & iuriſconſultiſſimus.

Anno Domini MCCLXVI, Meinherus Epiſcopus noſter obijt, cui Ludolphus (de quo infra) ſucceſſit.

Eodem anno Bondogodar, Soldanus Ægypti, Armenia vaſtata, Antiochiam quæ alio nomine Reblata dicitur 4 Reg. 25, vnam de famoſioribus ciuitatibus orbis cepit, vniuerſis habitatoribus occiſis.

LVdolphus, XIX Nuenburgenſis eccleſiæ præſul, Meinhero ſuccedens, cœpit anno Domini MCCLXVI, ſeditq; annis feliciter XVIII, fuitq; monaſterij noſtri fautor & patronus egregius: inter alia memorabilia literas indulgentiarum apoſtolicarum eccleſiæ noſtræ vltimo regiminis ſui anno (vt infra patebit) confirmauit.

De quibuſdam rebus memorandis ſub pontificatu huius præſulis exortis, ex Chronicis.

Anno itaq; Domini MCCLXVII, Clemens papa eius nominis quartus qui ſupra, ſanctam Heydewigam duciſſam Sleſiæ, ſimul & Poloniæ, ſanctæq; Elizabet materteram, Id. Octob. ſanctorum numero aſcripſit ſolenniter.

Anno Domini MCCLXVII, Bondogodar Soldanus Armeniam hoſtili manu ingreſſus, Chriſtianos perſequitur, & eodem anno Antiochiam cepit, & habitatoribus interfectis pene deleuit.

Eodem anno Ioannes Teutonici primus gloſſator decreti, ſancti Stephani in Halberſtat præpoſitus, contra Clementem papam appellauit propter decimam exactam. Ideo eum excommunicauit, & præpoſitura priuauit. Reconciliatus tamen poſt in pace obijt, ſepultus in prædicta eccleſia, prope chorum ad auſtrum, ſub alto cælatoque Mauſoleo ac epitaphio glorioſo quod vidi anno gratiæ MDXVI, dum eandem antiquitatum amore luſtraueram vrbem. Et iſte quidem Ioannes, etſi ſua in facultate, id eſt, iuris ſcientia peritiſſimus fuerit, & Iuriſtarũ (quos Baptiſta Mantuanus cauſidicos, rabulas & legum tyrannos vocat) anteſignanus; attamen ob Græcanicarum literarum inſcitiam complures in ſuis gloſſis commiſit ineptias, maxime diſt. IX, cap. Veterum librorum. Vbi dictum Hieronymi ex prologo in pentateuchum citans, ex eo nititur aſſerere & probare, Latina exemplaria emendatiora eſſe quam Græca. Quod Eraſmus Roterodamus negans in eũdem prologum ſuper verba Hieronymi, Aliud eſt, ſi contra ſe, &c. durius (ſuppreſſo tamen eius nomine) contra eum inuehitur, taliter tonans: Hunc locum inſulſiſſime citat gloſſematarius quiſquis is fuit, in decretis pontificum diſt. IX, cap. vt veterum librorum, putans Hieronymum vere ſenſiſſe, Græcorum exemplaria emendatiora eſſe quam Hebræa, & latina emendatiora quam Græca. Et hunc nodum multis modis diſſoluit, nugaciſſime nugans in re non intellecta, vel dic, vel dic, vel dic. tantumne eſt iſtis authoritatis, vt cum rem non intelligant, tamen illis ius ſit quidquid libitum fuerit dicere? Nam Hieronymus inducit hoc velut * & dictum abſurdum, quo magis refellat quod iſti volebant, &c. Ibi Eraſmus.

Circa idem tempus ſequentes claruerunt viri illuſtres.

Alexander de villa Dei, qui doctrinale compoſuit, ordinis diui patris noſtri Benedicti, vt ego teneo.

&

& *Hartmannus* in Chronica Nurenbergensi sentit.

Martinus Scotus Cistercienſis ordinis Romæ in pretio fuit. Hic hiſtoriam breuem composuit, quæ Martiniana dicitur. Sunt tamen qui hunc Martinum ordinis sancti Dominici fuisse scribunt.

Gwido Bonatus, astrologus in sideralibus disciplinis vniuerso occidenti notissimus, quem tamen Picus acriter sæpe reprehendit, & merito. Non enim Christianorum diuinare per astra.

Anno Domini MCCLXVIII, Clemens papa moritur, vir summæ & beatæ opinionis, & sacrorum Canonum rigidus & strenu⁹ executor. Habuit hic nepotem clericum, quem vbi comperit tres prębendas, id est, canonicatus habere, optionem facere compulit, vt quam vellet ex his retineret, duas autem reliquas resignare eum coegit. Instantibus etiam amicis, vt eis plura relinqueret, respondit vir sanctus (quem vtinam nostræ tempestatis præsules imitarentur) se Deo non autem carni & sanguini placiturum, Deum autem velle, vt sua pauperibus erogarentur. Et addidit dictum memoria dignum, non esse virum dignum Petri successorem, qui plus cognationi quam pietati & Christo tribueret. Post mortem denique Clementis ob electionem inter cardinales orta est dissensio. Proinde sedes Petri annis vacauit duobus.

Eodem anno Ioannes Marchio Brandeburgensis Merseburgi in torneamento cum lancea miserabiliter est occisus. Eod. an. Carolus Conradū, Conradi filium & Friderici quōdam imperatoris nepotem, in finib⁹. Albaniagri superat, captūq; securi percutit.

Anno Domini MCCLXX, Conradus archiepiscopus Magdeburgensis & Theoderic⁹ marchio de Landesperg Doringiam inuaserunt. Quos Lantgrauius Adelbertus colle-cto exercitu equitum mille in fugam conuertit, & potenter eiecit.

Anno Dom. MCCLXXI, Gregorius x post biennalem sedis Apostolicæ vacationem summus pontifex creatus est, natu Longobardus, seditq; annis IV. Circa idem tempus Albertus Lātgrauius claruit, habitās in castro Wartperg, non procul ab Ysnach oppido. Huic Fridericus imperator II filiā suam Margaretā matrimonio copulauit, donans ei pariter dotis nomine Aldenburg oppidum Misnæ, de quo Alberto & infra patebit.

Anno Domini MCCLXXIII, Rudolphus, comes de Habspurg, communi voto principum in Romanorum regem eligitur, vir robustus, prudens, iustus, Deum timens, & in rebus bellicis experientissimus: stirps & pater ducum Austriæ omnium, ex quibus Maximilianus originem duxit. Rodulphus enim Austriam nactus, vehementer eandē auxit & ampliauit diuitijs & potentia, similiter & Charinthiam, Stiriam, portum Naonis ac marchiam cum suis attinentiis. Imperium quoq; glorioſe erexit, & pene desolatum potenter restaurauit, & alienata reduxit. Nam anno Domini MCC LXXV, contractis copijs auxilio Ludouici, comitis Palatini, generi sui, contra marchionem de Baden produxit exercitum, & tā ipsum quam comites alios XV ad subiectionem humilimam redire compulit, & quicquid ad imperium pertinens occuparant, magnifice reuocauit. Ottocharum quoq; Boemiæ regem, tyrannum potentissimum, sibi & imperio rebellem, duobus maximis prælijs victum, tandem inter pugnandum occidit, anno videlicet Domini MCC LXXVIII, in die Rufi martyris. Rudolphus deniq;, ille deuotissimus rex non minus Deo quam mundo militās, beato Petro & successoribus suis, teste Speculatore in tit. de rescrip. præsen. ciuitatem Bononiæ, matrem studiorum, vna cum tota Æmylia dono dedit. Italia quippe, imo totus orbis, sub Romano quondam erat imperio. Vnde & plerique alij imperatores Germani leguntur prouincias quasdam Romanæ ecclesiæ dedisse, & eam in temporalibus ditasse, vt Pipinus pater Caroli Magni, & ipse Carolus, item Ludouici, Ottones, Henrici, & alij eiusmodi.

An. Dom. MCCLXXV, Gregorius papa x in concilio Lugdunensi decreuit & statuit, quod solum duo ordines mendicantium essent, alij autem se ad alia transferrent monasteria, & ne amodo susciperent personas, sed paulatim deficerent. Eodem anno Ludouicus, comes Palatinus Rheni, & dux Bauariæ, Rudolphi regis Romanorū filiam duxit vxorem, genuitq; ex ea duos filios, Rudolphum sc. comitem Palatinum, & Ludouicum ducem Bauariæ, post imperatorem huius nominis quartum.

Anno Domini MCCLXXV, Grisei monachi, Cistercienses videlicet, in concilio ordinis generali Cistercienſi in archisterio celebrato statuerunt contra Minores fratres,

quod nusquam ad hospitia deberēt suscipi vel admitti, nec in curijs vel grangijs eorum, & forsan ob decretum supra dictum Gregorij papæ, vel parilitatem coloris. Antiquit' enim & ipsi Cistercienses floccos gesserunt griseos, vt vsque hodie in monialibus eorundem cernitur & obseruatur, quæ omnes cucullis vtuntur griseis.

Anno Domini MCCLXXVI, Heryngus Episcopus Herbipolensis obijt, pontificatus sui anno XXXVI: qui multas contentiones habuit cum ciuibus suis Herbipolensibus. Cui tandem reconciliati pro damnis expensisque coacti sunt dare argenti marcas duo millia ducentas. Eo autem defuncto successit Bertholdus de Sternberg, seditq; annis XII. Huius episcopi temporibus comites de Henneberg, & comites de Castello hostes ecclesiæ Wirtzburgensis fuerunt: contra quos idem episcopus misit comites de Holoe & Winsberg cum exercitu ecclesiæ ad bellum prope Kitzingen, in quo victoriam obtinuit ecclesia, & hostium plus quam quingenti ab hora prima vsque sextam ceciderunt perempti.

Anno Domini MCCLXXVII, Accaron & tota terra sancta rursum fuerunt deperdita.

Anno Domini MCCLXXVIII, Conradus Archiepiscopus Magdeburgensis obijt. Cui eodem anno Henricus de Sualenburg successit, qui electus quidem, sed confirmatus & consecratus non fuit. Ideo à plerisque non ponitur. Magnifica tamen mox electus fecit. Nam Ottonem, marchionem Brandeburgēsem hostem ecclesiæ suæ, magno prælio superatum cepit, & post aliquot dies grandi pecunia multatum & iuratum dimisit.

Anno Domini MCCLXXXIII, Ericus marchio de Brandeburg, Henrico de Suallenburg episcopo, qui fratrem suum Ottonem marchionem bello captiuarat, defuncto, in archiepiscopatu Magdeburgensi successit, seditq; annis XII.

Eodem anno Martinus papa, eius nominis quartus, Petrum Arogonensium grauissimis censuris damnauit, eo quod Carolum Apuliæ regem impugnabat.

Anno Domini MCCLXXXIV, Wernherus Archiepiscopus Moguntinus obijt: cui Henricus, frater minor, & Episcopus antea Basiliensis, in archiepiscopatu successit.

Eodem anno Ludolphus Episcopus noster Nuenburgensis ecclesiæ nostræ indulgentias nuper impetratas suo confirmauit priuilegio, & paulo post eodem anno defunctus est. Cui Batherius (vt in quadam vetusta reperi Chronica) successit, sed in communi catalogo episcoporum nomen eius non habetur, & forsan quod ante confirmationem & consecrationem obierit. Et huic Batherio quidem (vt ibidem reperi) Bruno qui sequitur, successit.

BRuno Nuēburgensis ecclesiæ antistes XX, nobilis atq; generosus Dominꝰ de Querfurt, cœpit anno salutis humanæ MCCLXXXV, præfuitq; annis XV, & mēsibus aliquot, vir magnæ vitæ & conuersationis sanctæ, qui multa laudabilia pro ecclesiæ suæ vtilitate. & cleri institutione, ac reipublicæ pace & tranquillitate in diebus suis peregit pietatis opera: fuitq; nostri monasterij amicus, fautor & benefactor eximius, vt in sequentibus priuilegijs suis locis & annis patebit abunde.

De quibusdam rebus memorandis sub eodem Brunone præsule fœlis, ex Chronicis Doringiæ.

Anno Domini supra dicto MCCLXXXV, Theodericus marchio de Landesperg & Groytz obijt. Qui mundo strenuus, & Deo deuotus, monasteria fundauit duo, vnum sanctæ Clarę in Weisenfels, aliud in Supplitz, vbi & sepultus quieſcit.

Eodem anno Philippus Gallorum rex obijt, & successit ei Philippus eius filius, cognominatus Pulcher.

Eodem tempore Wilhelmus episcopus Minatensis, vir doctissimus, qui Rationale diuinorum edidit, claruit.

Ann. Dom. MCCLXXXVI, Martinus papa obijt, vir sanctissimus, multis post mortem miraculis clarus. Cui successit Honorius quartus, natione Romanus, seditq; an. duob.

Iste

Iſte ordinem Carmelitarum non ſatis in concilio approbatum confirmauit, & mutatis pallijs rotundis & breuibus quæ antea ferebant, dedit eis habitum quem nunc deferunt, albam videlicet & amplam cappam & deſuper nigram tunicam deferendam. Ordinem quoque eremitarum ſancti Auguſtini apud Pariſios improbatum confirmauit. Eodem anno, Bruno epiſcopus noſter, deuotiſſimus Dei cultor, & Witigo Miſnenſis ac Henricus Merſeburgenſis Eccleſiarum Epiſcopi, conuenientes in Nuemburg poſt inuocationem Sancti Spiritus emiſerunt mandatum contra inuaſores clericorum & præſulum eorundem.

Anno Domini MCCLXXXVI, in fine anni Honorius papa moritur: quo mortuo decem menſibus ſedes vacauit. Eodem anno Henricus ſecundus, Archiepiſcopus Moguntinus ab omni clero & populo honorificentiſſime ſuſceptus Erfurdiã intrauit. Eodẽ anno, in Friſia ex inundatione aquarum ſubmerſa ſunt plus quam LXXX millia hominum. In fine anni prædicti, Nicolaus IV ex ordine Minorum Honorio prædicto defuncto, in papatu ſubrogatur. Anno ſupra dicto MCCLXXXVII, Nicolaus IV fuit canonice in ſummum electus pontificem. Hic ordinis Minorum fuit, qui propter eminentem ſcientiam & morum probitatem primo generalis ordinis miniſter, exin cardinalis, poſt creatus eſt ſummus pontifex. Seditq; annis IV, menſ. I, diebus VI. Hartmannus tamen ipſum cœpiſſe ſcribit, anno Dom. MCCLXXXVII. Ægidius Romanus ex nobili Columnenſium familia natus, ordinis eremitarum diui Auguſtini theologus excellentiſſimus ac Bituricenſium Archiepiſcopus hoc tempore claruit. Iacobus quoq; de voragine ordinis prædicatorum, hæc tempora ſuis ſcriptis illuſtrauit.

Anno Domini MCCLXXXVIII, Tripolis inſignis Aſiæ ciuitas capitur à Sarracenis & Soldano, & Chriſtianitatis nomen ibidem deletur. Et Sidon tunc euerſa eſt. Achon quoq; illa fortiſſima & inexpugnabilis ciuitas eodem impetu capta eſt cum XII caſtris, CCC Chriſtianorum occiſis.

Anno Domini MCCLXXXIX, claruit Fridericus marchio Miſnenſis, & Orientalis de Landesberg, vir optimus, ſtrenuus & bellicoſus, qui magn⁹ tutor, benefactor, & fautor fuit noſtri monaſterij, vt etiã partim patet in priuilegio ſequẽti, quod cœnobio noſtro contulit ſupra proprietatem in villa Dipolſdorff, & ſuper 10 manſis ſitis in villa Wergratia Miſnenſis & Orientalis, & de Landesberg marchio, vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis æternam in Domino ſalutem. Ad perpetuam rei memoriã recognoſcimus, & præſentibus proteſtamur, q; illuſtris princeps Theodericus marchio de Landesberg pater noſter emit ab Eccleſia Putzauienſi proprietatem quæ vocatur Dipoldeſdorff, cum omnibus attinentijs ſuis pro ducentis marcis argenti, titulo ꝓprietatis perpetuo poſſidendam. Adhæc proteſtamur, q; inclyta Domina & nobis dilecta mater noſtra Helena iam dictæ conuentioni ſuperaddidit præfatæ eccleſiæ pro eiſdem bonis X I marcas argenti monetæ, & põderis vſualis. Nos ergo ad honorem gloriоſæ virginis Mariæ iam dictam conuentionem in remedium animæ patris noſtri ampliori fauore & largiori munificentia proſequentes, ſeruitium quod ad nos pertinebat, de bonis ſc. X manſis ſitis in villa Werbene (quemadmodum pater noſter piæ recordationis & nos ipſi ſuccedentes poſſedimus) iure proprietatis memoratæ eccleſiæ Putzauienſi contulimus perpetuo poſſidendum. In cuius rei teſtimonium, &c. Huius rei teſtes ſunt: Conradus abbas Pygauienſis. Albertus Burggrauius de Lizenick, &c. Datum & actum in Wizemueles, anno Dn. quo ſupra, videlicet MCCLXXXIX, Cal. Maias.

Eodem anno vel circa, Rodulphus rex, vacante burggrauiatu Nurinbergenſi, eundem comiti de Zollrem contulit, ſororio ſuo: à quo deſcenderunt Burggrauij vſq; ad Fridericum, qui in concilio Conſtantienſi factus eſt marchio Brandenburgenſis per Sigiſmundum imperatorem, & de his infra. Eodem anno, Gerhardus de Eppenſtein comes fit archiepiſcopus Moguntinus, qui & ſequenti anno Erphordiam intrans, honorifice ſuſceptus eſt.

Anno Domini MCCXC & circa, claruit Fridericus abbas eius nominis ſecundus, vir prudẽs, modeſtus & ſpectabilis, qui eo tempore monaſterio noſtro fideliter & laudabiliter præfuiſſe legitur, ſtatu in vtroque; ſpiritualia videlicet magno feruore extollens & adornans; temporalia fœcundans, & multiplicans, optimeque diſpenſans; fra-

tres & verbo & exemplo paſcens & ædificans. Hinc & non modo ab eiuſdem fratribus & cunctis ſuis ſubditis ſincero diligebatur affectu, verum & principibus charus fuit & acceptiſſimus. Qui etiam ob reuerentiam eius & amorem complura cœnobio noſtro bona fecerunt, & inſuper protectionis tutelare beneficium impenderunt, quemadmodum in ſequentibus priuilegijs ſuis annis patebit abunde. Abbas etiam idem (vt mox dicetur) complura emit noua pro monaſterio bona.

An. Do. M CC XC I, Bruno Epiſcopus noſter ad inſtantiam Domini Friderici abbatis ſupra memorato noſtro monaſterio cõtulit priuilegium confirmationis ſuper nouem manſos in Budowil, in hunc tenorem. Nos Bruno Dei gratia Nuemburgenſis Epiſcopus recognoſcimus, & ad noticiã tam præſentiũ quam futurorum cupimus peruenire, quod cum honorabilis vir dominus Fridericus abbas monaſterij Putzauienſis cupiens eiuſdem monaſterij conditionem facere meliorem, emiſſet erga dominam Prioriſſam, & conuentum monialium in Cronſwitz IX manſos in Budowil, cum omnibus ſuis iuribus & pertinentijs, iſto emptionis & venditionis titulo interueniente. Nos emptionem & venditionem huiuſmodi ratas & gratas habentes eas confirmauimus, & auctoritate præſentium confirmamus. In cuius rei teſtimonium has literas noſtri ſigilli robore iuſſimus communiri. Datum anno quo ſupra III nonas Auguſti.

Eodem quoque anno Fridericus abbas prænarratus, vir immortali memoria dignus & ipſe priuilegium confecit ſuper emptione ſupradicta, manſorum videlicet nouem in Budowil, quos emit pro XX marcis, quod ſic ſonat. Nos Fridericus Dei gratia abbas monaſterij ſanctæ Mariæ in Potzaw, totumq; capitulum ibidem, vniuerſis Chriſti fidelibus hanc literam inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam. Actiones quas mundus ordinat, ſæpe delet ſucceſſus temporum, niſi futurę poſteritatis memoriæ imprimantur charactere literarum. Ob hæc noſcat tam præſentis vitæ, quam futuri temporis ſucceſſio, quod nos Fridericus abbas ex conſenſu nr̃i conuentus cum ſanctimonialibus in Cronſwitz emptionem pro XX marcis villæ in Rodewil fecimus. Acta & data ſunt hæc anno Domini quo ſupra. Eodem anno Rodulphus imperator obijt, qui licet ad coronam imperij Romæ ſuſcipiendam non peruenerit, multis & varijs impedientibus in Germania bellis, maxima tamen & fortia magniq; ac veri imperatoris ſtrenue & fortiter peregit facinora. Cuius denique poſt mortem imperium anno vacauit vno. Eodem tempore, & (ni fallor) anno, Ptolomaidam potentiſſimam & ingentem vrbem tranſmarinam Soldanus cepit, Chriſtianis in ea repertis ad vnum interfectis. Quapropter timore perculſi oẽs pene Chriſtiani ex Syria fugerunt, ad alia loca migrãtes.

His temporibus ſubnexi viri claruere illuſtres.

Henricus de Gandauo, dictus doctor ſolennis.
Vvilhelmus Epiſcopus Lugdunenſis, ordinis prædicatorum.
Albertus Brixianus, canoniſta eximius, eiuſdem ordinis.
Richardus de media villa, theologus ordinis minorum.
Vbertinus de Caſale, theologus eiuſdem ordinis.

Anno Domini MCCXCII, Nicolaus papa moritur, poſt quem ſedes vacauit annis 2, & menſibus tribus ob cardinalium diſcordiam. Tandem fuit electus Petrus de Morrone noſtri ordinis, vir abſtinentiſſimæ & ſanctæ vitæ, & dictus Celeſtinus quintus, de quo infra anno MCCXCIV.

Eodem anno Adolphus comes de Naſſaw fuit electus in regem Romanorum in diſcordia tamen. Nam aliqui contra eum elegerunt Albertum, ducem Auſtriæ, filium Rodolphi regis, qui & ipſum Adolphum poſt ſex annos publico bello circa Spiram deuictum interfecit cum multis. Fuit iſte Adolphus iuuenis, fortis viribus, & multum ſtrenuus, ſed parum pecunia & milite potens. De alijs eius geſtis ſuis locis dicetur, in ſequentibus.

Eodem anno Otto Burggrauius de Kirchberg ſenior, eximius ac deuotiſſimus monaſterij noſtri benefactor, dedit nobis priuilegium ſuper vnum ortum ſitum in parochia Briſenitz, quem nobis contulerat Theodericus de Lubiwiſtige, prædicti Ottonis feudarius. Incipit ita. In nomine ſanctæ & indiuiduæ trinitatis Amen. Nos Otto

Otto Burggrauius de Kirchberg ad futurorum & modernorum noticiam peruenire volumus, & extendi, quod cum Theodericus de Lubiwisz ortum vnum situm in Brisenitz pro salute animæ suæ daret Ecclesiæ ibidem, in honorem Dei ac virginis gloriosæ; nos ergo eundem ortum ob diuinæ retributionis intuitum principaliter immo & per consequens moti petitionibus Theoderici prædicti, propriauimus Ecclesiæ prædictæ; renunciantes omni iuri quod habuimus in orto prænotato. Testes huius rei sunt dominus Hermannus de Kossebode H. de Schinstete, H. de Lychtinhayn, milites: dominus Th. Viceplebanus in Brisinitz &c. Datum & actum in Wintberg, anno quo supra, feria IV ante festum Pentecostes.

Anno Domini MCCXCIII, cœpit bellũ crudele, quod aliquot annis ingenti suorum detrimento Angli gessere cum Gallis.

Anno Domini MCCXCIV, Celestinus quintus in summum est electus pontificem, anachoreta ordinis diui patris nostri Benedicti, vir vitæ sanctissimæ. Qui cum vicarius & imitator Christi vere mitis esset, & humilis corde; constituit in primo cõsistorio suo, quod deinceps nec papa nec cardinales cum tanta pompa solennibus equis vterẽtur, nec mulis quidem, sed asinis veherentur tantum, dicens: Iesus Christus filius Dei humilis asini dorso vectus est, cuius nos imitatores esse debemus. Offensam igitur ob id incidit cardinalium omnium ferme, præsertim Benedicti Caietani, hominis ambitiosissimi, qui partes omnium agens, Celestinum papam, virum vere rectũ & simplicem, velut insufficientem tanto oneri, resignare papatui persuasit. Per fistulam etiam frequentius noctu in cubili per parietem missam, velut cœlica vox esset, loquebatur ei: *Celestine, Celestine renuncia papatui, quia aliter saluari non poteris, nam vires tuas excedit.* Ideoque post sexto mẽse regiminis sui & pontificatus resignauit papatui. Et vt id licite fecerit, & ab aliis licite fieri possit, per prænarratum Benedictũ Cardinalem, qui post Bonifacius est dictus VIII, inductus, desuper constitutionem fecit certam, quemadmodum dicitur lib. VI de renunc. c. Quoniam aliqui. Cui immediate sæpe dictus arrogantissimus successit Bonifacius VIII, intrans vt vulpes, vt infra dicetur. Qui non contentus dolo suo, insuper sanctum virum rursum ad eremum tendentem capi fecit & captum in arce Fumonis vsque ad obitum custodiri præcepit, qui & ibidem non longe post dolore animi contabuit, spiritum humilem & contritum altissimo reddens. Qui etiam post multis claruit miraculis. Hinc & Clemens V eum canonizauit. Cuius celebritas quarto Calend. Iulii quotannis ex instituto huius Clementis obseruatur: ea quippe die mortuus est.

Eo tempore floruit Albertus Lantgrauius Doringiæ, potens & magnus, cuius vxor fuit Margareta, filia Friderici imperatoris, ex qua genuit duos filios Fridericum & Theodericum, qui & Titzmannus à quibusdam dicitur. Habuit & fratrem Henricum, qui dominabatur in marchia Misnensi, & Lusatiæ prouinciis. Is vicinus morti prædictos nepotes suos Fridericum & Theodericum ad se venire iussit, hisque multis proceribus & nobilibus astantibus omne Misnæ, Lusatiæ ac Libonotriæ imperium resignauit deditq; cum hæredem alium non haberet. Sicque princeps pius his ordinatis quieuit in pace. Quod pater eorum Albertus audiens, vehemẽter indignari cœpit contra filios, seque fratris successorem esse allegans & verum bonorum suorum hæredem. Et nisi sponte cederent terris, eos bello & vi profligere minabatur. Verum Fridericus & Theodericus fratres, & filii Alberti, minas patris floccipenderunt. Cum enim essent ambo strenui, & multa probitate decori; à cunctis satrapis, & terræ nobilibus, omni deniq; populo, summo diligebantur affectu. Et quia habuerunt amorem omnium, & militiam fortem & bellacem, copiosumq; peditum exercitum, Albertum patrem multis bellis superauerunt vna cũ marchione Brandeburgensi, quẽ cõductum Albertus contra filios miserat, licet magna damna in villis & agris fecerit. Et quia Albertus contra filios prævalere nequiuerat, illos exhæredare cupiens, terras eorum quas ense acquirere non potuit, marchiam videlicet Misnæ & Lusatiæ, terramque Plisnensem, Adolpho imperatori vendidit, & Lantgrauiatum Doringiæ filio suo Ludouico quem ex concubina susceperat, relinquere statuit. Adolphus itaque rex circa id tempus valido exercitu Sueuorum & Renensium collecto, ad possidendas dictas quas ab Alberto emit prouincias, Philippum patruum suum, ducemque sui exercitus

misit. Et hic quidem per Doringiam ad nostram Ctzitciam vrbem, à conditore Ctzitto sic dictam, deuenit. Inde perpopulato agro, tuguriisque & villis ac templis igne crematis, ad Bornium contendit: ibi dies aliquot statiua habuit, exin ad Elistrum progreditur. Tandem non longe à Picastro, vbi nonnullæ Friderici copiæ hybernauerant, consedit. Cuius aduentum Fridericus marchio, vir bellator, audiens, sub omni celeritate ex Misna & Libonotria copiosam & robustam pugnantium adunauit multitudinem, & contra Philippum ducens, cum eodem collatis signis congreditur. Fit atrox certamen, ita vt mille ex Sueuis cæsi sint, ducenti capti. Ex Friderici militibus pene nullus peremptus, plures tamen vulnerati. Post trium dierum inducias rursum bellum instauratur, in quo vtrinq; complures gladio ad internecionem cæduntur, ac fine vllo respectu pietatis extinguuntur. Nam quantum dextræ ad cædendum valebant, tãtum interficiebantur. Philippus, desperata victoria, cum paucis equitibus prælio profugus, Aldenburgium peruenit, vrbem quam Cauritani à Choris vel Cauptis authore Ptolemęo dictis incolunt. Fridericus victoria potitus, tulit signa militaria complura, galeas cælatas, vasa argentea, auri argentiq; vim magnam. Vasa galeæq; Misnam eius iussu deportata sunt, atq; in diui Donati templo loçata. Quibus sic gestis Philippus xxx dierum inducias petiit, & interea de pace cum Friderico tractare cœpit. At Fridericus ob damna illata renuit, quia ipsum Philippum cum copiis suis armis & vi è terris suis eiicere disposuit. Philippus itaque omnia per nuncium Adolpho intimauit; seque bello deuictum & profligatum conquerens; pariterq; pro instauratione exercitus, vt nouas copias ac pecuniam mittat, hortatur. Adolphus hæc audiens, ira percitus aduersus Fridericum, comparato tum ex Sueuis tum è Rheni accolis exercitu, expeditionem fecit. Igitur per Tubantinorum agros in Libonotriam ducens, ibi primum ad vrbem Cygneam exercitum duxit: (fuit equidem ea vrbs tunc imperatori subdita, à Cygneo conditore dicta, postea à Henrico primo instaurata) ibique per triduum statiua habuit; ibi etiam parte exercitus Philippo tradita, ipse cũ reliquis copiis per Camannos iter faciens ad Fribergum contendit. Quam vrbem propter argentifodinas vehementer cupiens, anno integro & quatuor obsedit mensib. Tandem eam non armis sed proditione cepit Qua capta & in suam potestatem redacta, ad Bornium contendit, & eam non armis sed fame oppressam in deditionem accepit. Inde cum ad Picastrum exercitum ducturus esset, ad oppidum quam Lucam Libonothanorum vocant, iter conuertit. Ipsamque cum aliquandiu frustra oppugnasset, ingruente hyeme, solutaq; obsidione, in Sueuiam reuersus est; partem exercitus secum ducens, partem Aldẽburg hyemandum mittens. Ipse vero in Sueuia grandi collecto exercitu, verno tempore in Misnam redire disponens, audita Alberti Austrii contra se præparatione bellica, propositum mutauit manere arctatus. Partem tamen exercitus Philippo direxit, qui copiis eius iuncti ingentem constituerunt exercitum. Nam si annalibus fides adhibenda est, peditum erant viginti millia, equitum duodena. Verum quid cum his Philippus fecerit, in sequentibus mox sub anno Domini MCCXCVII dicetur.

Eodem anno, videlicet Domini MCCXCIV quo supra, Celestinus papa, mentis quietem diligens & otium sanctum, vltro se abdicauit pontificatu.

Eodem anno Domini MCCXCIV, Bernhardus XXV Episcopus Misnensis Ecclesiæ cœpit, seditq; annis V. Iste fundauit monasterium Sanctimonialium in Slesia dictum Morgenstern, ordinis Cisterciensis.

Anno Domini MCCXCV, Bonifacius papa eius nominis VIII cœpit, natu Campanus, de quo etiam supra sub Celestino V dictum est. Fuit hic (vt scribunt historiographi) totus ambitiosus & arrogans, magnanimus insuper, & in rebus mundi expertissimus. Qui leonina mente magis tyrannizans, quam papisans, vniuerso orbi metum sui & terrorem incutere moliebatur. Quare per quendam stupor mundi appellatur in carmine. Iste nempe est, qui carceres pro clericis transgressoribus inuenit, similiter & eosdem degradandi modum. Duos cardinales de Columnensium familia, Iacobum & Petrum, omni dignitate & rebus priuauit, & è Roma eiecit.

Verum bona quæ fecit sunt, quod ordinibus mendicantium concessit, vt libere possent prædicare, audire confessiones, & sepelire, citra tamen prælatorum & curatorum

torum iacturam. Iubileum primus instituit, de centesimo in centesimum annum perpetuo celebrandum. Quatuor Euangelistarum, pariter & Doctorum quatuor festa instituit. Sextum Decretalium ordinat, & confecit librum totum causidicum, clericorum contentionibus deseruientem; & alia multa magnifice fecit, quæ cum eo in fine miserè defecerunt. Nam & ipse, cum cardinales prædictos de Columna nimium persequeretur, à nobilibus de Columna captus & incarceratus, ibi miserabiliter clausus, diem quoque clausit extremum: cunctis Prælatis, ne alta sapiant, sed forma facti gregis magis amari à subditis quam timeri satagant, flebile relinquens exemplum. Hic denique est, de quo dicitur, quod intrauit vt vulpes, vixit vt leo, mortuus est vt canis.

Eodem anno Bruno episcopus noster ad instantiam Domini Friderici abbatis dedit cœnobio nostro priuilegium confirmationis super duos mansos sitos in Trebenitz, quos prædictus abbas emit pro viginti & octo marcis argenti pro fratrum vtilitate &c. quod quidē sic incipit. In nomine Domini, Amen. Bruno Dei gratia, Nuenburgensis Ecclesiæ Episcopus, omnibus in perpetuum. Ad euitanda futura litigia, quæ cupiditas rerum, mater litium, generat incessanter, consilio sane prouidentiæ est inductum, vt quæ rite & rationabiliter ab hominibus ordinantur, scripturæ testimonio perennētur. Ea propter ad noticiam tam præsentium, quam futurorum cupimus peruenire, quod cum honorabilis vir, dominus Fridericus, abbas Putzauiensis emisset pro viginti & octo marcis argenti erga Petrum de Gisingen, & Henricum Camerarium, ciues nostros in Cyce, duos mansos sitos in villa Tribenitz, quos idem Petrus & Henricus à nobis tenebant in feudo, &c. nos ob dilectionem & deuotam instantiam præfati domini Friderici abbatis & supra dictos māsos, &c. damus, tradimus, donatione legitima, titulo proprietatis perpetuo possidendos, &c. Huius rei testes sunt, dominus abbas Conradus Pygauiensis, dominus Christianus abbas sancti Georgii in Nuenburg, dominus Theodorus abbas Portensis, & plures alii fide digni. Datum anno incarnationis Domini vt supra, III idus Aprilis, indictione octaua.

Eodem anno Ericus Magdeburg. archiepiscopus obiit, qui fuit frater Ottonis marchionis Brandenburgensis. Cui Burghardus de Blanckenburg comes successit, & IX annis sedit. Pallium à papa Bonifacio VIII suscepit.

Anno Domini MCCXCVI, Adolphus rex bello Misnam ingressus, inter alia oppida Fridberg per annum & quatuor menses obsessam proditione tandem cepit. De hac re etiam supra dictum, & quidem latius, anno MCCXCIV.

Anno Domini MCCXCVII, Philippus dux exercitus regis Adolphi circa Lucam oppidum non procul ab Aldenburg bellum contra marchionem Fridericum instruxit. Quod Fridericus audiens, ex Libonotriis & Misnensibus pro tempore congregato exercitu contra ipsum processit. Qui cum se mutuo conspexissent, adeo acriter concursum est, vt fremitus pugnantium Picastri sit exauditus. Diu victoria anceps fuit. Tandem Libonotriis atrociter pugnantibus, Sueui cedunt grauiter sauciati, & profugi facti deserta & auia petierunt. Qua etiam pugna Philippus captus est, vnaque permulti nobiles. Fridericus Picastrum cum victore exercitu reuersus, post paucos dies dein Lipsim contendit; præcedentibus ipsum equitibus armatis exuuias in pilis gestantibus, vinctis vero captiuis sequentibus. Lipsim veniens quicquid auri argentique fuit, in Thomæ Apostoli templo posuit. Paulo post Philippum in Rotcliciana arce custodiæ mancipauit: qui tamen paulo post fraude custodum aufugit. In Colditium ad suos veniens lætanter suscipitur.

Anno Domini MCCXCVIII, Albertus Austriæ dux, filius Rudolphi regis grauissima bella in campestribus Spiræ Adolpho imperatori intulit. Cum quo dum collatis signis dimicat, ipsum inter pugnandum deprehensum occidit, & pro eo ab electoribus & exercitibus approbatus in regem Romanorum constituitur, & à Bonifacio papa confirmatur. Imperauit autem annis X.

Eodē anno Genuenses in Adriatico Venetos superauere mari: & LXX eorum naues captas Genuam deduxerunt cum ingenti nauali triumpho.

Anno Domini MCCXCIX, Bruno reuerendissimus noster antistes dedit nobis priuilegium confirmationis super decima in Miltindorff, quam comparauit Gumpertus confrater noster de Reinboldisdorff, cuius initium tale est. Nos Bruno Dei gratia

Nuemburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, recognoſcimus, & ad notitiam tam præſentium quam futurorum cupimus peruenire, quod cum Gumpertus de Reinboldisdorff, cófrater Eccleſiæ ſiue monaſterii in Puzauia, de ſalute animæ ſuæ cogitans, quinq; ſexagenis ſiliginis, & totidem auenæ decimæ ſitæ in Miltindorff erga Henricum Burggrauium de Blanckenhayn, qui eandem decimam à nobis & noſtra Eccleſia tenebat in feudo, emiſſet iuſto emptionis & venditionis titulo mediante; cumque idem Burggrauius ipſam decimam nobis libere reſignaſſet: nos propter Deum & deuotam inſtantiam honorandi viri domini Friderici abbatis dicti monaſterii & Gumberti prædicti eandem decimam ad infirmariam eiuſdem monaſterii pleno iure proprietatis contulimus, & tenore præſentium damus & tradimus donatione legitima perpetuo poſſidendam: ita videlicet vt infirmarius qui pro tempore fuit, præfato Gumperto, Deo vocante viam vniuerſæ carnis ingreſſo, in anniuerſario eiuſdem Gumperti qui in miſſis & vigiliis in dicto monaſterio, prout ibi conſuetum eſt, annis ſingulis peragetur, conuentui pro largiori adminiſtratione præbendarum quinq; ſolidos denariorum datiuorum ratione ſupra dictæ decimæ miniſtrabit. Vt autem hæc noſtra donatio & ordinatio robur habeant perpetuæ firmitatis; præſentes literas ſuper eo conſcribi fecimus noſtro ſigillo ſigillatas. Huius rei teſtes ſunt honorifici viri, dominus Henricus præpoſitus, dominus Gebehardus, Henricus de Yſenburg, Cicenſis Eccleſiæ canonici, &c. Datum anno Domini vt ſupra, VIII idus Iunii, indictione XII, pontificatus noſtri anno XV. Secundum hoc datum & priuilegium Bruno ipſe cœpiſſet anno, vt ſupra poſitum eſt, MCCXCV. Aliud tamen priuilegium per eum etiam datum vno anno deuiat, vt infra patebit MCCCI. Hoc tempore Sicardus Cremonenſis Epiſcopus & hiſtoriographus claruit.

Anno Domini MCCC, Iubileus primus Romæ per Bonifacium papam inſtituitur & celebratur, & durauit anno integro. Et mirabiliter ditati ſunt Romani ex concurſu peregrinorum, & maxime papa. Conſtituitq; Bonifacius, vt deinceps ſeruaretur de centeſimo in centeſimum annum perpetuis temporibus. Cometes & hoc anno apparuit.

Viri illuſtres qui hoc tempore claruerant.

Reynerus, qui pantheologiam edidit, ordinis præd.
Durandus, qui ſcripſit ſuper ſent. & alia, ordinis eiuſdem.
Duranellus, nepos Durandi, & ipſe eiuſdem ordinis doctor.
Media villa, theologus eruditiſſimus ordinis Minorum.

Anno Domini MCCCI, Friderícus abbas ſanxiuit priuilegium ordinationis ſuper anniuerſario eius, & domini Henrici de Botuelt, & aliorum charorum. Incipit: In nomine Domini Amen. Hæc eſt ordinatio quam nos Fridericus Dei gratia abbas monaſterii Puzauienſis de conſenſu domini Hartungi Prioris totiuſque capituli, &c. Nos quoque Bruno Dei gratia Nuemburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, &c. omnia prædicta grata ratihabitione in nomine Domini confirmamus. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum, &c. duximus apponendum. Datum Cycæ, anno vt ſupra, Calendis Auguſti, pontificatus noſtri anno XV. Secundum hoc datum cœpiſſet Bruno anno Domini MCCLXXXVI.

Eodem anno Bruno pontifex noſter dedit monaſterio noſtro priuilegium corroborationis ſuper quatuor ortos in Zägeberg, quos emit dominus Hēricus de Lychtenhayn, noſtræ congregationis monachus, quod quidem ſic incipit. Nos Bruno Dei gratia Nuemburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus recognoſcimus, & ad noticiam tam præſentium quam futurorū cupimus peruenire, quod cum dilectus nobis dominus Henricus de Lichtenhayn, monachus in Puzauia, emiſſet erga relictam quondam Hermanni aurifabri ciuis noſtri in Cytze, & Ioannem & Albertum filios dominę eiuſdem, IV ortos ſitos in Czangenberg, &c. Huius rei teſtes ſunt honorabiles viri, dominus Henricus præpoſitus, dominus Conradus decanus Cycenſis Eccleſiæ, &c. Datum anno vt ſupra, Nonis Nouembris, indictione XIV. Credo ergo prænarratum Hēricum de Lichtenhain, cum eſſet de nobili & magna familia, ortos prædictos de patrimonio ſuo emiſſe, cum conſenſu abbatis ad perpetuam monaſterii vtilitatem, ſicut & alia, quę breuitatis cauſa pertranſeo.

Anna

Anno Domini MCCCII, vel circa, Fridericus abbas humanis exceſſit, cui Nicolaus eius nominis primus ſucceſſit, vir & ipſe ſingularis prudentiæ & religionis. Ob induſtriam ſuam & vitæ integritatem non modo Epiſcopo noſtræ diœceſis, & principi terræ Friderico, verum & vniuerſo populo dilectus fuit & acceptiſſimus. Enimuero in quanto precio & honore ab prefato habitus ſit Friderico, infra in priuilegio quod idem Fridericus ob laudem eius & reuerentiam an. Dom. MCCCX dedit, euidētiſſime liquet.

Anno Domini MCCCIII, Nicolaus abbas priuilegium confecit ſuper anniuerſario domini Henrici de Botuelt, ac illorum dictorum de Tribenshayn. Nos Nicolaus abbas Dei gratia in Puzow ordinis ſancti Benedicti recognoſcimus, & ad vniuerſorum noticiam volumus peruenire, quod cum dominus Fridericus abbas quondam in Puzow, prædeceſſor noſter felicis memoriæ à Domino Henrico milite, quondam dicto de Bothuelt, pro anniuerſario eiuſdem in noſtro monaſterio ſtatuendo, &c. Nos ergo Bruno Dei Gratia, Nuemburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ad exprimendum noſtrum conſenſum omnibus & ſingulis præmiſſis liberaliter acceſſiſſe, ſigillum noſtrū præſentibus ſimiliter duximus apponēdum. Datum Cycę anno Dom. quo ſup. XIV Cal. Iunii.

Eodem anno papa Bonifacius captus eſt per nobiles de Columna, adiuuāte rege Galliæ Philippo, qui tamen poſt paucos dies per tumultum violenter per amicos ſuos liberatus fuit de carcere, & Romam reductus. Ipſe tamen papa intra paucos dies ex dolore animi, quem ex confuſione præmiſſa inciderat, morbo correptus interiit, cui poſt paucos dies Benedictus XI ſucceſſit ordinis prædicatorum, qui ſecundum ſeculum viliſſimæ conditionis fuerat, filius vtpote lotricis pauperculæ & viduæ. Tamē propter ſanctimoniam vitæ & prudentiam animi qua reuera nobiliter fulſit, ad apicem apoſtolicæ ſedis ſublimari promeruit. Hic conſtitutionem Bonifacii anteceſſoris ſui, quæ incipit *Super cathedram*, moderauit per aliā quæ incipit *Inter cunctas*, quia presbyteri Italici ei erant ſicut campanarii, & nihil habebant de Eccleſiis ſuis niſi labores & curas. Ioannem quoque & Iacobum cardinales de columna electos per Bonifacium reuocauit, & in omnem dignitatem reſtituit. Eodem anno, Erphordenſes ciues deſtruxerunt caſtra Kirchberg, Wintberg, Grifenberg. Prima duo funditus euerterūt, & Leiſten quod ante ceperant, quæ omnia erant Burggrauii Ottonis de Kyrchberg, eximii benefactores noſtri, qui eorum offenſam (neſcio ob quam cauſam) inciderat. Cui tamen poſt Greiffenberg reſtituerunt. Eodem quoq; anno caſtrum Hopfgarten deſtruxerunt. Hæc ex Chronicis Doringorum, quæ Erphordiæ in monte diui Petri tranſcripſi.

Eodem anno, Mangoldus de Nuenburg Epiſcopus Herbipolēſis obiit, cui Andreas de Gundelfingen ſucceſſit.

Anno Dom. MCCCIV, Bruno Epiſcopus noſter reuerendiſſimus pauſauit in Chriſto, de cuius felici obitu in vetuſta quadam Chronica in hæc verba ſcriptum reperi: Bruno venerabilis Nuenburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus cum in extremis laboraret, iuſſit ſe ſuper nudam terram ſubſtratis cineribus reclinari, in quibus humiliter & deuote recubans ſpiritum feliciter exhalauit, anno Dominicæ incarnationis MCCCIV. Cui Vlricus ſucceſſit, vt ſequitur.

VDalricus celeberrimus Nuenburgenſis Eccleſiæ præſul, anno Domini MCCCIV, Brunone defuncto, canonice electus ſucceſſit, vir vitæ rectitudine conſpicuus, & in agibilibus mundi peritiſſimus: fuitq; natus de Wolckenberg, ſed an comitum proſapia, an non; incertum habeo. Qui & ipſe monaſterii noſtri fautor & tutor fuit notabilis & inſignis vt in ſequenti priuilegio hoc eodem anno per eum nobis ſuper VII manſos ſitos in Rodwansdorff dato euidenter pateſcit, quos quidem dominus Nicolaus abbas noſter & totus cōuētus emit, &c. cuius tale eſt exordiū: Nos Vlricus Dei gratia Nuemburgenſis Epiſcopus recognoſcimus, & ad noticiā tam præſentium quam futurorum cupimus peruenire, quod cum dilecti nobis in Chriſto, dominus Nicolaus abbas, & conuentus monaſtērii Puzauienſis VII manſos ſitos in pago villæ Rotwansdorff, ſoluentes annuatim XXXIX ſolidos denariorum vſualium datiuorum, erga Chriſtianum de Luchowe, & fratres ſuos, iuſto emptionis & venditionis interueniente titulo, ſuo monaſterio legitime comparaſſent; cumq; dicti fratres manſos huiuſmodi dom. Ottoni militi de Lichtenhayn & Ottoni filio eiuſdē, à quibus ipſos māſos tenebāt in feudo, & deinde idem dom. Otto cū filio ſuo, qui ſimili feudo dictos manſos à noſtra tenebāt

Ecclesia, nobis voluntarie & libere resignassent: nos ob reuerentiam gloriosæ virginis Mariæ, & deuotam instantiam dictorum domini abbatis & conuentus eosdem mansos cum omnibus suis pertinētiis, & vtilitatibus, quæ ipsis insunt in præsenti, vel inesse poterunt in futuro, de consensu totius nostri capituli damus, tradimus & donamus, tenore præsentium prædicto monasterio pleno iure proprietatis perpetuo possidendos. In rei testimoniū has literas nostri sigilli robore iussimus communiri. Testes huius nostræ donationis sunt: dom. Erckenbertus de Starckenberg, Otto frater noster, Citzensis Ecclesiæ canonici, &c. Volradus dictus de Wolckinberg, patruus noster, & alii cōplures fide digni. Datū anno quo supra, indictione secunda. Eodem anno, Albertus Burggrauius de Aldinberg monasterio nostro dedit annonam in Bodewil, quæ vulgariter Burgkorn dicitur, & desuper priuilegium corroborationis perpetuæ cōfecit cōtulitq; cuius tenor talis est: In nomine Domini Amen. Ne gestarum rerum memoria pereat, perennari solent testimonio literarum. Eapropter nos Albertus Burggrauius de Aldenberg ad noticiam tam præsentium quam futurorum volumus peruenire, quod ob reuerētiam & honorem Dei omnipotentis, nec nō beatissimæ virginis Mariæ genitricis eiusdem, ac pro salute animæ nostræ omniumq; progenitorū nostrorū, annonā in Bidowil quæ vulgariter Burgkorn nūcupatur, ad nos & nostros deuolutam, venerabili D. Nicolao abbati, & suo monasterio Puzauiensi voluntate beneuola cum omni iure vtilitate seu prouentu, qui nunc exinde prouenit, vel prouenire poterit in futuro, in idipsum monasterium damus & transferimus perpetuo possidendam. Vt autem hæc firma & ineuulsa permaneat, præsens scriptum nostri sigilli munimine roboratum prænotato domino & suo monasterio duximus fideliter erogādū. Huius rei testes sunt honorabiles: Dominus præpositus in Aldēburg, &c. Acta sunt hæc anno Dom. quo sup. v. Cal. Iunii. Eodē anno Gerhardus archiepiscopus Mogūtinus obiit, cui Petrus Episcopus Basiliēsis cōstitutus per papā successit. De hoc & in sequētib. Eodē an. Burghardus de Blāckenberg archipræsul Magdeb. obiit, cui Henricus comes de Anhalt successit.

Anno Domini MCCCV, Clemens quintus summus creatus est pontifex, seditq; annis VIII. Hic sedem apostolicam in Galliam transtulit, mansitq; illic annis LXXIV non sine magno Romanorum, imo totius Ecclesiæ incommodo. Hanc translationē vehementer deplorat in suis Epistolis Franciscus Petrarcha, qui illis temporibus floruit. Celebrauit iste Clemens tria concilia. In Viennensi quod anno Domini MCCCXI præsentibus CCC Episcopis solēnizatum, statuit multa præsertim statū clericorū & religiosorū cōcernētia. Quo ad statum nostrū, id est monachorū nigrorū, sanxiuit, quatenus omnes monachi nō sacerdotes & conuersi semel singulis septimanis cōfiteātur, & dominicis mensium primis cōmunicent, dominica videlicet prima cuiuslibet mēsis vsualis, negligentibus pœnam annectens, vt habetur extra de statu monachorum, *Nemo agro dominico*. Et hæc quidem constitutio salutis per patres obseruantiæ nostræ siue vnionis Bursfeldensis assumta est & approbata, vt decet & oportet, quemadmodū claret in ceremoniis nostris dist. II. c. VI. presbyteri celebraturi. Quo ad fratres mendicātes, statuens eis formam prædicandi & confessiones audiendi, vt extra de sepult. dudum in Clementinis: quæ tamē cōstitutio originaliter à Bonifacio VIII edita fuit, & incipiebat Super cathedram, sed per Benedictum XI successorē fuit reuocata, per Clementem aūt hunc in concilio reposita in suo vigore, & corpori iuris inserta scilicet in Clementinis. Et has quidem Clementinas Clemēs iste edidit, & in cōcilio memorato Viennēsi, cunctis Episcopis annuentibus & doctoribus confirmauit & promulgauit. Statutum quoque est ibidem, clericos, tabernarios, macellarios, negotiatores q; à diœcesanis cōpesci. Institutum Vrbani IV de corporis Christi festo roborauit, ordinē templariorū prorsus deleuit. De cæteris eius gestis sub anno obitus eius dicetur. Circa idem fere tempus Fridericus marchio Misnensis, missis ambasiatoribus suis ad Albertum imperatorem, restitutionem vrbium petiit, quas olim Adolphus rex pro se & imperio vi abstulerat, magnis prouinciæ damnis illatis. Itaq; Albertus nunciis benigne, sed in dolo, se postulata concessurum respondit, & ob id colloquii diem Aldenburgi futurum indixit. Adquē cū vterq; & rex & marchio suis quisq; stipatus militibus cōueniisset; celebratoq; solenni colloquio, Albertus Fridericū ad cōuiuiū paratum inuitauit; quibus epulātibus, satelles quidam robustus, ab Alberto multis promissis subordinatus, conuiuii locum vt

Fridericum

Fridericum occidat, intrauit latenter. Quẽ milites Friderici considerantes, pariterq; de insidijs suspectum habẽtes, irruentes in eũ multis plagis sauciatũ seminecẽ eiecerunt. Mox tumultus & clamor ingens exoritur, vtrinq; sese digladiantium. Quibus vtcunq; sedatis, Fridericus veste mutata aufugit Picastrũ veniens: vbi mox sequẽti die necẽ sibi per Albertum paratã suis conquest⁹ est optimatibus, iurãs se amodo nulli vnquã imperatori fidem præbiturũ. Quod cum singuli audissent, tantũ facinus abhorrẽtes, simulq; excandescentes; vindicandũ in Albertũ, & arma sumẽda, vnanimiter cõclamarũt. Qua de re bella secuta sunt cõplurima, quemadmodũ etiam testantur vulgares & cõmunes Doringorũ & Misnensiũ historiæ, in quibus ad verbũ sequẽta bella quæ eo tẽpore contigere, cõtinentur. Itaq; his ex Chronicis. An. Dom. MCCCVI, Albertus rex Romanorum, repetens terras, sc. Thuringiam Misnam & Orientalem prouinciã, cum plures ciuitates & castra obtinuisset quamuis marchio Frideric⁹, filius Lãtgrauij Doringię, totis viribus rebellaret. Relicto itaq; exercitu, Augustus ad alias ꝓuincias properabat. Porro exercitus relictus in terra Misnensi & Oriẽtali multa mala perpetrabãt, ita vt nec ecclesijs, neq; sacerdotibus, nec religiosis parcerẽt. Quinimo (quod horrendũ est audire) sacerdotibus diuina celebrãtibus calices de manu rapiebant, altaria spoliabãt. Vnde cõtigit q; quidã Garzio de exercitu pixidem sacramẽti auferret. Inde hostias recipiẽs, sacrilega manu gestabat, dicens: Habeo tres deos, & ego comedã eos. Quod cum capitaneus exercitus ꝓcepisset, vocauit sacerdotes, vt corpus Domini cũ reuerentia reportarent ad ecclesiã. Timuit eq́dem, irã Dei super exercitũ ob id piaculum venturã, sicut & venit & contigit. Marchio nãq; Fridericus prætatus collecto exercitu de ciuitate Liptz egrediens contra exercitũ prędictũ ad pręliandũ oẽs deleuit & interfecit. Obtẽta itaq; victoria Frideric⁹ marchio animose cõtra regem Romanorũ pugnauit, omniaq; castra & oppida recuperauit, & sibi subiugauit. Quomodo aũt Doringiam nactus sit, sequenti dicetur anno. Eod. an. Otto Burggrauius de Kirchberg senior parochiã in Brisenitz cũ priuilegio desuper cõfirmationis cõscripto nostro cõtulit monasterio, in quo etiã consensus & approbatio Vdalrici nostri exprimitur antistitis. Quod quidem ita incipit: In nomine Domini Amẽ. Otto Dei gratia Burggrauius de Kirchberg omnibus in perpetuum. Quoniã ex mutatione temporũ ac generationum transitu, &c. Nouerint ergo tam posteri q̃ præsentes, quod nos ob reuerentiã Dei omnipotẽtis, nec nõ glorioſissimæ virginis matris eiusdẽ, ac pro salute animæ nostrę omniumq; progenitorũ nostrorum parrochiã in Brisenitz, cuius ius patronatus ad nos dinoscitur pertinere de consensu reuerendi in Christo patris ac domini Vlrici Nuenburgẽsis episcopi, & ad deuotã instantiã venerabilis D. Nicol. abbatis eiusdẽ ecclesiæ in Puzowe, & propter grata beneficia nobis facta habita deliberatione & de bona voluntate hęredũ nostrorũ dedimus & tradidimus, & tenore p̃sentium damus, tradimus & donamus monasterio sanctæ Mariæ in Puzowe cum decimis & agrorum, &c. Nos quoq; Vlricus Dei gratia Nuẽburg. iam dictæ ecclesiæ episcopus ad exprimendum nostrum consensum præmissæ donationi liberaliter accessisse, sigillũ nostrum p̃sentibus similiter duximus apponẽdũ, indulgentes abbati, &c. Huius aũt rei testes sunt, venerabilis D. Ericus abbas de Burgelino, D. Conradus pincerna de Saleckę p̃positus, &c. quãplures fide digni. Actũ an. Dom. quo supra, indictione quarta. Eod. quoq; an. Otto Burggrauius supra memoratus dedit monasterio nostro capellã in Kirchberg cũ desuper confecto cõfirmationis priuilegio cõsensu & ratihabitione Vdalrici episcopi exprimentis: quod sic incipit: In nomine Domini Amẽ. Otto Burggrauius de Kirchberg omnibus in perpetuum. Quoniã ex mutatione tẽporum ac generationũ trãsitu gesta hominũ plerũq; in obliuionẽ, & ex obliuione in calumniã rediguntur, &c. Nouerint ergo tã posteri q̃ præsentes q; nos ob reuerentiam Dei, &c. capellã in Kirchberg cũ vineis, pratis, areis, agris cultis & incultis, &c. cui⁹ ius patronat⁹ ad nos dignoscitur ꝓtinere de cõsensu reuerẽdi in Christo patris ac D. Vdalrici Nuenberg. ecclesiæ episcopi, &c. de bona voluntate hæredũ nostrorũ dedimus & tradidimus, & tenore præsentium damus, tradimus & donamus monasterio Puzovve iure ꝓprio in ꝓpetuum possidendã. Huius autẽ rei testes sunt venerabilis D. Ericus abbas de Burgelino, dominus Conradus pincerna præpositus, dominus Hermannus de Starckẽberg decanus, &c. fide digni. Actũ an. incarnationis Dom. quo supra, indictione quarta. Prędictarũ deniq; ecclesiarũ, parochiæ videlic, in Brisenitz & capellæ in Kirch-

berg donationes per Ottonem Burggrauium prænarratum monasterio nostro factas, etiam eo defuncto filij eius & hæredes Otto Albertus & Hartmannus Burggrauius de Kirchberg ratas & gratas habentes, easdem singuli singulis priuilegijs & sigillis corroborauerunt. Propter quod eorum liberalitati ac deuotioni pientissimus pater & dominus Nicolaus abbas cõgaudens, eisq; spiritualia dona recõpensare annitens, cum anniuersario perẽni eos cõfraternitati nostræ congregationis perpẽtuo ascripsit priuilegio sequenti cuius talis tenor est confirmatam. Nos Nicolaus Dei gratia abbas, Gerhardus Prior, totusq; conuentus, S. Mariæ virginis monasterij Puzauiensis recognoscimus in his scriptis publice protestantes, quod nobili viro dom. Ottoni Burggrauio de Kirchberg suisq; hæredibus ex prærogatiua donatione qua nostram ecclesiam gratiose dotauerunt, promittimus, vt vbicunq; se receperint, & mansionem fecerint in his locis deputatis, videlicet in monte qui dicitur Kirchberg, aut in villa Brisenitz, in diuinis officijs & alijs ecclesiasticis sacramentis, prout antiquitus habere dinoscebantur de dicta parochia, solliciti volumus prouidere, ratum firmumq; tenere, ac inuiolabiliter obseruare; ipsum quoq; dominum Burggrauuium, suamq; cõthoralem dominam Sophiam, ac omnes suos progenitores, in orationes nostras recipimus, participesq; reddimus bonorum omnium quæ apud nos die noctuq; fiunt, ex nunc & in æuum. Ad cuius rei euidentiã præsentem literã nostro nostriq; conuentus sigillo fecimus sigillari. Dat. vt sup.

Anno Dom. MCCCVII, vel circa, Albertus Lantgrauius Doringiæ senior, qui & nostro monasterio fauens, notabile (vt supra dictum est) priuilegium nobis contulit, Erfordiæ diem clausit extremum. Is tres reliquit filios: duos, id est Fridericum & Theodericum ex legitima vxore sua Mechtilde alias Margareta, filia Friderici secũdi cum qua Aldenburg dotis nomine acquisiuit. (quam tamen vrbem ipse cum cæteris Adolpho regi vendidit) & Luduicum expellice seu cõcubina natum, cui adhuc viuens Lantgrauiatum Doringię resignauerat, vt ei in eodem principatu succederet. Quæ cuncta pręfatus Fridericus marchio, verus filius & hæres, audiens; copioso collecto exercitu, partem illius cum robustissimis viris Theoderico fratri suo contradidit, dans ei in mandatum, vt Fõteiam, Fribergum, Colditium, Grymmaw, Lusatium, Rotlicium & cæteras vrbes ab Adolpho olim occupatas recuperare contẽderet. Quod & Theodericus strenue perficere curauit, vrbes prędictas partim expugnatione, partim deditione suam in potestatem redigendo. Ipse vero Fridericus cum reliquis copijs ad possidẽdam Doringiam tanquã hæreditariam, inuasoremq; Luduicum exturbãdum, indignabundus ingressus cuncta sibi resistentia ferro & igne deuastans, diruit & subuertit. Gothiã vrbem à Gothis conditam multis machinis, arietibus, & tormentis conuulsam & oppressam cepit. Deinde comitem Glichonienſem, & comitẽ Vinariæ, qui vna cum Erphordensibus Luduico fauebãt, aggressos vicit, fudit, profligauitq;. Comitem Vinariæ captum, grandi ære multatũ, Comitia & Vinaria vrbe priuauit. Erfordenses eodem impetu superatos ad annuum tributum soluẽdum iuramento astrinxit, & tandem potenter tota potitus est Doringia. Dum hæc in Doringia per Fridericum strenuissime patrarentur, Theodericus germanus eius, qui à plerisq; Titzmannus marchio de Landesberg dicitur, in die Mariæ Magdalenæ Pigaw oppidũ cepit, archisteriumq; diui Iacobi Apostoli ibidem potioribus spoliatum rebus iniecto igne exussit: exin Lipsim ad hybernandum cõtendit. Vbi cum in nocte dominicæ Natiuitatis missarum solennijs adesset, à milite quodã Philippi hortatu interfectus est, vt refert Ioannes Garsonis Bononiẽsis in gestis prædictorum duorum fratrum, Friderici & Theoderici marchionum Misnensiũ, licet sint qui ipsum Theodericum in nocte paraſceues peremptum scribant, triduoq; superuixisse, ac pœnitenti deuotoq; obijsse spiritu. Cuius lamentabilem & casum & mortem cum resciisset Fridericus, nulla interposita mora Lipsim venit, & in templo diui Pauli honorifice tumulatur. Interea Fridericus audiens Philippũ Aldenburgensiũ Cygneorum & Camannorum præsidio Fonteiam rursus suæ potestati subiecisse, & ad Lucam expugnandum exercitum admouisse; infestissimo odio cum multitudine armatorum contra eum processit, ipsum propria manu in vltionẽ fratris occisi interficere statuens. Inito itaque atrocissimo prælio cum inter consertissimas acies Philippum dimicãtem conspexisset: ecce exclamans fratris mei occisor, irruensque in eum grauiter vulnera-
tum, quo excussit, multis insuper Sueuorum partim occisis, partim captis, cæteris in fugam

fugam conuersis. Qua victoria potitus cum copijs ad Aldenburg imperialem vrbem (quæ dos matris suæ fuerat) properabat: incolis autem fortiter repugnantibus, facibus iniectis ardentibus pene totam cremauit vrbem. Quare horrore perculsi ciues, reseratis portis exeuntes, se & vrbem eius potestati subiecerunt. Quorum calamitatem & excidium vicina audientes oppida, oblatis clauibus vltro se Friderici voluntati subdiderunt. Reluctarunt attamen aliquot annis Cygnęi & Camanni, ne se ditioni Friderici subiicerent. Ast diuturnis incursibus & multiplici incommodo affecti, potentiæ eius vel coacti se submiserunt. Fuerant siquidem Cygnæi ipsi & Camanni semper iuris imperij: ideo tam difficulter & tarde sese principis submiserunt dominio. Subiectionem tamen factam postea Luduicus imperator Bauarus ratam habuit, qui dictas vrbes administrationi Friderici commisit.

Anno Domini MCCCVIII, Albertus imperator per Ioannem nepotem suum circa flumen Rhenum non longe ab oppido Schaffhausen, dum simul amice iter agerent, interfectus est, eo quod patrimonium suum in Austria conferre detrectarit. Cui eodem anno Francophordiæ vnanimiter electus Henricus septimus, vel (vt alij scribunt qui Henricum Lantgrauium Doringiæ inter imperatores numerant) octauus, comes Lutzelburgensis in imperio successit, vir consilio & animo iuxta potens. Hic, tribus comparatis exercitibus, vnum ipse in Italiam duxit aduersus Brixienses, quos armis victos imperata facere compulit, Longobardosq; omnes in potestatem accepit; vrbes insuper Italiæ pene omnes maximis cladibus afficiens, ad imperium reduxit. Plures etiam se sponte dediderunt quas placide suscepit, præter Florentiam & paucas alias, de quib. infra. Alterum aduersus comites Wirtenbergenses direxit, sacro imperio rebelles: quibus ex octoginta castellis & munitissimis oppidis quæ obtinebant, duo & septuaginta armis expugnata ademit. Tertium ex Francis & Baioarijs collectum, duce Petro Archiepiscopo Moguntino cum filio, in Bohemiam misit. Hic est ille Henricus, qui Romæ coronatus, renitente Roberto rege Neopolitano, Florentiam obsidione artissima rebellem cinxit, Pisas Senasq; in potestate habuit; de cuius coronatione, alijsue eius gestis, nec non morte miserabili, in sequentibus suis locis & annis dicetur amplius.

Eodem anno Petrus supra dictus archipræsul Moguntiacus, Erphordiam in vigilia inuentionis Diui Stephani ingrediens, per quinq; & vltra septimanas in monasterio montis S. Petri commoratus est.

Eodem anno Magnus magister Ioannitarum cum classe ex Neapoli se mouens, mari transito in insulam Rhodi ingentissimo prælio aggressam, cum maximo Sarracenorum & Græcorum damno obtinuit. Ex eo ergo tempore Ioannitarum siue Rhodiorum militum * in Oriente cœpit in dicta insula, quorum virtute Christo cooperante vsq; in præsens nostrum tempus fides Christiana contra infideles mirifice propugnatur & defenditur. Vide plura in Hartmanno sub sexta ætate, folio 223.

Anno Domini MCCCX, Fridericus Doringiæ Lantgrauius, Misnensis & Orientalis marchio, dominusq; terræ Plisnensis bellicosissimus, ob summam reuerentiam, deuotionem, & amorem quem ad venerandum religiosumq; patrem, dominum abbatem Nicolaum, nec non totum conuentum nostri monasterij habuit, priuilegium amoris, fauoris & protectionis eius expressiuum nobis contradidit. Cuius tenor talis est, vt sequitur. Nouerint vniuersi præsentes literas inspecturi, quod nos Fridericus Dei gratia, Thuringiæ Lantgrauius, Misnensis & Orientalis marchio, dominusq; terræ Plisnensis, propter probitatis merita, quibus venerabilis dominus abbas Bosauiensis dinoscitur multipliciter coruscare, ipsum ac ecclesiam suam in nostram protectionem specialem assumimus; volentes & præsentib. firmiter decernentes, vt vniuersi nostri beneplacitis intendentes, eundem velut familiarem nostrum dilectum semper & vbiq; congruis & condignis honoribus studeant præuenire; nostram in eo reuerentiam taliter figurantes, vt ad condignam ob id viceuersa teneamur pro virilibus recompensam. Igitur vt præscripta nostra gratia effectum laudabilem sortiatur, præsentes literas dari fecimus nostri sigilli robore firmiter consignatas. Datum Aldinburg, anno Domini quo supra, pridie Calend. Ianuar. Eodem anno Henricus Cæsar Romæ coronatur.

Anno Domini MCCCXI, Concilium Viennæ super Rhodanum iussu Clementis papæ ordinatum cœpit, & biennio durauit, in quo quanta salutaria constituta fuere,

etiam ſupra dictum eſt. In quo deniq; per prouiſionis potius quam condemnationis viam, ordinem militiæ templariorum idem papa caſſauit penitus, & annullauit. Cauſam huius vide in Chronicis.

Eodem anno Vlricus Epiſcopus noſter dedit nobis priuilegium corroborationis ſuper eo quod dominus Nicolaus abbas pratum reemit alienatum à monaſterio. Cuius tenor talis eſt. Nos Vlricus Dei gratia Nuemburgenſis Epiſcopus ad noticiã omnium quibus præſens ſcriptum exhibitum fuerit, volumus peruenire, quod honorabilis dominus Nicolaus monaſterij Puzauienſis abbas ſuper reemtione cuiuſdam prati alienati à monaſterio, conſilium & auxilium Dominorum ſui conuentus in aliqua ſumma ſibi offerri petijt, quam in pondere x marcarum apud ipſos fauorabiliter impetrauit. Prædictus ergo Conuentus, cum talis pecuniæ ſummam ſolutionis formæ integraliter pcepiſſet, onere multifario exactionis à domino Friderico marchione ſe ſentiens aggrauatum, propter maius periculum euitandum prædictas x marcas aduocatis eiuſdem domini per manus domini abbatis prædicti præſentari voluit ſeu decreuit: ita tamen vt pro eiſdem marcis triginta duo ſolidi cenſus in Miſſelquitz prædicto conuẽtui conſolatorie ſingulis annis & perpetuo miniſtrentur. Quam conſolationem nullus abbatum ipſi ſuccedentium, niſi tanta pecunia videlicet x marcarum ipſi conuentui reddita, ſubripere audeat vel præſumat. In cuius rei teſtimonium cum appenſione ſigillorum prædicti domini abbatis & conuentus præſentem literam noſtri ſigilli robore volumus communiri. Datum Cycæ, anno Domini quo ſupra, pontificatus noſtri xx anno VII.

Anno Domini MCCCXIII, Clemens papa obijt. Hic multa laudabilia (vt ſupra dictum eſt) ſtatuit & fecit. Fuit tamen (vt Antonius de eo ſcribit & alij) nimis cupiditatibus deditus, propter quod ſcelus Simoniæ multum viguit in curia ſua circa beneficia. Quod autem quidam dicunt, in papam non poſſe cadere Simoniã, beatus Thomas id reprobat. Inſuper & minus honeſtę vitæ fuit: famabaturq; cum quadam comitiſſa pulcherrima contubernium habere. Nepotibus quoq; & alijs attinentibus magnum theſaurum reliquit. Eo itaque mortuo, ſedes vacauit annis duobus, & menſibus tribus.

Eodem anno Henricus imperator quoque, dum Bonconuentum oppidum Italiæ obſidione premeret, diem obijt. Signa veneni in cadauere apparuiſſe multi ſcripſere. Ptolemæus vero Lucenſis affirmat, veneno eum perijſſe, à prædicatorum ordinis fratre in euchariſtia dato: aliuſq; addidit, id Florentinorum dolo & inſtinctu factum eſſe. Id ipſum Platina magnus autor aſſerit: & in Faſciculo temporum legitur, & cunctis pene Chronicis. Ordo tamen ipſe per bullas papales excuſatur, prout in præfato Faſciculo temporum habetur clare. Fuit autem Henricus Cæſar vir ſapiens & gratioſus, in armis ſtrenuus & animo magnus: qui (vt ſperabatur) non infima, ſi longiori vita fruitus fuiſſet, egiſſet.

Anno Domini MCCCXIV, Cometes apparuit verſus Aquilonem, & quaſi in fine ſigni Zodiaci quod dicitur Virgo, & durauit per ſex hebdomadas: deſignauitque ſecundum iudicium aſtrologorum plures nouitates quæ cõtigerunt, vt peſtem, & præcipue mortem regis Galliæ. Anno igitur præfato, menſ. Nouemb. de hac luce migrauit rex Galliæ Philippus, poſteaquam regnarat annis XXIX. Mors autem eius fuit ſatis infelix. Nã cum eſſet in quadam venatione, quidam aper inter crura equi quem equitabat rex, ſe ingeſſit: ex quo rex ex equo cadens paulo poſt mortuus eſt. Fuit hic pulcherrimus hominum ſui temporis. Hoc autem infortunium paſſus eſt, vt aliqui ſcribunt, propter deletionem ordinis Templariorum, ad quam ipſe vehementiſſime papã inſtigans acuit.

Anno Domini MCCCXV, de imperatore deligendo inter electores contentio exorta eſt, in qua quidam Luduicum ducem Bauariæ, alij Fridericum Auſtriæ ducem elegere. Quamobrem inter eos bellum natum eſt, durauitque annis octo: quo tandem anno prælio magno inter Muldors & Ottingen commiſſo, Luduicus Fridericum victum ſo cepit & humiliauit, ſoluſq; exinde regnauit annis XXXII. Fuit autem vir prudens, & ad regnum idoneus. Latinam tamen linguam ſuo damno non intellexit. Coronari à papa contempſit, qui tum Auione in Gallia ſedem tenebat. Sed Romam tendẽs, ibi apud ædes Laterani iuſſu cleri & populi Romani à Stephano de columna coronam imperij ſuſcepit. Quapropter papa eum excommunicauit. Ille vero floccipendens, contra papam

papam rebellans, alium erexit antipapam, Petrum sc. Corbarēsem ordinis minorum: qui tamen pseudopontifex post recessum imperatoris de Italia captus, à Ioanne XXII vero papa custodiæ mancipatus est perpetuæ. Hęc per anticipationem dicta facta sunt post coronationem Luduici, quæ celebrata est anno Domini MCCCXXVII. Quo etiam anno rursus sibi Luduicus à prædicto suo antipapa coronam regni imponi fecit: ipse autem antipapa captus & incarceratus fuit, anno Domini MCCCXXX. De quibus etiam infra aliquantisper tractabitur gestis. Luduicus mansit deniq; contumax vsq; ad mortem suam, quæ satis miserabilis fuit vt in sequētibus suis locis & annis dicetur. Eodem ferme tempore Fridericus Lantgrauius Doringiæ, & marchio Misnensis &c. rursus in Doringiam victorem duxit exercitum. Castella quæ ab eo desciuerant, subuertit, vicos incendio consumpsit, agros vastauit, arbores succidit, & turres ad solum euertit. Prodeunt; precibus flagitantes, vt modum iræ statuat: fatentur errata sua: esse clementiæ & prudentiæ suæ, ipsorum excusationem suscipere. Fridericus itaq; eis crimina cō donauit, iussitq;, vt quotannis maximis ipsum & à quibus ei succederetur, muneribus prosequerentur: ad quod singulos iureiurando adegit. Circa idem tempus Nicolaus abbas monasterij nostri diem obijt: cui Ioannes eius nominis (ni fallor) primus successit, vir & ipse omni industria & religione præclarus. Hic quanta bona fecit, infra suis locis patebit & annis.

Anno Domini MCCCXVI, Ioannes XXII summus fit pontifex, natione Gallicus, secūdum carnem infimæ conditionis, filius veteramentarij resarcitoris videlicet sotelarium; pauper quidem temporali substantia, sed diues ingenio & scientia; paruus corpore, sed magnus animo. Magnifica equidem sui papatus tempore perfecit opera. Constitutiones Clementinas publicauit, & ad vniuersalia studia misit. Thomam de Aquino ordinis prædicatorum & Luduicum episcopum Tholosanum, filium regis Siciliæ, ordinis minorum canonizauit: episcopatus pingues diuisit, contra pluralitatem beneficiorum multa bona instituit, & hæreticos complures præcipuo zelo damnauit. Iste est deniq; Ioannes papa, qui ex summa quam ad nostrum diui videlicet Benedicti ordinem habuit deuotione, ex archiuis antecessorum suorum eiusdem ordinis *, reperitq; complures numero; summos videlicet pontifices XXIV; cardinales CLXXXIII; archiepiscopos & episcopos MCCCCLXIV; abbates insignes MDLXX. Summa autem canonizatorum omnium eiusdem ordinis in sequentibus vulgatis continetur versibus.

Mitis & inuicte Christi verna benedicte
In cælo sisti: tot fratres promeruisti:
Quingentos quinque quingenos millia quinque
Ad te translatos, prius omnes canonizatos.

Notandum hic secundum Volaterranum, quod cœnobium Cassinense, religionis nostræ caput, quadraginta millia aureorum redditus olim habuit: vrbes insuper opesq; complurimas si per tyrannorum rapinam licuisset, possedit. Vnde idem inquit, regna potius quam cœnobia virum sanctum posteris reliquisse, & forsan ignorasse, nō se tam pauperibus hospitium aut Christi seruis ad diuina subsidium, (vti sperabat) quam clericis ac sacerdotibus otium atq; luxuriam parasse. De magnificētia dicti cœnobij etiam supra sub Thoma de Aquino dixi.

Eodem anno fames validissima per Doringiam fuit, ita vt multa millia hominum fame perierint, in stratis & vijs corruentes, exhausti præinedia. Vnde Erphordenses ante valuam magnas toueas fecerunt, in quas cadauera proijciebant. Vbi & in rei memoriam capella constructa est prope viam regiam Vinariam versus non longe ab Erphurt qui locus dicitur in Smedese, vbi sepulti sexagenæ & triginta sexagenę cum quinque hominibus, quemadmodum ego ipse ibi vidi, legi & transcripsi. Maldrum quippe Erphordiæ tum frumenti quatuor marcis puri argenti vendebatur: & plerunque haberi non potuit. Circa idem tempus Vlricus antistes noster reuerendissimus viam vniuersæ carnis ingressus XVI Calend. Aprilis, qui ob eximia quæ contulit monasterio nostro bona, perpetuum apud nos habere prome-

ruit anniuersarium. Cui Henricus comes, vt aiunt de Stolenburg, vt sequitur successit.

HEnricus primus, in numero Episcoporum Nuemburgensis ecclesiæ XXII, Vlrico humanis exempto canonice succedens, cœpit anno Domini MCCCXVII, seditque annis IX. Fuit hic comes de Grunpech, vt habetur in catalogo vulgato, de quo & in sequentibus.

De quibusdam nouitatibus & rebus gestis sub Henrico Episcopo, ex Chronicis variis, & nostri monasterij aliorumve priuilegiis.

Anno itaq; Domini supra dicto MCCCXVII, Ioannes abbas confecit priuilegium siue ordinationem super anniuersario Conradi de Ezildorf, qui pro eodem seruando monasterio nostro dedit XX marcas argenti, cuius quidem priuilegij tenor talis est. Nos Ioannes Dei gratia abbas, Ioannes prior, totusq; conuentus monasterij Putzauiensis, recognoscimus præsentibus, & ad noticiam omnium quorum interest cupimꝰ peruenire, quod nos super eleemosyna Conradi de Ezildorff dicti de indagine beatæ memorię recepta, videlicet XX marcis, ac in vsum nostræ Ecclesiæ conuersa, ipsum cum progenitoribus suis in confraternitatem nostram recepimus, participem omnium bonorum quæ in nostra Ecclesia fiunt perpetuo exoptantes. Nihilominus obligamus nos ad peragendum singulis annis suum anniuersarium cum vigiliarum & missarum solennijs, ita quod de duobus talentis denariorum, quos prædictus dominus Ioannes abbas in cę- su suo de Prouin ad hoc deputabit, ministrentur in huiusmodi anniuersario dominis duæ vrnę cereuisiæ; medius *pro piscibus seu carnibus, prout tempus tunc requiriti quartale tritici pistetur pro pane ad refectorium; & quartale siliginis pistetur pro eleemosyna pauperum diuidenda: cereus de talento ponetur ad vigilias de sero, qui ardebit vsq; mane dicta missa pro defunctis. Nihilominus & in qualibet septimana per anni circulum legentur tres missæ vna de beata virgine: duæ aliæ pro defunctis: & sacerdotibus legentibus huiusmodi missas tres denarij dabũtur pro laboribus ipsorum in qualibet septimana. Vt autem huiusmodi anniuersarius cum ministratione prædicta in nostra tam per nos quam nostros successores perpetuo peragatur; nos de communi consensu nostro hanc literam hæredibus seu amicis dicti Conradi dedimus, sigillorum nostrorum robore communitam. Actum & datum anno Domini quo supra, XIV Cal. Iun. præsentibus testibus &c.

Anno Domini MCCCXX, Henricus Episcopus noster dedit monasterio nostro priuilegium confirmationis super vno talento, quod cõtulit idem ipse nobis in moneta Cycensi. Incipit in nomine Domini Amen. Nos Henricus Dei gratia Nuemburgensis Ecclesię Episcopus omnibus in perpetuum. Quia propter euentus varios, &c. Notum esse volumus tam prę̃sentibus quam futuris, quod cum nobilis vir, dominus Henricus de Stalberg, vnum talentum annui census in moneta nostra in Cyce, quem quondam inibi habuit Henricus camerarius, ciuis noster in Cyce bonæ memoriæ, erga dominum Henricum de Amlungesdotff, canonicum ecclesiæ Cycensis, & Petrum de Gysingen ciuem ibidem, pro quinq; marcis vsualis & legalis argenti, iusto emptionis & venditionis interueniente titulo, comparasset: factaq; libera resignatione eiusdem talẽti ad manus nostras, nos ad deuotam instantiam Henrici de Stalberg prædicti sæpe dictum talentum domino abbati & conuentui monasterij Puzauiensis in proprium dedimus & donauimus, & præsentibus damus & donamus, consensu totius capituli nostræ ecclesiæ accedente, &c. Actum & datum Cycę, anno Domini vt supra X Cal. Februarij.

Sequuntur viri doctrina excellentes, qui his claruere temporibus.

Petrus de palude, theologus acutissimus, ordinis prædicatorum.
Ioannes de sanẽto Geminiano, declãmator insignis, ord. præd.
Ioannes Guarra, præceptor Ioannis Scoti, ordinis Minorum.
Nicolaus de lyra, scripturarum expositor eximius, ordinis eiusdem.
Franciscus Maronis, doctor illuminatus, ordinis eiusdem.
Alexander de Alexandria, summista præcellens, ord. eiusdem.
Iacobus de Viterbio, theologus clarissimus, ordinis eremitarum.

Bonauentura

Bonauentura Patauinus, prædicator altisonus, ordinis eiusdem.
Gerhardus de Bononia, theologus præstantissimus ord. Carmel.
Dinus Mugelanus, iuris vtriusque peritissimus doctor secularis.
Iacobus de Arena, natione Pormensis, iurisconsultissimus secularis.
Alanus quoque doctor vniuersalis à plerisque his temporibus ascribitur.
Dantes Aligerius, patria Florentinus, vates & theologus secularis.
Arnoldus quoque de villa noua, his temporibus floruit, patria Prouincialis, magnus philosophus. Is Parisiis dogma suum exercuit, & per prophetiam Danielis & Sibyllæ Erythrææ probare nitebatur, aduentum Antichristi & persecutionem Ecclesiæ futuram esse inter MCCC & MCCCC Domini annum, ferme in MCCCLXXVI anno adesse. Super ea re librum edidit, cuius titulus De speculatione aduentus Antichristi: Is tamen reprobatus, & quasi hæreticus reputatus. Cum magistros Parisienses complurimos aduersarios formidans, ne ipse deueniret ad manus inquisitoris, aufugit inde, & profectus est in Siciliam. Qui cum missus fuisset à rege Siciliæ Friderico orator ad papam, in mari mortuus est. Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate, ait veritas incarnata. Vnde omnes qui voluerunt determinatum tempus assignare aduentus Antichristi, vel finis mundi; reperti sunt mendaces. Huius Arnoldi errorem taxat & ipse sapientissimus Ioannes Picus, comes Mirandulanus libr. 5. contra astrologos capite primo in hæc verba. Arnoldus Hispanus, nobilis quidam medicus, sed ad superstitiones paulo minus propensior, ex Astrologiæ vanitate plerisq; aliis adiectis Antichristi nobis aduentum anno gratiæ MCCCXLV comminabatur. Fluxere ab eo tempore anni iam supra centum XLVIII, & nullus adhuc antichristus, nisi quales etiam multi tempore Apostolorum. Hæc ille.
Trusianus quoque medicus hic claruit, qui factus est Carthusiensis.
Guido Bonatus, astrologus per idem tempus in syderabilibus disciplinis notissimus fuit, quem adeo peritum in ea facultate fuisse Hartmannus Schedel scribit, vt nil in eadem quantumuis obstrusum, illi ignotum siue incognitum fuerit. Verum cum ipsa astrologia mendax sit & superstitionibus referta, & idcirco cunctis Christianis fugienda; libet hic subnectere, quid supra memoratus Ioannes Picus libro primo contra Astrologos sentiat in hæc verba. Est Bonotus inter eos primæ auctoritatis. Is non ignarus modo est philosophiæ, sed furit plane atque delirat. Lege eius primum librum de Iudiciis, in quo super opere ipse proœmiatur. Mentior nisi helleboro dignum hominem iudicaueris. Struit vbi desipit minus. Rationes quasdam quibus astrologiam probet esse veram, istas quam dicam falsas, imo supra quam dici potest pueriles atq; ridiculas. Quam vero putat esse efficacissimam, illa est, Quadriuium destrui, si Astrologia tollatur. Esse enim vnam ex quatuor artibus Mathematicis. Vide vt nesciat etiam quid sit hoc ipsum quod profitetur. Astrologia enim hæc diuinatrix tantum distat ab ea quæ Mathematicis annumeratur, quantum lux à tenebris, quantum veritas distat à mendaciis. Hæc Picus.
Petrus insuper, *de Appono* qui dictus est, conciliator quod dyscolias in medicina sedarit appellatus, philosophus & ipse omni ætate admirandus, hoc tempore floruit. Hic in medicina profundissime scripsit, quæ nominare breuitatis gratia pertranseo. Scripsit attamen & librum de venenis ad Ioannem pontificem XX, qui hoc tempore sedem Petri tenuit. Ferunt denique pleriq; historici, hunc magum fuisse, & multa per eandem artem ostendisse. Verum sentiat de eo quisque quod libet. Ego noui auditu & visu percipiens, Ioannem Tritemium nostri ordinis abbatem, virum nostra ætate mirificum atq; eruditissimum, eius doctrinæ & ingenio multum tribuisse, ipsumq; in multis secutum fuisse. Cæterum quid alter æque doctus iudicet, sentiatque de eo, sequentia eius verba indicant, quibus de eo inquit: Petrus Apponensis homo congerere plura natus, quam dirigere, quem quidem indoctiores, vbi nugatur magis, ibi soliti sunt impensius admirari. Hæc ille. Volui autem hæc addere, ne nimium quis scriptis eiusmodi Astrologorum tribuat fidei, neue seductus pro veritatis melle venenum erroris & superstitionis hauriat. Sed nunc de his satis.

Anno Domini MCCCXXII, Syrorum supra XXX equitum millia Armeniam deprædati, magnam Christianorum multitudinem in seruitutem abduxerunt. Eodem

anno Ioannes rex Bohemiæ, pater Caroli quarti, à rege Francorum vel potius Gallorum aduersus Anglicos accersitus, cum lectissima equitum manu consanguineo auxilium præstitit, prælioq; memorabili & cruentissimo se immiscuit, in quo cum multis millibus cæsus interiit, cum regnasset xxxv annis. Reliquit & alium filium Ioannem appellatum, cui Morauiam possidendam concessit, &c. Verum prædictum bellum gestum esse traditur, anno Domini MCCCXLVI, in quo ipse præfatus rex Bohemiæ occisus fuit. At ego ex historia Bohemorum Æneæ Syluii, qui post factus papa dictus est Pius secundus, prænarrata transcribens numerum anni ibi expressum non reperi, quem post exarationem siue insertionem hic factam alium librum intuens mox reperi & subiunxi. Nec mirum, cum & nonnunquam magnus dormitet Homerus, fasque sit operi longo surripere somnum.

Anno Domini MCCCXXIII, Ioannes papa constitutiones fecit contra dicẽtes Christum & eius Apostolos nihil in hoc mundo possedisse, id errorem censens & velut hæreticos damnans qui idem confirmarent.

Anno Domini MCCCXXIV, Ludouicus imperator obsedit Torgaw & Lawingen. Eodem anno, Dominica ante Ascensionem Domini combustum fuit monasterium diui Vdalrici in Augusta vrbe imperiali. Eodem anno, Petrus archiepiscopus Moguntinus obiit qui prouincialia iura siue statuta edidit: quæ etiam Ioannes Romanus pontifex confirmauit. Quo defuncto successit Matthias monachus nostri ordinis monasterii Morbacensis constitutus per papam. Hic fuit natus de prosapia comitum de Buseck, omni probitate conspicuus. Qui eodem anno Erfordiam intrans, cum magna gloria ac reuerentia à clero & populo susceptus est.

Anno Domini MCCCXXV, ciues Magdeburgenses archiepiscopum dominũ Burghardum comitem de Schrappelaw, moribus & sanguine illustrem, sceleratissime occiderunt cum claua quadam in cãcellario quodam, vbi diu custoditus fuerat, & solum propter defensionẽ iuriũ Ecclesiæ. Eodẽ anno successit ei Otto filius Landgrauii Hassiæ.

Anno Dom. MCCCXXVI, Henricus Episcopus noster migrauit à seculo, cui Wittigo successit, de quo in nulla historia mentionem factam eatenus reperi, sicut aliorum quorundam, præterquam in catalogo breui Episcoporum communi.

Wittigo eius nominis primus, sed in numero præsulum Nuenburgensis Ecclesiæ 23, cœpit anno Dominicæ incarnationis XXVII: seditque annis XX. De cuius vita & gestis (vt supra dixi) nihil præter nomen scriptis inditum inuenire valui, scriptorum magis incuria (vt reor) quam ingeniorum penuria.

De euentibus variis sub regimine huius antistitis exortis, & Chronicis diuersis & quarundam Ecclesiarum cathedralium annalibus.

Anno supra narrato salutis nostræ, Ludouicus imperator Romæ secundæ coronatur per Petrum de Corbaria ordinis minorum, quẽ (vt supra dictũ) antipapam suũ fecerat.

Anno Domini MCCCXXVIII, Ioannes papa in publico consistorio condemnauit literam capituli generalis fratrum Minorum in Perusio celebrati. Quamobrem anno eodem Michael de Cesano eiusdem ordinis minister generalis appellauit contra papam, asserens papæ determinationem de paupertate Christi fore hæreticam: prædicta siquidem litera synodalis fratrum Minoritanorum continebat, quod Christus & Apostoli nullius rei dominium habuerint in proprio vel communi, & quod in his quæ habuisse leguntur, tantum habuerint absque iure aliquo simplicem vsum facti, id est rei. Papa autem contrarium determinans, præfatum Michaelem, & multos alios doctores illi consentientes excommunicauit, & pro hæreticis damnauit: edidit q; proinde constitutionem, quæ incipit: In agro dominico propter singularia, dubia, suspecta & temeraria, quæ Begardi & Beguinæ prædicabant, & strictissime obseruabant.

Eodem anno, Ioannes papa Petrum de Marrone quondam dictum Celestinum quintum catalogo sanctorum adscripsit.

Anno Domini MCCCXXIX, Matthias archipræsul Moguntinus, ordinis diui patris nostri Benedicti, diem obiit, strenuus commissæ Ecclesiæ defensor & propugnator. Quapropter & grandes molestias perpessus est ab Heinrico Landtgrauio Hassiæ, eo quod feudalia iuxta morem maiorum suorum ab ipso suscipere contempsit. Porro archie-

archiepiſcopus(vt quidam ſcribunt)venenatus interiit, cui Balduwinus archiepiſcopus Treuerenſis ſucceſſit,qui fuit ad tẽpus adminiſtrator Eccleſiæ Moguntinenſis:cuius tempore deſtructus eſt & deſolatus mons ſpecioſus, & monaſterium diui Iacobi ibidem,quemadmodum & aliæ nonnullæ Eccleſiæ ob bella præcedentia.

Eodem anno Dominus abbas Ioannes, noſtri eo tempore moderator archiſterii, vendidit domino Henrico de Druſſitz, præpoſito Eccleſiæ Cycenſis, vnam marcam annui cenſus de Eccleſia ſiue prioratu in Prouin, qui ſpectabat ad menſam abbatiæ: confecitque deſuper priuilegium recognitionis in hunc modum: Nos Ioannes Dei gratia abbas, Heinricus prior, totuſque conuentus monaſterii Putzauienſis, ordinis ſancti Benedicti Nuemburgenſis diœceſis, recognoſcimus tenore præſentium publice profitentes,quod honorabili viro,domino Heinrico de Druſcin, præpoſito Eccleſiæ Cycenſis, de penſione menſæ abbatiæ noſtræ incorporatæ & annexæ in Eccleſia ſeu prioratu in Prouin,vnam marcam annuatim in redditibus vendidimus,iuſtæ emptionis &venditionis interueniente titulo,ob monaſterii noſtri prædicti neceſſitatem & vtilitatem pro decem ſexagenis groſſorum Pragenſium denariorum nobis perſolutis,& in dicti monaſterii noſtri neceſſitatem & vtilitatem legitime conuerſis, &c. ſub modo & forma infra ſcriptis,quod dictus dominus Heinricus præpoſitus de dicta marca annuatim in redditibus in monaſterio noſtro pro ſuæ, progenitorum, & amicorum ſuorum quorumcunque,animarum ſalute diſponat,ordinet per nos & ſucceſſores noſtros perpetue obſeruandum, &c. quod in craſtino Viti per conuentum peragatur in vigiliis & miſſa animarum vnus anniuerſarius pro ſalute animarum ipſius, videlicet præpoſiti poſt mortem ſuam, &c. Item in quolibet termino anniuerſariorum prædictorum expendat dictus Prior pro refectione & commodo fratrum medium talentum annis ſingulis perpetuo,&c. Datum anno quo ſupra,nonis Martiis.

Anno Domini M C C C XXX vel circa, Ioannes papa ſenio confectus deſipuit miſere: & qui antea contra hæreticos laudabiliter diuerſos certauerat, compluraque vtiliter conſtituerat,tandem & ipſe oberrans docuit, & prædicauit animas ſeparatas non videre eſſentiam diuinam quantumuis purgatas viſione faciali, niſi poſt diem iudicii reſumptis corporibus. Hæc tamen in morte reuocauit.

Viri doctrina excellentes qui hoc æuo claruerunt, & ſuis ſcriptis Chriſti Eccleſiam illuſtrauerunt.

Ioannes Andreas Monarcha iuris vtriuſque:
Ioannes Calduni iuriſconſultiſſimus,auditor Ioannis Andreæ:
Oldradus de Laude, & *Cinus Piſtorienſis*, qui & ipſe Ioannis Andreæ fuit familiaris amicus.
& hi quidem Iuriſtæ.

Theologi vero huius temporis diuerſorum ordinum fuerunt & hi:

Ludolphus Carthuſienſis,qui vitam Ieſu & alia compilauit.
Petrus de Palude,ordinis prædicatorum, theologus & iuriſta præclarus.
Aſteſanus de Aſt,ſummiſta excellens,quem vulgo Aſtaxanum nominant.
Monaldus,ordinis Minorum,theologus & ſummiſta clariſſimus.
Ioannes Scotus, & ipſe ordinis Minorum, qui quidem ob perſpicacitatem & claritudinem ingenii ſui,Doctoris ſubtilis nomen commeruit; inter quatuor principalium ſectarum doctores locum tenens tertium; ſectæ quæ à nomine ſuo Scotiſtarum appellatur,dux & ſignifer inuictiſſimus. Qui & ipſe Philoſophia ſeculari Peripatetica videlicet armatus,omnium ante ſe ſcribentium Theologiſtarum opiniones impugnauit,& ſuas ſtatuens,quantum valuit,deiecit & diruit; theologus ſui temporis argutiſſimus & ſcholaſticiſſimus,ipſam cœleſtem & Euangelicam doctrinam, contra doctoris gentium beati Pauli Apoſtoli inſtitutum & formam, tractando & docendo philoſophice. Ipſe equidem apoſtolus,ſydus apoſtolicum, & Euangelica tuba, verum & vnicum fidei ſacramenta prædicandi modum,perfectam & ſinceram theologizandi formam orthodoxis ſeruandam, contradidit doctoribus ſuo exemplo & documento, inquiens: Nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos niſi Ieſum Chriſtum,& hunc crucifixum. Et 1. Corin. 1. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum,Iudæis quidem ſcãdalum,&c.

Et 1.ad Timoth. 2. Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute Dei. Quem saluberrimum & Apostolicum docendi modum ipse cum suis sectatoribus Scotus haud imitatur, qui Platonis, Aristotelis, Chrysippi, cæterorumq; gentilium magis plusque dogmata, quam sacrosancta Iesu Christi, & apostolorum eius citant allegantq; testimonia. Quorum rursus modum dicẽdi philosophicum, imo erroneum & vanum, idem Apostolus reprobat taxatq; 1. Timoth. 6, vbi inquit: Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum Deum est & pietatem doctrinæ; superbus nihil sciens sed languens circa quæstiones, &c. vsq; existimantium quæstum, id est quæstionem, pietatem. Vbi glossa inter alia inquit, quod hi qui relictis sermonibus & verbis Iesu Christi qui nunquam philosophice, id est logice, prædicauit; verbis his philosophiæ innituntur, sermonibus Christi videntur nõ acquiescere, nec doctrinæ quæ est secũdũ pietatẽ. Nulla equidem est aut esse potest illius vanæ & mundanæ philosophiæ cũ ipsa angelica & sacratissima theologia conuentio, sicuti nec tenebrarum ad lucem, & Christi ad Belial. Minus autem ipsa Dialectica fallax & verbosa, quæ à Christianorum studiis & auribus prorsus releganda est, & explodenda est iuxta id, quod diuus Ambrosius belle inquit: Tolle argumentum vbi fides quæritur. Qui & proinde in litaniis fertur addidisse, A Dialecticis libera nos domine. Nam vt & ipse Nicolaus Cusa cardinalis & integerrimus theologus inquit, garrula illa Logica sacratissimæ theologiæ magis obest quam prodest. Cui quadrat illud Gregorii Nazianzeni aduersus hæresiarcham quendam, Vt quid examen vesparum aduersus fidem concitas? vt quid Dialectica religionem decorare te credis? vbi magis per Dialecticam religio fœdatur, & illa nobis quodammodo gigantimachia fabulosa reperitur, dum aduersus Deum in terris pugnatur. Et dum omnis sermo cum quæstione profertur, fit lingua bellatrix, verba sunt iacula, sermo est gladius: tota die sine vllo fine pugnatur, & interdum mutuis vulneribus inter se vterq; prosternitur. Hęc ille beatus. Eiusmodi verborum pernicioſam & scandalosam à Christiano theologo alienam esse voluit Apostolus, cum Timotheo scribit: Noli contendere verbis. Ad nihil enim vtile est nisi ad subuersionem audientium. Concordat Gregorius Magnus, Syllogistice, inquit, disputare quid aliud est quam verbis contendere, & audientes subuertere? Abutuntur equidem ea arte plurimi, dum confidentia clamoris veritatem magis obruunt & impugnant, quam inquirant & promoueant. Hinc & quidam facete & belle inquit: Quid facit philosophia in theologia? Nempe quod canis in balneo. Quibus ego adiicio, & dico, quod secularis philosophia in sacra theologia facit id quod absynthium in melle, venenum in lacte, fel in vino, acetũ in balsamo, fermentum in pane, zizania in agro, in veste tinea, rubigo in ferro, mus in pera, serpens in gremio & idolum in Dei templo. Supra dicta deniq; omnia de philosophia illa*, quam Apostolus Paulus inanem & fallacem stultamque, Augustinus rixandi libidinem & virulentam, Ambrosius scientiam apparentem non veram mẽdacemq; ac sophisticam, Origenes plagam ranarum Ægyptiacam garrulamq; appellant, quamque sancti Ecclesiæ doctores suis in voluminibus admodum detestantur, damnant reprobantq;, quę etiam omnia copiosè allegantur in decretis, potissimum distinct. xxxvi Nonne, & distinct xxxvii Vino inebriantur, &c. Postremo, si quis ea quæ scripsi me ex bonarum artium ignorantia odioque deprompsisse philosophiæ coarguat, iactans illud vulgatum adagium, Scientiam non habere inimicum nisi ignorantem: noueritis quisquis fuerit ille Aristarchus, ingenue me fateri, paruam me philosophiæ naturali, & præsertim Dialecticæ, operam in scholis impendisse, literisque exoticis: quoniam literæ illæ & artes quas Ethnici inuenerunt, proprie nec bonæ nec vere liberales dici possunt: nil siquidem ad libertatem spiritus, nihil ad bene beateque viuendum prosunt. Solæ id illæ sacrę & cœlestes literæ efficere possunt, sine quibus omnis alia literatura vana est & muta. Quare rectissime gloriosus Hieronymus illum literas dicit nescire qui sacras ignorat. Omnes (inquam) scientiæ gentium vanæ sunt: sola Christi cognitio vera est sapientia. Quapropter malim cum apostolis apostolicisq; viris rusticus censeri & piscator indoctus, dummodo sim vir bonus & fide catholicus, quam cum metaphysicis illis theologastris sine fide sana & doctrina eruditissimus haberi philosophus. Vixenim

fore

fore poteſt, vt quiſpiam ſit profeſſione philoſophus, & ſincera fide catholicus, vt idem ſimul & Ariſtotelis Chriſtique ſit diſcipulus. Contingit quippe paſſim famatum iuxta dicteriũ, vt videlicet magnus philoſophus raro ſit bonus catholicus. Philoſophia ſiquidem ipſa gentilis & ethnica cum ſit ſuperſtitionum mater, & infidelitatis parens, perfidiæ ſuæ plures inficere conſueuit erroribus, bonis quam inſtituere moribus. Hinc eſt, beatiſſimus quod legislator noſter Benedictus, in pueritia Romam à parentibus ad ſupra narratas artes diſcendas liberales miſſus, in ipſis pene philoſophiæ foribus ſtudentium offendens prauitatem, greſſus ilico retorſerit, pedemque (vti diuus de eo ſcribit Gregorius) quem in mundum poſuerat, retraxit, ne cum ſcientia illorum hauriret & vitia. Mundum itaq; cum ſua ſtulta floccipendens relinquenſque ſapientia, more ſanctiſſimi præcurſoris Domini, vaſtæ ſolitudinis ſecreta petiit; ibique latens, ſoliq; Deo cognitus, cœleſtem illam ac diuinam ſapientiam aſſidua contemplatione hauſit perfectiſſime. Proinde in laudem eius ſancta canit Eccleſia: Sophiam deſpexit humanam, nactus angelicam, Seraphicam videlicet illam, quæ in ardentiſſimo Dei amore, & diuinæ bonitatis contemplatione conſiſtit. Quam quidem non natura, non philoſophia, ſed Dei gratia & myſtica illa theologia etiam ſine vllo literarum ſtrepitu Deo per intimum amorem perque purum & humilem affectum adhærentibus infundere ſolet. Hæc eſt illa myſtica theologia, de qua Vercellenſis abbas, commentator Dionyſii, inter alia ſic inquit: Frequenter amor penetrat, vbi cognitio phyſica foris ſtat. Legimus quoſdam ſanctos Epiſcopos minus imbutos fuiſſe phyſicis doctrinis, qui tamen myſticam theologiam captu mentis haurientes cęlos penetrarint, omnem phyſicam cognitionem ſubtiliſſime tranſcendentes, vſq; ad beatiſſimam Trinitatem. Hæc ille. Libet adhuc parumper hanc materiam pro cõcluſione proſequi, doctiſſimi illius diuinarum ſcripturarum interpretis Eraſmi ſententiam ſupra dictis conſentaneam ſubnectendo. Ait itaque in compendio theologiæ ſuæ inter alia ita: Abunde magnus doctor eſt qui pure docet Chriſtum. Si turpe ducunt neſcire, quid diffiniat Scotus: turpius eſt neſcire, quid decernat Chriſtus. Si parum theologicum eſt non aſſequi quæ ſcripſit Durandus; minus theologicum eſt non aſſequi quæ ſcripſit Paulus. A diuinis oraculis nomen habet theologus, non ab humanis opinionibus. Et bona Theologiæ pars afflatus eſt, quæ non contingit niſi moribus purgatiſſimis. Hæc Eraſmus.

Guilhelmus Ockam, natione Anglicus, ordinis fratrum minorum, Scoti præfati diſcipulus, theologus Ariſtotelicus acutiſſimus, factionis ſiue ſectæ theologicæ quæ ab eo Ochaniſtarum appellatur, fundator inuictiſſimus. Hic inter alia contra Ioannem xxii hæreſim Fratricellorum, male de Chriſti paupertate ſentientium, damnantem prædicauit & ſcripſit, ſcribens pronunciansque eum hæreticum. Quocirca ab eodem Ioanne papa excommunicatus fuit. Qui ad Ludouicum imperatorem æque excommunicatum fugiens dixit ei, O imperator defende me gladio, & ego defendam te verbo. Manſitque excommunicatus cum excommunicato vſque ad finem vitæ ſuæ. Et (vt dicit Ioannes Tritemius) Scoti magiſtri ſui acerrimus impugnator fuit, & omnia illius dicta oppugnauit. Ockam denique iſte, ſcholaſtici certaminis agonitheta excellentiſſimus, agmen peregrini exercitus, id eſt philoſophicum, contra hoſtes Iſrael pugnans, in ſcripturarum campum adducit, facriſque theologorum copiis aſſociati, ſacra prophanis, diuinis humana, domeſticis exotica, orthodoxis ethnica, cęca præſumptione commiſcens & copulans; & adeo vſque quidem, vt auxiliares domeſticas pene excedant ſuperentque copias, multo plures videlicet philoſophorum, quam diuinæ paginæ in ſuis ſyntagmatibus auctoritates producendo: quaſi arma lucis, vtpote ſcutum fidei, galea ſalutis, & gladius ſancti Spiritus, nec non vtriuſque inſtrumenti aurea teſtimonia ad reſiſtendum diabolo & ſatellitibus eius hæreticis minime ſufficerent. Verum quam fauſte & prudenter id fecerit, ipſe viderit. Concordia equidem militum, non diſſidio belli obtinetur victoria. Quæ autem concordia ſit Iudæi & Chriſtiani, pagani & catholici, philoſophiæ & theologiæ, non video. Hoc vnum ſcio, quod ſancti patres, & claſſici illi Eccleſiæ doctores, aduerſus hæreſiarchas pugnãtes, non philoſophiæ ſed diuinæ autoritatis armis certant & teſtimoniis. Ex quibus vnus diuus videlicet Hieronymus contra Heluidium hæreſiarcham ſcribẽs, in ipſo pene exordio pugnæ literaturæ ita prædictis conformiter declamat: Non Rhetorici campum deſideramus elo-

quii, non Dialecticorum tendiculas, nec Aristotelis spineta conquærimus. Ipsa scripturarum verba ponenda sunt, vt ipsis quibus aduersum nos vsus est testimoniis reuincatur. Nec obstat, si obiiciatur, apostolum Paulum & alios pleroſque Ecclesiasticos tractatores auctorum allegare testimonia gentilium. Allegant equidem, sed poetarum, sed oratorum, vel etiam historicorum, morales duntaxat vtilesq; sententias: non autem philosophorum, vtpote Aristotelis argutias, spinas Cleanthis, & Chrysippi contorta sophismata; non denique nodum Gordiani; non arborem Porphyrii, aut similium qui de formalitatibus, quidditatibus, genere & specie, esse & essentia, tractant inania allegant dogmata: quanquam è diuerso sint complures sanctissimi orthodoxæ fidei doctores, qui nec poetarum, neque oratorum quantumuis morales allegant sententiolas, circa puram simplicem diuinarum literarum manentes auctoritatem. Ex quibus potissimi sunt: Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius Magnus, venerabilis Beda, Anshelmus, & Bernardus mellifluus, multiq; alii. Reprehensibiles itaque sunt illi sacræ theologiæ desertores, noui videlicet theologastri, qui nimium gentili philosophiæ innituntur, perque eam fidei arcana quasi per impossibile probare, vel etiam roborare contendunt. Quod nihil aliud est, quam si quispiam Christianus in causa fidei cuiuspiam Iudæi vel pagani pro se vteretur testimonio: cum tamen inimicorum testimonia, etiam vera si forent, velut suspecta in iudicio reprobari soleant. Memoratos deniq; theologos nouos, in sacris philosophantes, taxat etiam purissimus ille Christianæ sapientiæ interpres, omniumque nostræ tempestatis theosophorum princeps, Erasmus Roterodamus, in supra allegato suo theologico compendio in hæc verba: Vehementer absurdum videtur cum rem tractas ab omni sapientia mundana longe diuersissimam, nihil crepare nisi Pythagoram, Platonem, Aristotelem, Auerroem & his prophaniores autores, ad horū opiniones velut ad oracula obstupescere. An non istud est Christi cœlestem philosophiam non condire, sed prorsus aliam reddere? Taxatur Chrysippus, quod totas tragœdias in eius commentariis quos de Logicis conscripsit, reperire licuerit. Quo iustius nos taxauerit aliquis, si viderit plus quam totum Aristotelem in theologorum commentariis inueniri? Quod si quis clamabit, absque exacta horum cognitione non esse theologum; equidem consolabor meipsum tot insignium virorum exemplis Chrysostomi, Cypriani, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Clementis, cum quibus rhetorculus esse malim, quam cum quibusdam qui sibi plus quam videntur esse theologus. Deniq; consolabor me exemplo Petri ac Pauli, qui ista non solum non calluerunt, verum etiam damnant aliquoties. Certe constat, nunquam vsos esse. Idem quoque contra nouos scholasticosque theologos, qui subtilissime de instantibus, formalitatibus, deque (vt dixi) quidditatibus & effeitatibus disputant, in Moria sua ita inuehitur: Iam has subtilissimas subtilitates subtiliores reddunt tot scholasticorum viæ, vt citius è labyrinthis temet explices, quam ex inuolucris Realium, Nominalium, Thomistarum, Albertistarum, Occanistarum, Scotistarum, &c. In quibus omnibus tantum est eruditionis, tantum difficultatis, vt existimem ipsis Apostolis alio spiritu opus fore, si cogantur hisce de rebus cum hoc nouo theologorum genere conferete manus. Hæc Erasmus.

Aluarus denique, & ipse ordinis Seraphici, his claruit temporibus, Ioannis Scoti auditor, apud Ioānem papam in pretio habitus. Contra supra memoratum Guilhelmum Ockam scriptis egit & verbis. Edidit plura, inter quæ extat volumen maximum de planctu Ecclesiæ intitulatum, &c.

Thomas de Valas, ordinis prædicatorii, theologiæ magister insignis, circa hæc tempora exponens se periculo ob fidem catholicam, prædicauit Auione publice contra papam Ioannem propter errorem eius de cæcitate animarum separatarum, omnibus prælatis Ecclesiasticis dissimulantibus, & diu tacentibus. Qui ob id anno proximo ab inquisitore hæreticæ prauitatis, sed & latenter hæretico, incarceratur Auione, vbi pro Christi fide multa passus est. Sed paulo post precibus Philippi regis Gallorum pro eodem papæ scribentis libertati datur.

Anno Domini MCCCXXXIV, Ioannes papa moritur, vitæ suę anno XC, & obiit Auione. Et antequam migraret è vita, reuocauit errorem suum supra dictum de animabus separatis. Ideo non potest dici hæreticus. Reliquit denique in thesauris suis ingentem

gentem vim auri atq; argenti, cuius cõputatio fuit aurearum drachmarum XXV millia, hoc est, millies XXV millia quod scripsisse arduum certe videtur Nec legitur alijs tẽporib. ecclesia Romana fuisse locupletior, vt inquit Antoninus: q; quidem certissimũ est. Neq; enim tam diues erat temporib. Apost. dum videlicet beatus Petrus eandem rexerat ecclesiam. Qui velut verus Christi paupertatis zẽlator petenti eleemosynã pauperi respondit, Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. Habuit quippe alium thesaurum virtutum videlicet & gratiarum, quem & egenti communicauit; papa inops auro, virtute locuples; pauper in arca, diues in conscientia; vacuus ære, plenus sanctitate. Ditior deniq; & dubio procul hoc tempore fuit, q̃am olim Sixti papæ & martyris æuo, qui per beatum Laurentiũ thesauros ecclesiæ distribuit pauperibus. Opulentior insuper, quam fuerat Gregorij primi temporibus, viri beatissimi, qui aliquot pauperum quotidie alebat millia. Quorum pastoralem sollicitudinem, gubernationem & vitam iste si Ioannes papa fuisset imitatus; tantam auri copiam minime post relinquere quiuisset, securiorq; atque beatior, misericordiæ videlicet ac bonorum operum fructu comitatus, seculo ex hoc migrauisset. Sola equidem ipsa misericordia comes est defunctorum, vnicusq; ac saluberrimus diuitiarum fructus ipsa eleemosyna: sine qua omnes diuitiæ steriles sunt & cassæ, suisq; pernicioſæ possessoribus. Thesaurus equidem omnis, qui ad quotidianum non est vsum necessarius, superfluus est, nec conseruandus, pauperibus sed, viduisque ac orphanis erogandus, iuxta illud Saluatoris dictum: Quod superfluum est, date pauperibus. Et Canon inquit: Aurum habet ecclesia, non vt conseruet, sed vt pauperibus eroget. Non dicit, scortis aut histrionibus. Quamobrem nisi põtifex iste Ioannes magnus quoq; fuerit eleemosynarius, minime ob prædicti thesauri collectionem tantopere laudandus foret, magis sed arguẽdus. Pascendarum equidem ouium Christi, non etiam oculorum, æruginis, & tinearum curam suscerat. Quin etiam ob caduca illa fluxaque bona temporalia, quæ & dare & eripere ipsa fortuna potest, nemo vel bonus laudabilisue efficitur.

Anno Domini MCCCXXXV, Benedictus duodecimus Ioanni defuncto successit in sede Petri, homo conditionis infimæ in sæculo, sed moribus & scientia clarus, ex monachali secta ordinis Cisterciensis assumptus, seditq; annis VII.

Exrudimento Chronicorum decodem.

Benedictus electus in vigilia Thomæ Apostoli proxima die consistorium tenuit, vbi pronunciauit nũquam velle gladio materiali vti, sed pacem quærere; item quod nemo religiosus ad curiam pro beneficio impetrando venire deberet; item eleemosynas mensæ papalis restituit pauperibus, quæ ante per familiares papæ diripiebantur, de qua cẽtum personæ refici laute possunt. Item voluit omnes prælatos à curia recedere, & suis in dignitatibus residere.

Anno Domini MCCCXXXVII, Cometes quatuor mẽses apparuit, & antequam extinctus fuit, emicuit alter mensibus duobus. Et sequuta est pestis ingens.

Anno Domini MCCCXXXIX, Benedictus papa nouas constitutiones religiosis omnibus ordinauit, statuitq;, vt prouinciale capitulum de triennio in triennium seruaretur in ordine sancti Benedicti: quæ constitutio vsque in præsens tempus stricte obseruatur per Germaniæ diœceses. Eodem anno censu Florentiæ Italiæ vrbe, Leonis decimi eius nominis papæ loco natiuo, agitato reperta sunt hominum intra vrbem degẽtium nonaginta millia. Hoc scribo ob reuerentiam prædicti Leonis papæ qui nostra ætate Petri successor habetur, qui de magna quadam Florentinorum familia natus est.

Anno Domini MCCCXL, inter Anglos & Gallos cruentissimum gestum est bellum, in quo Galli fuere superati, multis eorum millibus occisis. In eodem prælio Ioannes Bohemorum rex cecidit, vt supra anno Domini MCCCXXII dictum est per anticipationem. Ibi lector quærat, & latius scripta inueniet. Eodem anno, Florentiæ pestis XVI millia vrbanæ multitudinis extinxit, & per pagos fœda strage desæuit.

Anno Domini MCCCXLI, Benedictus papa obijt, cui Clemens VI, nostri ordinis monachus, sequẽti anno successit. Benedictus præfatus consanguineos vix videre voluit, dicens papam consanguineos & affines non habere. Sic dicitur.

Anno Domini MCCCXLII, Clemens sextus Auione vbi tunc curia erat, in summum creatur pontificem, antea Petrus Boheri vocatus, monachus ordinis sancti patris

noſtri Benedicti, ex monaſterio Lemonicenſi aſſumptus: ſeditq; annis x, menſ. vi, dieb. xvi, nomine & re clemẽs, & totus virtuoſus. Multa religioſe conſtituta per Benedictũ anteceſſorem ſuum mitigauit, egregius ſermonum ſcriptor & declamator, ſacræ theologiæ M. celeberrimus, & in iure canonico peritiſſimus. Scripſit cõplura, & ob id inter ſcriptores eccleſiaſticos numerari & computari commeruit.

Viri doctrina excellentes, qui his claruere temporibus.

Lapus de Caſtellione, abbas ſancti Mimatis ordinis diui patris noſtri Benedicti iuriſconſultiſſimus.

Bartholomæus Piſanus, qui ſummam Piſanam fecit, ord. prædic.

Albertus Brixianus, & ipſe in vtroque iure eruditiſſimus, eiuſdem ordinis. Item *Bernus Parentinus* & ipſe ord. prædic.

Heinricus de Vrimaria, theologus ordinis eremitarum.

Hermannus Schildis, eiuſdem ordinis, qui multa ſcripſit.

Simon de Cremona, eiuſdem ordinis, prædicator altiſonus.

Simon de Caſſia, & ipſe ordinis eremitarum beati patris Auguſtini, vir reuera religione & doctrina clariſſimus, & ſpiritu prophetiæ inſignis. Hic puriſſime atque Chriſtianiſſime diuinam tractauit expoſuitque ſcripturam, philoſophiam ipſam ethnicam prorſus à ſacris literis reijciens, damnans & reprobans. Hinc & magno volumine quod ſuper Euangelia edidit, & de geſtis Saluatoris prætitulauit, nullius vtitur philoſophi quantumuis moralibus dictis. Quin & in eodem theologos philoſophiæ innitentes vehementer reprehendit & arguit; ſimiliter Scholaſticos qui per Vtrum & ſyllogiſticas quæſtiones diuinos ventilant apices, inter alia ſic inquiens ſuper illud, In columna nubis loquebatur ad eos, Pſalmo octuageſimo nono: Nubes fuerunt apoſtoli & euangeliſtæ, quia altitudinem ſcientiæ habuerunt & doctrinæ, ſed multi hæretici conati ſunt ſuperaſcendere. Multi ſapientes naturales fuerunt, ſe iſtis ſuperiores exiſtimantes. Multi etiam doctores appellati catholici nomine fuerunt, neſcio ſi in animo extiterunt: nouitate loquendi miſcendo cum ſupernaturali theologia naturalem, cum ſcriptura diuina philoſophicam, hiſtoricam & poeticam, ſibijpſis ſuperuolitare ſunt viſi; & quod eſt certum in dubium reuocantes per Vtrum: & quod eſt clarum & lucidum, in turbidum & obſcurum redigentes per Vtrum. Et poſt pauca: Et ſyllogiſtica forma vtentes videntur neſcire loqui niſi per Vtrum, puram & ſimplicem ac neceſſariam ſacræ ſcripturæ ſcientiam non habentes, additis ſyllogiſmis quærunt aperire per Vtrum. Cum reprehenduntur à ſanioribus & clarioribus, ſcutum ſyllogiſmum, peltam faciunt per Vtrum. Et in tantum ſe ſuper altitudinem nubium leuauerunt, vt modum loquendi Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum, & verorum & ſanctorum doctorum correxerint per ſyllogiſmos & tomos: quaſi pulchrior & aptior ſit modus loquẽdi philoſophicus & Ariſtotelicus, ſyllogiſticus & dialecticus, topicus & elenchicus, rhetoricus & ſatyricus, quam ille quem docuit, tenuit, edidit, & per prophetas ſanctos, apoſtolos approbatos dederit pater, & filius, & ſpiritus Sanctus. Et in tantum exorbitauerunt naturales hominum mentes, vt ſuper altitudinem nubium ſe extollant; dicentes atque credentes, quod theologica non poſſunt apprehendi, niſi cæco Ariſtotele duce, & viam præbente orbato Platone, atque cæteris præeuntibus philoſophis; veris priuati luminibus, ſolum innitentibus baculis ſcientiæ naturalis: quaſi velint aſſerere, quod in docendo & diſcendo ſuperuolitet ſcientia naturalis, de quibus ſcriptura dicit, Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Item idem ad propoſitum libro viii de ſcientia naturali loquens ita infert, Qui dixerunt & dicunt veram theologiam non poſſe conſcendere, niſi per iſtam ſcientiam naturalem; ſimiles facti ſunt ædificatoribus turris Babel, qui per altitudinem turris credebant in ſuperna conſcendere, &c. Idem: Chriſtianus ſum, in fide loquor, à ſpiritu ſancto accepta licentia, qui docet omnem veritatem, literalem, allegoricam & moralem. Dico, neque ſummum pontificem neque cæteros operam debere dare philoſophiæ aut artibus: neminem ex his vidi aut audiui aliquando ad fidem conuerſum: eccleſiam Dei non vidi ex hoc in aliquo tutam, & cætera. Quot quæſtiones vanæ & inutiles corda ſimplicium ſubuertentes, quot diſceptationes in morib⁹, quot opiniones atque doctrinarum nouitates temporibus noſtris infelicibus inſurrexe-

insurrexerunt? De eis dolor cogit me plangere magis, quam aliquid dicere. Ideoq; & idem illuminatissimus theologus dicit in alio loco memorati voluminis: Legi disputantes doctores, confessores, cœnobitas, anachoritas, & nihil in eis pro eis & pro alijs vtile reperitur per inanem philosophiam: imo quotquot ista scientia fuerunt imbuti, Christianitatis titulum cognoscentes, libellum huic meretrici dedêre repudij, accipientes virginem vxorem de populo sancto Dei, videlicet fidelem scientiam, non corruptam sophismatibus atq; garrulitatibus Dialecticorum, non astralibus decretis infectam, non contentionibus seruientem de creatione mundi, de potentia Dei, de sapientia Dei, de prouidētia Dei, &c. Et post aliquanta de seipso loquitur in hæc verba. Iuuenis fui, aliquali dotatus ingenio intēdebā his scientijs, sicut & coætanei; credens ex his placere altissimo, atq; ita dēre pfecta vita peragi. Cum vero omnes collegas meos videre in hanc tenebrosam voraginem prosilire; accidit quadā die in meis teneris annis, me ferentem omnes fere libros naturales sub chlamyde, vt summa diligentia repetere quæ audieram à doctore. Et cum interrogaret me qui creditus ab omnibus sanctæ vitæ, dicens: Quid est hoc quod defers frater? libros naturales me ferre respondi. At ille: Non est hęc via tuta; neq; vocatio tua; nec verorum Christianorum intendere naturæ, sed gratiæ. Verbis quoq; completis, tāta celeritate mutatum est cor meum, vt si vo-luissem, non potuissem codices aperire naturales. Quare Deo disponente ad Theologiam me conuerti, &c. Et aliquali luce perfusus, puro & claro animo intellexi, meretrices esse inuisibiles animi omnes istas scientias, animam indeuotam & volantem per ape. Hæc omnia ille Simon de Cassia, Christianissimus theologus; quem per omnia sui quidem ordinis, nostri sed temporis, magnus ille theologus, Martinus Luther, Wittenbergensis Academiæ ornamentum & corona, in diuinarum expositione scripturarum imitatur. Qui & ipse, omni prorsus posthabita & contempta philosophia, purissime sacras tractat docetq; literas; assidue admiranda & pene inaudita diuinorum eloquiorum arcana producens in lucem; ob magnitudinem ingenij & dexteritatem toto resonatus in orbe; quanquam nec ipse instar diui Hieronymi æmulorum careat inuidentia, scholasticorum videlicet theologistarum qui in sacris philosophantur literis, persecutione. De quibus omnibus infra suis locis & annis dicetur propensius.

Anno Domini MCCCXLVI, Adoardus Anglorum rex Philippum Gallorum regem superat: quo prælio supra viginti millia hominū perierunt, in quo & Ioannes Bohemiæ rex cum multis baronibus cecidit. Et hoc certum cōstat, licet supra an. Dom. MCCCXL ipsum interijsse per errorē scripserim, ob belli similitudinem deceptus, per incuriam seu magis (vt fatear) præsumptionem, non respiciens historias. Verum id non nouum, sed humanum & mortalium est. Humanum quippe est errare, sapientis autem emendare.

Anno Domini MCCCXLVII, Wittigo Episcopus noster obijt. Cui Ioannes primus successit, vt infra dicetur anno eodem. Hoc quoq; anno validissima pestilentia fuit per totam Galliam, ita vt greges & armenta vagabantur in campis sine possessore quæ sequentibus annis vastauit & Germaniam, vt infra sub anno Domini MCCCLXX dicetur, præsertim Saxoniam.

IOannes eius nominis primus, ex stirpe nobilium de Miltitz dictorum originem trahens, anno Domini supra memorato MCCCXLVII, Wittigone humanis exempto canonice electus successit, in numero episcoporum Nuēburgensis ecclesiæ XXIV. Iste Ioannes priuilegium indulgentiarum quatuordecim Episcoporum pro ecclesia nostri monasterij Auione vbi tunc erat curia papalis, hoc anno impetratum sua quoq; autoritate confirmauit & approbauit, anno Domini MCCCXLIX, vt infra anno patebit eodem. Tandem anno Domini MCCCLXXII, quinto videlicet sui regiminis, inter chorizādum (vt infra rursus hoc eodem dicetur anno) misera & repentina interijt morte.

De quibusdam euentibus tempore huius Episcopi Ioannis.

Anno Dom. MCCCXLVII, qui est primus Ioannis episcopi nostri, Ludouicus imperator in venatione cadens de equo mortuus est, & (vt scribūt multi) intoxicatus per Ioānam vxorem ducis Austriæ quæ tum præsens erat. Et licet excommunicatus obierit, signa

tamen pœnitentiæ & contritionis oſtendit. Hinc ſepelitur Monaco in Eccleſia parochiali ſolenni apparatu & pompa, cuius Mauſoleum marmoreum & pretioſiſſimú ego ibidẽ contẽplatus ſum. Quo defuncto ſucceſſit in imperio Carolus eius nominis quartus, filius Ioannis regis Boemiæ, in prælio cõtra Anglos interfecti. Fuit iſte Carolus, vir multarum linguarũ & literarum peritiſſimus, iuſtuſq;, ac rectus, & timẽs Deum, bonos diligens, & malos odio habẽs. Is ob iuſtitiam nonnullas leges condidit, quæ adhuc extant, & Carolinæ nuncupãtur. Is quoq; ſcholam liberalium artiũ in Praga erexit, eccleſiã eiuſdem vrbis ad metropoliticum decus ſublimauit, cum antehac pontifici Mogũtino ſubiecta fuerat. Clarus profecto imperator, niſi (vt aliqui ſcribũt) Bohemici regni gloriam magis, quam Romani imperij quæſiuiſſet. Nam Wenceslaum ex filijs ſuis natu maiorẽ imperio ſibi ſucceſſorem adhuc viuens ordinare conatus eſt, idque pecunia. Nam cum principes electores haud facile ad eam rem trahere poſſet; quod virtute obtinere nõ potuit; pretio comparauit. Promiſit namq; cuilibet electorum centum millia aureorum. Quæ cum dare non poſſet, illis Romanæ reipublicæ vectigalia obligauit in perpetuum imperij malum. Nam poſt hæc extollere caput imperium haud potuit pecuniæ neruis deſtitutum: quemadmodum antea cuncta per orbem vectigalia ad imperium pertinebãt, quæ nunc principes & epiſcopi paſſim vſurpant. Et ita ex cauſa ſupra dicta per Carolum hunc regalia ab imperio alienata fuere.

Anno Domini MCCCL, per Saxoniam validiſſime deſæuit peſtis Nam in Lubec vna æſtate obierunt XC millia hominum. Porro à primis veſperis Laurentij vſque ad ſecundas obierunt ibidem MD homines. Lubecenſem etenim ante peſtem volebant latius expandiſſe ciuitatem præ multitudine populi. Sed Dominus moderauit vocans populum de medio.

Anno Domini MCCCLII, Clemens papa appoſitus eſt ad patres ſuos, cui Innocentius ſextus ſucceſſit, qui ſedit annis X. Hic (vt in rudimento Chron. dicitur) decimam poſtulauit à clero de omnibus prouentibus, ſed nemo illi dabat. De quo & in ſequentibus dicetur ſuis locis. Eodem anno, Ioãnes epiſcopus noſter (vt in multis legitur Chronicis) in die Ioannis Euangeliſtæ ob honorem nominis ſui complures dominas ſpecioſas & nobiles inuitauerat. Chorizanſq; inter duas medius quas ipſe manibus tenebat, repente cadẽs miſerabili morte expirauit, anno ordinationis ſuæ V. Mortuus (inquam) nõ vt epiſcopus, non vt ſacerdos, ſed velut hiſtrio vanus, & vir ſeculo deditus. Mortuus (inquam) non in atrio, ſed theatro, non in loco ſacro ſed prophano, non in eccleſia ſed chorea. Proinde ex fine eius & operibus ille præſul fuiſſe probatur ex grege illorum præſidum, qui non per oſtium, aliunde ſed conſcendunt in ouile Chriſti, qui officium epiſcopale neſciunt, curam paſtoralem poſtponunt, clerum contemnunt, populum ſibi commiſſum negligunt, pauperes floccifaciunt & fame perire ſinũt; qui chartiludio aut fritillo plus quam Euangelio intendunt, & Venerem Bacchumque magis quam Chriſtum venerantur & colunt; qui denique delicijs corporalibus & mundi voluptatibus ſine Dei metu inſeruientes, ſola terrena ſapiunt, pariterque & propriæ & commiſſorum ſalutis immemores, futura minime proſpiciunt. Quos quidem Baptiſta ille Mantuanus, poetarum noſtri temporis facilè princeps; alterq; Virgilius, in quodã carmine egregie taxat, inter alia ita reſonans:

Neglecto ſuperum cultu, ſpretoq; tonantis
Imperio, Bacchoq; indulgent, Venerig; miniſtrant:
Sacra ferunt auro: numis altaria condunt:
Auro vina libant: auro laquearia fulgent:
Scorta tegunt gemmis: canibus conuiuia ponunt:
Exuuiis inopum culti, diteſq; rapinis:
Succeſſu elati: ſuperos, Acherontaq; rident.

Et poſt pauca:

Heu fruſtra inceſtis iterant ſacra orgia dextris,
Sancta Deum vanis penetralia vocibus implent,
Irritant, iraſq; mouent, non numina flectunt. Hæc ille.

Ioanne itaq; epiſcopo ſupra memorato defuncto ſucceſſit ei in regimine noſtræ diœceſis Rudulphus Pincerna baro, vt ſequitur. Rodol-

ROdolphus Pincerna XXV Episcopus Nuenburgensis, anno Domini MCCCII, quo & Ioannes defunctus est, institutus præfuit annis X. Quem pincernam ideo reor cognominatum q; fuerit de prosapia pincernarum, qui præpotentes quondam barones in Hassia atq; Doringia fuisse leguntur, & in præsens vsq; tempus in Doringia florent, non tamen (vt olim) opulenti & famigerati. Enimuero antiquitus celeberrimæ opinionis & grandis fuere auctoritatis, huius inter satrapas terrę. Quorum vnus nostri præsulis de quo agim⁹ æquiuocus, & ipse Rodolphus videlicet dictus Pincerna de Varila, claruit circa an. Dom. MCCXXXII, vir summæ prudentiæ, & armis exercitatissimus. Quem Luduicus Lãtgrauius Doringiæ ille pijssimus pro adductione sponsæ suæ Elizabeth diuę direxerat cum magno comitatu in Vngariam: qui & commissa strenue cũcta perfecit ipse quoq; post obitum dicti Lantgrauij singularis, fidelis & deuotus patronus & defensor eiusdem sanctæ semper fuit Elizabeth. Eam ob rem, pariterq; fortunam ac potentiã suam, inter eum & comites Doringiæ magna orta est discordia, magnæq; vilarum vastationes vtrinq; cõmissæ. Qui & tandẽ pugna iuxta Mulhusen commissa, victoria meritis S. Elizabeth potitus, quatuor ex memoratis comitib. Gũtherũ videlicet comitem de Keffernberg, & eius filium Bertholdum, Henricum quoq; & Guntherum comites de Schwartzberg cepit, captosq; secum abduxit ac in vincula cõiecit, quousq; se grandi ære redimerent. Hæc ob reuerentiam episcopi Rodulphi dicta nũc sufficiãt.

Anno Dom. MCCCLIII, Rodolphus episcopus noster vti specialis nostri archisterij deuotusq; patronus ac fautor dedit nobis priuilegium corroborationis super incorporatione ecclesiarũ Brisenitz & Lobichaw, &c. Incipit. In nomine domini, Amen. Nos Rodulphus Dei gratia episcopus, Luduicus præpositus, totumque capitulum ecclesiæ Nuemburgensis præsentibus literis lucide protestamur, quod literas donationis factæ per Nobiles vires dominum Theodericũ Burggrauium de Kirchberg, nec non dominum Hermannũ de Lodenburg, ipsorumq; hæredes monasterio Putzauiensi vidimus in nullo vitiatas de ecclesijs parochialib. in Brisenitz & Lobichowe cum dotibus & capellis infra terminos & limites ipsarum parochiarum constitutis, videlicet Wintperg, Kirchberg & Vber Lobichau, & adhuc in antea construendis. Vt ergo eidẽ monasterio Putzauiensi speciali nostræ filiæ tanq̃ indigenti vtilitatis aliquid cõferre videamur, dictam donationem tanquam perfectam & legitimam, ac omni iure subnixam approbamus, ratificamus, & præsentibus confirmamus, &c. Actũ & datum anno quo supra.

Anno Domini MCCCLIV, Ioannes de Isenberg XXVIII, Episcopus Misnensis obijt, qui dederat monasterio Buchensi parochiam in Leysenitz.

Studium Heydelbergæ his temporibus fundatum est vniuersale per Rupertum Rufum, ducem Baioariæ, Luduici imperatoris nepotẽ. Floruit & hoc tempore Fridericus eius nominis secundus, Lantgrauius Doringiæ, & Marchio Misnensis. Is cum esset vir strenuus & prudens; alienata per Albertum auum suum Lantgrauium Doringiæ, quę sc. per patrem suum Fridericum recuperari non poterant, magnifice cœpit vendicare, pacis zelator studiosus: quandoquidem Eckersbergum siue, vt alij dicunt, Hectorisborgium. Dornberg. Friburg & Saltz recuperauit, & saluum conductum in toto suo dominio strenuissime obseruauit, & cõtra facientes persequi, & expugnare non desijt. Habuit autem vxorem Mechtildem, filiam Luduici imperatoris, quæ genuit ei filios quinq;. Primus mortuus est in pueritia: secundus Fridericus, & is successit ei in principatu; tertius Balthasar: quartus Luduicus factus episcopus in diuersis locis, extinctus in Caluis tẽpore choreæ terribiliter, vt infra anno Domini MCCCLXXXI patebit: quintus Wilhelmus, marchio Misnensis. Fridericus itaque prædictus, senior cæteris, duxit vxorem Catharinam de Henneberg prudentissimam, cum qua castrum Coburg acquisiuit: cum qua genuit tres filios, Fridericũ, Wilhelmum, Georgium. Hic Fridericus senior fratres secum indiuise in vna curia cum vxoribus eorum vsq; in finem vitæ habuit: quod signum maximæ fuit prudentiæ. Idemque cum dictis suis fratribus Erphordiam obsedit ob fratrem suum suum Luduicum, cui papa de archiepiscopatu Moguntino prouidit: sed capitulum dictæ ecclesiæ eum admittere recusabat: sub qua discordia Erfordenses complures clericos captiuarunt & peremerunt.

Anno Domini MCCCLV, Carolus Romæ solemni celebratione à duobus cardinalibus inunctus imperij coronam tranquillissime susceptit.

Anno Domini MCCCVI, terræmotus maximi fuere in varijs mundi partibus. Corduba in Hiſpania & Sibylla vrbes conciderunt. Et Baſilea cum alijs in Germania.

Anno Domini MCCCLX conſiſtorium vrbis Lubicenſis comburitur per negligentiam illorum qui puluerem pro bombardis conficiebant, vt dicitur in Chronica Rudimenti. Quod miror quomodo ſtare poteſt, cum multi ſcribant, machinam illam bellicam, videlicet bombardas, ab Alemannis noſtris repertam anno Domini MCCCLXXX. Quod etiam aſſerit Ioannes Cochlæus in Coſmographia ſua.

Anno Domini MCCCLXI, Otto Epiſcopus Magdeburgenſis obijt. Poſt quem Ludouicus marchio Miſnenſis eligitur, ſed ciuibus non placuit. Hinc Theodericus ordinis Ciſtercienſis ex monaſterio Lenynẽſi factus primo Sareptenſis, poſt Sleſwicenſis, ſubinde Myndenſis Epiſcopus, qui apud Carolum quartum ob eloquentiam ſuam & probitatem in pretio erat, omnium conſenſu eligitur: præfuitque annis VII. Fuit autem ſecundum ſeculum conditionis infimæ, filius pannicidæ in Stendel. Is magnalia complura ſui tempore regiminis perfecit, multa redemit & recuperauit, arces Aldeſleue, Saltzmunde, Hotensleue, item arcem in Caluis primus ab ipſo fundamento erexit cum foſſatis & alijs neceſſarijs. De obitu eius vide infra, anno Domini MCCCLXVIII.

Anno Domini MCCCLXII, Innocentius ſextus obijt in Gallia, ſepultuſq; eſt in monaſterio diui Andreæ, ordinis Carthuſienſium quod ipſe proprijs impenſis fundarat, & dotauerat, cui ſequenti anno Vrbanus, vt patebit, ſucceſſit. Eodem anno Rodulphus Epiſcopus noſter migrauit è vita, poſtquam feliciter eccleſiam commiſſam decem rexerat annis: Cui Godehardus (vt infra ſequitur) ſucceſſit.

GOdehardus, ex illuſtribus comitibus de Suartzburg originem ducens, mortuo Rudulpho Nuemburgenſi prælatus eſt eccleſiæ, epiſcoporum eiuſdem eccleſiæ XXVI. Is cum aliquandiu præfuiſſet laudabiliter eccleſiæ Nuemburgenſi; tandem poſtulatus eſt in epiſcopum Herbipolenſem. Quod ambiguum mihi plurimum videtur, tum quia eccleſia Herbipolenſis eius nominis præſulem nullum vnquam habuerit, quemadmodum catalogus eorundem indicat, & certiſſime conſtat, niſi ſimilitudo nominis aut vitium ſcriptoris in errorem nos traheret. Eccleſia equidem illa opulentiſſima & inclyta Herbipolenſis circa hæc tempora habuit antiſtitem, etiam vnum comitem Suartzburgenſem, ſed nomine Gerardum, promotum ad eandem eccleſiam conſenſu papæ Gregorij XI per Carolum imperatorem quartum. & diu præfuit, annis videlicet XXXI. Obiit etenim anno Domini MCCCCIII, ſub Ruperto rege, vt infra patebit. Idcirco quod de præmiſſis verius ſit, ingenioſo inueſtigandum relinquo lectori. Ego de hoc eatenus certiorari non merui. Sed neq; quo anno cœperit aut certe obierit, inuenire valui. Sollummodo ille vulgatus catalogus & mancus epiſcoporũ noſtrorum refert de eo, quod comes fuerit de Suartzburg; quodq; poſtulatus ſit ad Herbipolim; ſed quo anno Domini, minime exprimit. Inde aliud ſequitur inconueniens & ambiguum circa annum primum & exordium regiminis ſui ſucceſſoris, de qua incuria dicetur infra. His temporibus Brigitta vidua ſanctiſſima de regno Sueciæ claruit, cui Deus multas reuelationes fecit. Hæc ordinem Saluatoris inſtituit. Et eius feſtum die XXIII Iulij agitur. Quæ etiam dixit mundum ſuo tempore eſſe viliorem, quam in diluuio, & ideo merito periret, niſi precibus ſanctorum adiuuaretur. Hoc quoq; tempore vel circa Carolus imperator ſtudium vniuerſale erexit & inſtituit in Praga Bohemiæ, & ex cathedrali metropolitanam ibidem fecit eccleſiam, quæ antea Moguntino (vt ſupra dictum eſt) ſubiecta fuerat Archiepiſcopo.

Anno Domini MCCCLXIII, Vrbanus quintus ordinis diui patris noſtri Benedicti, monaſterij videlicet Maſſilienſis abbas, Auione canonice creatus, cathedram ſancti Petri aſcendit, ſeditq; in ea annis octo, in numero pontificum CCIII. Is cum Curia Italiam & ad Vrbem vſq; peruenit: ſed poſt breue reuerſus eſt in Galliam. Hic quoq; regulam ſanctæ Brigittæ approbauit. Fuit autem iſte Vrbanus magnæ literaturæ, decretorum videlicet doctor, & ſanctæ vitæ. Qui tandem intoxicatus diem clauſit extremum.

Eodem anno, Ludouicus rex Pannoniæ Venetis graue bellum intulit prævaluitq;.

Eodem anno, quidam Scholaris in Libeck obdormire cœpit, dormiuitque continue

tinue per ſeptennium in eadem vrbe abſque euigilatione: poſtea euigilans diu ſuperuixit.

Anno Domini MCCCLXV., Gerardus Epiſcopus Hildeshemenſis, fretus adiutorio virginis Mariæ, plurimos hoſtes publico bello cepit, ſcilicet Ottonẽ ducem de Brunſwig, Theodericum archiepiſcopum Magdeburgenſem, & Albertum Epiſcopum Halberſtatenſem qui maximus dialecticus & philoſophus. Vnde Gerardus prædictus cum eſſet rhetor facundus, ad captum Albertum dixit, inſultans: Iam Rhetorica vicit Logicam. Et rurſus ad eundem fertur dixiſſe: O Epiſcope proponam tibi hodie vnum inſolubile; (cippum intendens vel ſimile aliquid) ſi ſoluere quiueris, liber abibis: detinuitq; vinctos, quoadusque ſe multa redimerent pecunia. Circa hoc tempus lector quidam Paulus Cracouiæ in conuentu fratrum prædicatorum contra conceptionem inmaculatam beatiſſimæ virginis prædicans, ſubito coram omni populo corruens horribiliter expirauit, vt teſtatur Heinricus de Haſſia, & multi alii. Quod factum plures terruit in hac materia ſcribentes. Fatuum eſt enim de ſecretis Dei nimis curioſe inueſtigare.

Viri ſapientes qui hoc tempore ſcriptis fulſerunt.

Philippus de Pergamo, prior monaſterii ſanctæ Mariæ perpetuæ virginis in Padua. Is inter alia ſcripſit ſuper Ethicam Catonis.

Petrus Berthorii, natione Gallus, patria Pictauienſis, prior ſancti Eligii Pariſienſis, ordinis diui patris Benedicti. Scripſit inter alia repertorium morale libr. 3, item reductoriæ prolixitatem, & eſt compendium per figuras & catenas, & nos habemus, ſed cuiuſdam audaculi & inſipientis incuria & contemptu diſſipatum. Complures ad diuerſos. Scripſit & Epiſtolas

Gregorius de Arimino, theologus acutiſſimus, ordinis eremitarum diui Auguſtini.

Thomas de Argentino, eiuſdem ordinis.

Franciſcus Maronis, ordinis Minorum doctor illuminatus.

Ioannes Bocatius, rhetor & poeta clariſſimus, Franciſco Petrarchæ multum familiaris, vt ex Epiſtolis inuicem miſſis patet.

Matthæus quoq; *de Cracouia* hoc tẽpore claruit, & ipſe ſecularis theologus, magnæ, & vitæ & eruditionis.

Anno Dom. MCCCLXVIII, Theodericus archiepiſcopus Magdeb. obiit cum totius cleri & populi planctu magno, & ſepelitur (vt deſiderauit) in cœnobio Letrinenſi Ciſtercienſi, in marchia vbi profeſſus fuerat: cuius tumbam mirificam ibidem cum ſuo Epitaphio & vidi & legi. Succeſſit itaque ei electus per capitulum Fridericus Epiſcopus Merſeburgenſis, qui ſolum 4 menſibus præfuit, quia papa noluit eum confirmare, ſed inſtituit loco eius Albertum baronem de Sternberg, qui ante fuit Epiſcopus Suerinẽſis, deinde Luchmaſchlenſis in Bohemia, poſtremo in archiepiſcopũ Magdeburgẽſem opera Caroli imperatoris per Vrbanũ papam (vt dixi) inſtituitur. Sed poſt reſignauit.

Anno eodem, Waltherus Epiſcopus Auguſtenſis fuit interfectus doloſe in Myndelhaim. Ordo Ieſuitarum Senis vrbe Ethruriæ hoc tempore cœpit & confirmatur.

Anno Domini MCCCLXX, Vrbanus papa obiit: cui Gregorius vndecimus in pontificatu Romano ſucceſſit, ſeditq; annis VIII. Is curiam ex Gallia Romam reduxit cum ingenti totius Italiæ gaudio & exultatione. Cuncta quippe collapſa pene & deſtructa fuerant cum ipſa republica per abſentiam pontificum. Tandem poſt multos labores quieuit in Domino. Poſt cuius obitum ſecuta eſt tribulatio maxima, quam dominus ſanctæ Brigittæ præoſtendit, propter peccata cleri & quaſi omnium hominum, quia veriſſime tunc completum erat illud Ioan. dictum: Mundus totus in maligno eſt poſitus. Eodem anno, Gerlacus de Naſſaw archiepiſcopus Moguntinus obiit, poſtquam præfuerat annis XVII: cui ſucceſſit Ioannes Gallicus conſanguineus Caroli quarti, ſicet ann. 2. Eodem etiam anno, Albertus de Sternberg, archipræſul Magdeb. reſignauit, & in Bohemiam reuertitur, reliquias multas & pretioſas furtim ſublatas ſecum deferens, caput videlicet ſanctæ Felicitatis, brachium ſancti Stephani, caput ſancti Philippi, & partem vexilli ſancti Mauricii &c. Succeſſit itaque ei Petrus per modum concambii. Ille equidẽ Petrus poſitus fuit ad Eccleſiam Luchmaſchlenſem, quando dictus

Albertus fuit electus in archiepiscopum Magdeburgensem: qui volens redire ad natale solum, cum Petro illo cambiuit, & (vt dictum est) cum spolio sacrilego ad suam antiquam reuersus est sedem. Petrus autem archiepiscopatum Magdeburgensem annis nouem gubernãs, tandem & ipse per viam permutationis ad Episcopatum Vlmuzensem in Morauiam est translatus. Et id factum est, quia non bene concordauit cum ciuibus. Redemit tamen Schonbecke, & Wansleue, & alia. Cui in archiepiscopatu successit Ludouicus, marchio Misnensis, frater Friderici Landgrauii Thuringiæ, de quo infra anno Domini MCCCLXXXI.

Eodem anno destructum est monasterium sancti Michaelis archangeli in monte prope Luneburg per ciues, & translati sunt in ciuitatem, in locum in quo vsq; in præsens Deo sub ordine diui patris nostri Benedicti militant. Wenceslaus enim & Albertus duces Luneburgenses monasterium in dicto insigne erexerunt, in quo in altari maiore aurea tabula habetur, & pretiosissimæ reliquiæ. Cuius cœnobii denique monachi omnes nobiles secundum seculũ existunt, nec in eo nisi ingenui suscipiuntur, viuuntq; sine proprio sub bona & competenti regularis vitæ disciplina: viri reuera perhumani & multum hospitales; quorum charitatis erga me per aliquot dies cum eis repausans haud minimum expertus sum indicium. Abbas ipsorum Waldeuinus de Moronholt, vir inclytus & prudentissimus, ducis Luneburgensis inter consiliarios primus & præcipuus. Baldus Legistarum maximus hoc tempore claruit.

Anno Domini MCCCLXXII, ciues Augustenses combusserunt Fridberg, & Eringerii Burggrauii propter monetam caput amputauerunt. Quo etiam anno Vlricus comes de Helffenstein per Wittenbergensem in carcere occisus & peremptus fuit.

WItigo secundus, in serie præsulum Ecclesiæ Nuemburgensis XXVII, Godehardo mortuo successisse traditur, sed quo anno inuenire minime potui. Quinimo eius de gestis (duorum quoq; sequentium) præter nomen, diem & obitus, nihil penitus literis inditum comperi. Obiisse autem cum asserit catalogus ille vulgatus, cuius crebro mentionem facio, cum aliquid certius non habeo, anno Domini MCCCLXXXI.

Ex Chronicis de quibusdam euentibus huius ætat.

Anno Domini MCCCLXXIV, Franciscus Petrarcha, egregii nominis poeta, primus apud Christianos laureatus, obiit.

An. Domini MCCCLXXVIII, Gregorius papa iuit ad patres suos: cui Vrbanus sextus successit, electus in Vrbe magis timore Romanorum, quam libere & canonice: quod & exitus rei probauit. Nam cum esset natura inquietus, durus & inhumanus, præter spem electus omnibus intolerabilis visus est. Nulla patribus gratia, quod se potissimum delegissent, nulla humanitas, nulla conciliatio animorum, sed contumax & minabundus, & asper malebat videri & metui potius quam diligi. Nam sex simul cardinales Luceriæ incarcerauit, & non multo post necari iussit. Quapropter patres dolentes pontificem contumacem delegisse, ab eo recessere, & in ciuitate fundorum conuentu facto elegerunt antipapam, nomine Robertum, tituli sanctorum Apostolorum cardinalem, quem Clementem septimum vocauerunt. Et incepit periculosissimum schisma adeo perplexum, vt etiam viri doctissimi & conscientiosi nesciebant, cui magis esset adhærendum: & durauit per nouem & triginta annos, vsq; ad Martinum quintum Constantiæ delectum, schismate sublato. Habuit quilibet prædictorũ pontificum magnas sequelas. Vrbano adhærebat, ceu vero pontifici, Italia, Alemania & Vngaria. Clementi vero Gallia, Hispania & Catalonia. Quidam scribunt, hoc schisma cœpisse anno Domini MCCCLXXVIII, id est anno præsenti: alii anno Dom. MCCCLXXX. Primũ tamen verius tenetur. Sedit itaque Vrbanus iste annis octo. Ipse instituit festum Visitationis Mariæ secundum formam festi Corporis Christi, sed literas desuper non confecit: sed successor eius Bonifacius id totum exequutus est, & festum per bullam promulgauit.

Anno Domini MCCCLXXIX, imperator Carolus quartus defunctus est. Is etiam inter alia pietatis opera quæ exercebat, monachos ordinis Celestinensis ex Gallia in Germaniam primus duxit, posuitque eos in altissimo monte, in confinibus Sleziæ & Bohe-

Bohemiæ, non procul à Zittauia, mutans castrum quod ibidem erat munitissimum in cœnobium, regaliter & magnifice eis prouidens de vitæ necessariis. Est autem ipse mons totus saxeus, vndique prominentes habens rupes & scopulos, & est semotus & liber, in medio aliorum situs montium nemoris Herciniæ siue Bohemicæ. Viuunt denique sub regula sancti patris Benedicti in magna charitate, rigidam & artissimam vitam ducentes: quemadmodum expertus sum, dum eos visitaui ob dicti monasterii fundationem inuestigandam; (vti & aliorum) per Trittemium missus anno Domini MDXVI. Et est solum & vnicum per Germaniam, ex quo assumptis monachis Georgius illustris dux Saxoniæ hoc dicto tempore secundum æque in monte sublimi qui Regalis lapis dicitur, à Pyrneo oppido ad miliare vnum remoto, fundare & erigere cœpit. Consultissime autem fratribus aliunde in Alemannia monasterium non habentibus locum firmissime munitum in extremis finibus Bohemiæ prouidit, vt superuentura Hussitarum rabies non haberet facultatem eos deuastandi, sicut (proh dolor) de monasteriis non munitis in vmbilico aut corpore Regni Bohemiæ positis actum est. Conseruant denique illud castrense monasterium fratres etiam pro tutela totius Alemanniæ, præsertim Slesiæ & Misnæ. Potest quippe ex eodem monasterio pugnari cõtra Hussitas & alios hostes patriæ, si postulauerit necessitas. Inditum est autem nomen loco ob altitudinem, vt dicatur Owin, id est sublime siue superius; & fundatum est anno Domini MCCCLXVIII, per Carolum quartum: quod in præcedentibus per incuriam neglectum fuisse constat. Carolo itaq; è viuis sublato filius suus Wenceslaus successit in imperio, vir totus illecebrosus, luxuque & otio marcidus: idcirco & tandem (vt infra dicetur) depositus fuit. Imperauit tamen infeliciter annis XXII. Cœpit enim anno Domini MCCCLXXIX. Porro anno Domini MCCCC deponebatur: successitque ei Rupertus.

Anno Domini MCCCLXXXI, Witigo Episcopus noster migrauit à seculo, cui Christianus (vt infra patebit) successit. Eodem anno, Ludouicus archiepiscopus Magdeburgensis lamentabili & horrenda extinctus est morte. Hic namque ob altitudinem stemmatum elatus, plus seculi vanitatibus quam diuino cultui mancipatus, contra apostoli Pauli monita in omni apparatu vita & moribus suis huic se mundo conformare studuit; conuersatione sua rotunda & tumida populo non salutem, sed perditionis viam demonstrans: cum ipse palam & inuerecunde ea patrare haud formidaret, à quibus suos retrahere debuerat subditos; spectaculis vanis & lusibus atque choreis exultans; Dei offensam & commissorum scandalum minime timens; nec illud terribile beati Gregorii de pastoribus dictum animaduertens, quo dicit prælatos tot mortibus esse dignos, quot exempla perditionis in posteros relinquunt. Tandem omni prorsus Dei timore exploso, more suo diebus larualibus, tempore videlicet carnispriuii, secularibus se conformitans, cum eisdem & cursitare, & tripudiare, ne dicam delirare cœpit; secunda feria Esto mihi post Dominicam tẽpore prænarrato Bacchanalia celebrando, magnam nobilium virginum & matronarum in Caluis oppido choream instituit; vbi dum eodem die vsq; in noctem choreis protensis interesset, repentina super eum irruit calamitas, & vt scriptum est, extrema gaudii luctus occupauit. Subito enim clamore & tumultu super incendio exorto, Episcopus perterritus ipse primus omnium cum ea quam manu tenebat fugam iniit: quem cæteri terrore pari perculsi insequentes, in descensu porrecto pondere & pressura vrgentiũ se gradibus confractis, Episcopus infra cadens post & super se cadentium impetu & ruina oppressus fuit penitus, & extinctus. Et impletum est in eo etiam (proh dolor) corporaliter illa vulgata beati Augustini sententia, qua dicit, Quanto status altior, tanto & casus grauior, Nam & celsæ grauiore casu decidunt turres. Et ita conuersa est cithara in luctum, & vox lætantium in lamentum. Et mundus ille fallax, qui his suis amatoribus prospera & læta pollicebatur, per tempora longa illis subitaneam & improuisam cladem calamitosam propinauit & mortem. O igitur quam breuis & caduca omnis gloria mundi! Quam incertus & dubius mundanæ felicitatis finis est exitus! Bene hinc ethnicus ille poeta prædictis quadrat suo carmine dicens:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ valuere ruunt.

Cui concordat Hildebertus Turonensis archiepiscopus multa aduersa passus, in libro metrico de suo exilio inter alia dicens:

Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu,
Et spondent propria mobilitate fugam.
Quicquid habes hodie, cras te fortasse relinquet,
Aut modo dum loqueris, desinit esse tuum &c.

Porro quot prædicta ruina cum Episcopo oppressi fuerint, incertum habeo. Ipsum archiepiscopum (vt relatum est) fuisse extinctum in multis scribitur Chronicis, licet paucioribus verbis. Ego siquidem historiam ipsam lugubrem verbis & versibus adiectis lectoris ad ædificationem dilataui, ne duntaxat aliena inuenta, & nil ex propria Minerua scriptitasse videar. Id equidem & aliis locis materia exigente facere consueueram; sciens miserrimi fore ingenii, semper inuentis & nunquam inueniendis vti. Sed hæc eatenus dicta sufficiant. Modo ad historiam prosequendam redeundum est. Circa hæc tempora in Holandia, in oppido Delff, mulier quædam deuota habuit stigmata passionis Christi.

CHristianus, quem plerique Christianum corrupte nuncupant, Nuemburgensis Ecclesiæ antistes XXVIII, cœpit anno Dominicæ incarnationis MCCCLXXXII, indictione Romanorum quinta, præfuitq; annis XIII: de quo etiam præter nomen, & quod annis præscriptis & cœperit & tãdem finierit, aliud quippiam, dignum memoratu, inditum litteris, inuenire minime potui.

De variis euentibus, temporibus prædicti Episcopi in diuersis locis & terris exortis, ex Chronicis.

Circa illud tempus post mortem Ludouici archiepiscopi Magdeburg. (de quo anno præcedenti dictum est) in locum eius electus est rursus Fridericus Marsipolensis antistes, qui inter alia bona quæ fecit, Ecclesiæ castrum Angern acquisiuit. Ast eodem tempore & anno Cometes in vigilia Martini apparens, fatalem se archiepiscopo exhibuit; qui mox infirmatus post paucos dies obiit, sepeliturq; in Mersburg. Rexit solũ à Quadragesima vsque Natalem Domini: cui defuncto anno sequenti successit Albertus de Querfurt baro; de quo infra.

Anno itaque Domini MCCCLXXXI, Albertus de Querfurt baro, post Fridericum Magdeburg. Ecclesiæ fit archiepiscopus, & 20 annis præfuit. Cuius temporibus ciues Magdeburgenses clerum atque curias habitationum eorundem inuadunt: quicquid rerum offenderunt, vsuique necessarium inuenerunt, totum diripientes asportauerũt. Sunt tamen post ad emendam & satisfactionem compulsi.

Anno Domini MCCCLXXXVI, Leopoldus dux Austriæ, cum magno comitatu militaris exercitus, nobilium delusus concilio, confœderatos qui Leopontii, vulgariter Schwitzeri nuncupantur, apud Sempachium potenti prælio inuasit. Verum illi licet pauci, id est MDC solum essent, Deum adiutorem inuocantes, maximam hanc multitudinem effugarunt: ipso duce interfecto, cum octo comitibus, centum & viginti militibus, & quatuor millibus pugnatorum, pluribusq; nobilibus, qui de Austria, Alsatia, Sunaugia & Brisaugia, &c. illic ad pugnam conuocati fuerant. De Schwizeris autem tantum CXXII interfecti sunt. Et id contigit anno quo supra, die IX mensis Iunii. Et post annos duos nobiles qui remanserunt, iterum cum sex millibus bellatorum reuertentes, per CC viros de Glarona in fugam versi sunt, duobus millibus & quadringentis occisis.

Eodem anno, Sigismundus dux Austriæ regnum suscepit Vngariæ: qui licet natione esset Bohemus, origine tamen fuit Teutonicus, qui & post ad imperium peruenit, de quo infra. Heinricus de Hassia theologus hoc tempore in precio fuit.

Anno Domini MCCCLXXXIX, Vrbanus papa in Septembri diem clausit extremum, Ecclesiamque satis depauperatam & conquassatam dimisit. Et à plerisque fuit opinatum, veneno extinctum fuisse, eo quod corpus eius etiam post mortem multum intumuit, & credentiarius eius paulo post eum migrauerit.

Vrbano itaque defuncto, Bonifacius nonus, patria Neapolitanus, Petrus Tomacellus

Ius antea vocatus, Romæ omnium cardinalium consensu, eodem anno creatur pontifex, in iuuenili & florida ætate, anno ætatis suæ videlicet tricesimo quasi. Fuitque pene illiteratus, in consiliis tamen & Ecclesiæ negotiis plurimum acutus & prouidus. Erat & pecuniæ auidus, ad quam colligendam plures legatos per diuersas mundi partes ad negotiandum cum indulgentiis misit. Fuit deniq; maximus Simoniacus, & simoniæ cultores multis dignitatibus sublimauit; emptiones multas pro pecunia fecit, cõpluresque abbates clausirales prece & precio pontificalibus mitris & ornamentis insignivit, ex quibus etiam abbatem nostri monasterii, Herimãnum nomine, eadem dignitate, ne dicam vanitate, infulauit, (vt in sequentibus suo anno dicetur) priuilegio patenti desuper dato. Fuit præterea ille pontifex (vt de eo Platina scribit) tanti animi consiliiq;, vt primus Romani populi vim omnẽ in pontificem transtulerit; suo nutu in Vrbe ordinans & disponens singula. Cui ad summam gloriam nihil defuisset, nisi affinium & cognatorum affectibus obtemperãs, maculã contraxisset. Multa enim crimina Romæ per Simoniacam prauitatem committebantur, petentibus contra ius fasq; facile cunctis concessis quæstus gratia. Indulgentiæ vero, & (vt supra tetigi) quidem plenariæ ita passim vendebantur, vt iam frequenti vsu vilescerent clauium & literarum apostolicarum auctoritas, de quo & infra.

Eodem anno Chrysoloras Bizantinus disciplinam Græcarum literarum in Italiam retulit, quæ per septingentos iam annos apud eandem in vsu non fuerunt. Hinc Græcæ Latinæq; linguæ scholæ exortæ sunt Guarino, Victorio, Philadelpho, Ambrosio, abbate Camaldulensi, Leonardo Aretino, Hermolao Barbaro, Ioanne Pico comite Mirandulano, Angelo Politiano, Philippo Beroaldo, ac plerisque aliis, tanquam ex equo Troiano in lucem prodeuntibus, quorum æmulatione multa ingenia deinceps ad Græcarum studium literarum excitata sunt, & assidue excitantur & crescunt.

Anno Domini MCCCXCIV, Clemens septimus, papa adulterinus, moritur: in cuius locum à cardinalib. tanti schismatis auctoribus Petrus Luna Benedictus XIII appellatus Auenione sufficitur, qui perdurauit vsque ad concilium Constantiense. Eodem tempore, anno videlicet Domini XCII supra trecentesimum millesimum, Erphordiæ vrbe Doringiæ studium vniuersale literarum institutum est atque fundatum. Circa hæc tempora Fridericus, Landgrauius Doringiæ, & marchio Misnensis, obiit; tres memorabiles relinquens filios, Fridericum videlicet, seniorem filium, qui post eum principatum tenuit, & tempore Constantiensis concilii factus est dux Saxoniæ, primus ex hac sua prosapia, Georgium quoq;, & Wilhelmum marchiones Misnenses, quorum vterque memoratu quædam digna gesserunt, vt de eis infra dicetur opportunius, annis videlicet & temporibus, quibus memorata gessere magnalia.

Anno Domini MCCCXCV, Bonifacius papa per legatum suum missum dedit in Magdeburg indulgentias plenarias remissionis à culpa & pœna, & taliter vt peregrini & alii qui indulgentias consequi volebant, ad XIV dies cogerentur manere in prædicta vrbe, & visitare Ecclesias septem, ex quibus Ecclesia monasterii nostri ibidem in suburbio posita etiam erat vna: quibus indulgentiis prædictus papa maximas pecuniarum summas à fidelibus Christi exhausit & extorsit, quæ omnino sufficere videbantur ad passagium terræ sanctæ contra Saracenos. Sed ô Deus quo deuenerunt tacetur: sed non in perpetuum! Dies enim Domini reuelabit, qui abscondita tenebrarum producet in lucem, &c.

Anno Domini MCCCXCVI, Turcæ triumpharunt contra Sigismundum regem Vngariæ, quia principes Franciæ superbientes noluerunt obtemperare illi. Ideo flos militiæ Franciæ ibi prostratus est, & Philippus dux Burgundiæ captus cum multis aliis. Hæc ex Rudim.

VDalricus secundus, XXIX Nuenburgensis Ecclesiæ præsul, cognominatus de Rodenfelt, Christiano antecessore suo defuncto, anno Dominicæ incarnatiõis MCCCXCVI, in locum eius surrogatus est, seditque annis XIII.

De quibusdam nouitatibus sub isto Episcopo exortis.

Anno Dom. MCCCXCVII, Ioannes de Nassaw, vir magnæ prudentiæ, Moguntinensis fit archiepiscopus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Circa hoc tempus hæresis peruersa Ioannis Wiclef in Anglia, & Ioannis Hus in Bohemia, Hieronymiq; in Praga pullulare cœpit, & multos infecit fermento suo. Nam totum annitebantur statum subuertere Ecclesiasticum. Adiuuit eos tempus pessimum propter scandalosum schisma, quod tunc viguit.

Anno Domini MCCCXCVIII. Hermannus eius nominis secundus, nostri archisterii abbas, vir prudens & magnanimus, nescio quo arrogantiæ & vanitatis afflatus spiritu, aurum superfluum habēs & inutile, Romæ & prece & pretio à summo pontifice, egregioque Simoniaco Bonifacio nono, quatenus & mitra, siue (vt aiunt) infula pontificali, vti & benedictionem solennem certis possit dare temporibus, pro se suisque impetrauit successoribus priuilegium. Cuius tenor sequitur ex integro hæc in verba. Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis, Hermanno abbati, & conuentui monasterii beatæ Mariæ virginis in Posaw, extra muros oppidi Czitzensis ordinis sancti Benedicti, Nuemburgensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Exposcit vestræ deuotionis sinceritas, & religionis promeretur honestas, vt tam vos quos speciali deuotione prosequimur, quam monasterium vestrum dignis honoribus attollamus. Hinc est, quod nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vt tu fili abbas, & successores tui dicti monasterii abbates, qui pro tempore fuerint, mitra pontificali vti, nec non in dicto monasterio & priorarib. eidē monast. subiectis, ac parochialibus, ac aliis Ecclesiis, ad vos communiter vel diuisim pertinentibus, quamuis vobis pleno iure non subsint, benedictionem solennem post missarum, vesperorum, ac matutinarum, solennia (dummodo in benedictione huiusmodi aliquis antistes vel sedis apostolicæ legatus præsens non fuerit) elargiri possitis: felicis recordationis Alexandri papę quarti prædecessoris nostri quæ incipit Abbates, & aliis quibuscunque constitutionibus apostolicis in contrarium editis nequicquam obstantibus, vobis & eisdem successoribus auctoritate apostolica de speciali gratia tenore prę sentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, quinto Calendas Februarii, pontificatus nostri anno nono. Verum quid mihi de prædictæ concessionis priuilegio videtur, dicere modo supersedeo, ne secus faciens veteres cineres exufflare videar. Attamen valorem eius & laudes qui nosse exoptat, beati Bernhardi ad abbates Cluniacenses, & Petri Blesensis archidiaconi ad fratrem suum Guilhelmum abbatem Machliuiensem legat Epistolas; legat quoque Hugonis cardinalis versum illum, Cornua peccatorum confringam Psalmi LXXIV exponentis sententiam, & similium, & quod quæritat affatim inueniet. Quid autem putas inueniet? Certe quod & super hac re inconcussum stat illud sapientis dictum, Quoniam vanitas vanitatum & omnia vanitas: quæ reuera nihil aliud est, quam vana oculorum & aurium inflatio, & quædam circa delectationes varias animi languentis affectio, potiendi honoris auida simul & nescia, morbo excellentiæ inanis afflata, caua, morbida, turbulenta, animorum leuium domina. Per ea tamē quæ dixi, non successorum supra narratis præsulum insignibus vtentium consuetudinem, ad inuenti siue concessi priuilegii conseruationem, sed solum impetrantium curiosam vanitatem suggillare modeste volui. Verum & nunc de his satis.

Anno Domini MCCCC. Wenceslaus imperator non coronatus, sicut nec meruit, propter segnitiem atque lasciuiam ab electoribus est depositus ab imperio, & loco eius Rupertus dux Bauariæ, & palatinus Rheni Romanorum rex designatus est. Coloniæ ab archiepiscopo coronatus est, & ab Bonifacio papa confirmatus. Fuit quippe Christianissimus, iustitiæ cultor, & in rebus bellicis strenuus. Imperauit annis decem. Vxor eius Elizabeth filia Burggrauii Nurenbergensis, quæ peperit ei plures liberos, de quibus infra anno obitus eius dicetur latius.

Viri doctrina excellentes sequuntur.

His diebus floruerunt lumina mundi, videlicet:

Magister Gerardus Croet, qui instituit congregationem fratrum in Dauentria, quoque vtilia multa conscripsit.

Item

Item *Magiſter Ioannes Rusbrog*, qui ſimiliter non minus vtilia edidit.
Henricus Hoyta profeſſor famatus ſacræ paginæ. Item:
Nicolaus Gorra, ordinis prædicatorum, theologiæ & ipſe doctor.
Paulus Venetus, ordinis eremitarum, & plures alij.

Anno Domini MCCCCII, Tamerlanus, qui & ab alijs Tamburlanus appellatur, incredibilis potentiæ imperator Orientis moritur. Fuerat hic apud Tartaros natus humili loco, & tantas vires adeptus, vt ſupra duodecies centena hominum millia haberet in caſtris. Qua multitudine attritis bello Turcis, eorum imperatorem, catenis vinctum aureis, curru quo vehebatur quaſi triumphans adiunxerat. Armenos præterea proſtrauit. Subuerterat Perſas; deſtruxerat Ægyptios; Damaſcum pene deleuerat: & quocunque eius tranſcenderat nomen ſola fama, quaſi tuiſſet miſſus à Deo, peccatorum vltor terribilis imminebat.

Anno Domini MCCCCIII, Albertus ex baronibus de Querfurt Archiepiſcopus Magdeburgenſis diem obijt in caſtro Gibelſtein, nihil præter vile pallium ſecum ad tumulum deferens, licet auiditate nimia ſuper omnes anteceſſores ſuos pecuniam indifferenter ab omnib. tam clericis quam laicis innumerabilem pene extorſiſſet. Cui defuncto Guntherus comes de Schwartzberg ſucceſſit, & per Bonifacium papam IX confirmatur. Hic vt quidam de eo ſcribit, in ſacris ordinibus veſtibus ſtirpatis & lodatis contra decreta patrum inceſſit. Nec vnquam miſſam ſuam ſolenniter celebrauit, de quo & infra ſuis annis dicetur & amplius. Eodē anno Henricus Schutzmeiſter de Orlemunde, Epiſcopus Merſeb. apoplexia tactus reſignauit domino Ottoni de Hoenſtein: qui & hoc anno in die Epiphanię cum magna pompa & principū frequentia coronatus eſt.

An Dom. MCCCCIV, Bonifacius ſummus pontifex diem clauſit extremum, qui primus annatam eccleſiaſticis beneficijs impoſuit, vt beneficium adeptus dimidium annui prouentus apoſtolico ſolueret fiſco. Quiq; multas fecit pro pecunia exemptiones, in perpetuum malum eccleſiæ: per huiuſmodi quippe obedientiæ bonū dirimitur, & corpus eccleſię militātis cōfunditur, & diſſipatur. Quare ſancti tales exēptiones valide reprehendunt, quemadmodum & beatus ac mellifluus Bernardus in libro de conſideratione Eugenium ſummum pontificem alloquens, ita inter alia fatur: Audi murmur & querimonias eccleſiarum. Truncari ſe clamant & dimembrari. Subtrahuntur enim abbates epiſcopis, epiſcopi archiepiſcopis, primatib. vel patriarchis. Facitis hæc quia poteſtis ſed vtrum debeatis, quæſtio eſt. Et poſt pauca. Nullꝰ eſt fructus huius emancipationis ſeu exemptionis, niſi quod epiſcopi inde inſolētiores, monachi diſſolutiores fiant, quin etiam pauperiores. Adde q; qui audiunt ſcandalizantur, detrahūt, blaſphemant. Tune licitum cenſes, eccleſias ſuis mutilari membris? Omnis anima poteſtatibꝰ ſublimiorib. ſubdita ſit. Pluraliter dicit Poteſtatibus. Nō enim tua ſola poteſtas à Deo. Sunt & mediocres; ſunt & inferiores: & quos Deus cōiunxit, non ſunt ſeparandi. Ita & Deus quos ſubiunxit, non ſunt cōparandi. Quod ſi dixerit epiſcopus, Nolo eſſe ſub archiepiſcopo; aut abbas, Nolo eſſe ſub epiſcopo: nō eſt hæc vox de cœlo, niſi forte audieris aliquē angelorum dixiſſe, Nolo eſſe ſub archangelis; vel aliquem aliorū ordinum dicentē, Nolo eſſe niſi ſub Deo. Quid (inquis) prohibes diſpēſare? Nō, ſed diſſipare. Vbi neceſſitas vrget, excuſabilis eſt diſpēſatio. Vbi vtilitas prouocat laudabilis, vtilitas cōmunis dico, non propria. Vbi nihil horū cōcurrit, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt. Hæc ille beatus. Hinc liquet, q; vbi cauſa ſufficiens nō eſt diſpēſationis, ille cum quo diſpenſatur, quantū ad Deum tutus nō eſt, ēt ſi papa diſpenſet, vt notatur extra de voto & voto red. Non eſt in glo. Si cauſa ſubeſt, facilius ergo & curialius eum ſua diſpēſatione vadit in gehennā ſecūdum Oſtienſem. Quadrat etiam ſupra naratis cancellarius Pariſiēſis, Gerſon videlicet ipſe, Chriſtianiſſimus doctor, in fine libelli theologicarum cōcluſionum, in quiens: Papa non poteſt peruertere ordinē hierarchicum vniuerſalis eccleſiæ. Quin in multis caſib. liceret eidem reſiſtere in facie, & dicere, Quur ita facis, vtpote in exemptionibus manifeſte nociuis, & ſi prælatos & eccleſias ſibi ſubditas onerare ſumptibus intollerabilibus, & libertatibus penitus ſpoliare vellet. Quin etiam ſecundum prædictum dulciſluum Benrhardum, quemadmodum Hugo cardinalis ſuper Pſalmo LXXIV allegat, papa de iure non poteſt iſtas exemptiones facere, quia in hoc eccleſia corrumpitur, & dimembratur. Poſſem & com-

plura aliorum ad rem ſanctorum dicta adducere, niſi ea proptet vanos, & ſupercilioſos, criticoſq; atq; tædioſos lectores conſultius obmittere ratus fuiſſem. Fruſtra equidem niti, (vt Criſpus Saluſtius inquit) & nihil niſi odium quærere, extremæ dementiæ eſſe noſcitur. Copioſiſſima namq; materia ſcribendi, vel potius plangendi de his temporibus infamibus. & effœminatis ſe offert, quibus totam Italiam, maxime tamen Romam magnitudo ſcelerum, & vitiorum vorago pene abſorbuerat, & Simoniaca peſtis lethaliter omnino infecerat. Longum eſſet etenim ſingula dinumerare: imo prolixum foret plurimum ſolius Bonifacij præfati noni bella & acta languida perſtringere, & quæ ab temporibus eiuſdem vſq; ad Ioannem XXIII in eccleſia propter peſſimum ſchiſma & pontificum ambitionem contigerunt mala: quorum ſumma ex ſubſcriptis verſibus ſuccincte elici poteſt.

Papa ſtupor mundi cecidit: ſecumq; ruere
Cœlica templa Dei, membra ſimulq; caput.
Papa dolor, mundiq; pudor, per cr. bra pateſcit
Crimina ſeu ſcelera famine ſonifero.
Heu Simon regnat: per munera quæq; reguntur:
Iudiciumq; pium gaza nephanda vetat.
Curia papalis fouet omnia ſcandala mundi:
Delubra ſacra facit perfiditate forum.
Ordo ſacer, baptiſma ſacrum, cum chriſmate ſancto,
Venduntur turpi conditione fori.
Diues honoratur, pauper contemnitur, atq;
Qui dare plura valet munera, gratus erat.
Aurea quæ quondam fuit, hinc argentea papæ
Curia procedit deteriore modo.
Ferrea dehinc facta dura ceruice quieuit
Tempore non modico, ſed modo facta lutum.
Poſtq; lutum quid deterius ſolet eſſe? recordor,
Stercus, & in tali curia tota ſedet, &c.

Hæc metra excerpſi ex libro primo de conſolatione Eccleſiæ, quem compoſuit Theodericus Vric, theologus ordinis eremitarum diui Auguſtini, ad Sigiſmundum Romanorum imperatorem, qui ambo temporibus his fuerunt. Et eſt vox eccleſiæ plangentis caſum ſuum, quem tum patiebatur per ſchiſma horrendum & periculoſiſſimum.

Bonifacio itaque (vt ſupra dictum eſt) mortuo, anno videlicet MCCCCIV, Innocentius ſeptimus ei in pontificatu Romano ſucceſſit: ſeditque annis duobus vel circa: vir ætate grandæuus, multarum magnarumque rerum experientia callens. Simoniacos tamen & ipſe fouit, qui & eo tempore (vt mox infra patebit) fuere potentiſſimi curiales.

Anno Domini MCCCCV, ortæ ſunt diſcordiæ inter pontificem & Romanos. Cauſa videatur in Chronicis, quam hic breuitatis gratia prætereo. Pontifex itaq; perterrefactus cum curialium turba Viterbium commigrauit, & commoratus eſt ibi aliquot menſes, donec Romani pluribus legationibus illum reuocantes, dominationem quoq; vrbis eidem reddiderunt.

Eodem anno omnes ditiores curiales ſummi pontificis obierunt quaſi: cardinalis Yferniēſis reliquit triginta millia ducatorum. Sed o quot eccleſias, & monaſteria, & alia beneficia eccleſiaſtica, anteq̄ tot millia acquireret, æſtimatur grauaſſe & depauperaſſe? Item dominus cardinalis Mopolitanus decedens vltra centum millia ducatorum auri reliquit. Item poſt hunc dominus cardinalis Eſculanus, pauper in pecunia, ſed diues in conſcientia, moriens obid nullas habuit exequias more diuitum pompoſas, ſed (vt pie creditur) cœleſtium ciuium nactus eſt comitiuas, qui animam eius ſupernis inuexerunt delicijs, vt de exiguo Martino Epiſcopo canitur, Martinus hic pauper, cœlum diues, &c. Deinde famoſus ille archiſimoniacus Ioannes de Bononia, ſecretarius papæ quondam Bonifacij noni, deceſſit, qui etiam vltra XL millia florenorum ducatorum reliquit in vltimis. Reliquit (inquam) in fraudem pauperum, & animæ ſuæ perniciem

niciem, quos sua pro liberatione in vsum egenorum distribuisset salubrius. Post hunc alter archisimoniacus dominus Bartholomæus Francisci protonotarius & rector cancellariæ apostolicæ, defunctus est, qui & ipse thesauros reliquit ingentes. Et certe hæc vanitas est pessima, cum homo mortalis in imagine pertransiens, vti inquit propheta regius, thesaurizat, & nescit cui congregat.

Eodem anno Innocentio papæ (de quo nunc loquimur & tractamus, septimo videlicet) Romani ciues claues ciuitatis cum Ramis palmarum obtulerunt, & omnes dominium vrbis Romæ etiam temporale illi concesserunt, sed minus iuste minusq; laudabiliter, quoniam illa temporalium affluentia officiunt haud parum spiritualibus. Nec Petri successor ipse papa eiusmodi periculosum temporale dominium sumpsisse debuerat. Nusquam equidē legitur, priscis quod temporibus etiam post donationem Constantini (de qua cuncti curiosi canonistæ magnum faciunt festum) quispiam summus pontifex temporale dominium vrbis Romę gubernauerit. Ast nouis temporibus, nostraq; memoria certi pontifices, de illo labores & dolores subimet inde cumulantes se intromitterre ausi fuere: quandoquidem ab antiquo Roma vrbs semper extitit regalis & imperialis. Alioqui ab electoribus deputatis ad imperiū legitime sublimatus quisquis ille foret, in cassum & frustra rex appellaretur Romanorum: quia nō verbis sed factis prosperari quis debet, cum & lex non verbis sed factis imposita sit. Et id ipsum copiose veteres protestantur historiæ. Hæc Engelbertus Wusterwitz, clericus Brandeburgensis in Chronica sua Marchitica, qui aliquot annis Romæ cardinalibus seruiens insumpserat, & prænarrata oculis viderat, & exequijs quorundam interfuerat.

Anno Domini MCCCCVI, Gregorius XII Romanus factus est pontifex, eodem anno quo & Innocentius antecessor eius defunctus est. Electus est autem pridie calen. Nouembris, pontifex maximæ seueritatis, & sanctimoniæ præcipuæ reuerendus. Qui mox pontificatu susceptо pro vnione ecclesiæ restituenda se scripto coram notarijs & testibus obligauit ad cessionem pontificatus, si Benedictus ex altera parte resignare pararatus esset. Verum cum Benedictus XIII antipapa cedere nollet, licet in primis promiserat, & ipse Gregorius verus papa intelligens dolum hominis callidissimi, resignare distulit, vt infra etiam patebit tempore concilij Constantiensis, in quo resignauit libere.

Anno Domini MCCCCVIII, concilium ingens Pisis celebratur, in quo accusati de collusione pontifices prædicti ambo priuantur; & electus est vnanimiter Petrus de Cādia, natione Græcus, quem Alexandrum quintum nominauerunt. Quo post annum mortuo, elegerunt cardinales in eodem cōcilio Ioannem XXIII, qui Balthasar de Coxa dictus fuit: & addiderunt schisma schismati, vt prædictum est.

Circa hæc tempora recesserunt magistri Alemanni de Praga in Lipz vrbem Misniacam, & hoc propter tyrannidem Wenceslai regis Bohemorum quondam imperatoris, & magistrorum de natione Bohemorum, videlicet Ioannis Hus, Hieronymi de Praga, Stephani de Paletz, & Matthiæ Engon, Ioannisque Yessenitz, & aliorum plurimorum hæreticorum. Engelbertus historicus hoc factum refert anno MCCCCVI. In rudimento vero Chronicorum dicitur, quod Vniuersitas Lipzensis exordium habuerit anno MCCCCIX.

Anno Domini MCCCCX, Rupertus Cæsar obijt, & Heydelbergæ in ecclesia sancti Spiritus sepelitur. Reliquit autem ex Elizabet filia Burggrauij Nurenbergensis multos hæredes, Ludwicum videlicet, Stephanum, Ioannem, & Ottonem, inclytos duces. Ludwicus senior natu patri in ducatu successit, à quo principes palatini & duces Baioariæ cum Episcopo nostro moderno Philippo originem ducunt vt in sequentibus suis locis demonstrabitur plus. Habent equidem duos imperatores stirpis suæ, Luduicum quartum, & Rupertum prædictum. Eodem anno Vdalricus Episcopus noster obijt, cui Gerardus (vt sequitur) successit.

GErardus de Guch, in serie præsulum Nuemburgensis Ecclesiæ Episcopus XXX, Vdalrico ex humanis sublato succedens, præfuit annis ferme XXVIII, non sine magna nominis sui laude, & commissæ ecclesiæ vtilitate. Verum specialia de eo gesta non comperi,

De quibusdam rebus memorandis sub isto antistite Gerhardo factis, ex Chronicis diuersis.

Anno itaque Domini MCCCCXI, pontificatus videlicet eius primo, Sigismundus, rex Vngariæ atque Bohemiæ, communi voto principum Francofordiæ electus est Romanorum imperator, & imperauit annis XXVII incomplete. Fuit autem vir Christianissimus, vrbanus & humilis, & multarum linguarum peritus. Contra Turcas nonies bellando triumphauit; aliqualis Grammaticus, sed vix congruus. Adeo denique deuotus, quod non immerito sanctorum catalogo adscribi posset. Eius etenim deuotione, sapientia & industria pessimum schisma sublatum est, & vnitas ecclesiæ sanctæ redita. Vt enim id perficeret; nec sibi, nec alicui de suis pepercit. Ideoque Carolo Magno, Theodosio, Constantino & Ottone primo, non minor potentia, virtute & pietate extitit. Quidam scribunt eum cœpisse anno Domini MCCCCX. Eodem anno Iudocus, marchio Brandenburgensis, & dux Morauiæ, octogenarius obijt, relinquens marchiam sub tribulamine & tyrannide Quitzonum. Quo mortuo absque liberis, iure hæreditario & successione ad Sigismundum regem Vngariæ & totius imperatorem orbis eo tempore nouum marchia ipsa deuenit, quam confestim Friderico Burggrauio Nurenburgensi daturum se spopondit, prout sequenti anno (vt mox dicetur) magnifice fecit.

Eodem quoq; anno bellum sequissimum in Prussia siue Borussia fuit inter fratres Teutonicos & Poloniæ regem, in quo ordo multum succubuit, ex parte eius quadraginta millibus interfectis: quos inter & dominus Vlricus de Gingyen magister ordinis cum CCC cruciferis peremptus est. *Gaudent prædones dum discordant regiones.* Eodem anno, Waltherus de Kochritz Episcopus Merseburgensis defunctus est, qui Ecclesiam commissam multis debitis oneratam liberauit; insuper complura vina & blada reliquit cum duobus millibus florenorum, cui Nicolaus Lubich successit. Sub eo defœdarunt Ecclesiam Bernardus princeps de Anhalt, & Bernus comes de Reinstein, qui & multa damna fecerunt ecclesiæ in rapinis.

Anno Domini MCCCCXII, Ioannes de Egolfstein Episcopus Herbipolensis migrauit ad patres. Cui Ioannes de Brun eodem anno succedens præfuit annis XXVIII.

Anno Domini MCCCCXXII, Fridericus Burggrauius de Nurēberg iuxta promissum Sigismundi imperatoris descendit in Marchiam sub saluo conductu dominorum Rudolphi & Alberti ducum Saxoniæ. Qui tanquam cœlitus missus, oppressam marchiam à tyrannide Quitzonum cum tempore liberauit. Conuocatis itaque vasallis; exposuit voluntatem Sigismundi imperatoris literas eiusdem ipsis ostendens in quibus continebatur, quod omnes vasalli, ciuitates & oppida totius prouinciæ ipsi tanquam supremo prouisori & aduocato marchiæ omagium facerent; summamq; pecuniæ expressam in ijsdem literis, id est centum millia florenorum Vngariorum, præstarent. Fecitq; ei omagium fidelitatis tota marchia præter quosdam vasallos, & præsertim Quitzones & de Rechaw nobiles & de Bredaw qui resistebant. Quare & post per Fridericum fugati sunt.

Anno Domini MCCCCXIV, Cōcilium Constantiense initium habuit, quod incredibili pene principum prælatorumq; frequentia tres durauit annos, in quo fides Christiana quæ iam multis annis vacillare videbatur, fortiter resurrexit. Ibi enim schisma pessimum & scandalosissimum XL annorum terminatnm est. Ibi hæreses damnatæ, & duo hæresiarchæ, sc. *Ioannes Hus* & *Hieronymus de Praga* incinerati fuerunt, & plura bona instituta. Determinauit etiam eadem sancta synodus, quod concilium legitime congregatum repræsentans Ecclesiam vniuersalem, potestatem habet à Christo immediate: cui omnis status etiam papalis obedire tenetur, in his quę sunt ad generalem reformationem ecclesiæ, s. in fide & in moribus, tam in capite quam in membris. Item quod deinceps concilium de decennio in decennium deberet celebrari.

Anno Domini MCCCCXV, Fridericus dux Austriæ, & post imperator eius nominis tertius nascitur. Eodem anno, Ioannes papa XXIII capitur, & biennio custoditur.

Anno

Anno Domini MCCCCXVI, Gregorius XII pontificatu legitime se abdicauit, & concilio resignauit. Benedictus autem XIII in Gallia quondam pontifex, se pontificem pertinac. ter asseuerans, auctoritate concilij rursus improbatur & damnatur.

Anno Domini MCCCCXVII, post Gregorij spontaneam resignationem, & Benedicti XIII, ac Ioannis XXIIII inuitam depositionem, electus est totius concilij vnanimi consensu Otto de Columna in summum pontificem: seditq; annis XIV, verus, vnicus, & indubitatus pastor Ecclesiæ. Eodem anno, Fridericus Burggrauius Nurenburgensis, in concilio Constantiensi per Sigismundum imperatorem plene fuit inthronizatus, & infeudatus, mitra marchionali & alijs insignibus collatis, & per sceptrum elector ac camerarius imperij constitutus, suscipiens eo tempore & die, id est in octaua Paschæ, merum imperium siue dominium Marchitici principatus. Et hoc eodem ipso anno, à concilio Constantiensi reuersus in marchiam Brandenburgensem videlicet, cepit castrum Plawen cum pluribus alijs castris, & expulit Theodericum Quitzonem raptorem, & totaliter de Marchia fugauit & proscripsit. Eodem anno, & idipsum in concilio Constantiensi per supra memoratum Sigismundum imperatorem comitatus Cleuensis mutatus est in ducatum. Cuius primus dux Adolphus ducatum nouum castris fortalitijs & fossis egregie muniuit. Qui etiam monasterium Carthusiense, Regiæ cæli dictum, erexit & pulcherrime consummauit; ducem Montensem, & nepotem ducis Gelriæ bello strauit; & alia complura magnifice perfecit. Tandem post multas victorias & ipse morte naturali prostratus, in prædicta sepelitur carthusia.

De viris illustribus, qui tempore Constantiensis claruere concilij.

Petrus de Æliaco, Episcopus Cameracensis, prætor Gersonis qui sequitur.

Ioannes Gerson, cancellarius Parisiensis, legatus pro tunc Gallorum regis, qui sua sapientia prædictum valde promouit concilium.

Petrus de Rosenheim, monachus Melicensis, qui roseum memoriale diuinorum eloquiorum & alia edidit.

Franciscus Zambarellis, Episcopus Florentinus iuridicus.

Pogius & ipse Florentinus, oratorq; facundissimus.

Gasparinus Pergamensis, Grammaticus & Rhetor luculentissimus.

Leonardus de Aretino, orator & historicus insignis.

Antonius de Butrio, legisperitissimus.

Petrus de Ancharano, in iure canonico eruditissimus.

Ioannes Tortellius, orator & Grammaticus præclarus.

Angelus de Perusino, Baldi auditor iurisconsultissimus.

Et hi octo fuere seculares, licet quidam initiati sacris.

Ioannes Dominici, cardinalis, doctrina & conuersatione celeberrimus theologus, ordinis prædicatorij.

Nicolaus Triueth, qui scripsit super Augustinum de ciuitate Dei, eiusdem ordinis.

Vincentius de Valentia, declamator verbi Dei famatissimus, & sanctæ opinionis. Fuit tamen deceptus, quod Antichristum prædicauit venturum suis in temporibus ob malitiam hominum. Contra quem scriptura inquit: Non est vestrum nosse tempora & momenta, quæ posuit pater in potestate sua, &c. Et sunt verba Saluatoris.

Franciscus de Platea, theologus & iurista canonũ sacrorum insignissimus, ordinis fratrum minorum.

Gerardus Odonis, theologus valens, eiusdem ordinis. Huius etiam ordinis fuit Alexander. v, & in hoc concilio depositus.

Paulus Venetus, theologus acutissimus, & subtilissimus disputator, ordinis eremitarum diui Augustini.

Bartholomæus de Vrbino. Augustinus de Roma. Gabriel de Spoleto. Iacobus Magni, qui sophologium & alia edidit.

Theodericus Vric, qui inter alia ad Sigismundum imperatorem pulcherrimum librum prosa & metro contextum de consolatione Ecclesiæ conscripsit, in quo gesta concilij Constantiensis pro maiore parte complectitur.

Ioannes Zachariæ, & ipſe theoſophus excellentiſſimus. Concilio Conſtant. interfuit, multos in eodem ad clerum faciendo ſermones.

Michael de Bononia, theologus maximus, eodem tempore cum ſubſcriptis claruit, ordinis fratrum Carmelitarum.

Michael Herbrant. Henricus de Andernacho. Arnoldus de Auſtria, qui omnes ſcriptis effulſerunt.

Notandum tamen, quod *Hieronymus de Praga* in hoc concilio damnatus, non iſto præſenti, ſed præcedenti proximo anno, id eſt MCCCCXVI, fuit combuſtus. Fuit autem *Ioannis Hus*, diſcipulus & collega, quatuor generalium ſtudiorum Pariſienſis, Colonienſis, Heydelbergẽſis, & Pragenſis Philoſophus, & ſummus Theologiæ magiſter, ſi bene intellectu ſuo vſus fuiſſet. Fuit deniq; orator eloquentiſſimus atque acerrimus Dialecticus, adeo quod nullus etiam doctiſſimorum virorum in concilio diſputando ſuperare eum potuerit. Cuius error, imo magiſtri ac præceptoris *Ioannis Hus* originem habuit ex libro quodam *Ioannis Wiclef*, qui de realibus vniuerſalibus inſcribitur, in quo multa de poteſtate eccleſiaſtica, de papæ & clericorum ſtatu, deque temporali dominio orbis diſſeruntur. Quem quidem librum Bohemus nobilis, Vxoniæ eo tempore ſtudens, perlegens, doctrinarum nouitate oblectatus aliquot exemplaria ſecum in Bohemiam vexit, & pleriſque magiſtris ſuæ gentis & ſectæ legenda conceſſit. Qui eadem curioſitate illecti (ne dicam noua immo nociua lectione infecti) virus hauſtum confeſtim & prædicando & docendo vomuerunt in populum. Quorum magiſtrorum præcipuus *Ioannes* extitit *Hus*. Is cum honeſtioris vitæ & magnæ eſſet famæ, plebeculam mobilem in ſuam facile traxit ſententiam. Inde factum eſt, vt in breui tempore & in fide & in moribus tota corrupta & ſubuerſa ſit Bohemia. Et hoc modo accidit etiam hac tẽpeſtate, quod hæreſis iſta Huſſitica (vt ſemper) à literatis & philoſophicis viris habuerit ortum. Et quidnam aliud philoſophia, ipſa hæreſum mater & errorum parens, quam hæreſum ſemina producere poterit & poteſt? Quæ quantum in ſe eſt (niſi lectorem caſtum cautumque offenderit) ſemper fidem catholicam, & euangelicam illam doctrinam contaminare conſueuit. Cuius etiam illi hæreſiarchæ, & noui & veteres, alumni fuere atque diſcipuli. Quin etiam, vt memoratus glorioſus inquit Hieronymus, Omnes hæretici magni huius ſeculi fuere ſemper magiſtri, rete habentes apoſtolicum, catenulas aſt diabolicas, id eſt philoſophicas à philoſophis contextas. Quos etiam idem doctor appellat hæreticorum patres, aduerſus pelagianos ſcribens, inter alia de ipſis inferens: Philoſophi, patriarchæ hæreticorum, eccleſiæ puritatem peruerſa maculauere doctrina, &c. Et theologorum auguſtus Auguſtinus, in l. de ciuitate Dei, Ariſtotelem Peripateticorum philoſophorum principem ſuam ob virulentam doctrinam hæreſiarcham appellitare & ſcribere non erubuit. Aſt nunc de his ſatis dictum ſit, quoniam & compluribus in locis huius operis paria taxata ſunt, & cauſa nacta infra dicentur. Fuerunt autem in concilio iſto Conſtantienſi (vt Hartmannus Schedel in ſua Chronica habet) ex omni natione viri excellentiſſimi, & potiſſimum Itali, Galli, Germani, Hiſpani & Angli, quorum ſuffragijs omnes cõcilij res geſtæ ſunt. Porro præſtãtiores in eo fuere: Ioannes XXIII ſummus pontifex, & Sigiſmundus Cæſar, quinq; Epiſcopi cardinales; XVI presbyteri cardinales; VII diaconi cardinales; patriarchæ VII; Archiepiſcopi XXXIV; Epiſcopi CIV; abbates IX inſignes; generales quatuor ordinum; duces XXIV; comites CXL; communitates quoq; vrbium multarum.

Comitatus Subaudienſis in ſupra memorato quoq; concilio Conſtantienſi mutatus eſt in ducatum.

Eodem tempore ſtudium vniuerſale fundatum eſt in Roſtock, in ducatu Meglingenſi, qui Latine Magnopolenſis dicitur.

Anno Domini MCCCCXIX, Sigiſmundus Cæſar Wenceslao mortuo fratre eius regnum obtinuit Bohemiæ. Eodem anno, Rudolphus dux Saxoniæ, & elector imperij, qui multa bella habuit contra Guntherum Archiepiſcopũ Magdeburgenſem, in quorum vno turris cadens duos filios eius quos ſolos habuit, oppreſſit & extinxit. Quamobrem abſq; hærede hoc ipſo anno in Wittenberg obijt, ducatum fratri Alberto cum electoratu relinquens.

Anno

Anno Domini MCCCCXX, Ioannes de Nassaw archiepiscopus Moguntinus diem obiit, cui Conradus de Dune Ringrauius successit, & XIV annis præfuit. Eodem anno vel circa, Bohemi indignati propter combustionem Ioannis Hus & Hieronymi Pragensis, collecto exercitu magna damna vicinis intulere prouinciis. Combusserunt equidem eo tempore inter alia monasterium Brun, ordinis sancti patris nostri Benedicti, quod sanctus Adelbertus, episcopus Pragensis & martyr, de patrimonio suo fundauerat; item abbatiam in Straho ordinis Præmonstratensium.

Anno Domini MCCCCXXI, Hussitæ rursus in furiam versi, circumpositas fidelium terras igne & ferro vastauerunt, & etiam in ipsa Bohemia catholicos laicos & religiosos eadem vesania exturbarunt; eorum prædia, villas, & oppida, & monasteria, flamma & gladio destruentes. Qua tempestate Carthusiam trans pontem subuerterunt. Item circa Pentecostes festum obtinuerunt montem Cuthnitz, & honorabile cœnobium ordinis Cisterciensis ibidem Sedelitz nuncupatum funditus diruerunt: in quo quidam Carthusienses præfati monasterii expulsi fuerant recepti ad tempus, vt hospites. Quapropter Hussitæ excandescentes ipsos monachos receptores cum omnibus interfecere Carthusiensibus. Eodem etiam anno præfati hæretici oppidum Belyn cum castro quod fuerat de dominio comitis Alberti de Colditz, & monasterium Osseck sub castro Rosenberg combusserunt, & monachos ordinis Cisterciensis in eodem Deo militantes occiderunt. Et eodem impetu Brux oppidum fidelium expugnare machinabantur. Sed marchiones Misnenses, Fridericus & Wilhelmus id audientes, & exinde terris suis malum timentes, collecta armatorum multitudine contra eos processerunt, & cõgressione facta duo millia Hussitarum interfecerunt, cæterosque omnes in fugam turpem verterunt. Ex parte autem Misnensium vix quinquaginta occubuerunt.

Anno Domini MCCCCXXII vel circa, per Martinum papam crux data est contra Bohemos. Missusque eam ob rem Iulianus cardinalis sancti Angeli in Germaniã. Eius opera maximus exercitus collectus est, in cuius expeditione fuerunt multi principes, barones, comites, & episcopi. Dux militiæ fuit Fridericus, marchio Brandeburgensis. Cum eo præcipui fuere: Otto Treuirensis, Theodericus Colonien sis, Guntherus Magdeburgensis, archiepiscopi. Item episcopus Leodiensis, & alij, Ludwicus comes palatinus, Albertus dux Saxoniæ, Ludwicus Landgrauius Hassiæ, Fridericus & Wilhelmus marchiones Misnenses, domini nostri; Bornus, Georgius, & Adolphus, principes de Anhalt; Fridericus Lantgrauius Doringiæ; Ioannes dux de Berge; Henricus comes de Schwartzburg; Volradus & Geuehardus comites de Mansfelt; Bedo de Stalberg comes, & plures alij quorum quadraginta equitum fuere millia, dempta multitudine peditum. Et cum tot & tanti essent, vix Bohemiam ingressi subito pauore omnes perculsi, & priusquam hostis vllus in conspectu daretur, fœdissime omnes simul cœperunt fugere, quilibet extra Bohemiam. Hostis exin metu alieno ingenti præda potitus est, quam relictam inuenit. Eodem tempore ordo nouus canonicorum regularium apud Etruriam cœpit in Lucensi agro, monasterio Frisonariæ à loco Frisonaria dicto. Deinde ab Eugenio aucta Lateranensis appellata est, vt dicit Hartmannus, & speciali priuilegio canonicis regularibus beati Augustini aggregauit, habueruntq; complures viros & sanctimonia præstantes. Congregatio denique noua, siue reformatio ordinis sancti Benedicti quæ sanctæ Iustinæ nuncupatur, hac tempestate in Italia apud vrbem Patauinam in monasterio sanctæ Iustinæ cœpit. Quæ congregatio viris præstantissimis, & locis bonisque, tam temporalibus quam spiritualibus, excreuit. Idcirco Eugenius quartus pontifex summis eam dotauit priuilegiis. Deinde in ea innumerabiles viri, non modo iurium ac sacræ theologiæ doctrina, sed & eloquentia literarum tam Græcarum quam Latinarum ornatissimi extitere.

Eodem anno Gerhardus Episcopus noster obiit, vt habet catalogus ille breuis & mancus, quem in multis, vbi certiora non habui, sequutus sum. Verum hoc loco, vt in plerisque aliis, sciens ex priuilegio quodam hunc præsulem anno Domini MCCCCXXVII adhuc vixisse, ab eodem recessi. Et ita alibi cum emendatius exemplar non haberem, & anceps essem; verisimiliora & magis rationi consona semper sectatus sum. Quod lector humanus perpendens facilem mihi veniam dabit, sicubi forsan me eiusmodi perplexitate laborasse offenderit, sciens *Vltra nosse viri nulla posse requiri*, &

in rebus arduis vel ipsum conatum fore laudabilem. Quo vtique fretus, nonnihil in huius operis exantlatione effecisse me reor, iuxta illud Flacci dictum, Est aliquid prodisse tenus, si non datur vltra. Sed & de hoc infra plus.

Anno Domini MCCCCXXIII, Albertus dux obiit Saxoniæ, frater supra memorati Rudolphi. Hic propter bella fratris plurimum depauperatus fuerat, vt vix quatuor cum equitibus equitaret. Discessit autem & ipse sine hęrede masculo. Proinde ducatus eius cum electura deuolutus est ad imperium. Quem Sigismundus imperator qui tum rerum summam tenebat, Friderico marchioni Misnensi, viro strenuo, & armorum gloria clarissimo, ob obsequia quæ sibi impenderat, & bella quæ contra Hussitas fortiter perfecerat, cum ipsa electura pleno iure & dominio tradidit; ita vt amodo ipse Fridericus suum titulum extollere, atque Marscallum sacri Romani imperij se scribere posset. Et ita ducatus Saxoniæ peruenit ad marchiones Misnenses, quorum primus dux prædictus institutus est Fridericus, vt hæredes illi eadem dignitate succederent perpetuo. Cœpit itaque Fridericus dux Wittenberg possidere, vrbem Saxonicam cum attinentiis suis circumpositis castris, villis, & oppidis, quæ ante prædictus Albertus dux defunctus quondam possederat, ibique obierat.

Fridericus denique prænarratus, primus ex marchionibus Misnensibus Saxoniæ dux, & imperij elector studium vniuersale literarum Lipsick erexit, magnisque collegiis ac stipendiis decorauit. Quem Fridericus, & ipse dux Saxoniæ, & elector imperij eius nominis tertius, qui nostro æuo ducatum prædictum successione hæreditaria feliciter & pacifice gubernati secutus, & ipse gymnasium sapientiæ florentissimum in supra dicta sua vrbe Wittenbergensi à fundamento nouum fundauit, multisque bonis & magnificis priuilegiis decorauit. Insuper ibidem castrum munitissimum & pulcherrimum, & iuxta illud ecclesiam collegiatam mirificis structuris erexit exempta, in honore Omnium Sanctorum dedicatam, quam ornamentis pretiosissimis, & reliquiis innumeris & sanctissimis, nec non summis indulgentiis Romæ impetratis excellentissime ac splendidissime ornauit & insignauit. De quibus omnibus infra suo tempore dicetur amplius.

Anno Domini MCCCCXXIV vel circa, ordo monachorum diui Hieronymi iamdudum à sua institutione primæua collapsus, à viro venerabili Lupo Hispalensi restauratur. Ex dictis beati Hieronymi normam contextam Martino papæ obtulit, & pontifex eandem approbans confirmauit.

Anno Domini MCCCCXXV, Guilhelmus marchio Misnensis, frater supra dicti Friderici primi ducis Saxoniæ, defunctus est, & in ecclesia collegiata ac exempta sancti Georgij in Aldenburg, quam ipse in monte iuxta castrum fundauerat, honorificentissime sepelitur, in eius videlicet chori medio. Huius denique ecclesiæ præpositus in præcipuis festis ex apostolico indulto episcopalibus inter celebrandum vtitur insignibus.

Anno Domini MCCCCXXVII, indictione Romanorum quinta, memorabilis ille pater, & famigeratus dominus, Hermannus primus huius monasterij nostri infulatus abbas, postquam complures per annos religiose & laudabiliter sibi commissum gregem gubernasset, naturę debitum soluit, & iuxta altare archiapostoli Petri sub fornice muri, & assiduo summam Missam celebrantium, & ad eandem in sacris ministrantium sub transitu sepelitur. Cui etiam primo & grandis & sculptus lapis, per circumferentiam epitaphium, in medio autem imaginem mitratam ipsius præsulum more continens, positus est. Hactenus enim prisci illi patres, & venerandi abbates, veræ religionis & humilitatis sectatores, omnem pompã & vanitatem, veluti religionis monasticæ iacturam & excidium, vitare consueuerant. Quamobrem fratrum instar simpliciter tumulati fuere, dempto quod eorum ob memoriam posteris commendandam plumbilamen, & nomen eorum & diem obitus inaratum tenens, ad caput positum cum ipsis plerumq; sepultum fuerit: superiore tamen saxo raso, & (vt ita loquar) cæco planoque permanente. Proinde contigit, vt nominatissimorum abbatum vtpote primi, secundi, tertij, & aliorum haud paucorum per longa temporum curricula, & vsque præsens in nostrum tempusculum sarcophaga incognita manserunt. Quorum duorum, Erckenberti

berti videlicet abbatis eius nominis secundi, cuius epitaphium inuentum constat, anno Domini MDX, in latere ecclesiæ nostræ sinistro versus Septentrionem, in loco communis fratrum sepulturæ, non procul ab ara diuæ Vrsulæ, dum pro Ioanne Scharpff, confratre præbendarioque nostro, equite quondam in armis strenuo, reuerendi domini Iudoci abbatis nostri moderni genitore, in bona senectute recenter tunc defuncto, sepulchrum foderetur. Quod quidem epitaphium ita casu repertum continebat, ipsum Erckenbertum multorum voluminum, præcipue beatorum Augustini & Hieronymi operum scriptorem originalium fuisse egregium: quæ quidem opera manu ipsius eleganti charactere exarata, in præsens vsque æuum nostram & venustate & magnitudine sua bibliothecam plurimum exornant.

Porro aliud domini videlicet Azzonis, viri spectabilis & abbatis nostri quondam præstantissimi, epitaphium repertum fuerat, anno Dominicæ incarnationis MDXVII, dum ante altare beatorum Apostolorum Philippi & Iacobi pro vnius monachi sacerdotisque nostri tunc defuncti sepelitione terra aperiretur, quod quidem exile, plumbeum, quadratumque nil præter nomen defunctionisque annum memorati Azzonis continebat; adeo tamen vetustate & situ corrosum, vt numerus difficulter cognosci legique possit, quod & adhuc penes nos extat. Epitaphium vero Egkeberti quo deuenerit ignoratur. Enimuero dum suam ob antiquitatem & mirificum schema diuersis conspiciendum & legendum commodatum fuisset; nostrorum incuria repeditum hucusque manet, ad calendas Græcas recuperabile. Hermanno itaque abbate qui natu Citzensis fuerat defuncto, successit ei in regimine monasterij & abbatiæ; eodem anno Dominus Erhardus Gliner de Geraha oriundus, vir prudens & iustitiæ tenax. Et hunc quidem Ioannes de Slenitz, Nuemburgensis episcopus eius nominis secundus, qui immediate sequitur in suo infra scripto priuilegio, quod monasterio nostro, anno Domini MCCCCXXXII, contulit, lites narrat habuisse cũ antecessore suo episcopo Gerhardo: quod vtiq; minime esse potuisset, nisi hoc eodem anno Domini, videlicet MCCCCXXVII, primo Erhardi abbatis, ipse Gerhardus præsul in humanis superstesque fuisset: quem tamen catalogus ille communis, breuis & vulgatus anno Domini MCCCXXII migrasse à seculo ponit; quem tamen & in hoc (vt in multis) oberrasse suspicor. Proinde & hic anceps maneo, auribus lupum tenens. Verum modo quippiam non habens certius, præallegato priuilegio (vt infra patebit) magis quam illo memorato mancoque credens catalogo, solidiora & verisimiliora sequendo, cœptam in nomine Domini prosequar historiam.

Anno denique quo supra, Domini videlicet MCCCCXXVII, Rudolphus de Plawenitz, XXXV episcopus Misnensis, obiit; cui Ioannes Hoffman, primus ex theologis studij Lipsensis ad canonicatum præsentatus, eodem anno successit: sub quo ecclesia Misnensis habuit multos aduersarios, & passa est etiam ab Hussitis iacturam non modicam.

Eodem anno vel circa, Gerhardus episcopus noster debitum naturæ soluit, cui Ioannes de Sleynitz (vt sequitur) communi voto electus successit.

IOannes secundus, decretorum doctor insignis, ex prosapia nobilium de Sleynitz dictorum originem ducens, Gerhardo mortuo in pontificatu Nuemburgensis ecclesiæ suffectus, eandem egregie & laudabiliter in diebus suis rexit, res magnas & memorabiles perficiens. Inter quas ad Bohemorum siue Hussitarum impetum & furorem arcendum, arcem episcopij in Cziza muniens, nouis fossatis, muris & turribus validis circumcinxit; pontem nouum prædictis adiiciens. Fuit denique iste venerabilis præsul, vir per omnia magnificus, humanus & liberalis, munificus largusque ac dapsilis. Inopum quoque & pauperum miseriis ex animo plurimum compatiens, & liberaliter cunctis subueniens, optimi pastoris officium exhibens, gregem commissum verbo & exemplo, ac corporali subsidio quantum ad egenos pertinet, diligenter pascens, & misericordiam cunctis calamitosis hilariter impertiens. Quæ vtique misericordia virtus maxima, & gloria summa & præcipua iuxta sacros canones boni censetur episcopi. Obiit tandem (vt infra anno suo opportunius dicetur) post laudabilia

facta in celebritate diui Andreæ apostoli, tumulaturque in ecclesia sua Czico ad occidentem, in communi & vetusto episcoporum sarcophago.

De euentibus quibusdam, temporibus præfati antistitis exortis, ex Chronicis.

Anno Domini MCCCCXXVIII, Fridericus dux Saxoniæ primus, & marchio Misnensis &c cui Sigismundus Cæsar ducatum contulerat, obiit in Weisenfels, & sepultus est in Misna, in capella maiorum suorum quæ Principum appellatur, quæ mausoleũ eorundem suo continet gremio: in qua & veteres pendent exuuiæ, & rapta ex hoste trophæa. Mortuus autem est in octaua Innocentum, relinquens ex vxore sua Catharina filia ducis Brunswicensis quatuor filios, Fridericum, Guilhelmum, Sigismundum & Henricum. Fridericus successit ei in ducatu Saxoniæ, & electoratu imperij. Guilhelmus successit in Landtgrauiatu Doringiæ, cuius vxor fuit Anna, filia Alberti Vngariæ & Bohemiæ regis & post Romani imperatoris, eius nominis secundi, deuotissima & sanctæ opinionis mulier. Sigismundus initiatus est sacris, & Deo mancipatus potius quam armis factusque est episcopus Herbipolensis, licet infra paucos annos (vt in sequentibus dicetur) resignarit. Henricus iunior filius marchio Misnensis, & Landtgrauius Doringiæ parum superuixit. Ideo omnia quæ habuerat, Guilhelmo supra fato suo fratri prouenerunt, qui etiam exin solus Landtgrauiatum possedit Duringiæ diu pacifice, quousque videlicet inter eum & Fridericum fratrem suum memoratum grauissimæ discordiæ & rixæ exortæ sunt, de quibus infra dicetur.

Anno Domini MCCCCXXIX, Bohemi crebris victoriis elati & prædarum auidi, rursus hostili exercitu vicinas terras, præsertim Lusatiam, Misnamque ex parte vastare cœperunt, & inter alia damna cœnobia Nouæ cellæ & Grũhaim ordinis Cistercien-sis destruxerunt, & monachos occiderunt, & cuncta eorum bona diripientes abduxerunt.

Anno Domini MCCCCXXX, Bohemi Hussitæ iterum in terram Misnensem & procedentes in terram Aduocatorum, Plawen oppidum diruerunt. Deinde Curiam, & Culmpach, & similiter Pareut oppugnantes ceperunt, & despoliauerunt. Et ita grassantes vsque ad Babenbergam, cuncta pene igne & ferro depopulati sunt, magna damna marchionibus Brandeburgensibus inferentes. Nec fuit qui eis resistere vellet, aut posset.

Anno Domini MCCCCXXX, Clusa monasterium reformatum est per abbatem eiusdem loci Ioannem de Mindaw, qui dolens super inordinata fratrum suorum conuersatione, diuina tactus inspiratione, regulam diui benedicti tum prorsus neglectam recolligere, & diligenter perlegere cœpit, & in se & subditis suis perficere: & ita pedetentim fratres suos ad regularis vitæ tramitem omnimodis perduxit. Cuius optimæ conuersationis odor longe diffusus ad vitam meliorem & alios allexit. Famam equidem eius audiens ducissa quædam Brunswicensis, ipsum in Bursfeldiam pro reformatione transferri obtinuit. Prædictus itaque venerandus pater Ioannes & abbas translatus in Bursfeldiam, religiosam vitam secundum puritatem regulæ sancti Benedicti instituere cœpit, & fratres qui eatenus ibidem per complures annos sine lege vixerant, ad tria monachorum substantialia obseruanda compellere. Et taliter contigit, vt Bursfeldia ex Clusa reformata, & virtute & religione maxime cresceret, adeo vt fama & opinione matrem suam Clusam longe excelleret, dum quia ex ea reformatio vehementer propagari per Germaniam cœpit multis cœnobiis per abbates eius & fratres ad monasticam disciplinam per reformationem adductis. De qua quidem reformatione, & laude abbatum ipsius, in quodam carmine de laudibus Saxoniæ ita inter alia cecini.

Clusa monasterium fuit humile, sed venerandum:
Saxoniæ flos, relligionis apex, honor orbis:
Clusa domus celebris, campestris, amœna, iucunda,
Congrua claustricolis, tranquilla, situq; salubris,
Sola quieta iacens: hinc recte Clusa vocatur:

Clusa

Clausa malis, reserata bonis, seruire Tonanti
Qui cupiunt, & mente polum penetrare supernum:
Vnde salutifera nuper fluxere fluenta,
Quae procul almisluum circumfudere liquorem.
Anno milleno, quadringent, atq; triceno,
Tempore quo claustri gestabat sceptra Ioannes
De Mynda natus, pastor probitate coruscus,
Quem tribus elapsis annis Bursfeldia posthac
Poscit habere patrem, renouare vetusta valentem.
Qui veniens istic, vitam introduxit honestam,
Quam patris Angelici sacra norma docet Benedicti.
Sicq; reformatum diuino numine claustrum
Bursfelt eximium fuit, in nouitate secundum:
In quo continue noua tunc plantatio crescens
Claustra reformando procul vndiq; sparsit odorem
Per studium abbatum, curamq; patrum sapientum:
Quos domus haec aluit multos virtute nitentes:
Quosq; inter primos vita & doctrina Ioannes
Claruit excellens, Hagen cognomine dictus &c. de quo infra dicetur.

Anno Domini MCCCCXXXI, Martinus papa defunctus est, cui eodem anno Eugenius quartus successit, quinto nonas Martij, patria Venetus, Tumultuarius à quibusdam descriptus, quod anno primo sui pontificatus malis consiliis ductus, diuina humanaque perturbauerit, & Romanos ad arma exciuerit. Quorum etiam vix cucullo sumpto tela per Tiberim in scapha elapsus euasit. Quem ideo nonnulli ordinis sancti Benedicti fuisse scribunt: licet id nullo authentico scriptore aut alio indicio probare possint: cum nec ipsum Tritemius noster, historiographorum huius tempestatis omnium peritissimus, ponat aut numeret inter nostri ordinis summos pontifices. Fuit quidem religiosorum, nec non virorum sapientum, amator praecipuus, magnis eos prosequens fouensque honoribus atque priuilegiis, quorum etiam contubernio cautior, mitiorque effectus, dein (quoad vixit) prudenter & modeste se gerebat, multa laudabiliter ordinans & exequens. Quod autem voto & habitu fuerit monachus, asserere nolo, nec credo, cum id nulla fretus auctoritate defendere & probare potero.

Eugenius denique iste, anno Domini MCCCCXXXII, Sigismundum coronauit imperatorem Romae. Vocatus autem ad concilium Basiliense Eugenius cum nollet comparere; tandem contumax reputatus depositus est, anno Domini MCCCCXXXIX, (vt infra patebit) & loco eius Amedeus dux Subaudiae, iam senex & caelibem vitam ducens, summus pontifex constitutus est, dictusque Felix quintus. Eugenius tamen permansit verus pōtifex per Italiam vsque ad obitum, maiorem habens sequelam & obedientiam. Qui etiam indignans concilio Basilienſi, suam ob insectationem illud omnino reuocauit, cassauit & annullauit. Aliud concilium primo Ferrariae, sed peste impediente Florentiae celebrauit, cum ingenti Orientalium frequentia. Illuc equidem Indi, Aethiopes, Armeni, Arabes, Georgiani & Graeci confluebant, qui in eodem concilio, eorum imperatore praesente, vniti sunt ecclesiae Romanae de processione Spiritus sancti. Concilium Basilienſe nihilo secius suo per aliquot annos durauit in vigore, donec anno Domini MCCCCXLVIII obsidione dissipatum fuit, ex glorioso principio humilem (vt infra dicetur) finem consequens.

Anno itaque Domini (vt praefatum est) eodem quo supra, MCCCCXXXI, concilium Basilienſe sacrosanctum exordium habuit, vt in actis eius continetur, durauitque vsque ad annum Domini MCCCCXLVIII, habens sessiones XLV, de quo historici vt frequenter anno Domini MCCCCXXXVIII incipiunt differre. Ego vero annum praefatum elegi, quo & initiatum constat, paulo ante mortem papae Martini, primoque Eugenij successoris eiusdem anno: quorum vterque conci-

lium hoc approbauit,& ratum habuit. Denique Sigiſmundus Cæſar cum multorum principum & nobilium famulitio id ipſum frequentauit, ornauitque: confluentibus inſuper ad illud ex Hiſpania, Gallia, Germania, Paunoniaque, prælatis innumeris, in quo quidem pro reformatione totius eccleſiæ, & in capite,& in membris, multa ſalubriter & rigide fuerunt conſtituta, & præcipue contra Simoniacos & concubinarios ſtrictiſſime animaduerſum. Expectationes & reſeruationes beneficiorum prorſus reprobatæ & ſub grauiſſimis cenſuris annatæ interdictæ & prohibitæ, etiam in curia,ne videlicet deinceps pro inueſtitura, de eccleſiis,monaſteriis,dignitatibus, beneficiis, officiisque quibuſcunque, nec non ordinibus, ac pallio, nihil penitus ante vel poſt exigeretur. Fuerunt & in eodem concilio pro honeſtate clericorum, & decentiore diuini officij cultu multa grauiter & deuotiſſime ſancita. Vbi & determinatum conſtat bullatim &c, beatiſſimam deiparentem virginem Mariam ab omni penitus macula in ſua conceptione originalis culpæ ſemper fuiſſe immunem. Item feſtum Viſitationis eiuſdem glorioſæ virginis in eodem cum bulla indulgẽtiarum inſtitutum vel potius confirmatum extitit. Inſuper reformatio illa nouiſſima ordinis diui patris noſtri Benedicti, quæ tunc temporis in Saxonia monaſterio (vt dictum eſt) Cluſæ primum exorta,& ſecundario in Burſfeldia transplantata,radices altius figens, propagineſque ſuas per Germaniam paulatim dilatans, & hinc à loco propagínis Burſfeldenſis eſt appellata;in eodem ſacro concilio(quemadmodum clare in prologo diurnorum noſtrorum ordinarij continetur)& confirmata & approbata fuerat: præſidente eodem concilio domino Iuliano, ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſanctæ Sabinæ diacono cardinali, viro fidei Chriſtianæ amatore feruentiſſimo,& omnibus virtutibus tam diuinis quam humanis ornato. Attamen à pleriſque aridæ tenuisque religionis homuncionibus in contentionem deducitur; nonnullis appellantibus illud conciliabulum ſiue conuenticulum,verbis Pelagij diſtinct. XVIII innitentibus. Quo in numero fratricelos quoſdam,vt in errore ſui concepti veneni diutius graſſentur,comperio. Quos haud exin abs re Maculiſtas appellare ſolemus, quod labem quandam & conceptionis notam illibatæ immaculatæque virgini deiferæ impingere non verentur. Quem quidem errorem ſacrum ipſum concilium exploſiſſe in præcedentibus liquet. Fuerunt inſuper & alij fautores partium Eugenij,qui hanc ſynodum conuenticulum appellare præſumpſerunt. Ego vero(nihil tamen temere affirmare volens) ſacroſanctam ſynodum generalem Baſilienſem, ſactis generalibus Conſtantienſi Senenſiq; conciliis ita decernentibus & ordinantibus,atq; apoſtolica auctoritate interueniẽte, pro reductione Orientalis eccleſiæ & quorumlibet oberrantium,nec non,(vt præfatum eſt)pro reformatione totius eccleſiæ in capite& in membris debite legitimeque ac rite initiatum & congregatum fuiſſe, ab optimis hagiographis hiſtoricíſque ſcriptum comperio;tametſi glorioſum principium flebilis minusque laudabilis clauſerit finis; & iuxta illud poeticum:

Nobile principium peior fortuna ſecuta.

Cuius quidem mali cauſa potiſſima extitit ſchiſma deteſtabile ibidem exortum;propter quod mox Orientales & aliæ complures nationes à prænarrato concilio receſſerunt. Et quidem Græci & alij Orientales Florentinum concilium petentes, Eugenio papæ adhærere cœperunt: per quem eriam in eodem concilio Romanæ reconciliati & vniti ſunt eccleſiæ. Nonnulli, & præſertim Germanorum populi, aliqui videlicet non omnes,nec Eugenium neque Felicem ſequebantur. Qua de re Neutrales appellati ſunt, quorum neutralitas cum præfato ſchiſmate durauit vſque ad annum Domini MCCCCXLIX,in quo Friderico imperatore ſollicitante Felix quintus Nicolao Eugenij ſucceſſori reſignans ceſſerat. Et de hoc ſuo anno infra.

Anno Domini MCCCCXXXII, Ioannes epiſcopus noſter, & magnificus cœnobij noſtri benefactor, contulit ad inſtantiam domini Erhardi abbatis monaſterio noſtro priuilegium ſuper ripa piſcium in villa Ozzick,quod quidem ſic incipit: Æquitas & approbata conſuetudo requirit diſcrepantiam &c. Hinc eſt,quod nos Ioannes Dei gratia epiſcopus Nuemburgenſis,adv niuerſorum tam præſentium quam futurorum noticiam deducimus, & deduci volumus per præſentes,quod cum inter nos & (vt veraciter didicimus) immediatum prædeceſſorem noſtrum Gerhardum epiſcopum

pum Nuemburgenſem ex vna, nec non venerabilem patrem dominum Erhardum abbatem monaſterij Poſauienſis Nuemburgenſis diœceſis, & eius anteceſſorem immediatum, de & ſuper ripa deſcendente à ligneto vulgariter nuncupato *das Grabholtz*, vbi incipiuntur bona villanorum pagi Oſſeck, & terminatur vſque ad limites vbi incipitur piſcatura Burchardi de Comitz, ſubtus molendinum ibidem in Oſſeck, &c. Ideo taliter certiorati & informati ſufficienter, non volentes de cætero contendere ſuper his, neq; eundē dominum abbatem Erhardum aut ſuos ſucceſſores impetere quomodolibet in eiſdem ſponte, realiter & rite, deliberate & libere, ceſſimus & cedimus pro nobis & noſtris ſucceſſoribus omni impetitioni, actioni, diſceptationi, ac quibuslibet impedimentis motis & mouendis ſuper ripa & iure piſcandi ſupra dictis. Ad ampliorem quoque corroborationem, & firmitatem perpetuam concordiæ & pacis, recognitionis & ceſſionis, idem dominus Erhardus abbas augmentando argentea menſæ noſtræ epiſcopalis vltro & gratuite obtulit & dedit pro ſui & noſtra reuerentia quendam ſcyphum de quarta, media marchia argenti, valoris quadraginta quinque florenorum, &c. Acta ſunt hæc anno quo ſupra, dominica Exurge.

Eodem anno, Sigiſmundus Cæſar ab Eugenio Romę imperiali diademate coronatur, apparatu ingenti. Quo etiam anno, totam pene per Teutoniam vina ac frumenta, arborum deniq; flores frigore perierunt. Proinde tanta cariſtia ſecuta eſt, vt modius ſiliginis vſualis XXXIII groſſis venderetur.

Anno Domini MCCCCXXXIII, Conradus de Dune Archiepiſcopus Moguntinus obijt, cui ſequenti anno Theodericus Schenck de Erpach ſucceſſit.

Anno Domini MCCCCXXXIV, Ioannes Epiſopus noſter migrauit ab hoc ſeculo, in eccleſia Citzenſi cum tali ſepultus epitaphio.

Hic M, bis bina C, ter X, his quatuor addes,
Iuris doctorem ſubtraxit tumba Ioannem
De Sleinitz genitum, præſulem eximium,
Nuenburgenſem herum, clero, plebi quoq; gratum;
Andreæ feſto: Deus alme memor eius eſto.
Noua foſſata conſtruxit gyro murata,
Turres cum ponte retro fundauit & ante.
Contra Huſſitas, orthodoxis inimicos.

Epitaphium tamen prætatum lima eget, quia à lege metrica ſatis aberrat, & (vt aiunt) claudicat. Verum id parum facit ad rem quam ſcrutamur. Non enim ſyllabarum pondere, ſed rerum geſtarum ordine hiſtoriarum latitat veritas. Quæ quouis idiomate exprimitur, quouis verborum ſchemate diſſeritur, nil intereſt: dummodo ipſa rerum veritas vere & inconcuſſe tranſmittitur ad poſteros. Per id tamen in indocte epigraphantium ineptias excuſatas habere minime volo: de quibus quid ſentio, in ſequentibus ſub Petri præſulis dicam epitaphio.

Ioanne itaq; de Sleinitz ita in Chriſto defuncto atq; ſepulto, Petrus ei ſucceſſit, vti ſequenti dicetur capitulo.

PEtrus primus, in numero epiſcoporum Nuemburgenſis eccleſiæ XXXIII, exſtirpe & domo nobilium de Haugwitz dictorum originem ducens, Ioanni defuncto ſuccedens annis præfuit viginti nouem. Fuit autem Licentiatus iuris pontificij, magnanimus & prouidus, ſed eloquio balb⁹ & tremulus. Cuius temporibus Huſſitæ multa mala per bella & direptiones huic territorio intulerunt. Quam calamitatem auxit vehemēter paulo poſt diſcordia exorta inter principes Fridericum & Wilhelmum, qui mutuo diſſidentes proprias terras & prouincias pene irrecuperabiliter flamma & framea deuaſtauerunt. Fridericus dux Saxoniæ, & elector imperij, aſſumptis copijs Doringiam in odium & iacturam fratris ſui Wilhelmi vexabat & vaſtabat. Wilhelmus contra ſe vldeſtruens, multiſq; oppidis vi & armis expugnatis, & demum ſpoliatis, maximam cundarum rerum prædam abduxit: de quibus omnibus infra ſuis locis quibus geſta ſunt, dicetur latius.

Anno primo Epiſcopi Petri, qui eſt annus Domini MCCCCXXXV, Miſna ciuitas inſignis, & epiſcopalis pariter & ducalis, quam olim Henricus Auceps primus

cius nominis rex Romanorum fundauerat,& in qua filius ipsius suus Otto primus cognomento Magnus episcopatum instituerat, pro medietate pene flammis exusta est. Quo etiam anno modius siliginis pro viginti vendebatur grossis. Et quia Misnæ inclytæ ciuitatis mentio facta est, huius quoq; prouinciæ quæ ab eadem Misna siue Misnensis appellatur, situm describere operæprecium duxi. Misna itaq; quæ regio est Germaniæ, ad Albim flumen posita est. Abortu Solis haud longe absunt Vindali, id est Sclaui: à meridie Bohemi: à septentrione Saxones: ab occasu Libonotria est, cuius caput Lips habetur, cui fines Sala & Muldauus amnes præscribunt. Vltra Salam Doringi sedes habent. In ea multæ sunt opulentissimæ ciuitates, munitissimaq; castella. Quam olim Calucones, Danduti, Ptolomæo teste, inhabitarunt. Libonotriam vero Herthani, Eudosi, Varini atq; Suardones tenuerunt, qui postea in vniuersum Sorabi vel (vt Erasmus Stella scribit) Serabi dicti fuerunt. Regio adeo in omni frugum genere fœcunda, vt cunctis fere circumiacentibus prouincijs ad abundantiam sufficiat. Patet hoc per aurigas complures qui vsque hodie nil pene negotiantur, quam quod frumenta hic empta exteris inferant terris, seque aliosue eiusmodi pascant commercio. Quin etiã ipsi Bohemi, cum superiore anno apud eos frigore sata deperissent, multis vectu-ris ex Misna in suam duxere prouinciam. Quod quidem fuit pene mirum, quia rarum, cum ipsi regionem habeant frugiferam, & cunctis rebus, salem præter, fertilem. Curiones autem, & Cammanni, ac Prætoriani, & similes prouinciales superiores, hebdomadatim pene veniunt, & frumenta deferunt, & id in autumno maxime: nihil autem præterquam asseres, & apta ædificijs lignamina introferentes. Porro Doringia partim Hessos partim Ostrofrancos (qui & inconcinne Francones appellantur) pascit & enutrit. Hi tamen, vt frequenter cum bigis venientes vina adferunt optima, & non habentes pretium plerumque argenti delectabili nobilique concambio frumenta assumunt pro vino, & lætantes redeunt ad propria. Veruntamen ob nimiam plerumque annis sterilioribus frumentorum deuectionem, pauperioribus etiam nostratibus oboritur grauamen, dum videlicet frumenta minorantur, & precium crescit.

Anno Domini MCCCCXXXVI, Fridericus Austriæ archidux, qui exposit factus est imperator eius nominis tertius, ad terram sanctam trans mare profectus est.

Anno Domini MCCCCXXXVII, Ludewicus dux Baioariæ, & comes palatinus filius Ruperti imperatoris, obijt, auus episcopi nostri Philippi, nostra nunc qui tempestate Nuemburgensi præsidet ecclesiæ. Reliquit autem ipse Ludwicus tres filios; Ludwicum videlicet, & Fridericum, duces seculares, & Rupertum Episcopum Colonien-sem. Luduici vxor fuit filia ducis Subaudiæ, qui & Felix pro tunc quintus, & obijt sine hærede. Post cuius obitum Fridericus solus principabatur potenter. Complura bella peregit. Imperatori semper rebellis fuit. Adeo bellicosus, quod quodã prelio tres principes, marchionem videlicet Badensem, & comitem Wirtenbergensem ac Episcopum Metensem simul & semel ceperit victos & subactos: quorum vexilla vsq; hodie supra tumbam eius Heydelbergæ in ecclesia sancti Spiritus suspensa cernuntur. Hoc tamen bellum longe post contigit, anno scilicet Domini MCCCCLXII, vt etiam infra succincte tangetur, & obiter. Porro Rupertus Archiepiscopus Colonien sis & elector imperij tumultuarius extitit, & maximi exin causa belli, de quo latius infra, anno Domini MCCCCLXXV.

Anno Domini MCCCCXXXVIII, Concilium Basilien se cœpisse multi scribunt. Attamen ego (vt supra memoraui & scripsi) illud cœpisse anno Domini MCCCCXXXI, in actis eiusdem concilij impressis legi. Hoc nihilominus anno in flore fuit, & cum gloria diuulgatum per orbem. Quo etiam anno Eugenius Papa citatus, cum comparêre dissimularet, imo concilium floccipenderet, & id ipsum (præfatum vt in præcedentibus est) reuocando destruere satageret, nec expectatus per annum resipisceret, sequenti anno depositus fuit. Vnde grandis altercatio scribentium de hac materia pro & contra exorta tunc fuit. Nec poterant concordari vsque hodie:

hodie: pleriſque cum concilio Conſtantienſi, & hoc præſenti, ac cum Gerſone, & alijs magnis doctoribus, dicentibus concilium eſſe ſupra Papam: alijs econtra aſſerentibus non, ſed Papam eſſe ſupra concilium. Deus dignetur ſua gratia inſpirare quod verius eſt, pro pace & conſeruatione eccleſiæ ſuæ ſanctæ, Amen.

Anno Domini MCCCCXXXVIII, eodem videlicet de quo ſupra, Albertus dux Auſtriæ, gener Sigiſmundi, communi voto principum Imperator Romanorum factus eſt, vir armorum gloria inſigniſſimus. Præter cætera præclara facinora Huſſitas, ferociſſimos Romanæ eccleſiæ hoſtes, horrendo ſuperauit bello, & vehementer attriuit; & funditus, ſi longiore vita functus fuiſſet, è viuis ſuſtuliſſet. Ipſe equidem, proh dolor, ſicut celeriter creuit, ita & cito defecit. Non equidem plene biennio imperium tenuit; clamante populo, quod tanto principe dignus non fuerit mundus. Maxima etiam propoſuerat contra Thurcas, ſed morte præuentus immatura perficere non valuit.

Eodem anno Gũtherus archipreſul Parthenopolitanus diem clauſit extremum: cui Fridericus ex comitibus de Bichling, vir doctus & magnæ vitæ, ſucceſſit.

Anno Domini MCCCCXXXIX, Eugenius Papa in concilio Baſilienſi deponitur. Manſit tamen papa indubitatus vſque in finem vitæ ſuæ, maiorem & potiorem ſequelam habens. De quo, & Felice qui contra eum hoc anno electus fuit, vide ſuprà latius, anno Domini MCCCXXXI.

Eodem anno, Chriſtophorꝰ Baioarię dux factus eſt rex Daciæ, Norwegię & Sueciæ. Quo etiam anno peſtis magna graſſabatur per Alemanniam.

Eodem anno, indictione ſecunda, XXVI die menſis Aprilis quæ fuit Dominica Iubilate, celebratum eſt decimum capitulum prouinciale Moguntinenſis & Babenbergenſis diœceſium, in monaſterio ſancti Ægidij Nurenbergæ, ordinis ſancti Benedicti: in quo præſederunt reuerendi patres, domini abbates: Hartungus Erphordenſis, Georgius ſancti Ægidij ibidem, Nicolaus ſancti Blaſij, & Henricus Amerbacenſis.

In quo capitulo fuit præſentata & acceptata bulla Baſilienſis concilij ſuper reformatione ordinis noſtri prædicti per prouinciam Moguntinam ac diœceſin Babenbergenſem: ad cuius expeditionem duodecim prælati in eodem concilio de ordine & prouincia prædictis fuerant deputati, &c.

Prædictum denique concilium Baſilienſe, anno eodem ſcilicet Domini MCCCXXXIX, dedit ordini noſtro bullas cum facultate abſoluendi ab omnibus cenſuris & pœnis, quo ad eos qui ſe regulari obſeruantiæ ſubmittunt animo & intentione huiuſmodi obſeruantiam continuandi. Et eſt priuilegium ampliſſimum quo ad irregularitatem, infamiam, & alias pœnas ac cenſuras, & durat vſq; ad alterius generalis concilij vel ſedis Apoſtolicæ reuocationem expreſſam.

Anno Domini MCCCCXL, Fridericus archidux Auſtriæ concordi electorum conſenſu Francofordiæ cis Mogum Romanorum rex effectus eſt, dictuſq; Fridericus tertius, de quo in ſequentibus locis congruis dicetur opportunius.

Eodem anno Ioannes de Dune, Epiſcopus Herbipolenſis, obijt: cui Sigiſmundus ex ducibus Saxoniæ, Friderici videlicet & Wilhelmi ſupra memoratorum ducum frater, ſucceſſit: præfuitque annis ferme tribus. Reſignauit equidem anno Domini curam præſularem MCCCCXLIII, de quo infra.

Anno Domini MCCCCXLIII, Sigiſmundus præfatus Epiſcopus Herbipolenſis vt patuit, reſignauit, cui Godefridus eius nominis quartus, ex baronibꝰ de Lymburg, ſucceſſit, præfuitque annis duodecim. Quo etiam anno frigore & niue vina perierunt.

Anno Domini MCCCCXLV, inter Fridericum ducem Saxoniæ, & imperij electorem, & fratrem eius Guilhelmum æque ducem Saxoniæ ac Doringiæ Landtgrauium, grauiſſima exorta diſcordia eſt. Qua concitati, alterutrum terras ſuas hoſtiliter & miſerabiter ferro, & igne deſolauerunt. Et durauit hæc diſcordia cum exterminio prouinciarum & bonorum vtrorumque per quinque annos. Guilhelmus tamen auxilio Bohemorum maiora Friderico in Miſna intulit damna, quam Fridericus

illi in Doringia. Qui tanquam dux & pius princeps Doringiam cum exercitu ingreſſus, ſeipſum vincens eam intuitu pauperum pene intactam reliquit. Propter eiuſmodi denique guerras plures expoſt memorati duces habuerunt diætas, in Hallis videlicet, in Nurenberga, & in Mulhuſen: ſed bonum pacis & concordiæ quod quærebatur, Apollinaris vulgo Appel de Vitzthum dictus ſemper impediuit, proditor &c. de quo infra.

Anno Domini MCCCCXLVII, Eugenius Papa defunctus eſt, cui Nicolaus quintus ſucceſſit, & præfuit laudabiliter & ſancte annis quinque. Cui etiã Felix quintus antipontifex ſponte ceſſit, gratus & acceptus cunctis prælatis & principibus. Fridericum patrem Maximiliani coronauit, & Bernardinum Minoritanum in diuos retulit. Viros doctos fouit & dilexit. Bibliothecam librorum locupletiſſimam habuit, & ipſe theologus præualidus. Fuit ſenſu diues, & aptus ad ſingula. Ideo paulatim obedientiam obtinuit, mirantibus cunctis, cum conditionis humilioris extiterit. Anno ſuo quarto iubilæum Romæ celebrauit: de quo, & cæteris eius geſtis, & infra ſuis annis dicetur amplius.

Anno Domini MCCCCXLVII, Miſna ciuitas præterpaucas domos & caſtrum tota exuſta eſt crudeliter, in die ſanctorum Ioannis & Pauli martyrum, ſub diſcordia principum. Quare & proditorie ſuccenſa præſumitur.

Anno Domini MCCCCCXLVIII, Henricus Reck abbas noſtri monaſterij præſtantiſſimus campanam noſtram illam maiorem & ſonoram fundi fecit in die commemorationis beati Benedicti abbatis, vt in ipſius campanæ legitur circumferentia.

Anno Domini MCCCXLIX, Albertus marchio Brandenburgenſis contra Nurenbergenſes bella mouere cœpit, vrbem eorum valida obſidione cingens, & per gyrum agros villaſq; depopulans. Parum tamen profecit. Vrbi etenim & incolis nocere minime valuit. Quin imo ab eiſdem fortiter & ſe & vrbem propugnantibus magna vice verſa damna & inſultus pertulit. Quamobrem licet tardius & victor & victus obſidionem ignominioſe ſoluere coactus eſt. Habuerunt equidem inuicem complura etiam extra vrbem certamina, quibus iam Albertus, modo Nurenbergenſes ſuperiores erãt, quanquam ipſe crebrius triumpharit. Vltimo tamen congreſſu penitus ſuperatus fuit. Erat nihilo ſecius Albertus ille vir præliator, & quidem fortiſſimus, qui & multa & præclara diuerſis in prouincijs etiam contra Huſſitas ſub Alberto Cæſare opera bellica peregit magnifice: cuius etiam nomen, cultum, magnumq; ex eo tempore per orbem eſſe cœpit. Habuit plures liberos, quos inter Ioannes & Fridericus præſtantiores effulſere. Ioannes duxit vxorem Margaretam, filiam Guilhelmi Landgrauij Doringiæ, quæ peperit ei Ioachim, qui nunc in marchia Brandeburgenſi principatur, & Albertum Moguntinenſis & Magdeburgenſis ſanctarum eccleſiarum archiantiſtitem, nec non Halberſtatenſis eccleſiæ adminiſtratorem mirificum. Mirum equidem eſt, & pene ſtupendum, inauditumq;, quod vnus homo, vnicus paſtor & præſul, tot & tantis præſit Epiſcopatibus. Sed & de hoc in ſequentibus, quæ nunc miſſa faciam breuitatis intuitu. Porro Fridericus, frater Ioannis, vir ſtrenuus, primo Annam habuit vxorem. Quadefuncta duxit Sophiam, filiam Caſimiri regis Poloniæ, natam ex Elizabeth ſorore Ladiſlai, regis Bohemi, adoleſcentis nobiliſſimi. Quæ peperit ei complures & filios & filias; Caſimirum videlicet, Georgium, marchiones Brandẽburgenſes ſeculares, Fridericum quoque præpoſitum Herbipolenſem, & alios quorum mihi vocabula ſunt incognita. Et prænarrati quidem ſequentibus principati ſunt temporibus. Nam hoc æuo marchiones adhuc ſeniores rexerunt, Albertus videlicet ille ſupra memoratus, armipotentiſſimus Nurenbergenſium æmulus, & frater eius Fridericus, marchiam inferiorem id eſt Brandenburg poſſidens, habens conthoralem Catharinam ſororem Guilhelmi & Friderici ducum Saxoniæ, nunc pariter diffidẽtium, quæ peperit ei duos filios, Eraſmum & Ioannem, qui ambo ſine hærede defuncti ſunt. Fuit inſuper & alius Fridericus frater Alberti, qui in antiqua marchia dominabatur. Cuius vxor Agnes filia ducis Pomeraniæ nomine Magdalena. Et iſte Fridericus cognominatus eſt Pinguis, & obijt ſine hærede maſculo. Sicque marchia vetus quam poſſederat, deuenit ad

ad fratrem ſuum Fridericum ſeniorem. Quo tandem poſt plures annos defuncto, vtraque marchia ad Albertum fratrem eorundem bellicoſum illum deuoluta eſt, vt infra patebit.

Viri illuſtres qui claruerunt per id tempus.

Paulus Vergerius, & Græce & Latine eruditiſſimus.
Maphæus Vegeus, orator & poeta non vulgaris.
Leonardus Iuſtinianus, vir magni ingenij, & Græce doctus.
Nicolaus Eboycus.
Ioannes Tortellius, vtriuſq; linguæ Græcæ & Latinæ peritiſſimus, Nicolao pontifice ſummo gratiſſimus.
Laurentius Vallenſis, & (vt aiunt) canonicus, & ipſe Græce Latineque eloquentiſſimus, & Latinæ linguæ exactiſſimus cenſor & corrector. Vnde & tale promeruit epitaphium:

Nunc poſtquam manes defunctus Valla petiuit,
Pluto non audet verba Latina loqui:
Iuppiter hunc cæli dignatus parte fuiſſet,
Cenſorem linguæ ſed timet eſſe ſuæ.

Gregorius Tiphernas rhetor, vtriuſq; linguæ eruditus.
Georgius Trapezuntinus, & ipſe Nicolao papæ familiaris.
Ambroſius Camaldulenſis, generalis abbas, Græce & Latine peritiſſimus, & ſummus theologus.
Nicolaus Siculus, Archiepiſcopus Panormitanus, ordinis ſancti patris noſtri Benedicti, omnium Iuriſtarum ſui temporis facile princeps, cuius ſcripta apud Iuriſconſultos auctoritatis ſunt maximæ.
Ioannes de Turre cremata, cardinalis, ordinis prædic.
Ioannes Nider, theologus celeberrimus, eiuſdem ordinis.
Antoninus archipræſul Florentinus eiuſdem ordinis.
Ioannes Capiſtranus, prædicator verbi Dei excellentiſſimus & feruentiſſimus, beati Bernardini diſcipulus. Mira egit contra Thurcos in paſſagio. Fuit ordinis Minorum.
Nicolaus Dorbellus, diſputator acerrimus, ordinis eiuſdem.
Ioannes Herph, theoſophus integerrimus, ordinis eiuſdem.

Anno Domini MCCCCL, Guilhelmus dux Saxoniæ, & Landtgrauius Doringiæ iunctis ſibi Bohemis hoſtiliter Miſnam prouinciam ferro & incendio vaſtauit, Bohemis tunc crudelius graſſantibus, & oppidorum expugnatione ſæuientibus. Tunc etenim Mitweide, Dobeln, Lombitz, Geraha, Aldēburg oppida, expugnata & capta diripuerunt, & plerunq; igne iniecto incenderunt. Dominum N. & baronem de Geraha captum in Bohemiam duxerunt, vbi etiam poſt aliquot annos in captiuitate obijt. Maluit quippe optimus vir exul & captus mori, quam cum pauperum ſuorum grauamine & iactura pecunia redimi magna. Fridericus itaq; dux Saxoniæ & marchio Miſnenſis, percipiens ſuarum vaſtationem terrarum, hoſtili & ipſe exercitu Doringiam ingreſſus, non minora Guilhelmo intulit damna; licet antea (vt ſupra dictum) clementius intuitu pauperum pius princeps egerit. Et ita vſq; nunc illud antiquum Flacci poetæ verificatur dictum: *Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.*

Anno Domini MCCCCLI, principes noſtri, Fridericus videlicet & Guilhelmus fratres, poſt diutinam & pernicioſam diſcordiam tandem hoc anno in pacem & concordiam mutuam redierunt. Moxq; Apollonius vicedominns vulgo dictus Appel de Vitzthum, vir alioqui potens & ſagax, qui inter fratres duces memoratos zizanium ſeminarat, & ſimultates nutrierat, omnibus ſuis bonis, & caſtris, & prædijs, & priuatus eſt, & irreuocabiliter proſcriptus, & fugatus à principum noſtrorum prouincijs.

Anno Domini MCCCCLII, Fridericus Cæſar eius nominis tertius, Ro-

mæ per Nicolaum pontificem summum vna cum sua conthorali Leonora, regis Portugaliæ siue Lusitaniæ filia, (quam eodem anno duxerat) diademate coronatur. Quem quidem nostri plurimum varijs de naturæ dotibus commẽdant historici. Sed Antoninus archipræsul Florentinorum qui dictæ coronationi interfuit, aliter de eo & sentit, & scribit in hæc verba: Nihil, inquiens, imperialis maiestatis visum est in eo, nec libertas, nec liberalitas, nec sapientia; cum quasi semper per alium loquebatur, sed multa cupiditas cum munera honeste quæreret, & libenter acciperet. Demum reuersus est in domum suam cum modica opinione virtutis suæ. Hæc ille præsul doctrina & conuersatione indignissimus, quem mentitum fuisse non facile crediderim. Quem quidem citaui aduersus nostrates qui hunc Cæsarem Fridericum adhuc in humanis degentem supra modum beatificauerunt, & veluti omnigena virtute suffultum ad astra vsque encomijs (ne dicam adulatorijs suis nænijs) tulerunt. Fuit (inquiunt) vir bonus & pacificus. Et id ego prorsus & noui, & affirmo. Ad quid autem hæc sua pax Christianis in vltimis Romani imperij finibus, immo & visceribus ab immanissimis Turcis expugnatis, & innumeris pene in diram captiuitatem abductis, profuit? Sibi quidem & Alamannis hæc sua tranquillitas vtcunque profuit, infinitis autem alijs (vt fatus sum) ineffabiliter pernicioſa & turbulentissima extitit; cum & Constantinopolis & tota Græcia sub eius imperio deperdita fuerit. Habuit quidem eam ob rem plures conuocationes siue diætas regni & principum, nullam autem vnquam expeditionem bellicam in Thurcos produxit, vt & infra suis locis amplius patebit.

Anno Domini MCCCCLIII, Machometes imperator Thurcorum, anno imperij sui tertio (Amarathus quippe pater suus obijt anno MCCCCL) Constantinopolim, Orientis imperij sedem, terra marique plus quam cum CCC millibus hominum, LXVI diebus continue obsessam & oppugnatam, tandem vi & armis cepit: imperatore ipso Græcorum Constantino Palæologo ex matre Helena genito, nec non patriarcha eorum cum omnibus Christianis masculis ad instar pecudum trucidatis, mulieribus abductis, raptisque virginibus. Et hoc quidem vigesimo octauo die Martij miserabilissimum factum est excidium, & (vt fertur) proditione cuiusdam Iannensis, qui iuxta promissum per Thurcam constitutus rex per triduum, quarto die eiusdem iussu decollatus fuit. Et fit planctus in tota Christianitate, & timor grandis: periit siquidem pene totaliter ipsa fides Christi in Græcia, fidelibus passim peremptis, passim captis, omnibus autem prorsus profligatis. Porro calamitatem prædictam & expugnationem Græci passi referuntur Dei vltione ob peccata eorum, præsertim perfidiæ & inobedientiæ. Nuper enim sub Eugenio Papa in concilio Florentino Romanæ ecclesiæ reconciliati & vniti, paulo post recidiuantes denuo ab obedientia prædictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ recesserunt, ac pristinis se erroribus, vtpote de processione Spiritus sancti, deque in fermento consecratione, & similibus, impiauerunt: propter quæ etiam iram Dei incurrerunt. Quam nihilominus & nos formidare valde debemus, qui non minoribus, immo grauioribus, vtpote Simoniæ, auaritiæ, ambitionis, ac libidinis, turpissimis irretimur sceleribus. Quæ nisi pœnitudine & vitæ emendatione expiare curauerimus, simile exitium per Dei indignationem & Thurcorum infestationem nobis imminere non dubitemus. Qui enim illis non pepercit, nec nobis parcet. Iam enim securis ad radicem arboris posita est, iam continuis armis & classibus Thurcus fidelium litora pulsat. Et nostra res agitur, paries quum proximus ardet. Nihil siquidem aliud cogitat & comminatur, nihil adeo cupit, quam quemadmodum Romanam ecclesiam cum suo imperio ac tota Europa suæ possit subijcere potestati. Satagamus ergo mores nostros corrigere, vitamque emendare, vt & Deus in cuius manu omnia sunt iura regnorum, & gratia & ineffabili sua potentia nos à Turcorum furoribus & conseruare & defensare dignetur, ad laudem & gloriam nominis sui, Amen.

Anno Domini MCCCCLIV, Ioannes Capistranus vir sanctæ vitæ, & magnæ doctrinæ, prædicauit feruentissime per Germaniam, & Liptzs prædicando aleas omnes posquendam sermonem comburi fecit.

Circa

Circa id tempus ars imprimendi libros primum in Germania exorta est Moguntiæ per Petrum Gutembergum, equestris ordinis virum, qui solertissimo ingenio nouam scribendi artem, simul & nouum atramenti genus quo impressores tantum vtuntur, excogitauit. Magnum certe ac vere diuinum munus. Tantum enim vno die ab vno homine literarum imprimitur, vel (vt Latinius loquar) formis excuditur, quantum toto anno à pluribus scribi non potuisset. Quod vno versu Campanus ille disertissimus Aprutinus pontifex elegantissime expressit:

Imprimit ille die, quantum non scribitur anno.

Prædictis quadrat illud Germani poetæ. Ita enim per quandam excellentiam Dotorem Sebast. Brant appellare soleo.

Nuper ab ingenio Rhenanæ gentis & arte
Librorum emersit copia larga nimis.
Et qui diuitibus vix regi obuenerat olim,
Nunc liber in tenui cernitur esse casa:
Gratia Diis primum, mox impressoribus æqua
Gratia, quorum opera hæc prima reperta via est.
Quæ doctos latuit Græcos, Italosq; peritos
Ars noua, Germano venit ab ingenio.

Anno Domini MCCCCLV, Nicolaus pontifex summus Romæ debitum naturæ soluit, anno pontificatus sui octauo: cui eodem anno successit omnium consensu cardinalium Calixtus tertius, homo decrepitus, habens LXXXVI pene annos, adhuc tamen viribus vegetus dum eligeretur: licet paulo post deficere cœperit. Fuit autem vir magnæ prudentiæ, iustitiæ & æquitatis, bonæ vitæ, & laudabilis famæ, insignisque canonista.

Eodem anno, Godfridus episcopus Herbipolensis obiit: cui Ioannes de Grumpach, eius nominis tertius, suffectus in pontificatu ecclesiæ Wirciburgensi præfuit annis vndecim.

Eodem anno principes adolescentiores, Ernestus videlicet & Albertus fratres, filij Friderici supra memorati ducis Saxoniæ, ex castro Aldenburgensi per Contadum Kauff audacissimum equitem subtracti fuerunt nocte, & abducti. Sed ab insequentibus, dum in Hercynia sylua apud quendam carbonarium pueros lassos & famelicos reficeret, deprehensus, cum ipsa nobilissima præda cum ingenti Friderici ducis & prouincialium lætitia reductus est, & capitali sententia plexus. Ernestus patri exposit successit in ducatu & electoratu, duxitq; vxorem Elizabeth, filiam Alberti ducis, Bauariæ, de quo etiam infra sub anno defunctionis eius dicetur amplius. Porro Albertus factus est strenuissimus atque bellicosissimus. Quare & Teutonicus dictus est Achilles. Multis siquidem bellis interfuit: multa prælia fortissime gessit. In Sicambria enim, id est Gelria castra posuit, Batauos, id est Holandinos, acie fudit, Eburones, id est Probantinos, in ditionem accepit, vbi à Mechlinis instar numinis veneratus est, licet à Pruxellensibus, quod eos in vniuersum omnes genibus serpentes, & claues ciuitatis obuiam ferentes, vix ægre in gratiam receperit, magis timeretur quam amaretur. Morinos, id est Flandros, ex quibus ingentes prædas tulit, Maximiliano subegit. Nullus est præterea in Germania angulus, quem non calcarit. Armatus duxit exercitus innumerabiles, prostrauit ferocissimos hostes, Frisones maximis cladibus affecit, & totam eorundem prouinciam præter Gruningen (vt infra dicetur) iugo parere fecit. In congressionibus denique pugnam prior ipse semper iniit. In expugnatione oppidorum sæpe murum primus adscendit. Ad singulare certamen crebris vicibus inuitatus, nunquam detrectauit, neque vnquam non prostrauit hostem. Et cum esset non minus religione imbutus, quam armis, quotidie Deum orabat, vt sibi contingeret pro Christi fide aduersus Thurcos mortem oppetere. Quibus ex rebus non iniuria alter Carolus Magnus, & Teutonicus Hector, Germanicusque Rolandus appellatus. Ast hæc hactenus amore principum nostrorum dicta sufficiant.

Anno Domini MCCCCLVI, Thurcorum circiter centum millia interfecti sunt prope Taurinum oppidum, quod nostra ætas Albam vocat, ad confluentes Danubij Sauique situm. Et id factum est à Christianis cruce signatis, Ioanne Capistrano

pugnantibus Christicolis imaginem crucifixi ostendente,& clamante. O Deus, O Iesu, vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, veni in adiutorium genti tuæ. Bellum ipsum gestum est in die sancti Sixti papæ & martyris. Propterea eodem die Calixtus papa ob Dei laudem & rei memoriam festum Transfigurationis instituit.

Anno Domini MCCCCLVII, Ladislaus Bohemiæ & Vngariæ rex, filius Alberti imperatoris, nobilis & pulcherrimus ac potentissimus adolescens, in ipso ætatis suæ flore, cum iam sibi sponsa filia regis Franciæ splendidissimo apparatu adduceretur, Pragæ venenatus miserabilirer interiit, optim⁹ & Christianissimus rex. Hinc exclamat Æneas Syluius in historia Bohemorum cum stupore. O inanem gloriam! Quid dignitates, opes, potentiam tantopere flagitamus? Ladislaus nobilissimus adolescens, duo de viginti natus annos, in ipso ętatis flore tot regnis & gentib. imperans, intra XXXIII horas postquam ægrotare cœpit, extinctus est, & sepultus VIII calendas Decembris, iuxta proauum suum Carolum quartum in æde sancti Viti Pragæ. Hæc ille.

Eodem anno grossi monetarij primo gladiati sunt & percussi, & in primis XXVIII fecerunt florenum.

Eodem anno Matthias Huniades filius, Ladislao veneno subtracto, in Pannoniarum & Bohemiæ regē sublimatus, qui miranda post prælia contra Thurcos peregit.

Anno Domini MCCCCLVIII, Calixtus pontifex Romanus, magnifici cordis & spiritus, senex Romæ 8 idus Augusti obiit: cui eodem anno Pius eius nominis secundus, Æneas cognomento Picolhomineus antea vocatus, natione Italus, Senis oriundus, patrum omnium consensu tertio decimo calendas Septembris pontifex creatus successit; philosophus, orator, poeta, nec non theologus præstantissimus, cultor iustitiæ & religionis, admirabilis eloquio, Friderico imperatori charissimus, cui etiam ante papatum per complures annos archicancellarius & ab epistolis fuit. Erat denique ecclesiasticæ libertatis acerrimus tutator & auctor. In hoc tamen reprehensibilis apparuit multis, & intolerabilis, quod pro episcoporum confirmatione & palliorum collatione nimium exigens, ecclesias grauabat. Eam etenim ob rem, cum archiepiscopus Moguntinus ob bella præcedentia extenuatus, summam magnam quam exigebat dare non posset, neque iurare vellet, ipsum deposuit, & alium qui dare posset, illi subrogauit. De quo in sequentibus anno Domini MCCCCLXII dicetur amplius.

Eodem anno, Theodericus Schenck de Erpach, archiantistes Moguntinus, qui etiam Erffordiam intrans honorifice susceptus fuerat, migrauit à seculo; cui immediate Dietherus comes de Ysenberg successit. Qui cum grandi pecunia annatas soluere nequiret, per papam (vt prædictum est) fuit amotus, & loco eius Adolphum de Nassaw archiepiscopum fecit. Hinc secuta sunt bella plurima, cuius etiam tempore capta est (vt infra dicetur) nobilis ipsa & vetustissima Moguntia. Attamen post obitum Adolphi Dietherus rursus in archiepiscopum consensu totius & cleri & populi electus fuit. Et de hoc infra.

Eodem anno Machometes Thurcorum imperator Corinthum expugnauit, atque in omni Peloponneso tributa imposuit, Demetrio & Thoma fratribus Palæologis discordantibus. Væ ergo principibus nostris, si in aduentu Thurcorum bellico discordes reperti fuerint. Cōcordia equidem vnanimitatem facit, vnanimitas victoriam parit. Vnde pulchre vereque Crispus inquit: Concordia paruæ res crescunt, discordia res maximæ dilabuntur.

Anno domini MCCCCLIX, Erphordenses iurauerunt Friderico duci Saxoniæ, & Marchioni Misnensi, in Gotya, semper bini & bini. Sed iuramentum cito fregerunt. Eodem anno, Fridericus Cæsar Viennæ in castro suo fuit obsidione ciuium conclusus, sed paulo post liberatur. Quo & anno factus est Vngariæ rex. Eodem Maximilianus anno natus est in Austria. Eodem quoque anno Mauhemetes Thurcorum imperator, expulso Thoma Palæologo, & fratre secum deducto, Peloponnesum occupat. Eodem ibidem anno Trapezuntij rege capto & interempto Pontum obtinuit. Id tamen alij dicunt contigisse anno sequenti MCCCCLX.

Anno Domiini MCCCCLX, Ludouicus dux Bauariæ, & Albertus marchio Brandeburgensis, maxima inuicem gessere prælia. Eodem anno Ludouicus cepit Eystet & Ror

Rot ciuitates, & paulo post Neustat sibi subiugauit. Quo etiam anno monasterium Carmelitarum Augustæ totum crematum est.

De viris illustribus, qui hoc tempore claruerunt.

Nicolaus Cusa Germanus, cardinalis sancti Petri ad vincula, & Apostolicæ sedis per Germaniam legatus, qui multa bona nostro ordini fecit, & pro monasteriorum * vehementer laborauit. Personaliter interfuit capitulo prouinciali Herbipolis ad sanctam Stephanum, in quo & multa salubria constituit.

Franciscus Philelphus, Græce & Latine peritissimus.

Marius Philelphus, prædicti Francisci filius, & ipse doctissimus. Inter alia rhythmos & cantilenas composuit.

Nicolaus Perotus, Sypontinus episcopus, egregius theologus, ac rhetor disertissimus. Scripsit inter alia opus varium Cornucopiæ appellatum. Ac quædam è Græco transtulit &c.

Ioannes de Bruxellis, ordinis canonicorum regularium.

Thomas de Kempis, vir angelicæ doctrinæ, & eiusdem ordinis..

Ioannes Lampsheim, qui arrham animæ edidit, eiusdem ordinis.

Iacobus de Gruytrode, Prior domus Carthusiensium prope Leodium, vir deuotus & eruditus, qui quinque illa vulgatissima pariter & clarissima prælatorum videlicet, subditorum, sacerdotum &c. quæ falso Dionysio Rickel ascribuntur, composuit speculum, & complura alia.

Bartholomæus Prior in Ruremunda, eiusdem ord. Carth.

Iacobus de Iuterbuck, cuius scripta religiosis sunt accommodatissima, omni scripturarum doctrina referta, eiusdem ordinis.

Iacobus de Paradiso, doctor luculentissimus, eiusdem ordinis.

Ioannes de Indagine, multa & pretiosa scripsit, eiusdem ordinis.

Dionysius theologus excellentissimus, qui propter multa & varia quæ eleganter & vtiliter edidit, alter Augustinus suo æuo est habitus. Ipse tamen speculorum supra memoratorum non est author. Testis est Tritemius in de Scriptoribus ecclesiasticis libro, sub titulo prædicti Iacobi de Gruy. Claruit autem iste Dionysius in Carthusia prope Erffort.

Ioannes de Viterbio, ordinis prædicatorum. Scripsit super Apocalypsim, asserens inter alia, Antichristum futurum esse Thurcum, & nō de tribu Dan, contra antiquorum doctorum sententiam.

Henricus Herph, theologus insignis, Minorum, qui & supra positus fuit cum isto Nicolao Dorbello.

Nicolaus Dorbellus, disputator acerrimus, eiusdem ordinis.

Michael de Mediolano, prædicator altisonus, eiusdem ordinis.

Herculanus de Perusio, vir literatissimus eiusdem ordinis.

Bernhardinus de Busti, doctor eruditissimus, eiusdem ordinis.

Guido de monte regali, theosophus & Canonista clarissimus, ordinis eremitarum diui Augustini.

Ambrosius Choriolanus, theologus disertissimus, ordinis eiusdem.

Antonius Rampagal, doctor imbutissimus, eiusdem ordinis.

Gosuinus, theosophię professor excellens, qui inter alia præceptorium confecit aureum, ordinis Carmelitarum.

Ioannes de Arundine, theologus eximius, eiusdem ordinis.

Ioannes Beetz, sacræ paginæ doctor clarus, eiusdem ordinis.

Ioannes Consobrinus, vir & ipse magnifice doctus, eiusdem ordinis.

Ioannes Grossi, disputator acerrimus, eiusdem ordinis.

Prædicti itaque viri præstantissimi, & complures alij quos breuitatis intuitu prætermisi, claruere circa hæc tempora, id est annum Domini MCCCCLX. Quo etiam anno, in nocte sancti Andreæ, monasterium memorati ordinis Carmelitarum in vrbe Augustensi ex toto & funditus fuit conflagratum.

Anno Domini MCCCCLXII, Fridericus, dux Baioariæ & Palatinus Rheni,

tres principes magno prælio cepit, marchionem videlicet Badenſem, comitem Wirtenbergenſem, & epiſcopum Metenſem.

Eodem anno, Ludeuicus Bauariæ dux, qui traxit originem ex collaterali palatinorum linea ab Ludouico imperatore videlicet quarto, qui & ipſe ex ſtirpe illuſtriſſimi Ottonis de Vitelspach deſcenderat, vir ſtrenuus in armis, vicit Albertum marchionem Brandeburgenſem, cum ciuitatibus imperij apud Gengen. Huius Ludouici vxor fuerat Omelia, ſoror Erneſti & Alberti, ducum Saxoniæ. Quæ quidem ei peperit Georgium ducem Baioar. qui cognominatus fuit Diues, de quo infra.

Eodem anno, capta eſt Moguntia illa vetus & imperialis ciuitas, & ſubiecta loci archiepiſcopo. Et id quidem bellum geſtum eſt in die ſanctorum apoſtolorum Simonis & Iudæ.

Anno Domini M C C C C L X I I I, Caſpar de Schonberg epiſcopus Miſnenſis obiit, cui Theodericus de Schonberg, eiuſdem videlicet ſtirpis & familiæ, vir nobilis, ſucceſſit: homo per omnia ſimplex, & rectus, ac Deum timens, qui etiam ſemper parua familia contentus optime rexit.

Eodem anno, ſtudium vniuerſale Friburgæ in Briſaugia inſtitutum eſt, & ibidem vſque in præſens floret.

Eodem anno, Stephanus ſuperioris Myſiæ rex blanditiis à Mauhumeto Thurcorum imperatore à caſtello euocatus occiditur, & vita & regno priuatur.

Eodem anno Matthias noſtri cœnobij abbas XVII calend. Nouembris obiit, cui Ioannes eius nominis ſecundus, natione Burnenſis, eodem ſucceſſit anno, de quo & in ſequentibus dicetur amplius.

Eodem anno, Petrus epiſcopus noſter appoſitus eſt ad patres, ſepultus in Czeitz, cum epitaphio eiuſmodi:

Tumba defunctos capit hæc epiſcopos omnes,
Vt patrum patres ingrediantur omnes
A Equalem ſorte ſicut in vita quoque morte.
Hanc conſtruxit dominus de Hauguitz nomine Petrus,
Doctor, & antiſtes, Deo dante, diuq; ſuperſtes,
Vt ſucceſſorum fieret capax orationum,
Sub Chriſto duo C bis, M ſemel, bis ſuperaddes
X L ſeptem. Sit Deo laus & gloria, Amen.

Sed & hoc epitaphium cenſuram expoſtulat acrem. Nam verſiculi eius ametri ſunt penitus & flaccidi, metrorum quidem ſpeciem præ ſe ferentes, legem autē eorundem non habentes. Quare demiror, q; eccleſia hæc eo tempore eruditiorē non habuerit clericum, cui commiſſum dictandi fuiſſet negotium, cui clarius metrificandi artifiſſet ingeniolum, qui etſi non Homericum, ſaltem artificiale & legitimum edidiſſet epitaphium. Et licet non ſit cuiuſuis hominis Cotinthum petere, cum nec omnia (vt quidam ait) poſſimus omnes; conſultius & prudentius egiſſet quisquis ille fuerit, ſi ſoluta oratione ſcriptitaſſet: plus equidem eo modo & defunctos præſules, & eam ipſam in qua pauſant, matrem decorauiſſet eccleſiam. Addo, quod minus intuentium offendiſſet ocellos, qui omnem publicitus affixum & deſcriptum exactius rimantur titulum. Quamobrem trutinandum ſummopere eſt, omni denique luſtrandum examine, quod cunctis legendum exponitur publice, ne dum quis alterius geſtit extollere præconium, ſibi ipſi inexpiabilem pariat ignominam. Iſte eſt denique Petrus ille epiſcopus, qui in diebus pontificatus ſui formidine quidem hoſtium, præcipue Bohemorum monaſterium monacharum noſtri ordinis, quod ſitum erat extra ciuitatem in editiore loco, in oppoſito caſtri & eccleſiæ maioris, deſtruxit penitus, & in vrbem tranſtulit, ſanctique iuxta Michaelis archangeli eccleſiam collocauit, in quo loco præſens aduſque tempuſculum militant, famulanturque altiſſimo. Porro locus primus earundem prænarratus extra muros appellatur, prout ab initio, ad ſanctum Stephanum; in cuius & honore cœnobium ipſum fundatum fuerat per reuerendiſſimum & Deo dignum Vdonem, primum huius nominis Nuemburgenſis eccleſiæ, antecceſſorem ſuum, præſulem eximium, vt in præcedentibus quoque de eo teſtatus ſum copioſius. Itaque Petro epiſcopo ita (vt dictum eſt) defuncto, ſucceſſit ei communi & vnanimi omni-

mi omnium canonicorum consensu & voto parili Georgius de Hauguitz, primus in nomine Domini, vt sequitur.

GEorgius eius nominis primus, & ipse de nobili Hauguicensium prosapia exortus, anno Dominicæ incarnationis supra memorato MCCCCLXIII, vicesima nona die mensis Septembris, in pontificem ecclesiæ Nuemburgensis electus est. Vir etiam ante electionem memorabilis & potens. Fuerat siquidem & Citzensis & Nuenburgensis ecclesiarum simul præpositus, & insuper (vt fertur) & Herbipolensis atque Merseburgensis canonicus magnus. Verum ad tanti fastigij honorem euectus parum superuixit. Nam duodecim duntaxat sedit dies, in ipso præsulatus quodammodo extinctus limine. Sicque defunctus tumulatus est in Czeitz in antecessorum suorum sarcophago. *Sic breuis atq; leuis in mundo est gloria quæuis.* Successit autem ei Theodericus de Burgsdorff anno eodem sed mense sequenti, vt infra nunc sequitur latius.

THeodericus III de Burgsdorff cognominatus, an. Dom. quo supra MCCCCLXIII, indictione Romanorum XI, mense Octobri Nuenburgensis ecclesiæ factus est præsul, anno autem sequenti (vt infra dicetur) coronatus. Hic & studio & disciplina Lipsensis fuerat, eiusdem gymnasij iuris vtriusque ordinarius, vir per omnia in secularibus literis imbutissimus, & diuinarum scripturarum cognitione nobiliter instructus, philosophus & theologus, nec non canonista præstantissimus, non modo præsentibus, sed & posteris vtilis & proficuus. Edidit siquidem inter cætera ingenij sui monumenta repertorium in iura Saxonum vtilissimum. Quapropter mortuo Georgio in eius locum tanquam bene meritus suffectus est, in quo præfuit eleganter & inculpate annis tribus. Obiit enim anno Domini MCCCCLXVI, de quo infra.

De euentibus quibusdam sub regimine huius Theoderici exortis, ex Chronicis.

Anno itaque Domini MCCCCLXIV, Theodericus episcopus noster de quo scribimus, Dominica post Bartholomæi in Nuemburgensis ecclesiæ antistitem est consecratus, vel (vt vulgus loquitur) coronatus. Quo etiã anno paulo ante ipse Theodericus episcopus Misnensis, & Ioannes Werder episcopus Merseburgensis infulati fuerunt. Eodem anno, primum capitulum annale, primum de obseruantia noua Bursfeldensium, celebratum est in monasterio Bursfeldensi, in quo principalis præsidens fuit dominus Ioannes abbas loci eiusdem, abbates vero Heusburgensis & Schonauiensis compræsidentes, diffinitores autem Guntherus Erphordensis & Hermanus Bergensis monasteriorum abbates. Eodem anno, Pius papa Ancone 19 calend. Septembris è vita migrauit, Romam solenni funere delatus & sepultus. Iste est Pius ille papa, qui ordinem nostrum plurimum dilexit, nonnulla pro eius exaltatione & incremento priuilegia patribus conferens. Ipse denique ad instantiam & preces charissimi quondam sui contubernalis & collegæ domini Eberhardi, archisterij montis monachorum iuxta Babenbergam abbatis dignissimi, patribus & fratribus ordinis diui Benedicti vnitis & vniendis de obseruantia Bursfeldensi dedit indulgentias stationum vrbis Romæ, ingens reuera donum, & collatiuum salutiferum valde; ita vt qui easdem mereri gliscit indulgentias, quinque Miserere quinque ante altaria pro felici ecclesiæ statu legere teneatur per ordinem. Si autem quinque altaria minime assint, vnum ante altare legat, intentionem (vt dictum est) pacifico pro vniuersalis ecclesiæ statu dirigendo, quemadmodum deuoti Deumque timentes monachi diebus stationum per annum, & potissimum per Quadragesimam facere solent, assidue redimentes tempus, ne dies pereant pœnitentiæ. Pio itaque papa sic (vt dictum est) defuncto, eodem anno pridie calendas Septembris, Paulus secundus, patria Venetus, Petrus Barba antea vocatus, in Romanum creatus est pontificem, vir magnanimus & statura procerus, Eugenij papæ consobrinus. Hic papale plumbum contra morẽ mutauit, aurum dilexit, quia Venetus fuit. Tota die præter necessarias consistorij auditiones pensitare nummos, gemmasque preciosas & vniones contrectare solebat. Abbreuiatores omnes quos Pius papa instituerat, præter paucos necessarios exautorauit. Celebrationem festi præsentationis glorioſæ virginis approbauit, sicut & Pius fecerat.

Rigidus erat & iustitiæ tenax, reos tamen magis carcere quam morte puniuit. Philoso-
phiæ studium tanquam sacræ theologiæ pernitiosum vehementer detestabatur, imo
(vt Platina de eo scribit) oderat & contemnebat, vt eius studiosos vno nomine hæreti-
cos appellaret. Et ideirco Romanos hortabatur, ne filios diutius in studiis literarum
versari paterentur, satis esse dicens, si legere & scribere didicissent. Qui licet bibacissi-
mus esset, attamen vina parua & diluta bibebat. Et cum varia ciborum genera apponi
mandaret, peiora tamen quæque semper gustabat. Tandem quinto calend. Augusti
obiit inopinate apoplexia tactus, anno Domini MCCCCLXXI, vt etiam infra eodem
anno dicetur amplius. Eodem anno, Fridericus archipræsul Magdeburgensis, vir vitæ
sanctimonia præclarus, semper vsus ad carnem cilicio, in Christo defunctus est: cui Io-
annes ex ducibus Bauariæ, vir & ipse modestus, vita & literarum scientia insignis, po-
stulatus ab ecclesia Monasterien si, successit; honorificentissime ab omni & clero & po-
pulo susceptus & introductus, qui etiam quoad vixit, commissum onus laudate pacifi-
ceque gubernauit. Eodem anno, Theodericus episcopus noster obiit, cui Heinricus
Stammer nobilis Saxo (vt sequitur) successit.

HEnricus Stammer eius nominis primus, ex ingenua Saxonum stirpe natus, in nu-
mero præsulum Nuemburgensis ecclesiæ trigesimus quintus, cœpit anno, Domi-
ni MCCCCLXVI, præfuitque annis ferme quindecim, vir vasti & magni animi,
moribus & sermone facetus & iocundus, more tamen gentis suæ bibacissimus, sympo-
sia & spectacula plus æquo diligens. Fuit nihilo tamen minus & bonæ & timoratæ
conscientiæ, erga Deum eiusque Sanctos deuotus. Quam etiam deuotionem ob Dei
laudem nostrum erga cœnobium ostendit, abbati Thomæ centum liberaliter donans
aureos. Quos idem abbas in vsum ilico conuertit fratrum, pro eisdem cereuisiam
Nuemburgensem annuatim ad collationem per Quadragesimam fratribus mini-
strandam emens & instituens, ita vt post collationis finem fratres ad chorum proces-
sionaliter euntes psalmum *De profundis* cum collecta *Pietate tua* &c. pro prænarrato epi-
scopo & collatore Henrico per idem tempus Quadragesimæ deuote legant, persol-
uantque. Seruatur insuper eidem antistiti pro meritis perpetuus apud nos anniuersa-
rius. Nam & plurimum pro reformatione huius nostri cœnobij cooperatus est, quæ
quidem eius pontificatus anno primo (vt sequitur) cœpta fuit.

Anno itaque Domini MCCCCLXVII, indictione Romanorum decima quinta,
monasterium hoc nostrum Bosaugiense reformatum est per introductionem obser-
uantiæ nouæ & rigidæ vnionis Bursfeldensis, cuius primus abbas & reformator exti-
tit ipse venerabilis pater supra memoratus Thomas, de Francofordia Marchitica ori-
undus, ex monasterio diui Ioannis Baptistæ prope Magdeburg quod Berga dicitur af-
sumptus, vir & zelo religionis & morum integritate conspicuus, præsidens Dei opitu-
lamine bene & commendabiliter nostro cœnobio duo de viginti annis. In exordio
autem regiminis sui anteceslor eius abbas Ioannes, natione Bornensis, qui ante refor-
mationem negligenter & prodige præfuerat, & pleraque irrecuperabiliter alienaue-
rat, depositus fuit & ad regendam quandam magnam & famigeratam monasterio
nostro incorporatam parochiam in Profin translatus, quam dum annis pauculis gu-
bernasset, reuersus ad cœnobium, tandem anno Domini MCCCCLXXIV quieuit in pace,
vt patebit & infra.

Thomas itaque, primus noster (vt præfatum est) in reformatione abbas, opus
summa & industria & deuotione inceptum satagens perficere, statum monasterij
tam in spiritualibus quam temporalibus totis conatibus recuperare & rectificare stu-
duit, neglecta & dispersa colligens, collapsa & ruinosa restaurans, monasterij denique
redditus & census qui supererant, accuratissime scrutabatur, laborioseque eorundem re-
gestum reparando & reintegrando, singula de asse in assem, & (vti dicitur) ad vnguem
colligens & consignans. Enimuero & decimam in districto Genensi, compluribus
quæ & dimissa & neglecta fuerat annis, arduis renouauit & recuperauit laboribus.
Ipse quoque anno Domini MCCCCLXXI, indictione Romanorum quarta, Euri-
porum amœnitatem, fontalem videlicet per cannalia aquæductum, monasterio no-
stro (quemadmodum in præsentiarum cernitur) magnis sumptibus primus instituit
& retroduxit. Cuius quidem egregij & vtilissimi operis incentor & cooperator fuit
ipse

ipſe venerandus ac celeberrimus pater, dominus Simon Buchenſis archiſterij digniſſimus abbas, vir doctrina & facundia clarus, præcipuus noſtri monaſterij fautor & promotor, & orationum ſiue bonorum operum particeps, confrater denique & ſocius. Suscepit autem & ipſe optimus paſtor & abbas Thomas pro Dei & laude & honore, nec non nouellæ plantationis incremento clericos pleroſque notabiles, quorum primus fuerat quidam nomine Liborius, patria Sclauus, ſtudio Lipſenſis, acer ingenio & prōptulus eloquio, potiſſimum in Dialecticis argutus & doctus. Suſcepit deinde inter alios quendam adoleſcentem ingenioſum, conſanguineum ſuum, vocabulo Georgium Vlrich, cognominatum ſic à parentela, qui vſque ad noſtram ætatem qua hæc ſcribo, annum videlicet Domini MDXX, plenus dierum ſub curua ſenecta ſed mente erecta Chriſto militat, vir magnæ religionis & ſingularis deuotionis, exercitijs internis & ſpiritualibus ab initio vſque nunc deditus, orationum ſupplicatoriarum egregius & orator & cognitor. Hic cum ſit in diuinis ſtudijs admodum doctus, hiſtoriarum tamen cognitione ſingulariter fulget, antiquitatum amator præcipuus, per complures annos ædituus ſacrorumque cuſtos extitit vigilantiſſimus. Fuit & aliquot annos fratrum veſtiarius exactiſſimus, & (vt quidam rentur) plerunq; plus æquo parcus. Nunc autem (vt dixi) curua ſenecta preſſus, & natura ſua debilior factus, ceu miles emeritus, exoccupatus rebus alijs, conſuetis ſuis exercitijs deuotiſq; duntaxat intenditiugiter precaminibus.

Anno Domini MCCCCLXVIII, Leodium vrbs in Germania cathedralis & populoſiſſima, à Carolo duce Burgundiæ lamentabiliter expugnatur, diripitur, & incenditur, in die Simonis & Iudæ, vbi nec ordini, nec ætati, vel ſexui parſum eſt.

Eodem anno, primum capitulum prouinciale ordinis ſancti Benedicti in Saxonia celebratur in monaſterio diui Ioannis Baptiſtæ Bergenſi extra Magdeburg, in quo principalis præſidens fuit venerabilis pater & dominus Hermannus, abbas ibidem, Herbordus vero Bremenſis, & Guntherus Nuemburgenſis monaſteriorum abbates compræſidentes.

Eodem anno, capitulum annale patrum de obſeruantia noſtra Burſfeldenſi celebratum eſt, dominica Vocem iocunditatis in Erphordia in monte ſancti Petri. In quo Thomas primus (vt dictum eſt) in reformatione huius noſtri monaſterij abbas aſſumptus fuit ad cœtum patrum cum ſibi commiſſis.

Eodem anno, Mauhemetes Thurcorum imperator Syrios Ægyptioſq; magno ſuperauit prælio.

Anno Domini MCCCCLXIX, capitulum annale abbatum noſtrorum celebratum fuit, in monte ſancti Iacobi prope Moguntiam.

Eodem anno, obijt tertio Idus Auguſti, venerandæ & præclaræ memoriæ Ioannes de indagine, ſecundus in reformatione abbas Burſfeldenſis, de cuius laude in carmine quodam in præconium quod præfati Burſfeldenſis archiſterij edideram, inter alia ita cecini.

Inter quos magnus fuit abbas ipſe ſecundus,
Ioannes Hagen ſeu de indagine dictus,
Qui decus ordinis eximios perfecit agones,
Plurima cœnobia collapſa nouando per orbem
Viuere rite docens, Benedicti norma beati
Vt iubet angelica, ſacratus & ordo requirit.
Sic pater aſſiduo conatu tempore longo
Feſſus & attritus, tandem conſcendit ad æthra.

Eodem anno in Aſia Haſſoncaſſon, vir bello clarus qui in Meſopotamia atq; Armenia dominabatur, Perſas, Aſſyrios Medoſq; contra ſe clam venientes, nocte aggreſſus ingenti ſtrage vicit & fugauit. Moxq; in Mauhemetem Thurcorum imperatorem copias duxit. Quo etiam anno ipſi Thurci Germaniam populabundi ingreſſi, multos mortales abduxerunt captiuos. Eodem anno pontifex cum Thurcis atq; eccleſiæ hoſtibus fœdus inijt, & ſocietatem cum Venetis contraxit. Quo & anno Fridericus Cæſar Romam viſitauit.

Anno Domini MCCCCLXX, Mauhemetes Thurcorum imperator CCCC

nauium classe, inter quas triremium ducentæ erãt & equitum centum millia, Eubœam adortus tricesima die post obsidionem cepit & subuertit.

Eodem anno, Veneti classem nauium LX instructam ad infestanda Thurcorum littora miserunt, in qua triremes 60, onerariæ 20 fuerunt. Eodem quoque anno Matthias Vngariæ rex Bohemos maximo prælio afflixit, & vehementer humiliauit.

Eodem anno, Christophorus dux Bauariæ in vrbe sua Monacensi captus fuit in balneo per fratrem suum Albertum, & per annum cum dimidio in custodia tentus.

Eodem anno, capitulum annale patrum nostrorum celebratum fuit Treueris ad sanctum Matthiam dominica post Ægidij, in quo Theodoricus nouus abbas Bursfeldensis assumptus & approbatus fuit.

Anno Domini MCCCCLXXI, Paulus pontifex, v Calend. Augusti, secunda hora noctis cum eo die lætus consistorium habuisset, & iocundissime cœnasset, apoplexia correptus vitam cum morte mutauit, anno pontificatus sui sexto, mense decimo. In cuius locum post nouem dies à patribus est suffectus Sixtus quartus, antea vocatus Fráciscus, Saona oriundus. qui ordinis Minorum & sacræ theologiæ professor fuit insignis, vt eius opera ab eo edita declarant. Scripsit siquidem librum de potentia Dei, librum de sanguine Christi, librum de futuris contingentibus, & librum de conceptione beatæ virginis, & alia. Fuit autem vir mitis, & continentissimæ vitæ, in pauperes & religiosos munificentissim⁹, quos omnes fouit, & priuilegijs amplissimis adiuuit. Creauit cardinales viginti, & dominum Bonauẽturam in sanctorum Confessorum numerum scripsit. De alijs suis gestis dicetur & infra.

Eodem anno, in Bohemia Rockezan, hæreticorum magister & patronus, obijt: quem paulo post Bohemiæ occupator, & ipse hæreticus, Georgius Pogebracius, secutus morbo & mentis & corporis perijt. Eodem anno Ingolstatensis, alias Chrysopolitana vniuersitas dicta, fundata est. Quo etiam anno Fridericus imperator in diæta regni & inclyto principum conuentu apud nouam ciuitatem multa vtilia pro Christi fide in Thurcum statuit. Sed effectum non habuit. Eodem anno, orator B. legatusq; Venetorum recitauit coram Sixto summo põtifice, quod Thurc⁹ abstulisset Christianitati duo imperia, quatuor regna, 20 prouincias & 200 vrbes, populumq; absq; numero vtriusque sexus: hortabaturq;, vt ad resistendum se disponeret, ne peiora fidelibus contingerent.

Anno Domini MCCCCLXXII, die septimo mensis Iunij, capitulum annale patrum nostrorum celebratum fuit Erphordiæ in monte diui Petri Apostoli, in quo Theodericus Bursfeldensis præsidens fuit principalis, Theodericus autem Heusseburgensis, & Hermannus sancti Iacobi prope Moguntiam, compræsidentes. Eodem anno, Erphordia vrbs magna & metropolis Doringię grandia ex igne sensit damna, vt pene tertia pars domorum incendio periret.

Anno Domini MCCCCLXXIII, Hassoncasson in Armeniæ finibus magno prælio cum Mauhemete Thurcorum imperatore conflixit, in quo triginta millia Thurcorum cæsa feruntur. Eodem anno, dux Mediolanensium fuit peremptus gladio in templo ibidem. Eodem anno, die quinto mensis Septembris, celebratum fuit capitulum annale patrum nostrorũ in Hildes. in quo Theodericus abbas Bursfeld. fuit præsidens principalis, Bergensis & Mindensis compræsidentes, Heusburgensis & Northemensis diffinitores. Quo & anno nix ingens fuit.

Anno Domini MCCCCLXXIV, Carolus Burgundionum dux Nussiam, Coloniensis agri oppidum ad Rheni fluẽta, obsedit. Sed cum Fridericus imperator obsessis in auxilium venisset, inito fœdere dux discessit in Belgas.

Eodem anno, Thurci exercitu centum millium hominum Illyrici littoris oppidum Scutarum obsident. Sed tandem defendentibus Venetis fatigati, ac morbo ex fluminis Aoo aura vexati, in montes cum ignominia discesserc.

Eodem anno, Christiernus rex Daciæ, Sueciæ, & Noruegię, Gothorum dux, Holzatiæ, Stormatiæ, in Addenburg & Delmenhorst comes, vir Christianissimus, & multis virtutibus ornatus, deuotionis gratia Romam pergens, per totam Italiam prouinciatim & oppidatim honorificentissime susceptus fuit, pariter & Romæ ab ipso summo pontifice reuerendissime exceptus.

Eodem

Eodem anno, capitulum prouinciale Saxoniæ, id est Magdeburg. & Bremensis diœcesium, celebratum fuit Dominica Cantate, in Berga prope Magd. in quo præsidentes fuerunt Hermannus abbas ibidem, Herbordus Brem. & Thomas abbas noster Bosaugiensis in reformatione primus. Iubilæus à Paulo prius per vniuersum orbem Christianum institutus, à Sixto pontifice hoc eodem anno declaratur. Quo etiam anno Thurci per superiorem Pannoniam Danubio transuecti, eandem prouinciam deprædati sunt.

Anno Domini MCCCCLXXV, Georgius dux Baioariæ cognomento Diues duxit in vxorem Hedwigem filiam Casimiri regis Poloniæ, in Lantzhut nuptijs celebratis magnificentissime, ex qua tamen nullum masculum suscepit hæredem, sed duas filias. Hinc post obitum eius maxima (vt infra dicetur) emersere bella. Eodem anno, Simon puer apud Tridentum die parasceues martyrizatus per omnem Christi passionis modum, qui post maximis claruit miraculis. Iudæi autem omnes sceleris conscij pessima morte perempti fuere. Quo etiam anno Thurci inferiorē ingressi Mysiam dum populabundi grassarentur, magna cæde prostrati ab indigenis in fugam turpem acti sunt.

Anno Domini MCCCCLXXVI, Matthias Vngarorum rex castellum Thurcorum ad ripam Saui fluminis ingenti expugnauit gloria. Quo etiam anno Ferdinandus rex Hispaniæ in agro Numantino Portugaliæ regem superauit. Eodem anno Fridericus dux Baioariæ & palatinus Rheni, auus episcopi nostri Philippi, vir bellicosissimus, post multas victorias Heydelbergæ in pace quieuit, sepultus ad Sanctum Spiritum.

Eodem anno, Theodericus Episcopus Misnensis obijt, cui successit Ioannes quintus ex familia nobilium de Weysenbach natus, in numero præsulum dictæ eccle-siæ XXXIX. Eodem anno, Quedelburg oppidum per Misnenses & Albertum Saxoniæ ducem fortissimum fuit captum. Circa id tempus claruit *Ioannes de monte regio*, natione Teutonicus, patria siue genere Francus orientalis, non minor Anaxamandro Milesio aut Syracusano Archimede, Græce & Latine eruditissimus, Germanorum decus, ob Astronomiam cæteraque Mathematicas disciplinas à Matthia Vngariæ rege Nurenbergensibusque perpetuo donatus stipendio. Calendario edito, ephemeridesque à nostris Diario dicta, maxima cura, labore, ingenioq; composita, inductis nouis Astronomiæ tabulis, reprobatisque Gerardi Cremonensis theoricis; Romam ad emendandum Dionysij computum Paschalem à Sixto Papa accitus, dum pleraque posteritati pararet, non sine maxima studiosorum iactura morbo perijt, indictione Romanorum nona.

Anno Domini MCCCCLXXVII, Carolus Burgundionum dux, qui Belgis fere omnibus imperabat, dum Lingones Treueroſq; debellaret, apud Venacoum alias Nancisen oppidum magno prælio quod ad horas triginta continenter durauit, victus & occisus est.

Anno Domini MCCCCLXXVIII, Philippus filius Maximiliani Cæsaris, archidux Austriæ, & Burgundiæ quoq; dux, qui post in Hispania regnauit, natus est. Qui post (vt infra patebit) Carolum V genuit, in regem Romanorum in anno Domini MDXX quo hæc scribo electum, &c.

Eodem anno ipso die Vincentij martyris, venerabilis pater, & insignis ille abbas, Hermannus Bergensis, migrauit ad dominum, qui ad reformationem nostri monasterij plurimum iuuit, pro eius & plantatione & incremento supra memoratum abbatem Thomam ex suo cœnobio vna cum patre Priore religiosissimo viro eiusque æquiuoco Hermanno transmittendo. Eodem anno Rupertus Archiepiscopus Colonienſis, & dux Bauariæ, Rhenique palatinus captus est per imperatoris consensum, & biennio exin detentus in custodia, eo quod Carolum ducem Burgundiæ contra canonicos siue capitulum ecclesiæ suæ prædictæ ob discordiam quandam concitarat, & in obsidione Nussiæ fouerat. Eodem anno Ioannes Christierni regis Daciæ filius, & post patrem rex Daciæ, duxit vxorem Carharinam filiam Ernesti, ducis Saxoniæ & electoris imperij, circa Natiuitatis Mariæ festum, quam Albertus frater Ernesti germanus, cum pluribus principibus & comitibus, vna

cum Thilone Episcopo Merseburgensi, militibusq; haud paucis, ac XXVI curribus, per Rustock literarum oppidum duxit in Daciam: per Lubecam etiam tendens magnifice fuit exceptus, vbi & hastiludia exercuit. Tandem celebratis regalibus nuptijs, cum CCC & LX equitibus per Magnopolim & terram Prignitz reuersus est cum tripudio magno ad propria.

Eodem anno Maximilianus archidux Austriæ, Friderici imperatoris filius, potẽti exercitu in Burgundiam profectus, Mariam Caroli ducis iam iam mortui filiam vnicam in coniugem accepit, & Burgundiæ ducatum ob hanc rem sibi vindicauit.

Anno Domini MCCCCLXXX, Mauhemetes Thurcarum imperator, ingenti classe maximaq; bellatorum vi Rhodum petens, eamq; expugnare annitens, tres per continuos menses bombardis & alijs machinis lacerauit. Verum milites Rhodani bellicosissimi illis fortissime restiterunt, tandemq; Turcas & fatigatos & superatos turpiter & ignominiose fugere compulere.

Eodem anno idem Mauhemetes Hydruntum Apuliæ vrbem armis cepit, archiepiscopo & duce ei⁹ interfecto, cũ alijs innumeris promiscui sexus hominibus. Quo facto tota quoq; Italia trepidabat. Cardinales Romæ iam fugam meditabantur. Infelix ergo prorsus Apulia fuisset, infelix & Italia, si obitus Mahumeti (vti sequenti dicetur anno) non interuenisset. Non multo post, XL millibus Turcarum in Poloniam irruentibus, positisq; non longe à Cracouia castris, ita exterriti sunt Poloni, vt ne principes quidem quid consilij caperent, habuerint. Verum cum hyems esset, tanta subito vis frigoris superuenit, vt ille formidatus exercitus partim fame partim frigore pene totus consumptus sit.

Anno Domini MCCCCLXXXI, Mauhemetes Græciæ Asiæque imperator, dum in Orientis expeditionem proficisceretur, post ingentia facinora terra marique gesta non sine veneni suspicione quinto non. Maij in exercitu suo mortuus est, anno imperij Constantinopolitani XXVII, mense I, die V, indictione Romanorum XIV. Eoq; mortuo Baizetus primogenitus eius in imperio patri successit. Zalicib⁹ autem iunior frater indignatus magnos in Asia motus concitauit, & Bursa (Prusa alias) capta sede regem ibi constituit, sed per Baizetum fratrem seniorem superat⁹ est, & fugatus. Quo etiam anno idem Baizetus Risanum oppidum è manibus Vngariæ regis astu eripuit. Hinc Matthias Vngariæ rex irritatus, ingenti exercitu contra eum processit, omneq; imperium Thurcorum ex Danubio tunc eiecisset, ni ductor copiarum Friderici imperatoris Vngariam ingressus, inscio imperatore prouinciam vastasset. Quare abinceptо Matthias retractus, ad propria defensanda redire compulsus est. Quibus cognitis indignatus imperator Fridericus, ductorem exercitus sui dure increpans prohibuit. Eodem anno Carthusia Chrymmiczs fundata est per quendam opulentissimum ciuem Cygneum. Eodem anno, Henricus episcopus noster obijt, cui Theodericus de Schonberg nobilis (vt sequitur) successit.

THeodericus de Schonberg, vir & stirpe & moribus præclarus, XXXVI Nuemburgensis ecclesiæ antistes cœpit anno Domini MCCCCLXXXI, quo etiam antecessor suus Heinricus defunctus est, indictione Romanorum XIV, præfuitq; quiete & irreprehensibiliter annis ferme XIV. Fuit autem iste præsul in iure canonico apprime doctus, strenuus, & rigidus iustitiæ cultor, ac diuini seruitij promotor zelosus, temporalium deniq; moderator rerum sat peritus, cui semper eruditus & Latinus cum viris religiosis & sapientibus erat sermo, quiq; pastor vti bonus, & pontifex idoneus, ecclesiam commissam ita rexit, vt si non locupletiorem, exiliorem nec tamen quam reperit, reliquit: quandoquidem & parta & comperta tuendo, perpulchro in esse conseruauit. Quod laudabile & virtutis opus esse illud Horatianum comprobat dictum, *Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri.* Et quidem de eo, & potissimum eius obitu in sequentibus patebit plus.

De quibusdam euentibus nouis mirisq;, huius qui contigere temporibus Episcopi.

Anno itaque Domini MCCCCLXXXII, Guilhelmus illustris Saxoniæ dux, & Doringiæ Landtgrauius, in Vinaria diem clausit extremum, sepultus in monasterio fratrum

fratrum Minorum de obseruantia ibidem, quod ipse viuens à fundamento erexerat nouum.

Anno Domini MCCCCLXXXIII, Elizabetha nobilissima Bauariæ dux & cõtho-
ralis Ernesti nostri ducis Saxoniæ ac imperij electoris defuncta est. Eodem anno pestis vniuersalis & pergrandis totam pene per Italiam atque Germaniam sæuit, ita vt multa hominum millia absumpserit. Ea quippe lues solum Nurenbergę à solstitio æstiuali adusque solstitium hyemale quatuor hominum millia prostrauit. Hinc perpendi potest, quid vicinis alijsue fecerit prouincijs.

Anno Domini MCCCCLXXXIV, fuit legatus quidam cum indulgentiarum re-
missione plenaria in Suecia, vbi & hoc anno æstiuo præsertim tempore prævalida ferbuit pestilentia. Qua fretus legatus ille miro modo & insatiabili explumauit pauperes. Quare autor historiæ Sclauicæ ex qua hæc transcripsi, ita exclamat; *O Petre Petre, non tibi dixit Christus, Mulge aut Tonde, sed Pasce Pasce.* Ioan. 21. Ideoque aperuit infernus os suum sine termino, & intrabunt maiores sine numero. Esaiæ 5. Misericordia autem conceditur paruulo & exiguo, quoniam potentes potenter tormenta patientur, &c. Sapient. 6.

Anno Domini MCCCCLXXXIV, quo supra, Sixtus papa eius nominis quartus obijt, cui Innocentius VIII eodem anno successit, præfuitq; annis *.

Anno Domini MCCCCLXXXV, Matthias Vngariæ rex obsidione & armis
cepit Wiennam, regiam vrbem & metropolim Austriæ. Tunc tribulatio grandis & calamitas per totam eius erat prouinciam. Eodem anno reuerendus pater & dominus Thomas, abbas nostri monasterij eximius, postulatus fuit ad Pigau pro reformatione & profectu cœnobij exempti & insignis diui Iacobi Apostoli maioris ibidem. Quod quidem reformationis opus Dei pro honore assumens, laudabiliter inchoauit, laudabilius perfecit, & continuauit præsidens ibidem abbas annis nouem. Obijt siquidem (vt etiam infra dicetur) anno Domini MCCCCXCIV. Supra dicto quoque anno, in quo & postulatus & translatus, in capitulo annali patrum de obseruantia Bursfeldensi in Erphordia celebrato, cum suo nouo archisterio Pigauiensi ad cœtum assumptus fuit patrum. Thoma itaq; abbate translato, quatenus loco eius dignus
& idoneus haberi posset successor, eodem tempore in crastino Natiuitatis Mariæ celebrata est electio, in qua quidem ipse Thomas abbas præsens erat: Electus fuit itaque Georgius Prior monasterij diui Petri archiapostoli in Erphordia, sed effectum minime habuit, quia cassata fuit. Quamobrem paulo post fratres è gremio eligentes, in die sancti Placidi martyris & sanctissimi patris nostri Benedicti discipuli elegerunt concorditer virum notabilem & religiosum nomine Petrum, ex oppidulo Stossen haud procul à Nuemburg oriundum. Fuerat autem ante reformationem nostro in monasterio sub Ioanne abbate susceptus ad ordinem. Qui professione facta plurimum Dei in timore & religionis creuit amore & desiderio, adeo vt assidue vehementer pro reformationis laborarit introductione, qua & post Dei potiri gratia meruit, Deo in
eadem feruenter militando. Fuit enim uero frater per omnia ad multa aptus & idoneus. Nam cum actiuus, & (vt aiunt) manualis & operosus plurimum fuerit; cellæ tamen exercitia illa interna minime deseruit: quandoquidem cum esset scriba velox & excellens, multos pro bibliothecæ ornamento & decore vsuque fratrum propria scripsit manu codices. Quos inter cuncta pene Iacobi Carthusiensis theologi celebratissimi opuscula (vti in præsens cernitur) accurate & laborioſe conscripsit, & ligauit, & exin legenda communi pro vtilitate intra bibliothecam posuit. Eiusmodi itaque dotibus sufultus tandem, Thoma antecessore suo in Pigauiam translato, eius in locum subrogari promeruit; vti denique lege diuina sanctam iuxta regulam doctus, & gerendarum exercitatione rerum instructus, super candelabrum poni dignus fuit. Cum etiam præter supra dicta fuerit ingenio acer, & loquendi lepore à natura præditus, arithmeticus, calculator, musicus, decretista, ac logihistoricus insignis; fabularũ deniq; moraliũ noticia plenus fuit, quarum ẽt relationibus in modum mirum sæpe discumbentes exhilarabat hospites. Ingenij denique eius adhuc quædam extant indicia; ephemerides videlicet quædam subtiles de inuentione testorum mobilium cõgestæ, & nonnulla Musica & Arithmetica dogmata, manu eius exarata, & ingenio parta. Factus itaque abbas,

& in regimine monasterij confirmatus, sequenti anno demum per Theodericum antistitem nostrum in octaua Paschæ consecratus, siue (vt vulgo dicitur) coronatus fuit. Statimq; ad res monasterij componendas & intus & extra animum appulit, licet primo feruore erga correctionem culparum nimius fuerit, modumq; iudicio quorundam excesserit, dictum illud aureum sancti patris nostri Benedicti, *Ne quid nimis*, & illud, *Superexaltet autem iudicio misericordiam, &c* æmulari dissimulans, potius ad ferociam quam misericordiam, seueritatem quam Clementiam declinans. Proinde non salutem plerunq; imbecillium, sed desperationem produxit. Dum enim multiplicaret catenas & carceres, statuta & pœnas, formidolosiores irrecuperabiliter suas, & fugauit & perdidit ouiculas. Quod vtiq; cauisset, si modum censuræ tenuisset, si oleum vino, dulcia amaris, blandimenta terroribus miscuisset: tametsi religionis zelo, vitiorũq; id actitasse credatur odio, haud tamen secundum scientiam, id est discretionem & pietatis formulam, quamuis & huius sui rigoris patronos & laudatores habeat. Ego autem (nisi forsan nomini suo Petro deferam) quomodo laudem, non cerno; cum ille rigor suus truculentus pluribus fuerit exitialis, paucis proficuus & salutaris. Nec mirum. Omnis enim immoderatio non salutem, sed periculum generare solet. Moderatio autem & pietas peccatori pœnitentiam voluntariam & leuem facere consuevit. Hinc pulcherrime Seneca ad propositum inquit, *Mansuetudine suadebis, correptione autem nunquam.* Facilius enim ad pœnitudinem reuocant verba lenia quam aspera. Nullum animal morosius, nullum maiore arte tractandum est, quam homo, nulli magis parcendum. Vnde & canonicum ius inquit, *Circa corrigendos plus debet esse benevolentia, quam severitas, plus cohortatio quam commotio, plus charitas quam potestas*, distinctio. XLV, *Si licet*. Et ibidem inter alia habetur ita: *Leniter castigatus reverentiam exhibet castiganti, asperitatis autem nimiæ increpatio nec correptionem recipit nec salutem.* Hæc ibi, & quadrant peroptime supra dictis: Non ergo absre Apostolus clamat: *Si præoccupatus homo fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instrate huiusmodi in spiritu lenitatis, &c.* Cui & insigniter poetarum carmina concordant, ex quibus sequens hexastichon subnectere libuit.

Ad pœnam tardus sit rex, ad præmia velox,
Et doleat, quoties cogitur esse ferox.
Quanto quis maior, tanto placabilis ira:
Et faciles motus mens generosa capit.
Parcere prostratis scit nobilis ira Leonis:
Tu quoq; fac simile, quisquis regnabis in orbe.

Veruntamen hæc scribens neutiquam correctionem (quod absit) improbo excessuum, quam omnimodis necessariam scio, sed tyrannidem duntaxat arguo, indiscretionem reprehendo, & ad misericordiam leuitatemque declinandum Dei exemplo suadeo. Dei equidem & Saluatoris dictum est: Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Rursus scriptum est, Quomodo iudicium sine misericordia fiet ijs qui non fecerint misericordiam. Modus itaque in cunctis tenendus est iuxta illud illustre ac eximium Horatij distichon:

Est modus in rebus, sunt certi denig; fines,
Quos vltra citraq; nequit consistere rectum.

Quibus rursus non obstantibus, dum opus fuerit, dum pietas non præualuerit, dum misericordia locum pœnitentiæ & emendationis sua lenitate non produxerit, dum denique casus postulat aut res, qui prælatus iuxta regulam contra obstinatos rebelles & improbos omni seueritate & districtione, contraque incorrigibiles cauterio & abscisionis ferro, & possit & debeat vti, ne dum disciplinam dormire aut perire sineret, impunita nequitia interim velut tuta sæuire inciperet, cum non sit crudelitas, pro Deo crimina punire, sed pietas, vt dicitur: Legi Siromasten. Ast nunc de exordio regiminis eius, deque rigore ac zelo satis ad lectoris immo rectoris vtilitatem ac cautelam dictum sit: demum ad alia eius gesta conscribenda cœptam prosequar historiam. Et quoniam (vt supra narratum est) optimus

optimus ille pater & abbas complures eximias habuerit & naturæ & gratiæ dotes, quod videlicet fuerit Dei cultor deuotus, & diuinarum literarum amator ſtudioſus, ac domeſticarum rerum moderator peritus ; nunc quemadmodum eaſdem dotes ad Dei laudem, & reuerentiam, nec non monaſterij commodum & vtilitatem, egregie & laudabiliter diſtribuerit, dicendum eſt. In primis itaque & feruorem & deuotionem ſuam, quam erga Deum ac diuini illius cultus ampliationem, nec non ſanctiſſimi templi decorem habuit, euidenter oſtendunt ſacratæ per eum auctæ & inſtitutæ res; altaria videlicet, calices, ornamenta, candelabra, thuribula, cantamina, ſuffragia, feſta, & ſimilia quæ ipſe fundauit, ordinauit, emit, & fieri inſtituit. Altaria ſiquidem ſeptem inſtituit, partim fundando, partim transferendo. Tria enim è locis opacis & obſcuris ad clarioria aptioraue tranſtulit. In primis altare beatæ Mariæ Magdalenæ, quod erat in parte inferiori turris ſiniſtri & vacui prope ingreſſum ambitus, ad ſuperiora eiuſdem turris tranſtulit. Alia autem duo, ſancti videlicet Michaelis archangeli, & diuæ Catharinæ virginis & martyris altaria, ab occidua parte eccleſiæ de ſubteſtudinibus videlicet turrium ad mediũ ipſius eccleſiæ intra columnas poſuit. Alia autẽ quatuor à nouo prorſus fundauit & erexit. Quatuor videlicet doctorũ ſanctæ matris eccleſiæ, quod eſt ſupremum omnium in peribulo abbatiæ, in medio turriũ erectũ; altare vero ſanctæ Annæ auiæ Chriſti ; altare quoque Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani nec non Valentini martyrum intra corpus eccleſiæ intra columnas quoque hinc & inde collocauit. Porro quartum quod in honore beatorum apoſtolorum ac patronorum ſuorum Philippi & Iacobi conſtruxit ſeptentrionem verſus ad ſiniſtrum chori latus in loco ſepulturæ fratrum conſtituit. Tabulas vero altariorum non magnas neque precioſas, ſed paruas & exiguas vileſque fieri ſemper diſpoſuit, eaſque non curare aut affectare monachos debere aſſerens ; tabulas tales & earundem imagines non clericorum ſed laicorum fore dicens codices ; clericos, inquam, & monachos non imaginum picturis, ſed diuinorum eloquiorum ſcripturis oblectari oportere contestans. Ornamenta vero diuini cultus venuſta & pretioſa ſatis emit & ordinauit, duas videlicet cappas quas vocant chorales, ſummis pro feſtiuitatibus, vnam rubei, alteram vero coloris viridis : ſimiliter ornamenta rubei coloris eiuſdem texturæ pro officio Miſſæ ſolennitatibus in præcipuis, planetam videlicet pro ſacerdote, & pro miniſtris dalmaticas cum ſuis albis & ſtolis. Inſuper & alia ornamenta ſerica, polymita, ſiue diſcolora, cum omnibus ſuis attinentiis à cappa chorali vſque manipulum & ſtolam pro mediis feſtis. Emit denique & thuribulum cum ſuis catenulis, binasque ampullas de puro argento fieri fecit. Feſtum quoque reliquiarum ſub duplici nota in die Diuiſionis Apoſtolorum celebrandum, & antiphonam in fine completorij pro pace cantandã inſtituit. Hora celebrationis fratrũ mane aſſidue Miſſam flexis poplitibus ex integro deuotiſſime audiuit, & ipſe frequenter ſacrificans ſub conuentuali Miſſa quam ſummam appellamus, in ſacello diui Andreæ Apoſtoli celebrauit. Diuinum officium à fratribus ſecundum temporis exigentiam decenter & deuote exequi & decantari voluit diebus ſolennibus. Feriatis autem diebus rotunde & diſcretim iuxta ceremoniarum ſanctionem cantandum hortabatur. Ipſe attamen diurnis horis præter ſynaxin veſpertinam cura rei familiaris præpeditus nunquam interfuit ; niſi paſtoralis feſti excellentia abbatis officium expoſtulans ipſum intereſſe coegiſſet. Et ita ueſtigio laudes nocturnas pene nunquam neglexit, ſed eas cum fratribus deuote & feruenter expleuit. Qua etiam hora protractionem Pſalmodiæ & cantuum deteſtabatur. & fieri vetuit ob prolixitatem officij modum tenendũ in omnibus, & ſal vt rationabile foret obſequium in omni oblatione offerendum Sanctorum exemplo docens & ſuadens, vt quidam pulchre inquit:

Prævalet in cunctis diſcreta modeſtia rebus:
Quæ ſine virtutum grande peribit opus.

Denique domus Dei decorem amplificare geſtiens, nouum tectum ex integro cum lignaminum, id eſt trabium & tignorum noua fabrica eccleſiæ noſtræ ſuperinduxit; ſimiliter & tunc turrim nouam ſupra chorum vbi ante nulla fuerat, pro campanis decoreque templi erexit; itemque teſtudinem ſupra chorum & tabulaturam totius eccleſiæ depictam fieri fecit, quæ quidem completa fuit anno Domini *.

Et hæc eatenus de eius deuotione erga Deum & Sanctos dicta sufficiant: nunc ad alia eius gesta enarranda stilum vertamus. Et (quoniam supra memoratum) constat venerabilem hunc dominum abbatem Petrum virum fuisse sapientem, & bonis literis apprime doctum, diuinarumque scripturarum studiosissimum. Id quam verum sit, ipsa nostri bibliotheca monasterij eius solertia & studiositate (vt ita loquar) librorum thesauro ornata & locupletata euidenter protestatur & clamat: omnes siquidem libros & tractatus quos bibliopolæ venales attulerunt, & potissimum quos antea non habebamus, tanquam margaritas dominico in agro repertas, absque mora comparauit; moxque ex integro per ordinem legit; lectos mihi minio pingendos, vel (vt aiunt) rubricandos tradidit; deinde rubricatos & capitalibus literis insignitos materiæ iuxta congruentiam composuit, sicque ligandos dedit. Quo facto ipse vltimate fibulis siue clausuris à se artificialiter factis accurate clausit, tandem regestellis distinctos & stellis bibliothecæ imposuit. Tametsi (vt dixi) sub illo reuerendo abbate Petro ipso procurante plurimum librorum creseceret numerus. Eorundem attamen lectio non adeo communis fuit & libera, cum quemlibet fratrem vnico oportebat fore contentum codice. Quanquam vnus (vt ioco loquar) etiam cuique studiosissimo toto anno pro studio sufficerit codex; cum æstatis tempore tum præsertim diebus ferialibus labores ob manuales pene nullum legendi arriserit tempus, cum etiam frequenter studium ipsum regulare & meridianæ quietis tempusculum subtraheretur. Sed neque tunc passim communi fratrum pro vsu tot libri, vti modo, publicitus fuere expositi. Solum quippe Rationale diuinorum, & Catholicon ille magnus, ac paucula pleraque scholasticalia, quodã in loco puluerulento communi pro studio palam extabant: denique quatenus nonnihil in nostræ comparatione ætatis.

Anno Domini MCCCCLXXXVI, Ernestus illustrissimus Saxoniæ dux, & imperij elector, paterque principum nostrorum, in præsentia & sinu fratris sui Alberti ducis in Cholditz castro obiit, quatuor filios & duas post se relinquens filias. Filiorum ista sunt nomina, Albertus Archiepiscopus Moguntinus, qui tamen paucis (proh dolor) in pontificatu vixit annis; Ernestus archipræsul Maydeburgensis, vir per omnia religiosæ & laudatissimæ vitæ, qui mira & magnifica (vt infra patebit) in episcopatu perfecit condiditque opera. Testantur hæc inter alia oppidi Hallis expugnatio & subiectio, ac arcis ibidem prope vrbem preciosissima & incomparabilis, à fundamento noua constructio; & alia multa, de quibus & obiter in sequentibus; Fridericus dux Saxoniæ, elector & ensifer imperij, iuxta nomen suum Diues, amator pacis, & prudentissimus princeps, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, defensor legum, controuersiarum finis, imperij Romani columen, monimentum patriæ, morum speculum, decus principum, & disciplina ducum, quem eiusmodi virtutibus ornatum veluti parentem numenque cœlitus missum plebs ipsa tota & veneratur & diligit. Quibus denique fretus virtutibus, imperio dignissimus est habitus, nuper Francophordiæ vnanimi ac concordi principum consilio votoque post Cæsaris Maximiliani obitum in regem Romanorum electus: quanquam ipse post deliberationem, veluti æuo iam defectior, die proxima tanto fastigio tantæque dignitati resignans celserit; electionem hanc & vocem sua pro modestia Carolo ante memorati Maximiliani Cæsaris nepoti assignans: qui & loco eius, (vti iam diu desiderauerat) aliorum quoque principum votis accedentibus, ad imperium sublimatus est. Quibus ita prospere gestis, more suo & quidem prudentissimo ad prouinciarum suarum tranquillum continuandum regimen sese transtulit; ipso etiam pacis tempore operosissimus existens, tam in sacris quam secularibus quædam magnifica & præclara perficiens operà rebus. Deuotionem siquidem erga DEI cultum ostendens suam, iam pridem ecclesiam collegiatam insignem & exemptam, in Sanctorum honorem omnium Wittenbergæ in castro suo fundauerat; præbendis & beneficiis eandem eximiis magnifice & regaliter dotando, pretiosissimisque ac pene innumeris diuorum reliquiis, ac maximis indulgentiis impetratis, ipsam ditando & ornando. Successoribus quoque suis profecuus esse satagens, iuxta eandem ecclesiam castrum ex vetusto nouum munitissimum pulcherrimumque à fundamento erexit, & ita aliis in locis ditionis suæ castra antiqua, præsertim in Ilenburg, Crym, Lochau, & Aldenburg, regaliter ac gloriose

glorioſe renouauit, nouiſque ac firmis ædificiis venuſtiſſime auxit & meliorauit. Subditis inſuper ſuis ac reipublicæ prodeſſe cupiens, in ſupra memorata vrbe Wittenbergenſi ſtudium literarum vniuerſale, omnium noſtræ tempeſtatis totius Germaniæ gymnaſiorum florentiſſimum ac famatiſſimum, vtriuſque Sophiæ, Græcæ videlicet & Latinæ, viros præſtantiſſimos, & pene innumeros producens: de quibus omnibus & infra ſuis annis natalitiis dicetur & plus, & forſan conuenientius. Fridericus itaque archidux ille noſter pater patriæ, & Germaniæ ornamentum, ter quaterque felix fuiſſet, ſi gloriæ ſuæ famam & nominis, iam ætate defectior, tametſi ditiſſimus, exactione cereuiſiali decimæ non maculaſſet. Quæ quidem exactio paucis ante annis cœpta, certoque tempore ac determinato duratura, hoc præſenti anno, ſumma ac votiua totius plebis expectatione finem habuit. Sed heu dum populus ſummo gaudio ſe arbitrabatur liberatum, rurſus repente eadem exactio decimæ cereuiſialis renouatur, & humeris pauperum per totum ducatum imponitur, ita vt omnes indiſcriminatim, & diuites ac pauperes, etiam ipſam cereuiſiam ementes, de quolibet vaſe euacuato quinque groſſos fiſco ducali dare cogantur, omne pene & rerum & curarum ſuarum lucrum in eandem extorſionis voraginem iacientes! Denique vt perditiſſimo more malum malum trahat, ſanguisque ſanguinem tangat; ex inconuenienti ſupra narrato ſequitur & aliud, vnumque grauamen cauſat producitque aliud. Nam dum quiſquis ob taxam ſiue multam indictam, in quantum valet, indemnis euadere conatur, aut menſuram minuit, aut fraudulenter doloſeve potum infundit & apponit. Quod autem hinc menſura vetus diminuta ſit, non abſque grandi totius communitatis & ſcandalo & murmure, in multis & oppidis & villis, manifeſtiſſime, imo miſerrime liquet. Cæterum hæc quando exactio, licet & ipſa certis pauculisque ſit annis limitata, finem habere extremum poterit; vehementer ambigitur. Suſpenditur quidem plerunque, ſed non moritur, quia facili ex cauſa laxata rurſus ſubditorum ceruicibus imponitur. Niſi ergo antea ipſa cupiditas, aut cerre auri ſacra fames mortalia pectora cogere ceſſauerit; extorſio pauperumq; oppreſſio finem nunquam habebit. Fit ſiquidem iuxta commune dicterium, vt quicquid conſumunt principes, ſoluere cogantur pauperes. Cui & quadrat illud Horatianum:

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Et alter quidam egregius verſificator, etſi iocoſe, veriſſime attamen ſic concinit:

Deuorat agricolam rex; regem tyro; ſed illum
Vſurator edit; comedit ſed presbyter iſtum;
Presbyterum meretrix; meretricem leno remordet;
Lenonem caupo; ſed cauponem paraſitus;
Illum ſextipedes; ſimia ſextipedes.

Sed nunc de his ſatis. Fridericus denique, dux illuſtris ille, magnum noſtro cœnobio donum anno præſenti quo hæc ſcribimus, Domini videlicet MDXX, largitus eſt: quod quidem hic quoque per anticipationem ſubnectere placuit. Dedit, inquam, monaſterio noſtro poſt diuturnam & prolixam inſtantiam quindecim plauſtra lignorum ſectorum annuatim ex ſylua quæ vulgo Kammerfurſt nuncupatur; & hoc quidem pro centum plauſtris lignorum, aridorum tamen ſparſimque colligendorum, ibidem monaſterio per Henricum ſextum, & Fridericum ſecundum, imperatores donatis, ſed temporum ſucceſſu & labilitate neglectis, & omiſſis, ſiue alienatis: ſolum priuilegiis regum prædictorum deſuper confectis, vſque in hunc diem apud nos reſeruatis: de quibus etiam ſupra mentio facta eſt ſub anno Domini MCCXIV, tempore Friderici ſecundi, vt ibidem in priuilegio per eum nobis conceſſo patet. Et prænarrata quidem donatio facta eſt tam per imperatores quam principem Fridericum, ob quantulamcunque refuſionem oneroſi magnique ſeruitij, quod exigitur & impenditur pene aſſidue principantibus vel etiam regentibus arcem Aldenburgenſem, ex curte videlicet noſtra ſiue allodio in Nodaw. Antiquam itaque donationem illam imperatorum ipſe dux Fridericus, cognita cauſa viſisque priuilegiis, renouauit; donans nobis prædictum plauſtrorum lignis oneratorum numerum: cuius priuilegium deſuper confectum in ſequentibus, dum ad hunc annum donationis Deo an-

nuente deuenerimus,annotabitur.Proinde pius forsan lector demirabitur,tanto quod principi,benefactorique laudatissimo, non pepercerim , eius reprehensibilia silentio premendo. Sed sciat, quod nec Græculus sim neque Thersites,magnatibus vt adulari prælatisve didicerim:cum etiam natura ipsa mea amarulentior hoc mihi blandum adulaminis puluinar iam dudum subtraxerit, vt amodo ignauis supponere nequeam, potissimum roboamizantibus in pauperes. Quod quidem vitium quondam familiare fuit Græcis in historiis conscribendis. Quare & leues mendacesque appellati, fidem historicam pene amiserunt. Ingenita quippe quadam leuitate & erudita vanitate (vt sacer ait Hieronymus) regum suorum gesta & laudes accepta mercede decantabant. Quæ tamen leuitas à Latinis verisque historiographis semper alienissima fuit , qui non modo laudes, sed & vituperia regum & tyrannorum conscripserunt;id est, non solum bona,verum & mala eorundem facta ad posteros transmittentes,personam non respicientes,odium neque veritatem pertimescentes: quemadmodum & diuina scriptura tam in libris regum quam aliis facere solet; bona ad imitationem, mala autem ad terrorem legentibus proponens. Et tantum de illo.

Fridericus insuper ille dux noster licet se propter regnum DEI minime castrauerit ; vxorem tamen legitimam nunquam duxit, hæredes forsan multiplicare cauens, opus hoc fratri suo germano Ioanni,thoro legitimo, committens , qui nunc sequitur.

Ioannes dux Saxoniæ, Landgrauius Thuringiæ, marchioque Misnensis, frater prædicti Friderici ducis , qui nunc post diuisionem terrarum inter se & prædictum hunc Fridericum principatur in Thuringia & terra Aduocatorum : hic primo vxorem duxit nomine Barbaram , generosam & elegantissimam filiam ducis Magnopolensis, vulgo Mecklinburgensis: ex qua genuit filium , quem ex nomine suo & fratris Ioannem Fridericum appellauit , cui nunc forti Caroli quinti,noui huius regis Romanorum, soror desponsata dicitur. Cæterum prædicta Barbara, coniunx eius prima amantissima , parum superuixit , dolore (ni fallor) puerperij extincta. Qua mortua, post aliquot annos duxit aliam , Agnetem videlicet, filiam Woldemari principis ab Anhalt, comitis Aschaniæ , & domini in Bernborg:cum qua adhuc viuit ætate florida, cum eam iuuenculam paucos ante annos duxerit: genuitque ex ea (vt fama est) liberos. Ipse tamen dux Ioannes prouectioris nunc ætatis est, dominaturque & ipse optime & pacifice, dempta exactione supra dicta cereuisiali grauissima & noua, quam vulgus *Pyrgelt* siue *Pyrtzenden* nominat: quæ & ipsa in prouinciis suis iam in aliquot grassatur annos.

Iste itaque Ioannes dux,cum fratre suo Friderico, soli supersunt ex filiis Ernesti ducis Saxon.& electoris,senioris videlicet & defuncti : cuius duæ filiæ : vna Margaretha nupsit duci Luneburgensi : altera nomine Catharina, siue (vt alij dicunt) Christina,nupsit Ioanni regi Daciæ,vt supra etiam dictum.

Porro Ernestus memoratus fratrem habuit germanum, Albertum nomine,virum strenuum & bellicosissimum qui miranda egit per Germaniam, & præsertim in partibus inferioribus, prælia: victor & triumphator glorioſus , Maximiliani Cæsaris exercituum & armorum dux, qui ob fortitudinem & præclarissima facinora ab historicis nostri temporis Teutonicus Hector appellatur, De cuius gestis denique, & liberis eius atque successoribus in terra Misnensi ac Libonotria,vbi principatus fuerat ipsius, infra sub anno obitus sui latius tractabo calamum.

Anno eodem supra dicto, videlicet qui est Domini MCCCCLXXXVI, cum essem Cracouiæ metropoli Poloniæ, literarum vacans studio : consulatus quatuor vigiles, viros robustos & eiusdem conciues vrbis, quia noctu furem deprehensum accepta mercede abire permiserant,decollari fecit in foro. Primo, tertio,& quarto,viriliter à spiculatore decollatis : secundum in ordine lædere nequiuit,sed leui ictu tactum parumper fauciauit. Meritis enim diuæ Barbaræ se in ipsa hora (vt post retulit) deuouerat: & ita eius patrocinio mortis discrimen euasit,& diu superuixit. Et huic quidem spectaculo cruento curiosus spectator interfui.

Eodem

Eodem anno Maximilianus, Austriæ & Burgundiæ dux, filius Friderici imperatoris, electus est Francofordiæ in regem Romanorum. Cuius vxor Maria, filia ducis Burgundiæ Caroli, cum qua Burgundiæ ducatum nactus est, & ex qua genuit Philippum Hispaniarum principem, & Margaretam filiam; paulo post casu equi currentis delapsa fractis ceruicibus expirauit.

Anno Domini MCCCCLXXXVII, Albertus dux Bauariæ ille famatus, habuit nuptias cum Kunigunde, filia Friderici imperatoris, & sorore Maximiliani regis. Eodem anno Sigismundus dux Austriæ, qui principabatur in Athesia, exercitum copiosum & fortem armauit in Venetos, oppidum illorum Rofrit oppugnans. Eodem anno Fridericus imperator conuentum magnum principum habuit Nurenbergæ, pro auxilio contra Thurcas. In quo & de vnione ac pace principum multa tractata fuere, & vltimate, vt omnia bella inducias haberent, concluſum. Et ibidem in ipsa arce imperator cum ingenti gloria Conradum Celtis, poetam magnum, virumque eruditissimum, primum ex Germanis Apollinari laurea decorauit.

Eodem anno ego frater *Paulus Langius*, qualiscunque huius præsentis historiæ collector, natione Cygnæus siue Czuiccauiensis, relicto seculo ad monasterium hoc nostrum proposito monachandi (vt infra patebit) veni; qui quidem patre Georgio, matre vero Elizabetha liberiore genere natus. Quod dico ob integra & vetusta armorum insignia, & galeæ videlicet, & clypei, parentelæ meæ; quæ vtique absque præclaris actibus progenitores meos ab imperio acquisisse vel accepisse haud crediderim: quę etiam memoratus genitor meus, ciuis Nurenburgensis, in Czuickauiam vbi me genuit, cum domo sua se transferens, hæreditaria successione gessit prætulitque; rebus quas iuxta facultatem suam Dei pro honore in ecclesiis instituit, subpingi fecit, quemadmodum vsque hodie in tabula quadam altarij cuiusdam fratres ad Minores; & vna fenestra ecclesiæ parochialis, cernere licet. Quæ quidem non meam qui mundo mortuus sum, genitoris mei sed ob reuerentiam atque memoriam dixerim. Qui cum esset vir prudens, & modestissimæ vitæ, à cunctis ludicris illecebrisque quam alienissimus, Deum timuit, superosq; omnes mente complectebatur deuotissima. Et præsertim gloriosam virginem Mariam, cœli reginam, certis orationibus venerabatur assidue; & ad similia deuotionis exercitia me filium suum cum cæteris liberis hortabatur quotidie, modum orandi præscribens & inculcans. Hinc etenim, id est paterno ex pectore, mea manauit conuersio. Hoc eodem (vt dixi) anno, in mense Maio, tribus ciuitatis proceribus fratreque meo germano Laurentio, viro pulcherrimo & eloquente, comitantibus; honorifice cœnobio introductus, & venerabili abbati Petro præsentatus oblatusq;. Susceptus itaque affectuose & promptissime, paucos post experientiæ dies, in festo videlicet sanctorum martyrum Ioannis & Pauli, nouitiatus habitum ipso eodem abbate celebrante & ministrante indui. Ast quo sydere aut fato nescio, cum in ipso pene limine religiosæ professionis exorbitauerim, mutabilitatis præcipitio lapsus, sed non collisus. Dei quippe fretus munere confestim resipiscens surrexi. Et quanquam peccare sit humanum, iacere autem Sathanicum; denique & humanum errare, sapientis emendare; sicque fecerim: vix tamen eatenus exprobrantibus carere valui, qui pharisaico supercilio se iustos arbitrantes cæteros despiciunt, ad improperandum insultandumque quam compatiendum paratiores; qui alieno vulnere ægrotant; qui quod volunt dicunt sanctum, quod nolunt afferunt prophanum; qui extra suam conscientiam iustitiam esse nullam autumant, solum se penes lucidum esse arbitrãtes; qui veritatem peccatoris ore prolatam floccifaciunt, aurum tamen in luto repertum colligunt, & virulenta, ac pessima, falsaque, ex Porphyrij, & Auerrois, & similium philosophorum, imo hæresiarcharum peruersorum, dogmata religiosorum doctrinis scriptisque præferunt Christianissimis. Qui cum sint inertes & idiotæ, truncis etiam obtusiores, bonarumq; artium literarumve ignarissimi, nihil per se scribentes, aut scribere potentes; aliorum tamen & ingenia, & studia, atq; lucubrationes, exufflare, irridere, & vilifacere non desistunt, Domitiano & Licinio literarum hostibus deteriores, optima quæque (vt facer ait Hieronymus) malentes contemnere, quam discere. Contingit itaq; mihi iuxta illud euangelicum Saluatoris dictum quod passim tametsi minus iuste & reuerenter in eiusmodi Sycophantas iaculatur: *Non est acceptus propheta in patria sua.* Et illud alterius sa-

pientis: *Minuit præsentia famam.* Nec mirum, quoniam (vt inquit Naso:)

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.
Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.

Enimuero (vt alludit Propertius)

Omnia post obitum fingit maiora vetustas:
Maius ab exequiis nomen in ora venit.

Et ita de me spero, quod

Iudicium melius posteritatis erit.

Propter supra memoratos itaque vitilitigatores, Calphurnios, Zoiloſq; meos, omnia præmissa præter propositum huic inserere operi volui, tam de illis quam de meipso dicta, ne in cæterorum reprehensione meam me non spectasse manticam, Nænijque instar mihimet peperciſſe criminentur & blaterent; qui ad nil aliud quam ad latratum videntur esse nati, Plautina de familia. Quibus deniq; aliud nil modo, illud quam Terentianum, *Veritas odium parit*, atque illud, *Scientia non habet inimicum nisi ignorantem*, vulgatissimum adagium, obiicio, quoniam & ad alia prosequenda festinus propero.

Eodem anno supra memorato, videlicet Domini MCCCCLXXXVII, feria Pentecostes, grandi tempestate exorta, fulmen turrim vnam incendit, & tectum eius versus Austrum exussit.

Anno Domini MCCCCLXXXVIII, Maximilianus Romanorum rex fuit captus in Flandria à Brugensibus. Quod audiens Fridericus imperator, valido collecto exercitu ipsos Brugenses obsedit, & expugnauit, filiumq; suum dictum Maximilianum adiutorio Alberti ducis nostri bellicosissimi liberatum recepit. Et hinc cruentissima bella per aliquot annos per totam Flandriam sequuta sunt, quorum ductor fuit memoratus dux Albertus, imperatoris iussu qui ipsos Flandrenses rebelles imperio domare & subiugare voluit vt & factum est. Fortissimus siquidem dux Albertus non solum ipsos Flandrenses, quorum etiam præcipui & potentiores Brugenses, apertis portis vrbis, nigris induti, nudis & pedibus & capitibus, claues ei ciuitatis vltro obtulerunt; verum & alias gentes inferioris Germaniæ & maritimas, vtpote Eburones, Sicambros, Batauos siue Holandinos, Brabantinos, &c. Cæsari rebelles per nouem annos ferme durissimo Marte attritos, expugnauit, & imperio subesse coegit. Quibus bellis frequenter personaliter ipse Maximilianus rex armatus interfuit, etiam in ipsa acie crebro fortissimi militis instar dimicans. Qui & ipsum Albertum, ducem militiæ suæ, exactis bellis, pro mercede victoriarum suarum laboribusque Frysia prouincia donauit, si tamen eam sibi subiugare, & obœdientem facere posset, quam qualiter quantumve domuerit, in sequentibus suo loco patebit.

Eodem anno, indictione Romanorum VI, feci professionem solennem ipso die sanctissimi patris nostri Benedicti, in Quadragesima. Deinde paucos post dies pater Hermannus, vir magnæ religionis, homoque virgineus, primus apud nos in reformatione prior, qui cum abbate Thoma eam ob rem de Bergensi cœnobio aduenerat, sidus Aprilis obiit.

Anno Domini MCCCCXC, Matthias Vngariæ rex præstantissimus, paterno more militaris gloriæ appetentissimus, bello fortunatus, obiit Wiennæ Austriæ, morbo extinctus, & Albim ductus, in sepulchris regum sepultus est. Iste Matthias miranda egit contra Thurcas, propugnator fidelium strenuissimus. Qui & paulo ante ingenti prælio castellum Thurcarum Sabatz munitissimum ad litus fluminis Saui gloriosissime expugnauit cepitque.

Eodem anno Constantinopoli, die 12 mensis Iulij, tempestas ingens & horribilis exorta fulmineo igne octingentas domos absumpsit deuorauitque.

Anno Domini MCCCCXCI, Ferdinandus, potentissimus Hispaniarum rex, totum regnum Bethicæ quod hodie Granate dicitur, deuictis Sarracenis, regeque eorum capto, vi & armis expugnatum suæ ditioni subiecit: quod vsq; hodie reges Hispaniæ possident, & consequenter inuictissimus imperator noster, Carolus quintus, hæreditario iure modo per successionem possidet. Maior & populosissima regni vrbs Granata vocatur, à qua & regnum nomen habet.

Anno

Anno Domini MCCCCXCI,quo supra,Turcarum imperator Pannoniam inferiorem armis turbauit,sed ab incolis repulsus ad propria redijt. Quo etiam anno Nurembergæ magna imperij diæta seruata & celebrata est.

Eodem anno Zaliabus,qui & Zizuni dictus est, Baizeti Thurcarum imperatoris frater,per Priorem hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani captus fuit, diuq; in custodia tentus,tandemque in potestatem Innocentij octaui traditus. Romæ etiam diu; honeste tamen & regaliter custoditus, vt tandem cum honore pro recuperatione pro-
uinciarũ Europæ ab ipsius antecessoribus Turcis Christianis ablatarum ad propria dimitteretur incolumis,statutum est. Sed heu secus contigit!

Anno Domini MCCCCXCII,septimo Idus Nouembris,tempestate exorta igniuoma , inter tonitrua grandis valde lapis è nubibus prope oppidum Ensheim ad agros proprios Friderici imperatoris cecidit cum ingenti fragore;habens formam Delræ,aciemq; triangularem,qui ibidem ad ostentationem tanquam stupendum futurorum omen reseruatur.

Eodem anno,XXVII die mensis Iulij,Innocentius VIII Romæ obijt,cui Alexander VI successit,seditq; annis XI: vir æuo grãdis & mirus,in quo (vt quidam de eo ait) vitia æquabant virtutes. Eloquens fuit,& artium ac sapientium virorum promotor & fautor. Stipendia quoque militibus. & mercedem operarijs liberaliter dedit. Hic denique ob pertinaciam & superstitiones quasdam hæreticas tres ordinis prædic. fratres Florentiæ comburi fecit. Eodem quoq; anno episcopus noster Theodericus obijt: cui Ioannes,eius (vt fertur) ex fratre nepos qui sequitur,successit.

IOannes III,XXXVII Numburgensis ecclesiæ antistes , & ipse de nobili ac vetusta Schonbergensium familia & stirpe genitus,prænarrato Theoderico episcopo patruoque suo cuius in vita coadiutor fuerat,defuncto succedens,anno Dominicæ incarnationis MCCCCXCII, quo & anno, Dominica Iubilate,indictione Romanorum decima,cum magna & pompa & solennitate, illustrissimorum ducum in præsentia Saxoniæ,per reuerendissimum clarissimumque Archiepiscopum Ernestum, prædictorum ducum nostrorum germanum,consecratus, vel (vt aiunt) coronatus fuit, præsentibus & alijs nobilibus & eminentibus vtriusque sexus personis : præfuitque exin optime, fructuose,pacifice & laudabiliter, annis XXVII. Hic aliquandiu in Academia Lipsensi literarum studio ante episcopatum incubuit: fuitque vir plurimum venustus , statura procerus,corpore robustus,facie formosus,capillo candidus; & cunctis membris concinnus & niueus. Ast cum rara sit formæ & pudicitiæ concordia; nec ipse eas concordes habere potuit,quin detrimentum pudicitiæ passus, Veneriq; igne perustus; mulierum amore in primis regiminis sui annis deperiret; ætate quidem recentiore. Nam successu temporis maturior factus, prudenter & honeste se gerebat;licet huius nostræ tempestatis præsulum more æuum molliter & deliciose traduceret;officium suum raro & segniter in spiritualibus explens,plus solatijs ludisq;,quam libris diuinisq; scripturis, intendens. Temporalia tamen remq; publicam magnifice;tranquilliter,atq; proficue, rexit & auxit; complura tam pro episcopio quam pro vtilitate construendo, ordinando & instituendo. Quandoquidem cum esset alioqui vir bonus,mitis, benignus & placabilis,liberalis denique & munificus, & in cura rei familiaris admodum peritus,multa magnalia pro ecclesiæ suæ decore & vtilitate perfecit opera (vt dixi) potissimum in structuris & ædificijs magnis & amplis, quæ de nouo erexit in castro Czeitz, vt patet intuenti. Castrum quoq; Haymsburg muniuit & renouauit. Molendinum insuper à fundamentis nouum & conspicuum septem rotarum ad ripam fluminis Elisteræ Occidẽtem versus construxit. Piscinas complures nouas & magnas fieri fecit,prosperum in huiusmodi & similibus rebus successum habens. Proinde in pecunijs , redditibus , bladis,pecudibus,cæterisq; necessarijs mensam episcopalem plurimum auxit & locupletauit. Habuit præterea magna accidentia pecuniarum & argenti ex mineralibus Montisniuis. Profecit deniq; (vt ioco loquar) non modo temporali, sed & corporali substantia,& adeo crasse,vt monstrosum esset videre;capite & ceruice tam pingui , vt non collum,quandam sed massam sub mento habere cerneretur: quod tamen ei ad laudem fiue felicitatem minime nocuit , à natura siquidem habuit , quam nec medicus nec medicina tollere aut mutare potest.

Hinc etiam forsan accidit, semel quod amentiam siue maniam aliquot hebdomadibus incidit, vt etiam de eius restitutione à multis dubitaretur. Tandem tamen Dei prouidentia & passim medicorum cura conualuit, pristinæ incolumitati restitutus, complures annos superuiuens. Hic deniq; dignissimus præsul Ioannes cuncta pene suæ diœcesis monasteria præsertim Sãctimonialium reformare & claudere studuit; in hoc sancto opere industria ac solertia, imo consilio & adiutorio, vsus domini Nicolai Thilimani, vtriusque iuris Licentiati peritissimi, ecclesiæ Citzensis, Canonici senioris, viri optimi, in rebus agendis causisq; ecclesiasticis quãtumuis arduis expediendis prudentissimi, prædictorum monasteriorum omnium, imo (vt infra patebit) & nostri loco episcopi visitator vigilantissimus.

Insuper venerandus ille antistes noster Ioannes, tanquam idoneus & benemeritus nouorum præsulum institutor & magister, consecrauit & ordinauit summo apparatu, anno Domini MDXIII, illustrissimum reuerendissimumq; in Christo patrem ac Dominum, dominum Albertum ex marchionibus Brandenburgensibus, germanum Ioachimi marchionis ac principis electoris, in Archiepiscopum Magdeburgensem & primatem Germaniæ; sequentique anno, videlicet Domini MDXIV, clarissimum ac præstantissimum dominum, dominum Adolphum principem ab Anhalt, comitem Aschaniæ, & dominum in Bernburg similiter consecrauit in Episcopum Merseburgensis ecclesiæ, qui antea diu præpositus fuerat maioris ecclesiæ in Magdeburg. Ioannes denique, noster ille (de quo loqmur) archimãdrita eximius, plurimum laudis & honoris nactus fuisset, si clerum bis non mulctasset; à cũctis suę diœcesis clericis beneficiatis certam summã pecuniarum extorquendo siue exigendo, dum supra dictum molendinum construxit, vt à fide dignis habui semel; aliam ob quam causam imposuerit, nec dum percepi. A populo tamen communi nunquam quicquam exegit, nec vllum grauamen imposuit: eundem sed vt bonus pastor in summa pace & tranquillitate tenuit, antiqua libertate libere vti permittens. Quare & ipse populus vehementer ipsum dilexit, mortem eius inconsolabiliter palamq; deplorans. Huic deniq; dignissimo præsuli nostro, anno Domini MDXVI, editiunculam primam huius operis dedicaui & obtuli, quam quidem ipse promptissime & hilariter tanquam diu desyderatam suscepit, liberali me munere donans honoransq;. Ipsum autem opus hoc anno otium nactus (vti promiseram) in hanc formam extendi. Et quanquam optimus ille pastor esset plurimum humanus, dapsilis, & munificus; magnum tamen thesaurum, vtpote octo aureorum nummorum millia, post se ecclesiæ, præter alia clenodia auri & argenti, successoriq; suo dereliquit. Sed heus alijs laborans & fructificãs, miserabiliter in tanta rerum copia seipsum neglexit; nullum animæ suæ remedium siue subsidium per aliquem anniuersarium aut aliud opus bonum & memorabile condens & disponens; sic (vt inquit Psalmographus) thesaurizans, nesciens cui congregaret: cum ille thesaurus suus relictus nunc (vt fama est) euanuerit, vt nec sibi, neq; ecclesiæ suæ, vtiq; Citzensi, proficuus esse poterit. Sed (vt quidam aiunt) arbitrabatur, se non tam cito moritutum. Quæ quidem spes prolixioris vitæ, & negligentia futurorum, quot deceperit & assidue decipit, non facile dixerim. Obijt autem bonus ille pastor, bonus vtiq; sibi subiectis omnibus, anno Domini MDXVII, de quo eodem anno plus infra.

De quibusdam euentibus nouis, qui contigerunt huius Episcopi temporibus.

Anno primo itaq; huius Episcopi nostri, qui est Domini MCCCCXCII, Fridericus imperator misit exercitum Sueuicæ ligæ contra Albertum ducem Bauariæ, & coegit eum Ratisponam vrbem imperialem quam vsurpauerat, restituere imperio.

Anno Domini MCCCCXCIII, Fridericus imperator, eius nominis tertius, obijt in Lyntz, anno imperij sui LIII. Iste Fridericus fuit quidem vir optimus & Christianissimus, ecclesiam & clerum diligens, atque pacifice imperium vtique in Germania gubernans, sed plus, quam imperatorem condecet, quieti & otio deditus. Eius siquidem incuria & desidia, imo omnium principum negligentia & inertia, qui ipsum iuuare, eique fideliter assistere detrectarunt; multa suo sub imperio regna, permultæ & ferme in-

me innumeræ prouinciæ & vrbes per ſpurciſſimos Thurcos ablata fuerunt, multaque millia Chriſtianorum etiam ex ipſa Europa in captiuitatem abducta. Nam quis ignorat aut ſine mœrore graui audire poterit, ſub eius imperio, ipſo viuente & regnante, à Chriſtiana religione abrepta eſſe duo iſta totius mundi pulcherrima, Conſtantinopolitanum, ac cum nobili illa vrbe Sinopi Trapezuntinum, imperia? Quis vel etiam ignoret, totidem regna à nobis paucis hinc annis diuulſa, Thraciam, Boetiam, Atticam, Macedoniam, Theſſaliam, Achaiam, Ætoliam Bithyniam, Cappadociam, Lyciam, Cariam, Lydiam, Ciliciam, Paphlagoniam, Pamphyliam, Pontum 22 gentes olim Mithridati ſubiectas continentem, Phrygiam, omnemq; Helleſpontum; quin vtranque Myſiam, ac Bulgariam, omnemq; cum Raſſia Seruiam, & quicquid denique ab Andrinopoli Sauumq; amnem ad Danubium vſq; interiacet, Boſnam, nobilemq; illam Mitylenen, cum innumeris gentibus quas inter nuncupatim Scordiſcos, Tribalos, Baſtarnas, & Taurinos meminiſſe magnitudo cladis interpellat. Mitto Dalmatas, Epiroticos, Iſauros, Hellades, Illyricos, Noricos, Pannonios, & cum Polonis à ſuis prope ſedibus profligatis nos ipſos Germanos, cruentiſſima Mahumetici furoris arma toties expertos. Taceo Chalcidis ſiue Nigroponti excidium; Hydruntinæq; vrbis, etiam in præcedentibus ſuæ miſeriæ anno memoratæ, calamitatem, cuius Archiepiſcopum lignea ſerra interfectum meminiſſe horret; totius denique Malefatenſis archiepiſcopatus lamentabilem vaſtationem. Taceo Euxini maris obſidium, mediterranei captiuitatem, quod ille immaniſſimus Chriſtiani nominis hoſtis libere nunc potenterq; obequitat. Et vt breuibus ampliſſima perſtringam catholicæ fidei detrimenta, Africa amiſſa eſt, Aſia tota ſub iugum miſſa, adeoq; in anguſtum ducta Europa, vt fides quam totam iam pridem perſonuit orbis, nunc anguſtus Occidentis incomptuſq; hirtæ Septentrionis angulus vix ſatis audet tuto profiteri. Tot ergo, tantaque, imo multo plura quam quiſquam calamo exprimere poſſit, Chriſtianæ Reipublicæ detrimenta & incommoda ſolum patimur, pontificum, regum, principumq; noſtrorum negligentia & diſcordia: qui dum inteſtinis odijs mutuiſq; bellis ardent, aut etiam delicijs otioq; marcent, Chriſtianorum prouincias terraſq; expugnari, diripi, aufferrique etiam in propriam tandem ſinunt perniciem. Verum & de his infra, cum ad nouiſsimam impugnationem à Thurcis in noſtros factam deuenero, Deo annuente ſcribam amplius.

Viri doctrina excellentes, qui ius claruere temporibus, & primo ſeculares.

In Italia itaq; hoc tempore effulſere viri ſapientiſsimi, Græcæ & Latinæ linguæ peritiſsimi, qui vtroq; genere ſcribendi multa ingeniorum ſuorum monumenta tranſmiſerunt ad poſteros, quorum princeps fuit:

Ioannes Picus, comes Mirandulanus, diuini ingenij vir, pentaglottos, id eſt quinq; linguarum, Græcæ, Latinæ, Hebraicæ, Arabicæ, Chaldææ quam peritiſsimus. Habuit autem complures clariſsimos & eruditiſsimos ſtudiorum ſuorum per Italiam collegas, quos inter eminent;

Angelus Politianus, rhetor & poeta eloquentiſsimus;
Hermolaus Barbarus, orator, poeta, & hiſtoricus ſummus;
Marſilius Ficinus, philoſophus Platonicus & theologus clariſsimus;
Philippus Beroaldus, orator & ipſe ac poeta inſigniſsimus;
Chriſtophorus Landinus, rhetor & Grammaticus excellens;
Item, *Hieronymus Donatus, Baptiſta Guarinus, Iuniarius Maius, Alexander Corteſius, Andreas Corueus, Robertus Saluiatus, Aldus Manutius.*

In Gallia autem claruerunt:

Iacobus Stapulenſis, theologus profundiſsimus;
Carolus Bouillus, philoſophus & theologus præcellens.

In Germania vero noſtra effulſere.

Ioannes Capnio, alias Reuchling, trium linguarum, Hebraicæ videlicet, Græcæ, & Latinæ, doctiſsimus, omnium huius ſui temporis oratorum, poetarum, interpretum &

Iuriſtarum facile princeps, quinque Vniuerſitatum quæ eius quædam ſcripta oppugnauerant, victor glorioſiſſimus, de cuius triumpho ſuo anno in ſequentibus dicetur paulo latius.

Iacobus VVymphilingus, ſacerdos & theologus, vita & doctrina alioqui conſpicuus, ſed ſcribendo plurimum acerbus & ſpinoſus, paſſim cæterorum & vitam & ſcripta cynice taxando. Qui cum in libello ſuo de integritate mores religioſorum & ingenia etiam antiquorum patrum taxaſſet, librumq; de ſcriptoribus eccleſiaſticis Ioannis Trittemij abbatis, & quondam præceptoris mei, temere & inſipienter reprehendiſſet, noſtroq; ordini tres præſtantiſſimos eccleſiæ doctores, Gregorium videlcet magnum, Alquinum Caroli magni magiſtrum, ac venerabilem Bedam ſubtraxiſſet, eos cucullatos ſiue religioſos extitiſſe ſcriptim negando; ſicque alijs ordinibus feciſſet quibuſdam; iuſſu ac inſtinctu memorati abbatis Trittemij, viri vndecunq; doctiſſimi, ſub cuius tunc certo tempore militabam obedientia, in archiſterio diui Iacobi prope Herbipolim, ſcripſi contra eum, immo eius deliramenta, opus bipertitum in laudem & defenſionem clauſtralium omnium. Edidit inſuper idem Iacobus & plura alia opuſcula parua, quæ impreſſa venduntur palam.

Sebaſtianus Brant, orator, poeta, & vtriuſq; iuris doctor celeberrimus, Cæſareæ quondam maieſtatis ſymmiſta, nunc autem in complures annos Argentinæ vrbis archicancellarius digniſſimus. De cuius geſtis & ſcriptis quæ etiam poſt emerſere, infra ſub anno Domini MDXIII, quo ad me literas & quidem terſiſſimas dedit miſitq; tractabo Deo fauente latius. Et hunc quidem virum cum proximis duobus præcedentibus, Capnione videlicet, & Wymphlingio, vidi in proprijs eorum ædibus, dum iuſſu præfati Trittemij virorum illuſtrium per Germaniam lucubrationes inquirerem. Claruerunt quoq; eodem tempore ſequentes:

Michael Lochmayr, concionator egregius Patauinus;
VVendelinus Steinbach, theologus Tubingenſis;
Gabriel Biel, theologus & ipſe, ac prædicator præclarus;
Matthæus Herbenus, theoſophus & poeta inſignis;
Rudolphus Agricola, vates & rhetor, Græce Latineq; doctiſſimus, & complures alij qui ſeculares fuerunt in omni ſcibili eruditiſſimi, quos breuitatis intuitu hic ponere noluit, quia & de eis propenſius liber tractat Trittemij. Nunc ſequuntur religioſi nonnulli ſapientia fulgentes, & primo ordinis ſancti Patris noſtri Benedicti.

Ioannes Rode, abbas ſancti Matthiæ Treuerenſis;
Andreas abbas Schonaugienſis, apprime eruditus;
Conradus abbas Rinckaugienſis, carmine etiam peritiſſimus;
Guido Iuuenalis, philoſophus ac theologus Pariſienſis, monachus autem Cluniacenſis, vir in diuinis ſcripturis eruditus, & in diſciplina ſecularium literarum valde inſtructus, qui quidem inter alia de reformatione clauſtralium elegantiſſimum opus edidit.

Ordinis canonicorum regularium doctores.

Matthæus Boſſius, theologus diſertiſſimus;
Thilmannus Prior in Rauensburg, vir eruditus;
Petrus Hilgerius, diſputator acerrimus;
Paulus Somorenſis, veterum lectione ditiſſimus;
Guilhelmus Feldicus, theoſophus, & coſmographus præſtantiſſimus.

Ordinis Carthuſienſis viri illuſtres.

Henricus de Pira, in Theologia & iure conſultiſſimus;
Ioannes de lapide, theoſophus Pariſienſis, natione autem Germanus;
VVernerus Roleuinck, qui Faſciculum temporum compoſuit, qui tamen paulo ante obijt;
Ioannes de Teneramunda;
Gregorius Ryſch, qui margaritam philoſophicam, opus mirificum & vltiſſimum, edidit, & adhuc viuit.

Ordinis fratrum prædicatorum theologi.

Laurentius Geruaſii, theologus ſubtiliſſimus;

Ioannes

Ioannes Preslauer, theologus conuentus Lipsensis;
Bartholomæus Sibylla, theologus opinatissimus.

Ordinis Minorum viri doctrina fulgentes.

Rupertus de Licio, theologus ac concionator verbi Dei famatissimus, historiarumque peritissimus complura edidit;
Oliuerius, conuersatione & scientia conspicuus;
Ludouicus de Prussia, qui Trilogium animæ compilauit;
Nicolaus Lactterman, qui varia & multa composuit;
Ioannes Gritz, is Quadragesimale & alia conscripsit;
Iacobus de Albano, de conceptione beatæ virginis scripsit, & alia;
Fridericus Erlebachius, qui ante ingressum ordinis fuerat artium magister eximius: metro & prosa multa edidit;
Cherubin de Spoleto, & *Nicolaus de Nise*, ac *Antonius Trumpese*, sermones de tempore & Sanctis composuere, & alia.

Ordinis fratrum Augustinensium theologi.

Gotscalcus, qui præceptorium vtilissimum edidit;
Ioannes Dorsten, theologus acutissimus, qui inter alia tria volumina in Theologia consessit, quæ Erfordiæ in suo habentur conuentu;
Andreas, ordinis Prouincialis, & concionator eximius, dictus cognomine Prolis;
Ioannes Pals, Ioannis Dorsten auditor, & ipse doctor sacrarum literarum ac prædicator laudatissimus qui Cœli for. cum suo supplemento edidit;
Iacobus de Pergamo, historiographus & theosophus validus, qui Supplementum Chronicorum & alia scite composuit.

Ordinis fratrum Carmelitarum theographi.

Ioannes Soreth, sacræ theosoph. professor insignissimus;
Baptista Ferrariensis, historicus peritissimus, Italus;
Ioannes Placentinus, theologus celeberrimus;
Arnoldus Buschius, deuotus ac eloquentissimus theologus. Scripsit de laudibus sanctæ Annæ, de viris illustribus ordinis Carthusiensium, & alia quæ necdum vidi. Hi itaq;, & complures alij sacratissimæ theosophię professores, cum alijs diuersarum scientiarum viris eruditissimis, hoc tempore claruerũt, qui ecclesiam Christi & verbo, & exemplo, atq; calamo, mirum in modum illustrauerunt.

Anno Domini MCCCCXCV, Maximilianus rex duxit vxorem secundam, filiam ducis Mediolanensis. Eodem anno Wormatiæ in diæta regni & conuentu principum comes Eberhardus de Wirtenberg, cognomento Bartman, factus est dux ducatus sui primus. Durauit autem prædicta diæta per biennium. Circa idem tempus, armipotens ac bellicosissimus dux noster Albertus, qui ob fortitudinem suam & bellandi peritiam dictus est Teutonicus Hector. Ferocissimas enim gentes Romano Imperio & Maximiliano Cæsari subegit, cuius nomine fere duodeviginti annos continuos in Germania inferiori in castris egit: à quo primum Sicambriæ, deinde Frisiæ quod aliquando regnum fuerat, titulos in remunerationem (vt etiam supra anno MCCCCLXXXVIII dictum fuit) accepit; obijt. De cuius obitu opinio fuit in primis varia; alijs dicentibus, eum febre extinctum; alijs vero bombarda peremptum. Et id quidam frater Iocobita asseruit in conuentu fratrum prædicatorum in Gruningen, ostendens mihi fenestram, ex qua ictu bombardæ ipsum perculsum dicebat, & prostratum lethaliter. Habuit autem ipse glorioſus dux conthoralem filiam Georgij viceregis Bohemiæ fœminam deuotissimam, ex qua genuit inter alios tres nobilissimos liberos, Georgium videlicet, Fridericum, & Henricum qui cum eo aliquandiu in partibus inferioribus sub armis militauit, modo autem vxoratus principatur in Freiberg. Porro Fridericus factus fuerat magnus dominus siue magister dominorum Teutonicorum in Prusia, sed parum superuixit.

Georgius autem senior filius, vir strenuus, & sapientissimus dux, succesit ei in du-

catu Saxonię & marchionatu Miſnæ,&c. Et is quidem prudenter in prouincia Miſnæ ac Libonotria principatur;complura etiam per Sorabiam Saxoniamq; poſſidens caſtra & oppida. Duxit autem coniugem,nomine Barbaram,Poloniæ regis filiam,ex qua genuit generoſas vtriuſq; ſexus ſoboles: inter quas Ioannes ſenior hæres,anno Domini MDXVII,(vt infra etiam patebit) duxit in vxorem filiam Guilhelmi Landgrauij Haſſiæ paulo ante defuncti.

Anno Domini MCCCCXCVI, Eberhardus Bartmannus primus dux Wittenbergenſis obijt,cui filius eiuſdem nominis ſucceſſit:de quo infra.

Anno Domini MCCCCXCVII, Sigiſmundus archidux Auſtriæ, qui principabatur in Atheſia vulgariter *Etzſch*,obijt ſine hærede. Hinc de iure ducatus ille relictus deuenit ad regem Maximilianum. Quo etiam anno obijt Gallorum rex Carolus,qui præcedenti anno Neapolim occupauerat. Eo mortuo, ſucceſſit ei in regno Ludouicus filius,qui vſque hodie regnat ibidem.

Anno Domini MCCCCXCVIII, Eberhardus ſecundus dux Wittenbergenſis,filius prænarrati Eberhardi Bartmanni primi ducis, propter inſolentias ſuas & veſanias à ducatu ſuo & prouincia fuit expulſus. Qui fugiens ad Palatinum Rheni paulo poſt obijt. Eoq; ſic defuncto, ſucceſſit in ducatu nepos ſuus Vlricus,iuuenis annorum vndecim,qui vſque hodie non minore inſolentia principatur, ne dicam graſſatur,(vt infra dicetur)in ſubditos. Habet autem neptim Cæſaris Maximiliani in vxorem. Eodem anno Liga quæ dicitur Sueuica,exercitu magno impugnauit Heluetios,qui & Leopôtij,vulgo Switzeri,dicuntur,ſed maiore detrimento quam commodo: quo etiam anno diæta regni fuit Auguſtæ.

Anno Domini MCCCCXCIX, bellum rurſus motum fuit arduum & eruentum, imperialium ciuitatum & prædictæ ligæ Sueuicæ contra Heluetios, ſed manſerunt inuicti.

Anno Domini MD,Romæ ſub Alexandro VI Iubilæus cum ingenti populorum frequentia paſſagioq; celebratus fuit.

Anno Domini MDI,Mediolanenſis dux N.genitor conthoralis Maximiliani Cæſaris ſiue ſocer captus eſt à Francigenis, & apud eos in captiuitate mortem adusq; ſuam detentus.

Eodem anno Vniuerſitas Francofordiana cis Oderam per Ioachimum marchionem Brandenburgenſem & principem electorem cœpta eſt, & erecta. Cruces quoque rubeæ in diuerſis oppidis & villis Colonienſis diœceſis in veſtimentis hominum, præſertim in peplis mulierum etiam ciſtis incluſis, hoc apparuerunt anno; quod timorem magnum multis incuſſit.

Anno Domini MDIII, Friderico Saxoniæ dux & elector, princeps noſter ſapientiſſimus, emporium ſiue literarum ſtudium vniuerſale erexit & inſtituit Wittenbergæ in Saxonia, vnde electura imperialis manat. Vbi hoc anno quo hæc ſcribo, Dominicæ incarnationis MDXX, ob florentiſſimum ac famatiſſimum Theologiæ & omnigenę ſapientiæ ſtudium feruntur mille quingentique ſtudentes exiſtere, fama eruditiſſimorum virorũ Martini Lutheri Auguſtinẽſis, & Andreæ Carolоſtadij archidiaconi & canonici eccleſiæ collegiatæ & exemptæ omnium Sanctorum ibidem; nec non Philippi Melanchthonis rhetoris, ſacræq; Theoſophiæ Baccalaurei, Græce & Latine peritiſſimi, allecti & adunati. Et memorati quidem integerrimi doctiſſimiq; duo illi hierophãtes, Martinus vt Luminare maius, Andreas vt Luminare minus huius academiæ, theologiæ ſtudium & diuini verbi triticum abſque omni palearum, id eſt ſecularis philoſophiæ ſyllogiſmorumve,mixtura puriſſime tractant, & edocent ſacram ſcripturam; & potiſſimum Chriſti Euangelium, & Paulum Apoſtolum habentes pro archetypo & fundamento,cum ipſo literarum ſtudio timorem Dei,& cunctarum virtutum ſemina, verbo,exemplo,& calamo in diſcipulorum pectora ſpargentes. Neq; enim in hac almiflua ſapientiæ palæſtra fatuus ille Peripateticorum princeps Ariſtoteles, vel impius Porphyrius,aut certe ille blaſphemus Auerroes, & ſimiles orthodoxæ fidei ſpretores, & irriſores,cathedram vllam habent vel audientiam. Verum & de hoc infra locis ſuis & annis opportunis dicetur plus,quemadmodum & ſupra anno Domini MCCCXXX copioſe factum conſtat.

Eodem

Eodem anno, Alexander papa VI eius nominis, decimo octauo die mensis Augusti, veneno periit. Sub cuius papatu Roma (vt ait Volaterranus) gentium refugium, & arx populorum, omnibus seculis nobilis, iam carnificina facta erat. Erant & eo viuente Romæ sacra venalia cuncta. Quo ita (vt dictum est) extincto, successit ei omnium consensu Pius huius nominis tertius, natione Ethruscus, patria Senensis, nepos Pij secundi, eodem anno, decimo calendas Octobris, vir maturæ religiosæque vitæ. Sed è tanto fastigio cito sublatus est. Sedit enim solum dies XXVII, vt ait Ioannes Stella Venetus. Quo sic defuncto, vacauit sedes Petri diebus XIV, post quos mox in summum pontificem creatus est *Iulius secundus*, natione Ligurus, patria Saonensis, vir magnanimus & Martialis, doctus tamen, & doctorum hominum fautor & promotor. Qui factus pontifex, ad componendas res Italiæ, & patrimonium beati Petri recuperare neanimum intendit. Quod cum à detinentibus præsertim Venetis aliter recuperandum quiret; post anathematis fulminationem, post omnium dignitatum priuilegiorumque annullationem & priuationem, armis & vi recuperare aggressus maxima in eos commouit prælia, quibus ipse ferme continue barbatus & armatus interfuit. Maximilianum quoque Cæsarem, & quoscunque quiuit principes & barones, in eosdem Venetos concitauit. Quorum multitudine & potentia Veneti vehementer artati, tandem anno salutis MDIX se humiliantes, dextras ab Maximiliano petierunt; in signum subiectionis annuatim magnam certamque aureorum summam præstare spondentes. Ast Cæsar eos audire detrectabat, quos armis viribusq; subiugare proposuerat. Fortuna autem fallente, Venetis papæ clam auro mediante conciliatis & fœderatis, Cæsar in Italia papæ destitutus auxiliis, tandem & ipse licet inuitus ab eorundem impugnatione desiit; Padua attamẽ ante, & aliis pleriſq; vrbib. imperio recuperatis; licet ipsa instabilis Padua recedẽte Cæsare rursus ad Venetos defecerit. Et ita tandem finaliter ipsi Veneti inuicti mansere, flebile principium meliore fortuna secundante. Et præmissæ quidem bellicæ res per anticipationem ob Iulij papæ mentionem descriptæ, suis annis perfectorie replicabuntur in sequentibus. Eodem anno, Georgius dux Baioariæ, cognomento Diues, humanis rebus excessit. Hinc ob ducatũ eius arq; thesauros relictos inter propinquos grãdia sequuta sunt bella, iuxta illud poeticum *Certamen mouistis opes*, de quibus quidẽ sequenti dicetur anno præliis. Eodem anno, capitulum annale abbatum nostræ obseruantiæ celebratum est, in cœnobio diui Iacobi apostoli prope Moguntiam. In quo prima vice Henricus Asch nouus abbas Bursfeldensis principalis fuit præsidens; Ioannes sancti Mich. in Hil. & Gerardus in Tholeya, abbates compræsidentes; Ioannes Spanheimensis scriba, & Antonius Verdensis, diffinitores: sermonem quoque fecit Spanheimensis. In hoc capitulo Raymũdus, cardinalis & apostolicæ sedis legatus cum plenissimo indulgentiarum iubileo, vt principes populosque Germaniæ in Thurcos animaret, & eam ob rem pecuniam necessariam colligeret, per literas venerabilesque nuncios à patribus orationes pro pacifico ecclesię statu fieri desiderauit & impetrauit. Qui paulo post Erfordiam diuertens, aliquandiu in monasterio Montis diui Petri moram traxit. Laborabat siquidem plerunque podagræ humoribus, quod proficisci non poterat. Deinde Lypsim venit, vbi aliquot dies consistens Conradum Wimpinam, & supra memoratum virum disertissimum, qui eum vice Vniuersitatis oratione elegantissima susceperat, theologiæ sacræ fecit doctorem. Expost per Saxoniam in Lubecam, deinde in Daciam, cum suo thesauro properauit, ardentissimo vbique animo, verbo denique & scriptis Christianum populum in Thurcos concitando. Eodem anno ceciderunt diuersorum colorum cruces super homines, etiam super vestes cistis inclusas.

Anno Domini MDIV, in Bauaria grande ac flebile exortum est bellum, inter Albertum ducem Bauariæ, & Rubertum Palatinum iuniorem, propter supra narrati Georgij ducis relictum ducatum, quem vterque sibi de iure vendicare contendit. Et quia concordare nequibant, ad arma ventum est. Albertus itaque confestim ipsum Rubertum & vi & armis ducatu exturbare machinabatur. Rupertus vero, cum esset socordioris animi, pene in ipso belli exordio mœrore & desperatione confectus, vna cum dilecta nouiterque nupta vxorcula luctifico morbo periit. Quo mortuo, totum belli pondus in patrem eius Philippũ palatinũ seniorem, tanquã in rebellẽ & superbũ Cæsarisque ac principum contemptorem, conuersum est. Alberto vt sororio suo Ma-

ximilianus Cæsar fauebat. Bello itaque crescente, complures principes per gyrum viciniores, & præsertim Vlricus Wirtenbergensis, Alexander Wederaugensis, Landgrauius Hassiæ Guilhelmus, comes de Leiningen, Nurenbergenses quoque, & alij, Palatini terras, villas denique, & oppida, & ferro & incendio vastabant, & pleraq; integra linquentes sibi subiugabant. Porro per exustionem villarum maxima ei intulit præfatus Landgrauius damna, maiora tamen multum comes de Leinigen tyrannus. Qui cum esset crudelior cæteris, se eodem turbine belli durante magistrum incendij vulgo *Brantmeyster* iactabat, probroso reuera suæ nobilitatis titulo. Ipse siquidem interalia pernitiosa facinora in Palatini protectoris, immo & inhabitantium odium, imperiale nostri ordinis monasterium Lympurg Spirensis diœcesis, haut procul à Rheno alto in monte à Conrado secundo eius nominis imperatore cognomento Salico operose & magnificentissime constructum, funditus iniecto igne exussit, in perpetuum suum & Rhenensium dedecus & opprobrium. Cuius quidem cœnobij destructionem & excidium, non tam ob regalem fundationem, quam alia eximia vetustatis monumenta, sanctarumque reliquiarum pretiosa insignia, Maximilianus grauiter tulit. Ipso enim ignorante & absente contigit. Quare & ipsum auctorem sceleris, comitem qui castrum munitissimum vicinum dicto monasterio in monte quoque situm habuit, omnibus bonis priuatum, è Germania proscripsit. Eodem quoq; tempore & bello, cœnobium ordinis Cisterciensis opimatissimum Waltlachsen, sub tuitione quoque Palatini situm, totaliter incendio hostili consumptum fuit & excisum. Verum cæteri principes mitius agentes, ab igne temperantes, oppida & castra nonnulla expugnata, post direptionem tolerabilem iure belli sibi vendicantes, propriis terris bonisque adieceerunt. Nam & eo bello Nurenbergenses nonnulla oppidula quæ Palatini erant, armis deuicta, vsque in præsens prælij iure possederunt, & nouis ædificiis ac fortaliciis veluti propria muniuerunt & muniunt. Eodem anno mons sanctæ Annæ, qui antea ob horrorem quia syluosus & hispidus, dictus fuit Schreckenperg, coli & habitari cœpit, propter argentifodinas ibi & per gyrum repertas; adeoque creuit, vt in xv annis vrbs haud parua fieret, continens ecclesiam parochialem cum monasterio fratrum Minorum operosam, amplam, & magnificam. Est autem ipse mons cum ipsa vrbe noua iuxta Hirciniam, alias Bohemicam syluam, sub dominio ducis Georgij situs.

Eodem anno, durante adhuc Bauarico bello, cum inter tot aduersarios Philippus Palatinus in palam prodire & confligere non auderet, clam Bohemos in adiutorium suum & munimen asciuit. Qui cum collecto exercitu venirent, & haud procul à Ratisbona consedissent; ab exercitu Maximiliani Cæsaris ipso præsente prostrati fuerunt, quatuor millibus interfectis, reliquis fuga salutem quærentibus. Et hunc quidem triumphum quidam poetæ in laudem victoris suis carminibus perpetuauerunt, iuxta illud, *Dignum laude virum Musa vetat mori.* Fuit itaque iste Palatinus Philippus, alioquin vir strenuus & potens, adeo humiliatus & coarctatus vndique, vt ad pedes Maximiliani prostratus clementiam postularet & veniam. Qua concessa & impetrata, bellorum quieuerunt & turbines.

Anno Domini MDVI, Cometes apparuit, & paulo post obiit ille nobilissimus ac potentissimus Philippus, rex Castiliæ, & Austriæ Burgundiæque archidux, filius Maximiliani Cæsaris, Caroli autem quinti, noui Romanorum regis genitor illustrissimus.

Eodem anno, Capitulum annale abbatum nostri ordinis fuit celebratum in monasterio diui Iacobi prope Moguntiam. In hoc capitulo præsentatæ fuerunt literæ abbatis Spanhemensis Ioannis Trittemij, conquerentis super sua diffamatione, petentisq; proinde consilium à patribus capituli. Cuius causa commissa fuit Schutterensi & Herbipolensi abbatibus &c. In hoc deniq; capitulo susceptus est ad confraternitatem nostram dominus Iacobus de Lewenstein, archepiscopus Moguntinus.

Anno Domini MDVII, Petrus abbas noster in reformatione secundus, vir æterna memoria dignus, cuius in præmissis vitam descripsimus, I vidus Aprilis, indictione decima, anno autem regiminis sui XXII, diem vitæ suæ clausit extremum. Cui eodem anno pari fratrum electione & conuenientia, *Benedictus eius nominis primus*, natione Ostrofrancus, patria Grunsfeldensis, literarum studio & baccalaureatu Colonien-

sis

lonienſis, Henricus ante vocatus, ſucceſſit: ſeditque annis decem. Vir vtique eruditus, ſophicola magnus, ſcriba ornatiſſimus, concionator verbi Dei eximius, Muſicus Cantorque, & arte & voce ſonorus & validus, ſtatura magna, & facundia ad hortandum docendumque habili etiam à natura præditus, coronatus vel potius conſecratus *. Cuius mores monachicos ſupra depinximus. Modo paſtoralem eius ſtatum proſequi ſaltem intendimus & geſta. Factus itaque abbas in exordio regiminis ſui, vt compleret illud vulgatiſſimum, *Nouus rex, noua lex*, & illud, Mobile mutatur ſemper cum principe regnum; monaſterij & ipſe ſtatum ſiue regimen alterare cœpit, curtem noſtram, allodium pingue & inſigne Rhodaw, per fratres haud abſque magna monaſterij noſtri iactura integro luſtro regendum aſſumens. Nam in ipſo exordio huius curiæ, cura ducentos pro equis aliiſque neceſſariis emendis & diſponendis expendere neceſſe habuit aureos, per totumque illud quinquennium nullum pene de eodem allodio alioqui egregio monaſterium habuit emolumentum. Quod incommodum niſi incuria ibi regentium obtigiſſet, more cœpto regendum diutius continuaſſet. Equas denique, ab abbate Pigauienſi pro quinquaginta aureis acceptas, in cœnobio noſtro inſtituit. Primo quoque anno principatus ſui ex Ægypto ſororem ſuam germanam cum marito & liberis accerſiuit, & deinceps de monaſterij bonis pauit, ornauit pariter, & exaltauit. Sed quantum, qualive cœnobij grauamine; ſcribant qui norunt, & qui viderunt ea quæ clanculo reprehenderunt. Ego interea ne dicar mordacior, & patris mei reuelare pudenda, non abſque conſideramine pleraque ſilentio præterire decreui: quanquam ad hiſtoriæ integritatem & veritatem abſque perſonarum quarumuis delectu & reſpectu, & bona & mala pariter deſcribere & referre pertineat; bona quidem ad vtilitatem & imitationem, mala vero ad terrorem, & vitationem atque cautelam, legentium. Quod quidem & ſcripturam diuinam in libris Regum de Dauid, Salomone, &c. Et ita alibi de aliis creberrime atque proficue facere manifeſtiſſime legimus noua & vetera, bona & mala, aquam & ignem, id eſt pœnas & præmia, ſuis proponendo lectoribus. Aſt hæc incidentaliter dicta ſufficiant. Nunc ad cœptam hiſtoriam huius Benedicti abbatis proſequendam reuertamur.

Ad diuinum itaque cultum amplificandum, clericos quoſdam ſuſcepit ſimplices literatura, & vſque ad duos minus eruditos, ſcriptura, conditioneque, ac fortuna mediocres, ſed neceſſarios, & vtiles, & religione feruentes, quorum quidem iſta ſunt nomina: Ambroſius Konig, defuncti abbatis Petri conſanguineus; Guolfgangus Rodenſis, ex colono monaſterij genitus, nunc & archimagiri & cellarij gerens officium; Vrbanus Bornenſis fratrum pincerna; Ludouicus Brocker Citzenſis, ſtatura procera & regia & patrimonio diues; Franciſcus Pelitzenſis, Selauus, Marchiticus, nunc eccleſiæ noſtræ ædituus; Seuerinus patria Aldenburgenſis, diſciplina & baccalaureatu Lipſenſis, literis & moribus cæteris præſtantior, Prioris modo exercens laudabiliter officium, Benedictus ante conuerſionem dictus; Io. cognomento Lotich vocitatus, patria Lucenſis, vir ſtatura & ipſe celſa, robuſta, toroſaque, Vniuerſitatis Lipſenſis quondam alumnus, modo autem cœnobij noſtri ſiue collegij ſacri cantor vocalis & eximius. Qui & in ſeculo ante conſiſtens, & Muſicus & Cantor magnus eſt habitus. Præſignatos itaque fratres infra x quos rexit annos, ad ordinem ſuſcepit, licet complures ſuſcipere potuiſſet. Habuit ſiquidem annos fertiles frumenti & vini, præter duos quibus vinum gelu periit, feraces, & tempora læta, atque pecuniarum accidentia magna, inter quæ præfati fratris Ludouici ſexcentorum aureorum, molendino, agris, cæteriſque immobilibus cum pecunia computatis, patrimonium excellens & validum haud parum refulſit & eminuit. Suſcepit quoque centum florenos è teſtamento venerandi Domini Magiſtri Ioannis Dorre, viri magni & eruditi, præbendariique noſtri, ad ſtructuram ſiue fabricam dormitorij (vt infra patebit) delegatos. Inſuper nihilominus & cenſus reemptionis & pecuniarum ſummas, abbas quas anteceſſor ſuus Petrus archiſteriis vicinis gratis ad tempus conceſſerat, reuocauit, & tamen nihilo ſecius inops & indigus obiit: victualium ſucceſſori nil pene rerum nilque pecuniarum relinquens. Quare vſque modo plerique mirantur, quorſum omnes illæ expenſæ dilapidatæ fuerint; ipſe ſuis cum temporibus haud tanta conſtruxerit, emeritve, ſingula vt exponere & conſumere etiam vſque vina bladaque neceſſe habuerit. Con-

ſtruxit quidem dormitorium fratrum, ædificium alioquin magnificum, vtiliſſimum, neceſſarium, & amœnum. Sed ad id perficiendum inter alia ſupra narratum Magiſtri Ioannis centum auteorum habuit ſubſidium. Conſtruxit quoque ſtubas (vt aiunt) duas in abbatia, vt cernitur, vnam ſuper aliam, ſuperiorem videlicet & inferiorem, & hanc quidem in loco tenebroſo & carceroſo: conuertens obſcurum in lucem, & luctum in gaudium. In quo laudabile & regium opus per vinculorum & ergaſtulorum deteſtationem peregiſſe comprobatur. Non quippe minus dedecoroſa (vt quidam inquit) regi ſunt multa ſupplicia, quam multa medico funera. Clementia denique magnifica & regia virtus eſt. Hinc & reges Iſrael clementes fuiſſe legimus. Eadem quoque virtute & humanitate Lacum leonum, foueam videlicet carceralem pro laicis effoſſam, obrui & claudi iuſſit, in eodem loco balneum erigens, pœnarum & vinculorum ſqualorem in ſalubre commutans lauacrum. Ædificauit quoque refectorium hyemale, licet artum paruumque, vtile tamen tempore brumali & calidum. Quę quidem omnia pręter dormitorium abſque magnis impenſis perficere potuit, diligenter & aſſidue ad ſingula fratribus cooperantibus. Et hæc ſunt quidem, quæ ſui regiminis tempore in monaſterio conſtruxit.

Emit autem & diſpoſuit pro vtilitate monaſterij baculum paſtoralem cupreum, tamen in ſuperficie deargentatum; tabulam pulchram & inauratam trium imaginum pro decore altaris diuæ Catharinæ. Pro decore autem & ornatu bibliothecæ, fratrumque ſtudio imprimis, emit libros vtriuſque iuris, qui fuerant cuiuſdam cauſidici defuncti Lipſiæ pro XXXII florenis; emit quoque opera Franciſci Petrarchæ; item Ioannem Scotum ſuper ſententias, Simonem de Caſſia ſuper Euangelia; denique redemit vel (vt loquuntur) perſoluit opera diui Auguſtini vndecim partium, quæ prædeceſſor ſuus Petrus abbas diſpoſuerat & ſuſceperat. Cantharos quoque nouos fieri fecit ad vſum fratrum refectoriales, ſcutellas itidem nouas, ſed paruulas, puerilesque & pleriſque minus gratas. Dilexit & ipſe pauos, & propter concentum nutriuit auiculas. Concentu autem fratrum non adeo oblectabatur, in Dei videlicet laudibus reſonante, quibus ipſe diurnis præter ſynaxim veſpertinam perraro & ferme nunquam intererat. Nocturnis tamen horis & laudibus in feſtis XII lectionum & ſupra non facile ſe abſentabat, vti ferialibus diebus facere ſolitus erat.

Hic itaque cum inprimis regiminis ſui annis ſat bene, prudenter & religioſe (vt patuit) commiſſum gubernaſſet officium: ſucceſſu temporis videns ſe confirmatum in regno, neſcio quo carnalium paſtorculorum infectus conſortio, per honores & ipſe mutauit mores, priſtinique rigoris & feruoris immemor, remiſſius victitare cœpit, exteris vanitatibus voluptatumque illecebris ſe plus æquo mancipans. Quamobrem & crebrius, & plerunque legitima abſque cauſa, pilento curruli vectus extra cœnobium, pergens per loca & monaſteria nota, non ſine ſuæ detrimento famæ ſpatiabatur, ſympoſia & delicias quæritans, morbum autem & peſtem inueniens & hauriens. Ab extra quipqe (vti per ſe afferebat) in quodam monaſterio conſtitutus, in lecto infecto dormitans, mentagricum illum ſiue etiam (vt vocant) Gallicum morbum incurrit, quo vltra annum attritus tandemque conſumptus interiit. Ipſe tamen in lecto ægritudinis ſuæ reuerſus ad cor, vehementerque dolens, emendationem & verbo & ſcripto pollicebatur fratribus. Fecerat ſiquidem vnum diploma, quod teſtamentum ſuum nominarat, doloroſum & compunctiuum ſatis, in quo deſcripſerat, quam religioſe, quamq; rigide & ſtricte amodo conuerſari vellet, eum ſi Dei munere conualeſcere contigiſſet. Aſt ſero Phrygum more ſapuit, quanquam pœnitentia vera nunquam ſit ſera, non tamen ſemper ſecura tutaque.

Denique tempore diuturni ſui languoris, quod legitime computare, ſuæque villicationis rationem reddere nequibat, tam à ſubditis, quam epiſcopi noſtri conſiliariis haud modicam perpetiebatur preſſuram. Qua anguſtatus, iam pene inutilis morbo effectus, paulo ante obitum ſuum libere & ſponte reſignauit abbatiam. De qua quidem reſignatione, aliisque tum ſimul emergentibus calamitatibus, infra ſuo anno dicetur amplius. Nunc pauliſper ab eo diuertentes, ad alia continuanda vertamus calamum.

Anno Domini MDVIII, Albertus Baioariæ dux ille bellipotens, & ſororius Maximiliani

SCRIPTO RERVM GERMANICARVM Tom

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

miliani Cæsaris, obiit in Monaco: cui in ducatu Guilhelmus senior filius succesſit. Habuit & filiam quæ nupsit Vlrico duci Wirtenbergensi, qui modo principatur.

Eodem anno, Philippus Palatinus Rheni & Bauariæ dux, ille quondam strenuus & potens, multis præliis attritus, deplumatus, & humiliatus, humanis rebus denique exemptus quieuit in pace, quinque quos ego noui partim visu, partim auditu, filios relinquens; Ludouicum videlicet seniorem inter filios, qui & ei in Palatino ducatu succesſit; Philippum nostrum, & Nuemburgensis; & Freysingensis ecclesiarum episcopum, de quo infra; Fridericum Colonienſis; & Henricum Argentinensis ecclesiarum canonicos. Iste Henricus adolescens egregius, qui me, mediante Iacobo Wymphilingo præceptore suo, dum commissione Tritemii abbatis Argentinæ essem, suum inuitauit ad prandium. Et filius eius dicitur modernus ille Ratisponensis antistes, cuius tamen vocabulum me latet. Habuit denique & quas reliquit filias, quarum duæ in monasterio nostri ordinis prope Heydelbergam sub regulari habitu famulantur altissimo.

Eodem anno denique, & Iacobus archiepiscopus Moguntinus, natione Sueuus, ex familia nobilium de Libenstein dictorum oriundus, vir optimus & pientissimus, & (vt fama fuit) vsque ad finem virgineus, qui literam nostræ fraterniratis habuit, appositus est ad patres suos. Cui Vriel Gemmiger doctor, decanus ecclesiæ maioris, simplex nobilis, cum mœrore totius populi in festo Sanctorum Martyrum Cos. & Dam. electus succesſit, qui negligenter imo perperam præfuit. Plures quippe semper hostes habuit, & ecclesiam multis debitis aggrauauit.

Eodem anno bellum Iulij papæ & Cæsaris contra Venetos erat.

Anno Domini MDIX, in vrbe Cameracensi fuit inita vna colligatio, inter Iulium papam, & Maximilianum Cæsarem, ac Ludouicum Galliæ regem, contra Venetos, quorum impugnationibus vsque ad deditionem, ne dicam desperationem, penetati, non tamen omnimodis victi fuerunt, vt latius supra primo anno Iulij MDIII dictum fuit.

Eodem anno terræmotus maximi in diuersis terris & locis contigere. Nam & Constantinopoli, quartadecima de Septembris, terræmotu, tonitruis, & fulminibus ingentibus, vrbis magna pars cecidit, & præsertim murus versus mare. Cecidere & fortissimæ turres, & innumerabilis hominum multitudo varia ruina oppressa fuit.

Eodem anno Guilhelmus Landgrauius Hassiæ, qui & ipse in bello Bauarico mira egerat, & literam confraternitatis nostræ vnionis habuit, Gallico consumptus morbo interiit. Quo etiam anno Erphordiæ grandis seditio, & inextricabilis discordia, inter consulatum & communitatem est exorta, & per annos plures (vt infra patebit) durauit.

Eodem quoque anno, pridie calendas Iunij, indictione duodecima, apud Bernam Heluetiorum ordinis prædicatorum conuentus ibidem fratres, Prior, Lector, Supprior, & Custos, capti, per torturam examinati, degradatique, & ad ignem condemnati, miserabiliter sunt combusti, propter quasdam dolosas, falsas, impias, & diabolicas machinationes, quas in odium immaculatissimæ virginis Mariæ conceptionis occasionaliter (vt infra mox patebit) excogitauerunt & exercuerunt. Quorum denique scelestissima & inaudita piacula nostris cum insonuissent terris; protinus prædicatorculi siue maculistæ nostrates ea supprimere omnimodis moliebantur, falsa fictaque affirmare contendentes. Quorum infrunita audacia & effreni frontositate perculsus, mutabundusque effectus, carmen prolixum quod occasione prædicti scelerosi eorum portenti, eodem tempore in laudem diuæ Annæ inceperam, quasi lupum auribus tenens, nec publicare, immo nec quidem perficere confidenter audebam. Quare ad Sebastianum Brant, virum doctissimum, Cæsareæ maiestatis tunc symmistam, ac Argentini senatus archicancellarium literas familiares dirigens eflagitaui obnixius, vt me de supra narrato casu reddere dignaretur certiorem. Qui confestim preculis meis obsecundans, literis visis & causa cognita, sua pro humanitate eleganti ad me epistola missa, omne eius rei dubium à meo mox pectore eliminauit,

me prorsus de eodem facto certificando: cuius quidem epistolæ tenorem, Christiferæ virginis Mariæ conceptionis ad honorem, huic operi inserere decreui, qui quidem eiusmodi est.

Sebastianus Brant Paulo Langio salutem.

QVas ad me dedisti literas, & mellitas, & omnigeni leporis plenas: hodie inter forenses nostros strepitus, & reipublicæ curas recepi, continuoque perlegi. Dignæ etenim visæ fuerant & idoneæ, quibus suffuratis aliquantulum negotiis otiosas præberem aures. Cæterum quod humanitas tua adhuc nonnihil etiam post tot Maculistarum portenta fatataque supplicia addubitare videtur, an tandem his quæ de Maculistis habitæ sint quæstiones & exustiones, fides haberi posset indubitata: id te scire, & certo certius credere velim, ea plurima esse maiora certioraque, quam vel fama vel scriptis in propatulum hactenus emanarint. Tractatulum tamen de quo scribis, qui & Basileæ & Argentinæ, Latine simul & vernacula nostra lingua, ære insculptus in lucem prodiit; non ex officina nostra, sed nonnullorum bonorum virorum labore excusum noscas, quantumcunque frater Wigandus aliique sui complices in me malignati inuectique fuerint. Nolui tamen hactenus illis quoquo modo respondere, donec iudicium venirex ex alto, finisque mali vnius Maculistarum, dico gradus, esset futurus. Coactus etenim Wigandus ad publicam reuocationem, quam ex introclusis intelligere potes literulis, ego vero adhuc in manibus teneo per me totam contextam historiam, dialogum qui ἀντίλυσις siue defensorium Sebastiani Brant, inscribitur, in quo primi interloquutores sunt *Franciscus* & *Vulcanus*, cuius principium eiusmodi tenoris est.

Franciscus. Quid adeo præproperi tibi est negotij veternose senex, qui cum infirmioribus sis pedibus, ita tamen ambusto etiamnum torre grauatus cursum curritas, vt vix ipse respirare possis? ex cursura nempe, vti video, anhelitum etiam ducis. *Vulcanus.* Non quidem ex Lemno, nec Lycia, tibi allaturus oracula nunc aduenio, sed ex Delo, vnde vera interrogantibus haud falsa prodeunt responsa:

Tardior ignipotens, claudus quoque nuncius, adsum,
Nuncia mira tibi sed modo vera ferens.

Franciscus. Rebar ego Mercurium ob cursus sui celeritatem Deorum esse nuncium. Claudo cursoris legari officium lex prohibet mundana. Verum age si quid habes effare. *Vulcan.* An te latet optime pater alium in terris Nulingerum subortum esse Francum? *Franciscus.* Vbinam locorum? *Vulcanus.* In nobili Heluetiorum oppido Berna. *Franciscus.* Germanus ergo is erit Franciscus, cum Italicus ego fuerim? Gratore ego superis, si quid in terris boni hactenus ab hominibus fiat, vnde superne illustrari queant. Sed nunquid è fratribus nostris chordigeris aliquis is est? *Vulcanus.* Minime. Satis te vno præside patre & patrono tutantur. Ex Iacobitarum Franciscus ille alter suppositititius emersit ordine, ex Vitiaco scilicet oriundus. *Franciscus.* Et itidem placet. Habuit etenim ordo ille sacer confratris nostri Dominici quondam viros, & doctrina & vitæ sanctimonia insignes. Sed suppositititium hunc appellare Nulingerum, hoc profecto non placet, &c. *Et post chartas sexaginta duas. Franciscus.* Quid insuper confessi? *Vulcanus.* Deum Opt. Max. eiusque pientissimam genitricem se renegasse abiurasseque, atq; cum corpore & anima humano generis hosti sese contradidisse manicipasseque, conscripto desuper proprio etiam sanguine, atque dæmonibus exhibito, æternæ suæ damnationi sisyngrapho. *Franciscus.* Heu quanta malignatus est inimicus in sancto! Nunc, ô bone Deus, huius malitiæ causam intelligo, totum scilicet hoc illis contigisse qui polluerunt tabernaculum nominis sancti tui, dati in reprobum sensum & in scandalum, eo quod inuidiæ stimulo virginem & matrem illibatissimam maculare, quantum in eis fuit, non timuerunt, posueruntque arte Diabolica signa sua, & non cognouerunt scilicet Dei iustitiam, sicut in exitu super Summam. *Vulcanus.* Diceres planius super fumum. Ibi etenim vltima mensis Maij die, circa Christi annum nonũ supra quindecies centesimum, apud Bernam vstulati exitum iusticiæ cognouerunt,

runt, perijtq; memoria eorum non tam cum ſonitu, quam cum fumi crepitu. Et infixæ ſunt gentes in interitu quem fecerunt; in laqueo nempe quem abſcõderunt, compreheſus eſt pes eorum, vt non apponat vltra ſe homo magnificare ſuper terram; pluitq; ſuper eos laqueus ignis & ſulphur pars calicis eorum. Sic igitur perierunt iniqui, deleuitq; dominus nomen eorum in æternum & in ſecula ſeculi. Quin immo fumo prius ſuffocati hi Maculiſtæ, quam igne conflagrarint; tandemque in cinerem reſoluti facti ſunt, vt ſtercus terræ & lutum plateatum deleti ſunt, operti ſunt iniquitate & impietate ſua. *Franciſcus.*

Neſcia mens hominum fati ſortisq; futuræ,
Et ſeruare modum ſtimulis agitata malignis, &c.

Quæ ſequuntur forte per xxx chartas, Wigandi cauſationem in Romana curia, deſperationem, reuocationem, & confuſionem continent. Parce precor optime frater, longior etenim tecum eſſe nequeo. Vtinam aliquando coram alloqui & videre liceret. Verum fac quem parturis in lucem prodeat conceptus. Mea equidem fragmenta cum opportunitas emittendi dabitur, non te latebunt. Erat priori anno quidam ex Maculiſtis qui palam dicere non eſt veritus, ficta & ementita ea eſſe omnia; quodq; indignum, ſi quod de illis acceptum foret ſupplicium, iniuſtumq; cenſeri deberet. Cui ego mox extemporaneo hoc vulgari rhythmo os concluſi impudens:

Du biſt auch einer, liber Bruder,
Der do zeucht an dem Schelmen Ruder,
Da die Münch an gezogen hant,
Die man zu Bern jetzt hat verbrant.
Du ſtrichſt Mariæ maſen an,
G'luſt dich, du magſt gen Bern auch gahn:
Dir wirt deß gebrattens dar getragen,
Doch ſint die Bein nicht gut zu nagen.

Facit in te conceptus amor, & mutua literarum charitas, vt longior etiã ſim quam putaram. Tu vale feliciter, meque orationibus tuis erga ſuperos commendatum habe. Ex Argentina, volanti nimiſque præcipitato calamo. v Id. Octobris.

Ad clariorem præſcriptæ intellectum epiſtolæ nouerit deuotus lector, quod illi quatuor fratres prædicatorii ordinis Bernæ combuſti, ibidem in conuentu eorum in odium fratrum minorum, de conuerſo quodam viro ſimplici vnum Franciſcum fecerunt nouum; ſtigmata quinque arte ei imprimentes, & in Eccleſiam eundem aſſidue ſtatuentes, diuinitus illi eadem ſtigmata impreſſa populo dicebant. Ob id Sebaſtianus ille inſigniſſimus doctor in præcedentibus ſcribit, eos poſuiſſe ſigna. Cui quadrat, quod imaginem beatæ virginis pinxerunt, ſupra caput eius liquore poſito, & per oculos ſtillante, quaſi guttas ſanguineas deflere t; item quod hoſtiam Sacramenti altaris pinxerunt quoque minio, quaſi in cruorem ob peccata populi & errorem conceptionis beatiſſimæ virginis, vt ipſi palam declamabant, conuerſa mutataque fuiſſet, & hoc præfato conuerſo reuelatum per beatam virginem populo prædicabant. Vnde & ingens concurſus indies fiebat, & oblatio magna. Conuerſum tamen eundem poſt, cum eorum & dolus & ſcelus notari & publicari cœpit, per euchariſtiam intoxicare nitebantur, quemadmodum ipſe idem conuerſus effugiens ipſis primoribus vrbis & cunctis audire gliſcentibus enarrare ſolebat. Ob memorata itaque piacula ſupra narrati perfidiſſimi fratres tenti, torti, degradatique, ac igni traditi fuere, anno noſtræ ſalutis, quo ſupra.

Pædicta deniq; omnia ad Dei altitonantis laudem, ac illibatiſſimæ virginis Mariæ, quæ diligentes & dilucidantes ſe exaltat & glorificat, odientes autẽ & maculantes confundit & humiliat; ad honorem & magnificentiam, intentione ſincera & lucido oculo deſcripſimus in nomine Domini, Amen.

Anno Domini MDXII, Magiſter Ioannes Kemnitz cognomine Dorre obijt, quarta menſis Februarij, qui habuit literam confraternitatis noſtræ. Hic verbi Dei concionator fuit zeloſus, & irrefragabilis veritatis aſſertor, tam Epiſcoporum quam aliorum potentum exceſſus libere & conſtantiſſime corrigens & denuncians. Qui iam veteranus, apud nos præbendarius factus, teſtamentaliter ad dormitorij noſtri centum legauit florenos, pro ſe ſuiſque amicis Pſalmum *De profundis*, poſt completorium à fratribus legi deſiderans. Idem inſtituit decantari ſub eleuatione, *O adoranda trinitas*, pro confirmatione LX monaſterio noſtro conferens aureos. Qui denique in vita ſua fratribus ſtudioſis quartum Sententiarum librum eleganter & magiſtraliter expoſuit palam.

Anno Domini MDXIII, Iulius papa non tam Apoſtolicæ ſedis clauiger quam armiger, vi & armis Seruiam, Rauennam, Imolam, Pauentinam, Foriliuium & nonnullas alias Romanæ eccleſiæ terras, iuuante Maximiliano Cæſare qui & ipſe Romano imperio multa tunc recuperauit, à Venetis recepit & eripuit. Obijt autem decimo pontificatus ſui anno.

Eodem anno, Leo papa eius nominis decimus, natione Florentinus, ex potenti ac famigerata de Medicis dicta familia progenitus, omnium cardinalium conuenientia & voto, Iulio defuncto in Apoſtolico ſucceſſit culmine, quem idcirco vt verum, vt vnicum beati Petri ſucceſſorem, & indubitatum Chriſti vicarium, veneramur, amplectimur, colimuſque. Aſt cum adhuc nobiſcum Dei gratia ſit in humanis; vitam eius ſcriptura vetante laudare & geſta paueſco, vereorque deſcribere. Veruntamen cum iampridem pleraque magna & inſolita, memoratuque atque ſtupore digna, & ordinare & ſtatuere exorſus ſit, quorum pleraque chalcographicis etiam excuſa literis paſſim modo circumferuntur, venundantur & vulgantur, ne temporum mutabilitate obliterentur & depereant, ſed potius & nobis noſtriſque ſucceſſoribus nota fiant, noſtramque bibliothecam augeant & exornent; nonnulla ex eis, & quidem memorabiliora huic operi non tam pro eius mirificentia, quam decore & completione inſerere placuit.

Patrio itaq; more (vt opera eius de eo teſtimonium perhibent) auri ſitientiſſimus eſt, nimirum cum Romanorum auaritiæ Florentinorum acceſſerit cupiditas, aurique ſacra fames creuerit in immenſum, creſcitque vſq; modo amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit, ſæuiorque ignibus Æthnæ ardet amor habendi, quemadmodum & pulcherrime concordans dictis Naſo inquit: *Creuerunt & opes & opum furioſa libido. Quo magè ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.* Amore equidem auri & nunc Romæ cuncta venalia ſunt; auro mediante Simonia toleratur, præbendarum pluralitas in infinitum conceditur; beneficia dignitateſque cuiuſuis qualitatis & cardinalibus & protonotarijs atq; amicis papæ reſeruantur; expectatiuæ gratiæ ſine numero conceduntur; annatæ ſiue medij fructus abſque vlla dilatione temporis exiguntur. Quin immo ipſæ annatæ, in quas tempore Calixti papæ, tertij, ad quatuor principes conſenſerunt annos, non modo adhuc durant, ſed & indies magis creſcunt, duriuſque premunt & opprimunt. Et niſi iidem principes remedium adhibere procurent; omne æs & aurum pedetentim hoc malo è Germania corraſum & hauſtum Romam velut in ſacculum pertuſum & inexplebilem voraginem portabitur. Dimembrationes monaſteriorum, & eccleſiarum permutationes, quemadmodum Hallis inter canonicos regulares & fratres prædicatores nunc de nouo, & noſtro hoc præſenti anno quo hæc ſcribo, Domini videlicet MDXX, dolenter cernimus fieri, iniuſtiſſime admittuntur; eccleſiarum quoq; regimina non magis merenti, ſed magis offerenti committuntur; electiones prælatorum paſſim reijciuntur, & Romanis tribuuntur; pro palliorum Archiepiſcopalium redemptione ingens pecunia in damnum eccleſiarum, contra ſanctionem Leonis papæ, eius nominis ſecundi, immo contra ſacri Baſilienſis concilij decretum, pro vſu pallij, aliorumue officiorum confirmatione & impetratione, nihil perſoluendum ſtatuentis, exigitur & extorquetur. Quam quidem exactionem præter Simoniam complura alia ſequuntur incommoda.

Nam noſtra ætate archipræſules pecuniã, q̃ pro pallio ſeu etiam confirmatione obtinenda

tinenda Romam mittere coguntur immediate, quatenus ipſi indemnes maneant, & theſauros ſuos non minuant, æquiualentem, immo multo ampliorem ſub nomine ſubſidij extorquent pecuniam, quemadmodum nuper in archiepiſcopatu Magdeburgenſi contigiſſe haud abſque querela pauperum (proh dolor) audiuimus. Per prædicta itaque & ſimilia quæ ex Romana curia manant grauamina, per orbem Chriſtianum ruinæ, deſtructiones, & ærumnæ oriuntur. Nec mirum, cum ipſa Germaniæ ſuprema & principalis, quondamque potentiſſima, Moguntinenſis archiepiſcopalis eccleſia, ob eas res cauſaſque maximis & permultis onerata ſit debitis, & vehementer exhauſta.

Proinde non immerito, cum ſupra memorata grauamina ſub iſto Leone Papa, decimo, in Gallia plus ſolito graſſari iampridem inciperent; Vniuerſitas Pariſienſis pro conſeruatione & bono eccleſiarum totius regni contra eundem Papam ad cõcilium appellauit generale, & potiſſimum quod idem Papa Leo in quodam cœtu ſiue conciliabulo cardinalium Romæ celebrato Baſilienſe concilium damnare & irritare præſumpſerit, quod prædicta grauamina interdixit & prohibuit. Sed de hoc infra anno Domini MDXVII, quo hæc omnia geſta ſunt, latius.

Iſte denique Papa à puero plus cæteris religioſis fratres ſancti dilexit Dominici; in paterna domo frequenti eorum & viſitatione & confabulatione allectus; demumque factus ætate maturus priſca nihilo ſecius familiarique conſuetudine eos ipſos & fouit & promouit, plurimiſque ampliauit bonis; tandemque ſummus effectus pontifex rurſus eos quos prædeceſſor ſuus Iulius vehementer oderat & deteſtabatur, veluti patres Spirituales, parentumque ſuorum confratres & confeſſores, magnis extulit honoribus, præſtantiores quoſdam ex eis in ſui adiutorium aſciſcens & ſolatium, doctrina eorundem multa faciens & conſtituens. Exaltauit equidem inter alios præcipue Syluestrum de Pierio theologum ſacrique palatij magiſtrum, & Thomam Caietanum, totius ordinis prædicatorij generalem magiſtrum, ipſum Cardinalem ſanct. Sixti faciens & creans, quem & paulo poſt (vt infra patebit) ad Germaniam miſit legatum. Creauit denique & eodem tempore alios triginta cardinales, à quibus ex pacto quingenta millia aurei eorum ſuſcepit. Promiſerat enim eis grandia. Aſt cum de patrimonio diui Petri competenter eis ſatisfacere nequiſſet, aut forſan detrectaſſet; attamen vt omnes iuxta condictum ditaret & magnificaret: excogitato modo (ne dicam dolo) quatuor ad diuerſas mundi partes legatos, quatenus ſub prætextu Thurcorum infinitam colligeret pecuniam, cum ſummis & pleniſſimis miſit indulgentijs, vt collectam pecuniam tali aſtu tandem copioſe inter cardinales nouas creaturas ſuas diſtribuere poſſet. Præterea ex cunctis fidelium regionibus, præſertim Germania, mediantibus indulgentiarum commiſſarijs, ſub ſpecie fabricæ baſilicæ ſancti Petri pecuniam omnimodis aggregare feruentiſſime anniſus eſt; tametſi ad dictæ fabricæ conſummationem prædeceſſor ſuus Iulius Papa, qui eandem operoſe & magnifice inceperat, theſaurum reliquerit innumerabilem. Nihilo ſecius & lente & ſegniter cœptum opus progreditur. Nec mirum, cum lapides ſecti in die, noctu (vt dicitur) ad palatium grande Florentinorum de Medicis dictum quod nunc conſtruitur, clam deferantur, & ipſa pecunia collecta non in vſum fabricæ, non contra infideles, ſed inter amicos Papæ cardinaleſq; diſtribuatur.

Nam cum in hunc finem (vt præſumitur) ipſe Papa indulgentias maximas, & antea (vt declamabant) inauditas octennio per Germaniam duraturas dediſſet, & iam pene triennio in Miſna & Saxonia & circumquaque viguiſſent & infinita pecunia congeſta per commiſſarios fuiſſet; tandem Germani noſtri Romanenſium & fraudem, & aſtutiam, indulgentiaſque prædicantium abuſum & auaritiam intelligentes, manus retrahere cœpere: potiſſimum contra eaſdem indulgentias, immo (vt dixi) declamãtidum intolerabilem abuſum & exceſſum, diſputante, prædicante, & ſcribente, venerando viro & profundiſſimo theologo, patre Martino Luthero, Wittenbergenſis Academiæ & conuentus, qui ſua & doctrina & prædicatione mirabili indulgentiarum omnium valorem annihilauit, & prorſus in dubium vertit, populumq; ab earundem redemptione auertit; eas minime ad ſalutẽ fore neceſſarias affirmans, non remiſſionem peccatorum, ſed pœnitẽtiæ neglectum, & aliorum pietatis operum relaxationẽ, impe-

dimentum, & vitium esse; nec merita Christi & Sanctorum thesaurum indulgentiarum esse, cum in primitiua ecclesia, & longe post pene per mille & vltra annos nihil de eis scriptum per sanctos reperiatur orthodoxæ ecclesiæ doctores, nec quippiam magnifice (vt nunc auri amore fit) de eis creditum aut æstimatum fuerit; asserens insuper & probans, Romanam ecclesiam nō esse iure diuino primam, & caput omnium. Huiusmodi eius doctrina noua & prædicatio confestim toto insonuit orbe, & infinitos in suam traxit sententiam, adeo vt passim populi Romanensium dolum agnoscentes & dictorum veritatem perpendentes, indulgentias ipsas relinquere naucique pendere cœperint; potioribus, id est pœnitudinis & misericordiæ, sese operibus Martini eiusdem hortatu mancipantes. Et intantum ipse vnus homo suis declamationibus inualuit, vt ipsi indulgentiarum præfecti & commissarij, immo Archiepiscopi & Episcopi, in ecclesijs suis ipsas indulgentias deponere & suspendere cogerentur. Quamobrem ipse Papa, & cardinales omnesq; Romanenses, modum in mirum contra Martinum & fremere & excandescere cœperunt, doctrinam eius anathematizantes, idolum Martini suis cum scriptis veluti hæresiarcham igne publice Romæ cremātes; & in præsens vsque modis omnibus ceu alterum Athanasium persequi non desistunt, potissimum quod disputauerit, Romanam ecclesiam non esse diuino iure primam & caput ecclesiarum orbis, & alia quædam eius rara & ardua dogmata, quæ non modo Romanenses, sed & complures alij doctissimi, præcipue tamen Thomistæ, impugnare non cessant.

Veruntamen Martinus ille, Theologorum nostræ tempestatis omnium facile sapientissimus princeps, doctrinam suam euangelicis testimonijs & diui Apostoli Pauli, nec non priscorum orthodoxorum patrum originalibus dictis, roborans & comprobans, eatenus perstitit inuictus; habens & ipse nihilominus adhærentes & consentientes etiam aliarum regionum consummatissimos theosophiæ doctores, vt eruditissimum & eloquentissimum illum diuinarum scripturarum interpretem nouum Erasmum de Roterodamo, Ioannem Reuchlin, Iacobum Stapulensem, Iudocum Clutoueum, & plures alios. Cœpit autem prænarratum bellum literarium inter eum & Romanenses, & ipsa indulgentiarum cassatio, anno Domini millesimo centesimo decimo septimo. Hallis autem & per Saxoniam sequenti fuit anno suspensa, primo & vni eo anno (vt fama fuit) centum millium aureorum damnosam priuationem inferens Romanensibus. Proinde pius lector pensitare poterit, quam inæstimabilis collecta duntaxat per Germaniam fuisset pecunia, ipsum si indulgentiarum negotium adhuc integro lustro, vti præfixum institutumque fuerat, perdurasset. Ast o Deus, quorsum tanta tandem deuenisset pecunia! Reuera haud aduersus Thurcas, haud in fabricam, minus vero in calamitosorum & gentium solatium, aut captiuorum redemptionem, cum etiam millesima pecuniarum pars per complures annos sub eodem colore collectarum vsus in memoratos vix aut nunquam præsumitur exposita. Quo igitur deueniisset? Dubio procul, ille quo indicibilis thesaurus sub Alexandro sexto per Raymūdum, gratiosissimi ac indulgentissimi Iubilæi à latere legatum, contra Thurcos collectus deuenit, in cardinalium videlicet & præsertim papalium amicorum æraria repositus.

Nec mirum, cum nuper quidam frater ordinis mendicantium, præfatarum indulgentiarum per Saxoniam terrasq; nostras commissarius, moriens duo millia florenorum, quos ex pœnitentium lachrymis corraserat & extraxerat, in extremis reliquerit. Et quidem expeditionem in Thurcos magnopere necessariam ambigit nemo, sed ad eam promouendam Romanenses post mortem Calixti tertij, qui magna eam ob rem fecit, pecuniam, non dicam propriam, sed nec in hunc quidem finem collectam, vnquam curarunt exponere. Qui vt sunt & ditissimi & potentissimi, si à dicto tēpore decimam duntaxat bonorum suorum partem, id est decimum denarium contra Thurcos impendissent, dudum ipsum Thurcum extra Europam fugassent, & & vltra Bosporum residere ac quiescere coegissent. Ast nunc eorum incuria, fraude & auaritia, assidue Thurcorum vires increscunt, habentque exin timere (quod Deus auertat) vt qui nunc modicum pro tuitione fidelium sponte detrectant exponere, tandem totum cum ipsa vita dare cogantur etiam inuitissime.

Et qui-

Et quidem prædicta omnia, quæ de Romanensium exaraui moribus, non meo sensu vaticinatus sum, sed ea cuncta ferme in quodam tractatulo vernacula nostra lingua impresso descripta comperi, mutatoq; famine huic operi vitiorum odio veritatis autem amore intexui.

Porro quæ de Martini Lutheri doctrina disserui, non sicuti discipulus illius assertiue, (quod absit) sed potius admiratiue posui, vtpote nullius adhuc iuratus in verba magistri. Sed cum sim & ego more suspensus multorum, quousq; per Oecumenicum vniuersale & generale concilium quid in tam ardua re tenendum sit, decretum fuerit; paratus nihilo tamen minus & modo & semper à recte sapientibus doceri, quorum etiam & potissimum Romanæ ecclesiæ iudicio hæc præsentia & alia qualiacunque mea scripta & corrigenda & examinanda subijcio: tametsi ego supra narrata non de Romanis, sed Romanensibus, id est non indigenis, sed aliunde ad eam confluentibus descripserim, & ob id rem curasse non debuerim, cum vitia quorumcunq; ferenda non sint, ipseq; diuus Bernhardus multo & acerbiora & execrabiliora de Romanis ad Eugenium summum pontificem deprõpserit. Quæ vtinam vera non essent, vtinam mendaces in hac parte essemus omnes, vt vitijs eliminatis Romæ sanctitas ipsa & morum integritas, iusticia & veritas, ad salutem totius orbis & fidei robur inueniretur, destrueretur-que, ceu falsum & iniurioſum, illud vulgatissimum etiam laicorum dicterium, quo dicunt Romæ propiores Christianos esse deteriores, & curiam Romanam non quærere ouem sine lana. Sed nunc de his satis.

Eodem anno, id est Domini M D X I I I, qui etiam supra positus est, Emanuel Christianissimus & potentissimus Portugalliæ rex per ambasiatores obœdientiæ suæ nouo Papæ Leoni epistolam ornatissimam de victorijs & triumphis suis in India & Malacha habitis scripsit, ex qua pro Dei laude & honore, à quo omne bonum procedit, pleraque breuiter excerpta huic nostro operi historiali inserere ac subnectere iocundissimum pariter & vtilissimum duxi. Cuius quidem epistolæ tale est exordium.

Sanctissimo in Christo patri ac beatissimo Domino, Domino Leoni S. addictissimus filius Emanuel, Dei gratia rex Portugaliæ, & Algarbiorum citra vltraque mare in Africa, dominus Guineæ & Conquistæ, nauigationis ac commercij Æthiopiæ, Arabiæ, & Persiæ, atque Indiæ, humilima beatorum pedum oscula. Quantum Deo Optimo Maximo, quantum & tibi gratulari debeamus, beatissime pater, vel ex nuncio quod nostra Indica classis proxime attulit, satis apparet. Quod enim te Pontif. Max. & S. Rom. ecclesiæ & Christiano orbi præsidente, tam admiranda in Dei laudem & gloriam gesta tam ex voto successerint; tua certe laus, tua gloria censeri debet. Iure itaque visum, quæ in India Dei suffragio, ad ipsius cultum spectantia, nostris armis modo facta sint, ad tuam Sanctitatem summatim perscribere, &c. Igitur pacata post plures dubij martis victorias, non sine labore & sanguine partas, India, relictis in ea opportunis præsidijs; Alphonsus de Albicher protocapitaneus noster, vt iacturã quam superioribus annis nostri fecerant iniuriamque vlciscerentur, auream Chersonesum (Malacham accolæ appellant) contendit. Ea est inter sinum magnum & Gangeticum sita, vrbs miræ magnitudinis, vt quæ viginti quinque millium & amplius larium censeatur; terra ipsa fœcundissima, ac nobilissimarum quas fert India mercium feracissima, &c.

Huc itaq; cum instructa classe applicuisset Alphonsus, vrbem oppugnare destinat. Quod præsentientes Sarraceni bello se & armis præparant, sed frustra. Nam commisso bis prælio nostri tandem Dei auxilio superiores plurimis ex hostibus cæsis vrbem vi intrant, occupant, data prædæ libertate diripiunt, incendunt. Rex ipse qui ex elephanto pugnabat, grauiter vulneratus cum superstitibus Mauris fuga sibi consuluit. In ea pugna magnus hostium numerus exiguo nostrorum damno interiit; capti plures; magna etiam ablata spolia, in quibus & septem ipsius regis bello assueti elephantes, suis turribus, sericis atque auro intextis ephippijs, illius prouinciæ more, muniti, ac æneorum omnis generis tormentorum ad duo millia summa arte fabricata. Capta sic vrbe, hostibusq; profligatis, &c. Erant eo tempore Malachæ plures extranei,

ac diuersarum nationum mercatores, scilicet Zantri, Pegus, Ianaes, Gores, & ab extremo Oriente atque vltima Sinarum regione Chines, aliique gentiles qui vrbem commercii gratia frequentantes multis diuitiis auro & argento, margaritis, & preciosis lapillis, serico etiam vellere, ac multifariis aromatibus & odoribus affatim replent. Hicú multis quoque finitimis, ab Alphonso fœdus & amicitiam vltro flagitantes, ab ipso & benignè & fauorabiliter sunt accepti, &c.

Hæc cum cognouisset rex de Ansiam, & gente & solo Orientem versus potentissimus, ad quem fama erat iure Malacham spectare, & à Mauris olim vsurpatam; legato ad præfectum nostrum destinato, qui se suosque nostro manciparet obsequio, aureum simul craterem cum precioso magnæq; æstimationis carbunculo, ensemque aureum adfabre elaboratum, in signum videlicet recognitionis, ac veræ perpetuæq; futuræ amicitiæ misit: ad quem præfectus aliquos è nostris expertos vafrosque viros, intima regionis scrutaturos, cum multis etiam muneribus remisit. Vnde maximum Dei obsequium & catholicæ fidei augmentum fore non dubitamus, rebus sic apud Malacham compositis, &c.

Alphonsus in Indiam reuertens, Goæ vrbis præcipuam arcem, quam ipse superioribus annis magno nostrorum periculo, sed maiore hostium strage occupauerat, nostræque ditioni & imperio adiunxerat, à Mauris obsessam reperit, & structa etiam alia iuxta firmissima arce, vnde ruminum Thurcorum quia sex millia numero nostros continue infestabant. Quos cum adoriretur præfectus, plurimis iam trucidatis, desperata salute, pacta tantummodo corporum incolumitate, se tandem & reliqui nostri dedidere, partisq; & ibi machinarum, equorum, armorum, & huiusmodi haud contemnendis spolijs, quibusdam etiam qui inter Mauros reperti sunt, apostatis qui à fide nostra desciuerant, debito afflictis supplicio, vrbem pristinæ quieti restituit. Appulerat interea Dabuli vrbi, haud procul à Goa, presbyteri Ioannis potentissimi Christicolarum domini ad præfectum nostrum legatus, qui ei⁹ nomine* vt Christiani Christiano omnem opem, omnia ad bellum contra catholicæ fidei hostes opportuna, militum exercitus, armorum ac commeatus præsidia, vltro offerat, præsertim si mare rubrum suo coniunctum dominio nostra classis traijciat, vbi commodissime vtriusq; vires iungi possent, &c. Aderant tunc apud nostrum præfectum à Narsingue rege legati, rege gentili adeo potentissimo, vt mille & quingentos belligeros elephantes, armatorum equitum quadraginta millia, præter innumerum peditum numerum, suo arbitrio in aciem paruo negotio proferre, tantumq; agri possidere prohibeatur, quantum semestri itinere vix emetiri possit. Huic plures reges ac satrapes parent, quorum nonnulli, maritimis oris proximi, nobis sunt tributarij. Apud Alphonsum & Cambayæ regis legatus, terra marique potentissimus; atq; inter Mauros maximi; item à Zabayo Goe quondam domino, atq; à rege Grosopa, alijq; complures regum satrapumq; legati, à nostro præfecto fœdus pacemq; vltro exorantes, ac sua munera singuli afferentes, &c. Inter hos successus pater beatissime, diuino suffragante numine, per vniuersam Indiam plurimi Spiritus sancti gratia igneq; afflati, depositisq; gentilitijs erroribus indies, ad nostram religionem conuersi, veram Dei fidem agnoscunt. Ob quæ Deo Opt. Max. summæ gratiæ sunt meriro referendæ, quod tam procul à nostra vrbe in tam remotis regionibus, quo ne fama quidem sui sanctissimi penetrauerat nominis, nostra nunc sedula opera suam veram fidem cultumq; celebrari, publicari, ac propagari dignatus sit. Vnde procul dubio, diuina fauente clementia, sperandum est, cum nunc præfectus noster ad mare rubrum, vt eius ostio occupato Sarracenis earum partium commercia interdicat, relictis in India opportunis præsidijs, ingenti classe properat, vt ibi, coniunctis sub crucis vexillo presbyteri Ioannis nostris viribus, maximum Dei obsequium, & Mahumeticæ sectæ detrimentum & ignominia sequatur; extremaq; Orientis ora, quo & sacras Apostolorum voces intonuisse compertum est, Occidentali nostræ propediem iungatur, & ad fidem veri Dei cultum, ipsius suffragante numine, traducatur; S. sedi Apostolicæ, ac tuæ Sanctitati, vt optimo patri pastoriq;, Christiani gregis more, debitum obsequium & obœdientiam oblaturi. Bene valeat beatitudo tua, quam pientissimus Deus diu ac felicissime conseruare & augere ad votum dignetur. Datum in vrbe nostra Vlyssipona, VIII Id. Iunias, anno Domini MDXIII.

Cum

Cum itaque inuictissimus ille rex Emanuel Dei adiutorio tantas victorias nactus sit, vt vsque in Indiam regnum suum extenderit, & maximas vires acquisierit; mirum est, si saltem adhuc in humanis est, quod iam per septennium ferme nihil in Thurcos, nihil pro recuperatione terræ sanctæ aut vrbis Constantinopolitanæ per eum gestum auditum constat: præsertim cum presbyter Ioannes ei auxilia armatorum contra fidei hostes impendere magna spoponderit. Quin immo ipse Thurcus absque vlla alicuius regis Christiani resistentia indies potentior fit, adeo vt etiam superiore anno ipsum Soldanum regem Syriæ bello superatum interfecerit, & omne eius imperium per Ægyptum, Syriam, Phœniciam cum tota terra sancta, cum Hierusalem sepulchroque Domini suæ potestati subiecerit, in tantumque auctus sit, & assidue augeatur, vt maior & potentior non sit sub Sole nunc triumphator & dominus. Et vtinam omnipotens DEVS, in cuius manu omnia sunt sceptra regnorum, dignetur sua gratia & potentia Christianos ipsos, qui sub prænarrati Ioannis presbyteri dominio degunt, ab eius tyrannide & furore præseruare & custodire, ad laudem & gloriam nominis sui. Sed & de his infra anno ipso quo Soldanus captus & interemptus est, dicetur & amplius.

Eodem anno, Ernestus ex ducibus Saxoniæ archiepiscopus Magdeburgensis, & administrator Halberstadensis, ac primas Germaniæ, principumque nostrorum frater germanus, prima die mensis Augusti defunctus est, anno pontificatus sui XXXVIII, vir bonus, & pientissimus princeps, doctorum virorum clerique amator, ac deuotissimus Dei cultor, in calamitosos & pauperes quoslibet largus & misericors, & nihilo secius in agendis iustus, strenuus, & magnificus. Præclara siquidem & immortalia quædam tempore sui regiminis & pontificatus perfecit opera. Nam anno Domini MCCCCLXXIX Hallis armis cepit, domuit, & archiepiscopio acquisiuit. Consequente anno Halberstad sæpe rebellantem sub iugum misit. Arcem prope Hallis pretiosissimam & munitissimam, cum suis fossatis profundis & turribus firmissimis à fundamentis, impensis maximis & incomparabilibus construxit, & in eadem ecclesiam, ex lapidib sectis pulcherrimam, quam pretiosis donariis ex auro & argento, & compluribus Sanctorum iconibus artificiose fabrefactis, cumulatissime decorauit. Non desunt dictæ ecclesiæ æstimatores gazæ, qui eam viginti millium nummorum aureorum valoris & amplius æstimant; dempto calice illo mirifici operis, ab eodem Ernesto superaddito ponderis decem marcarum, auro & gemmis ornato. Porro in laudem arcis prædictæ eiusmodi extat epigramma:

Tu quicunque vides surgentem mœnibus arcem,
Quanta Semiramidæ nec Babylonis erat;
Nec mirare hospes: Hernesto præsule structa
Authoris retinet nomen & ipsa sui:

Constituxit quoque castrum à solo nouum prope oppidum Caluis. Ipso itaque post magnifica opera (vt dictum est) defuncto, vltima die mensis Augusti, postulatione canonica ex marchionibus Brandenburgensibus Albertus frater Ioachimi principis electoris succesit. Quem Leo papa decimus confirmauit. Hic Deo dignus antistes cum affectu in superos arderet deuotissimo; memorato germano fratre consentiente, hoc ipso anno presbyter ordinatus, primitias octaua Paschæ celebrauit, & capellam seorsum cum octo presbyteris præbendatis apud Coloniam Rhenensem à fundamentis erexit & fundauit, dotauitque & optime prouidit. Et ita in primis se deuote & laudabiliter habuit: clericorum reformationi, & reipublicæ paci & tranquillitati, operam dans, adeo vt à cunctis admirarerur & laudaretur. Ast paulo post, cum honoribus mutatis moribus, versus est in hominem prorsus alium; inhumanus, durus, & violentus (ne dicam crudelis) effectus, & potissimum in graui & molesta subditorum exactione & violenta ecclesiarum spoliatione. Per omnes quippe prouincias suas à subiectis plebeculis exactiones pecuniales per modum subsidij extorsit grandes, ecclesias multas & complura monasteria contra omnem iusticiam & æquitatem, contra ius fasque, contra omnem charitatem & humanitatem, maioribus & pretiosioribus spoliauit reliquiis, plerunque auro & argento gemmisq; inclusis, totum sibi vsurpans, totum vendicans & reseruans, papali auctoritate & priuilegio (vt dicebatur) fretus, in damnum

& iacturam ecclesiarum,& possidentium de iure turbationem & grauamen maximum. Petere quidem solebat primum;sed vbi confestim impetrare nequiuit verbis, vsus mox est viribus, potenterque etiam ipsis suis possessoribus renitentibus & contradicentibus abstulit, quemadmodum & mihi ore proprio quidam lamentabiliter conquesti monasteriorum fuere prçlati. Quamobrem de eiusmodi potentum petitione quidam poeta bene belleq; ad propositum ducis cecinit:

Est orare ducum species violenta iubendi,
Et quasi nudato supplicat ense potens.

Proinde si furtum est contrectatio rei alienæ inuito domino suo;viderit ipse Reuerend. p. quomodo excusari poterit, quamque iuste prædicta præsumpserit. Non enim summus pontifex ad venialiter saltem peccandum licentiam cuiquam dare potest, minus contra charitatem quippiam præsumendi, vt proximus turbetur & contra omnem æquitatem rebus spolietur propriis. Sic neque cum detrimento & offensione deuotionis alienæ suæ deuotioni aut potius affectioni & cupiditati licite satisfacere quiuit; quemadmodum nec iuste & deifice aut spoliare aut grauare alienas, propriam vt superbe & ambitiose ditare & ornare posset ecclesiam. Hoc est enim vnum altare vestire,ornare,& tegere;aliud discooperire,nudare, & destruere, & rapinam offerre in holocaustum.

Porro quanta præsumpserit in translatione & permutatione ecclesiarum & monasteriorum, etiam contra fundatorum intentionem & vltimam eorundem volitionem ; molestissima & turbulentissima illa inter sancti Mauricij Hallis canonicos fratresque ibidem prædicatores commutatio, immo ordinum confusio, & partim ablatio,clamat & indicat. Ast quoniam hoc factum adhuc sub turbine agitatur & cogitur, cœptumque vrgetur vehementer; exitum eius aliis post me describendum relinquo. Rarum quippe est & portentosum,ideo memoratu dignum, & ad posteros mittẽdum idoneum,quoniam veritas neminem palpat.

Anno Domini MDXIV, Hallis oppido Saxoniæ, quidam Iudæus baptizatus Ioannes Pfefferkorn dictus, homo flagitiosissimus, captus, & in vincula coniectus tortusque, scelera immanissima & inaudita de se fassus est, quæ nec in morte reuocauit; & inprimis quidem, quod per viginti annos Sacerdotis officia celebrando, baptizando,confessiones audiendo, &c. exercuerit, cum ordinatus aut consecratus nunquam fuerit;item quod tres hostias consecratas subtraxerit, vnamque per se cruoris vsque effusionem dispunxerit, reliquas Iudæis vendiderit; item quod Albertum archiepiscopum Magdeburgensem, & fratrem eius Ioachimum, marchionem & principem electorem, intoxicare intenderit,& ob hanc rem centum à Iudçis florenos,qui ex marchia pulsi & electi fuerant,ob scelus complicum eorundem quo nuper Sacramentum Eucharistiæ à pseudochristiano emptum, etiam vsque sanguinis emanationem aliorumque prodigiorum ostensionem martyrizauerant, & eapropter ad sexaginta combusti fuerant,cæteris omnibus fugatis & dispersis; à quibus & ipse (vt dictum est)prædictam pecuniam pro intoxicatione acceperat. Ipse siquidem curias magnatum, tanquam Sacerdos & in mediana peritus,frequentabat. Quare facile id, ni Deus impedisset,facere potuisset. Proinde &confessus fuit complures se medicinæ sub specie peremisse Christianos; item quod se ad tempus pro Messia gesserit, & cum XII discipulis per pagos & oppida quæstus causa ierit,multaque mira apparenter, sed & ficte fecerit;quod duos infantes rapuerit, vnumque Iudæis venditum, mox eundem cum eis pariter sanguinem extrahendo interfecerit;(alium tamen intactũ restituit)item quod omnem populum & Magdeb. & Halberstad. diœcesium & intoxicare, & eorum bona,quantum ei possibile foret, comburere voluerit, & id quoque se effecturum Iudæis spoponderat;quod in Ostrofrancia cuidam magistro & presbytero dæmonem inclusum furatus fuerit,& eundem demum pro quinque aureis vendiderit. Præterea complura alia piacula confessus est, ob quæ morti adiudicatus primum candentibus vncinis discerptus fuit;deinde ad locum supplicij ad cœmiterium videlicet Iudæorum tractus,ibidem igne assatus & combustus, horribiliter interiit. Obiit attamen (vt & vox & fama cõmunis erat,& impressum vernacula lingua extat) vt verus Christianus, demeritas pœnas sub bona spe fideq, sufferens.

Eodem

Eodem anno, Maximilianus Cæsar neptem suam Mariam regis Vngariæ iuniorís sponsam ex Flandria in Austriam, & post in Vngariam cum magno apparatu misit.

Eodem tempore, insperate erupit quædam incondita rusticorum multitudo quæ Cruciatorum appellabatur, quam cardinalis Strigonensis, legatus apostolicus, paucis ante mensibus in Vngariam duxerat cum plenissimis indulgentiis: è quare, vnde spe rabatur subsidium, crudelissimum venenum ortum est. Et hoc ideo, quod prædictus legatus (vt fama fuit) cœptum opus & cruciatorum expeditionem reuocauerit. Quare ipsi crucesignati supreme indignati, furorem suum quem contra Thurcos concep perant, atrocius in ipsos Vngaros verterunt, longe lateque sæuientes, & conuersi in reprobum sensum, quæ non conueniebant, nec ipsis quidem Thurcis aut beluis marinis, peragentes. Ipsis denique ita grassantibus, stuprabantur passim virgines & matronæ; sacra prophanabantur; spoliabantur templa; ciuitates, oppida, arces, villæ euastabantur, & incendio corruebant: denique nihil tam sanctum, quod ab his Cruciatis non contaminaretur. Horum dux Georgius Cæculus; (gentis nomen est Transsyluanæ) huius socius Laurentius presbyter omnium crudelissimus; item erat ex ducibus quidam Michael monachus: ita hæc pestis nullum ordinem intactum reliquit. Hi quoscunque nobiles apprehenderunt, palis affixerunt, mulieres ac liberos ciecerunt, prius tamen stupratis, bona expost surripientes. Erat animus illorum vniuersam delere nobilitatem, & in toto regno Vngariæ, quod quatuor & decem habet sedes episcopales, vnam saltem relinquere. Scribi non potest, qua crudelitate vsi sunt. Tandem auxilio diuino rabies hæc extincta est, ductu Ioannis comitis Zepusiensis Vaiuodæ Transsyluanicæ, qui ducem illorum captum nouo quodam tormenti genere à suis dentibus laniari iussit, & hinc decollari. Et deinde mense Nouembri illius anni, cum in Buda regnicolarum facta esset congregatio; ibi publice narratum est, prædicto tumultu rusticorum, qui vix quadrimestris erat, desiderata, id est perempta, fuisse in Hungaria vtriusque sexus septuaginta millia hominum, quos inter quadringenti fuere nobiles.

Eodem anno Georgius dux Saxoniæ, & Landgrauius Thuringiæ, ac Marchio Misn. principum nostrorum fratruelis, cum valida expeditione armorum circa Epiphaniam Domini intrauit Phrisiam; vbi & vi & armis complura suæ ditioni subiecit, & inter alia castellum munitissimum iuxta aquas multas, Tham appellatum, expugnauit & cepit, non tamen sine suorum quorundam strage. Castello itaque capto, irruentes ipsi bellatores, & præsertim lancigeri omnes pene masculos in ore gladij peremerunt, nec ad sacra loca confugientibus quidem parcentes: quandoquidem in ecclesia quadam mille & trecentos homines sine vllo pietatis aut diuinæ maiestatis respectu interfecerunt adeo crudeliter, vt sanguis extra ecclesiam flueret, & victores in cruore velut in aqua ambularent. Quod tamen factum ipsi duci Georgio valde displicuisse, & præter eius iussum perpetrarum, ferebatur. Nihilominus ipse dux, quia forsan cito non inhibuit aut dissimulauit, postmodum vtique nullam fortunam cum eodem exercitu habuit prosperam. Proinde & paulo post Henricus dux Brunswicensis, protector ordinis, qui & literam confraternitatis habuit, vir alioqui animosus & bellicæ rei peritissimus, in obsidione & oppugnatione castri cuiusdam ictu bombardæ tactus, & cerebro excusso in momento periit, in ætatis medio. Qui cum fuisset dux militiæ prædicti exercitus in Phrisia, sua morte vehementissime Georgium ducē affecit. Quare & non longe post, rebus in contrarium vergentibus, potissimum bellorum neruis, ipsis videlicet pecuniis quas innumerabiles cum prouinciarum suarum intolerabili taxa & multatione consumpserat, deficientibus, & ipse licet inuitus non sine dedecore ad propria reuersus est.

Eodem anno, in profesto diui Bonifacij, doctor N. cognomento Pobenzan, iurisconsultus præpotens in Erffordia, ibidem post longa vincula & dira tormenta, ob proditionem & alia scelera perfidissima quæ in clerum & ciues excogitarat, in quatuor partes viuus atrocissime diuisus fuit; nemine (vt desiderabat) ei compatiente, aut pro eo rogante, quoniam tyrannus & oppressor pauperum fuerat; partes autem ipsas ad quatuor vias regias publice suspenderunt.

Eodem anno, Adolphus ex principib. de Anhalt & comitibus Aſchaniæ &c. factus eſt epiſcopus Merſeburgenſis, conſecratusque ſiue (vt vulgo loquuntur) coronatus in Quadrageſima Dominica Oculi, per reuerendum dominum epiſcopum noſtrum, Ioannem de Schonberg.

Eodem anno, decima die Ianuarij, Georgius quartus in reformatione Pigauienſis cœnobij abbas obiit. Hic natione Oſtrofrancus de Cranach natus fuit, vir in agendis prudens & prouidus, magnanimuſque, naturali quadam facundia præditus, ſtudioſorum virorum fautor & amator humaniſſimus. Qui cum præcedenti anno Romæ concilium viſitaſſet perſonaliter Lateranenſe; ibidem hauſit quod poſtmodum digerere neutiquam valuit. Nam ſic infectus, ad propria rediens non longe poſt (vt dictum eſt) obiit.

Anno Domini MDXV, Viennæ Auſtriæ trium regum Maximiliani videlicet Cæſaris, & Vladislai Bohemiæ & Vngariæ, ac Sigiſmundi Poloniæ, regum, multorumq; principum, comitum, baronum, diuerſorumque nobilium, ob prædictorum regum concordiam & Cæſareæ neptis deſponſationem celebrandam, celeberrima & magnifica conuentio fuit. Venit autem Cæſar cum electiſſimo comitatu, cum multis equis cataphractis ac ſplendidiſſimis militibus. Nec minore apparatu Vngariæ rex intrauit. Porro Sigiſmundus Poloniæ rex in comitatu ſuo habebat plus mille quingentos equites, qui partim more Vngarorum quos Huſſerones appellant, partim habitu Germanico ornati erant. Sed erant præter Polonos Ruteni, Pruteni, Moſchi, Thurci captiui, & Tartari, in ſuo equitatu cum multis tibicinibus. Ex principibus autem & comitibus inter alios venerunt, *Guilhelmus dux Bauariæ*. Et hic quidem intrauit vrbem totus æreus cum equitibus ſuis, ſuo peculiari colore veſtitus, qui canem in brachio pro inſigni ferebant. Hunc ſequebatur *Caſimirus* marchio Brandenburgenſis, in equo cataphractato, veſte aurea & rubea, cum electiſſima militia, quæ veſtibus rubeis fulgebat. Penes eum erat & nobilitas Oſtrofranciæ inſignis. Subſequebantur deinde comites, ſuo quiſque colore veſtitus, ſed cataphractatis equis, comites videlicet *de Montfort, de Schaumberg, de Mansfelt*, comes *de Veſterburg*, comes *Ioannes de Hardeck*, qui mirum in modum margaritis & gemmis reſplendebat, cuius & equus gemmis & vnionibus coopertus erat, & ſuperbiſſime incedebat; item *comes Zepuſienſis Georgius dictus* cum multis aliis, quos cum nobilitatibus Auſtriæ & cæterarum prouinciarum breuitatis intuitu prætermitto. Interfuerunt nihilominus & huic glorioſo conuentui prælati ſpirituales & quidem excellentiſſimi; Thomas videlicet cardinalis & legatus à latere; N. cardinalis Strigonienſis; Matthæus Lang natione Auguſtenſis, cardinalis autem Gurzenſis, ac Saltzburgenſis eccleſiæ adminiſtrator. Quibus omnibus ſic conuenientibus & varia tractantibus, tandem poſt aliquot dies Cæſar Maximilianus inter prædictos reges pacem & concordiam reintegrauit (ob certas enim cauſas antea mutuo diſcordauerant) cum ingenti omnium tripudio. Et hoc factum eſt XIX Iulij die. Deinde in feſto Matiæ Magdalenæ, Cæſar neptem ſuam Mariam deſponſauit deditque coniugem Ludouico, ſupra narrati Vladiſlai Vngariæ & Bohemiæ regis filio. Hinc ſequuta ſunt torneamenta & haſtiludia mira, equorum velocium pro brauio curſus, choreæ quoque per aliquot dies venuſtiſſimæ, & aliæ iocunditates variæ & mirabiles. Et, vt Cuſpinianus ad Iacobum Villinger, Cæſareæ maieſtatis theſaurarium, ſcripſit; inter alios cantores & citharœdos Thurcus quidam ibi erat cum tibia, qui inauditam harmoniam & cunctorum auribus inacceptam edebat, cum puero tympanum ambabus violenter percutiente manibus. Quibus omnibus ſic magnifice & hilariter peractis; quique cum gaudio remearunt ad propria, in nomine Domini.

Eodem anno, inter regem Galliæ & Heluetios fuit cruentiſſimum bellum, in profeſto Exaltationis Sanctæ crucis. Congreſſione enim facta, octo & decem millia Heluetiorum ſiue Switzerorum (vt vulgo loquar) vſque ad internicionem cæſa fuerunt. Ex parte autem regis octo millia lancigerorum ceciderunt, & alia quatuor millia Francigenarum (quemadmodum quidam peritus orbiuagus belliperaque me præſente fratribus palam retulit) perierunt perempta. Et (vt fama erat) Heluetij magis inſidiis & bombardis, quam virtute & viribus proſtrati victique fuerunt. Obtinuitque rex victoriam tandem, ſuperſtitesque Switzeros in fugam conuertit. Sed vah, quanta Chriſtia-

Christianorum rabies! Quantus heus furor fidelium mutuo se tam crudeliter trucidantium, & ne dicam (vt timetur) in tartara se inuicem horribiliter furioseque trudentium! Qui vtique ter quaterque felices esse potuissent, si contra infideles pugnare, & sanguinem suum fundere maluissent. At in quod facinus mortalia pectora non cogit auri sacra fames, quæ nec ipsum DEVM, nec mortem, neque infernum, cupidum expauescere sinit? Et reuera talium militum talia sunt stipendia mortis.

Eodem anno, maxima inundatio fuit Rheni, quæ & in pagis & oppidis inæstimabilia fecit damna. Quo etiam anno, Hallis regia in Sueuia, & Waydhoffen in Stiria, vna & eadem conflagrarunt funditus die.

Eodem anno, Andreas Luchtenstern, vicarius Citzensis ecclesiæ magnificus, ac deuotissimus nostri & fautor & benefactor cœnobij, atque confrater charissimus *. Qui cum esset beatissimæ virginis Mariæ patronæ nostræ intimus & ardentissimus amator & cultor; multa & eximia ob reuerentiam & honorem eius, proque remedio animæ suæ prædicto nostro monasterio contulit bona. Inter alia enim etiam adhuc viuens donauit monasterio pro fratrum studio plures magnos & notabiles codices, item pretiosum & argenteum quod pacificale passim vocatur, item Casulam de Damasco cum Dalmaticis, sericis, & aliis sacris vestibus, quibus modo Sabbathinis diebus celebrantes ad summam Missam vtantur. Quibus etiam insigne suum, scutum videlicet cum stella aurea in campo rubeo, assutum est, quemadmodum & cæteris rebus quas & monasterio dedit, aut in imaginibus depingi fecit, vt patet in tabella altaris diuæ Annæ in ecclesia, & iuxta imaginem Christophori Magni, & similibus. Idem dedit monasterio viginti florenos, vt annuatim officium immaculatissimæ virginis Mariæ sub octaua eiusdem festi semel cum summa Missa & suffragiis repetatur. Instituit insuper apud nos, ad perpetuam Christiferæ virginis Mariæ laudem, antiphonam *Almaredemptoris* &c. ante summam Missam deuote decantandam à fratribus. Hic denique, velut amicissimus fratrum amator, & integerrimus fautor, cum crebrius visitaret ob deuotionem loci monasterium; nunquam ferme venit, quin aut fratribus colloquium impetraret iocundum, aut recedens in signum amoris pro Valete (vt dicitur) aliquam pitantiam aut vini aut piscium disponeret. Pro quibus omnibus, & aliis elargitis misericordiæ operibus, oramus Deum, vt sanctissima æternaliter requiescat in requie.

Eodem anno, cum essem amore literarum, Benedicti venerabilis abbatis nostri cum consensu, dimissorio & licentia, Herbipoli in diui Iacobi Apostoli cœnobio, sub reuerendi & vndecunque doctissimi viri, domini Ioannis Tritemij, memorati monasterij abbatis, ad tempus doctrina & obœdientia: ipso tunc Germanicarum rerum historiis tribus voluminibus describendis operam dante, cupienteque cura eadem suum de scriptoribus ecclesiasticis librum, iam olim in Spanheim vsque ad annum Domini MCCCXCIV productum, vsque in præsens continuare tempus, viros videlicet illustres qui interim scriptitassent suis cum lucubrationibus, scriptoribus ecclesiasticis iam antea in præfato libro cum scriptis & impressis, per quandam additionem nouam connecteret: qui quatenus facilius & promptius conatum suum laudabilem perficere posset; me quem ad adminiculandum sibi rebatur idoneum, cum literis cõmendatitiis ad monasteriorum omnium, nostri tamen potissimum ordinis, fundationes, nec non virorum (vt dixi) clarorum monumenta, tota Germania ad Dei omnium scientiarum largitoris laudem, & totius Teutonicæ nationis & honorem & præconium, vndequaque conquisita, congesta, & descripta, ei deferrem. Porro prædictarum literarum nec non commissionum tenor talis fuit, & est.

Vniuersis & singulis dominis abbatibus, præpositis, prioribus, cæterisque ecclesiarum rectoribus *Ioannes Tritemius*, abbas monasterij diui Iacobi Herbipolensis, ordinis sancti Benedicti, cum orationibus promptam obsequendi voluntatem. Harum exhibitori literarum, fratri *Paulo Langio*, monacho atque presbytero nostri ordinis memorati, dedimus in mandatis, vt omnium monasteriorum, conuentuum, & ec-

cleſiarum, cuiuſcunque ſint religionis, quantum fieri poteſt, totam per Germaniam, fundationes, tempora, patronos, & ſi quos habuerint viros ſanctitate vel doctrina inſignes, eorum tempora ſimul & opuſcula, diligenter inquirat, conſcribat, nobisque referat pro decore Annalium ſiue Chronicorum Germaniæ, quibus operam impendimus noſtram. Quocirca vos omnes & ſingulos per mundi Saluatorem rogamus, vt eum ad veſtra declinantem benigne admittatis, & charitatiue foueatis, atque in his quorum inquirendi gratia mittitur à nobis, illi fauorem & adiutorium impendere pro viribus nõ recuſetis, mercedem ab illo recepturi qui iudex omnium dicturus eſt ſtantibus à dextris: *Ite benedicti patris mei*, &c. *quoniam cum hoſpes eſſem ſuſcepiſtis me* &c. & ſcripſimus in præfato cœnobio noſtro ad Herbipolim, prima die menſis Aprilis, anno Dominicæ Natiuitatis MDXV.

Prædictam itaque legationem ſiue commiſſionem pro virili meo ſolicitius exequi ſemper conatus ſum: tametſi in perpaucis locis fuerim, partim viarum difficultate & diſcrimine, partim latronum prædonumque formidine, per montes & nemora, tandemque inopino ipſius Tritemii mittentis præceptorisque mei occaſu, retractus & impeditus. Nihilo tamen minus, ipſo adhuc viuente, aliquot vicibus ingruente hyeme collecta & conſcripta cum variis diuerſorum ſapientum virorum epiſtoliis & ſalutationibus referenda & conſignanda Herbipolim redii. Et quanquam memoratam antiquitatum indagationem permulti celebres, & grauiſſimi etiam, ac integerrimi, laudauerint viri; fuerunt tamen è diuerſo nonnulli ſycophantæ & ſcioli, & (quod fœdius eſt) fratres religioſuli, mordaces, & cynici, qui eam commiſſionem & inquiſitionem ſatis impudenter taxarunt; me pro tam arduo conamine gyrouagum & circulatorem vocitare non erubeſcentes. At ſi ego gyrouagus, ſi circumcellio, quid quæſo erat æquiuocus meus Apoſtolus Paulus, de quo Actuum XIX. legitur: *Factum eſt, quod cum Paulus peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum*, &c. quique ab Hieruſalem vſque Illyricum diſcurrendo Chriſti Euangelium ſeminarat, licet longe alia beatioreque cauſa? Quid denique fuit Hieronymus, quid Ruffinus, quid Heraclides, quid Petronius, Paulus Oroſius, Iulius Affricanus, Seuerus Sulpicius, Caſſianus, Paſchaſius, & ſimiles, qui ob propriam deuotionem & aliorum ædificationem maria tranſierunt, loca terræ ſanctæ deuotiſſime perluſtrauerunt? Deinde Ægyptum, Nitriam, Scythiam, Palæſtinamque gyrantes exactiſſime monachorum cœnobia, anachoritarum ſpeluncas & antra ſcrutantes, vitam & conſeruationem eorum ac doctrinam religioſiſſime & vigilantiſſime explorauerunt, & plerunque cum eis per aliquot & dies & annos commanentes, & inſtitutiones eorundem ac mores imitantes & addiſcentes, exhortationesque ſingulorum annotantes; tandem ad propria repedantes, & viſa & audita Dei pro honore & legentium profectu ac ædificatione eleganter & vtiliter conſcripſerunt. Qui niſi ſupra narrata & circuiſſent & perluſtraſſent loca; vitas patrum, inſtitutiones, collationes, exhortationes, conuerſationes, & itinerarium quod Hieronymo aſcribitur; denique & quorundam, & præcipue Antonii, Hilarionis, Pachomii, Onophori, Macarii, Romani, Arſenii, Poſthumii, Mariæ Ægyptiacæ, Euphroſynæ, Euphraſiæ &c. & ſimilium vitas & legendas, nec monachi nec mundus ipſe quidem haberet. Felix ergo terque felix illorum peragratio, laudabilis & ſancta exploratio, ex quibus tantus fructus, tantaque ſequuta eſt morum & totius ſanctitatis ædificatio. Quur ergo in me criminantur æmuli quod in aliis laudatur, quod etiam ipſa gentilitas in Vlyſſe multis præconiis extulit, quod Hieronymus glorioſus in Platone & Apollonio Philoſophis commendauit, quod denique idem in fœminis etiam ſummis proſequitur laudibus? Nota eſt illa diuæ Paulæ feruentiſſima perluſtratio qua nedum infinitas monachorum & eremitarum cellas, ſed & eorundem ſtrata, veſtes, cilicia, & ſudoriola quondam, Romanarum matronarum nobiliſſima propriis manibus attrectauit, venerata & oſculata eſt. Quantus denique fructus & profectus ex eiuſmodi peragrationibus ſanctorum patrum accreuerit mundo; nec ipſe Tullius, neque Demoſthenes ſua eloquentia effari & depromere poſſent: quandoquidem vt de aliis interim ſileam, ſi noſtri ordinis ſancti & deuotiſſimi patres, Columbanus, Gallus, Chilianus, Bonifacius, Willibrordus, Ludigerus, & pares, ſuis in monaſteriis reſe-

diſſent

dissent,quis Austrasiorum, quis Gallorum, quis Francorum, Baioariorum, Vindelicorum, Doringorum, Saxonum, Hessonum, Frisonum gentes ad Christi fidem conuertisset? Si deniq; nostri ordinis præstantissimi, præsertim Augustinus, Mellitus, & Iustus, Magni Gregorij Papę discipuli; si Alquinus; si Beda, Rabanus, Strabo, Marianus, Claudius, Lampertus & similes domi mansissent: quis Angliam, Scotiam, Hiberniam, fidei rudimentis prædicando imbuisset? Quis insuper in Galliam almificam & famatissimam illam Parrhisiensem Vniuersitatem instituisset? Quis potentissimum nobilemq; in Francia episcopatum illum Herbipolensem fundasset? Quem vtique diuum Burghardum, primum eius ecclesiæ præsulem, instituisse, sicuti & Parrhisiensem Academiam Alquinum, nostri ordinis patres, fundasse certissimum est. Quis alios complures per Europam episcopatus, quorum primi antistites (vt in præcedentibus sub anno Domini DCCCCLXXVIII latius probauimus) nostri ordinis fuere & frequenter peregrini, plantasset? At quid multis moror? Quur mihi vendicare conor quod excellentissimi viri nec virtute neque sanctitate assequi quiuerunt? Qui deniq; quanto doctiores & sanctimonia clariores, tanto & acriores & plures semper habuere obtrectatores. Nitimirum cum (expertus harum rerum inquit Hieronymus) semper in propatulo fortidicterium:

Summa petat liuor, perflent altissima venti.

Sed nunc de his satis. Sane quatenus & fructus & vtilitas sæpe dictę commissionis & perlustrationis meæ aliquan- &c. *Cætera desunt.*

PAVLI LANGII MONACHI
CHRONICI CITIZENSIS FINIS.

SCRIPTO
RERVM
Germ. Tom

HISTORIA ERPHESFORDENSIS ANONYMI SCRIPTORIS DE LANDGRAVIIS THVRINGIÆ.

QVAM, QVOD IN EODEM LIBRO ESSET ET ALIO QVIN MAGNAM COGNATIONEM CVM *Lamberto haberet, reſq; iſtius prouinciæ Germanicas explicaret, coniungendam cum illo eſſe putauimus.*

CAPVT I.

NOE habuit tres filios, Sem, Cham & Iaphet. A bis illis ortæ ſunt LXXII generationes ſeu gẽtes. Hinc eſt, quod Chriſtus miſit ad illas LXXII diſcipulos: hæ generationes ſeu gentes LXXII diſſeminatæ ſunt per orbem & mundum in tribus partibus, ita quod mundus eſt diuiſus in tres partes: ita quod Sem cum ſua ſorte, ſcil. generatione Aſiam; Cham in generatione ſua Aphricam; Iaphet Europam, id eſt partem mundi ad Aquilonem ſeu ad plagam Septẽtrionalem, ſortitus eſt, cum ſeptem filijs ſuis & filijs filiorum. Qui fecerunt ſecundum lapſum temporis XV generationes & gentes: & à quibus prouenerunt gentes & regiones plures, ſcilicet Italici cum ſuis regionibus; Germani cum ſuis regionibus; Gallici cum ſuis gentibus & regionibus; & cæteræ gentes, quæ habitant ad Septentrionalem plagam. Illi vero homines nati de ſemine Iaphet, qui in proceſſu temporum inceperunt habitare in Germania, in regione illa quam modo inhabitant Saxones & Weſtphali, in aquas Albiam & Rhenum vſq; ad mare Septentrionale. Et quia duri erant tales homines ad laborandum & bellandum; ideo Duringi ſeu Thuringi ſunt ab alijs nominati, & elegerunt ſibi inter eos regem & ducem, qui dicebatur rex Duringorum, cui obediebant. Alij vero homines de eiuſdem Iaphet ſemine, qui inceperunt habitare & victum ſuum quærere, circa Rhenũ & vltra vſq; ad mare Occidentale, & qa Franci, id eſt feroces, erant. d bellandum, vocati ſunt ab alijs vicinis eorum Frãci, id eſt feroces, & ſibi elegerunt regem, qui nominabatur rex Francorum. Alij vero de eiuſdem ſemine Iaphet, qui inceperunt habitare in inſulis Britanniæ, Angliæ & Friſiæ, & quia gens indomita & litigioſa & multum robuſta erat: & ideo vocati ſunt Saxones, qui elegerunt ſibi regem, & dicebatur rex Saxonum. Alij vero qui habitabant prope Danubium, dicebantur primo Alemanni: de quibus ſileo. Iſti reges creauerũt aliquos duces ex cupiditate nimia, & eos ad terras circumiacentes miſerunt, quos humiliauerunt, & tributarios fecerunt, & regna ſua vi & potentia, diuerſitate linguarum, & multitudine terrarum, dilatauerunt: & vltra mille annos manſerunt inconcuſſa, à tempore quo inceperunt, ſcilicet circa finem tertiæ ætatis, ante tempora Dauid, euolutis 4000 annorum à creatione mundi vſq; ad tempora Iulij Cæſaris, qui mala eis intulit non longe ante Natiuitatem Chriſti.

De prima deſtructione regni Thuringorum per Iulium officiatum Romanorum.

CAPVT II.

CVm Romani nimium creſcere cœperũt in diuitijs & potentia, arridente eis fortuna, & totum mundum nitebantur ſubiugare ſuo imperio; audientes in partibus Germaniæ ad Septentrionẽ multos eſſe reges & principes, qui ſe ipſos rexerunt, & regnum Romanorũ minime curabant: habito conſilio, quomodo ipſos humiliarẽt & tributarios facerent; (ſicut fecerũt multos reges & prouincias ſeu terras in partibus trãsmarinis, id eſt in partibus mundi Aſiæ & Aphricæ) ſtrenuiſſimũ militem & nobilẽ Romanũ Iulium cũ maxima multitudine populi, & cũ infinito theſauro in Alemaniã miſerunt,

ſerunt, vt reges deponeret, & terras tributarias & ſubiectas Romano imperio faceret. Iulius enim veniens in Alemaniam, per decem annos regnum Thuringiæ, & alia regna ſcilicet Galliam debellando, Romano imperio ſubiecit & deſtruxit, & non abſque magna ſtrage hominum vtriuſq; partis. Nam quinq; annis pugnauit in Thuringia, & ibi moram traxit. Et vt regna manerent deſtructa, & populus ſubiectus Romanis, tunc Iulius multa caſtra in diuerſis partibus Alemanniæ conſtruxit, & multos nobiles ibidem poſuit, vt ſi Thuringi vel alij regem crearent, vel ſe Romanis opponerent, quod compeſcerentur.

Nam in partibus nunc Saxoniæ ob veneratione Lunæ, cuius radios vidit quadam nocte in quodam monte ædificauit caſtrum Luneburg, & compellebat Thuringos adorare Lunam, ſecundum modum Romanorum. In partibus Orientalibus Miſnæ Iulburg, quod nominatur modo Ylborg. In partibus nunc Thuringiæ Cufftze, quod eſt nomen Gallicum, id eſt confuſio, in perpetuum argumentum, quod regnum Thuringiæ fuit per eum confuſum. In partibus Haſſiæ conſtruxit Wimelberg, & ponno, & in Francia contra regem Francorum, ſcilicet Iuliacum, Nouimagium, & poſtea Iulius omnibus caſtris cum nobilibus & militibus bene munitis reuerſus eſt Romam, & tandem imperator factus Romanorum. Et eo mortuo, Octauianus qui & Auguſtus dicebatur, factus fuit imperator, & dominus totius orbis, ſub quo natus eſt Chriſtus. Cui ſucceſſit Tyberius.

Nota, Iulius fuit vnus de conſulibus Romanorum, & dux exercitus. Nota, quando Iulius per multa bella, quæ habuit cum Gallicis, & Thuringis, & Alemannis, & eos tributarios fecit Romanis per decem annos pugnando, reuerſus eſt Romam, ſed Romani de conſilio Pompeij prætoris ducis exercitus verſus orientem, qui multa magnifica facta fecit in partibus multis, nolebant eum intromittere: nec ſibi pecunias amplius ex ærario tradere. Quare prouocatus pugnauit multis diebus cum Pompeio & Romanis, & eos proſtrauit, Pompeio fugiente in Ægyptum, & ibi à rege occiſo in fauorem Iulij: & ſic Iulius Cæſar factus eſt inuitus Romanis. Et hoc tangitur in hiſtoria ſcholaſtica, cum dicitur, Factum eſt eo tempore diſcidium inter Romanos pro Pompeio & Iulio Cæſare. Cæſar autem fugauit Pompeium, & Romanos ſibi adhærentes. Rexit autem Iulius ſolus tribus annis, & ſex menſibus, & dolo Bruti occiſus eſt: poſt Iulium rexit, & Cæſar factus eſt Octauianus, cuius nepos, qui intrauit Pannoniam, id eſt Vngariam, quam cruentiſſima cæde deſæuit: deinde Germaniam, quæ ab Vngaria vſque ad Rhenum extenditur cum XII legionibus militũ aggreſſus eſt, bellans per triduum: & perdidit tres legiones, in magnam iacturam exercitus Romanorum: deinde Dacos & terras confines proſtrauit in magna multitudine, & XL millia captiuorum in Galliam quæ eſt vltra Rhenum, ſecum duxit.

De expulſione Thuringorum per Saxones antiquos, ſcilicet per Anglicos, Britones, & Friſones.

CAPVT III.

ANno Dominicæ incarnationis XXVIII, regnante Tyberio imperatore Romanorum, gens Saxonum habitans in Anglia, Britannia & Friſia, audiens, quod Thuringi non haberent regem, & ducem aliquem; rex eorum ex cupiditate dominij miſit plures duces ſuos de gente Saxonum, qui nauigio venerunt per mare Occidentale ad Septentrionale, ſcilicet ad loca, vbi modo ſunt ciuitates *Lubeck*, *Roſtock*, &c. Et cum Saxones terræ applicuiſſent; Thuringi eius aduentum grauiter ferentes, armati contra eos venerunt. Saxones vero bene armati nouis armis diffuſis ſuper ſcapulis, veſtiti pilos quadratæ formæ cum longis lanceis, ſtabantque ſubnixi paruis ſcutis, habentes ad renes magnos cultellos, & atrociter reſtiterunt, & portum obtinuerunt. Deinde, inter ſe dimicantibus, cum multis hinc inde cadentibus & occiſis; tandem Saxones triumphauerunt, & Thuringos à mari Septentrionali, & à terra quæ nunc Sclauia & Saxonia dicitur, expulerunt, & eam poſſederunt. Alij autem fugerunt, & terram quam nunc inhabitant inter nemus Thuringicum & *Hartz* intrauerunt. Et videntes eam eſ-

se opulentissimam & fertilissimam; ipsam precibus & vi, sicut poterant; obtinuerunt, & villas ibidem & ciuitates ædificauerunt: & nomine suo Thuringiam nominauerunt: & se ipsos per iudices proprios violenter citra quadringentos annos rexerunt: & ad Franconiam, Hassiam, Mysnam se multum ampliauerunt, & in diuitijs & potentia profecerunt.

De secundaria creatione regum in Thuringia & Francia.

CAPVT IV.

ANno Dominicæ incarnationis CCCCXXVI, regnante Theodosio imperatore, Romani nimium cœperunt defluere, & in potestate deficere, & Franci cœperunt crescere. Quapropter Franci ipsos officiatos Romanorum vndiq; de Francia, s. a Rheno vsq; ad mare Occidentale expulerunt, etiam aliquos occiderunt, & sibi iterato inter se regem creauerunt. Qui in breui tempore omnes prouincias Galliæ à mari vsq; ad mare suo subiugauit imperio. Hoc audientes Thuringi ab altera parte Rheni habitantes ad Orientem; de concilio regis Francorum Merwygum cognatum regis Francorum in regem sibi elegerunt: qui castrum construxit in monte, vbi nunc est monasterium S. Petri in Erfordia, & castrum prope Erfordiam, vbi nunc est ecclesia sancti Dionysij, quod vulgares nominãt Merwersburgk. Post Merwigum regnauit in Thuringia Bassinus, cuius vxorem duxit postea Hildericus rex Franciæ. Nota, in Chronica vero Martini sub imperatore Anastasio regnauit Hilderic⁹, post Bassinus regnauit, in Thuringia Irmenfridus. Nota quod regnante Theodosio imperatore, & Merwige rege Thuringorum Northusen ciuitas est fundata & muro circũdata: & longe post villa Erfordia. Ex prædictis habetur, quod reges Thuringorum tres rexerunt annis XCIV.

De translatione regni Thuringorum ad Francos post mortem Thuringorum regis.

CAPVT V.

MOrtuo primo rege Francorum, successit filius eius Hildericus; post quem Clodouæus. Mortuo Clodouæo, reliquit quatuor filios diuidentes regnum Franciæ, quorum vnus nomine Theodoricus sortitus est totam partem circa Rhenum, & sedem regni sui locauit in Metis. Cuius sororem duxit Irmenfridus rex Thuringiæ, anno Domini DXIX. Qui rex Thuringiæ ex persuasione malorum aspirabat ad regnum soborij sui, & ipsum subplantare; verba indiscreta sibi mandãdo. Hoc audiens rex Theodericus, indignatus venit cum magno exercitu suorum, conuocatis etiam Saxonibus ad hoc, ad locum *Roneburg* in Thuringiam: & commissum est bellum per biduum: & multi ex vtraque parte regum ceciderunt. Tertia die victus est Irmefridus, & fugit in ciuitatem *Schidingen* super fluuium *Vnstrud*. Tandem Irmefridus à suis malis consiliarijs, qui consilium sibi litigandi dederunt, occisus est. Hoc audientes Thuringi, quod rex eorum esset occisus, se subdiderunt regi Theoderico, anno Domini DXX. Et quia Saxones iuuerunt regem Theodericum, ideo rex dedit duci Saxonum in terra Thuringiæ quidquid vltra *Vnstrud* situm est, versus montana *Hartz*, quam terram pluribus angnis habuerunt, & pro defensione huius partis ædificauit castrum, quod nominauerunt secundum nomen suum *Saxenburg*. Sed quia officiati Saxonum multa mala intulerunt Thuringis, & fuerunt nimis inquieti; ideo Thuringi cum adiutorio regis Franciæ ipsos de terra expulerunt; regnante tunc imperatore Romanorum Iustiniano, anno Domini DXXXIV.

De regibus Franciæ, qui rexerunt Thuringiam post regem Thuringorum.

CAPVT VI.

REge Theoderico Francorum & Thuringorum defuncto sine liberis, successit ei Hilbertus frater suus. Post quem filius eius Clotarius: post quem Tagobertus, qui per totam Franciam, & totam Alemanniam rexit solus rex, excepta Saxonia. Et veniens in Thuringiam, castrum *Mervvisburg* destruxit, à prædecessore suo constructum, & in

& in eodem loco monasterium in honorem sancti Petri construxit, quod hodie cernitur in Erfordia, anno Domini DCXXVII. Ille idem Tagebertus prope Erfordiam castrum construxit, quod vulgares nominant *Taberstat*. Deinde mortuo Tagebertο, Clodouæus regnauit in Francia, & in tota Alemania, excepta Saxonia, & postea plures alij vsque ad Pipinum, qui fuit pater Caroli magni. Iste Pipinus rex Franciæ & Alemaniæ fundauit monasterium in Hersfeld, & dedit ei multa bona in Thuringia & Hassia, anno Domini DCCXXXVI. Idem fecit creari sanctum Bonifacium in archiepiscopum Moguntinensem, & fuit primus archiepiscopus. Idem Pipinus cum Bonifacio fundauerunt monasterium in Fulda, & dederunt ei multa bona in Thuringia, in Buchouia, & Franckonia, &c.

Anno Domini DCCXLV, item sub eodem Pipino sanctus Bonifacius ædificauit ecclesiam sanctæ Mariæ in Erfordia & ecclesiam Ordorff. Mortuo Pipino rege, successit ei Carolus filius suus, qui subiugauit sibi Saxones, in Anglia, in Britannia, in Frisia, & in Saxonia, & multum regnum suum ampliauit. Et nota de sancto Bonifacio, qui cum rediret de Roma cum auctoritate Apostolica; & veniens in Bauariam, Bauaros conuertit ad fidem, & has ecclesias cathedrales fundauit, in Bauaria, scili. Saltzburgẽsem, Frisingensem, Ratisponensem, Patauiensem, Eystaden; item in Franconia Herbipolen; in Thuringia, Erffordensem, quamuis non permansit; in Holandia Traiectensem; & cuilibet ecclesiæ fecit Episcopum & rectorem. Item fundauit monasteria in Fulda terræ Buchouiæ; item in Thuringia ecclesias sanctæ Mariæ in Erfordia, & in Ordorff, in Hassia Hamelburck & Fritzlaria. Et cum rexisset Franciam, Angliam, Britanniam, totam Alemaniam XXIII annis; vocatus fuit à summo pontifice Romam, & in imperatorem coronatus. Iste Carolus fundauit monasterium in Homburg, & plura alia secũdum literas alphabeti in Ecclesia Dei. Et postquam imperauit in Frãcia, in Italia, in Alemannia, potenter XXXVIII annis, mortuus est, & sepultus in Aquisgrani. Post Carolum, qui dicebatur Magnus propter magnifica facta, rexit Alemanniam vnus de filijs Caroli scilicet Lotharius: post Lotharium Ludouicus, frater suus & imperator: post Ludouicum filius suus Lotharius & imperator, qui consummauit monasterium Homburg, & factus monachus ibidem imperium resignauit. Post Lotharium rexit Ludouicus filius eius & imperator. Post Ludouicum Carolus frater eiusdem Ludouici rexit & imperator factus volens filios fratris sui Ludouici relictos exhæreditare, & regna solus habere & terras: sed frustratus est in proposito. Et multis bellis habitis, voluntarie dimisit filijs fratris totam Alemanniam. Qui tres fratres diuidentes Alemanniam.

Nam primus scilicet Carlomannus in sortem accepit terras Bauariæ, Sueuiæ, Austriæ, Ponnoniæ, Karinthiæ, Bohemiæ, Morauiæ, & cæteras regiones circa Danubium, & nominabatur rex Danubiæ, vel Alemanniæ superioris.

Secundus frater scilicet Carolus accepit in sortem totum Rhenum & cæteras regiones circumiacentes, & nominabatur rex Teutoniæ. Tertius frater scilicet Ludouicus accepit in sortem Thuringiam, Franconiam, Mysnam, Hassiam, Saxoniam, Marchiam, Sclauiam, Frisiam, & cæteras regiones circa Albiam, & nominabatur rex Albiæ, & Thuringiæ. Et posuit sedem regni sui in Thuringia, in castro quod *Iecheburg* nominatur, & capellam in honorem beatæ virginis Mariæ quæ adhuc manet, castro destructo. Notandum, quod sub imperatore Ludouico filio Caroli magni Ockarus archiepiscopus v Moguntinus transtulit ossa sancti Seueri in Erffordiam, anno Domini DCCCXXXVI. Nota, quod partes viciniores Italicis, sicut sunt Bauaria, Sueuia, dictæ fuerunt ab Italicis primo Alemannia, & homines dicebantur Alemanni. Nota secundum Orosium & Solinum, quod tunc temporis Germania & Alemannia habebantur pro vno & eodem. Nam Vngaria dicebatur Pannonia, & ab Vngaria vsq; ad Rhenum dicebatur Germania vel Alemannia, & vltra Rhenum Gallia.

De depositione regum & destructione regnorum in Alemannia, & creatione ducum.

CAPVT VII.

CArolus tertius filius Ludouici prædicti, qui in diuisione Alemaniæ accepit in sortem Thuringiam & cæteras regiones, factus imperator ædificauit in Franconia minore vrbem, quam suo nomine Karlstat nominauit. Iste Carolus factus imperator

& coronatus Romæ à ſummo pontifice, in tantam elatus eſt ſuperbiam, quod vt ſolus rex vbilibet regnaret, in Alemānia, omnes reges depoſuit, & ipſos & hæredes eorum in duces creauit. Similiter omnia regna in Alemannia deſtruxit, & in ducatus redegit. Nā fecit in Bauaria ducem & ducatum, in Polonia, in Auſtria, in Sueuia, in Bohemia, in Saxonia, in Thuringia, & Haſſia, in Weſtphalia, itē in Gelria, in Brabantia, in Lotharingia, in Franconia, duces & ducatus, in Marchia Brandenburgenſ. & Miſnæ Marchiones & Marchionatus. Ex prędictis patet, quod reges Franciæ rexerunt Thuringiam CCCLXVI annis. Tandem idem Carolus imperator ſolus rex in Alemannia, habens ſub ſe prænominatos duces prænominatarum terrarum, quos violenter creauit; poſtea cōemptus à ducibus & nobilibus in tantam deuenit inopiam, vt pane egeret; & mortuus eſt in miſeria ſine hæredibus. Sub eodem rege Carolo Papa Ioannes celebrauit ſynodum in Erfordia: tunc Hildeberto exiſtente Archiepiſcopo Moguntino, anno Domini DCCCLXXX. Nota, Iſte Papa fuit mulier, & eſſet octauus, ſi computaretur inter alios.

De ducibus Thuringorum, & quomodo ducatus Thuringorum deuenit ad Saxones.

CAP. VIII.

CArolus prænominatus creando duces in Alemania fecit in Thuringia & Haſſia conſanguineum ſuum ducem ſcilicet Ludouicum, anno Domini DCCCLXXXVI. Quo Ludouico mortuo, eius filius Ludouicus ſucceſſit: ſub quo nobiles Comites de Keuernberg terræ Thuringiæ monaſterium prope Waſſenburg in honorem ſanctæ Walpurgis conſtruxerunt, ſub anno Domini DCCCCXXV: quod poſtea tranſlatum eſt in oppidum *Arnſtadt*. Mortuo Ludouico ſecundo duce Thuringorum, ſucceſſit ei Burchardus filius ſuus, ſub cuius regimine Vngari Alemanniam intrantes, vt eam deuaſtarent. Quibus occurrerūt duces Saxoniæ, Bauariæ, Sueuiæ & dux Thuringiæ, & cōmiſſum eſt bellum, & multa millia Vngarorum occiſa ſunt: & dux Thuringorum tertio percuſſus interijt ſine hæredibus, an. Domini DCCCCLXXII: & ducatus Thuringiæ deuolutus fuit ad Henricum ducem Saxoniæ eius conſobrinum, tunc imperatorem Romanorum. Ex prædictis ſequitur, quod duces Thuringiæ rexerunt annis LXXXVI.

De Henrico imperatore duce Saxoniæ.

CAP. IX.

HEnricus imperator dux Saxoniæ & Thuringiæ ædificauit ciuitatem Goslariæ & abbatiam in *Quetlinburg*. Vxor autem ſua Mechtildis fundauit monaſteriū S. Crucis in *Northuſen*, vbi ſepulta eſt, & abbatiam in *Pholne*. Huius Henrici Imperatoris temporibus, Vngari iterato redierunt ad Alemanniam, & intrauerunt Thuringiam, & obſederunt caſtrum principale in principatu, ſcilicet Iecheburg cum L millibus armatorum. Quod cum nunciatum fuiſſet imperatori, duci Saxoniæ & Thuringiæ; magno collecto exercitu illos Vngaros de Thuringia turpiter fugauit, & etiam multos occidit.

Quomodo ducatus Thuringiæ deuolutus fuit ad Epiſcopos Moguntinenſes, & quamdiu Epiſcopi rexerunt Thuringiam.

CAPVT X.

OTto, filius Henrici ducis Saxoniæ & Thuringiæ ac imperatoris poſt mortem patris etiam factus imperator, ciuitatem Magdeburgenſem & eccleſiam cathedralem fundauit, & Wilhelmum filium ſuum Archiepiſcopum Moguntinum fecit. Quo facto, Wilhelmus Archiepiſcopus quartus decimus Thuringiam intrauit; & in Erfordia multos nobiles pro defenſione terræ locauit, quibus multa bona in Thuringia largitus eſt. Wilhelmo defuncto, ſucceſſit Rupertus: poſt quem Willuſus: poſt quem Erbo: poſt quem Bardo, antea abbas Hersfeldenſis. Hi archiepiſcopi ſucceſſiue rexerunt Thuringiam & Haſſiam, annis ſere ſeptuaginta, vſque ad Conradum ſecundum imperatorem.

Deorū

De ortu Landgrauiorum Thuringiæ.

CAPVT XI.

ANno Domini MXV, Conradus Francigena, quidam dux Francorum Imperator, habebat duos conſanguineos : ſcilicet Hugonem, & Ludouicum fratrem ſuum, ex ſtirpe regum Franciæ progeniti, & multum pecunioſi. Hugo fuit in curia archiepiſcopi Moguntinenſis, & ſibi ſeruiebat. Quo mortuo & filio ſuo, omnia quæ reliquit, deuoluta fuerũt ad Ludouicũ fratrẽ qui fuit in curia imperatoris Chunradi, & propter ſuam ſagacitatem ſummus & præpotens in aula regia effectus eſt. Iſte imperator diligens Ludouicum cognatum ſuum; volens ſibi prouidere de aliqua hæreditate & beneficiis, miſit eum ad archiepiſcopum Moguntinum Bardonem, antea abbatem Herfeldenſ. mandans ei, vt amore ſui, & propter ſeruitium fratris ſui Hugonis conferret Ludouico cognato ſuo aliqua beneficia in diœceſi in feudum. Epiſcopus vero ad nutum imperatoris ipſum in Thuringiam miſit, & ibidem vicedominum, ideſt vicarium, per totam Thuringiam fecit; ei beneficia plura iure hæreditario hinc inde cõtulit & dedit. Et etiam ipſe imperator quædam donauit, ſicut ex ſequente priuilegio videri poteſt.

Priuilegium Chunradi imperatoris de terminis collationis fratri Ludouico cum barba.

In nomine ſummæ & indiuiduæ Trinitatis, Cunradus diuina annuente clementia Romanorum imperator Auguſtus. Notum eſſe volumus omnibus ſane volẽtibus, tam præſentis quam futuri temporis fidelibus, qualiter nos ob interuentũ dilectiſſimæ conſectalis noſtræ Gyſilæ, cuidam Ludouico comiti conſanguineo noſtro prædium quod ab incolis Thuringiæ cõparauit, villam ſcilicet *Aldenberg*, & noualia prope hinc & inde hinc adiacẽtia ſcilicet, & partem vaſtæ ſolitudinis *Loybe*, noſtræ dominatiõi ſub iacentem, quam ei noſtra donatione contulimus, libere & quiete perfruenda regia auctoritate ſtabilita fecimus, quæ his locis & terminis concluduntur. A fluuiolo *Louffa* vſque, quo influit riuulus *Battenbach*, & ſic retrorſum per aſcenſum eius, ad locum qui dicitur *Furſtat*. Deinde deorſum ad *Maingefalbach* ad viam tendẽtem à *Boßzenroth* ad fonem, qui eſt ad *Eſpenueld*. Deinde verſus Aquilonem, ad quandã *Kyffam* iuxta *Mothonowe* vſque ad biuium, vbi vna via tendit *Linungen*, altera *Oſterwiſen* contra Orientem villæ *Erphißroth*. Inde ſurſum per callem inter duos montes *Grintberg* & *Cornberg*. Hinc per latus *Santberg*, ad locum vbi *Zulsbach* cadit in *Trockenlina*, & ſic ſurſum ad *Wanebrucken*. Deinde à *Buchenborn* ad *Tereborn*, dehinc ad *Harcheſtic* vſque *Trockenlina*, ad plateam quæ tendit ſuper *Habechrot*, ſicq; per eandem plateam vſque *Herberhardißborcken*. Inde ad Occidentem vſque *Tambach*, & ſic ſurſum ſuper fluuiolum *Smalkalden* vſque *Colbach*, & inde ſuper quoddam Miricæ ad *Bruniſwardiſroth*, vſque ad plateam quæ illic eſt : permque plateam vſque ad radices montis *Tatenbere* ſuper riuulum *Lorcha* vſque ad latus montis *Teneberg*, ſicque poſtremum ad ſupra dictum fluuiolum *Louffa* & omnia quæcunque his lachis & terminis circundata ſunt, cũ oppidulis infra poſitis aut ponendis, cum omnibus appendiciis, viis & inuiis, cultis & incultis, venationibus, piſcationibus, exitibus & reditibus, cum omni vtilitate, quæ quocunque modo nominari vel dici poſſit, prædicto Ludouico comiti his regalibus edictis in proprietatem perpetuam ſtabilimus, hoc imperiali cenſura ſtatuentes, vt nullus omnino hominum aliquid in his negotii, niſi cum illius voluntate & iuſſu exercere præſumat. Vt autem huius noſtræ pietatis traditio ab omnibus ſemper credatur, & ſtabilis potentialiter permaneat; hanc inde chartam teſtamentariam conſcriptam & manu propria roboratam ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus. Vdalricus Cancellarius vice Bardonis archicancellarii recognoui. Data v Cal. Maij, anno incarnationis Domini MXXXIX, indictione VII, anno domini Cunradi imperatoris Auguſti imperii XIII, regni vero XV. Actum *Gotzlari* è villa regia feliciter.

Ille igitur Ludouicus veniens in Thuringiam, anno Domini MXXV, ſe præſentans nobilibus terræ, ciuitatibus & villis officium ſibi ab archiepiſcopo cõmiſſum prudenter exercuit, & beneficia ſibi cõceſſa recepit, & loca occupauit, & ſpecialiter in cõfinibus ſyluæ *Bloſſeloybe* iuxta montes *Kattenburg*, *Aldenbergk*, *Corneberg*: & ibidem

villas faciendo terras & arbusta in campis præparauit,& villas nominauit, *Friedelsburode*, *Reynhartsborn*, &c. cœpitque propter suam iucundam conuersationem gratus haberi in Thuringia à nobilibus,& ab Ysone de Glychen,& Gunthero de Keuernburgk,& ab aliis comitibus multa prædia & villas emit. Tandem permissione principum castrum *Schowenburg*, *Reinhartsborn* & *Friderichsrod* erexit,& quotidianam ibi mansionem habuit. Tunc temporis nobilis vir Gualterus de *Glyßberg* fundauit monasterium Scotorum in Erffordia,anno Domini MXXXVI.

De Ludouico primo comite Thuringiorum.

CAPVT XII.

LVdouicus dictus cum barba,ex eo quod barbam longam nutriebat, cœpit ditari, & in castris & villis multiplicari,emendo & ædificando,& multum in terra diligebatur: & bene & pacifice præfuit, ita quod factus fuit comes totius terræ Thuringiæ, & comes Thuringiæ ab omnibus nominabatur.Et accepit in coniugem nobilem matronam *Cæciliam* de *Sangerhusen*, quæ ad eum septem millia mansorum cum aliis innumerabilibus bonis ex hæreditaria successione deuoluit. De qua Cæcilia genuit tres filios, scilicet Ludouicum qui sibi successit & in comitatu Thuringiæ; & Beringerũ, qui post mortem patris habitauit in Sangerhusen;& tertium Henricum qui dicebatur *Rosse*,ex eo quod castrum *Rassenberg* construxit&ibi habitauit.Item genuit ex eadem tres filias, quarum vna scilicet *Hildegardis* duxit comitem *Poponem* de *Henneberg*; secunda *Vta* duxit comitem de Linderbeche; tertia *Alheid* in virginitate permansit. Et anno Domini MLV, cum habitasset in Thuringia XXX annis, veniens Moguntiam ad vnam conuocationem principum & comitum,mortuus est,& sepultus apud sanctum Albanum extra muros.

De secundo comite Thuringorum,& morte comitis Palatini Saxoniæ sub imperatore Henrico.

CAPVT XIII.

LVdouicus, primogenitus filius Ludouici cum barba,comitis Thuringiæ, eo mortuo,sibi successit,anno Domini MLV. Huius temporibus Fridericus comes Palatinus Saxoniæ,habitans in partibus Orientalibus in castro *Schyplitz*, habuit pulcherrimam vxorem nomine *Alheide* filiam ducis Saxoniæ, cui ardenter adhæsit in amore Ludouicus secrete,quæ eius amore decepta,suasit prædicto Ludouico comiti Thuringiæ,vt maritum suum occideret, & ipsam in vxorem duceret. Machinata est mulier hoc,quod Ludouicus causa venandi veniret prope Schyplytz,& ipsa virum ad hoc induceret,vt hoc prohiberet. Venit ergo prædictus Ludouicus cum cornibus clangentibus,& comes Palatinus in balneo sedens, vt ordinatum fuit. Ac mulier importune currens super virum, & sibi improperauit, quod quæreret commodum corporale, & iura & libertates suas amitteret. Qui exiens balneum,& arrepto pallio equo insidens, comitem Ludouicum insequitur,& interfectus fuit venabulo vno, & sepultus in *Gossig*, monasterio prope Nuenburg, quod idem comes fundauerat. Et comes Ludouicus accepit *Adelheid* relictam in vxorem,anno Domini MLXV, & genuit ex ea Ludouicum primogenitum,& Vttonem Cytensem Episcopum,& adhuc duos:item genuit tres filias. Vna duxit comitem de Saxonia,Kunegund nomine, quæ ædificauit monasterium in Kaldeborne prope Sangirhusen; alia duxit comitem de Wymar;tertia comitem de Wildense. Iste Ludouicus ædificauit castrum Wartberg, prope ciuitatem Ysenach,& in partibus Orientalibus castrum *Nuenburg* & ciuitatem *Friburg*. Et idem Ludouicus pœnitentia ductus de homicidio ædificauit monasteria in *Reinhartzborn*, in *Schyplitz*, in *Sangirhusen*. Similiter vxor pœnitentia ducta fundauit monasterium in *Oldesleiben*.

Acta sunt hæc anno Domini

MLXX.

De Orta

De ortu Comitum de Honſtein.

CAPVT XIV.

NOta de ſorore Ludouici quæ duxit comitem de *Linderbech*, vt dictum eſt. Illa genuit filium Beringerum, qui ſepultus eſt in Reinhartzborn, & reliquit tres filios; Ludouicum comitem de Lare; Conradum primum comitem de Honſtein, cuius primogenitus fundauit monaſterium in *Ilfeilt*; item Theodericum Comitem de Berka.

De captiuitate Ludouici Comitis Thuringiæ, & eius liberatione.

CAPVT XV.

ANno Domini MLXX, archiepiſcopus Bremenſis, frater Friderici Comitis Palatini Saxoniæ, interfecti à Ludouico Comite Thuringiæ, & alij cognati & amici ſuper morte eius dolentes, querelas regi Romanorum Henrico quarto de Ludouico Comite Thuringiæ offerunt, qui iuſſu regis per inſidias captus in caſtro *Gebichenſtein* abſque mancipatione cippi per biennium cuſtoditur, & detentus eſt. Ibique interemptus fuiſſet, ſi non ſuffragiis beati Vdalrici*, cui voluit baſilicam ædificare in Sangirhauſen, ciuitate fratris ſui Beringeri. Nam audiens ſe non poſſe euadere mortem; per famulum ſcilicet qui epiſcopum reſpexit, ordinauit, vt duos equos certa hora prope Salam fluuium adduceret. Qui cum vidit expletum per famulum, mox de cœnaculo eiuſdem caſtri ſeipſum cum veſte ampla qua fuit indutus, vento intrante in Salam præcipitauit, & ſic liberatus diſceſſit, anno Dumini MLXXI. Archiepiſcopus Colonienſis Segewinus, vicarius regis Henrici, in certis partibus Alemaniæ, poſuit monachos in Salueldt, expulſis canonicis.

De bellis in Thuringia commiſſis.

CAPVT XVI.

CIrca idem tempus papa Gregorius excommunicauit & depoſuit regem Heinricum, & omnes nobiles à fidelitate quam ſibi tenebantur, abſoluit, propter hoc quod in eccleſia diſcidium magnum fecit. Principes vero Alemaniæ pro maiori parte conuenerunt, & Rudolphum ducem Saxoniæ, ſororium Ludouici Comitis Thuringiæ, in regem Alemaniæ elegerunt. Et quia Saxones Orientales, Miſnenſes, Thuringi, Francones Rudolpho adhæſerunt; ideo Heinricus imperator depoſitus Rudolphum cum ſuis adiutoribus perſequebatur, & plura bella cum eis habuit. Primum bellum habuerunt in Thuringia inter *Homburg* & *Neilſtet*, vbi multi potentes ceciderunt ex vtraque parte, & Saxones fugam inierunt. Secundum bellum habuerunt in Franconia iuxta *Mellirſtat*, vbi Henricus rex fugam iniit. Tertium bellum habuerunt iterum in Thuringia iuxta villam *Fladychen*. Quartum bellum habuerunt iuxta fluuium *Elſtram* in partibus Orientalibus Miſniæ, vbi Rudolphus rex electus occiſus fuit. Quintum bellum habuerunt iterum in Thuringia prope caſtrum *Glychen*, quod obſeſſum fuit per exercitum Henrici regis, vbi Burchardus epiſcopus Lauſannenſis occiſus fuit, & Segewinus archiepiſcopus Colonienſis, & Otto epiſcopus Ratiſponenſis, & Henricus rex turpiter receſſit. Iſta guerra durauit pene per viginti annos. Et bella illa prædicta, & plura alia fuerunt commiſſa ſucceſſiue his temporibus. Et iam infra idem tempus Tytaco Marchio de Landesberg Orientalis, cum amicis & cognatis Comitis Palatini occiſi per Ludouicum comitem, Thuringiam depopulari nitebatur. Sed mox exercitus regis qui fuit in Northuſen, audiens intereſſe Saxones, reſtiterunt & ipſos fugauerunt, & duo caſtra Marchionis, ſcilicet *Bychelingen* & *Schydingē* deſtruxerūt. Et idē filius Marchio per propriū fratrem ſuum occiditur. Et non longe ēt

post Tytaco Marchio moritur, anno Domini MCX. Eckenbertus filius Theticonis Marchionis de Landsberg, fundator Ecclesiæ sancti Georgii in *Nuenburg* & castri *Eckenspurg*, in quodam molendino turpiter occiditur.

De secunda captiuitate Ludouici comitis Thuringiæ, & eius liberatione.

CAPVT XVII.

ANno Domini MXCIII, Ludouicus comes Thuringiæ adhuc offensus regi Henrico propter occasionem comitis Palatini, & propter adhæsionem quam fecit aduersario suo Rodolpho duci Saxoniæ in villa *Trutmunde*, in potestatem Henrici regis pro acquirenda gratia illius sponte se tradidit, quem aliquandiu sub custodia seruanda tenuit, donec castrum suum Wartpurg in Thuringia in sua suscepit. Quo facto ipsum in dolo abire permisit. Sequenti anno, rex Henricus nuptias celebrauit in Moguntia cum filia regis Angliæ: ad cuius solennitatem etiam multi nobiles venerunt non vocati. Et sine licentia aduenit etiam Ludouicus comes Thuringiæ, sperans se esse gratum, sed prius promisso paulo ante. Quem rex in ipsis nuptiis ad vincula coniecit. In quibus cum iam per duos annos & IX menses innexus esset, relictis inibi pro se octo obsidibus scilicet satis nobilibus, à vinculis regis absolutus est. Et quia idem Henricus rex postea archiepiscopum Maguntinensem cepit, concurrentibus ciuibus vndique, rex coactus episcopum Adelbertum à vinculis absoluit, & obsides Ludouici comitis liberos reddit. Et rex Henricus cum imperasset XLIX annis, mortuus est & sepultus in Spira. Ludouicus vero comes secundus Thuringiæ mortuus est, & sepultus in *Reinhardisborn*, anno Domini MCXXIII, anno ætatis suæ LXXIIII.

De tertio Ludouico comite Thuring. & facto Thuring. Landgrauio per Lotharium imperatorem.

CAPVT XVIII.

LVdouicus tertius comes Thuringię, filius Ludouici secundi, duxit in vxorem filiam Lotharii ducis Saxoniæ imperatoris, successoris Henrici regis, nomine *Hedewig*. Nota, anno Domini MCXXIV monasterium in *Walckenriden* fundatum est ordinis Cisterciensis. Qui imperator videns Ludouicum generum suum esse militem strenuum & potentem in Thuringia & Hassia, de consilio principum ipsum cum vexillorum festina exibitione, vt moris est, imperatoria legatione solenniter extulit, & cum magno præconio ei nomen Principis imposuit, & Lantgrauium Thuringiæ ipsum proclamari ab omnibus fecit. Hic Ludouicus primus Thuringiæ princeps & Lantgrauius genuit Ludouicum primogenitum, qui sibi successit in principatu; item Ludouicum comitem, qui mortuo patre resedit in *Tungisbrucke*; item genuit filiam Cæciliam, quæ duxit ducem Bohemiæ; item aliam filiam Adelheidam nomine, quæ seculum deserens, cœnobium sancti Nicolai intra muros Ysenach ædificauit, & in eodem claustro quamplurimis annis religiose vixit. Abbatissa effecta est virginum, anno Domini MCLI. Ante hoc tempus fundationis obiit Ludouicus, Thuringiæ Lantgrauius primus, anno Domini MCXLIX, & sepultus est in Reinhartsborn.

Anno Domini MCXXXVIII fundatum est monasterium in *Wolckenrode* Cistercienſis ordinis.

Anno Domini MCXLVII fundatum est monasterium in valle sancti Georgii à comite de *Keuernberg*.

De quar-

De quarto Ludouico, Lantgrauio ſecundo, ſub imperatore Conrado duce Sueuiæ, qui deſtruxit murum ciuitatis Erffordenſis.

CAPVT XIX.

LVdouicus Thuringiæ Lantgrauius ſecundus & quartus in ordine, duxit in vxorem Iuttam filiam Conradi ducis Sueuiæ pro tunc imperatoris, anno Domini MCL. Eodem anno conſtructum eſt cœnobium in *Ichterſhuſen*, per comitem de Grunbech. Mortuo Conrado imperatore qui imperauit quatuordecim annis, ſucceſſit ei filius ſuus in imperio Fridericus primus huius nominis, anno Domini MCLIII. Iſte Fridericus primo fuit piiſſimus & Chriſtianiſſimus, poſtea impiiſſimus, & Eccleſiam Dei multum perſequebatur; propter quod à papa excommunicatur & deponitur. Et quia Conradus archiepiſcopus Moguntinus adhæſit papæ contra Fridericum; ideo à Friderico Epiſcopatu eſt priuatus, & maxima clades depreſſit Epiſcopatum; deſtructis pluribus caſtris, ſcilicet *Roſteburck, Horberg, Amelburg, Bingen*; & à Ludouico Thuringiæ Lantgrauio iuſſu imperatoris Friderici, eius ſororio, murus ciuitatis Erffordiæ intemptum Epiſcopi Moguntinenſis funditus deſtruitur & euertitur. Huius temporibus Ludouici Lantgrauii, Fridericus imperator Mediolanum cepit, & funditus deſtruxit: vbi Henricus dux Brunſwicenſis, dictus Leo propter animoſitatem, contemnens Fridericum & eius mandata, ab eo receſſit in neceſſitate poſito in partibus Lombardiæ: propter quod imperator ipſum ducem omni feudo priuauit; imo ducatum Weſtphaliæ ab eo tulit, & Epiſcopo Colonienſi iure hæreditario contulit; & alia bona ſua in Saxonia inter Epiſcopos diſtribuit. Tandem per preces principum vix obtinuit gratiam, ita quod imperator ſibi conceſſit ducatus Luneburg & Brunſwig cum caſtris & ciuitatibus circumiacentibus, excepta ciuitate *Lubeck*, quam imperator pro imperio retinuit, & tribus annis in exilio, ſcilicet in Anglia manſit, anno Domini MCLXVI.

Quomodo Ludouicus Lantgrauius nobiles ſibi rebelles fecit arare.

CAPVT XX.

ISte Ludouicus Lantgrauius Thuringiæ fuit multum pius, benignus & humilis ad nobiles & ignobiles. Et ideo quidam immemores beneficiorum ſuorum virtutes ſuas vilipendentes ipſum ſpreuerunt, dicentes ipſum delirare: mandata eius recuſantes, nec ipſum valere ad talem principatum. Propter quod ille nobilis princeps multum fuit prouocatus, & tales rebelles conabatur humiliare. Hoc ipſi ægre ferentes, ſe hoſtiliter domino ſuo oppoſuerunt. Accidit quodam tempore, vt iniret cum eis conflictum, & fortuna ſibi arridente & iuſtitia, omnes illos cepit: quos tanquam piiſſimus princeps noluit interficere, nec exhæreditare, vt bene decuiſſet: ſed eos humiliando compulit, vt loco iumentorum & equorum aratrum in agro ad arandum ſub manibus flagellantium traherent, ita quod ſemper quatuor vnam lineam ararent, & ſic alternando & continuando integrum agrum iuxta morem ruſticorum arauerunt propriis corporibus. Propter quod factum ille princeps in omni terra ab omnibus timebatur, & maxime à nobilibus. Vnde quicunque audiuerunt nominare Lantgrauium Thuringiæ, ſuſpirabant; & gemitus eorum à multis audiebantur. Et in huius rei perpetuam memoriã princeps fecit talem agrũ lapidib. magnis ſignari & circundari, & priuilegiauit hunc, quod quicunque malefactor ibi conueniret, non deberet capi à quocunque ibidem; & qui hoc edictum infringeret, crimen læſæ maieſtatis incurreret. Et quia factum memoratum vbique volabat, nobiles extra Thuringiam & in Thuringia ſibi maledixerunt: & de tali inaudita humiliatione verecundabantur, & ſe vindicare affectabant, & in mortem eius diuerſis modis machinati ſunt, quod ipſum Principem non latuit; ideo frequenter in armis

fuit; & quoscunque de talibus deprehendit, aliquos suspendit, aliquos interfecit, aliquos submersit, aliquos carceris squalore suffocauit. Et quia semper armatus incessit, ideo Ferreus Lantgrauius ab omnibus nominabatur. Narratur de eo, quod primo, cum esset ita pius & dulcis, nobiles ipsum contempserunt & deriserunt, dicentes quod esset nimis mollis, & expediret, quod duceretur ad fabros ferri in nemoribus, vt ibi mallearetur & fabricaretur, vt durus efficeretur. Et sic euenit, quod ille nobilis Princeps, qui primo nimis mollis ipsis nobilibus apparebat, postea eis ferreus & durissimus factus fuit.

Quomodo idem Ludouicus compulit nobiles olim sibi rebelles portare corpus suum mortuum pedestres ad locum sepulturæ.

CAPVT XXI.

POstea idem Lantgrauius in castro *Nuenburg* in lecto ægritudinis positus, vocauit ad se plures nobiles, sibi aliquando rebelles, quos alloquebatur in hæc verba: *Ecce ego moriar, & vobis sub pœna suspendii præcipio, vt cum anima mea de corpore meo exierit, corpus meum cum omni reuerentia in humeris vestris ab hinc vsque ad locum meæ sepulturæ scilicet Reinhartsborn portetis.* Hoc nobiles sibi promiserunt facturos, quia plus quam diabolum ipsum timebant; & post mortem suam mandatum compleuerunt, & ipsum pedestres in humeris per multa milliaria portauerunt; semper timentes, quod dominus eorum viueret, & ipsis illudere vellet, ac eos tentare. Rursus timebant filios suos, quod si mandatum patris non explerent, pœnam quam pater posuit, incurrerent.

De quinto Ludouico Lantgrauio sub imperatore Friderico.

CAPVT XXII.

LVdouicus defunctus Thuringiæ Lantgrauius, anno Domini MCCXXIII, reliquit tres filios, scilicet Ludouicum primogenitum, qui sibi successit in principatu; & Hermannum postea factum comitem Palatinum Saxoniæ; & Fridericum primum comitem in *Ziegenhain* terræ Hassiæ, quæ pertinebat ad principatum Thuringiæ, sicut etiam olim fuit vnus ducatus, sic postea, & fuit vnus Lantgrauiatus.

De discordia inter Ludouicum Lantgrauium & Erffordenses, & comites terræ.

CAPVT XXIII.

ANno principatus Ludouici Thuringiæ Lantgrauii tertii orta est magna discordia inter ipsum principem & Erffordenses, qui adiutorio comitum Thuringiæ ei rebellare tentabant: & durabat per aliquod tempus. Postea per Fridericum imperatorem fuit sedata. Qui Lantgrauii fuerunt filii sororis imperatoris, id est consobrini.

De captiuitate Lantgrauii per ducem Brunswicensem & de incineratione Mulhusen & Northusen.

CAPVT XXIV.

ANno Domini MCLXXX, Henricus dux Brunswicensis, dolens de renunciatione facta imperatori, de aliquibus terris, vt dictum est supra, pactum violauit, & inimicus imperatoris effectus, multa damna imperatori & imperii ciuitatibus & terris intulit. Quapropter imperator misit Lantgrauium Ludouicum cum magno exercitu in Saxoniam: & ciuitatem *Hatißleybin* obsederunt, & expugnatam destruxerunt. Accidit postea, quod idem dux dictus Leo Thuringiam intrauit, & villas regias *Mulhusen & Northusen* cepit & incendit, & hostili manu plures villas in Thuringia destruēs. Quod

Quodaudiens Ludouicus Lantgrauius, collecta quanta poterat multitudine, pro tempore ducem Henricum iam abeuntem insequitur, congressus cum eo bellum inconsulte, multis vtrobique interfectis, ipse Ludouicus cum fratre suo Hermanno & multis aliis captiuis abducitur. Hoc imperator intelligens, venit in Erffordiam, & expeditionem generalem cum totius Rheni principibus indixit cõtra Henricum de Brunswigk. Vnde dux videns se opprimi, & omni ope familiarium destitui; Lantgrauium Ludouicum & fratrem suum, de captiuitate absolutos, ad imperatoriam dignitatem quasi pacis mediatores direxit. Imperator vero iudicio multorum principum iterum ducem Henricum in exilium misit.

Quomodo Hermannus frater Ludouici factus est comes Palatinus.

CAPVT XXV.

ET cum imperator vellet recedere de Saxonia cum suo exercitu, consobrinum suum Hermannum fratrem Ludouici Lantgrauii fecit & creauit comitem Palatinum Saxoniæ. Rursus idem imperator partem ducatus Brunsvvicensis dedit comiti de Anhalt, nomine Bernhardo.

De discordia inter Ludouicum Lantgrauium & comitem de Anhalt.

CAPVT XXVI.

NOn longe post hoc comes Bernhardus de Anhalt intrauit Thuringiam, & destruxit castrum *Meildingen*. Et postquam recessit Ludouicus Lantgrauius, cum exercitu magno intrauit terram illius comitis, & deuastauit eam incendiis & rapinis vsque ad fluuium Salam, & ciuitatem Asthyrsleiben destruxit.

De discordia inter Episcopum Moguntinum & Ludouicum Lantgrauium sedata per filium imperatoris, & quod multi nobiles perierunt in cloaca Erffordiæ.

CAPVT XXVII.

ANno Domini MCLXXXVI, orta est grauis discordia inter Conradum Episcopum Moguntinum, & Ludouicum Lantgrauium Thuringię; & villæ ex vtraque in Thuringia & Hassia ipsius Episcopi & Lantgrauii Thuringiæ deuastantur. Tunc temporis Episcopus contra terram Hassiæ ædificauit *Heilgenberg* castrum; econtra Lantgrauius contra terram Episcopi ædificauit *Bramburg* castrum. Accidit quod Henricus filius imperatoris venit in Erffordiam, volens ire in Poloniam, & pacem fecit cum illis duobus principibus. Et cum de pace tractarent in cœnaculo Canonicorum beatæ Mariæ virginis, vbi nunc est dormitorium; pauimento repente disrupto, multi nobiles in cloacam ceciderunt. Aliqui extracti sunt cum difficultate, & non sine periculo corporis: & aliqui ibi interierunt, sicut comites, Fridericus de Aldenberg; & de Kirchburg Fridericus; & comes Hassiæ, scilicet Gotzemannus de Zegenheym; comes Henricus de Schvvartzburg qui causa totius discordiæ erat, & multi alii minoris nominis. Rex autem, sicut instituerat, profectus versus Poloniam, & cum venit Halle, & reuerenter cum processione reciperetur, ruptis funibus campanæ omnes cessauerunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De ædificatione Ecclesiæ sancti Georgii in Ysenach, & de morte Ludouici.

CAPVT XXVIII.

ISte Ludouicus in honorem sancti Georgii militis & martyris quem multum coluit, ædificauit Ecclesiam sancti Georgii in Ysenach. Et cruce signatus post cum Friderico imperatore vltra mare profecti sunt ad liberationem terræ sanctæ: vbi in quadam expeditione, vexillo sancti Georgii Ludouici cœlitus elato & erecto, multos de infidelibus strauit & occidit, & in multis bellis triumphauit. Tandem imperator ibi obiit, & similiter Ludouicus Lantgrauius. Cuius ossa cum in Thuringiam deportarentur in *Reinhartsborn* sepelienda; quidam de suis prædictum vexillum cum imagine sancti Georgii depictum deportauit in Mysnensem regionem in castrum *Tharant*, & ibidem deposuit in cœnaculo. Non longe post idem vexillum per quandam fenestram ad Orientem pluribus videntibus euolauit. Hic Lantgrauius de vxore sua Margareta filia ducis Austriæ non habuit filios. Ideo frater eius Hermannus Comes Palatinus ei successit in principatu, anno Domini MCXCIII.

Friderico imperatore mortuo, filius eius Henricus successit, & ei in imperio, qui expulit de Bohemia Ottokarum ducem Bohemiæ, consobrinum Ludouici & Hermanni Lantgrauiorum, & Albertum Marchionem Mysnensem, ex eo quod ipsi ceperant quodam tempore patrem suum Fridericum imperatorem: sed post mortem eiusdem Heinrici quilibet princeps reuersus est ad sua, qui imperii sui anno septimo moritur.

De Hermanno Lantgrauio sub imperatore Henrico duce Sueuiæ.

CAPVT XXIX.

HErmannus frater Ludouici Lantgrauii defuncti. Hic cum per Fridericum imperatorem comes Palatinus fuit factus, Sophiam filiam comitis vnigenitam duxit in vxorem, & genuit ex ea duas filias: quarum vna duxit comitem Alsatiæ, alia lutta nomine fuit Theodoro, filio Alberti Marchionis Mysnæ, adhuc in cunabulis iacenti, desponsata & postea copulata: per quam desponsationem fuit sedata maxima discordia, quæ fuit inter Lantgrauium Thuringiæ & Marchionem Mysnæ, quæ per plures annos durauit. His temporibus rex Henricus obsedit castrum *Orlemunde*, ex eo quod idem comes fuit adiutor ducis Henrici de Brunswig, aduersarii sui & patris sui.

Item his temporibus Vnstrud fluuius fuit totaliter exiccatus, nec aliqua aqua ibi inueniebatur multis diebus.

De morte Sophiæ vxoris Lantgrauii, & de secunda vxore & hæredibus.

CAPVT XXX.

ANno Domini MXCV, obiit domina Sophia vxor Lantgrauii, filia comitis quondam Palatini Saxoniæ. Qua mortua, duxit aliam Sophiam, filiam ducis Bauariæ, de qua genuit quatuor filios, scilicet Ludouicum primogenitum, Hermannum, Henricum & Conradum. Item genuit duas filias, scilicet Irmegard quæ duxit comitem de Anhaldt, & Agnetam quæ nutrita fuit cum beata Elizabeth in castro *Warpurck*, sponsa Ludouici primogeniti, quæ postea duxit ducem Austriæ. Eodem anno rex Henricus & imperator ordinauit apud principes Alemaniæ filium suum Fridericum eligi in regem Romanorum, & omnes consenserunt licet postea aliter factum fuit per aliquod tempus.

De duobus

De duobus regibus electis post mortem imperatoris, & eorum discordia.

CAPVT XXXI.

ANno Domini MCCVI, mortuo Henrico imperatore, dux Philippus Sueuiæ frater Henrici imperatoris, collectis multis episcopis & archiepiscopis, ducibus, principibus, & comitibus plusquam XX numero in Ichtershausen terræ Thuringiæ, ab illis electus est in regem Romanorum; impediendo filium fratris sui, in quem prius principes consenserunt, viuente patre. Episcopus vero Colonienſis cum quibusdam aliis episcopis & Principib. elegerunt in regem Ottonem filium Henrici de Braunſwig, olim proscripti & damnati per imperatorem Fridericum, & vnxerunt eum in regem Aquisgrani, & fuit confirmatus per papam Innocentium.

De rege Ottone confirmato Brunſwicenſi.

CAPVT XXXII.

HErmannus Lantgrauius qui cum aliis elegit Philippum, se cum iuramento & homagio sibi obligauit & constrinxit, sicut alii fecerunt, accipiens in beneficio regias ciuitates *Molhusen*, *Northusen*, *Salueldt*, & castrum *Rauis* cum finibus fluuii *Orlan*. Sed paulo post idem Hermannus, reprobato denuo rege suo Philippo propter quasdam ortas simultates, Ottoni regi se iuramento & homagio obligauit. Propter quod Philippus rex cum magno exercitu venit ad Thuringiam, auxilium sibi principaliter ferente Episcopo Maguntinenſ & Erfford. & aliis multis principibus, & terram hostiliter deuastauit, igne & ferro crudeliter. Hermannus vero Lantgrauius, diffisus auxilio, inuocauit Ottonem regem Romanorum, & Ottokarum ducem Bohemiæ, amitæ suæ filium scilicet consobrinum suum. Qui cum multitudine venientes in Thuringiam, Philippum regem electum compulerunt intrare Erffordiam, qui postea occulte de inde recessit, Saxones vero reuersi sunt ad sua.

Philippus deuastauit Thuringiam & humiliauit Lantgrauium.

CAPVT XXXIII.

SEquenti anno Philippus reuersus cum magno exercitu in Thuringiam iterum, auxilium ei ferentibus comitibus de *Schwartzburg & Glychen* & Erffordienſibus, terram deuastauit tempore messis crudeliter ferro & igne, & ciuitatem *Wyſſenſe* obsedit sex mensibus, sed non cepit. Hoc intelligens dux Bohemiæ, consobrinus Lantgrauii, venit ad Thuringiam cum multitudine populi, volens confligere cum Philippo. Sed diffisus de suis, & timens de traditione, recessit de Thuringia. Quod audiens Henricus Lantgrauius, necessitate cõpulsus, omnes vias quas poterat inuenire, circa principes exercitus Philippi: *pro reconciliatione dans se & sua circa cœnobium *Vchterſhuſen*; obligans se Philippo iuramento & obsidibus. Et sic reconciliatus est Philippo contra Ottonem regem confirmatum. Et quia Episcopus Colonienſis adhæsit Ottoni quem elegit, ideo accidit, quod eundem Episcopum volentem Ottoni venire in auxilium, Philippus (sicut casu occurrebat, & ipsum insequebatur) obsedit in Wassenburg, & cepit castrum, & eum compulit sibi adhærere. His temporibus facta est fames valida, & per omnes regiones durans per tres annos.

Quomodo rex Otto Brunſuicenſis impugnauit Thuringiam.

CAPVT XXXIV.

ANno Domini MCCX, principes Alemanniæ in *Nornberg* conuenerunt, & ibidem mores Ottonis regis & imperatoris confirmati ſibi minime condecere videntes; & ſpecialiter, quod fuit inimicus cleri; ſcripſerunt Papæ, quatenus Ottonem abſolueret, & Fridericum filium Henrici imperatoris defuncti, prius electum viuente patre, confirmaret; quod & factum eſt. Nam Papa ex certis cauſis Ottonem excommunicauit & depoſuit, & principes ab eius fidelitate abſoluit, & aſſiſtere Friderico mãdauit. Et quia Hermannus vnus de principalioribus & famoſioribus principibus erat in tali congregatione qui hoc egit contra Philippum, & etiam contra Ottonem, quem grauiter offendit per reconciliationem prius factam cum Philippo, neceſſitate compulſus & inuite. ideo comitibus Thuringiæ & baronibus pecunijs corruptis ab Ottone ſibi contra Lantgrauium adhæſerunt. Hoc audiens Philippus dux Sueuiæ, quod filius fratris ſui eſſet à principibus promotus ad imperium, ipſo neſciente; multum prouocatus eſt, & reconciliatus cum Ottone; dans ei filiam ſuam in vxorem, & nuptiæ celebratæ ſunt in Northuſen, præſentibus pluribus principibus, qui adhuc ambobus adhæſerunt, volentes reſiſtere Friderico imperatori facto. Et cum ibi eſſent, Otto rex commiſit vexillum comiti Theodorici de Bichlingen, qui iuſſu eiuſdem Ottonis cum magno exercitu vaſtauit Thuringiam. Cui obuiauit Hermannus Lantgrauius, & comitem cepit cum multis armigeris. Hoc audiẽs Otto rex depoſitus collegit exercitum, & oppidum Saltza cum caſtro expugnauit, & ciuitatem Wiſſenſe obſedit, ſed non cepit. Sed comitem de Keuernberg captiuum duxit, volens impugnare partem exercitus. Tandem ſuis furtiue recedentibus, manere timuit, & ſe Erffordiam recepit. Poſtea Otto adiuncto ſibi rege Franciæ, abſente Friderico imperatore, iterum Thuringiam veniẽs, ipſam deuaſtando; quos Hermannus Lantgrauius de terra cedere compulit. Et terram orientalem Miſnæ contra Marchionem Theodoricum intrauerunt, vbi propter metum ciuitas Liptz receſſit à Marchione. Sed anno ſequẽti idem Marchio intrauit Saxoniam, & obſedit Aken ciuitatem ducis Saxoniæ, qui adhærebat Ottoni. Et poſtquam Marchio deſtruxit terram ducis circumquaq;, cepit Liptz, & caſtrum funditus deſtruxit. Et Otto poſtea ab omnibus ſpernitur: & multis bellis habitis cum Friderico imperatore, ſuccubuit.

De deſponſatione Elizabeth filiæ regis Vngariæ cum filio Hermanni Lantgrauij.

CAPVT XXXV.

ANnno Domini MCCXI, Hermannus Lantgrauius famoſus princeps in Alemannia, & acer in hoſtes, miſit ſolennes nuncios vtriuſq; ſexus in Vngariam, pro filia regis Vngariæ filio ſuo Ludouico primogenito deſponſanda; quam filiam S. Elizabeth ijdem nuncij ſecum ad Thuringiam adduxerunt, ætatis ſuæ anno quarto. Eodem anno moniales receptæ ſunt in Schiplitz, in monte ſancti Martini.

Anno Domini MCCXIV, Hermannus Lantgrauius cepit comitem de Orlamunde.

De fundatione monaſterij S. Katharinæ extra muros Yſenach, & de morte Lantgrauij Hermanni.

CAPVT XXXVI.

ANno Domini MCCXV, Hermannus Lantgrauius Thuringiæ, dominus terræ Haſſiæ, comes palatinus Saxoniæ, obijt in Gotha. Et dum abbas de Reinhartsborn corpus eius vellet ſepelire in ſepulchro parẽtum; domina Sophia vxor eius reſtitit, & ipſum fecit deduci in Yſenach ad monaſterium ſanctæ Katharinæ extra muros, quod idem princeps fundauit, vbi ſepeliebatur.

Anno ſequenti obijt Hermannus filius eius adoleſcens, & apud patrem eſt ſepultus.

SCRIPTO
RERVM
Tom

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tus. Anno Domini MCCXX, moniales Canonissæ de Northusen propter leuitatem depositæ sunt, & Canonici eis successerunt.

De Sexto Ludwico Lantgrauio Thuringiæ, sub imperatore Friderico Secundo.

CAPVT XXXVII.

LVdwicus primogenitus Hermanni Lantgrauij, mortuo patre sibi in principatu successit. Hic Elizabeth regis Vngariæ filiam, olim sibi per patrem desponsatam duxit in vxorem, anno Domini MCCXXI, in castro suo Wartpurg. Eodem anno Theodericus Marchio Mysenen. maritus dominæ Iuttæ sororis domini Ludouici, obiit: qui adhuc viuens constituebat ipsum tutorem filii sui trium annorum Heinrici nomine, adhuc pueri. Ludouicus autem Lantgrauius, cum percepisset mortem fratris sui; ad consolandum fratrem suam festinauit, & iter arripuit ad partes Mysnæ, & tanquam fidelis tutor & procurator totam terram recepit in suam defensionem: de qua frater & filius & tota terra gauisi sunt.

Anno Domini MCCXIII, Elizabeth vxor Ludouici Lantgrauii peperit primogenitum filium suum in castro Crucenberg: cui nomen impositum fuit Hermannus. Eodem anno Ludouicus Lantgrauius intrauit terram comitis Hermanni de Orlamunde: & ædificauit castrum Schowenforst inter Orlamunde & Rudelstat.

Quomodo Iutta Marchionissa Mysnæ, soror Ludwici Lantgrauii, duxit Poponem comitem de Henneberg.

CAPVT XXXVIII.

EOdem anno, Popo comes de Henneberg simulato negotio, finxit se iturum in Saxoniam: sed accedens in Lyptz dominam Iuttam Marchionissam viduam in tertio anno, & contraxit secum matrimonium de præsenti: & post tempore opportuno eam duxit in Franconiam: de quo facto frater eius Ludouicus Lantgrauius multum doluit, & prouocatus fuit contra fratrem: & aliquo tempore ipsam in dotalitiis seu bonis paternalibus multum in Mysnia & in partibus Orientalibus impediuit. Eodem anno Agnes soror Ludouici Lantgrauii nutrita cum Elizabeth in castro Wartpurg, celebrauit nuptias in Noremberg cum duce Austriæ.

De filia Sophia Ludouici Lantgrauii, & Elizabeth desponsata postea duci Brabantiæ.

CAPVT XXXIX.

ANno Domini MCCXXIV, vxor Ludouici Lantgrauii peperit filiã in castro Wartberg nomine Sophiam: quæ postea duxit ducem Brabantiæ. Anno sequenti Elizabeth vxor Lantgrauii peperit filiam quam rursum nominat Sophiam, nomine matris Ludouici Lantgrauii, quæ in Franconia in monasterio Kitzingen religionis habitum induens, & ibi quieuit.

De Ludwico istius nominis postremo Lantgrauio.

CAPVT XL.

ISte Ludwicus Lantgrauius fuit multum virtuosus, eloquio dulcis, moribus suauis & virilis, in exercitiis militaribus strenuus & agilis, pauperibus benignus, ad vxorem suam dilectissimam Elizabeth multum affabilis: & quia videbat vxorem Deum diligere, & se in misericordiæ operibus exercere, carnem ieiuniis & aliis castigationibus domare: quãuis aliquando doleret, timens de eius teneritudine corporis, quod absq; periculo corporis non posset ferre tantas abstinentias, tamẽ sibi in omnibus cooperabatur. Tandem factum est generale passagium ad terram sanctam: in quo & Fridericus Imperator, & multi principes, comites, barones, &c. & ipse Ludouicus Lãtgrauius cum eis, cruce signata valedicens matri, vxori & fratribus, transfretauit propter fidem: pro qua paratus fuit mori corde & corpore. Veniens in Siciliæ regnum febre correptus, vidẽs sibi imminere periculum mortis, vocans ad se patriarcham Hierosolymitanum, suscepit ab eo ecclesiastica Sacramenta deuotissime; & mortuus est: & ossa sua translata sunt de loco mortis in Thuringia, & sepulta in sepulchro parentum in Reinhartsborn, anno

Domini MCCXXVIII: præsente matre, vxore, & fratribus, & filio suo Hermanno primogenito. Interim dum adhuc ossa defuncti Lud. non peruenerunt ad Thuringiam, Heinricus frater Lud. Elizabeth vxorem fratris sui de castro Wartberg, de cõsilio malorum hominum amouit. Quæ cum paruulis suis in miseria vixit in ciuitate Ysenacho, & nullus recepit hospitio, qui esset alicuius receptationis: quia timebãt, ne offenderẽt dominos: sed oportuit, vt cum pauperibus se reciperet. Deinde transtulit se in Kitzingen, ad abbatissam cognatam suam, vbi postea filia sua monialis effecta est. Quam miseriam & paupertatem percipiens episcopus Babenberg. cognatus suus, ipsam tulit in Babenberg, & honorifice tenuit. Et dum ibi esset, venerunt milites & vasalli & alii qui cum Lud. marito suo exiuerunt ad peregrinationem, & ossa secum deportauerunt. Et inuenientes dominam suam: & audiẽtes forefactum, nimium turbati sunt super re gesta tam flebili & inaudita. Et ipsam assumpserunt, & cũ ossibus mariti sui in Reinhartzborn duxerunt, vbi Rudolphus de Boila Pincerna, qui vnus erat de his qui ipsam Elizabeth tulerunt de Vngaria, & modo fuit in peregrinatione cum marito; fortissime præsente matre, & fratribus, & aliis nobilibus, corripuit Heinricum seniorem Lãtgrauium de nimio excessu, quem in viduam fratris relicti cõmisit; ita quod Heinricus & frater suus Conradus & mater inceperũt amarissime flere. Et sic ipsam ad castrum Wartberg deduxerunt, & valde reuerenter & amicabiliter pertractauerunt.

De Heinrico Lantgrauio Thuringiæ sub imperatore Friderico.

CAPVT XLI.

MOrtuo Ludouico Lantgrauio in passagio, quamuis relinqueret hæredem, tamen puer vi annorum. Et quia Heinricus frater suus fuit senior inter Lãtgrauios tunc viuentes; ideo successit in principatu, & cum magna potẽtia & sapientia semper postea rexit, & primo anno regiminis sui obsedit castrum Cytzirsberg, quod expugnauit & destruxit. Eodem anno fratres Prædicatores receperunt conuentum in Erffordia. Eodem anno Ludouicus dux Bauariæ, frater dominæ Sophiæ Lantgrauii dolo occisus est à Friderico imperatore.

Quomodo beata Elizabeth vxor Lantgrauii se transtulit in Marpurg.

CAPVT XLII.

ANno Domini MCCXXIX, beata Elizabeth non gaudens de honoribus, nec cupiens reuerentias sibi in Wartberg exhibitas per Heinricum Lantgrauium, & fratrem suum Conradum, nec non per dominam Sophiam; accepta dote sua pingui quam petiuit, & sibi libentissime dederunt, de Thuringia recessit, & magistrum Conradum famosum prædicatorem & sanctum virum secuta fuit in Marcberg, de qua ciuitate ipse erat oriundus; quãuis & Henricus & frater suus Lantgrauii & mater ipsorum maxime dolerent de recessu. Filium tamen beatæ Elisabeth Hermannum retinuerunt. Vbi licet in Marcberg hospitale construxit, & sanctissime vixit, eleemosynas pauperibus erogando, & soli Deo in paupertate, & in statu contemptibili, vacabat vsque ad mortem. Obiit autem anno Domini MCCXXXI, anno ætatis suæ XXIV.

De destructione ciuitatis Frixlariensis per Conradum Lantgrauium Thuringiæ.

CAPVT XLIII.

ANno Domini MCCXXXII, Sifridus archiepiscopus Maguntinus à monasterio Reinsborn aliquam summam pecuniæ extorquebat. Et quia abbas dare recusabat, ipsum pœnæ grauioris culpæ subiecit, & in Capitulo in Erffordia Canonicorum S. Mariæ tribus diebus disciplinas recepit. Vltimo vero accidit, quod Conradus Lantgrauius Thuringiæ, frater Heinrici, casu veniens Erffordiam, & Missam audiens in Ecclesia beatæ Mariæ, hora illa dum prædictus abbas deberet se præsentare ad disciplinas. Et nudus in superiori parte corporis, virgas in manibus baiulãs, intrauit Capitolium. Quod videntes aliqui de familia Cõradi Lantgrauii, sibi retulerunt, quam male abbas tractaretur. Qui in furia magna Capitolium ascẽdit, & extracto cultello in archiepiscopum irruit,

irruit, & comam capitis deprehendit, & ipsum transfigere laborauit: sed præpeditus. Mox dictus Conradus ciuitatem exiuit, & expeditionem indixit, & ciuitatem Frixlarum terræ Hassiæ hostiliter circumuallauit, & suburbia incendit. Et cum inde recedere vellet; mulieres lasciuæ murum ciuitatis ascenderunt, & vestibus eleuatis pudibunda ostenderunt sua, & principi illuserunt; deridentes ipsum cum exercitu suo. Qui reuersus denuo ciuitatem obsedit, ipsam ferro & igne destruxit, nec ecclesijs nec hominibus parcens; & episcopum Wormatiensem, & plures Prælatos, & Canonicos cum ducentis militibus cepit.

De pœnitentia Conradi Lantgrauij Thuringiæ, & quomodo religiosus factus est.

CAPVT XLIIII.

POstea dictus princeps reuoluens illud crudele factum in corde suo, cooperante S. sancto pœnitentia ductus, ciuitatem Frisclarum intrauit, & conuocatis ciuibus in foro publice se prostrauit, & humiliter veniam petiuit: & ciues in multis bonis libertauit, & decimam quam de terra Hassiæ habuit canonicis ibidem proprietatis titulo in emendam tribuit. Demum religioso habitu indutus ordinis Teutonici frater effectus est: & donauit iusto donationis titulo curiam Grisstede hospitale sanctæ Elizabeth ecclesiæ, dedicatæ ab eadem & fundatæ in honore Dei genitricis Mariæ.

De transitu seu itinere fratris Conradi Landtgrauij Thuringiæ.

CAPVT XLV.

ANno Domini MCCXXXIII, Conradus Landtgrauius iter arripiens versus Romam, cum transiret Sueuiam, intrauit curiam Imperatoris Friderici: & honorifice est ab eo receptus cum suis militibus & armigeris. Et postquam ibi mansit pluribus diebus, vltra progrediens & Romam veniens, à papa Gregorio reuerenter est receptus, & à peccatis suis sibi confessis, ab ipso est personaliter absolutus. Et cum ibi esset, eleemosynas largas dedit, & omni die XXIIII. pauperibus cibum proprijs manibus ministrauit. De vita sanctæ Elizabeth vxoris fratris sui, & miraculis post vitam factis, frequenter cum papa collationes habuit, & pro canonizatione eiusdem laborauit; & reuersus ad Alemaniam, in ordine suo diuinis cultibus die noctuque inhærendo profecit: & factus est Teutonicæ rector & magister.

De discordia inter Heinricum Landtgrauium & comitem de Glichenn.

CAPVT XLVI.

ANno Domini MCCXXXIV, Henricus Lantgrauius Thuringiæ & Hassiæ cepit castrum Wiselbech comitis Henrici de Glichen, & ibidem XXIII malefactorum capros decollari præcepit. Eodem anno idem Lantgrauius, propter plura mala quæ patiebatur ab eodem comite Heinrico de Glichen, ipsum legitime citatum, ac postea sententia condemnatum & proscriptum, omni iure feudali priuauit.

De canonizatione beatæ Elizabeth, & de translatione corporis sui.

CAP. XLVII.

ANno Domini MCCXXXV, in Italia ciuitate Perusina, in conuentu fratrum Prædicatorum canonizata est beata Elizabeth, quondam Lantgrauia Thuringiæ, filia regis Vngariæ, à papa Gregorio, multis prælatis ecclesiæ & magnis præsentibus. Sequenti anno translata sunt ossa de humili loco ad locum magis reuerendum eiusdem sanctæ Elizabeth, præsentibus archiepiscopis Maguntinens. Colonienss. Bremens. & pluribus alijs episcopis & prælatis; item præsentibus Friderico imperatore, & Heinrico Lantgrauio Thuringiæ & Hassiæ, & suo germano fratre Conrado magistro ordinis Teutonici, & matre eorundem Lantgrauiorum, scilicet domina Sophia, & Hermanno filio beatæ Elizabeth, & Sophia filia sanctæ Elizabeth, & multis alijs, &c.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Anno Domini MCCXXXIIII, fratres Minores receperunt conuentum in Erffordia.

De fundatione conuentus Prædicatorum in Ysenach.

CAP. XLVIII.

EOdem anno ex mandato & consilio Domini papæ Gregorij, Henricus Lantgrauius Thuringiæ & Hassiæ cœpit ædificare conuentum fratrum Prædicatorum in Ysenach, & cõsecrari voluit in honorem sanctę Elizabeth: ex eo quod ipse olim iniquum consilium secutus, ipsam de castro Warcberg eiecit, & molestari permisit. Quod intelligens frater Conradus germanus Henrici Lantgrauij, adiunxit illi conuentui pro patrono scilicet Ioannem Baptistam: ex eo quod ipsum in Fritzlaria ecclesias suas destruendo offendit, & incinerando molestauit, vbi tunc in conuentu fuit primus Prior venerabilis pater, frater *Elgerus* comes de Honstein sanctus Dei.

De morte fratris Conradi, quondam Lantgrauij Thuringiæ & Hassiæ.

CAPVT XLIX.

ANno Domini MCCXI, frater Conradus ordinis Teutonici rector & magister, quondam Lantgrauius Thuringiæ & Hassiæ obijt, & sepultus est in Marcborg Anno sequenti, obijt Hermannus Lantgrauius Thuringiæ, filius Ludwici Lantgrauij & beatæ Elizabet, anno ætatis suæ XVIII, & elegit sepeliri in Marcborg apud matrem suam sed sepultus est in Reinhardisborn in sepulchro patris. Eodem anno, Heinricus solus Lantgrauius Thuringiæ & Hassiæ, comes Palatinus Saxoniæ, duxit in vxorem Gerdrudam filiam ducis Austriæ.

De blasphemia Friderici Imperatoris in Deum, in fidem Catholicam, & sanctum Moysen, & hæresi sua.

CAPVT L.

ANno Domini MCCXLII, Fridericus imperator cum regnasset 31 annis, conuocauit principes Alemanniæ in Franckfort, volens cum eis tractare, qualiter filium suum Conradum in regem Romanorum crearet, vbi spiritu diabolico ipsum instigante blasphemauit in Deum & in sanctam ecclesiam. Hanc blasphemiam omnes principes & nobiles mox vt audierunt, nimium sunt turbati: & facies eorum præ dolore & stupore sunt immutatæ, quod audiuerunt imperatorem & regem Ecclesiæ Dei hæresi permaxime esse maculatum. Sed præ alijs principibus talia audientibus, Henricus Lantgrauius singula verba Imperatoris per legatos solennes in scriptis, vt verum membrum ecclesiæ & Christi talia audire abhorreret, papæ Gregorio insinuauit. Quapropter idem papa prædictum imperatorem excommunicauit: quamuis hoc modicum curauit, & Papa Innocẽtius sequens, aliquibus annis postea transactis, excommunicationem approbauit; imo ipsum Friderici depositi, & apud principes Alemaniæ procurauit eligi in Regem Romanorum Heinricum Lantgrauium Thuringiæ, principem Christianissimum, & militem strenuum. Et quia papa Innocentius IV fuit multum pecuniosus ideo vt prædictus Heinricus, filius ecclesiæ & membrum Christi, gubernacula regni susciperet, ei XXV millia marcarum argenti puri in supplementum transmisit. Eodem anno & tempore, sicut principes fuerunt in Franckfort vocati ab imperatore Friderico, obijt frater *Elgerus de Honstein* Prior Ilsnacensis, ordinis Prædicatorum, confessor Heinrici Lantgrauij, quem secum adduxit in Franckfort tanquam sanctum rectorem, & ipsum mortuum reduxit in Ysenach ad suum cõuentum. Eo tempore, & in eadem congregatione principum, Sophia filia Ludwici Lantgrauij & beatæ Elizabeth, atq; filia fratris Heinrici Lantgrauij, desponsata fuit duci Brabantiæ.

De captiuitate Episcopi Bambergensis.

CAPVT LI.

ANno Domini MCCXLVI, captus est Episcopus Bambergensis à comite Bertoldo de Keuernberg, & per tempus in custodia tentus, quem postea Heinricus Lantgrauius

grauius à vinculis absoluit. Eodem anno fratres Minores habentes conuentum in Gotha, transtulerunt se in Arnstede, quibus successerunt fratres Augustinenses.

De promotione Henrici Lantgrauij Thuringiæ & Hassiæ in regem Romanorum per Papam Innocentium II, *& de morte eius.*

CAPVT LII.

ANno Domini MCCXLVII, anno pontificatus domini Papæ Innocentij secundo, Heinricus Lantgrauius ad mandatum eiusdem Papæ in regem Romanorum est electus in Franckfort. Et ibidem prope Rhenum cum magno exercitu, principibus sibi cooperantibus, cum Conrado filio Friderici, quem pater præfecit & libenter ipsum pro rege, cum ipso conflixit, & eum cum suo exercitu vicit & confudit, in die beati Dominici Confessoris. Et habita victoria, profectus est in Sueuiam, contra eundem ducem Sueuiæ Conradum, & patrem suum Fridericum, olim imperatorem, ipsos humiliando. Postea ad Thuringiam reuersus, venit in castrum Warcborg & infirmari cœpit, & dum laboraret in extremis, petiuit corpus suum sepeliri apud patrem suum ad sanctam Catharinam extra muros ciuitatis Ysenach, & cor suum sepeliri ad fratres Prædicatores ad sanctam Elizabeth, in cuius honore conuentus fuit dedicatus: quod & factum est.

De rebellione quorundam nobilium post mortem eiusdem Henrici regis Romanorum.

CAPVT LIII.

ISte Heinricus rex Romanorum, Lantgrauius Thuringiæ & Hassiæ, quia sine hærede defunctus est; multa mala in Thuringia & Hassia de hoc exorta sunt. Nam quidam militares scilicet Herwicus de Horselgowe, & Ioannes Atzse cum alijs suis complicibus, omnia pecora ante ciuitatem Ysenach, & circumquaque abstulerunt, & aduocatum de *Teneberg* captiuum abduxerunt. Item ministeriales terræ loca sibi complacentia occuparunt. Nam illi de *VVangenheim* mõtem *Calnberg*, illi de *Tulstede* montem *Steinfort*, Hermannus *Strantz Stentzenouve*, isti de *Lupintze* montem *Luchtevvaldt*, illi de *Gobenstedt Scharffenberg*, illi de *Franckenstein* prope *Allendorff* montem *VValdenberg* cum castris ædificauerunt. Item Waltherus pincerna de Batila miles strenuus & famosus erexit se contra comites de *Keuernberg* & de *Schvvartzberg*, villas eorum destruendo rapinis & incendijs. Qui comites sibi occurrebant, & fortuna arridente pincernæ, cepit duos comites de Keuernberg, & duos de Schwartzberg, & secum eos cum suis abduxit, & in vincula coniecit, anno Domini MCCXLVIII.

De discordia, quam habuerunt consanguinei Heinrici regis Lantgrauij Thuringiæ & Hassiæ pro terris illis.

CAPVT LIIII.

ANno Domini MCCXLVIII, mortuo Heinrico rege & Lantgrauio sine hæredibus, quidam de terra fauentes ducissæ Brabantiæ, filiæ fratris Heinrici Ludwici Lantgrauij olim & beatæ Elizabeth, ipsam vocauerunt; alij vero fauentes Heinrico Marchioni Misnæ & terræ Orientalis, filio fororis eiusdem Heinrici regis, similiter ipsum vocauerunt. Et sic vocatis, venit ducissa Brabantiæ ad terram Hassiæ, & plura castra & ciuitates recepit in potestatem suam; aliquibus tamen castris & ciuitatibus recusantibus. Similiter Heinricus Marchio venit ad Thuringiam, & plura castra & ciuitates recepit in potestatem; & aliquibus castris & ciuitatibus recusantibus. Tamen quibusdam placitis celebratis; domina Sophia ducissa, quicquid iuris in terram Thuringiæ habere debebat, fidelitati Heinrici Marchionis consobrini sui commisit, ne ad extraneos deuolueretur; quousq; per principes determinaretur, cui de iure cedere deberet, & terram Hessiæ libere recepit in suam iurisdictionem, & ad Brabantiam redijt.

De Heinrico marchione Myſnæ & Lantgrauio Thuringiæ, ſub Wilhelmo rege Romanorum.

CAPVT LV.

HEinricus Marchio Myſnæ & Orientalis, ac Thuringorum Lantgrauius primus, duxit in vxorem Agnetam, de qua genuit duos filios, ſcilicet Albertum & Theodoricum, anno Domini MCCXLIX. Eodem anno ciuitas Wiſſenſe capta eſt, & ſpoliata, & igne conſumpta à comite de Sundeſhuſen.

Anno Domini MCCL, rex Romanorum Wilhelmus comes Holandiæ, electus poſt Heinricum Lantgrauium Thuringiæ, in bello à Friſonibus occiditur. Anno ſequenti, Fridericus olim imperator & depoſitus, adhuc fungens officio imperij, in Apulia miſerrime mortuus eſt, ſine Sacramentis & pœnitentia in Anathematis vinculo.

De ſecunda repetitione terræ Thuringiæ per ducisſam Brabantiæ.

CAPVT LVI.

ANno Domini MCCLIII, vacante imperio domina Sophia videns Alemaniam ſtare ſine rege & iudice, ſuper principes iterum veniens ad Thuringiam, ducens ſecum filium ſuum Heinricum puerum ducem Brabantiæ, quem in reditu fecit Lantgrauium terræ Haſſiæ. Nec minime adhuc cõtenta, ſed repetiit terram Thuringiæ, ſeu partem, ab Heinrico Marchione ſuo conſobrino, quam ſuæ fidelitati tradidit & commiſit. Conſiliarij vero Domini Marchionis dixerunt: Domine Princeps, terra Thuringiæ eſt nobilis & opulenta; nõ tradatis nec diuidatis. Et ſi non vult eſſe contenta de Haſſia, vos eſtis potens in Myſna, in partibus Orientalibus, & in Thuringia, & poteſtis ei bene reſiſtere. Et ſi haberetis vnum pedem in cælo, & alium in terra Thuringiæ; illũ de cælo deberetis trahere ad alium, & retinere Thuringiam. Et ſic illa domina inconſolata permanſit, ſolis ciuibus Yſenach ſibi adhærentibus contra Marchionem, & ad terram cum filio properauit.

Quomodo dux Brunſvvicenſis cepit epiſcopum Maguntinenſem.

CAPVT LVII.

ANno Domini MCCLV, dux Brunſwicenſis contra epiſcopum Maguntinenſem intrauit Thuringiam, & iuxta vel prope prædium monachorum Volckerode, ſcilicet Boltſtede, & cepit in conflictu Gerhardum epiſcopum Maguntinenſem, & plures comites cum eo & nobiles, & ſpecialiter patruum epiſcopi, ſcilicet comitem de Eberſtein, quem ob multas contumelias exhibitas duci ſuſpendio interemit.

De amicitia quam contraxit domina Sophia duciſſa Brabantiæ cum duce Brunſvvicenſi.

CAPVT LVIII.

ANno Domini MCCLVIII, adhuc durante diſcordia inter Heinricum marchionem ac Lantgrauium Thuringiæ, & dominam Sophiam & filium ſuum Lantgrauium Haſſiæ, & poſt multa mala perpetrata in terris domina Sophia duciſſa cum filio ſuo viribus diffidentes, animoſum principem Albertum ducem Brunſvvicenſem, tunc inimicum in Thuringia adiit, & filiam ducis filio ſuo Lantgrauio Haſſiæ deſponſauit, vt eius adiutorio poſſet reſiſtere Marchioni, cui in viribus & potẽtia & diuitiis impar fuit. Vnde ille dux per ſuos aduocatos & cum armigeris de Haſſia multum humiliauit Thuringiam, & maxima damna fecit: & domina Sophia cum auxilio ciuium Yſenacenſ. qui ei adhæſerunt, tria caſtra ædificauerunt *Iſenechisberg. Frouvvenberg, Meienſtein*, contra caſtrum *Wartberg* quod in poteſtate ſua habuit Heinricus Marchio, qui etiam contra ciuitatem Yſenach ædificauit caſtrum *Calnberg* prope *Viſchbach*.

De deſtructione ciuitatis Crucenberg per duciſſam.

CAPVT LIX.

ANno Domini MCCLIX, domina Sophia cum filio ſuo & adiutorio ducis Brunſvvicenſis cepit caſtrum *Cruceberg*, & ciuitatem eiuſdem penitus deuaſtauit. Eodem anno

anno abbas in *Reinharduborn* castrum *Schovvenberg*, olim ædificatum à primo comite Ludwico cum barba Thuringiæ, & postea in fauorem monasterij Reinhardisborn, ne de hoc molestarentur, destructum per Lantgrauium Thuringiæ iterum reædificauit; timens ne ab alijs ædificaretur magis potentibus in præiudicium monasterij: & comiti Hermanno de Henneberg in bona fide, *vterino fratri Heinrici Marchionis ex parte matris dominæ Iuttæ, quæ primo duxit Theodoricum Marchionem patrem Heinrici, & postea Poponem comitem de Henneberg. Qui Hermannus fuit ita propinquus ad possidendum terram Thuringiæ; sicut Heinricus, si fuisset acceptatus, sicut fuit alius. Quod videns Heinricus marchio, timēs de castro illo malum sibi & terræ euenire, ca-
10 strum destruxit *Schovvenberg*, & castra *Luchtenvvaldt*, *Calnberg* prope *Setelstede*, & plura alia ædificata à nobilibus in Thuringia post mortem Henrici regis, tempore vacationis principatus in Thuringia destruxit.

De expugnatione ciuitatis Ysenacensis, & destructione castrorum prope Ysenach per Marchionem Heinricum.

CAPVT LX.

ANno Domini MCCLXI, Heinricus Marchio habens in sua potestate castrum Warcberg & totam terram Thuringiæ, excepta ciuitate Ysenach & quibusdam castris prope, cepit & destruxit castra *Metenstein*, *Frovvenberg*, *Ysenachisberg*. Et ciuitatem Ysena-
20 censem cepit, & aliquos ciues interfecit, qui ius suum annihilauerunt, & totam terram Thuringiæ dominæ Sophiæ cedere debere de iure affirmabant, & ipsum Marchionem minime iuste excludebant. Eodem anno castrum inferius in ciuitate ædificatum est à Marchione.

Quomodo dux Albertus Brunsvvicensis captus est, adiutor dominæ Sophiæ, & filij sui Lantgrauij Hassiæ.

CAPVT LXI.

ANno Domini MCCLXIIII, Albertus dux Brunswicensis, adiutor Heinrici Lantgrauij Hassiæ, ex continuis plurimorum successibus in Thuringia & alibi in tantam
30 deuenit superbiam, vt etiam partes Orientales inuaderet rapinis & incendijs per tres dies, & ecclesias *Nuemberg* & *Merßburg* nimium grauaret. Hoc audiens Rudolffus Pincerna de Batila, vir potens & bellicosus in Thuringia, cum centum bonis militibus & armigeris collectis in Thuringia, venit ad partes Orientales, quærens Marchionem Heinricum, & non inueniens ipsum, sed filios suos adhuc iuuenes, scilicet Albertum & Theodoricum inuenit in Lyptz. Quos accessit increpando eos, quare tanta mala non vindicarent: ipse enim adduxisset centum bonos viros & vltra: quod & ipsi colligerent aliquos: quod & factum est. Ibi enim prope Bickin inierunt conflictum cum duce Al-
berto à mane, scilicet ab ortu solis vsque ad horam nonam, & dux vulneratus fuit & ca-
40 Ebyrstein, & adhuc de baronibus & bonis nobilibus XII, omnes vulnerati & capti, & de electa militia exercitus quingenti quinquaginta & XVI viri in armis plenis, cum maximo damno suo scilic. electorum equorum & armorū apparatu, capti sunt, qui se magnis pecunijs liberauerunt.

De compositione inter Marchionem Myssiæ, & dominam Sophiam, & filium suum.

CAPVT LXII.

INterim dum dux Brūsvvicensis detentus fuit, tractata est sua liberatio & compositio inter Henricum Marchionem & filios suos, & inter Sophiam & filium suum Hein-
50 ricum Lantgrauium Hassiæ, quæ talis fuit, sc. quod dux deberet dare pro liberatione sua octo munitiones, sc. *Essenvvege*, *Aldendorff*, *VVuzenhusen*, & alias prope *Werram*, pertinentes ad ducatum Brunswicensem, & super hoc octo millia marcarum, & vt domina Sophia, & filius suus Heinricus Lantg. Hassiæ, abrenunciarent omni iuri suo quod possent habere in terrā Thuringiæ, tunc deberent recipere in suam potestatem illas octo munitiones: q̄ & factum est, & discordia quæ durauit per nouem annos, sedata est.

Quomodo Heinricus marchio diuisit terram cum filiis suis.

CAPVT LXIII.

ANno Domini MCCLXV, Heinricus marchio confectus senio, & habens tres principatus, diuisit se cum filiis suis hoc modo. Nam ipse Heinricus pater retinuit terram Mysnensem, Theodoricus filius suus obtinuit terram Orientalem & marchionatum Landisberg, Albertus etiam filius suus terram Thuringiæ obtinuit.

De Alberto Lantgravio Thuringiæ, vacante imperio.

CAPVT LXIV.

ALbertus filius Heinrici Marchionis Mysnæ ac Lantgrauij Thuringiæ, successit patri in Thuringia, & duxit in vxorem Margaretam filiam Friderici quondam imperatoris, & genuit ex ea duos filios, sc. Tytzmānum & Fridericum, & vnam filiam quam dedit filio ducis Alberti de Brunswick. Sequenti anno, Albertus Thuringiæ Lantgrauius iuit in Prusciam contra paganos cum signo crucis, & miles effectus est.

Anno Domini MCCLXVIII, Ioannes marchio Brandenburgensis in torneamento in Merseburg cum lancea occisus est, & Theodoricus Burggrauius de Kirchberg in fluuio Sala, in reditu de eodem torneamento, cum tribus armigeris submersus est. Eodem anno, Agnes marchionissa Mysnæ vidit in somnis angelum sibi propinantem in scypho aureo vinum amarum, & postea in breui defuncta est. Eodem anno, fratres Prædicatores celebrauerunt primum capitulum in Ysenach, præsente domino Alberto Lantgrauio cum Margaretha consorte sua.

Quomodo vxor Alberti Lantgrauij furtiue de nocte recessit de Vvarcberg.

CAPVT LXV.

ANno Domini MCCLXIX, Margareta vxor Alberti Lantgrauij, persecuta à marito, propter vnam de pedissequis suis Kunnem de Ysenbergen concubinam vsque ad mortem. Quod intelligens, & se in periculo mortis videns, deosculatis filiis suis & paruulis, de nocte per suos fideles submissa est cum funibus per murum castri Warcberg, & deducta in Kreienberg, vbi abbas Hersfeldensis eam reuerenter recepit, & deduxit eam vsque in Fuldam, quam & abbas Fuldensis reuerenter recepit, & eam deduxit in Franckfort. Vbi ciues, cum scirēt eam esse filiam imperatoris quondā domini suorum, honorifice receperunt, & reuerenter tenuerunt, ac laute procurauerunt. Sequenti anno feliciter obiit, & ibidem sepulta est.

Quomodo Westphali intrauerunt Hassiam contra Heinricum Lantgrauium Hassiæ.

CAPVT LXVI.

ANno Domini MCCLXX, Westphali de episcopatu Padirbornensi intrauerunt Hassiam contra Heinricum Lantgrauium, & plura damna fecerunt, & ex ipsis Westphalis occisi sunt centum quinquaginta quinque, & captiui ducti sunt centum & xx. Qui dederunt pro liberatione magnas pecunias.

De occisione abbatis Fuldensis per suos vasallos.

CAPVT LXVII.

ANno Domini MCCLXXI, abbas Fuldensis Bertholdus occisus est in suo oratorio infra Missam à suis vasallis, scilicet de *Steinowe*, de *Schenckenwalt*, de *Brantowe*, de *Eberstein*: qui omnes diuersis modis mala morte mortui sunt, & castra eorum destructa.

De electione Rudolffi de Habsburg regis Romanorum.

CAPVT LXVIII.

ANno Domini MCCLXXIII, postquam vacauit imperium per XXII annos & confusibiliter stetit, electus est in regem Romanorum in Franckfort Rudolffus comes de Habsburg. Eodem anno, obsessum est castrum Dornberg & ciuitas Alrstete, per Albertum Lantgrauium Thuringiæ.

Dicella-

Decollatio filiæ Hassiæ Lantgrauij.

CAPVT LXIX.

ANno Domini MCCLXXV, dux Bauariæ propter quandam suspicionem fecit decollari vxorem suam, filiam Heinrici Lantgrauij Hassiæ, nimis præcipitanter. Cuius innocentia postmodũ miraculose ipsi duci & suis est diuinitus publice ostensa. Vnde in emendam rei gestę male compulsus est ędificare monasterium *Forstenvvaldt*, prope Monacum ordinis Cistercienſis. Eodem anno, Theodoricus Marchio de Landisperg comprehendit raptores XXXIV, quos decollari fecit.

De captione Theodorici Marchionis de Landisberg, & Friderici filij Alberti Lantgrauij Thuringiæ.

CAPVT LXX.

ANno Domini MCCLXXVI, episcopus Magdeburgensis, cum fratre suo Marchione de Landisperg, Thuringiam intrauerunt, quos Albertus Lantgrauius turpiter fugauit de terra. Propter quam confusionem episcopus se in dolo composuit cum Lantgrauio, fingens se magnum amicum. Et postea aliquibus annis transactis, vocato Lantgrauio Thuringiæ Alberto, & fratre suo Theodorico Marchione de Lādisberg, ad obsidionem castri vnius, & nocturno tempore irruens super eos adhuc in tẽtoriis, & cum multis suis iacentibus bona fide & amicitia, eos ceperunt cum multis comitibus & nobilibus de Thuringia, & de terra Orientali numero plus quam ducentis. Albertus vero Lantgrauius Thuringiæ ibi nõ fuit, sed misit filium suum Fridericum, qui captus & detẽtus in castro *Crippen*. Et nocturno tempore fortunaliter liberatus recessit, & quidam cum eo.

De discordia inter Albertum & filios suos.

CAPVT LXXI.

ANno Domini MCCLXXXI, grandis displicentia & discordia orta est, inter Albertum Lantgrauium Thuringiæ, & filios suos Fridericum & Tytzemannum, propter persecutionem matris mortuæ, factam propter concubinam Kunnẽ Ysenbergensem loco eiusdem assumptam, etiam viuente vera matre, Erffordensibus astantibus Alberto, & aliquibus nobilibus terrę cooperantibus filiis. In qua guerra captus est episcopus quidam domus Teutonicæ cum armigeris à filiis Lantgrauij, & detentus in *Slacheym*. Et postea accidit in quodam conflictu, quod Fridericus filius Lantgrauij fuit captus à quodam comite de *Kuernberg*, & præsentatus patri, & detentus in castro *Warcberg* per annum. Et postea per familiares suos, nocturno tempore furtiue castrum intrantes, ereptus est; ablatis inde omnibus quæ deferri poterãt. Eodem anno, ciuitates Tusciæ & Lampardiæ miserunt solennes nuncios ad Fridericum filium Alberti Lantgrauij, petentes vt dignaretur eis præesse, & eos defendere contra inimicos.

De morte Theodorici Marchionis fratris Alberti Lantgrauij.

CAPVT LXXII.

ANno Domini MCCLXXXII, obiit Theodoricus marchio de Landisberg & Orientalis, filius Heinrici Marchionis Mysnæ senioris, relinquens filium, scilicet Fridericum nominatum Tuto, qui aliquibus temporibus transactis litigauit cum episcopis Nuemborgensi & Merseborgensi, & mortuus est sine hærede. Cui successit in principatu Tytzemannus patruus suus, filius Alberti Lantgrauij Thuringiæ, frater Friderici.

Quomodo Albertus nisus est exhareditare filios suos.

CAPVT LXXIII.

ANno Domini MCCLXXXVII, adhuc durante discordia inter Albertum Lantgrauium Thuringiæ & filios suos venit Rudolffus rex ad Thuringiam, & pacificauit eos. Tamen pace non obstante, Albertus dolẽs de malis à filiis suis illatis, volens eos exhæreditare, vocauit filium suum Albertum natum de concubina sua, scilicet Kunne de Ysenberg, quam legitimari sibi fecit, & dedit ei castra *Teneberg*, *Brandeberg*, *Braytenbach*, *Brandenfelß*, *Wildencke*, cum aduocatiis ad eadem castra pertinentibus. Et plura alia dedisset ei in damnum filiorum suorum legitimorum, si domini terrarum non obstitissent.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Albertus Lantgrauius captus est à filio.

CAP. LXXIV.

ETiam eodem anno, Albertus Thuringiæ Lantgrauius captus est à filio suo Friderico, & aliquo tempore ab eo detentus est: sed per intercessiones nobilium & ciuitatum, & principaliter per mandatum regis Rudolffi, liberatus est.

De morte Henrici Marchionis Missenſis.

CAPVT LXXV.

EOdem anno mortuus est Henricus Marchio Myssenensis, pater Alberti Lantgrauij Thuringiæ, ætatis suæ anno LXX, vel circa: cui successit Fridericus filius Alberti.

De castris destructis in Thuringia.

CAPVT LXXVI.

ANno Domini MCCXC, Rudolffus rex Romanorum veniens in Erffordiam, & vocauit plus quam XL principes seculares & spirituales, & multos comites & barones de tota Alemania: districte præcipiens vbiq; pacem seruari sub pœna capitis. Et quia in Thuringia propter discordiam Alberti Lantgrauij & filiorum, sci. in Thuringia nobiles fuerunt diuisi & partiales, & multi raptores interim surrexerunt; ideo rex præcepit destrui loca raptorum. Et factum est, quod milites regis cum populo Thuringię circuibant terram Thuringiæ, & destruxerunt fere LXVI munitiones, scil. castra & curias, domus muratas in villis, & quoscunq; raptores inuenerunt, occiderũt. Et accidit, quod in *Ilmena* comprehenderunt XXIX raptores, quos ad Erffordiam duxerunt. Et rex, sedens pro tribunali; personaliter, præcepit sententialiter, extra muros eiusdem ciuitatis decollari. Eodem anno, Albertus Lantgrauius Thuringiæ, in festo dedicationis beatæ Mariæ in monte sancti Petri Erffordiæ præsente Rudolffo rege, creauit XVI nouos milites, ac singulis singulos gladijs & cingulis deauratis præcingente, in præsentia multorum: quibus dedit multa bona, quia fuit prodigus, & multa expendit in odium filiorum legitimorum. Et cum rex Romanorum recedere vellet de Thuringia, vbi curiam suam habuit quasi per annum; commisit vices suas cuidam militi dicto de *Brumberg*, qui auctoritate regali violatores pacis & raptores coerceret. Et abiit ad partes Orientales, resumens imperiale castrum *Aldenberg*, quod Heinricus Marchio Myssenensis mortuus, & filij multo tempore loco pignoris ab imperio habuerunt.

De morte regis Rudolffi, & de electione comitis Adolffi de Nassawe in regem.

CAP. LXXVII.

ANno Domini MCCXCI, Rudolffus rex Romanorum obijt; & sequenti anno electus est in regem Adolffus comes de Nassawe in Franckfort. Eodem anno monasterium in Reinhardisborn incineratum est ex toto per malefactores.

De venditione terræ Thuringiæ contra voluntatem hæredum, & de malis.

CAPVT LXXVIII.

ANno Domini MCCXCIII, Albertus Lantgrauius Thuringiæ habens filios suos legitimos multum exosos, plura bona in Thuringia vendidit contra voluntatem filiorum & finaliter vẽdidit Thuringiæ principatum regi Adolffo comiti de Nassowe, successori Rudolffi: reclamantibus filijs, Friderico & Tyzemanno, & viriliter se opponentibus cum suis fautoribus. Rex autem Adolffus veniens ad terram Thuringiæ receptandam quam emerat, recepit plures ciuitates & castra. Plures afflixerunt filijs, & restiterunt regi hostiliter. Quod videns rex, congregato magno exercitu crudelissime egit in Thuringia, totam terram deuastãs incendijs & rapinis, nulli hominum parcens, nec viduis, nec pupillis, nec ecclesijs, nec ecclesiarum rebus, nec sacerdotibus, nec monasterijs sanctimonialium; sed sponsas Christi violantes, ac Thuringiam in so maximas miserias ponentes. Multi tamen de his flagitiosis hominibus occisi sunt fuerunt hinc inde à castellanis Thuringiæ. Deinde cum regis exercitus victualibus deficerent, & rex sentiens exercitus sui detrimentum, se ad ciuitatem Molhusen recepit. Et quia quamplures de exercitu violentias in ciuitate fecerunt; ciues ad arma cucurrerunt, & inquietos seu cruentos satellites percusserunt & occiderunt, ita quod rex vix euasit.

euasit. Deinde rex intelligens maiorem exercitum, ad terram Orientalem & Myſenẽſem quam occupabant filij Alberti prædicti, ſe conuertit, & eodem modo deuaſtauit, & cepit plures ciuitates, & maximas crudelitates exercuit in homines. Et (quod pudet dicere) braccæ & caligæ fuerunt hominibus extractæ. Et ſic deuaſtatis terris Myſnæ Orientalis & Thuringiæ, & pluribus caſtris ciuitatibus expugnatis & deſtructis, & ſpecialiter *Cruceborg*, & *Franckenſtein* in Thuringia per 4 annos continuos.

De morte Adolphi regis, & electione Alberti.

CAPVT LXXIX.

TAndem idem rex crudelis & tyrannus maximus in ſui pœnam apud Wormatiam per Albertum ducem Auſtriæ, filium Rudolfi quondam regis, occiditur. Et idem occiſor in regem eſt electus & conſecratus, anno Domini MCCXCVIII.

Albertus Lantgrauius Thuringiæ, & Fridericus filius ſuus duxerunt vxores.

CAPVT LXXX.

MOrtuo Kunne de Yſenberg concubina Alberti, & filio Alberto ſepulto ad ſanctã Catharinam, à quibus totum malum prænarratum in terris euenit, Albertus Thuringiæ Lantgrauius duxit in vxorem *Alheiden*, relictam comitis de *Arnshovve*, pecuniosam multum. Et Fridericus filius eius, tunc Marchio Myſnenſis, duxit in vxorem filiam eiuſdem Alheidam nouercæ ſuæ, virginem pulcherrimam.

Anno Domini MCCCIII, caſtrum Hoffgarten funditus eſt deſtructum per domicilios terræ & Erffordenſes. Eodem anno Iudæi in Wiſſenſe occiderunt occulte filium eiuſdem Caſtrenſis nomine Conradum: propter quod malum Iudęi per totam terram occiſi ſunt. Sequenti anno ciues Erffordenſes ceperunt caſtra Borggrauij de *Kirchberg*, ſc. *Griffenberg*, *Vvinzberg*, *Kirchberg*, *Leyſten*: & ob gratiam & petitionem aliquorum reddiderunt *Brinſſenberg*; aliam terram deſtruxerunt. Eodem anno comes Heinricus de *Honſtein*, congregata electa militia Thuringiæ partes Buchouiæ intrauit contra abbatem Fuldenſem. Quod cũ innotuit aduocatis, congregatis ciuibus, ruſticis & alijs quos habere poterant, comitem Heinricum de *Honſtein* & *Bichelingen*, cum multis alijs ceperunt, qui poſtea multis pecunijs ſe redemerunt.

Quomodo Albertus rex impugnauit Thuringiam.

CAPVT LXXXI.

ANno Domini MCCCVI, ciuitas Yſenach, & quædam ciuitates in Thuringia, quæ propter contractum, factum per Albertum Lantgrauium & regem Adolffum, ſe regno Romano per fœdus & iuſiurandum ſeu homagium ſubdiderunt; infeſtatæ à filijs Marchionis hoſtiliter & frequenter, qui totam terram Thuringiæ petiuerãt tanquam hæreditatẽ paternam & auxilium regis poſtulabant & cõſilium pluribus literis & ambaſiatoribus. Tãdem rex Albertus, veniens in Fuldã cũ multis principibus ibidẽ vocatis, vbi Albertũ Lantg. Thur. de emptione terrę Thur. pro imperio amouit; & de filiorũ ſuorum contumacia ipſum grauiter corripuit: quos vtiq; cõpeſcere ibi publice condixit, tempore ſibi opportuno: ſicut & poſtea fecit, mittendo aliquos capitaneos in Thuringiam, qui multa mala terræ intulerunt. Eodem anno, ciues Yſenacenſes tantum infeſtati ſunt per filios Lantgrauij; timentes tradi, caſtrum in ciuitate eorum de voluntate Alberti Lantgrauij, data ſibi pecunia, funditus euerterũt: ſimiliter turres in eccleſia Mariæ annexas muro ciuitatis. Etiã ciues Yſena, timẽtes quod Adelheid vxor Alberti Lantgrauij traderet caſtrum Warcberg Friderico, filio Lantgrauij genero ſuo, quem maxime diligebat; obſederũt caſtrum cum aduocatis regis, & contra caſtrum Warcberg reædificarunt montem qui dicitur Yſenechisberg, vbi olim fuit caſtrum; & Albertum cum vxore ſua reſidentes in caſtro Warcberg ad magnam inopiam victualium deduxerunt. Hoc audiens Fridericus filius Lantgrauij, precibus vxoris ſuę cuius mater erat in caſtro Warcberg, & etiam ne caſtrum tam nobile perderetur, auxilio ſororij ſui ducis Brunſwicenſis victualia adduxit, & ciues inde fugauit; & regis aduocatum, nobilem de *Vvilnowe*, fratrem abbatis Fuldenſis, cepit; & in vinculis in Warcberg

coniecit, vbi mortuus est, & sepultus in conuentu Prædicatorum. Postea vero Fridericus tantum Marchio Mysnensis, & filius Lantgrauij Alberti, per promotionem vxoris Alberti, cuius filiam habuit in legitimam castrum Warcberg obtinuit, & cõsequenter de illo castro totam terram Thuringiæ, & patrem suum amouit, qui præbendarius in Erffordia factus est ciuium, quibus multa bona prius in odium filiorum suorum vendidit; nouercam suam & vxorem propriam in Warcberg locauit, & honorifice tenuit.

De Friderico Marchione Mysnæ & Lantgrauio Thuringiæ sub rege Alberto.

CAPVT LXXXII.

FRidericus Thuringiæ Lantgrauius & marchio Mysnensis, filius Alberti Lantgrauij Thuringiæ, patre suo amoto, potẽs in Thuringia effectus est, anno Dom. MCCCVII. Eodem anno, Rex Albertus dux Austriæ audiens Fridericum Marchionem Mysnæ, & Thuringiæ vicisse aduocatos suos, congregauit exercitum magnum de Austria, Bauaria, Sueuia, Bohemia, & misit ad partes Orientales contra Fridericum Marchionem Mysnæ, & contra Tizemannum Marchionem de Landisberg, fratrem eiusdem Friderici. Et factus est conflictus prope villam Lucka, & exercitus regis Romanorum cecidit, & filij Lantgrauij victoriam obtinuerunt, & plures occiderunt, videlicet trecentos & LX, & plures captiuos duxerunt. Quod audiens rex Albertus cum Petro Archiepiscopo Maguntinensi congregato magno exercitu Thuringiam intrauit tempore messis: multa damna in terra fecit. Et per interpositas personas multa placita cum Friderico habita sunt propter captiuos, sed nihil conclusum fuit, nisi quod Fridericus vellet haberere pecunias pro captiuis. Quapropter rex ad propria reuersus, & in reuersione Stephanus dux Bauariæ sibi occurrebat, & plures de exercitu suo occidebat, & plures cepit, & rex fugam in Nornberg dedit.

Eodem anno ciuitas Pegauia cum egregio monasterio sancti Jacobi ordinis sancti Benedicti, incinerata est & spoliata per Tizemannum Marchionem de Landisberg ac Thuringiæ Lantgrauium, ex eo quod abbas fouebat partem regis, cius abbatis erat ciuitas.

Obijt eodem anno Tyzemannus Lantgrauius & orientalis Marchio frater Friderici in Liptz, apud fratres Prædicatores sepultus. Cuius morte frater eius Fridericus videlicet audita aduocatis eiusdem Titzemanni multas pecunias dare promisit, sicut & fecit in Thuringia: & factus est potens Marchio Misnæ & Orientalis, & Thuringiæ Lantgrauius. Et hæc tractata sunt in Frffordia in monte sancti Petri, comitibus & nobilibus ad hoc literatorie vocatis.

De morte regis Alberti, & reconciliatione ciuium Ysenacensium.

CAPVT LXXXIII.

ALbertus Rex Romanorum adhuc pulsatus ciuibus Ysenacensibus, qui soli restiterunt Friderico prædicto, audiens omnes aduocatos &, omnes nobiles terrarũ Thuringiæ & Orientalis esse confœderatos cum Friderico, misit literas ad ipsos, quas minime curauerunt. Quapropter commotus proposuit congregare exercitum magnum & redire in Thuringiam. Interim à patruo suo Ioanne duce Austriæ, quem exhereditare nitebatur, & solis filijs suis ducatum & dominia appropriare, occiditur, & sepultus in Spira, sicut & prædecessor suus. Cuius mortem audientes ciues Ysenacenses, attoniti sunt, & omni gaudio & solatio destituti. Sed aliquibus nobilibus mediantibus, ciuitatem Ysenacensem Marchioni dederunt, Friderico videlicet, & se ei subdiderunt, & castrum reædificare quod destruxerunt, in ciuitate promiserunt. Et sic potens factus est Fridericus prænominatus super terras Thuringiæ, Orientalis & Mysnæ, & super nobiles & ciuitates arripuit iter ad partes orientales, & ciuitates terræ Plisnæ, scilic. *Altenburg, Zwickaw, Kemlitz*, &c. ad imperium pertinentes, suo dominio subiugauit, & retinuit loca damnorum & expẽsarum. Et postea fecit generalem pacem per omnes terras suas, quam iurauerunt nobiles & ignobiles. Acta sunt hæc, anno Domini MCCCVIII.

Eodem anno, electus est in regem Romanorum Heinricus comes de Lutzenberg apud Franckfort.

De discor-

De discordia magna inter Marchionem & Erffordenses.

CAP. LXXXIV.

ANno Domini MCCCIX, orta est magna discordia inter Fredericum Lantgrauium Thuringiæ & Marchionem Mysnæ, & Erffordenses, ex eo quod ciues multas iurisdictiones, & aduocatias in villis circumquaq; adiacentibus ciuitati comparauerunt ab Alberto patre suo contra voluntatem suam, quas Fridericus repetiuit. Effordensibus vero resistentibus; & habitis multis placitis sed incassum; tandem stratę publicæ impediebantur, & spoliabantur inducentes aliquid ad ciuitatem contra prohibitionē factā. Erffordenses vero cum turma magna exiuerunt, & castra marchionis, sc. *Adirsleybin* & *Vienstetten* destruxerunt. Hanc violentiam & præsumptionem audiens Marchio, vocatis iudicibus terrę sedit pro tribunali in *Metilhusen*, volens condemnare Erffordenses sententialiter propter excessus. Erffordenses hoc intelligentes processionaliter ab omni clero ciuitatis & religiosis ante portam ciuitatis deducti cum magna turma ciuium exiuerunt, & Marchionem cedere de iudicio compulerunt. Secundario vero rediit Marchio ad eundem locum, magis munitus populo, & iterum Erffordenses exiuerūt contra Marchionem cum gaudio. Marchio vero hoc audiēs, præcepit suis sub pœna capitis, q; nullus deberet eximere gladiū, sed tales rustici deberēt cum baculis sumptis de sepibus baculari, & equorum pedibus calcari. Erffordenses videntes tantū animū in aduersarijs suis, fugam inierunt, & multi ex eis capti fuerunt. Postea Erffordenses, conmultis alijs armigeris se tutauerunt, & incendijs & rapinis terram Marchionis inuasecanonicos in ecclesia Erffordensi, in domibus armigeros locantes. Quapropter ex vltione diuina in die Ascensionis domini, Capitaneus eorum cum LXX armigeris captus est cum magno apparatu equorum & armorum: & consimile factum fuit in villa Zymmer, vbi multos perdiderunt. De quo Erffordenses in tantam pusillanimitatem fuerunt attracti, quod resistere ammodo non attentabant. Vnde Marchio cum expeditione valida ciuitatē *Vvyhe* & *Vvymar* obsidebat, & ipsum comitem ad deditionem compulit, anno Domini MCCCXI. Inde aggressus est ciuitatem Erffordensem: & castrum ponens in villam Hocheym, ppe ciuitatem, & hortos & domos extra murū igne & ferro destruxit. Postea omnia vineta circumposita succendi fecit, & postea Marchio exercitum dimisit. Erffordenses videntes se nimis opprimi, auxilium regis Romanorum inuocauerunt. Qui misit eis vnum militem nomine de *Nornberg*. Insuper & Ioannem fratrem Lantgrauij Hassiæ vocauerunt. Qui simul congregati villas *Rinckoleibin* & *Someringen* rapinis & incendijs vastauerunt, anno Domini MCCCXII. Et quia nihil dignum memoriæ agere potuerunt, propter resistentiam magnā quam habuerunt à Marchione; ideo Lantgrauius Ioannes & Capitaneus regis ad sua propria sunt reuersi. Deinde magna est orta dissensio in ciuitate, inter communes & diuites. Nam varijs damnis & oppressionibus ad tantā infamiam & pusillanimitatem deuenerunt, quod quatuor vel tres armigeri in equis ad fossatum vel ad portas ciuitatis venirent, vel aliquos ad valuas persequentes. Tandem Erffordenses, communitate & defectu pauperum cogente, pacem à Marchione expetunt, & cum magna summa pecuniæ obtinuerunt. Similiter Molhusen & Northusen: insuper Erffordiensibus petentibus quædam iura quæ pater Marchionis concesserat, penitus in nihilum sunt redacta. Anno Domini MCCCXVI, acta sunt hæc Et quia talis discordia durauit per VII annos, absque discordia præcedenti regis & filiorum Lantgrauij; tunc terra mansit inculta ab incolis; nec arari potebat, nec seminari. Ideo subsecuta fuit fames valida: & multi homines fame perierūt vbique, & specialiter in Erffordia, ad quam multi declinauerunt propter victualia, & ibi mortui sunt, & in carrucis de plateis educti ad sepulturam. Etiam stratæ ad Erffordiam propter discordiam vndique replebantur vrticis & herbis crescendo, quia viæ à transeuntibus vix poterant videri, quia guerræ & discordiæ durauerūt vltra VII annos, quia inceperunt anno Domini MCCC. Et nota quod licet annus decimus superius non sit positus propter historias recitatas & successum, attamen hic ponitur, ne error videatur.

De primogenito Friderici Marchionis.

CAP. LXXXV.

ANno Domini MCCCX, Marchio Fridericus congregato exercitu resedit in villa Tungede, disponens iter in Buchoniam contra abbatem Fuldensem. Quo tempore natus est ei filius in Gotha, de quo tantum gauisus fuit, quod expeditionem dimisit.

De discordia inter Marchionem Mysnæ & Brandenberg. & de captiuitate Marchionis Mysnensis, & eius liberatione.

CAP LXXXVI.

ANno Domini MCCCXII, facta est discordia inter Marchionem Woldemarum de Brandenburg, & Fridericum Marchionem Mysnæ. Qui inter se multa damna, cædes hominum, rapinas, & incendia faciebant. Tandem peruenitur ad pugnam, & Fridericus Marchio Mysnensis captus abducitur. Hoc audientes Erffordēses, quorum discordia cum Marchione Mysnæ adhuc durauit; (de qua supra dictum est) castrum Marchionis *Rinckeleybin* per mensem ab eis obsessum, nō sine magnis expensis & cum graui discrimine suorū ceperunt & destruxerunt. Similiter abbates Fuldensis & Hirsfeldensis interim destruxerunt castra *Rotinbergk* & *Breytenbach*. Hoc intelligens per nunciū in captiuitate, talia castra esse subuersa; vt se vindicare posset, pro liberatione sua, quantū poterat, laborabat. Vnde tractatum fuit, quod pro liberatione sua deberet dare filiam suam Elizabeth Alberto de *Kochin* comiti, filio sororis Marchionis Woldemari, in vxorem, quæ adducta fuit statim ante liberationem; deinde deberet dare plures ciuitates & castra in terra Orientali sitas, (& nominatę fuerunt) & super has terram Plysnensem totam. Hoc factum fuit, quod ad mandatū Marchionis Friderici Mysnensis aduocati præsentauerunt ciuitates terræ orientalis Alberto comiti de Kochin, cōmissario Marchionis Woldemari. Postea Marchio Mysnensis hoc idē fieri mandauit aduocatis terræ Plysnensis. Sed renuerunt, dicētes mandatū domini sui, nisi viua voce sanoq; corpore illud eis præciperet, minime se expelere. Quapropter termino ad hoc deputato, Marchio Mysnensis Fridericus ad illud præcipiendum ab hostibus ad terrā propriam adducitur. Sed à suis aduocatis cum validas tetendissent insidias, capitur & comes de Kochin cum omnibus suis: & in Altenberg deducunt. Grates igitur suis de hoc facto refundens, & de sua liberatione non modicum gaudebat. Munitiones orientales, hostibus subactis, valida manu anno sequenti re obtenta denuo possidebat. Et comes de Kochin si liberari debebat, oportebat, quod suam filiam adhuc virginem & iuuenculam cum magna summa pecuniæ restitueret; quod & factum est. Et sic pacificatus cum Marchione Voldemaro Thur. intrauit, & contra Erffordenses & abbates prædictos debellauit, sicut prius.

De morte Alberti Landtgrauij Thuringiæ patris Friderici.

CAPVT LXXXVII.

ANno Domini MCCCXIIII, Henricus imperator in Tuscia moritur, in ciuitate Pisana sepelitur. Eodem anno, electi fuerunt in Franckenforth dux Bauariæ Ludouicus, & dux Austriæ Fridericus, ex partibus duabus, qui inter se nouem annis hostiliter dimicauerunt. Tandem dux Ludouicus Bauariæ per conflictum obtinuit. Et notata, quod idem dux Fridericus Austrię captus à Ludouico Bauaro. Et cum multis annis, vex videlicet, detentus esset, tandem liberatus multo detrimento bonorum suorum, veniens ad propria, post breue tempus scilicet anno Domini MCCCXXXIII, à pediculis consumptus est miserabiliter. Frater vero eius dux Lupoldus præsumptuose volens videre diabolum, citatum à quodam nigromantico, & cum in forma nigri hominis apparet, & deformis, & cum dux vidisset, dixit *Satis est*, & deductus ad lectum mortuus est. Eodem anno scilicet superius posito, MCCCXIIII, adhuc durante discordia inter Fridericum Marchionem & Erffordenses, Albertus Lantgrauius Thuringiæ, pater Friderici obijt in Erffordia in multa egestate & miseria, & sepultus est in ecclesia beatæ Mariæ virginis, anno ætatis suæ LXIIII, de quo narratur quod multum fuit liberalis,

imo

imo prodigus. Et cũ in Erphordia à ciuibus esset cum decem personis prouisus; omni die quandocunque sibi nobiles occurrebant, illos inuitabat. Et prouisori suo dixit, Dic ciuibus vt præbendas pro duobus vel aliquando pro tribus diebus nobis mittant. Et sic de crastino nihil cogitabat, & finis malus sequebatur, pro vt moris est talium.

Quomodo militaris quidam propter inutilia mortuus est.

CAPVT LXXXVIII.

ANno Domini MCCCXX, Fridericus Marchio quendam nobilem *Albertum Kunt* pro aliquibus friuolis verbis prolatis, dicens hæc verba: *Ecce domini, si promoui vos ad terras principatuum vestrorum, ego etiam inueniam vias vos amouendi*; turri mancipauit qui mortuus est & sepultus in conuentu prædicatorum in Ysenach. Eodem anno, Fridericus marchio ac Landgrauius Thuringiæ dedit filiam suam Elizabeth, prius desponsatam comiti de Kochin, (vt dictum est) Henrico Landgrauio Hassiæ. Eodem anno, valida fames per tres annos durauit, & multi fame perierunt in ciuitatibus & villis, & iacebant in publica strata exanimes. Vnde Erphordenses foueam extra ciuitatem fecerunt, & eos sepelierunt.

De morte Episcopi Magdeburgensis.

CAPVT LXXXIX.

ANno Domini MCCCXXXI, ciues Magdeburgenses multas iniurias fecerunt Episcopo suo Borchardo. Tandem auxilio Friderici Marchionis compulsi sunt ad recipiendum ipsum, & homagium sibi facientes, & cum solennitate ipsum introduxerunt ad ciuitatem, & postea ipsum occiderunt. Eodem anno, Fridericus Marchio in terra Orientali & Plisnensi multa castra cepit; & aliqua retinuit, & aliqua destruxit. Eodem anno, Marchio inexpugnabile castrum scilicet Raspenperg destruxit, & castrum Eckersberg, quod erat *Beringeri de Schidingen*, expugnauit.

De morte Marchionis.

CAPVT XC.

ANno Domini MCCCXXII, Fridericus marchio Misnensis & Orientalis, ac Thuringiæ Landtgrauius, tactus morbo apoplexiæ, & tribus annis semiuiuus iacuit, non loquens: & anno MCCCXXV mortuus est, & sepultus apud sanctam Catharinam in *Ysenach*, extra muros, ætatis suæ anno L. Eodem anno *Wetzlo de Buchenowe* & Otto de *Schuttirheym* quendam electum in archiepiscopum ceperunt in strata publica, & ipsum in Brandenfels captiuum duxerunt, vbi mortuus fuit, & sepultus in Ysenach apud fratres Minores.

De Friderico secundo March. Misnensi & Landgrauio Thuringiæ.

CAPVT IXC.

FRiderico prænominato defuncto, successit Fridericus filius eius, ætatis suæ annõ xv, cui adhuc patre viuente desponsata fuit filia Ioannis regis Bohemiæ, & sibi adducta in Warckberg, quam (vt decuit) in omni reuerentia tenuit ibidem per sex annos, & postea eam virginem castam patri ad Bohemiam remisit, & duxit in vxorem Mechtildam filiam Ludouici imperatoris ducis Bauariæ in Nornberg, anno Domini MCCCxxviii, de qua genuit quatuor filios, scilicet Fridericum, Balthazarum, Ludouicum factum episcopum in pluribus locis, & Guilhelmum; item duas filias, quarum vna duxit Fridericum Burggrauium de Nornberg, alia facta est Sanctimonialis in *Suzelitz*.

De captiuitate nobilium in Driuordia.

CAPVT VIIIC.

ANte illud tempus, anno videlicet MCCCXVII, imperator, socer Friderici Marchionis, iuit in Romam pro coronatione: & fuit ibi & in confinibus plus quam per annum, & genuit ibi filium, quem nominauit Romanum.

Eodem anno capti fuerunt Fridericus & Hermannus de Driuordia, per Fridericum de *Wangenheim*, & aduocatos Marchionis. Qui quia raptores fuerunt & foue-

bant, vnde ne occiderentur detenti sunt in Wangenheim, & plures cum eis. Alijante ducti sunt in Gotha, & suspensi. Qui autem superuixerunt, innumerabili pecunia data vix mortis supplicium euaserunt. Et aliquibus annis transactis, iidem de Driuordia nó cessauerunt à malis. Ideo Episcopus Moguntinus, Lantgrauius Hassiæ, marchio Misnensis, castrum & ciuitatem Driuordia obsederunt, & ceperunt anno Domini MCCCXXVIII.

Item anno Domini MCCC XXIX, Ludouicus imperator filium suum Ludouicum primogenitum fecit Marchionem Brandeburgensem.

De discordia inter Marchionem & Erffordenses orta de duobus Episcopis.

CAPVT VIIC.

ANno Domini MCCC XXX, mortuo Matthia archiepiscopo Moguntinensi, canonici elegerunt Episcopum Baldewinum Treuerensem, cui adhæserunt Erffordienses. Econtra dominus papa dedit Henricum de Veraneberg præpositum Bunnensem, & orta est discordia magna in diœcesi. Nam aliqui adhæserunt vni in Thuringia, & aliqui alteri: & fuerunt partes in terra & in ciuitatibus inter laicos & clericos. Et Erffordenses qui adhæserunt electo, habuerunt aliquos clericos qui adhæserunt dato à papa suspectos, & ceperunt eos, imo aliquos occiderunt: nec ad preces Balduwini Episcopi electi detentos in vinculis absoluere volebant: propter quod malum eos excommunicauit, & excommunicari fecit. Et Fridericus marchio contra eos & quam plures alios nobiles in Thuringia concitauit. Tandem aliquibus annis transactis, Erffordensibus in sua pertinacia manentibus, Fridericus marchio, ob fauorem Ecclesiæ Dei & Episcopi Moguntini, & ad mandatum imperatoris, collegit aliquē exercitum: & in Metilhusen villam venit, volens ibi sedere pro tribunali, & tanquam publicus hostis cleri & terræ ciues sententialiter condemnare. Sed ciues cum turma magna ciuitatem exiuerunt, & March. de iudicio fugauerunt. Propter quam contumaciam & proteruiam, cepit eos vndique persequi incendiis & rapinis. Hoc videntes, conspirauerunt cū comitib. terræ de *Keuernberg*, de *Wymar*, de *Buchelingen*, de *Rotenberg* qui eos iuuerunt. Et hi sentientes, se nimis à March. perurgeri, Erffordenses dimiserunt, & ad marchionem se cōtulerūt. Quod videntes Erffordenses aliunde ccc lanceas conduxerunt, & cum Hérico de Blāckenhayn capitaneo eorum ciuitatem exiuerunt, & villas marchionis circa *Neuenmarck*, *Botilstede*, *Gotha*, *Tungusbrucken* rapinis & incendiis destruxerunt. Tandem venerunt ad oppidum *Crauchfeld*, quod erat comitum de Schwartzberg, & ciuitatem incenderunt, & plus quam LX homines perierunt. Et post hoc ad propria Erffordenses sunt reuersi.

Nota, quod imperator Ludouicus in Warchberg, anno Domini MCCCXXXIII. & treugas fecit cum marchione Friderico, & cum ciuitatibus Erffordensi, Molhusensi vsque ad duos annos. His finitis ciuitas fuit obsessa, prout infra patebit.

De vento magno, & de obsidione ciuitatis Erffordensis.

CAPVT VIC.

ANno Domini MCCC XXV, ventus validus fuit, qui in ciuitatibus & villis, castris, campis & nemoribus, innumerabiles ruinas fecit. Eodem anno, Baldewinus electus Maguntinus intrauit Thuringiam contra aliquos nobiles qui adhæserunt suo aduersario, & obsedit *Tulstet*, & magnum populum posuit de voluntate Friderici de Wangenheim in Wangenheim contra Erffordenses, occulte sperans quod ciuitas Erffordia sibi per aliquot ciues traderetur. Cui Episcopo comes de Katzenelbogen debebat venire in adiutorium, & per aduocatos marchionis captus est cum omnibus. Et postea Episcopus videns traditionem ciuitatis non euenire ad effectum, concordauit cum marchione inimico Erfford. Et obsederunt ciuitatem, vbi fuerunt 16 principes congregati cum suis, & in circuitu fruges & segetes terræ defalcari fecerunt, & vineta succidi. Et multis hinc inde damnis ex vtraque parte factis: tandem peruenitur ad conflictum: & in *Bruleto* multi occisi sunt ex vtraque parte, & finaliter coacti sunt ciues pecuniam magnam dare marchioni & Episcopo Et eriā solutis à vinculis clericis, per ciues detentis, & facta pace, quilibet rediit ad propria.

Dē

De fundatione Cellæ sub castro Warchberg in honorem S. Elizabeth.

CAPVT VC.

ANno Dom. MCCCXXXI, Fridericus marchio ædificauit Cellam beatæ Elizabeth pro fratribus Minorib. sub castro Warckberg. Et eodem anno iuit in Angliã ad regem.

Anno Domini MCCCXLI, Fridericus marchio obsedit castrum *Neberet*, & oppidum incendio consumpsit.

De discordia inter marchionem & comites de Wymar & Schwartzberg, & de castris obsessis & destructis.

CAPVT IVC.

ANno Domini MCCCXLII, comes Hermannus de Wymar, & comes Guntherus de Schwartzberg erexerunt se contra marchionem. Et accidit, quod semel idem comes de Wymar esset in Erffordia in hospitio suo; & marchio pertransiens ciuitatem; Comes post eum clamauit, *Audi Friderice quo tendis tu?* Marchio vero respiciens dixit: Vere ego faciam hoc, quod tu vocabis me dominum tuum, & assumpsit sibi in adiutorium Erffordenses. Et infra quatuor annos quibus se ligauerunt; destructæ sunt per marchionem & Erffordenses curiæ bene muratæ, scilicet *Dyuorte, Cobenstet, Hordysleybin, Breytenherde, Artisleiben, Vuzeleibin, Kyrchem, Wenthusen*: & pincerna prædictæ curiæ vel castri captus est. Itẽ obsessa fuerũt castra ab eisdẽ, scilicet *Sedelhusen, Vipech, Hescler, Wyhe*, & istud oppidum igne succenderunt, & castrum ceperunt. *Vypech* vero erat comitis de *Wymar*. Item castra *Willerstet* & *Grysheim* destruxerunt. Item obsederunt castrum Dornenberg. Sed quia Erffordenses volebant illud destruere, sed Marchio restitit; ideo recesserunt de castro, & per solos Erffordenses obsessum est castrum *Tundorff*, & expugnatum est ab eis.

Item in eadem discordia, quia Guntherus de *Schwartzburg* residens in *Arnstet*, fuit adiutor comitis de *Wymar*, ideo ciuitas Arnstet fuit obsessa per marchionem ac etiam Erffordenses: & multa damna intulerunt ciuitati & villis. Erffordenses enim volebant, quod ciuitas caperetur & destrueretur. Marchio autem restitit, & inde recesserunt, & ciuitatem Erffordensem intrauerunt. Et fuit rumor, quod marchio necessitate compulsus deberet ire versus Mysnam. Hoc intelligentes comites vocauerunt plures nobiles amicos suos scilicet in adiutorium, & præcipitantes venerunt ad noua fossa ciuitatis Erffordensis; æstimantes dominum marchionem dudum recessisse, qui vix ad horam vnam ante hoc recessit. Et impetum fecerunt, prouocantes Erfford. exire. Et illi mittentes nuncium post marchionem, & exiuerunt ciuitate cum magna turma, & fugauerunt comites, ipsos insequentes vsque in villam *Egenstet*: vbi comites se verterunt, & conflictum cum Erffordensibus inierunt, & non longe erat marchio; qui Erffordẽsibus venit in adiutorium, & capti sunt duo comites de Schwartzberg cum multis armigeris, qui ducti fuerunt statim ad Erfordiã per aliquos. Marchio vero cũ Erfordẽn. insequebantur illos qui fugerunt, & plures in fuga ceperunt, deinde n õcontenti vsque Arnstet venerunt, & quiescere volentes, vbi & marchio creare milites volebat: & clamor magnus factus est in ciuitate. Et casu superuenit comes de Vernenberg, frater domini Moguntini, vocatus prius per comites, qui statim exiuit ciuitatem cum ducentis viris recentibus, & commissum bellum magnum. Et quia marchionis exercitus fuit fatigatus & lassatus: ideo perdiderunt multos, & occisi fuerunt nobiles, scilicet *Wetzelo de lapide* miles, Henricus de *Aroldshusen* miles, Theodericus de *Stentet*, & quamplures alii &c.

Et ex ordinatione diuina abbas sancti Petri, audiens cõflictum factum, & aliquos occisos in primo conflictu; misit monachos suos in curribus, vt adducerent occisos ad sepulturam monasterii sancti Petri. Et dum ibi irent in curribus, multi adhuc de ciuitate paulatim sequebantur, & aliqui adscenderunt currus, inter quos erant aliqui fistulatores. Et dum appropinquarent loco, vbi factus fuit conflictus, & vbi erat de facto, inceperunt fistulare. Quod audiens ille de Vernenberg, timens magnum populum aduenire, dedit fugam ad ciuitatem Arnstet: alias marchio cum omnib. suis fuisset captus: & sic redierunt multum lassati & læsi ad ciuitatem Erffordensem, vbi marchio mansit

per mensem, & in tantum percussus fuit, quod totum corpus suum fuit denigratum, non potens sedere vel iacere. Tandem per comites terræ compositio talis fuit facta, quod comes de Wymar & frater suus dederunt omnia bona sua marchioni, ciuitates, castra, ad manus suas. Quo facto, marchio reddidit eis omnia ad tempora vitæ solummodo possidenda: Orlamunde vero retinuit.

Eodem anno, videlicet MCCC, ciuitas Ysenach à porta sancti Nicolai vsque ad sanctam Catharinam incinerata est.

Molhusenses ceperunt comites de Reginstein.

CAPVT IIIC.

ANno Domini MCCCXLIII, Molhusenses ceperunt per conflictum comites de *Reginstein* & *Weringerade* cum multis militibus & armigeris.

Canonici Gothenses translati sunt.

CAPVT IIC.

ANno Domini MCCCXLV domina Elizabeth Marchionissa, mater Domini Friderici, ordinauit quod Canonici de Ordorff se transtulerunt in Gotham.

De discordia noua.

CAPVT IC.

EOdem anno, orta est magna discordia, inter Fridericum Marchionem, & Henricum comitem de Henneberg denuo qui prius discordauerunt. Et Henricus comes prædictus fuit adiutor comitum de Schwartzborg & Wymar. Sed cum obsessa fuit ciuitas Arnstet (vt dictum est) fuerunt compositi in Wassenberg, taliter quod filia comitis de Henneberg deberet ducere filium Friderici marchionis, & sibi addere cum filia Kuborg, & alias ciuitates & castra in Franconia. Sed postea marchio hoc retractauit propter certas causas, & inimicus comitis factus est, & emit contra ipsum castrum nominatum de *Lapide*, à dominis de *Saliza*, inter Ysenach & Breytingen, & castrum Scharffenberg comitis obsedit. Et fuisset expugnatum, si mater domini Friderici non impediuisset. Tandem compositi fuerunt amicabiliter. Et Fridericus filius Friderici marchionis duxit filiã comitis, & post mortem comitis recepit terram in Franconia.

Anno Domini MCCCXLVI, destructum fuit castrum *Cyrcsberg auff dem Hartze* per comitem de *Sundershusen*, & Erffordenses & Molhusenses & XIX raptores ibidem capti & suspensi sunt. Et Hermannus comes de *Stolberg* & Henricus de *Wertirde* milites decollati sunt.

Quomodo marchiones receperunt Orlamunde in potestatem eorum.

CAPVT C.

EOdem anno, marchio recepit in suam potestatem castrum & oppidum Orlamunde, libere dimittens alia bona ad tempora vitæ comitibus de Orlamunde vel Wymar: quia huc vsque illis quatuor annis durauit discordia, vt dictum est. Et isto anno compositio facta fuit.

De incineratione oppidi Saltza.

CAPVT CI.

EOdem anno, facta est discordia magna inter Dominum Moguntinum & Fridericum marchionem, propter quãdam seditionem inter nobiles fratres de Saltza, qui diuidentes suam paternam hæreditatem duo vendiderunt: partem suam in Saltza ciuitate domino Maguntino: alii vero suam partẽ marchioni. Dolose aũt actum est, quod castrum ibidẽ receptum fuit per aduocatum domini Maguntini, aduocato vero marchionis inde fugato, & simpliciter amoto. Propter quod ciuitas fuit per marchionem obsessa: & stantes in muro deponentes braccas fecerunt marchioni contumelias, & multa alia opprobria. Quod videns marchio, commotus præcepit, sagittari ignea tela in eandem ciuitatem: & ciuitas totaliter combusta est: & perierunt 16 sexagenæ hominum, & 18 non potentes habere exitum, quod placuisset marchioni: sed armigeri Episcopi hoc impediuerunt, & portas clausas tenuerunt; postea præfati principes cõcordati sunt, & ambo simul ciuitatem obtinuerunt.

De

De ficto Marchione Brandeburgensi &c.

CAPVT CII.

ANno Dom MCCCXLVII, obiit domina Mechtildis, vxor Friderici marchionis, & sepulta in monasterio Cellæ Mysnensis. Eodem anno obiit Ludouicus imperator, eiusdem dominæ pater, & sepultus est in Monaco.

Eodem anno, dux Saxoniæ, & Episcopus Magdeburgensis, & alii nobiles in Saxonia creauerunt vnum marchionem Brandeburgēsem, scilicet vnum molendinarium; dicentes, ipsum esse Woldemarum marchionem, qui ante xxv annos veridice mortuus fuit. Et hoc fecerunt in præiudicium Ludouici filii imperatoris à patre ibidē dato pro marchione: & postea inuentum fuit, esse deceptionē magnam. Quia illi qui hoc fecerunt & confinxerunt, terram marchiæ inter se diuidere iure hęreditario voluerūt. Quod aduertentes oppidani, & dominum terræ illum fictum expulerunt, & verū suum dominum scilicet Ludouicum cum fratribus suis filiis imperatoris reassumpserunt.

Comes Guntherus de Schwartzburg eligitur in imperatorem.

CAPVT CIII.

ANno Domini MCCCXLVIII, mortuo Ludouico imperatore, principes Alemaniæ & electores imperii se diuiserunt. Nam aliqui elegerunt Carolum regem Bohemiæ; alii vero, scilicet Henricus de *Verneburg* Episcopus Moguntinus cum certis electorib. & principibus elegerunt Guntherum de *Schwartzburg* comitem. Qui suffultus auxilio suorum amicorum collegit exercitum more regio, & obsedit ciuitatem *Francken-fort*: ibique per mensem expectans suum aduersarium, vt secum dimicaret pro imperio obtinendo, secundum legem super hoc datam. At ille, se subtrahente dolose & in confinibus Rheni latitante, cogitauit &c. Comes Guntherus ab omnibus suis proclamatur, vt rex Romanorum sed paruo tempore: post intoxicatus & videns se moriturum, ordinauit per interpositas personas, quod alius, scilicet Carolus fuit assumptus, data magna summa pecuniarum amicis suis loco expensarum.

De morte Friderici Marchionis.

CAPVT CIV.

ANno Domini MCCCXLIX, mortuus est Fridericus marchio Misnensis & Thuringiæ Lantgrauius, & sepultus est in Cella Mysnensi ordinis Cisterciensis, anno ætatis suæ XXXIX.

De Friderico tertio Marchione Mysnæ & Landgrauio Thuringiæ.

CAPVT CV.

FRiderico marchione Mysnæ mortuo, successerunt filii sui, scilicet Fridericus, qui duxit Catharinam filiam comitis de Henneburg; Balthazar, qui duxit filiam Burggrauii Ioannis de Nornberg; Wilhelmus qui duxit filiam marchionis de Marouia; & quartus scilicet Ludouic. factus est primo Episcopus Halberstadensis, deinde in Bamberg, tertio confirmatus in Episcopum Moguntinum. Idem Fridericus primogenitus inter fratres suos omnia dominia solus rexit circa xx annos, & regere cœpit, anno Domini MCCCL. Eodem anno, Iudæi per totam Thuringiam cremati sunt. Eodem anno flagellatores cum diuersis turbis venerunt de diuersis ciuitatibus & villis se flagellantes, & processionaliter incedentes cum cantu & vexillis. Sed postea per sententiam excōmunicationis deleti sunt, ex eo quod illam pœnam propria auctoritate pro peccatis cōtra statuta Ecclesiæ assumpserunt. Eodem anno fuit annus Iubileus, & Romam venientes absoluti sunt à pœna & à culpa. Eodem anno lupi scilicet *Meerwolffe* deuorauerunt homines.

De conflictu in Francia, & de morte regis Bohemiæ.

CAPVT CVI.

ANno Domini MCCCCLI, fuit conflictus in Francia cum rege Angliæ & Franciæ: in quo rex Angliæ habuit victoriam, & cepit regem Franciæ cum duobus filiis, & multos alios principes &c. In quo etiam interfectus fuit Ioannes rex Bohemiæ,

pater Caroli imperatoris, & socer regis Franciæ, & exeus cum quatuor militibus, qui sibi ferreis catenis annexi fuerunt cum multis aliis. Post conflictum regum Angliæ & Franciæ, Balthasar Lantgrauius Thuringiæ iuit in Angliam ad defendendum ipsum regnum & multis temporibus ibi durauit, & multa magnifica facta ibi fecit, & miles factus est, & glorioſe licentiatus per regem Angliæ, & meruit secundario vocari per prædictum regem.

Quomodo Carolus imperator intrauit terram Plisnensem cum Marchione.

CAPVT CVII.

ANno Domini MCCCLVII, Carolus imperator intrauit cum Marchione terram Plisnensem contra Rutenum de Plawen, id est *gegen den Russen von Blawe*: qui plura castra & oppida ad Bohemiæ regnum pertinentia sub nomine pignoris multis annis indebite sibi vsurpauerat. Aduocatos vero Ruteni tantus terror & timor inuaserat, quod castra dederunt salua vita quæ habuerunt sub cura sua, timentes quod sine periculo eorum defendere non possent: & fuerunt castra scilicet *Zugenrucken*, *Cryptes*, *Stein*, *Rauenburgk*, *Werde*. Propter quod idem *Russe de Plawen* suspicabatur de illis aduocatis, quod voluntarie tradidissent, ipsosque vocauit, & omnes in vnum horreum intrare compulit, & igne appositio ipsos concremauit, se vindicando & aliis aduocatis terrorem incutiendo.

De morte Guntheri de Schwartzburg & filii eius, & de discordia inter Marchionem & comites de Schwartzburg.

CAPVT CVIII.

ANno Domini MCCCLVIII, mortuus fuit filius Guntheri de Schwartzburg electi in imperatorem, cuius erat oppidum *Franckenhausen*, & media pars oppidi *Arnstet*: Et orta est magna discordia inter Fridericum Marchionem, & alios comites de Schwartzburg, patruos defuncti. Nam Marchio dixit, quod bona relicta iure hæreditario ipsius defuncti essent ad eum & ad fratres suos deuoluta, ex eo quod essent collatores & patroni. E contra dixerunt comites, quod cum patruo suo defuncto essent confœderati: sic quod quicunque inter eos esset superstes mortuo altero, ille deberet totam hæreditatem possidere. Tandem multis placatis & induciis generalibus habitis, Marchioni & fratribus suis scilicet fuerunt propinata tria millia marcarum argenti puri, & cum hoc tria castra, scilicet *Dorneberg*, *Wimperg*, *Griffenberg*, vt illi comites possent libere possidere bona relicta patrui sui: & sic sedata est discordia.

De destructione villæ Kindelbrucken.

CAPVT CIX.

ANno Domini MCCCLIX, orta est grandis displicentia inter Fridericum Marchionem, & Hermannum Comitem *de Bychelingen*, ex eo quod prædictus Comes minis grauauit rusticos villæ *Kindelbrucken* sibi impignoratæ, & ad Marchionem antiquitus pertinentis: quod villani notificauerunt Marchioni. Et hoc comes ægre ferebat, & cum adiutorio ciuitatum Erffordensis, Mulhusensis, Northusensis ipsam villam spoliauit rapinis & incendiis, & deuastauit, & plures rusticos cepit. Et hoc Marchio pro malo habuit, & comitem cum ciuitatibus ad rationem posuit. Tandem data aliqua summa pecuniæ Marchioni à ciuitatensibus, & vltimo Marchio dedit comiti aliquid, & villam retinuit.

De morte Elizabeth Marchionissæ.

CAPVT CX.

EOdem anno, obiit illustris domina, domina Elizabeth Marchionissa, residens in Gotha, mulier vita & Christiana religione strenua, ingenio sapientissima, animo & facto liberalis, cunctis virtutibus mundanis prædita, in consilio suprema, lingua diserta, pauperũ nutritia, religiosorum defensatrix, assidua pacis terræ Thuringiæ amatrix, atque fidelissima procuratrix, in cultu diuino diligentissima, & sepulta est apud fratres prædicatores in *Ysenach*.

Quomodo

Quomodo Marchio deuaſtauit Buchoniam.

CAPVT CXI.

ANno Domini MCCCLXI, Fridericus Marchio intrauit terram Buchoniæ contra abbatem Fuldenſem, quod fatue locutus fuit contra eundem Marchionem & Landgrauium Haſſiæ, & in illa parte quæ nominatur *auff dem Sande*, cepit caſtra *Northeim* & *Toſtorff*. Et ſimiliter Landgrauius Otto Haſſiæ cepit oppidum *Huneſeld*, & poſtea ambo principes conuenerunt in confinibus *Gerſtungen*, vbi abbas eos acceſſit, & petiuit gratiam eorum, & ſinguli eorum redierunt ad ſua.

De obſidione ciuitatis Ysleben.

CAPVT CXII.

ANno Dom. MCCCLXII, Ludouicus Epiſcopus Halberſtadenſis, frater Friderici Marchionis, cum exercitu magno obſedit ciuitatem *Ysleben*, & territorium hinc inde deuaſtabat contra comitem de *Manſfelt*, imponens ei, quod plura caſtra & bona ad Eccleſiam Halberſtad. pertinentia iniuſto titulo poſſideret. Et quia epiſcopus cum ſuo exercitu ſe recepit ad monaſterium *Sechaenbech* ordinis Ciſtercienſis & ibi refugium habuit; ideo poſt receſſum Epiſcopi comes conuentum monachorum intrauit, & omnibus rebus ſpoliauit abbatem, & monachos cepit, vinculauit, diuerſis cruciatibus ipſos tormentauit, & aliquos vt tyrannus maximus occidit.

Comites de Honſtein capti ſunt in Saxonia.

CAPVT CXIII.

ANno Domini MCCCLXIV, Comes de *Honſtein*, de *Reinſtein*, de *Weringerode* intrantes Saxoniam ad placitandum cum Epiſcopo Hildesheymenſi, & in via capti ſunt per aliquos nobiles Saxoniæ, & magnis pecuniis ſe redimebant.

De diſcordia inter Marchionem & ducem Albertum de Brunſwick.

CAPVT CXIV.

ANno Domini MCCC LXV, Albertus dux Brunſwicenſis, dictus de Saluia, moleſtauit vaſallos Marchionis Miſnenſis diuerſis modis, nec volens dimittere ad verbum Marchionis: immo blaſphemando dixit: *Terram meam ego bene teneam, etſi pluuiam daret Marchio.* Propter quam blaſphemiam & proteruiam Marchio Fridericus cum fratribus ſuis, ſibi cooperantibus Erffordenſibus, Molhuſenſibus, Northuſenſibus, & cæteris nobilibus terrarum ſuarum, collegit exercitum valde magnum, qualis ad LX annos non fuit ſimilis viſus, vt à ſenibus narratur in terra, & intrauerunt Saxoniam, & ceperunt caſtra *Hindenborck*, *Wynthuſen*, *Wenthuſen*, *Lichtenſtein*: quia idem dux fuit fautor raptorum, & ſe geſſit quaſi raptor. Et Marchio aduocatos ſuos ibi poſuit, villasq; circumquaque igne & ferro deſtruxit. Tandem à prædicto duce Marchio obſides recepit, & promiſit emendam, & conſimilia quæ prius fecerat, ſe amplius non facturum. Et ſic Marchio cum ſuis cũ gloria & victoria reuerſus eſt. Poſtea aliquibus annis tranſactis, cum Marchionis aduocati & ciues aliqui de Thuringia vellent victualia adducere caſtris obtentis in Saxonia, dux prædictus rupto fœdere & pace quam promiſit ſeruare Marchioni, omnes illos cepit. Propter quod Marchio & obſides ducis indignati multum. Et Marchio vocato Epiſcopo Moguntinenſi, & pluribus aliis principibus, exercitum magnum collegit: cum octo millibus armatorum redeuntium in Saxoniam prædictum ducem compulerunt, quod ſe compoſuit, & venire in Thuringiam, & non exire, niſi eſſet pacificatus cum Marchione: quod totum factum eſt. Eodem tempore Erfordenſes propter quendam olim officiatum dominorum de *Thamrode* & ciuem in Erfordia factum, & poſtea ab illis dominis captum & ſuſpenſum certis ex cauſis, cum magna turma ciuium exiuerunt, & oppidum *Thanrode* infra caſtrum ſitum incinerauerunt, quod diſplicuit Friderico Marchioni, & eis litem indixit. Poſtea placitis habitis & ciuibus victis, in curia imperatoris concordati ſunt, non ſine magna pecunia quam dederunt Erfordenſes.

Eodem tempore, Balthazar frater Friderici Marchionis intrauit ſecundario An-

SCRIPTO
RERVM
Germ. Tom. I.

gliam in adiutorium regis Angliæ contra regem Franciæ. Item Wilhelmus frater Friderici iunior arripuit iter versus Alsatiã cum pluribus principibus contra societatem malam de Britannia, & societas fuit fugata, & multi occisi. Anno Domini MCCLXVI, fuit terræmotus magnus in Molhusen, & in Ysenach durans quasi per dimidiam horam in hebdomada Pentecostes. Item circa idem tempus Balthazar frater Friderici March. in terra Orientali aduocatorum plura castra expugnauit & oppida obtinuit. Item Wilhelmus frater iunior eorundem in Misna plura castra & oppida expugnauit & obtinuit. Eodem etiam anno prænotato, comes Ioannes de Schwartzburg intrauit Franconiam contra episcopum Herbipolensem, & habito conflictu cum aduocatis Episcopi perdidit de suo exercitu LXXX militares & armigeros: & Theodericus de *Voltz Wizelesbin* cum aliis IX occisus est propter illorum redemptionem de vinculis. Idem comes magnorum debitorum nexibus implicatus compulsus fuit vendere castra sua, scilicet *Wassenburg*, *Lybenstein*, & *Schwartzenwalde*, & ciuibus Erffordensibus vendidit. Qui vna cum comite arripuerunt viam ad imperatorem; volentes ab imperatore prędicta castra in feudũ acceptare. Et in via per traditionẽ in fauorẽ March. Mysnę dux Bauariæ cepit eos, & recepit eis omnes literas & IX millia florenorum. Et postea dimisit illum de Schwartzburg sub illa conditione, vt reuocaret contractum factum, & castra venderet Marchioni pro XII millib. marcarum, quod & factum est. Et quia Erffordenses hoc attentabant in præiudicium dominorum Marchionum, ideo Marchio eis litem indixit, & prohibuit generaliter, ne victualia & alia necessaria eis adducerentur. Et cum sentirent penuriam & defectum; displicentiam deposuerunt cum summa pecuniæ, & reconciliati sunt Marchioni.

De discordia inter comites de Honstein & ciuitatem Northusen.

CAPVT CXV.

ANno Domini MCCCLXVIII, comites de Honstein cum cæteris comitibus & nobilibus terræ obsederunt ciuitatem *Northusen*, & castrum ædificauerunt ex opposito *Snabilborg* nominatum, & mutuo se læserunt incendiis & rapinis. Tandem Northusenses cum stipendiariis suis, volentes capere prædam ante oppidum *Heringen*; statim fuerunt ibi comites de *Honstein*, & exeuntes: & factus fuit conflictus, & captus est comes Henricus iunior de Honstein, ciuibus ignorantibus, quia ille, qui ceperat eum, ipsum esse comitem ignorauit: nec se comitem nominauit, sed Henricum de *Kelbeam*, & sic induciæ fuerunt sibi datæ, tanquam simplici militi. Quod percipientes patrui sui, scilicet alij comites de Honstein eum ceperunt, & nolebant quod se præsentaret arguentes hinc inde, pro & contra. Quo facto, Fridericus Marchio comites cum ciuibus composuit taliter, quod Northusenses abrenunciauerũt quicquid iuris haberent in comite capto, & super hoc addiderunt comitibus de Honstein mille & quingentas marcas pro damno, quod ciues intulerunt eis.

Wilhelmus Marchio cum imperatore.

CAPVT CXVI.

EOdem anno, Wilhelmus marchio iunior frater Friderici intrauit Lombardiam cum Carolo imperatore, contra dominum Mediolanensem, inimicum, & persecutorem papæ. Et cum aliquo tempore in confinibus illis domini cum maxima turma principum & nobilium Alamaniæ ibi stetissent, imperator corruptus pecunia (vt dicebatur) recessit, & papa Vrbanus minime de eo contentus fuit.

De oppido Sangirhusen.

CAPVT CXVII.

ANno Domini MCCCLXX, dux nominatus Magnus de Brunswig & de Luneburg habuit discordiam cum duce Magnopolensi. Et habitis conflictibus in simul, dux Magnus perdidit plus quam centum armigeros bonos. Propter quod malum compulsus est vendere *Sangirhusen* ciuitatem cum omnibus pertinentiis & iurisdictionibus in Thuringia, quam ciuitatem idem dux hæreditatis titulo habuit: & emerunt domini marchiones Misniæ. Eodem anno, nobilis dominus Albertus Burggrauius

grauius de *Kerchberg* interfectus est in Erffordia, per quendam ciuem qui eundem dominum inuenit cum vxore sua fornicantem Et ciues eundem interfectum decapitari publice cum iudicio foris ciuitatem fecerunt. Mulier autem obiit in captiuitate.

De liga quam fecerunt comites Thuringiæ cum ciuitatibus, & quomodo capti fuerunt iuxta hostem.

CAPVT CXVIII.

ANno Dom. MCCC LXXI, comites Thuringię cum ciuitatib. Erffordensi, Mulhusensi, Northusensi, confœderati sunt, & mutuo compromiserunt alter alterum iuturum contra eorum inimicos, & contra illos qui eos conturbare niterentur. Accidit, quod in Quadragesima exiuerunt cum magna turma contra illos de Honstein, qui frequenter eos turbabant, aliquando ciues, aliquando comites, & villas suas incendiis & rapinis deuastabant per quatuor dies. Interim dux Otto de Brunswig, circa Gottingen residens, collecto quodam exercitu, clam & cum illis de Honstein insidiose obseruans recessum illorum, & improuise ad tergum irruit in vltimos. Et clamore facto, primi volentes fugere. & diuidentes se in fuga, quasi omnes capti fuerunt, paucis euadentibus: & se magnis pecuniis liberauerunt comites & ciues, ita quod soli Erffordenses dabant pro suis captiuis duodecim millia marcarum, alij autem quilibet secundum suam facultatem. Et sic liga illorum comitum & ciuitatum humiliata fuit, & forte in bonum marchionis & terræ Thuringiæ: quia si fuissent prosperati, (vt multi iudicauerunt) nimis animosi de cætero fuissent.

De societate Stellarum.

CAPVT CXIX.

ANno Domini MCCCLXXII, surrexit vna societas, nominantes se Stelligeros, & portauerunt stellas. Quorum capitaneus principalis erat dux Otto Brunswicensis, & adhuc tres alii: Illi enim numero quasi duo millia, de Rheno, de Hassia, de Westphalia, de Saxonia, de Buchouia, de Franconia compromiserunt & iurauerunt, se velle mutuo defendere & potenter resistere tam principibus, quam aliis nobilibus vbilibet constitutis. Et inceperunt in Lantgrauio Hassiæ, qui non habuit hæredem, nisi filium fratris, non multum dilectum, quem exhæreditare nitebantur. Nam Landtgrauius Hassiæ obsedit castrum *Hertzburg*, inter *Hersfeld* & *Alsfeldt*, & vocauit in adiutorium Balthazar marchionem Mysnæ, fratrem Friderici, tunc extra terras existentem. Quod audientes illi de societate prænominata, congregati sunt de multis terris, in tanto numero, quod oportebat illos principes cedere de castro obsesso. Postea paulatim illi duo principes illam societatem infestabant, & castra eorum & villas sitas in principatibus eorum destruxerunt, & illam societatem dissoluerunt, & vix infra tres annos ita confuderunt eos, quod illi qui fuerunt in ea, verecundabantur fuisse de illis.

De discordia inter marchionem Mysna & Erffordenses propter Ludouicum fratrem dominorum.

CAPVT CXX.

ANno Domini MCCCLXXIII, mortuo Ioanne archiepiscopo Moguntino, canonici elegerunt Adolphum de Nassaw Episcopum Spirensem, dantes ei plenam possessionem & auctoritatem in temporalibus & spiritualibus. Papa vero Gregorius distulit confirmationem ad preces imperatoris Caroli, & prouisum fuit de Ecclesia Maguntinensi, Ludouico Episcopo Bambergensi fratre dominorum Marchionum Mysnæ, & confirmatus fuit: & alius electus per papam reprobatus. Canonici vero adhærentes Adolpho electo eorum, & similiter ciues Erffordenses, & rebellauerunt. Ludouicus vero Episcopus misit literas hinc inde. Et quia Erffordenses, eum refutauerunt, ideo eos cum omnibus adhærentibus eis in ciuitate excommunicauit. Et in ciuitate multi clerici & religiosi manserunt rebelles, & profanauerunt, multi autem exiuerunt, & manserunt extra, bene ad sex annos: de qua rebellione multa

mala peruenerunt in Thuringia, & Haſſia, & Eichsfeldia, quia nobiles & aduocati Epiſcopi Adolffi, in Eichsfeldia ſibi adhærentes, omnes ceperunt tam clericos quam Laicos, adhærentes Ludouico confirmato; & innumerabiles homines in vinculis mortui ſunt.

Deinde anno ſequenti Erffordenſes & comites terræ Thuringiæ, qui fuerunt in vna liga, videntes ſe poſſe habere adiutorium de Rheno contra Marchionem, & adhærentes fratri eorum Epiſcopo confirmato, vocauerunt Adolffum Epiſcopum, quod veniret, quanto fortius poſſet; ipſi vna ſecum vellent multa bona obtinere. Interim Marchiones inuenerunt vias, quod ciuitatem Salza cuius media pars pertinebat ad Eccleſiam Mogunt. obtinuerunt potenter pro fratre ipſorum. Epiſcopus Adolphus venit cum multis nobilibus, ſcilicet cum duce Ottone de *Brunſvvig*, cum comitibus de *Naſſaw*, de *Ziegenheym*, de *Waldeck*, & aliis de partibus Rheni, & per Eichsfeldiam venit in *Mulhuſen*, deinde in Erffordiam. Et ibidem etiam congregatis comitibus Thuringiæ, exiuerunt cum ciuibus Erffordenſibus, plures villas marchionis rapinis & incẽdiis deuaſtauerunt. Tandem obſederũt caſtrum *Gebeſe* per multos dies. Interim Marchiones congregauerunt exercitum magnum, & in adiutorium vocauerunt multos principes ſeculares & ſpirituales, & venerunt ex altera parte fluuii *Vnſtrut*, ex oppoſito caſtri *Gebeſe* & exercitus alterius, & indixerunt eis bellum. Quod audientes Erfordenſes territi ſunt, timentes ſi exercitus eorum ſuccumberet, ipſi ſolum damnum reciperent ineuitabile. Et cum audirent exercitum Marchionum facere pontes per fluuium *Vnſtrut*, qui non eſt equitabilis; dixerunt ad Epiſcopum Adolphum & ad alios, quod vellent recedere. Et ſic Epiſcopus Adolphus cum aliquibus Comitibus & cum Erfordenſibus fugam inierunt velociſſimo impetu ad Erfordiam. Et dux Otto cum Comitib. de *Honſtein*, de *Stolberg* cum *Mulhuſen* & *Northuſen* fugam inierunt verſus Mulhuſen: qui extraque parte inſecuti ſunt per exercitum dominorum Marchionum hoſtiliſſime. Poſtea domini Marchiones cum exercitu eorum circuibant ciuitatem Erffordenſem per quindenam, & omnes villas eorum per circuitum cum Eccleſiis & turribus deſtruxerunt. Quo facto ciuitatem obſederunt per ſex hebdomadas, concludentes Epiſcopum cum ſuis, quod exire non poterant ciuitatem. De quo multum verecundabatur, & ciuibus improperauit, dicens, ſe per eos deceptum, & multa ſibi dixiſſe, quæ deberent ei proũenire, & oppoſitum inuẽtum eſſet. Tandem venit imperator Carolus, dicẽs ſe veniſſe propter marchionem cum imperatrice, & cum filio ſuo rege Bohemiæ Wenzeslao, & pacem inter partes fecit, & aliqua pro pœna à ciuibus (vt dicebatur) accepta pecunia duxit exercitum in Thunha contra comitem de Glichen: & poſtea totus exercitus diſperſus eſt, & Epiſcopus Adolffus ſine gratitudine & confuſus receſſit cum ſuis, Erffordenſib. expenſis grauibus ſoluentibus inutiliter, anno Domini MCCCLXXV.

De diuiſione principatuum Thuringiæ & Miſnæ inter fratres.

CAPVT CXXI.

ANno Domini MCCCLXXVI, tres fratres marchiones Myſnæ, qui multis annis habuerunt tres principatus, quos ſenior Fridericus ſolus rexit, diuiſerunt terras, ita quod terram Thuringiæ in ſortem accepit Balthaſar; terram Orientalem Fridericus ſenior; & terram Myſnæ Wilhelmus.

Balthazar incepit regere terram Thuringiæ.

CAPVT CXXII.

BAlthazar frater Friderici, qui in diuiſione terrarum & principatuum accepit in ſortem Landtgrauiatum Thuringiæ, & duxit in vxorem Margaretam, filiam Ioannis Burggrauii de Nornberg. Hic genuit filium nomine Fridericum, & filiam quæ duxit ducem Saxoniæ Rodolphum.

De electione Wenzeslai.

CAPVT CXXIII.

ANno Domini MCCCLXXVII, electus eſt Wenzeslaus rex Bohemiæ, filius Caroli imperatoris in regem Romanorum, procurante hoc patre adhuc eo viuente apud electores imperii.

De

SCRIPTO
RERVM
Germ. Tom.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De receptione Carthusiæ in Ysenach.

CAPVT CXXIV.

ANno Domini MCCCLXXIX, Carthusienses receperunt conuentum in Ysenach extra muros. Eodem anno, ortum est heu maximum schisma in Ecclesia Dei, per duos qui ambo gesserunt se pro papa: quorum vnus sedit in Roma, dictus Vrbanus; alter in Auinione, & dictus Clemens. Quibus mortuis, quælibet pars elegit alium, & durauit XXXVI annis, vsque ad concilium Constantiense, in quo electus fuit Martinus. Eodem anno, castrum *Brandeburg* deuenit ad potestatem cum omni iurisdictione ad Lantgrauiatum Thuringiæ.

De morte Caroli imperatoris.

CAPVT CXXV.

ANno Domini MCCCLXXX, Carolus imperator mortuus est, cum regnasset potenter triginta ttibus annis.

De morte Friderici Marchionis.

CAPVT CXXVI.

ANno Domini MCCCLXXXI, obiit illustris princeps Fridericus marchio, ætatis suę anno LI, frater dominorum Balthazari & Wilhelmi. Cuius in diuisione principatuum successit in sortem terra Orientalis, scilicet marchionatus de Landisburg; relinquens tres filios ibidem successores; scilicet Fridericum, Wilhelmum, & Georgium, & sepultus est in Cella Mysnensi apud patrem suum.

Eodem anno non reuoluto, obiit Dominus Ludouicus archiepiscopus Moguntinensis, adhuc non admissus prouisor Ecclesiæ Magdeburgensis, olim Episcopus Halberstadensis & Bambergensis, & sepultus in Magdeburg, frater dominorum de Mysna, scilicet Friderici, Balthazari, & Wilhelmi.

De obsidione castri Brandenfels.

CAPVT CXXVII.

ANno Domini MCCCCXXXIII, Balthasar Lantgrauius Thuringiæ cum Erffordens. Molhusen obsedit castrum Brandenfels, vbi semper fuerunt raptores multis terris rapinis nocentes, & homines capientes, & multum humiliauit: & cepisset, si domini terrarum non obstitissent per interuentum suorum fautorum.

De morte comitis de Kefernberg sine hærede.

CAPVT CXXVIII.

ANno Domini MCCCLXXXV, comes de Kefernburg in peregrinatione Hierosolymitana mortuus est, nullum relinquens hæredem. Cui successit in comitatu & in omnibus bonis Balthazar Landgrauius Thuringiæ collator. Eodem anno natus est Fridericus primogenitus domini Balthazari.

De discordia inter marchionem Balthasarum & Hermannum Landgrauium Hassiæ.

CAPVT CXXIX.

ANno Dom. MCCCLXXXVI, orta est discordia magna inter Landgrauium Thuringiæ dominum Balthazarum & Hermannum Landgrauium Hassiæ. in qua Landtgrauius Thuringiæ cepit ciuitatem *Essenwege* & oppidum *Sunthra*. Anno sequenti, idem Balthasar intrauit iterato Hassiam cum Episcopo Moguntino, & cum Ottone duce de Brunswig, qui dicitur vulgariter *von der Leyne*, & ceperunt ciuitates, *Rotenburg*, *Milsungen*, *Niedenstem*, & plures alias ciuitates igne destruxerunt: & durauit prædicta discordia bene tribus annis.

De Liga ciuitatum imperii.

CAPVT CXXX.

ANno Dom. MCCCLXXXVIII, ciuitates imperiales in Rheno, in Sueuia, in Bauaria, in Franconia, ad inuicem conspirabant, facientes vnam ligam numero LXX, contra principes & dominos terrarum, & terras dominorum qui aliquando eos offenderunt. Et intrauerũt cũ magna multitudine populi, eas rapinis & incẽdiis deuastãtes; neq; religiosis aut locis cõsecratis parcẽtes; sed de ec. violatis calices & alia sacra inde auferẽtes.

SCRIPTO
RERVM
Germ. Tom. I.

propterquorum exceſſus nimios principes & domini commoti Dei adiutorio, quilibet dominus & princeps ciuitates vicinas ſibi infeſtabat ſupra modum, & illas ciuitates omnes humiliauerunt, & ligam dimittere compulerunt, & libertates quas domini & progenitores eorum aliquando ciuitatibus vendiderunt, perpetuo & conditionaliter reſtituerunt ſine pecuniis, imo pecunias dominis addiderunt. Eodem tempore Burggrauius de *Nornberg*, & Epiſcopus Herbipolenſis, obſederunt ciuitates eiuſdem ligæ, ſcilicet *Wintzheim* & *Rotenburg*: quibus dominis in adiutorium Balthazar Landgrauius Thuringiæ, & frater ſuus Wilhelmus Marchio Miſnenſis Fridericum filium miſerunt fratris cum ducentis lanceis, & humiliauerunt eaſdem. Et idem factum eſt de ciuitate Nornbergenſi, quæ multum fuit humiliata per Burggrauium Nornbergenſem, cui minime reſiſtere potuerunt.

Philippus Cardinalis fuit laudabiliter ab Erffordenſibus ſuſceptus.

CAPVT CXXXI.

ANno Domini MCCCXXXIX, Cardinalis Philippus de Allinkonia, Francigena, fuit in Erphordia per dimidium annum, & fuit legatus papæ, qui dedit illis Erphordenſibus propter honeſtatem eorum & prærogatiuam plura priuilegia, quibus ſe defendere poſſint ab æmulis. Eodem anno, mortuus fuit Adolphus archiepiſcopus Moguntinus in Heilgenſtat. Eodem anno, aduocati Landrgrauij ceperunt Gerhardum de Hartinburg, aduocatum generalem in Eisfeldia domini Moguntinenſis, cum LX armigeris prope Dorla.

Anno Domini MCCCXC, fuit annus nouus Iubileus in Roma abbreuiatus de LAnno in XXXIII, ſecundum annos vitæ.

De magna violentia facta in Gotha contra Iudæos à villanis.

CAPVT CXXXII.

ANno Domini MCCCXCI, quidam villani de villis prope Gotha, ex inductione aliquorum ciuium de Gotha, intrauerunt ciuitatem Gotha contra Iudæos, volentes ditari: & irruentes in eos occiderunt plures, & rapuerunt bona eorum. Quorum occiſorum quidam decapitati ſunt, & capitalem ſententiam ſubierunt, ex eo quod talem violentiam in præiudicium principis & ciuitatis attentare præſumpſerunt. Nota, quod rex Romanorum Wenzeslaus, filius imperatoris mortui in ſubſidium nobilium mandauit omnibus Iudæis, quod deberent reddere pignora gratis, & vſuram cum pecunia capitali remittere. Et hoc completum fuit in Erphordia, & in aliis ciuitatibus non ſubiectis principibus. Et ideo rumor factus fuit, quod Iudæi deberent moleſtari. Eodem anno Fridericus Marchio, filius Friderici fratris dominorum Balthazari & Wilhelmi Marchionis Miſniæ, intrauit Pruzſciam, & ibi in quodam bello cum Sarracenis habito miles effectus eſt, cum multis de Thuringia, Miſnia, nobilibus & militaribus.

De caſtro Heynecke.

CAPVT CXXXIII.

ANno Domini MCCCXCII, Balthazar Landtgrauius Thuringiæ erexit caſtrum *Heynecke*. Eodem anno comites de *Schwartzburg*, litigantes cum Friderico de *Wangenheim*, incenderunt villam *Sunneborn*, & ſpoliauerunt.

De obſidione caſtri Luchtenberg, & de diſcordia inter Marchiones iuniores, & comites de Schwartzburg, & Epiſcopum Herbipolenſem.

CAPVT CXXXIV.

EOdem anno, quidam ruſticus ſubditus dominorum Marchionum, Friderici, Wilhelmi, Georgii filiorum Friderici fratris Balthazari & Wilhelmi, volens ire piſcari, & captus eſt, & ſuſpenſus per Henricum de Paradiſo ciuem Erphordenſem, reſidentem in caſtro Luchtenburg, caſtrum illud habens ſibi impignoratum. Propter quod malum Marchiones iuniores prædicti caſtrum obſederunt. Et in caſtro exiſtentes fœminea mollitie caſtrum dederunt ad manus Marchionum. Quod quidem caſtrum Henricus comes de Schwartzburg filius Ioannis, cuius erat caſtrum iure hæreditario

ditatio repetiuit,ſed quia rehabere nõ potuit ſicut voluit;ideo poſt aliquos annos cum adiutorio epiſcopi Herbipolenſis patrui ſui, & aliorum militarium terræ Franconiæ, in contemptum & damnum prædictorum marchionum terram quam ex parte matris habuerunt in Franconia,ſcilicet Kuburg,inuaſerunt,& villas circumquaque incendijs & rapinis deuaſtauerunt,imo ſuę nobilitatis immemor nimis exceſſit,capiendo piſces de aqua, & de piſcinis,& deportauit. Qui quidem comes antequam rediret cum ſuis ad patruum ſuum epiſcopum, cuius officialis erat generalis, multos perdit armigeros de epiſcopatu Bambergenſi,quos petiuit pro illa expeditione. Et illos cepit aduocatus Koburgenſis, qui illos euntes inſecutus eſt. Hoc audiens prædictus comes multum territus, & præ dolore incidit in infirmitatem in Konigshouen,& mortuus eſt.

Poſtea domini marchiones inuaſerant terram eiuſdem comitis in Thuringia, quam pater adhuc viuens rexit,rapinis & incendijs deſtruendo. Et in Kuburg & in alijs caſtris eorum quæ habent in Franconia,ſtipendiarios poſuerunt contra epiſcopum & ſuos complices in eodem facto: & infeſtauerunt terram Franconiæ cum adiutorio comitis Henrici de Henneberg conſanguineo eorum, & multa damna fecerunt. Et fortuna ſemper arridente eis, plures nobiles ceperũt,qui magnis pecunijs ſe redimebant.

De obſidione caſtri Poppenhuſen.

CAPVT CXXXV.

ANno Dom.MCCCXCIII, Balthaſar Landgrauius Thuringiæ,& epiſcopus Herbipolenſis, & abbas Fuldenſis cum pluribus alijs nobilibus miſerunt ſuos ad obſidendũ caſtrum in Buchouia *Poppenhuſen*, contra illos de *Steinecken*. Sed fraude & dolo militariũ de Buchouia circũuenientes caſtrum nõ ceperunt: ſed maxime per machinas & iacula muros vndiq; deſtruxerunt,& quaſi inhabitabile fecerũt. Eodẽ anno,in octaua Paſchę,inchoatus eſt annus Iubileus in ciuitate Miſnenſi,ad preces dom. Wilhelmi marchionis Miſnenſis, & durauit ſub omni modo, ſub pleniſſima remiſſione omnium peccatorũ & pœnarum,ſicut in Roma tempore ſuo,vſq; ad feſtum S. Andreę apoſtoli.

De captiuitate regis Romanorum.

CAPVT CXXXVI.

EOdem anno, captus eſt Wenzeslaus rex Bohemiæ & Romanorum à dominis regni Bohemiæ,& detentus per dimidium annum,ſed liberatus per fratrem ſuum Ioannem magnis expenſis.

De magna aqua in Yſenach.

CAPVT CXXXVII.

EOdem anno, in die Pẽtecoſtes,hora completorij, facta eſt magna inundatio aquarum in Yſenach,verſus plagam Auſtralem. Et pertranſiuit conuentum Carthuſienſium,quaſi ad altitudinẽ hominis; & deinde deſcendit ad foſſata ciuitatis Yſenacenſis. Et non potens procedere,circuit ibi ad magnam altitudinem in tantum,quod murum ciuitatis deiecit & depreſſit: & cum impetu intrans ciuitatem ad plateam cerdonum, deponendo domus & multa deportando. Et cum ſuo impetu clauſit valuas portæ ſancti Nicolai: quibus clauſis cõgregabantur ibi in tantum,quod deſtruxerunt portam violenter, & multa pecora & ſupellectilia perierunt, & in campis inueniebantur.

Eodem anno fuit magna peſtilentia in Yſenach,& in Northuſen.

De diſcordia inter baronem de Heldrungen militem, & ciues Erffordenſes.

CAPVT CXXXVIII.

EOdem anno,nobilis baro Rudolphus de Heldrungẽ miles infeſtauit ciuitatem Erfordenſem, & villas eorum deſtruxit rapinis & incendijs, ruſticos capiendo & deducendo. Et ſatis glorioſe cum exercitu ſuo,ſcilicet cum ſexcentis lanceis viſus eſt ante ciuitatem ſine omni reſiſtentia. Poſtea in breui idem miles mortuus eſt,& frater ſuus adhuc iuuenculus tenuit guerram cum ciuitate vltra annum. Et etiam circa feſtum Paſchæ cum exercitu ſuo fuit in villis ciuitatis,& ſatis prope ciuitatem; ſibi tunc in propria perſona cooperante Friderico de Brunſwig, & aliquibus comitibus, ſcilicet de Honſtein,ſine omni reſiſtentia. Tandem guerra durante,& cottidie ex vtraque parte ſe lædentibus & capientibus,compoſitio fuit facta,per Fridericum ducem prędictum, reconciliatũ cum Erffordenſibus & nobilibus terræ in ciuitate Erfford,comite & duce de Heldrungen præſentibus,ſub anno Domini MCCCXCV.

SCRIPTO
RERVM
Germ. Tom. I.

Hæc discordia fuit propter certam mensuram vini, id est *ein eymer Weins*, annui census, quem censum Erffordenses prius dederunt, & amplius dare recusabant propter potentiam.

Anno Domini MCCCXCVI, fratres prædicatores in Erffordia celebrauerunt capitulum prouinciale cum anno Iubilæo, absoluentes aduenientes contritos & confessos ibidem, autoritate Dei & apostolica à pœna & à culpa.

De destructione villarum ciuitatis Erffordensis per Wilhelmum marchionem Misnensem.

CAPVT CXXXIX.

IN festo Natiuitatis beatæ Mariæ virginis, durante gratia per octauas, Wilhelmus marchio Misnensis cum exercitu magno villas per circuitum ciuitatis deuastauit rapinis & incendiis per sex dies, sine omni resistentia.

Eodem anno, quidam militaris de Lengenfeld cum suis consodalibus captus est per Erffordenses, & cum eisdem quantocyus decapitatus sine misericordia.

Eodem anno, castrum Balgenstet per Fridericum marchionem Misnæ & fratres suos obsessum & destructum.

De destructione castri Mansfeld.

CAPVT CXL.

ANno Domini MCCCXCVII, Fridericus filius domini Balthazaris Landgrauij Thuringiæ intrauit Franconiam, & destruxit castrum Mansfeld, & plures alias curias raptorum. Eodem anno Fridericus marchio terræ Orientalis & fratres sui litigauerunt cum comitibus de Honstein; mutuo se lędentes, & terras rapinis & incendiis mo- paestrunt. Tandem marchiones intrauerunt terras comitum cum magno exercitu; & facta est compositio, ita quod comites dederunt dominis marchionibus plura castra & villas, & è conuerso receperunt à marchionib. iure feudali in signum verę subiectionis.

Circa illa tempora marchio Wilhelmus comparauit castrum & ciuitatem Yberg in terra Orientali, & castrum Rosenberg in Bohemia situm.

De discordia inter dominum Herbipolensem & ciuitates suas.

CAPVT CXLI.

ANno Domini MCCCXCVIII, Gerhardus episcopus Herbipolensis, natione comitum de Schwartzburg Thuringiæ propter nimias expensas quas fecit pro patruo suo Henrico de Schwarzburg contra marchiones Misnæ, (vt dictum est) volens exactionare ciuitates & villas in diœcesi Herbipolensi. Sed se nimis hostiliter opposuerunt, & ab obedientia sua recesserunt, impugnantes eum, & nimis excesserunt in clerum & religiosos, collegia in Herbipoli canonicorum & Sanctimonialiũ destruxerunt & euerterunt funditus, castra in ciuitatibus eorum destruxerunt & deposuerunt. Tandem Deo vltionum tantam malitiam volente vindicare; accidit, vt ciues Herbipolenses cum aliis ciuibus aliarum ciuitatum rebellium obsederunt cœmiterium firmum vnius villæ Berchthem prope Herbipolim. Et duo canonici nobiles (quorum vnus baro de Winsheim) cum amicis suis paucis tantam multitudinem cum adiutorio Dei & S. Chiliani, patroni ecclesiæ Herbipolensis, inuaserunt, & plus quam duo millia ciuium ceperunt & occiderunt. Et sic episcopus fuit restitutus ad suam potentiam & obedientiam. Et postea murus ciuitatis Herbipolensis fuit depositus, & plures qui non fuerunt in bello occisi sententialiter.

Anno Domini MCCCXCIX, visæ fuerunt tres caudæ magnæ ignitæ cometarum prope Ysenach. Et eodẽ anno rex Anglię fuit miserabiliter interfectus, & dux de Monte cum magna militia fuit captus. Et magna discordia fuit inter ducem Brabantiæ & ducem Geldriæ ac Iuliacensem, in qua multi fuerunt capti & occisi.

Pro depositione regis Romanorum principes Alemaniæ conuenerunt.

CAPVT CXLII.

ANno Dom. MCCCC, electores imperij plures conuocationes habuerũt tam de principibus & regibus Franciæ, Angliæ, ciuitatum Italiæ, & omnium principum Alema-

Alemaniæ,contra regem Wenzeslaum Bohemiæ ac regem Romanorum mālitiosum & criminosum,& facta imperii minime curantē,& nimis negligentem. Tandem quatuor electores,scilicet Episcopus Moguntinensis,Treuirensis,Colonienſis,comes Palatinus Rheni,propria auctoritate(vt dicitur)absq; consensu & consilio papæ, & multorum principum Alemanniæ & aliquorum electorum, prædictum regem Wenzeslaum tanquam minime valentem pro rectore imperii deposuerunt; & Rupertum (is Rupertus fuit fundator collegii Sancti spiritus Heidelbergensis)ducē Bauariæ & Heidelberg elegerunt,secundum consuetum modum eligendi regem, & consueto loco; & cum eo obsederunt ciuitatem Franckenfort,per sex hebdomadas. Quibus finitis ipsum coronauerunt in Franckfort vna corona, & alia quam non poterant habere in Aquisgrani,coronauerunt eum solenniter in Colonia. Qui rex iter arripuit cum suis amicis versus Romam, & veniens in Italiam impeditus reuersus fuit ad Alemaniam absque confirmatione,vt infra patebit melius de processu eius.

De duce Brunswicensi interfecto.

CAPVT CXLIII.

EOdem anno,ante electionem regis,vocati fuerunt per electores iterum principes Alemaniæ in Franckforth,& (vt dicitur)non concordantes.Et in recessu de Frāckforth dux Fridericus de Brunswig fuit interfectus;& dux Saxoniæ Rudolphus fuit captus per comitem de Waldeck dolose,absq; diffinitione & signo inimicitiæ,verbis nec factis prius auditis & ostēsis:& cum iis fuerunt capti consiliarii & notarii domini Lādgrauii Thuringiæ. De quo malo archiepiscopus Moguntinus multa obloquia habuit per totam Alemaniam; imo maxime fuit suspectus, ex eo quod prædictus comes fuit suus aduocatus generalis:& oportuit,vt se excusaret in Marpurg rege præsente.

Von den Werwolffen.

CAPVT CXLIV.

EOdem anno,in territorio nobilium de Wangenheim,& in cōfinibus, lupi scilicet Werwolffe deuorauerunt pueros,& aliquos 15 annorum lacerauerunt, imo villas aliquas clara die intrauerunt, & pueros de ianuis domorum receperunt præsentibus parentibus,& deportauerunt.

Quomodo marchiones Misnenses Pragam obsederunt:& Fridericus Landgrauius Thuringiæ miles factus est.

CAPVT CXLV.

ANno Domini MCCCCI,marchiones Misnæ & Orientales, ac Fridericus Landgrauius Thuringiæ,intrauerunt Bohemiam cum magno exercitu, & ciuitatem Pragensem obsederunt per sex hebdomadas. In qua expeditione Fridericus Lantgrauius Thuringiæ miles factus est, cum multis aliis nobilib. de Thuringia & militaribus.

De morte Georgii Marchionis.

CAPVT CXLVI.

EOdem anno obiit illustris princeps dominus Georgius,marchio Misnensis& Thuringiæ Landgrauius,frater dominorum Friderici & Wilhelmi, princeps magnificus,iustus,strenuus,& deuotus:& sepultus est in Porta,& obiit in Koburg.

Eodem anno fuerunt magnæ indulgentiæ, imo apostolicæ in oppido Wissensee, quibus præsidebat quidam notabilis legatus à summo pontifice missus.

Quomodo Iudæi per totam Thuringiam fuerunt capti.

CAPVT CXLVII.

EOdem anno, Iudæi per totam Thuringiam in ciuitatibus Landgrauii Thuringiæ capti sunt,& exactionati.Eodem anno, castrum Scharffenberg per Landgrauium Thuringiæ fuit obsessum & expugnatum.

Eodem anno,magna discordia facta fuit inter Ioannem archiepiscopum Maguntinensem,& Hermannum Landgrauium Hassiæ,mutuo se multum lædentes : & durauit vltra annum.Et clerus in diœcesi Maguntinensi,in Thuringia, in Hassia, in Saxonia, appellauit contra Episcopum Maguntinensem,propter indebitam exactionem quam eis imposuit.

De Cometa viso.

CAPVT CXLVIII.

ANno Domini MCCCCII, visus est cometa multis diebus ante carnispriuium, quæ sursum tendebat ad modum lanceæ, in spissitudine trium pedum, aliquando plus, aliquando minus. Eodem anno, Landgrauius Thuringiæ comparauit ab abbate Fuldensi castrum *Gerstungen*. Eodem anno, obsessa fuerunt castrum Lychen in Eysfeldia, & in Buchonia castrum *Wigers*: sed nihil memoratu dignum ibi factum fuit.

De vento valido.

CAPVT CXLIX.

ANno Domini MCCCCIII, circa festum Pentecostes fuit ventus validus cum tempestate magna, quæ multa millia arborum in nemoribus radicitus de terra eiecit, & specialiter sub castro Wartpurg prope Yfenach.

Principes deuastauerunt terram Erffordensem.

CAPVT CL.

ANno Domini MCCCCIIII, Landgrauius Thuringiæ & marchio Misnæ cum pluribus alijs notabilib. princip. intrauerunt terram Erffordensem, ipsam multis rapinis & incendijs minus iuste deuastantes. Licet per Erffordensium potentiam effugati, tamen postea per stipendiarios ipsam impugnantes de Salza & de alijs castris: sed nihil obtinuerunt. Eodem anno, illustris & nobilis princeps D. Balthasar Landgrauius Thuringiæ & Misnensis marchio, inclytam dominam, D. Annam ducissam Brunswicensem, duxit in vxorem, relictam videlicet domini Friderici ducis Brunswicensis interfecti, vt dictum est. Eadem domina fuit soror domini Rudolphi ducis Saxoniæ, qui antea tenuit in vxorem filiam eiusdem Balthasaris domini Landgrauij.

De exactione generali in Thuringia.

CAPVT CLI.

ANno Dom. MCCCCV, dominus Balthazar per totam suam terram in ciuitatibus & villis generalem fecit exactionem, & magnam sibi acquisiuit pecuniam, quod vulgariter dicebatur *der Bere*.

De morte Balthasaris Landgrauij & alijs.

CAPVT CLII.

ANno Domini MCCCCVI, in vigilia Ascensionis Domini, obijt nobilissimus princeps dominus Balthasar, Landgrauius Thuringiæ, marchioq; Misnensis, in Wartpurg castro, & sepultus est in Reinhardisborn: cui successit illustris princeps Fridericus filius suus, natus de nobili domina, domina Margareta de Nornberg Burggrauia. Eodem anno, fuit eclipsis Solis generalis in die sancti Viti, quæ fuit pro tunc quarta feria, circa horam septimam, & durauit quasi per dimidiam horam. Eodem anno, per totam Thuringiam fuit magna pestilentia, & durauit vsque ad festum Natiuitatis Christi: in qua multi homines vtriusque sexus in peste obierunt: & etiam multi prælati, episcopi, abbates, comites & barones, milites & militares percussi fuerunt peste.

Quomodo dominus Fridericus duxit vxorem.

CAPVT CLIII.

ANno Domini MCCCCVII, obijt illustrissimus princeps dominus Wilhelmus marchio Misnensis, frater dominorum Friderici & Balthasaris. Eodem anno, dominus Fridericus, filius domini Balthasaris, Landtgrauius Thuringiæ & marchio Misnensis, duxit in vxorem dominam Annam, filiam domini Guntheri de Schwartzborg comitis, quæ alias desponsata fuit filio Philippi de Nassowe comitis.

Eodem anno, fuit ventus validus circa festum sanctæ Catharinæ, qui multas arbores & domus euertit. Item circa festum sanctæ Elizabeth, quasi in die eiusdem incepit hyems intensa frigoribus, qualis in 100. annis creditur fuisse: & durauit vsque ad festum Purificationis.

De Com-

SCRIPTO RERVM Germ. Tom. II.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Gunthero comite de Schwartzburg.

CAPVT CLIIII.

ANno Domini MCCCCVIII, dominus Guntherus de Schwartzburg comes, pater D. Annæ vxoris Friderici Landgrauij Thuringiæ, eundem taliter flexit in suam voluntatem, vt non terram, verum & dominum Fridericum prædictum ita rexit, quod nec ad patruos suos, videlicet dominum Fridericum & dominum Wilhelmum, venire nec ire poterat; nec ipsi ad eum; nec ciues ciuitatum suarum, nec literę missę ad eum; verum impotens ad omnia deinceps ad multos annos. Eodem anno, venerabilis pater & dominus, D. Nicolaus Lubich Ysenacensis electus fuit in episcopū Merseburgēsem.

De societate Tritarum, id est Flegellern.

CAPVT CLV.

ANno Domini MCCCCXI, marchiones Misnæ & Orientales, atque Landgrauius Thuringiæ, vna die atque vna hora ceperunt Iudæos in Misna & Thuringia, & vinculis tradiderunt, & bonam summam pecuniarum ab eis exquisiuerunt.

Eodem anno incepit societas Tritarum, id est *der Flegelern*, quorum capitaneus fuit ille de Schwartzburg, & comes de *Heldrungen*, qui vna noctium clam intrauit castrum Honstein, & cepit illos de Honstein, vt infra patebit.

Quomodo domini de Mysna terram Thuringiæ, & patruum suum iuuerunt.

CAPVT CLVI.

ANno Domini MCCCCXII, maldrum tritici Erphordensis mensuræ VIII. sexagenas grossos, & vnaquæque mensura terræ Thuringiæ illam sequebatur.

Eodem anno, Guntherus comes de Schwartzburg, pater vxoris Friderici iunioris, terram Thuringię humiliare volens; ideo partem regi Bohemiæ, partem Landgrauio Hassiæ & episcopo Moguntinensi, vendere volebat in præiudicium dominorū de Misna: prout tūc præsumebatur ab omnibus, videlicet, Friderico & Wilhelmo patruis suis qui naturales hæredes fuerunt, vt supra patet. Ob quæ Fridericus senior marchio Misnensis & Orientalis, ac frater suus Wilhelmus, quia copiam patrui sui habere non poterant: nec literę eorum ad manus suas peruenire poterāt, (vt supra patet) Friderico de Wangenhein duce vsque in Wangenheim peruenerunt cum exercitu satis bono, sexta ante festum S. Mariæ Magdalenæ: & non poterant habere introitum cuiuscunq; ciuitatis Thuringiæ, propter inhibitionem illius de Schwartzburg & ordinationem. Nam & omnes ciuitates Thuringiæ cum sigillo D. Friderici iunioris sub pœna decapitationis ciuitatis inhibuit, ne eos immitterent. Tandem Spiritu S. duce qui omnia in finem bonum ordinat, dominus Wilhelmus de Erphordia veniens, applicuit ciuitati Gottensi, vbi portæ (sicuti in alijs cæteris ciuitatibus fiebat) armata manu custodiebantur, ne intrarent: intrare temptauit & intrauit; propria manu catenam portæ aperuit; soluśque vsque ad oppositum ecclesiæ S. Margaretæ venit: ibique à proconsulibus arrestatus vltra procedere non audebat: sed communitas aduenies eum recepit. Et in sequenti die Consistorium ascendit, & causam sui aduentus ciuibus exposuit: quod in salutem patrui sui venisset & totius terræ Thuringiæ; quod & eis placuit. Et exinde ad alias ciuitates venit, & primo Ysenacum, quinta post festum Iacobi, vbi similiter introitus sibi denegabatur. Et tandem cum paucis intra duas portas S. Nicolai stetit, vbi concordauit cum ciuibus in priorem conclusionem Gotthensium, & immissus fuit; fratre suo Friderico adhuc in Wangenheim expectante eum. Et sic de alijs ciuitatibus Thuringiæ. Sed finis sequebatur bonus.

Quomodo Heldrungen capitur, & baro eiusdem exhereditatur.

CAPVT CLVII.

EOdem anno, comes de Heldrungen dictis dominis & principibus Friderico & Wilhelmo se opposuit, ex illa liga Tritarum videlicet *der Flegellern*, & comitem Henricum de Honstein nocte in castro Honstein cepit & castrum, filio suo euadente nudo: & vsq; ad dominos Fridericū & Wilhelmum peruenit, & ab eis auxilium petiit.

Et quia idem comes iam dictis principibus obedire recusauit, castrum eius obsederunt videlicet Heldrungen, & ceperunt cum omnibus attinentijs suis, & eum comitem exhæreditauerunt viriliter & manu forti, & in recompensam Henrico comiti de Honstein iure hæreditario assignauerunt. Eodem anno, milites & militares & ciuitates omnes Thuringiæ de consensu domini Friderici iunioris homagium fecerunt prædictis dominis iure hæreditario.

Hic concilium generale totius ecclesiæ celebratur in Constantia.

CAPVT CLVIII.

ANno Dom. MCCCCXIIII, incepit generale concilium in Constantia Maguntinensis prouinciæ, cui præsidebat tanquam principale caput, dominus Ioannes papa XXIII. Et anno Dom. MCCCCXV, idem papa in die S. Benedicti clam & in habitu dissimili recessit de Constantia vsq; in Schafhusen, ex eo quod promiserat propter vnionē & schismatis fugationē papatum resignare: propter quæ & alia fore facta à papatu fuit depositus, & quasi per annū turris custodiæ mancipatus. Et post hoc cardinalis factus, & in breui mortuus Florentiæ. Et sic etiā alij duo de papatu prætendentes, vt puta Gregorius, Angelus videlicet de Corrario à suis nominatus, & Benedictus alias Petrus de Luna, de papatu fuerunt deiecti. Et Martinus V. vnanimiter & concorditer à cardinalibus & toto cōcilio fuit electus in papam, anno Domini MCCCCXVII. Eodem anno videlicet XVII, à loco concilij recessit. In quo quidem concilio fuerūt patres multi, quasi innumerabiles episcopi, abbates, doctores, ambasiatores omnium regū & regnorum, & ciuitatum, & vniuersitatū, qualis multitudo & congregatio ab initio mundi non creditur nec legitur fuisse. Namq; & Sigismundus Romanorum rex, natione Bohemus & Vngariæ rex, tanquam catholicus ecclesię aduocatus, & magnus vnionis zelator, & ibi præsidebat. Eodem anno, captus fuit ille de Reinstein per episcopum Merspurgensem ante dictum: & dedit magnam summam pro liberatione. In eodem namq; concilio quidam hæresiarcha Iohannes Hus dictus, cum alio cuius nomē erat Hieronymus, vt hæreticus, vel vt hæretici, fuerunt ad ignē condemnati, quia opiniones Wicleff cōdemnatas fouebant & sequebantur: & totum regnum Bohemię suis falsis doctrinis infecerunt, vt inferius clare patebit. Item in eodem concilio reformatio totius cleri in capitibus & in membris per multas cōstitutiones fuit facta. Et ad vltimum canon Missæ & reformatus extitit, qui in nihilum rediit papa electo & præsidente. Verum etiam ibi fuit senior Lādgrauius Thuringiæ D. Fridericus cum multis comitibus, baronibus, nobilibus & militaribus sumptuose atq; preciose; ita quod omnes Lombardi admirabantur de preciositate illorum. Et fecit ibi gloriam & honorem omnibus Teutonicis.

Incepit hæresis in Bohemia publice post concilium Constantiense.

CAPVT CLIX.

ET nota, quod immediate post concilium Constantiense, audita Bohemis condemnatione & incineratione illorum duorum iam dictorum hæreticorū, publice incepit pullulare hæresis & infectio totius regni Bohemiæ. Verum quia extunc insultauerunt suis malis blasphemationibus & friuolis in Christi nomē & in seruos Dei, irruentes in eos multos diuersis cruciatibus occiderunt; & omnia monasteria quorumcunq; ordinum funditus euellebant, & destruxerunt; imagines q; Sanctorum confregerunt, & combusserunt, calices, & omnia ecclesiastica ornamenta in vsus prophanos verterunt: & sic à nobili vsque ad vltimum rusticum totius regni Bohemiæ à fide catholica declinauerunt, cum magna cæde & strage cleri & religiosorum vtriusq; sexus, nomen Christi confitentes. Quapropter anno Domini MCCCCXVII, domini Misnenses atque Landgrauij Thuringiæ, tanquā veri catholici & boni æmulatores & zelatores fidei visceraliter commoti, magnum collegerunt exercitum nobilium & militarium; nomen Christi corpore & anima defendere volentes, vsque Pragam peruenerunt, & eandem obsederunt, & multos strenuos viros ab hęreticis interemptis perdiderunt, & sic sine fructu inde recesserunt. Attamē Pragam cepissent, si Sigismundus Rex Romanorum non obstitisset. Qui (vt dicitur) auditus fuit dixisse, *Nostrates sunt quos perditi*: quia fortasse regnum Bohemiæ libenter cum pace habuisset. Quia ipse verus fuit hæ-

res

res ab vtroq; parente ad hoc genitus: sed Bohemi eum in regem nolebant habere, sed alium Ribaldum institutum & rusticum natum in regem erexerunt. Quapropter papa Martinus anno xx. cõtra eos crucem dedit, & generale indixit passagium cum magnis indulgentijs per quendam cardinalem, legatum à latere ad hoc negotium specialiter deputatum. Ob quæ tam superiores quam inferiores partes Alemaniæ, ob prædicationem crucis fidem Christianorum & Christi nomen volentes defendere, ad arma cucurrerunt. Et quasi multitudo innumerabilis hominum diuersarum regionum in Bohemia contra hæreticos conuenit. Et quasdam obsidentes ciuitates, & specialiter *Satzit*, aliasque villas, rapinis & incendijs deuastauerunt, & ad vltimum sine omni magnifico actu ad propria redierunt, multos tamen ex vtraq; parte occisos relinquentes: paucis tamen castris obtentis. In quadam congregatione exercitus fuerunt episcopi, Maguntinensis, Colonien sis, Leodicensis, in proprijs personis, & multi alij prælati ecclesiæ cum suis armigeris. Post hæc dominus Landgrauius Thuringiæ, Fridericus videlicet & patrui, tenuerunt sumptuose stipendiarios, vsque ad xxv. annum contra hæreticos prædictos. Attamen ipsi hæretici post reditum dominorum castra & ciuitates atrociter inuaserunt, quæ vix, imo cum Dei adiutorio tenuerunt.

De exaltatione Friderici marchionis in ducem Saxoniæ.

CAPVT CLX.

ANno Domini MCCCCXXIIII, dominus Fridericus senior marchio Misnensis emit ducatum Saxoniæ, & dux Saxoniæ ab omnibus proclamatur.

De morte Wilhelmi Marchionis.

CAPVT CLXI.

ANno Domini MCCCCXXV, obijt illustris princeps dominus Wilhelmus, marchio Misnensis atque Landgrauius Thuringiæ, frater Domini Friderici senioris, princeps strenuus, prouidus, consilijs maturus, sexta ante diem Palmarum in Wida, & sepultus est in Aldenberg in ecclesia collegiata noua, quã ipse ædificauit atq; dotauit.

De conflictu contra Bohemos & multorum interfectione.

CAPVT CLXII.

ANno Domini MCCCCXXVI, Dominica quarta post festum sanctæ Trinitatis conuenit maxima multitudo Thuringorum atque Misnensium, contra Bohemos qui obsederunt ciuitatem *Vßig*. Vnde & Thuringi & Misnenses volentes eos pellere de ciuitate, & sic inierunt conflictũ magnum. Et Thuringi fuerunt primi in acie belli. Sed quia per ordinationem exijt clamor mirabilis, quod omnes Christiani deberent inire fugam, quod & fecerunt. Et illam subordinationem fecit dominus Bossæ vicedominus, vnde & illa fuga tam grandis erat, quod nullus alteri acquiescere volebat. Et in fuga interfecti fuerunt 7000. virorum ab vtraque parte, & signanter de multitudine Thuringorum plures ceciderunt, quia fuerunt magis animosi, resistere volẽtes aduersarijs: sed quia euaserunt, nec arma nec equos secum portare potuerunt. Hoc videntes Christiani exiuerunt de ista ciuitate, quod in bello succubuerunt, & incendijs eam deuastauerunt. Item de Saltza ibidem fuerunt interfecti CXIIII. viri. Subscripti etiam nobiles Burggrauius de Missen; comes de Schwartzborg iunior; de Schonberg; Hartenstein; Pincerna de Domi iunior; Russe *von Gretze*; comes de *Querwart*; comes Ernestus de *Glichen*; Fridericus de *Glichen* comes; Fridericus Bichilingensis; Otto *Pflug* iunior & frater suus; duo filij domini Nicolai *Pflug*; dominus Ioannes de *Baldaw*; Vitus & Gotze de *Wulfürdorff*; *Bosse Schenck de Thutenberg*; dominus Iacobus de *Wangenheim*; Dietricus *Wuzleubin*; *Ludwig von Buchenis*; *Ludwig von Erstete*; *Apel von Brise*; *Apel von Staterheim*; & vnus de *Gregeberg*; & plures alij militares & nobiles.

Etiam tali tempore tantus calor extitit: ita quod bene tot ex nimio calore perierunt, sicut per hostes interfecti fuerunt.

FINIS HVIVS LIBRI.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

HISTORIA SECVNDA, VEL ANNALES POTIVS BREVISSIMI DE VETERVM THVRINGIAE LANDGRAVIORVM ORIGINE, nuptiis, liberis, rebus gestis, & summatim de omnibus.

PRÆFATIO.

HENRICVS primus rex de genere Saxonum. Otto filius eius imperator primus, Otto secundus, Otto tertius. Item Henricus Bambergensis Bauariæ dux, secundus rex, & primus imperator, Claudus dictus. Hic obiit absque filiis: qui erat ex genere Francorum & Carolorum: qui habuit neptem, scilicet filiam sororis suæ, nomine Gysilam quæ coniuncta est Conrado Spirensi, dicto Salico qui erat de genere Salicorum. Hæc Gysila habuit quendam consanguineum de genere Caroli & Ludouici, nomine Ludouicum cum Barba, qui genuit Ludouicum fundatorem nostræ Ecclesiæ. Qui Ludouicus comes genuit Ludouicum primum principalem comitem Thuringiæ. Qui & ipse genuit Ludouicum secundum Landtgrauium, qui accepit sororem illustrissimi imperatoris Friderici nomine Iuttam, & genuit ex ea serenissimum filium, pium Ludouicum tertium Landgrauium, & fratrem eius Hermannum palatinum Saxoniæ.

Porro Hermannus Lantgrauius, accepta coniuge *Sophia* palatina, suscepit ab ea duas filias; quarum prima fuit coniuncta marchioni Mysnensi Dytherico; secúda *Hedewigis*, quæ fuit coniuncta comiti Alberto de Alsatia. Item Hermannus Landgrauius accepit Sophiam filiam ducis Bauariæ, & suscepit ab ea filium nobilissimæ indolis, Ludouicum Landgrauium sanctæ Elizabethæ maritum, & fratres suos. Qui suscepit ab ea Hermannum iuniorem Landgrauium, & filiam nomine Sophiam, quæ tradita est duci Brabantiæ. Qui genuit Henricum Hassiæ Landgrauium. Qui Henricus genuit Ottonem. Otto genuit Henricum iuniorem Landgrauium, & fratres eius, Balthasarum, & Wilhelmum & Ludouicum.

Conradus Spirensis genuit ex Gysila Henricum tertium regem, & secundum imperatorem. Henricus tertius genuit quartum. Quartus genuit quintum, & sororem suam Agnetam, quam Fridericus dux Sueuiæ accepit in vxorem, & genuit ex ea Conradum tertium regem, & Fridericum. Fridericus genuit Fridericum primum imperatorem, & Iuttam Landgrauiam, quæ nupsit Landgrauio Ludouico secundo. Fridericus ipse genuit Henricum Sextum regem. Henricus imperator genuit Fridericum secundum imperatorem. Qui Fridericus habuit filiam, quam Albertus Landtgrauius accepit, & genuit ex ea tres filios, Hēricum Landgrauium. Fridericum Marchionem, Theodericum Landgrauium. Fridericus Marchio genuit Fridericum Landgrauium & Marchionem. Hic accepit nobilissimā filiam imperatoris Ludouici, susceptique ex ea filium nomine Fridericum.

Vt autem dictum est, Dythericus Misnensis Marchio, accepta Iutta filia Hermanni, & sorore Ludouici Lantgrauii, suscepit ab ea filium Henricum marchionem Misnensem. Qui Henricus genuit duos filios, Dythericum Misnensem, & Albertum Landgrauium. Albertus, vt dictum est, genuit Fridericum & fratres eius. Item, Fridericus genuit Fridericum Landgrauium & marchionem Misnensem, & ille genuit iuniorem Fridericum.

De genere Caroli.

Notandum, quod genus Caroli non ex toto finem habuit, vt dicitur, sed tantum à Romanorum regno finem accepit. Nam (vt in Chronicis inuenitur) omnes reges Francorum

Francorum & Germanorum, sed & principes, duces & comites istarũ prouinciarum, scilicet in Thuringia, in Bauaria, in Franconia, in Pannonia, in Carinthia, in Bohemia, in Morauia, in Sueuia, in Saxonia, in Frisia, in Lotharingia; sed & omnes nobiles Alamanorum originem duxerunt à genere Carolorum. Nam & Cõradus imperator Salicus dictus genus duxit à nobilibus Romanorũ, scilicet ab Ænea, & posteris suis, & vxor eius Gysila originem habuit à nobilibus Francorũ, & à Priamo Troiano. Vnde factum est, vt Henricus filius eorum dictus Niger, tertius rex & secundus imperator, omnem illam nobilitatẽ, scilicet Romanorum Troianorũ, in se haberet, & omnes posteri eius.

ANNALES VETERVM LANDGRAVIORVM THVRINGIÆ.

FRant duo fratres Germani ex Francis oriundi cis Rhenum, de elegantissima stirpe regum Francorum Caroli & Ludouici, consanguinei Gysilæ imperatrici s; Hugo comes, & Ludouicus cum barba, qui propter faciem barbatam & comæ nutrimentum seu ob aliud augurium Ludouicus cum barba vocatus est. Hugo comes ob diuitias nulli seruire voluit, nisi Fuldensi & Moguntinensi principibus. Quo mortuo, filius eius Wigmannus hæreditatem sortitus est. Is in Moguntia occubuit: omnia sua ad Ludouicum deuoluta sunt.

Ludouicus cum barba cum 12. militaribus viris veniens Thuringiam, in confinio syluæ Loybe, inter montem Kaltheberg, & Aldenberg, & Cornberg, indutus μίλας, quasi peregrinus habitare cœpit. Qui contẽtus habitatione loci, ab incolis terræ illius Bysone scilicet de Glychen, & Gunthero de Keuerberg comitibus, alijsq; nobilib. viris, prædia aliqua precio comparauit, villam Aldenberg, aliaq; prope adiacentia. Inde ex permissione regis Conradi iuxta Loybe in monte Sowenburg munitionẽ erexit, & inexpugnabile castrum constituit, & plurimã partem syluæ per largitionem regiam accepit, in qua nostræ Reinhersbornensis possessionis termini. Postea accepit in coniugem matronam nobilissimam de *Sangerhusen*, Cæciliam nomine de Saxonia, quæ ad cum septem millia mansorum cum innumerabilibus mancipijs ex hæreditaria successione deuoluit: per quam suscepit duos liberos, Ludouicum & Beringerum comites, & tres filias, quarum prima Hildegardis, secunda Vta, tertia Adelheidis. Ludouicus patris sui & nominis & probitatis cunctorumque bonorum suorum hæres factus est.

Ludouicus iste, comes fundator nostræ ecclesiæ, comparauit Sangerhusen cum suis pertinentijs à filio fratris sui Conradi *Hainstein*, anno MLXI. Deinde anno sequenti desponsauit sibi filiam cuiusdam ducis Saxoniæ Vdalrici, vxorem Friderici comitis Palatini Saxonum, & suasu mulieris virum venabulo confixit, sepultum in *Gorick*, quod cœnobium ipse cum fratre suo Bremensi episcopo construxit:

Hic expirauit Palatinus Fridericus,
Hasta prostrauit comes illum dum Ludouicus.

Hi versus continentur in loco vbi occubuerit iuxta *Schiplitz*.

Inde Adelheidam matrimonio sibi asciuit, quæ erat Vtonis marchionis de Stadin filia. Inde comes diuitijs ampliatus, montem quem dicunt Warberg ascendit, & inexpugnabile castrum erexit. In partibus quoq; Orientis, in eis terminis in quibus fluuius Vnstent Sclauicæ Salæ toti per totum miscet vnionem, munitissimam vrbem, cognomento Nuwenburg, instituit.

Anno Domini MLXV, Adelheidis consors Ludouici comitis suscepit ab eo Ludouicum Landgrauium, huius nominis primum in Thuringia principem, Henricum primum Raspen, Hermannum qui obijt in vinculis, in castro Hamerstein, & Vdonem Cycensem episcopum. Habuerunt simul & tres filias; Cunigundam quæ nupsit Witzmanno comiti de Saxonia, qui ecclesiæ Kaldenbornensis fundator extitit; Cæciliam quam accepit Girlacus comes de Weldense; tertia Adelheidis Vdalrico comiti de Wymar matrimonialiter coniuncta.

Tandem iste Ludouicus, monitu vxoris & suasione Conradi monachi de Hilzenburg & primi Halberstadiensis episcopi Gysilberti, cœpit diligentius perquirere, vbi locum aptum monachis, & pro monasterio congruum inuenire posset. Vnde à quodam luti figulo, Reinhero nomine, prope fontem domunculam habente, (à quo

& post ille locus per compositum sortitus est vocabulum, scilicet à Reynhero & fonte, id est Reynhersborn) à villicisque villulæ didicit, omni nocte duo lumina clarissima, vnum vbi monasterium, & aliud vbi capella beatæ virginis post structa sunt, clarius reddendo apparere.

Anno igitur M L XXXV, comes Ludouicus tam felicis negotii exordia faciens, & res iuris sui sanctissimæ Dei genitrici Mariæ sanctoq; Ioanni Apostolo & Euangelistę de propria hæreditate sua offerens, locum scilicet qui Reynhersborn dicitur, situm infra syluam Leybam, vendidit in potestatem Gysilberti viri religiosi: vbi regali monasterio constructo, monachi iuxta regulam sancti Benedicti viuentes congregarentur. Idemq; comes de Hirsaugia viros religiosos, Ernestum priorem cum aliis 12 adduxit, qui Cluniacensium vel Hirsaugiensium ordinem inibi deseruirent. Inde 1 mansos & supra dictæ syluæ Leybe, id est in prouincia Franciæ Orientalis in villa Askefelt dicta, cum vinctis & mancipiis ac diuersarum vtilitatum appendiciis.

Deinde dedicata est maior Ecclesia in Reynhersborn à venerabili Episcopo Halberstadensi Stephano vel Herrando, in die Assumptionis beatæ Mariæ virginis, in honore Dei genitricis, sanctiq; Ioannis Euangelistæ & omnium Sanctorum, anno M X C V 11. Idem Episcopus anno M C II, 9 Calend. Nouemb. vita decessit, & in præfato monasterio ab archiepiscopo Moguntino Ruthardo honorifice terrę demandatus, in pace requiescit.

Anno Domini M C X, Ludouicus cum vxore sua Adelheida ac filiis eorundem, Ludouico, Hermanno, & Conrado tradiderunt cœnobio Ecclesiam cum suis appendiciis, in villa quæ dicitur Sangerhusen. Eodem anno obiit Adelheida Comitissa XV Cal. Nouemb. In die sepulturæ pro remedio animæ illius tradidit ad cœnobium Reinhersborn Ecclesiam quæ dicitur Sipplitz, cum omnibus ad eam pertinentibus, & nemore ibi adiacente.

Anno Domini M C X II, moritur quidam de Saxonia princeps Vdalricus, Ludouici comitis dudum gener, sed propter filiæ repudium inuisus. Vnde Sifridus Palatinus, Lotharius dux, Rudolphus marchio, Fridericus Palatinus, Wigbertus & Ludouicus comites, & nonnulli alii se ab obsequio imperatoris retrahebāt, quia ipse possessiones prædicti Vdalrici in ius regum conabatur adtrahere: quod & episcopus Halberstadensis, & Gerhardi præpotens vidua, violentiam imperatoris clamitabāt. Quadere Hermannus Ludouici comitis filius, & Fridericus Palatinus frater illius vterinus, in castello Tucher obsidentur. Et V 11 1 idus Iunii deditioni se cuiusdam Hogeri tradentes captiui abducti, sub potestate regis in vincula detruduntur. Sed Fridericus post annos duos resoluitur: Hermannus, duobus & plus in carcere transactis, flebiliter in castello Hamerstein 3 idus Iunii in vinculis moritur.

Ludouicus comes in villa *Thrutmundi* in potestatem Henrici regis pro acquirenda gratia, & propter captiuos filios sponte se contradidit, quem diu sub custodia tenuit, donec castrum *Warperg* in sua suscepit, deinde in dolo dimissus, & post captus, & demum post duos annos & nouem menses innexus à vinculis absoluitur, relictis pro se VIII obsidibus.

Anno Domini M C X VIII, Cunigunda filia comitis Ludouici, vxor comitis Wigmanni fundatoris Caldebornensis obiit.

Anno Domini M C X X VI, dedicatur capella sanctæ Mariæ, sancti Nicolai in Reinhersborn, à Cicensi Episcopo Vtone filio fundatoris.

Ludouicus fundatoris filius cum vexillorum festiua exhibitione imperatoria largitione primus Landgrauius factus, accipiens vxorem Hedwig nomine, suscepit ex ea secundum sui nominis Landgrauium, Henricum Raspen, Ludouicum de Thungesbrucken, & quatuor filias.

Anno Domini M C X I, Ludouicus primus principalis vel prouincialis comes, filius fundatoris nostri, pridie idus Ianuarii obiit, sepultus in Reinhersborn. Ludouicus secundus, accipiens legali copula Friderici imperatoris sororem Iuttam, suscepit ab ea Ludouicum pium tertium sui nominis Lantgrauium, Fridericum de *Cygenhain*, Henricum iuniorem nomine *Raspen* tertium, & Hermannum huius prouinciæ principem illustrem & comitem Palatinum, & Iuttam comitissam de *Rabinberg*.

Anno

Anno Domini MC LII, Conradus rex 16. Calend. Martij rebus humanis excessit, eiq; Babenberg regum more funebria explentur, ac Spiræ sepelitur. Cuius loco Fridericus Sueuorum dux media Quadragesima Franckfort in regem eligitur, & Aquisgrani die Palmarum regali benedictione sublimatur.

Post hoc, anno MCLXXII, comes præfatus Ludouicus in castro Nuenburg vita decessit. Corpus in Reinhersborn patrum suorum sepulturam transfertur, & à Wigmanno Meidenborgensi episcopo in media ecclesia ante altare sanctæ Crucis commendatur.

Ludouicus itaque tertius Landtgrauius prior natu principatum obtinuit. Erat enim illustris bello, sagax consilio, vir mansuetudine præcipuus: corpore fuit apprime decorus, statura procerus. Monasteria nimium extollebat, & ecclesiam Reinhersbornensem venerabatur. Eratq; benignus & beneuolus erga omnes homines, ita vt vulgo diceretur pius Ludouicus. Lucius tertius papa dedit priuilegium Reinhersbornensi ecclesiæ de iustitia & libertate omnium bonorum suorum, rogatu Ludouici tertij Pij Landgrauij; dedit & infulam abbati.

Imperatoris curia circa festum sancti Martini Erffordiæ habetur, vbi comes Hermannus, frater Ludouici Landgrauij, comes Palatinus Saxoniæ efficitur.

Ludouicus autem tertius, acer bello, ipso die quo auunculus suus imperator signum crucis superinduit, ipse quoque signatus est. Inde in Apuliam prouectus, perueniens Brundusium cum exercitu robusto ad partes Tyri transfretauit. Tandem in periculo constitutus Deum exorauit. Videns militē à longe rubeis vestibus indutum, niueo equo insidentem, cum vexillo rubeo dicentem, *In hoc vexillo vinces*, inde disparentem, credidit fuisse sanctum Georgium, quem multum venerabatur, & ecclesiam in foro Ysnacensi ædificauerat. Cum multi illud vexillum accipere vellēt quod Sigenhart dicebatur, id est victoriosum; solus princeps extraxit, & vsq; ad Saladini tabernaculum populos deuicit. Inde tamen, diem siquidem claudebat extremum, 7. calen. Nouemb. ossa licet cum maxima difficultate in Reinhersbornensem ecclesiam sepulta sunt.

Anno Domini MCC, natus est Ludouicus 5. Calend. Nouemb. quartus huius nominis Landgrauius, de matre sua Sophia, filia ducis Bauariæ, pius & benignissimus princeps, maritus scilicet Elizabethæ, pulcher aspectu, vultu decorus, pius, iucundus, qui ab infantia nec haletia comedit, nec cereuisiam bibit, vsq; ad diem mortis suæ. Hermannus Landgrauius, adhuc viuente Ludouico pio fratre suo, factus comes Palatinus Saxoniæ, Sophiam duxerat vxorem: de qua habuit duas filias, Iuttam & Hedwigen: & post mortem fratris adeptus Thuringiæ principatum. Inde à Sophia filia ducis Bauariæ suscepit Ludouicum quartum; & Hermannum qui obijt in Ysenach; Henricum qui primus in Regem Romanorum electus fuit; Conradum qui se obtulit ordini domus Teutonicæ; & duas filias, quarum prima Iringardis copulata Henrico de Anhalt; secunda Agnes coniuncta duci Austriæ.

Anno Domini MCCVII, Andreas in Vngaria rex, cuius vxor Gertrudis nomine, ducis Carinthiæ filia, filiam generis sui decus, Elizabeth nomine, accepit per genitu-
ram; quæ adhuc sugens vbera desponsata est Ludouico. Deinde missi ad Presburg ad regem Vngariæ, anno MCCXI, comes Meinhardus de Nueburg, & Gualterus de Vargila, dominaque Bertha Egelolffi de Bendeleiben, ad Thuringiam adduxerunt.

Ludouicus gloriosus princeps Thuringiæ, dignus consortio beatæ Elizabethæ, extitit mediocris staturæ: decens valde proceritas & glorioſi vultus serenitas. Erat pudicus, carne mundus, cunctis affabilis, ecclesiarum & cœnobiorum fidelis protector. Erat tunc sublimis Thuringorum prouincia, tanti principis nomine insignita, sanctęq; Elizabethæ meritis nominata. Beatissimus vero Ludouicus multa beneficia ecclesiæ Reinhersbornēsi præstitit, anno ab incarnatione Domini *. Ludouicus Landgrauius Elisabetham virginem castam duxit vxorem, coniunctus ei Dei nutu. Deinde peperit filium in castro Crucemburg 5. Calen. Aprilis primogenitum, cui nomen Hermannus aui sui imposuit, qui successor patris Lādgrauius fuit in Thuringia. Postea, proficiscente in Apuliam ad imperatorem Fridericum Pio Ludouico Thuringorum Landgrauio ad curiam Cremonensem, per totam Alemanniam suborta est caristia grauis: & fere duobus annis durans multos fame peremit. Imperator ergo, cum idem Landgrauius

bene ad placitum suæ voluntatis obsequium sibi præstiterat; contulit sibi iure feudi marchiam Misnensem & Lusiæ & terram Briseiæ, quantum expugnare valeret & suæ subijcere potestati. Moram autem faciente Landgrauio cum imperatore, nobilissima vxor eius Elisabeth, mirę deuotionis mulier, construxerat hospitale pauperum in pede montis Warperg, in quo locauerat XXVIII. pauperes. Insuper DCCCC. pauperes quotidie in aspectu eius per ministros suos de consolatione eleemosynarum reficiebantur. Tandem Landgrauius dimissus feria VI. venit ad Warpurg, vbi cum mirabili gaudio à sua vxore & matre Sophia susceptus glorioſissime; & tota terra resultabat. Cum autem dispensatores & œconomi apud principem causarentur de nimia effusione eleemosynarum; *Sinite*, inquit, *eam*, pijssimus princeps, *benefacere, & quæcunque vult pro Deo dare: vt Warpurg tantum & Neuenburg castra meæ ditioni seruate.* Ambulauit siquidem gloriosus princeps cum suis germanis fratribus dulciter, æqualiter & benigne, & egenis profi-cuam exhibens charitatem. Præcipue autem Conradum de Marcburg, qui prædicando velut clarum sydus in Alemannia profulsit, summo honore coluit. Deinde dux Austriæ filiam suam tradidit Henrico regi Romanorum cum solennijs nuptiarum: quæ nuptię solenniter celebratæ sunt in Norinberg, in fine Autumni. Erfordenses post Landgrauium rogantes, vt ad ipsos intrare dignaretur. Is acquiescens, Erffordiam intrans; à Burgensibus in multa gloria & iucunditate susceptus. Prius nunquam Erfordiæ fuit propter discordiam vsq; ad illud tempus. Eodem tempore nata est Ludouico filia nomine Sophia, quæ in Kitzing religionis habitum induens ibidem quiescit.

Anno Domini MCCXXVII, generale passagium ad terram sanctam factum, in quo & Fridericus Romanus imperator cum multa turba Cruce signatorum. Ludouicus quoque princeps Thuringiæ Christianissimus, habito cum domino Conrado Hildenmensi episcopo consilio, ab eodem cruce signatus est. Profectus igitur de sua ciuitate Smalcharden in die Ioannis Baptistæ ad partes transmarinas, vbi in Sicilia imperatorem reperit. In Natiuitate Mariæ Brunduſij, antequam nauem ascenderet, cœpit paulisper febribus inquietari. Ingressi deinde ciuitatem quæ Ottrant dicitur, imperatricem inuenerunt. Cœpitq; acrius febribus vexari. Accersito patriarcha Hierosolymitano Sacramenta accepit: deinde videns columbas albas se circumdantes obdormiuit in domino, 3. idus Septemb.

Anno Domini MCCXXVIII, nobiles eius eum pannis fortibus honorifice tumulauerunt; peractaq; peregrinatione, effosso corpore decoctione diligenti excoriato, ossa apparuerunt candida super iure quæ sericis imposuerunt, sepultus tandem in cœnobio monachorum ordinis sancti Benedicti Reinhersborn, vbi multis claret miraculis.

Anno Domini MCCXXIX, beata Elisabeth à Thuringia migrauit in Marpurg. Eodem anno prædicatores venerunt ad Erffordiam. Deinde anno MCCXXXII. sancta Elisabeth vidua migrauit ad Christum.

Anno Domini MCCXXXVI, Calend. Maij Marpurg translatio sanctæ Elisabethæ facta est, procurante fratre Conrado Teutonici ordinis olim Landgrauio, præsente imperatore Friderico, archiepiscopo Moguntino, Colonienſi & Bremenſi, vbi facta discordia inter episcopum Moguntinum & imperatorem. Et de ossibus eius oleum euidentissime desudauit.

Henricus Landgrauius in regem, anno MCCXLVII, electus in odium alterius, deinde anno sequenti in Warpurg immatura morte obijt in profluuio ventris. Sepultus est Ysenach, sine hærede defunctus.

Deinde anno MCCLIII, discordia in terra Thuringiæ exorta est, quæ per nouem annos terram Thuringiæ, Hassiæ, & Saxoniæ deuastauit, quæ singula & alia deinceps quære in historijs.

FINIS.

LANDGR.

LANDGRAVIORVM OMNIVM THVRINGIÆ ET HASSIÆ QVI A QVINGENTIS ANNIS ET AMPLIVS DITIONES ILLAS CVM IMPERIO TENVERunt, diligenter ex multis optimis Authoribus descripta Genealogia:

A

D. Ioanne Pistorio Nidano.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

SCRIPTO... RERVM ... Tom...

VETERVM LANDGRAVIORVM THVRINGIÆ FAMILIA, EX OPTIMIS AVTHORIBVS DILIGENTER EXPLICATA.

=Wilhelmus, Comes Arelatensis. (sic enim ego sentio, cùm alii contra omnium historiarum testimonia contendant fuisse Aurelianensem: quo nomine tum nulli erant per vniuersam Galliam principes)

Guilielmus succedit patri: cuius familiam alibi describemus.

Comitis à Spanheym filia. =Hugo profectus in Germaniam cum fratre, aulam gubernat Erckenwaldi Moguntini Archiepiscopi.

